Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/benedictixivdela0003unse

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OPERA OMNIA

IN TOMOS XVII. DISTRIBUTA.

TOMUS DECIMUS SEPTIMUS.

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

BULLARIUM

TOM. III.

IN QUO CONTINENTUR

CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ

ALIAQUE EDITA AB EXITU ANNI MDCCXLVIII.

USQUE AD TOTUM

EJUSDEM PONTIFICATUS ANNUM XVII.

PARS PRIMA. et Secunda.

ALMA COLLEGE
262.11
LIBRARY
C647
Alma, California

PRATI

IN TYPOGRAPHIA ALDINA

MDCCCXLVI.

33719

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

BULLARIUM

TOM. III.

PARS PRIMA.

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

BULLARIUM

TOM. IV.

PARS PRIMA.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONSTITUTIONES, EPISTOLAE ETC.

PONT. IX. ANNO 1748. I.

JOANNI V.

Portugalliae, et Algarbiorum Regi, ejusque Successoribus in perpetuum, FIDELISSIMI Titulus assignatur.

Carissimo in Christo Filio Nostro JOANNI *Portugalliae, et Algarbiorum Regi* FIDELISSIMO.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Carissime in Christo Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Insigna Regis, ejusque Praedecessorum merita in Fidei Catholicae propagatione.

Maxima, ac tam praeclara Illustrium Regum Portugalliae, et Algarbiorum habentur, et reipsa sunt, non tam invictissimae in debellandis, sibique subjiciendis tot barbararum, remotissimarumque nationum Populis, Provinciis, et Regnis, potentiae decora, quam Christianae pietatis, atque incredibilis, flagrantissimique pro Catholica Fide in vastissimas illas, quas sub suam redigebant potestatem, statim invehenda, propagandaque, et necessariis, opportunisque ingentium pecuniarum, Sacrorumque Ministrorum subsidiis fovenda, confirmandaque, zeli insignia facinora; ut jure, ac merito non solum ubique gentium ab omnibus commendati, sed a Romanis praesertim Pontificibus Praedecessoribus Nostris, ad quos supremas Jesu Christi Regis Regum, et Domini Dominantium vices in terris gerentes circumspecta sua providentia egregios viros de eadem Catholica Fide, et Apostolica hac Sancta Sede benemerentissimos singularibus laudibus, ac peculiaribus honorum titulis decorare, et illustrare in primis spectat, debitis Apostolicae laudationis praeconiis, et eximiis Pontificiae benignitatis gratiis, favoribus, privilegiis, et indultis fuerint cumulati. Quemadmodum autem Majestas Tua, prae caeteris Portugalliae, et Algarbiorum Regibus Praedecessoribus tuis, magno pii, regiique animi tui fervor, Catholicam Fidem, non modo in omnibus ditionum tuarum, sed in alienis quoque regionibus, ab inita Regnorum tuorum possessione promovere, et urgere; verum etiam tot sapientiae, industriae, pietatisque consiliis, et immensis opum profusionibus tueri, et conservare contendens, maximus emineas, et praediceris; ita Majestatem Tuam Praedecessores itidem Nostri Romani Pontifices fel. rec. Clemens XI., Innocentius XIII., Benedictus pariter XIII., Clemens XII., ac Nos ipsi laudatissimis eorumdem vestigiis inhaerentes, non omisimus iis paternae benevolentiae, auctoritatisque testimoniis prosequi, quibus notum omnibus fieret, quanti Te, inclytamque Nationem Lusitanam tuam faciamus, quantoque in honore, ac pretio habentes, ad utriusque decus, commodum, et incrementum advigilemus.

Pontificiae in Regem benevolentiae studium.

§. 1. Porro haud satis aptis verbis explicare, Tibique reipsa contestari possumus incredibilem paterni animi nostri alacritatem, studiosamque ad Majestati Tuae amplius gratificandum voluntatem; sed Tibi persuasum esse volumus, Nos, qui Majestatem Tuam praecipua charitate complectimur, paterna solicitudine affici, ut insignem aliquem honoris Titulum, qui et Majestati Tuae de Catholica Fide benemereri pergenti ad majorem gloriam, et Successoribus tuis Portugalliae, et Algarbiorum Regibus ad luculentissima pietatis, et virtutis tuae potissimum exempla imitandum, et pro Catholica Fide pari via, ac ratione ad laborandum, perenni deinceps esset incitamento.

Fidelissimi Titulus ipsi, ejusque Successoribus Motu proprio assignatur.

§. 2. Eapropter Motu proprio, non ad Tui, sive alterius pro Te Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, maturaque deliberatione, et mera liberalitate Nostris, ac de supremae Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine, nec non ducti exemplo

tam aliorum Praedecessorum nostrorum, qui Viris Principibus Catholicae Fidei, et Apostolicae Sedis studiosissimis titulos, et ornamenta largiti sunt, quam potissimum S. Pii V. itidem Praedecessoris nostri, qui clar. mem. Sebastiano Portugalliae, et Algarbiorum Regi Decessori tuo, immensis laboribus, atque opibus pro Catholicae Fidei propagatione exhaustis, honorabilem aliquem titulum tamquam rerum praeclare gestarum jugem indicem conferre optabat (etsi Rex ille sapientissimus hac dumtaxat se Obedientissimi Sedis Apostolicae filii denominatione gloriari respondisset) Te, Tuosque Portugalliae, et Algarbiorum Reges pro tempore Successores in perpetuum, tamquam Catholicae Fidei propagatores, titulo, seu denominatione FIDELISSIMI Apostolica auctoritate tenore praesentium ornamus, et insignimus, atque etiam ab omnibus Regem FIDELISSIMUM nominari, appellari, inscribi, dici, haberi, censeri, ac tractari debere volumus, praecipimus, et mandamus.

Clausulae pro perpetua concessionis firmitate.

§. 3. Decernentes easdem praesentes Literas de subreptionis vitio, aut intentionis nostrae, seu quocumque alio defectu, ex quavis etiam quantumlibet justissima, et urgentissima, rationabilique causa, nullo umquam tempore a quoquam notari, vel impugnari posse, sed illas validas, et efficaces perpetuo fore, et esse, suosque plenarios, totales, et omnimodos effectus sortiri posse, ac debere in omnibus, et per omnia, ac si Consistorialiter, et de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio factae, et in ipso Consistorio nostro Secreto lectae fuissent: Sicque per quoscumque Judices etiam Imperiali, Regia, et Ducali, vel quavis alia excellentia, ac dignitate praeditos, et alios Commissarios qualibet auctoritate fungentes, etiam Causarum Sacri Palatii nostri Auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, sententiandi, definiendi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, definiri, et interpretari debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, ac declaramus. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Regnorum, Provinciarum, Civitatum, et Locorum quorumlibet statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et quantumcumque efficacissimis clausulis, et decretis quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Adhortatio.

§. 4. Caeterum: Carissime in Christo Fili noster Rex FIDELISSIME, perge certare bonum certamen Fidei, ut vitae aeternae praemia ab Auctore Fidei nostrae, et Consummatore JESU CHRISTO consequaris; dum Nos Majestati Tuae Apostolicam Benedictionem coelestis praesidii auspicem amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1748. pontificatus Nostri anno nono.

Cajetanus Amatus.

Allocutione hac de re habitam in Consistorio, vide in Appendice.

Dilecto Filio Michaeli a S. Josepho Ministro Generali Fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum. 1.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Minime dubitamus, quin memoria retineas quidquid a Nobis alias, dum Tu quidem officium Procuratoris Generalis inclyti Ordinis Tui in hac Alma Urbe nostra obires, Nos vero in minoribus constituti, Promotoris Fidei munus gereremus, praestitum fuerit, ut debitus Sacris Exuviis Sancti JOHANNIS DE MATHA ejusdem Tui Ordinis Fundatoris cultus restitueretur. Illius namque Corpus in Arca mar-

morea, seu Sarcophago in Ecclesia sub invocatione Sancti Thomae Apostoli in formis dicta in Monte Coelio ejusdem Almae Urbis nostrae, quae ad dilectos Filios Capitulum, et Canonicos Basilicae Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano spectat, et si ab initio conditum; tamen Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto inde in Hispanias translatum apud Nuntium hujus Apostolicae Sedis in Hispaniis, tunc temporis commorantem depositum fuit: quod deinde Anno MDCLXXXVI. clar. mem. Marcellus Cardinalis Duratius apud Hispaniarum Regem Catholicum Apostolicus itidem Nuntius Ministro Generali, et Diffinitorio laudati Ordinis ea tradidit conditione, ut sub Altari Cappellae in Cella Venerabilis Fratris Thomae de Virgine Matriti erectae collocaretur. Mota autem in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum tam Anno MDCLXIX., quam Anno MDCCXV. Controversia quoad Identitatem Ossium Corporis Sancti JOHANNIS DE MATHA, quae Romae primum, postmodum Matriti asservari asserebatur, ipsa Congregatio respondit. Non constare de Identitate; iterum jussu Fel. Record. Clementis PP. XI. Praedecessoris nostri postulato super ipsa Identitate apud eamdem Congregationem Cardinalium edito factum fuit, ut Nobis, dum partes Promotoris Fidei ageremus, per gravissima rationum momenta in quarto Libro Operum nostrorum *De Canonizatione Sanctorum Part. II. Cap. XXV. Num. VIII.* typis impressa adnitentibus, plena resolutio, postquam laudatus Clemens XI. Praedecessor noster viam universae carnis ingressus fuisset die XIX. Mensis Martii, prodiret die VI. Mensis Septem. Anno MDCCXXI. Constare nimirum de Identitate: Ea propter hujusce resolutionis decretum Rec. Mem. Innocentius PP. XIII. itidem Praedecessor noster approbavit. Quoniam autem eodem tempore, et Promotoris Fidei, et Secretarii Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum muneribus fungentes, Canonicatu etiam in eadem Basilica Vaticana fruebamur, ita cum Canonicis Collegis nostris egimus, ut benigne nostris votis assentientes, ipsos Fratres saepedicti Ordinis Tui ab omni penitus liberarent onere, et obligatione Ossa Sancti JOHANNIS ex Hispaniis, ubi custodiebantur, Romam; unde translata fuerant, iterum remittendi. Nec minorem sane adhibuimus operam, ut consensus hujusmodi a Capitulo Vaticano praestitus ab eadem Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die VII. Mensis Februarii Anno MDCCXXII. Nobis Secretarii ministerium sustinentibus cum clausula de Apostolico beneplacito impetrando approbaretur. Porro ad Supremum Sacrosancti Apostolatus apicem quamvis immerentes per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti, ubi opportuna se se dedit occasio, quemadmodum rebus ipsis expertus es, nullam passi sumus elabi opportunitatem, quam arripientes, Ordinem, cui tanta cum nominis Tui, et Regularis disciplinae laude Minister Generalis modo praees, de Catholica Religione, et aeterna Christifidelium salute benemereri pergentem praeclaris Apostolicae nostrae benignitatis auctoritatisque argumentis non cumulaverimus. Verum ut Tibi, dilecte Fili, Tuisque Religiosis Alumnis magis magisque pateat, quanta Vos Paterna caritate complectamur, quantaque veneratione Sanctum JOHANNEM DE MATHA Fundatorem dicti Ordinis prosequamur; memores, quod in memorata Ecclesia Sanctae Thomae in formis post Altare Majus in parvo Sacrario adhuc vacua reperiretur Urna Marmorea, sive Sarcophagum, ubi Ossa ejusdem Sancti JOHANNIS DE MATHA tumulata diu jacuerant, una cum insculpta epigraphe hoc indicante, illam, seu illud Nobis a Capitulo, et Canonicis antedictae Basilicae Vaticanae dono dari postulavimus: Nec alia certe ratione, quam ut Nos quidem illud monumentum pari donationis titulo Tibi elargiremur, Tu vero in Hispanias transmittendum, et Tuis Religiosis Alumnis Matriti commorantibus tradendum curares, hi demum ea, qua decet, veneratione inibi custoditum tenerent. Æquum enim Nobis visum est, ut ubi Ossa Sancti JOHANNIS in praesentia requiescunt, ibi et pristinum eorumdem Sacrorum Ossium sarcophagum cum inscriptione in perenne veritatis argumentum constitueretur. Coeterum fusius per hasce nostras in forma Brevis literas non tam Te, quippe qui omnium hac in re gestorum conscius es, atque particeps, quam modernos, ac futuros Ordinis Tui Religiosos Alumnos monitos voluimus, ut non solum quidquid hactenus actum gestumque fuerit, futuris temporibus perpetuum, verum

Apostolica etiam auctoritate per easdem nostras literas, tamquam authentica documenta confirmatum haberent. Interim ad Te Tuosque Fratres potissimum pertinet, ut tam pretioso munere gaudentes, assiduis Nos apud Deum vestrarum obsecrationum suffragiis commendetis, dum Nos Coelestis praesidii auspicem, et studiosae nostrae ad Vobis, quoad integrum est, gratificandum voluntatis pignus esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, dilecte Fili, iisdemque Religiosis Alumnis Tuis peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Februarii MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Cajetanus Amatus.

II.

DE MATRIMONII

Validitate inter Virum Judaeum, et Mulierem Haereticam. Expenduntur Leges Hebraeorum, et Leges Imperiales quoad Virum; Canones, et Ecclesiastica consuetudo, ejusque vis, quoad Mulierem.

Dilecto Filio Nostro Henrico Sanctae Mariae in Portica S. R. E. Presbytero Cardinali Duci Eboracensi nuncupato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Commendatur pietas Serenissimi, et Eminent. Card. Ducis Eboracen.

Singulari Nobis consolationi, et universis totius Urbis Ordinibus exemplo est illa tua, quam assiduam cernimus et audimus, exercitatio in pietatis muneribus obeundis, iisque in primis, quae decent ordinem Sacerdotalem, quo Tute a Nobis fuisti in privato Sacello Nostro initiatus. Judaeum autem ad Catholicam Fidem accedere cupientem, cum sis propediem Sacro Baptismatis lavacro expiaturus, mirifice hinc ostendis ea verba te semper in mente gerere, quae juxta Pontificale Romanum, in tui Consecratione protulimus: *Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, praeesse, predicare, et baptizare.*

Dub. An Judaeo baptizato, et Mulichere ab haeresi ad Cathol. Fidem conversa, renovari deberet inter eos Matrimonium. Resolvitur: Affirmative.

§. 1. At exorta, uti accepimus, haec controversia est, utrum scilicet, cum Hebraeus e secta Protestantium uxorem duxerit, quae aut haeresim ejuravit, aut ejurandae parata est, utrum, inquam, initum antea Matrimonium, post susceptum ab Hebraeo Baptisma, sit iterandum. Te igitur hac Nostra epistola certiorem facimus, ambos, postquam Catholicae Fidei nomen dederint, per Baptismum alter, altera per haeresis detestationem, rursus esse matrimonii vinculo conjungendos. Nam quod ante inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur *disparitatis cultus:* In qua re declaranda, sermonem primo de Viro, tum de Muliere instituemus, diligenter investigantes, an eorum uterque, dum connubium iniit, illius esset impedimenti vinculo irretitus.

Leges canonicae de Matrimonio Virum Judaeum directe non afficiunt.

§. 2. Initium igitur a Viro sumimus, ac breviter indicamus quidquid hac in re tum Hebraica lege sancitum, tum Principum decretis constitutum sit; omissis Sacris Ecclesiae Canonibus, cum nullo modo possint iis accommodari, qui numquam in ejus sinum admissi sunt. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Sic S. Paulus epistola 1. ad Corinth. cap. 5. scripsit, cujus verba apte ab Urbano III. Praedecessore Nostro ad rem nostram accomodata sunt *cap. Gaudemus, de divortiis.*

Hebraeorum Leges Matrimonia cum alienigenis vetant.

§. 3. Deuteronomii cap. 7. cautum est, ne Hebraeis liceret cum iis feminis, quarum religio non esset eadem, matrimonio copulari. *Non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia; filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et lib. 1. Esdrae cap. 10. habetur, Secheniam cum eodem Esdra publice conquestum de Hebraeis esse, qui uxores duxerant infideles, ibique legitur consilium ab eo captum, quod his verbis exprimitur. *Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel; et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum ejus, et separamini a populis terrae, et ab uxoribus alienigenis.*

Certum vero non est Lege Moysi inductum esse impedimentum dirimens.

§. 4. Verum non videtur his sacrarum Literarum testimoniis adniti posse impedimentum *disparitatis cultus*, matrimonia dirimens Hebraeorum cum mulieribus alienigenis. Primum quidem supradictus Deuteronomii locus *ad cap.* 7. explicari commode de interdicto potest, quo illicita quidem sint hujusmodi matrimonia, non infecta, ac irrita. Hoc magis magisque confirmat, quod *lib.* 3. *Regum cap.*

11. legitur, jam lata scilicet Deuteronomii lege, Salomonem plures uxores duxisse ex iis gentibus, cum quibus connubia habere prohibitum Hebraeis a Deo fuerat; quas quidem non Concubinarum loco ab ipso habitas fuisse Sacer Textus indicat, cum septingentas Reginas a trecentis Concubinis omnino distinguat. Accedit praeterea Sampsonis exemplum, qui Dalilam uxorem habuit ex Gigantum progenie ortam: Et sexcenta alia praetermittimus, quorum vim ingenue fatetur celeberrimus Theologus Dominicus Sotus *in 4. sent. dist.* 39. *quaest. unic. art.* 1., licet is sentire videatur, illa Deuteronomii verba de impedimento agere non impediente, ut inquiunt, sed dirimente.

Saltem respectu omnium nationum extra Terram Cananaeam.

§. 5. Deinde vero etsi Soti sententia vera esset, tamen impedimentum dirimens non ad universos omnino populos pertineret, sed ad septem Nationes tantum, idest Hethaeos, Gergezaeos, Amorrhaeos, Cananaeos, Pherezaeos, Hevaeos, Jebusaeos, quae scilicet Deuteron. *cap.* 7. exprimuntur; id vero nullo pacto sufficit, ut impedimentum disparitatis cultus in Hebraica lege inter Hebraeos, et mulieres alterius cultus, et cujuscunque Nationis, stabiliatur; juxta egregiam S. Thomae doctrinam, qui *in 4. senten. dist.* 39. *quaest.* 1. *art.* 1. *Ad primum* sic scripsit; *Dicendum, quod in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permissum, ut cum iis possent inire conjugia, et de aliquibus prohibitum, specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Canaam*, qui memoratas paulo ante gentes comprehendunt. Quod vero praedicta Lege Deuteronomii *ad cap.* 7. dumtaxat tenerentur terrae Canaam habitatores, non autem coeteri, licet addicti diversae penitus Religioni, id clare perspicitur ex Cap. 21. ejusdem Deuteronomii, ubi victoribus Hebraeis conceditur, eam captivam uxorem ducere, cujus forma ipsis egregia videretur. *Et videris in numero Captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, dormies cum illa, et erit uxor tua:* quod quidem et S. Thomas animadvertit *loc. cit. in responsione ad secundum*.

Factum Esdrae intelligi potest de separatione quoad Thorum.

§. 6. Cum autem Esdras filios Israel a mulieribus alienigenis separaverit, non illud hinc sequatur necesse est, quod is nimirum Deuteronomii caput septimum ita interpretatus sit, ut ob disparitatem cultus, irrita, infectaque matrimonia esse jusserit; quinimo illud in eam partem accipi potest, ut manente eodem matrimonii vinculo, separatio quoad thorum fieret; ita tamen ut jure polygamiae nubere liceret viris, nefas esset mulieribus de thalamo cogitare, donec aut viri occumberent, aut ipsae ad Judaicam accederent Religionem; ut sapienter animadvertit insignis Theologus Gulielmus Estius *lib. 4. senten. dist.* 39. §. 3. *vers. Quod si dicas Esdram*. Id etiam S. Augustini auctoritate confirmatur, qui *in lib. de adulterinis conjugiis cap.* 18. de matrimoniis ab Esdra separatis, tamquam de veris loquitur, licet non legitimis, utpote contractis Dei praecepto non suffragante.

Leges Imperiales impedimenta, quibus Matrimonium dirimatur, statuere non valent.

§. 7. Ex dictis liquet, incertum esse, ex Lege Mosaica, matrimonia Hebraeorum inita cum mulieribus exteris, et Religionis alienae, haberi irrita oportere. Neque hinc argui potest, eadem Lege cautum fuisse, ut viri hujusmodi matrimonia ineuntes, ob disparitatem cultus, dirimenti teneantur impedimento. Idem quoque sentiendum de Principum legibus arbitramur. Lex enim unica, quae ad hanc rem pertineat, Theodosii est, quae incipit, *Ne quis*, sub titulo Codicis *de Judaeis*, cujus haec sunt verba: *Ne quis Christianorum mulierum in matrimonium Judaeus accipiat, neque Judaeae Christianus conjugium sortiatur: Nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vice commissi hujusmodi crimen obtinebit*. Verum duae huc occurrunt difficultates: prima, quod haec Lex utpote a laico Principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet: *Leges illae quomodocumque intellectae, non possunt praescribere Ecclesiae*. Sic Estius cit. loco ad §. *Si quis objiciat*. Gravior altera est. Nam Theodosii lege, Hebraei cum Christiana matrimonium, ob sceleris indignitatem, non quidem ut irritum, sed ut adulterium, severissime damnabatur. *Leges autem Imperatoris dicendum est, dicta matrimonia ut adulteria punire, propter gravitatem peccati, non propter nullitatem matrimonii*. Idem Estius.

Lex allegata poenam delicti statuit, at de validitate matrim. non loquitur.

De mulere quid inquirendum.

§. 8. Quamobrem si in matrimonio, de quo nunc agimus, impedimentum disparitatis cultus intercesserit, inspiciendum erit, an illi mulier obnoxia fuerit; quod ut cognoscatur, diligenter est perscrutandum, num Jure Canonico tale impedimentum decretum fuerit, aut communi Ecclesiae Catholicae consuetudine stabilitum; praeterea an mulier Potestantium haeresi infecta hac consuetudine teneatur. Nam si mulier cum foedus iniit, dirimenti hoc im-

pedimento detinebatur, hoc satis est, ut matrimonium irritum habeatur, directe quoad mulierem, oblique quoad virum; licet hic Superioris auctoritati, qui legem tulit, non sit obnoxius: eo ferme pacto, quo si Princeps aliquis subditorum cum exteris commercium sustulisset, atque irrita declarasset, ea, si forte fierent, inania haberentur, licet non uterque negotiatorum, sed unus tantum esset subditus Legislatori.

Lex, aut consuetudo, si unam ex partibus afficit, contractum irritat etiam quoad aliam.

§. 9. Nunc, ut proposuimus, an impedimentum illud disparitatis cultus Jure Canonico decretum fuerit, investigemus. Verum facilis explicatio: Canones quippe a Gratiano collecti in *causa* 28. *quaest.* 1. revera fidelium cum infidelibus matrimonia prohibent, non ita tamen, ut eadem faciant irrita: Et quamquam facerent, tamen quum Canones illi a Conciliis Provincialibus conditi fuerint, tantam vim obtinere minime possunt, ut iis Universalis Ecclesia obligetur; quamvis praedicti Canones in Gratiani decreto locum habeant, et illud opus jussu Gregorii XIII. emendatum fuerit; ut in quibusdam Nostris Operibus jam in publicam lucem editis satis superque a Nobis probatum est.

In jure communi Canonum impedimentum disparitatis cultus inter dirimentia non refertur.

§. 10. Sequitur modo, ut cum impedimentum illud Jure Canonico statutum non fuerit, perquiramus, an communi Ecclesiae Catholicae consuetudine susceptum, atque firmatum inveniatur. Qua quidem in re omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure sacrorum Canonum, sed generali Ecclesiae more, qui pluribus abhinc seculis viget, ac vim legis obtinet. Consulatur Cardinalis Bellarminus *tom.* 3. *controvers. de Sacram. Matrim. lib.* 1. *cap.* 23. *vers. Tertia propositio*, Estius *loc. cit.* §. *Si quis objiciat*, et Natalis Alexander *in Theolog. dogmat. et moral. lib.* 2. *de Sacram. Matrimonii art.* 8. §. *Certum est*, recens Herminier *Tractatu de Sacram. tom.* 3. *pag.* 477. Item etiam *tom.* 3. *Conventuum Ecclesiasticorum*, qui Parisiis habebantur, cum ejusdem Ecclesiae Archiepiscopus esset Cardinalis de Noailles *lib.* 1. *convent.* 1. §. 3. ubi haec scripta sunt: *Omnes ferme Theologi sentiunt, nunquam Ecclesiam matrimonia Christianorum cum infidelibus aliquo Canone vetuisse, quo ea declaret irrita; impedimentum vero, quod a Religionis diversitate procedit, ab usu consuetudineque Ecclesiae vim legis habente statutum fuisse.*

Illud tamen provenit ex generali Ecclesiae Catholicae consuetudine, quae vim legis habet.

§. 11. Restat denique expendendum, an mulier ex haeresi Protestantium, dum Hebraeo nupsit, hac lege universali, ut diximus, Ecclesiae consuetudine inducta obligaretur, quae Christianorum in Ethnicis, aut Hebraeis matrimonia propter disparitatem cultus irrita esse jubet. Hac vero in quaestione non alio modo responderi posse arbitramur, nisi videlicet, eam fuisse id temporis obligatam. Hoc siquidem impedimentum non habet locum in matrimoniis eorum, qui haud sunt baptismate initiati, licet falsam ambo religionem sectentur: neque vim ullam habet in matrimoniis eorum, qui Baptisma susceperunt, etsi alter Catholicus, haereticus alter fuerit, quum plane constet, illicita illa quidem, sed rata esse. Illud autem vigere compertum est, in eorum conjugiis, quorum alter Baptismi est particeps, expers omnino alter, quamvis adhuc Catechumenus esset, atque ad Catholicam fidem accedere statuisset. Id confirmatur Textu *in Can. Cave* 28. *quaest.* 1, ubi haec habentur. *Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis*; et praeter Sanctum Thomam *loc. cit. in responsione ad quintum*, et praeter Sotum *loco superius laudato* §. *Hinc fit*, idem decernunt Pontas *in cas.* 7. *ad verbum impedimentum disparitatis cultus*, Juvenin *de Sacram. diss.* 10. *quaest.* 2. §. 2. *vers. Quaeres utrum Catechumeni*, Sanchez *de Matrimonio lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 66., *et seq.* Clericat. *de Matrim. decis.* 26. *num.* 3. Cum vero haec communis Ecclesiae disciplina nunc vigeat, eique, ut innuimus, mulier Protestantium erroribus addicta subjiciatur, necesse erit, ut matrimonii foedus, quod cum Hebraeo iniit, cum hic Baptismate ablutus minime fuerit, per impedimentum *disparitatis cultus* irritum, infectumque habeatur.

Impedimentum disparitatis cultus locum habet inter baptizatum, et non baptizatum quemcumque.

§. 12. At objicere quis forte posset, Baptismum, de quo nunc agimus, non quidem a Catholico, sed a Ministro Protestantium collatum fuisse; mulierem vero, utpote haeresi mancipatam, post susceptum Baptisma, extra sinum Ecclesiae Catholicae fuisse, nec ideo ejus legibus obligatam. Sed haec diluere facile possumus, si primo consideremus, quod apud omnes constat: Haereticus aliquem baptizando, si formam adhibeat, et materiam legitimam, ut in muliere, de qua sermo est, peractum existimamus, is Sacramenti charactere insignitur. Hac enim ratione, tamquam fun-

Baptismus rite collatus ab Haereticis validus est, et characterem imprimit.

damento, et S. Augustinus, et veteres Patres innitebantur, ut Donatistas refellerent, qui contendebant, ab Haereticis baptizatos rursus esse baptismate initiandos.

Baptizatus ab Haeretico evenit membrum Ecclesiae, et etiam in infantia habitum Fidei recipit.

§. 13. Deinde id etiam compertum est, eum qui baptisma ab Haeretico rite suscepit, illius vi Ecclesiae Catholicae membrum effici; privatus siquidem baptizantis error hac eum felicitate privare nequit, si Sacramentum conferat in Fide verae Ecclesiae, atque ejus instituta servet in his, quae pertinent ad validitatem Baptismi. Egregie hoc confirmat Suarez in sua Fidei Catholicae defensione contra errores sectae Anglicanae *lib.* 1. *cap.* 24., ubi probat Baptizatum Ecclesiae membrum fieri; hoc etiam addens, quod si haereticus, ut saepius accidit, infantem lustret impotem ad fidei actum eliciendum, hoc impedimento non est, quo minus ille habitum fidei cum baptismo accipiat.

Si baptizatus errori deinde adhaereat, caret beneficiis communionis Ecclesiae. Sed ab Ecclesiae auctoritate non eximitur.

§. 14. Postremo exploratum habemus, ab Haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes; non tamen ab ejus auctoritate, et legibus liberari; ut sapienter Gonzalez disserit *in Cap. Sicut n.* 12. *de haereticis*.

Confirmatur exemplis.

§. 15. Hoc quidem in transfugis, ac perduellibus observatum videmus, quos leges civiles a fidelium subditorum privilegiis omnino excludunt. Leges quoque Ecclesiasticae privilegia Clericalia iis Clericis non concedunt, qui Sacrorum Canonum jussa negligunt. Nemo autem sentit, aut perduelles, aut Clericos Canonum violatores, suorum Principum, aut Praelatorum auctoritati non subjacere.

Ex praemissis infertur nullitas matrimonii inter Haereticam, et Judaeum.

§. 16. Haec exempla, ni fallimur, pertinent ad quaestionem: ut enim illi, sic haeretici Ecclesiae subditi sunt, et legibus Ecclesiasticis tenentur. Cum vero inter Ecclesiae leges illa quoque recenseatur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptismum acceperit, secus alter, rata non habet; in nostra etiam quaestione statuendum erit, cum haeretica mulier baptismo initiata Hebraeo nupsit, matrimonium illud pro irrito habendum esse. Consulatur Anacletus *lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. *de clandestina desponsatione* §. 3. *num.* 142. *et seq.*, qui praedictae sententiae inhaerens, matrimonia ab haereticis inita statuit esse invalida, si impedimentum dirimens ab Ecclesia sancitum, aut universali lege, aut communi consuetudine, quae vim legis obtinet, intercedat.

Objectio ex admissa validitate matrimoniorum in Belgio contractorum, non servata forma Concilii Tridentini.

§. 17. At vero ne silentio aliquid dissimulemus, fatemur allatas rationes sufficere non potuisse, ut Matrimonia, quae in Belgio, absente Parocho Catholico, aut inter Haereticos, aut inter Catholicos et Haereticos contracta fuerant, rescinderentur, cum Nosmetipsi Decretum fecerimus die 4. Novembris 1741., quo statuimus prima esse valida, secunda illicita, sed non irrita; quamvis Concilium Tridentinum impedimentum dirimens, pro iis matrimoniis statuerit, quae post ejus promulgationem non coram Parocho Catholico, et duobus testibus contrahuntur. Nam ut ambiguitas omnis tollatur, ignorandum non est, in hujus controversiae investigatione, quam *an.* 1741. explicavimus; Nos ipsos et Nostra, et multorum, quos consuluimus, sententia existimasse, firmas certasque manere praedictas antea rationes; sed ad rem, de qua agebamus, minime aptas esse. Ex verissimis siquidem argumentis conjecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a Nobis *an.* 1741. solutae occasionem dederé; ut commode colligi potest ex suffragiis Theologorum, et Canonistarum, qui hac de re scripserunt, quae Romae in publicam lucem edita sunt in Tomo unico foliorum Congregationis Concilii *an.* 1741. Quo quidem veritas superioribus fundamentis fulta non infirmatur, ut eo plane modo, quo Episcopus, si nolit aliquando corrigere, aut punire Clericum, qui Canonum sanctionibus non obtemperat, nec privilegiis fruitur; Episcopus, inquam, non dubitatur, quin alias, si velit, eum libere possit aut arguere, aut punire.

Respondetur, ex mente ipsius Concilii judicatum fuisse, ea non comprehendi sub ipsius lege.

Dubitatur, an ex mente Ecclesiae praefata consuetudo comprehendat personas, et Regiones, de quibus agitur.

§. 18. At objici adhuc posse cognoscimus, existimandum esse, Ecclesiam noluisse impedimento disparitatis cultus ea matrimonia subjicere, quae ab haereticis Protestantibus cum Hebraeis contracta sunt in iis praecipue regionibus, ubi illud, de quo sermo est, initum fuit; cum hoc impedimentum vim ex consuetudine obtineat, nullamque in illis matrimoniis, nec in illis regionibus consuetudinem hujusmodi vigere compertum sit.

Id jam dubitatum fuit de Sinensibus, et Japonensibus recens conversis.

§. 19. Respondemus autem veterem hanc esse quaestionem, atque a Patre Lessio tum excitatam, cum primum Japonenses, et Sinenses a falsorum Deorum cultu ad veri Numinis Religionem transierunt: Cum enim idem Lessius assereret, nullam apud eos hujusmodi esse consuetudinem, idcirco matrimonia ibidem inter baptizatos, et non baptizatos, inita esse rata existimabat. Eadem controversia disceptata fuit ab illis, qui in Seminario Missionum Parisiis degunt. Perlegere etiam fas est dubium a Patre Lessio excitatum apud Verricellum *de Missionibus lib.* 3. *de legibus quaest.* 79. *n.* 1. apud Dianam *in Edit. coordin. tom.* 6. *tract.* 1. *resolut.* 13. sub §. 2. apud Clericat. *decis.* 26. *n.* 23. Quod vero ab his, qui in Seminario Parisiis degunt, discussum est, legi potest in citato *Conventu* 1. *de matrimonio*, cum Ecclesiam illam regeret Cardinalis de Noailles, §. 4. Verum controversiae finis cum constitutus deinde fuerit, decernendo, consuetudinem non susceptam posse id efficere, ut Sancta Sedes, cum coeperunt Sinenses, Japonensesque Catholicam Fidem amplecti, Vicariis Apostolicis facultatem daret, qua super impedimento disparitatis cultus cum iis dispensarent, quemadmodum in praedicto §. 4. indicatur, et quemadmodum factum legimus in documento, quod est inter Constitutiones Apostolicas ad Missiones Sinarum, et Tunkini spectantes, Parisiis editas *ann.* 1676. *pag.* 38., et inter epistolas Card. d'Ossat Parisiis typis mandatas *an.* 1627. *ep.* 311., ubi refertur amplissima facultas Missionariis a Gregorio XIII. concessa, ut novos Christifideles Provinciarum, Insularumque Japoniae impedimento illo solverent, et liberarent: Cumque hujusmodi remissio, nisi lex obstet, non concedatur, satis superque id est, ut clarissime innotescat, nullius momenti esse, quod de consuetudine impedimenti disparitatis cultus non adhuc suscepta objiciebatur; Cum potissimum peculiaris asserta consuetudo universali contrariae consuetudini cedere debeat.

Peculiaris consuetudo quo ad istos, facilius cum iis dispensandum suasit.

Sed non ideo generalis consuetudinis vis enervata.

§. 20. Quamobrem ad propositum redeuntes, compertum habeas, quod postquam mulier haeresim more solito in idoneo Tribunali ejuraverit; Tu vero Hebraeum sacro baptismate initiaveris, inter illos coram Parocho matrimonium erit iterandum, a Conc. Trident. praescripta forma servata; quum Baptismi sacramentum sit janua caeterorum. Hic autem Nos finem imponentes Tibi, Dilecte Fili noster, Tuaeque Regiae Domui, ex animo Apostolicam Benedictionem impertimur.

Concluditur Judaeo baptizato, et erroribus a Muliere ejuratis, renovandum inter eos Matrimonium.

Datum apud S. Mariam Majorem die 9. Febr. 1749. Pontificatus Nostri Anno IX.

Dat. die 9. Febr. 1749.

BENEDICTUS PAPA XIV. II°

Ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio praesidentes religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae jugo mancipatorum, uberesque in Ecclesia Dei fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium commodis libenter consulimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, et animarum salutem in Domino expedire arbitramur. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Thomas Presinace modernus Prior Regii Monasterii Sancti Stephani in Bosco Provinciae Rheginen. ulterioris Calabriae Ordinis Carthusien., quod cum ad dictum Monasterium legitimae spectet quaedam Eremus, quam Sanctus Bruno dicti Ordinis parens, dum vixit, ejus magna poenitentia, et mora usquequo mortalitatem explevit illustrem reddidit, una cum quodam Territorio circumcirca unius circiter leugae mensurae illarum partium, necnon parvus locus *Spatola* vulgo nuncupat. Ecclesia olim Sanctae Mariae Arsaphiae, nunc Sancti Andreae, Castrum Sancti Jacobi, et illius annexi Pagi vulgo *Casali di Montauro, Oliviano, et Gasparina* eidem Sancto Brunoni, dum in humanis agebat pro se, suisque Successoribus a clar. mem. Ruggerio, dum etiam vixit, Siciliae, et Calabriae Comite dono dati, in quibus pro tempore existentes memorati Monasterii Priores jurisdictionem temporalem, et spiritualem, ac quasi Episcopalem in Clerum, et Populum exercuerunt, et exercere pergunt in vim donationum, et concessionum S. Brunoni praedicto a bon. mem. Theodoro Misimerio, Joanne et Nicephoro dum itidem vixerunt, Episcopis Squillacen. factarum, quae quidem donationes, ut asseritur, a rec. mem. Urbano II., Paschale etiam II., Innocentio III., et Honorio itidem III. Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, et

a bon. itidem mem. Adeodato, dum pariter vixit Episcopo Squillacen., cum consensu Capituli approbatae, et confirmatae fuerant. Praeterea Priores praedicti ab antiquissimo, et immemorabili tempore jurisdictionem quasi Episcopalem in Terra vulgo *la Serra* nuncupat. intra Territorium dictae Eremi sita, ac in Ecclesia Sanctae Dominicae Virginis, et Martyris extra maenia Terrae *di Monte Lavone* Squillacen., in Ecclesia Sancti Fantini Hieracen., in Ecclesia sub invocatione Annunciationis Beatae Mariae Virginis in ora Maris Mediterranei Nicoteren., in Ecclesia Sanctae Mariae de Palaforio nuncupat. in quodam Feudo ejusdem Monasterii diruto existen. sub invocatione Sancti Leontii, in memorata Ecclesia olim Sanctae Mariae Arsaphiae, nunc Sancti Andreae, in Possessione de Pruppa Monasterii hujusmodi, ac in Ecclesia Sancti Stephani Pagi de Giampiliere Messanen. respective Dioecesum tamquam veri Ordinarii qui particulare, et separatum Territorium habent absque ulla controversia exercent quippe qui Literas dimissoriales Clericis Subditis concedunt, illasque ad effectum ut Clerici praedicti ad sacros Ordines rite sese promoveri faciant ad Episcopos transmittunt, Presbyteris idoneis, et ab eorum respective Ordinariis approbatis sacramentales Christifidelium Confessiones excipiendi facultatem tribuunt, ac in locis praedictis Confirmationem a quocumque Catholico Antistite sibi bene viso in Subditos conferre faciunt, Commissiones, Literasque Apostolicas, dispensationes etiam Matrimoniales continentes exequuntur, omnesque Causas Ecclesiasticas cognoscunt, et decidunt, ac Terras, seu Loca *Serra, Spatola, Bivonci, Montauro, et Gasparina*, dictasque Ecclesias in alienis Dioecesibus sibi subjectas saltem infra duorum annorum spatium visitant, quibus quidem privilegiis eis tam ab Episcopis, quam a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris alias concessis semper gavisi fuerunt, et usque nunc gaudent, et ad eorum favorem judicialiter in contradictorio cum quodam tunc existente Episcopo Squillacen., ut ex decisionibus Causarum Palatii Apostolici Auditorii constare asseritur ad eorum favorem confirmata, et approbata remanserunt. Cum autem, sicut eadem exposito subjungebat dictus Thomas Prior, ut asserit, persepe accidere solet, ut ad Ecclesias praedictas inquisitae personae ob patrata delicta confugiant, dictique Monasterii Priores tamquam inferiores Praesules declarare nequeunt an delicta per dictos confugientes commissa existant, vel non, ex iis, quae in Constitutionibus rec. mem. Gregorii XIV., et Benedicti XIII. Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, et in concordatis inter Apostolicam hanc Sanctam Sedem, et charissimum in Christo Filium Nostrum Carolum Sebastianum utriusque Siciliae, et Hierusalem Regem illustrem nuper initis comprehensa sunt, et immunitate Ecclesiastica minime gaudere debent; ipsique Priores non sine gravi eorum incommodo, ac magno cum justitiae praejudicio, et temporis diuturnitate ad Episcopos viciniores pro obtinenda super praemissis declaratione recursum habere coguntur, in praemissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri summopere cupiat. Nos ipsum Thomam Priorem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, moderno, ac pro tempore existenti Priori Monasterii Sancti Stephani hujusmodi, etiamsi non sit ex illis, quos Gregorius Praedecessor praedictus in sua Constitutione, quae incipit » *Cum alias nonnulli Praedecessores nostri etc.* Voluit, et declaravit, ut delinquentes, qui delicta in ipsa Constitutione contenta patraverint, et in eorum Ecclesiis sese receperint Curiae Saeculari tradi, et consignari facere possent, ut ipsi, servata tamen forma, et dispositione tam dicti Gregorii, quam Benedicti praefati Praedecessorum Nostrorum Constitutionum, quoscumque Laicos delinquentes ad Ecclesias ab ipso Monasterio Sancti Stephani dependentes, ac in locis in quibus ipse Prior jurisdictionem quasi Episcopalem exercet existentes, et in eis ob commissa delicta sese recipientes, et commorantes Curiae Seculari praedictae, absque eo quod ad Episcopum viciniorem pro obtinenda declaratione an delinquentes ipsi sint, vel non comprehensi in dictis Constitutionibus recursum habeat, per se ipsum, vel si Priorem praedictum a Mona-

sterio absentem esse, per ejusdem Monasterii Vicarium absque ulla irregularitatis nota, et ullo censurae Ecclesiasticae incursu eo modo, et forma, quibus rec. mem. Gregorius Papa XIV. itidem Praedecessor Noster Episcopis in rebus ad immunitatem Ecclesiasticam pertinentibus concessit, tradi, et consignari facere libere, et licite possit, et valeat auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, omnemque in praemissis necessariam facultatem, et licentiam tribuimus, et impertimur: Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Priori praefato pro tempore existenti plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac supradictis, aliisque Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii, et Ordinis praedictorum etiam juramento confirmatione Apostolica', vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Februarii MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Cardinalis Passioneus.

III

DE ECCLESIARUM CULTU

Et nitore; de Officiorum Ecclesiasticorum, et Musices ratione, Epistola Encyclica, occasione imminentis Anni Sancti, ad Episcopos per ditionem Ecclesiasticam constitutos scripta.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Annus, qui hunc vertentem annum insequitur, ut Fraternitas Tua cognitum, et compertum habet, Jubilaeus est. Et quoniam, bello confecto et poenitus sublato, summa Dei miseratione, pax inter Principes, qui decertabant, inita est, fas est sperare in Domino, magnos exterarum nationum, etiam longe dissitarum, ad hanc almam Urbem fore concursus. Nos quidem enixe Deum deprecamur, atque etiam ab aliis orari cupimus, ut omnes, qui ad hanc Urbem se conferunt, spirituales fructus Sanctarum Indulgentiarum consequantur, idque, ut eveniat, pro virili Nostra, quam diligenter curabimus. Optamus etiam, ut omnes, qui Romam veniunt, ne moribus nostris offensi recedant; sed potius ex iis, quae in hac Urbe, atque in aliis Civitatibus Ditionis Nostrae, per quas iter eos facere contigerit, conspexerint, ad eorum patrias redeuntes, incitamenta referant atque exempla virtutum. Quod autem ad Romam attinet, jam ex parte a Nobis provisum est, et uberius etiam in posterum providebitur: pro iis vero, quae ad Dioecesim, quae a te recte prudenterque regitur, pertinent, Nobis opus est pastorali tuo zelo, probataque solicitudine: quod si adjutricem manum, ut certo confidimus, admovere velis, minime dubitamus, non solum Nos assecuturos id, quod in votis est, sed insuper fore, ut Ecclesiastica disciplina, ex iis, quae a Nobis praecepta fuerint, composita, non modo per totum Annum Sanctum, sed per plures deinceps annos integra, immotaque permaneat. Id enim ipsum contigent, quod usu venire compereris in Sacris Pastoralibus visitationibus; cum enim Ecclesiastici Pastoris adventum Clerici, Secularesque homines opperiuntur, et ante et postquam Episcopus advenit, studiose satagunt, ut quae prava sunt, corrigantur; quae infirma, curentur; quae mala, amoveantur; adeout earum fructus non solo visitationis tempore, sed longe post perseveret.

Sollicitudo Pontificis, ut adveniente Anno Sancto, omnia in Urbe et Statu Ecclesiastico recte ordinata inveniantur.

Episcoporum zelum ad id excitat.

§. 1. Sed ut ad rem propositam veniamus, quod in primis Tibi enixe commendamus, illud est, ut Ecclesiae optimo in statu sint, nitidae, mundae, sacraque Supellectili instructae, facile enim quisque intelligit, si advenae per

De Ecclesiarum cultu et munditie

hanc nostram Ecclesiasticam ditionem iter agentes, intueantur Ecclesias Civitatum, ac Dioecesum ruinosas, illuvie, et squallore deformes, sacris vestibus indigentes, vel habentes laceras, sordidas et ejus conditionis, ac status, ut dignae sint, quae interdicantur, certe nostris moribus offensae, atque indignatae ad suas regiones revertentur. Hic autem adverti volumus, nos verba facere non de sumptuositate, et sacrorum Templorum magnificentia, nec de divite, ac pretiosa supellectili; non enim Nos latet haec non omnibus in locis haberi posse; sed decentiam, et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire, et componi possunt. Inter caetera mala, quibus Ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat Ven. Card. Bellarminus: *Omitto*, inquiens, *quod alicubi vasa sacra, et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniantur, indigna prorsus; quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui haec adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest; sed si pretiosa non possunt, saltem munda, et nitida procurarent.* Quamobrem Praedecessor noster rec. me. Benedictus XIII., cujus labores pro Ecclesiastica disciplina vel servanda, vel restituenda, Ecclesiarumque decore procurando notissimi sunt, proponere solebat in exemplum Patrum Capuccinorum Ecclesias, in quibus est summa paupertas, aequalisque mundities omnium oculis spectanda se offert. Drexelius *tom.* 17. suorum Operum, quae Monachi impressa sunt, in Tractatu, qui inscribitur *Gazophylacium Christi part.* 2. *c.* 2. *pag.* 153. ita scribit: *Primum, ac potissimum, quod Templis debetur, est mundities. Non tantum adsint, quae in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest, mundissima sint.* Et jure merito contra eos invehitur, qui domos bene ornatas, et cultas habent, Ecclesias vero in squallore, et sordibus relinquunt. *Sunt etiam, qui domos habent instructissimas, et ornatissimas: in eorum Templis, ac Sacellis squallent omnia: Arae a frontalibus nudae vix laceris, et sordidis pannis insternuntur: in caeteris omnibus confusio, et squallor.* Magnus Ecclesiae Doctor Hieronymus in epistola ad Demetriadem parum se curare haud obscure indicavit, pauperes ne, an divites sint Ecclesiae. *Alii aedificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sententia; ebore, argentoque valeas, et gemmis aurata distinguant Altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet: meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare.* At vero Ecclesiarum munditiem maxime facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens, ac solicitus fuit in nitore, et munditia Ecclesiarum, atque Altarium curanda, ut videre licet in ejusdem Nepotiani Epitaphio, quod Sanctus ad Heliodorum misit. *Erat ergo*, ait, *solicitus, si niteret Altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes coeremonias pia solicitudo disposita; non minus, non majus negligebat officium.* Profecto sedulo, ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima Ecclesiastici Ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus Cardinalis Bellarminus: *Ego*, ait, *cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem, et praedivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam, et mensam omni genere praestantium ciborum refertam; mappas quoque, et reliqua omnia nitida, et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria, id est vilia, et sordida, ut vix auderem in tali loco, et cum tali apparatu Divina mysteria celebrare.*

De Divinis Officiis rite persolvendis.

§. 2. Altera res est, ad quam curam tuam, et solicitudinem excitamus, ut horae Canonicae, pro more et instituto cujusque Ecclesiae, canantur, seu recitentur, prout decet, ac convenit, ab iis, qui ad eas tenentur; nihil enim est magis Ecclesiasticae disciplinae inimicum, aut perniciosum, quam Divinam Psalmodiam in Ecclesiis Dei contemptim, aut negligenter obire. Certe haud ignota tibi est obligatio, qua Canonici, aliique Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, et Collegiatarum ad quotidie Horas Canonicas in Choro cantandas tenentur: cui obligationi satis ille utique non facit, qui Ecclesiasticae Psalmodiae munere, nulla animi attentione, oscitanter indiligenterque perfungitur. Summ. Pont. Innocentius III. in Concilio Lateran. *relato in cap. Dolentes de celebrat. Miss.* de eadem obligatione loquitur in hunc modum: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut Divinum Officium nocturnum pariter, et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent, pariter*

et devote. Ubi Glossa explicans verbum illud *studiose*, haec subjicit: *Quantum ad officium oris, idest sine syncopa:* et ad verbum *devote* talia adnotat: *Quantum ad officium cordis.* Clemens V. Praedecessor noster in Concilio Viennensi in sua Constitutione, quae inter Clementinas reperitur, et cujus initium est: *Gravi*, sub titulo *de celebratione Missarum* eodem modo loquitur: *ut in Cathedralibus, Regularibus, et Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur*. Et Concilium Tridentinum *cap.* 12. *sess.* 24. *de Reformatione* tractans de obligationibus Canonicorum Saecularium: *Omnes vero*, inquit, *Divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, assistere, et inservire; atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*. Hinc autem necessario sequitur, diligenter invigilandum, ut cantus praeceps minime sit, aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant, et ut altera pars Chori versiculum psalmi subsequentem non exordiatur, priusquam altera antecedentem absolverit. *Nec prius psalmi una pars Chori versiculum incipiat, quam ex altera praecedentes psalmi, et versiculi finiantur.* Sunt verba Concilii Salmuriensis *ann.* 1253. Demum ut cantus vocibus unisonis peragatur, et Chorus a peritis in cantu Ecclesiastico (qui cantus planus, seu firmus dicitur) regatur. Hujusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum, efformandumque multum elaboravit S. Gregorius Magnus Praedecessor noster, ut testatur Joannes Diaconus *in ejus vita lib.* 2. *cap.* 7. Hoc autem loco plura addere, quae ad Ecclesiasticam eruditionem pertinent, de Ecclesiastici cantus origine, de Cantorum Schola, et Primicerio, qui ei praesidebat; haud difficile nobis esset; sed praetermissis, quae minus necessaria videntur, eo, unde paulo digressi sumus, rem propositam exequentes revertamur. Cantus iste ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui si recte decenterque peragatur in Dei Ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur; et alteri, qui cantus armonicus, seu musicus dicitur, merito praefertur. Hunc quidem Monachi a Presbyteris Saecularibus, didicerunt; et cum ab ipsis accurate, diligenterque tractetur, sacrisque in functionibus adhibeatur: contra autem negligatur a nonnullis Cleris, oscitanterque persolvatur; haec potissima causa est, cur a Christiano populo frequentius Regularium Ecclesiae, quam Saecularium adeantur; ut bene advertit Jacobus Eveillon in suo Tractatu *de recta ratione psallendi ad cap.* 9. *art.* 9. *pag.* 99. *Sordescit quippe sanctis auribus omnis musici concentus titillatio prae hac plani cantus, et simplicis psalmodiae armonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut, relictis hodie Ecclesiis Collegiatis, et Parochialibus, tam libenter, et avide concurrat populus fidelis ad Ecclesias Monachorum, qui magistram habentes in colendo Deo pietatem, sancte, moderate, et ut Psalmistarum Princeps olim dixit, sapienter psallunt, et Domino suo, ut Domino, et Deo, cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse Ecclesiis primariis, et majoribus, a quibus Monachi et canendi, et psallendi artem, ac regulam didicerunt*. Et ideo Sacrum Concilium Tridentinum, quod nihil eorum, quae ad reformationem Cleri conferre poterant, praetermisit *cap.* 18. *sess.* 23. *de Reformatione*, ubi agit de Seminariis instituendis, inter caetera, quae Seminariorum alumnos edocendos praecipit, etiam cantum recenset his verbis: *Ut vero in disciplina Ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu Clericali semper utentur, Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

De recta Cantus Ecclesiastici ratione.

§. 3. Tertia res est, de qua Nos te admonere opus est, ut musicus cantus, qui nunc in Ecclesiis usu receptus est, et qui Organi, aliorumque Instrumentorum harmoniae conjungi solet, ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum, aut theatrale resonet. Universus quidem Orbis Christianus Organi, aliorumque musicorum instrumentorum usum adhuc non recepit; praeter enim Ruthenos Ritus Graeci, qui in suis Ecclesiis neque organum, neque alia musicae instrumenta habent, teste Patre le Brun *tom.* 2. *explication. Miss. pag.* 215. Nostra Pontificia Capella, ut omnibus notum est, cantum musicum, sed gravem, decorum, plumque admittit, nunquam autem organum recepit, quod etiam notatur a Patre Mabillone in suo Musaeo Italico *tom.* 1. *pag.* 47. §. 17. *Dominica Trinitatis, Cappellae, ut vocant, Pontificiae interfuimus etc. Nullus organorum musicorum usus in hujusmodi sacris, sed sola vocum musica, eaque gravis cum plano cantu admittitur.* Refert Grancolas in *Commentario historico*

De Musicis concentibus ad devotionis et gravitatis normam exigendis.

Organa, aliaque instrumenta in Cappella Pontificis, et alibi nunquam admissa.

de Breviario Romano cap. 17. etiamnum in Galliis aliquas insignes Ecclesias reperiri, quae organum, cantumque musicum, seu harmonicum in sacris functionibus non adhibent: *Sunt tamen ad hanc diem insignes in Gallia Ecclesiae, quae organorum, et musices usum ignorant.* Illustris Ecclesia Lugdunensis, quae quidem novitatibus semper adversata est, usque ad hunc diem exemplum Pontificiae Capellae secuta, nunquam organo uti voluit: *Constat igitur ex dictis, nec statim ab initio, nec ubique recepta fuisse musicalia Instrumenta: Nam etiam nunc Romae in Sacello Summi Pontificis semper sine instrumentis Officiorum solemnia celebrantur; et Ecclesia Lugdunensis, quae novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem ascivit.* Sunt verba Cardinalis Bona *in Tract. de Divin. Psalm. cap.* 17. §. 2. *n.* 5. Quam igitur opinionem de Nobis accepturi sint, qui ex illis regionibus, ubi nullus musicorum instrumentorum usus est, ad Nos, nostrasque Urbes proficiscuntur, in quorum Ecclesiis concentus musicos audient, non secus ac in theatris, aliisque profanis locis, facili quisque per se conjectura assequi potest. Venient etiam, haud dubium est, exteri ex illis regionibus, in quarum Ecclesiis cantus, et musica instrumenta adhibentur, perinde ac in aliquibus nostris fieri solet. Sed si isti homines prudentes, et pii sint, dolebunt quidem, in cantu et sono Nostrarum Ecclesiarum, remedium illud, quod malo suarum Ecclesiarum curando afferri optabant, non invenisse. Etenim, omissa controversia illa, qua nonnulli inter se decertant, quorum alii cantum musicum, et musicorum instrumentorum usum in Ecclesiis reprobant, ac vituperant; alii vero probant, ac laudant: nullus certe est, qui inter cantum Ecclesiasticum, et scaenicas modulationes discrimen aliquod non desideret, et theatrales profanosque cantus in Ecclesiis tolerari non condemnet.

Eorum usus in Ecclesia ab aliquibus omnino reprobatur.

§. 4. Diximus reperiri, qui cantum harmonicum cum musicis instrumentis in Ecclesiis adhiberi minime probant. Horum princeps quodammodo dici potest Abbas Aelredus, coaevus et discipulus S. Bernardi, *qui lib.* 2. *ejus Operis, quod inscribitur Speculum Charitatis cap.* 23. *tom.* 23. *Biblioth. Patrum pag.* 118. ita scribit: *Unde, cessantibus jam typis, et figuris, unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio, et infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, et incidit.* Asserere quidem non audemus, aetate S. Thomae Aquinatis, nullis in Ecclesiis usum musici cantus cum musicis instrumentis fuisse: illud utique affirmare licet, in Ecclesiis minime fuisse, quae Sancto Doctori notae, et cognitae erant; ideoque hujusmodi cantui ipse nequaquam favisse videtur. Tractat enim 2. 2. *qu.* 91. *art.* 2. quaestionem illam, utrum in Divinis laudibus sint cantus assumendi; respondet assumendos esse; sed cum sibi quarto loco opponat: *Instrumenta musica, sicut cytharas, et psalteria, non assumere Ecclesiam in Divinas laudes, ne videatur judaizare:* cum in Psal. XXXII. *Confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi.* Respondet: Hujusmodi musica instrumenta magis movere ad delectationem, quam interius disponere ad pietatem; in veteri autem Testamento ideo adhibita fuisse: *quia populus erat magis durus, et carnalis, unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus, sicut et per promissiones terrenas:* Addidit insuper, instrumenta in veteri Testamento typos seu figuras aliquas aliquarum rerum fuisse: *Tum etiam*, ait, *quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* De Summo Pontifice Marcello II. literis traditum est, secum deliberasse, musicam in Ecclesiis abolere, cantumque Ecclesiasticum ad cantum planum redigere, ut cuique compertum fieri potest ex ejus Vita, quam scripsit Petrus Polidori nuperrime defunctus Beneficiatus Basilicae S. Petri, vir inter Literatos non ignotus. Aetate nostra vidimus Cardinalem Thomasi, virum sanctitate vitae, eximiaque in Liturgicis rebus eruditione insignem, in Ecclesia sua Titulari S. Martini ad Montes die festo ejusdem Sancti, in cujus honorem Ecclesia dedicata est, in Missa, et Vespertinis Officiis concentus musicos haberi noluisse; sed ut a viris Religiosis, in sacris peragendis, cantus planus adhiberetur, praecepisse.

Ab aliis, si moderatus sit, admittitur, et laudatur.

§. 5. Diximus esse aliquos, qui usum musici cantus cum Instrumentis in Divinis Officiis approbant. Nam eodem saeculo, quo vixit laudatus Abbas Aelredus, floruit etiam Joannes Sariberiensis Episcopus Carnotensis, qui *lib.* 1. *Policratii cap.* 6. Musicam organicam, seu concentum vocum, et instrumentorum laudat: *Ad mores itaque instruendos, et animos exul-*

tatione virtutis trajiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum; sed et instrumentorum modos, censuerunt Sancti Patres Domino applicandos, cum Templi reverentiam dilatarent. S. Antoninus *in ejus Summa part.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. §. 12. non rejicit cantum harmonicum in Divinis Officiis: *Cantus quidem firmus in Divinis Officiis a Sanctis Doctoribus institutus est, ut Gregorio Magno, Ambrosio, et aliis. Biscantus autem in Officiis Ecclesiasticis quis adinvenerit, ignoro: pruritui aurium videtur magis deservire, quam devotioni, quamvis pia mens etiam in his fructum referat audiendo.* Et paulo post admitti in Divinis Officiis non solum organum, sed etiam alia instrumenta musica: *Sed et pulsatio organorum, vel aliorum instrumentorum ad Divinam laudem initium virtutis habuisse a Propheta David.* Constituerat quidem Marcellus II. Pontifex ab Ecclesiis cantus musicos, et musica instrumenta removere; sed Joannes Petrus Aloysius Praenestinus Magister Capellae Basilicae Vaticanae musicos cantus in sacris Missarum solemnibus persolvendis composuit tam excellenti arte, ut ad pietatem animo, et devotionem moverent. Itaque illis auditis a Summo Pontifice, qui Missae interfuit, mutata voluntate, ab eo, quod sibi proposuerat, recessit, quemadmodum ex antiquis monumentis tradidit Andreas Adami in suis observationibus ad Capellam Pontificiam *in praefat. histor. pag.* 11. In Concilio Tridentino actum est de eliminanda musica ab Ecclesiis; sed cum ab Imperatore Ferdinando per suos Legatos expositum fuisset, cantum musicum, seu figuratum, fidelium animis incitamento ad devotionem, et pietatem esse; Decretum, quod jam adornatum fuerat, moderari placuit, ut legitur *in sess.* 22. *in Decreto de observ. et evit. in celebrat. Missae.* In eo autem ab Ecclesiis solum rejecta fuerunt musicae illae, *ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquod miscetur.* Haec narrantur a Grancolas *in laudato Commentario pag.* 56., et a Cardinali Pallavicino *in hist. Concilii lib.* 22. *cap.* 5. *num.* 14. Profecto Ecclesiastici Scriptores magni nominis libenti animo eamdem sententiam sequuntur. Ven. Cardinalis Bellarminus *tom.* 4. *controvers. lib.* 1. *de bonis operibus in particulari cap.* 17. *in fine* docet, retinendum esse in Ecclesiis usum organorum, sed alia instrumenta musica non facile admittenda: *Ex quibus illud efficitur, ut organa propter infirmos in Ecclesiis retinenda sunt, ita non facile alia instrumenta esse introducenda.* Eadem semita insistit Cardinalis Cajetanus in sua Summa ad Verbum *organum*, ubi talia habentur: *Organorum usus in Ecclesia licet sit novus, in cujus signum Ecclesia Romana adhuc non utitur eis coram Pontifice, licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus imperfectis.* Ven. Cardinalis Baronius ad annum Christi LX. ita scribit: *Verum, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in Ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul junctis confecta, haud jure quis poterit improbare.* Cardinalis Bona *de Divina Psalmodia c.* 17. agens de organis, quae in Ecclesiis pulsantur. *Non tamen*, inquit, *damnari debet moderatus eorum usus etc. laetificat organorum concentus tristes hominum mentes, et supernae Civitatis insinuat jucunditatem, solicitat pigros, recreat diligentes, provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem.* Suarez *t.* 2. *de Religione lib.* 4. *de Horis Canonicis cap.* 8. *num.* 5. animadvertit, organi nomine comprehendi non solum illud instrumentum musicum, quod hodie vulgo Organum vocari solet, sed alia etiam instrumenta harmonica (quod jam ante notatum fuit a S. Isidoro *lib.* 2. *Originum cap.* 20.: *Organum, vocabulum est generale vasorum omnium musicorum*); ideoque concludit, recepto in Ecclesiis organo, etiam alia instrumenta musica admittenda esse. Et Sylvius *tom.* 3. *suorum Operum super* 2. 2. *S. Thomae quaest.* 91. *art.* 2. Cantum harmonicum, seu figuratum ab Ecclesiis non repellit: *Ideoque*, ait, *magna cura habenda est cantus Ecclesiastici, tum ejus, qui planus, seu Gregorianus dicitur, qui proprie est Ecclesiasticus, tum ejus, qui postea in Ecclesiam est introductus, et vocatur figuratus, sive harmonicus.* Et paulo post: *Nihilominus, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in Ecclesiasticis Officiis Instrumenta musica adhiberentur; nullo modo est improbandum.* Bellotte *in lib. de Ritibus Ecclesiae Laudunensis pag.* 209. *sub num.* 8. posteaquam de musicis instrumentis ample, ac fuse locutus est, quae in Divinis Officiis nonnunquam adhibentur, et posteaquam ostendit antiquitus in Ecclesiis usui minime fuisse, nullam aliam causam veteris hujus moris, diversaeque consuetudinis fuisse existimat, quam necessitatem, qua tum adstringebantur Christiani, ut quoad fieri posset, recederent a profanis Ritibus Gentilium, qui in theatris, in conviviis,

in sacrificiis, instrumentis musicis utebantur. *Proinde nequaquam instrumentorum musicorum vitio vertendum est, quod posterioribus tantum saeculis usa sit Ecclesia musicis cantoribus, et musicalibus instrumentis, sed quod a Gentilibus ejusmodi musica instrumenta in turpibus ac sordidis usibus, nimirum in theatris, conviviis, ac sacrificiis consueverint adhiberi.* Persicus in suo Tractatu *de Divino, et Ecclesiastico Officio dub. 5. num. 7.* ita loquitur de cantu figurato in Ecclesiis: *Dico secundo, quamvis in cantu organico, seu figurato, multi possint abusus obrepere, sicut in omnibus aliis Ecclesiasticis caeremoniis accidit; ipsum tamen per se, si debite, religiose, et decenti moderatione fiat, licitum esse, nec ullo jure prohibitum.* Et ad dub. num. 3. tenet, quod *organorum, et aliorum instrumentorum universalis usus in Divinis Officiis secundum se laudabilis est, et ad imperfectorum animos ad Dei contemplationem elevandos valde utilis.* Et quidem usus cantus harmonici, seu figurati, et musicorum instrumentorum in Missis, Vesperis, aliisque Ecclesiasticis functionibus adeo longe processit, ut ad Paraguajam usque Regionem pervenerit. Etenim cum novi illi fideles Americani optimam indolem, et ingenium habeant ad musicos cantus, et ad organica instrumenta pulsanda, et facillime, quae ad musicam artem pertinent, ediscant; exinde occasione capta Missionarii eorum animorum propensioni obsequendo, piis, devotisque cantibus ad eos deducendos ad Christi fidem usi sunt; adeo ut in praesenti nullum fere discrimen, neque quoad cantum, neque quoad sonos, in Missis et Vesperis nostrarum regionum, et illarum intercedat, juxta ea, quae ex veridicis relationibus refert Abbas Muratori in *Descriptione Missionum Paraguai cap. 12.*

Sed si theatrales modos in Ecclesiam educat, ab omnibus damnatur.

§. 6. Denique diximus neminem esse, qui theatrales cantus in Ecclesiis non detestetur, et qui diversitatem aliquam non requiret inter sacros Ecclesiae, et profanos scaenarum concentus. Celebris est locus S. Hieronymi relatus *in Can. Cantantes dist. 92. Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant haec adolescentuli; audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est. Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragaedorum morem guttur et fauces dulci medicamine liniendae sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, et cantica.* Cujus auctoritate abutebantur illi, qui audacter nimis omne genus cantus ab Ecclesiis summoveri volebant; sed Sanctus Thomas *loco laudato*, respondens iis, quae secundo loco ex verbis S. Doctoris mox allatis sibi opponit: *Ad secundum*, inquit, *dicendum, quod Hieronymus non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in Ecclesia cantant more theatrico.* S. Nicetius *lib. de Psalmodiae bono cap. 3. Tom. 1. Spicilegii*, cantum in Ecclesiis adhibendum his verbis describit: *Sonus etiam vel melodia consentiens sanctae Religioni psallatur; non quae tragicas difficultates exclamet, sed quae in vobis veram Christianitatem demonstret, non quae aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat.* Patres in Toletano Concilio congregati *anno 1566. act. 3. cap. 11. tom. 10.* Collect. Conciliorum Harduini, posteaquam plura locuti sunt de qualitate cantus in Ecclesiis adhibendi, hoc modo concludunt. *Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicae sonus quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumque classicos modulos referens, in Dei laudibus decantandis imitetur.* Non desunt plures eruditi Scriptores, qui acriter reprehendunt, scaenicos sonos, et cantus in Ecclesiis patienter tolerari, precanturque, ut hujusmodi abusus ab Ecclesiis ablegentur. Videatur Casalius *de veteribus sacris Christianorum Ritibus cap. 34.*, et Abbas Ludovicus Antonius Muratori *tom 1. antiquae Romanae Liturgiae* in Dissertatione *de Rebus Liturgicis cap. 22. in fine.* Et tandem ut sermonem hac de re absolvamus, nempe de abusu theatralium concentuum in Ecclesiis, qui adeo per se manifestus est, ut nullis indigeant verbis et probationibus; satis erit indicare, omnes eos, qui superius a Nobis citati sunt, tanquam qui usui cantus figurati seu harmonici, et musicorum instrumentorum in Ecclesiis faverent, palam profiteri, ac testari, se quaecumque scripserunt, ea mente et consilio fecisse, ut nequaquam intelligenda sint de cantu, et sono, scaenarum ac theatrorum proprio, quem ipsi aeque ac alii reprobant, atque execrantur, sed de cantu, et sono qui Ecclesias decet, et qui populos ad devotionem excitat, quod ex illorum lectione quisque cognoscere poterit.

Qui sint abusus Musices ab Ecclesia eliminandi.

§. 7. Hoc autem posito, quod in Ecclesiasticis officiis cantus harmonici, seu figurati, et musicorum instrumentorum usus receptus sit, et solummodo abusus reprobetur; quod etiam considerat Binghamus, licet auctor heterodoxus, *tom. 6. originum Ecclesiastic. lib. 14. §.*

16. sequitur, ut diligenter inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus. Sed ut quod propositum est, exequi recteque obire possimus, opus Nobis foret peritia artis musicae, qua praediti fuerunt aliqui ex Nostris Sanctis et praeclaris Praedecessoribus, Gregorius Magnus, Leo II., et Leo IX., et Victor III. At vero quia hanc artem ediscendi nec tempus Nobis, neque occasio fuit, aliqua tantum indicare contenti erimus, quae ex Constitutionibus Nostrorum Praedecessorum, et piorum doctorumque hominum scriptis collegimus. Ut autem ordine procedamus, primum verba faciemus de iis, quae in Ecclesiis canenda sunt; deinde de modo, ac ratione, qua cantus institui debet; denique de Instrumentis musicis Ecclesiarum propriis, quibus in sacris Templis cani debet.

Motetа vulgaria, aliaque ab Officio Ecclesiastico discrepantia jamdudum prohibita

§. 8. Guillelmus Durandus, qui, Apostolicam Sedem gubernante Nicolao III., vixit, usum cantilenarum vulgo *motetorum*, qui ejus aetate vigebat, aperte improbat *in tractatu de modo Generalis Concilii celebrandi cap.* 19. *Videtur valde honestum esse, quod cantus indecoti, et inordinati motetorum, et similium non fierent in Ecclesia.* Postea Joannes XXII. Pontifex Praedecessor Noster promulgavit suam Decretalem, quae incipit *Docta Sanctorum*, et inter Extravagantes communes reperitur; in ea *motetorum* cantum lingua vulgari se abominari ostendit: *Motetis*, inquiens, *vulgaribus nonnunquam inculcant.* Cum itaque examen cantus hujusmodi cantilenarum seu motetorum in Ecclesiis Theologi aggressi fuissent; ex horum numero Paludanus *in 4. sentent. dist.* 15. *quaest.* 5. *art.* 2. motetorum cantus perinde habuit ac cantationes scaenicas, redarguens eos, qui illis utuntur: *qui canunt*, ait, *moteta in festis, quia cantus non debet esse tragaedicus.* Favisse videtur motetis Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de Horis Canonicis cap.* 13. *n.* 16., etiamsi scripta fuerint lingua vulgari, dummodo gravia sint ac devota. Ad suadendum autem id, quod affirmat, affert morem ac usum nonnullarum Ecclesiarum, quae licet a Sapientibus Praelatis regantur, in eis tamen cantilenae, seu modulata carmina non improbantur. Addit insuper; quoniam in primis Ecclesiae temporibus quisque fidelium in Ecclesia pios ac devotos hymnos, quos composuerat, cantabat, ex veteri hac consuetudine, usum motetorum quodammodo approbari. Antevertens autem id, quod ei objici posset, hujusmodi modulatis carminibus, quae moteta vocant, Ecclesiasticam psalmodiam interrumpi, ita respondet: *Nec interruptio illa, vel mora, quae tunc fit inter partes alicujus horae, reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione, quae per cantum illum excitari intenditur; et ita cantus ille potest censeri veluti dispositio ad sequentia, et solemnis, ac congrua terminatio praecedentium, et ornatus totius horae.* Vertente *an.* 1657. Summus Pont. Alexander VII. Constitutionem edidit, cujus initium est: *Piae solicitudinis*, inter alias autem ejusdem Pontificis *n.* 36. In hac autem praecepit, ut per id tempus, quo Divina persolvuntur officia, et quo publicae fidelium venerationi in Ecclesiis sacramentum Eucharistiae expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario, vel Missali Romano; quae *in officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cujusque diei festo, vel Sancti solemnitate, praescribuntur*; vel ex sacra Scriptura, aut ex Sanctorum Patrum operibus; ita tamen ut antea a Sacra Rituum Congregatione recensenda, et approbanda sint. Porro ex hujusmodi Pontificia Constitutione videtur, cantus motetorum, quae servata ratione ab eodem Alexandro Praedecessore Nostro praescripta, composita, et a Sacra Congregatione recensita, et probata sunt, procul dubio approbatus fuisse. Alexandri Constitutionem Venerabilis Servus Dei Innocentius XI. Decreto suo *die* 3. *Decembris* 1678. confirmavit. Aliqua tamen dubitatione exorta in intelligenda, atque interpretanda Constitutione Alexandri, et Decreto Innocentii XI., fel. rec. Innocentius XII. Praedecessor Noster *die* 20. *Augusti* 1692. aliud Decretum promulgavit, *quod est num.* 76. *in ejus Bullario*; In eo autem, offusis variarum interpretationum tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum, seu motetorum cantum prohibuit: In sacrarum autem Missarum solemnibus solummodo permisit ultra cantum Gloriae, et Symboli, ut cani posset Introitus, Graduale, et Offertorium; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, Antiphonae, quae initio cujusque Psalmi, vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit et jussit, ut cantores Musici omnino legem Chori sequerentur, et cum eo prorsus convenirent, et quemadmodum in Choro

fas non est aliquid addere Officio, vel Missae, ita etiam musicis noluit id liceret; et illud dumtaxat concessit, ut ex Officio, et Missa, quae in solemnitate Sanctissimi Sacramenti Corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomae, vel ex Antiphonis, aliisque relatis in Breviario ex Missali Romano, carmen aliquod, seu motetum, nulla verborum varietate, desumi et cantari posset ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra Hostia elevatur, vel publice veneranda, et colenda exhibetur.

uae autem ere licet, modulan- sunt, ut cte percin- antur, et etatem po- simum fo- aut.

§. 9. Lege autem Ecclesiasticis cantiunculis, seu modulatis carminibus, aut motetis posita, negari nequit, non parum momenti ad removendos ab Ecclesiis theatrales cantus allatum esse, sed necesse est fateri, ad finem propositum assequendum id non sufficere. Fieri enim potest, et nimis etiam non sine nostro dolore fit, ut cantus Gloriae, Symboli, Introitus, Gradualis, Offertorii, et caeterorum omnium, quae rite, ac de more in Missis, et Vesperis, ut supra dictum est, cantari solent, theatrali more, et scaenico strepitu peragatur. Magnus Episcopus Gulielmus Lindanus in sua Panoplia Evangelica *lib. 4. c. 78.* cantui musico in Ecclesiis non adversatur; sed frequentes repetitiones, et vocum confusiones improbat, proponitque, ut in Ecclesiis ea musica adhibeatur, quae consentanea sit rebus, quae canuntur. *Quamquam non me fugiat, quibusdam musicam cum organis et musicis rectius videri retinendam, quibus equidem perlibenter assentiar, si una pro isto genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, et gravius, et rebus ipsis convenientius, et si non, ut oportet, pronunciationi, quam cantui vicinius, saltem rebus, quae canuntur, aptius atque accommodatius.* Drexellius in suo opere *Rethoricae coelestis lib. 1. cap. 5.* opportune ad rem nostram ita exclamat: *Hic pace vestra dixerim, o musici, nunc Templis cantandi genus dominatur novum, sed exorbitans, concisum, saltatorium, et parum profecto religiosum, theatro aut choreis convenientius, quam Templo. Artificium quaerimus, et perdimus priscum precandi, ac cantandi studium. Curiositati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia haec, et tripudians cantandi ratio, nisi comoedia est, in qua cantores, velut actores sunt, quorum modo unus prodit, modo duo, modo simul prodeunt omnes, et modulatis vocibus colloquuntur, mox iterum unus triumphat solus, caeteris brevi secuturis.* Recens scriptor Benedictus Hieronymus Feijoo, Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis, in suo *Theatro critico universali serm. 14.* peritia et scientia notarum musicarum innixus, rationem indicat, quae redigi possent musicae Ecclesiarum ad eum modum et rationem, quae in omnibus penitus esset Theatrorum musicis concentibus dissimilis. At vero Nobis satis erit, prae oculis habitis Sacrorum Conciliorum regulis, et probatorum Scriptorum sententiis, illud admonere, quod si Musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut, quemadmodum Nobis relatum est, populus spectator, et auditor harmonicis quidem cantorum modulationibus oblectetur, artificio musicae artis gaudeat, numerisque musicis delectetur, melodia, et suavitate vocum fruatur; verba autem plerumque non recte percipiat: Diversum utique, et contrarium omnino in Ecclesiastico cantu servari debet, in quo illud in primis curandum est, ut verba perfecte, planeque intelligantur. Nam cum in Ecclesiis concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus *lib. 1. de Eccl. off. cap. 5. Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur.* Id certe obtineri difficile potest, si verba non audiantur. In Concilio Cameracensi *an. 1565. tit. 6. cap. 4. tom. 10. collect. Hard. pag. 582.* ita constituitur. *Caeterum quae in Choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente.* Et in Concilio Coloniensi, quod congregatum est *an. 1536. cap. 12. tit. de offic. priv.* talia leguntur: *Jam et illud non recte fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum, et organorum conceptum, omittantur, aut decurrentur ea, quae sunt praecipua. Cujus generis sunt recitatio verborum Propheticorum, aut Apostolicorum, quam Epistolam vocamus, Symbolum Fidei, Praefatio, quae et gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem haec tota distinctissime, ac intelligibiliter, uti caetera omnia, decantentur.* In Concilio autem Mediolanen. primo habito *an. 1565. par. 2. num. 51. in praedicta Harduini collectione p. 687.* talia leguntur: *In Divinis Officiis, aut omnino in Ecclesiis, nec prophana cantica, sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressae, quam ore expressae, aut denique lasciva ulla canendi ratio*

adhibeatur. Cantus, et soni graves sint, pii., ac distincti, ac domui Dei, ac Divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur. In hac re, de qua agitur, gravis est sermo Patrum, qui in Concilio Toletano convenerunt *an.* 1566. *act.* 3. *cap.* 2. in laudata Collectione *pag.* 1164. *Cum ea*, ajunt, *quae in Ecclesiis cantantur ad Dei laudem celebrandam, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et Religiosa pietatis ac devotionis moderatione, piorum auditorum mentes ad Divinae Majestatis cultum, et coelestia desideria excitari queant; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum, et aliorum, quae cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quae organica dicitur, retineant, ut eorum, quae cantantur, verba et intelligi possint, et potius pronunciatione, quam curiosis modulis audientium animi Divinis laudibus afficiantur.* Ex his autem aperte comperitur, quam merito his verbis questus sit Episcopus Lindanus *loco citato: Non enim nunc suo cantu, musici auditorum animos tam ad pietatis cultum, caelestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando Divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum, repetitionibus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, et incondito boatu, quam cantu obscurata:* Tum etiam quam pium fuerit desiderium, et quam prudens sit exhortatio, qua musicos ad pietatem incitavit Drexellius loco pariter citato: *Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscae Religiositatis in sacra musica. Quod si cordi est, et curae Divinus honor, hoc agite viri, hoc laborate, ut quae cantantur verba, simul etiam intelligantur. Quid enim mihi varius in Templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum et verba, quae concentu sunt instillanda, percipere nequeam?* Et demum ostenditur non sine causa Cardinalem Dominicum Capranicam, cum sacrae cuidam functioni, Divinisque Officiis interfuisset, quae cantu musico peracta fuerant, ita tamen ut verba non audirentur, rogatum a Summo Pontifice Nicolao V. quid de musicis illis cantionibus ei videretur, ea respondisse, quae legi possunt apud Poggium in vita ejusdem Cardinalis edita a Baluzio *lib.* 3. *Miscellaneorum* §. 18. *pag.* 289. Magnus Pater Augustinus *lib.* 9. *Confess. cap.* 6. de se ipso testatur, cum in Ecclesia suaves hymnorum cantus audiret, in lacrymas effundi consuevisse: *Quantum flevi in hymnis, et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis, et eliquebatur veritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat. Inde affectus pietatis, et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis.* Cum autem ea magna delectatio, quam in audiendis Ecclesiasticis hymnis percipiebat, in religionem ei venisset, et ideo quadam severitate morum, Deique offensae metu, cantum illum, quo sensibilis illa oblectatio ipsi creabatur, improbandum esse censeret; postea re melius expensa, sententiam mutavit, eo quia animus ejus commoveretur non solo cantu, sed verbis cantui conjunctis, ut ipse aperte declarat *lib.* 10. *Conf. c.* 33. Flebat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum audiret in Ecclesiis sacrarum rerum cantus, probe audiens, et intelligens verba quae cantu efferebantur: Fleret forsan etiamnum ipse, si nonnullarum Ecclesiarum musicos cantus audiret, non pietatis sensu, sed doloris, quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret.

In instrumentorum usu quid adverteudum.

§. 10. Hactenus de cantu musico: Consequens est, ut de sono organi musici, aliorumque instrumentorum, quorum usus, ut supra diximus, in aliquibus Ecclesiis admissus est, verba faciamus. Siquidem et de eo agere necesse est, quia si cantum minime decet esse Theatralem, utique neque sonum. Profecto Hebraeis hac de re omnis dubitatio longe aberat, an scilicet dissimilis esse debere cantus in Templo a profanis cantionibus theatrorum. Nam e Sacris Scripturis comperitur, cantus, et musicorum Instrumentorum sonos usui fuisse in Templo, non autem in theatris, ut bene advertit Calmet *in sua dissertatione de musica Hebraeorum*. At vero Nobis opus est, limites cantui et sono Ecclesiarum et theatrorum praescribere; et discrimen inter utrumque definire, cum per id tempus cantus figuratus, seu armonicus, cum sono instrumentorum, in theatris aeque ac in Ecclesiis locum obtinuerit. Et quoniam de cantu jam satis verba fecimus, superest, ut etiam de sono idem agamus. Ut vero sermo ordine suo, ac via progrediatur, primum de instrumentis musicis, quorum usus

in Ecclesiis tolerari potest; deinde de illorum instrumentorum sono, qui cantui sociari solet; et demum de sono separatim a cantu, hoc est de instrumentorum symphonia Nobis disserendum erit.

Ut amovétur illa, quae loci dignitatem non decent.

§. 11. Et quidem quod ad instrumenta attinet, quae in Ecclesiis permitti possunt, Benedictus Hieronymus Feijoo *in allegato sermone* 14. §. 11 *num.* 43. organa, aliaque instrumenta admittit, amoveri autem vellet lyras tetracordas. Quoniam cum illae plectro tanguntur, armonicus quidem modos edunt, sed adeo acutos, ut puerilem in Nobis potius hilaritatem, quam gravem erga sacra mysteria venerationem, animorumque intentionem excitent. Bauldry *in manual. sacra. caeremon. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 14. vellet, ut caneretur in Ecclesiis organo tantum pneumatico, tubis, caeterisque instrumenti inflatilibus, seu pneumaticis: *Nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsentur, nisi tubae, tibiae, aut cornua.* E diverso Patres primi Concilii Provincialis Mediolanensis sub S. Carolo Borromeo *tit. de Music. et Cantor.* nominatim reijciunt ab Ecclesiis instrumenta inflatilia: *Organo tantum in Ecclesia locus sit: tibiae, cornua, et reliqua musica instrumenta excludantur.* Hominum prudentum, et illustrium Magistrorum artis musicae consilium exposcere Nobis curae fuit; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut Fraternitas Tua, si in tuis Ecclesiis instrumentorum usus introductus est, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton, tetracordon majus, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculas, lyras terracordes: haec enim instrumenta inserviunt ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria symphoniaca, cheles, aliaque id genus quae musicam theatralem efficiunt.

Ut eorum sonus ad pietatis fructum accommodatus sit.

§. 12. Praeter haec autem, de usu instrumentorum, quae in Ecclesiasticis musicis permitti possunt, nihil monebimus, nisi ut illa adhibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum, Divinarumque rerum amorem incitentur, ut apposite expedit Valentia *tom.* 3. 2. 2. *S. Thomae disp.* 6. *quaest.* 9. *punct. unic.*, ubi tractans de utilitate musicae, et musicorum instrumentorum in Ecclesiis: *Ad excitandum*, inquit, *interiorem affectum tum proprium, tum etiam aliorum, praesertim vulgarium, qui interdum adeo infirmi sunt, ut non modo vocum cantu, sed etiam organis, et musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint.* At vero si instrumenta continenter personent, et solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua interquiescant, ut liberum spatium audiendis armonicis modulationibus, crispatisque jaculationibus vocum, vulgo *trilli*, praebeant; caeterum opprimant, sepeliantque cantantium vocem, sonumque verborum, frustraneus est, et inutilis hujusmodi instrumentorum usus, imo vetitus, atque interdictus. Pontifex Joannes XXII. in laudata Extravagan. *Docta sanctorum* inter musicae abusus enumerat illum, quem his verbis exprimit: *Melodiam hocquetis intersecant*; idest *singultibus*: quemadmodum explicat Carolus Dufresne in suo Glossario; hoc nomen dedit concisis illis modulationibus, vulgo *trilli*: Magnus Episcopus Lindanus *loco laudato* invehitur contra abusum opprimendi instrumentorum sono verba cantantium: *Tubarum clangore, cornutorum stridore, alioque strepitu vario, ne quid praetermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, sensumque sepeliat, et adobruat.* Pius, et doctus Cardinalis Bona in pluries laudato tractatu de Divina Psalmodia *cap.* 17. §. 2. *num.* 5. apposite ad rem nostram: *Desino*, ait, *si prius admonuero Ecclesiasticos Cantores, ne ad usum illicitae voluptatis assumant, quod Sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum, quae cantantur, sensui, et pietatis affectui, majorem relinquant portionem.*

Instrumentorum concentus moderati, etiam sine vocibus, non prohibentur.

§. 13. Demum quoad symphonias attinet, tolerari poterunt, ubi earum usus jam receptus est, dummodo graves sint, et earum prolixitudine, aut diuturnitate taedium, et fastidium non afferant iis, qui adsunt in Choro, vel Altari in Vesperis, aut in Missis inserviunt. De hujusmodi symphoniis agit Suarez *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 17.: *Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum intermiscendi in Divinis Officiis sonum organorum sine ullo cantu, solum cum suavitate musicae instru-*

mentorum, ut fit interdum in Missa solemni, vel in Horis Canonicis inter Psalmos; quia tunc ille sonus non est pars Officii, et fit ad solemnitatem, et reverentiam ipsius Officii, et ad levandos animos fidelium, ut facilius ad devotionem assurgant, seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet, ut sonus ipse gravis sit, et aptus ad excitandam devotionem. Hoc autem loco silentio praetereundum non est, rem maxime indecoram esse, et minime ferendam, quibusdam anni diebus sumptuosas, personantesque symphonias, musicosque cantus in Sacris Templis celebrari, quae minime conveniunt sacris mysteriis, quae Ecclesia fidelibus per id tempus recolenda proponit. Exclamat ardenti zelo motus saepe laudatus Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis *in laudato sermone 14. §. 9.* contra modulos, et cantilenas heu nimium adhibitas in canendis lamentationibus Jeremiae Prophetae, quae ab Ecclesia dicendas praescribuntur diebus majoris hebdomadae, in quibus modo eversio Urbis Hierosolymae per Chaldaeos, modo mundi excidium per peccata, modo Ecclesiae militantis afflictiones in persecutionibus, modo Redemptoris Nostri angustiae in suis passionibus deplorantur. Lucensis Ecclesia, sedente in Apostolica Cathedra Sancto Praedecessore Nostro Pio V., regebatur ab Alexandro zelantissimo Ecclesiasticae disciplinae pastore; qui cum animadvertisset, diebus majoris hebdomadae, exquisitissimos omnis vocum, instrumentorumque generis concentus in Ecclesiis fieri consuevisse, cum sacrarum functionum, quae illis diebus celebrantur, maestitia minime consentientes, ad illos autem audiendos, homines utriusque sexus magna frequentia cupidissime confluere, et gravia inde peccata, et scandala committi, promulgato edicto, eos hebdomada sancta, et tribus subsequentibus Paschatis diebus fieri prohibuit. Cum autem quidam exempti ab Episcopi jurisdictione se Episcopali lege minime teneri praetenderent, Episcopus rem detulit ad Summum Pontificem Pium V., qui in ejus Brevi dato die 4. Aprilis 1571. deplorata primum humanarum mentium, et carnalium hominum coecitate, qui non solum in diebus sacris, sed potissimum in illis, qui memoriae passionis Christi Domini recolendae speciatim ab Ecclesia assignati sunt, posthabita pietate, et sincerae mentis puritate, mundanarum oblectationum illecebris, et sensuum voluptatibus se regendos, ferendosque tradunt: *Quod*, inquit, *cum in omnibus sacris temporibus, tum in eo praecipue cavendum, vitandumque est, quod Dominicae passionis memoriae recolendae ab eadem Ecclesia statutum, assignatumque fuit, in quo ipso tempore maxime decet omnes Christifideles tota mente ad contemplandum tale, tantumque Redemptoris Nostri beneficium conversos, se ipsos ab omni cordis, sensusque impuritate immunes, liberosque praestare.* Refert post haec abusum, qui in Ecclesiam Lucensem irrepserat, exquisitos seligendi per hebdomadam Sanctam excellentesque musicos, et colligendi omnis generis instrumenta ad solemnes concentus musicos celebrandos; *Nuper non sine magno animi nostri dolore intelleximus, in ista Civitate, cujus Episcopatum geris, abusum quemdam valde detestabilem irrepsisse, exquisitissimas omnis vocum, instrumentorumque generis musicas in Ecclesiis per hebdomadam Sanctam adhibendi, ad quas potius, quam ad Divina Officia audienda, omni utrisque sexus juventute magna frequentia cupidissime confluente, gravia peccata, nec minora scandala committi experientia comprobatum est.* Demum laudat edictum Episcopi, et decretis sacrosancti Tridentini Concilii inhaerens declarat, eodem edicto comprehendi, atque obligari etiam Ecclesias, quae ab auctoritate Ordinaria, privilegio Apostolico, vel alio quocumque jure exemptas se esse contendunt. In Concilio Romano, quod novissime habitum est *ann.* 1725. *tit.* 15. *num.* 6. varia leguntur Decreta de usu musici cantus, instrumentorumque, in Adventu, in Dominicis Quadragesimae, et in exequiis mortuorum; quae satis sit indicasse.

Habenda tamen ratio temporis, et sacrorum Mysteriorum, quae celebrantur.

Rescriptum S. Pii V. in hac materia.

§. 14. Legisse Nos meminimus, cum Imperator Carolus Magnus secum proposuisset Ecclesiasticum cantum in Ecclesiis Galliae incompte atque inscite habitum, ad regulas artis redigere, impetrasse a Pontifice Adriano I., ut homines sibi Ecclesiasticae musicae periti ab Urbe mitterentur, a quibus in Galliarum Regnum Romanus cantus facile introductus est, ut quisque per se agnoscere potest ex Paulo Diacono *lib.* 2. *Vit. S. Greg. cap.* 9., *et ex Rodulpho Tungrensi de Can. obser. prop.* 12. S. Antonin. *in Sum. Hist. part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 3. Monachus Engolismensis in Vita Caroli Magni *cap.* 8. addit, Cantores, qui Roma advenerunt, docuisse in Galliis artem etiam pulsandi

Praemissa in Urbe, et Statu Ecclesiastico potissimum observanda.

organum musicum, quod regnante Pipino in Galliarum Regnum delatum fuerat. Itaque cum solemne, et regulare sit, ut haec Romana Urbs aliis omnibus Civitatibus in sacris ritibus, caeterisque Ecclesiast. rebus, praeire debeat exemplo, et documento esse; Insuper accedunt, et ea, quae mox a Nobis narrata sunt de Carolo Magno, qui Ecclesiasticum cantum e Romana Urbe tamquam e sedibus in suum Regnum evocavit; quae quidem acrius Nos urgent, atque extimulant, ut abusus omnes, qui in cantu Ecclesiastico irrepserunt, et a Nobis reprobati sunt in omnibus, quoad fieri potest, sed praecipue in Romanae Urbis Ecclesiis penitus aboleantur. Sed quemadmodum Nos nostro Cardinali in Urbe Vicario, quae necessaria sunt, atque opportuna, praecipere non omittimus; ita Fraternitas tua publicare non negligat, si opus fuerit; edicta, et leges, quae cum hisce Nostris circularibus Literis consentaneae sint, et quibus Ecclesiasticus cantus convenienter ad regulas in iisdem Literis praescriptas, et stabilitas dirigatur, ut tamdem musicis Ecclesiarum reformandis initium praebeatur. Nam id ipsum maxime optatum, ac desideratum est, cum a pluribus, tum centum ab hinc annis a Joanne Baptista Doni Patritio Florentino in ejus Tractatu de Praestantia Musicae veteris *lib.* 1. *pag.* 49.: *Nunc vero eo redacta res est, ut nec quisquam reperiatur, qui effaeminatum quemdam, ac leviusculum, qui jam passim invaluit, canendi modum severa lege cohibeat, nec affectata illa prolixaque, ac saepe hiulca melismata ad certam normam redigenda existimet, aut dies solemnes, aedesque sacras suam celebritatem, ac frequentiam habituras putet, nisi mollioribus, ac saepe parum decoris cantibus, magnaque vocum, ac instrumentorum confusione certatim omnia personent.*

Alia Ecclesiasticae disciplinae capita Episcopis commendantur.

§. 15. Diximus, si opus fuerit, probe enim Nobis compertum est, in Statu Ecclesiastico aliquas esse Urbes, in quibus Ecclesiarum musicas reformari oporteat, in aliis vero hujusmodi necessitatem minime adesse. Timemus quidem, vehementerque timemus, ne in aliquibus Civitatibus Ecclesiae, sacraque Altaria convenienti munditie, ac necessario nitore indigeant; in multis ne Cathedralium, et Collegiatarum Chori cantu plano bene, ac probe ad regulas artis directo juxta ea, quae a Nobis superius dicta sunt, destituantur quas in res, si in Ecclesia tua necesse sit, omnes diligentiae tuae, et sollicitudinis nervos intendere decet; et utinam in omnibus totius Status Nostri Dioecesibus Sacerdotes ea, qua par est, decentia sacrosanctum Missae Sacrificium facerent; et praeterea clericalibus vestibus induti, et decenti habitu corporis, incessu, modestia, omnique alio Ecclesiastico decore in publicum prodirent, quibus super rebus nihil aliud hic Nos adjungemus, cum fuse de his tractaverimus *in Nostra Notificatione* XIV. §. 4. *et* 6 *lib.* 2. *edit. Ital., quae est* XXXIV. *in edit. Latin. et in notific.* IV. *tom.* 4. *edit. similiter Ital., quae est* LXXI. *edit. Latin.* ad quas Ecclesiasticae disciplinae studiosos remittimus. Itaque Sacerdotalem tuum zelum excitantes finem scribendi faciemus, posteaquam id unum tibi significabimus, nulla alia re magis hominibus declarari; Ecclesias male atque improvide ab Episcopis regi, et gubernari, quam si spectantur Sacerdotes sacra, Ecclesiasticis caeremoniis perperam adhibitis, aut omissis, vestibus indecoris, aut minime Sacerdotalis dignitatis propriis praecipitanter ac negligenter obire. Haec enim in omnium oculos incidunt, et incolarum, et alienigenarum judicio subjiciuntur, et praesertim eos offendunt, qui ex illis Regionibus adveniunt, ubi, et Presbyteri convenientibus vestibus induuntur, et Missae debita devotione celebrantur. Haec secum reputans, et non sine fletu cogitans ita querebatur pius, ac doctus Cardinalis Bellarminus. *Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impietatem sacrosancta Mysteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant, videantur non credere Majestatem Domini esse presentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, et tremore, festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent.* Et post haec nonnullis interjectis prosequitur in hunc modum: *Scio non deesse in Ecclesia Dei multos optimos, et religiosissimos Sacerdotes, qui corde mundo, et nitidissimo apparatu Divina Mysteria celebrant; pro quibus gratiae Deo ab omnibus agendae sunt; sed simul etiam fontibus lacrymarum plangendi sunt non pauciores, qui esteriore turpitudine, et sordibus animi sui impuritatem, sordesque testantur.* Et nos interea in visceribus Christi Fraternitatem tuam complectentes, et Tibi, et Gregi curae tuae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Dat. 19. Februarii 1749. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Februarii MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

III[a] BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Experientia probe edocti quantum opportuna Codicum, Librorumque commoditas in Religiosis Domibus, et ad comparandam Alumnis cujusque Religionis, Ordinis, atque Instituti omnigenam eruditionem, et ad eosdem in Regulari Observantia continendos, ac studiis addictos a caeteris extra Claustra negotiis, et avocamentis removendos prosit, semper laudavimus sollicitudinem, curamque salutarem, quam Regularium Ordinum Superiores adhibere contendunt, ut inter caetera ministerii sui onera non ultimum reputent illud Bibliothecas sive a fundamentis excitandi, sive jam aedificatas amplificandi, et majori Codicum, Librorumque omnium copia locupletandi. In sublimi sane hac Sacrosancti Apostolatus specula per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam constitutis, nihil accidere potest gratius, ac jucundius, quam cum a Nobis petitur, ut ad quamcumque Bibliothecam sartam, tectamque perpetuo conservandam Apostolicae auctoritatis nostrae patrocinium conferamus. Quoniam autem, sicut dilectus Filius Gaspar ab Incarnatione Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Frater expresse professus, et Congregationis Canonicorum Regularium Sanctae Crucis Conimbricensis Ordinis Sancti Augustini Apostolicus Visitator, ac Reformator, cujus eximiis studiis, consiliis, et laboribus omnia pristinae Regularis Observantiae, doctrinarum, disciplinarumque decora, et incrementa referuntur accepta, Nobis nuper exponi fecit, tam in Monasterio sub invocatione Sanctae Crucis Conimbricae, quam in Monasterio sub invocatione Sancti Vincentii Ulyssiponis ejusdem Congregationis erecta reperitur insignis Bibliotheca ingenti Codicum, Librorumque omnigenae eruditionis rerum tam prophanarum, quam Ecclesiasticarum, atque in primis sacrarum, et auctorum etiam prohitorum multitudine, quae in dies magis, magisque adaugetur. Eapropter Nobis humiliter supplicari fecit, ut de Apostolica benignitate, et auctoritate, ut infra, providere, et indulgere dignaremur. Nos itaque ipsum Exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, necnon meritis laudibus commendantes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ac conservationi, et manutentioni Librorum omnium sive manuscriptorum, sive typis impressorum utriusque Bibliothecae, nec non conscientiae securitati, et indemnitati tam praesentium, quam pro tempore futurorum Canonicorum utriusque Monasterii, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, primum quidem omnibus, et singulis personis quacumque auctoritate fungentibus, et functuris, ac cujusvis status, gradus, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis nunc et pro tempore existentibus, ne ullo umquam tempore libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta iisdem Bibliothecis per quoscumque Christifideles donata, et assignata, ac in posterum donanda, et assignanda e Bibliothecis hujusmodi extrahere, commodare, seu asportare, vel ut commodentur, aut extrahantur, seu asportentur, permittere, aut consentire audeant quovis modo, seu praesumant sub quovis praetextu, causa, quaesito colore, vel ingenio sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua nemo nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium, praeterquam in mortis articulo constitutus, obtinere valeat; per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda, auctoritate Apostolica interdicimus, et prohibemus. Quod si autem memorato Gaspari Apostolico Visitatori, ac Reformatori sanius visum fuerit, ut ad majorem eorumdem Canonicorum dumtaxat utilitatem, profectumque Codices, et Libri typis tantummodo impressi (nunquam tamen manuscripta quaecumque, volumina, ac folia) in proprias cujusque Canonici cellas, et mansiones in ipsis Monasteriis sitas de moderni, et pro tempore existentis Superioris, et Bibliothecarii licentia extrahi, et asportari, atque inibi, quoad unicuique

Canonico usui, et commodo fuerint, retineri possint, id ejusdem Gasparis Apostolici Visitatoris, et Reformatoris prudentiae, et arbitrio relinquimus auctoritate Apostolica statuendum, praecipiendumque. Deinde vero motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae Potestatis plenitudine Superiori pro tempore Bibliothecario, et duobus dumtaxat Sociis, et non pluribus utriusque Bibliothecae, necnon Lectoribus tam rerum Liturgicarum, quam hystoriae Ecclesiasticae pro tempore existentibus, et a Superiore deputandis, nec nisi justa, et rationabili ex causa amovendis, et aliis in alterius locum sufficiendis, ut in Bibliothecis praefatis quorumvis haereticorum, et haeresiarcarum, et aliorum reprobatorum auctorum cujuscumque sectae, et classis etiam primae, et ex quacumque causa, etiam ob falsi dogmatis suspicionem a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, ac etiam in quibusvis Conciliis generalibus, ac etiam a Nobis, et Sede Apostolica quomodolibet prohibitos, et damnatos, ac a Nobis, Successoribusque Nostris Romanis Pontificibus, Sedeque praefata in futurum forsan prohibendos, et damnandos Libros, manuscripta, et opera tam hactenus in lucem edita, quam in posterum edenda, seu scribenda quaecumque, etiamsi ex professo, et in capite de Religione, et Fide Catholica, et seu contra Religionem, et Fidem easdem tractent, in Bibliothecis praefatis collocatos, et collocata, ac in futurum quandocumque collocandos, et collocanda habere, legere, et tenere, ac ad illos, qui illi ea in re successuri erunt, transmittere libere, et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo, ac quarumcumque Ecclesiasticarum sententiarum, et censurarum, vel aliarum poenarum, etiam irregularitatis, infamiae, aut inhabilitatis incursu possint, et valeant, Apostolica auctoritate Nostra tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Decernentes eos, et eorum quemlibet super praemissis, seu praemissorum causa, et occasione ullatenus molestari, perturbari, aut inquietari non posse. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales Generales Inquisitores, etiam de Latere Legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon in universalibus, et Provincialibus Conciliis editis, et edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et ordinationibus, necnon prohibitionibus desuper factis, et in posterum quomodolibet faciendis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro expressis, et insertis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Libri, Scripta, et Opera praefata, quae de Religione, seu Fide, vel contra Religionem, et Fidem Orthodoxam tractant, seu tractabunt, sub clavi seorsim ab aliis retineantur; praesentesque iisdem, quos ante diximus, Superioribus, Bibliothecariis, Sociis, et Lectoribus pro tempore deputatis dumtaxat suffragentur; quodque nemini, nisi cui ab Apostolica hac Sancta Sede facultatem impertitam fuisse reipsa constiterit, aut legendi, aut describendi Codices, Librosque prohibitos quoscumque copia fiat; quodque praesentis prohibitionis, et facultatis exemplum in aliquo conspicuo utriusque Bibliothecae loco, ubi ab omnibus cerni, et legi possit semper affixum remaneat. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Febr. MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Cajetanus Amatus.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI III.**

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Allocutio habita In Consistorio Secreto Feria secunda die 3. Martii anni 1749.

VENERABILES FRATRES.

Annus Jubilaei, qui Sanctus vulgo nuncupatur, post hunc annum, quem auspicati jam

sumus, indicendus occurrit. Tunc enim vigesimus quintus annus absolvetur, ex quo Benedictus XIII. Praedecessor noster Jubilaeum celebravit. Porro nemo Vestrum ignorat, Constitutione Bonifacii VIII. Praedecessoris nostri sancitum fuisse, ut Annus Jubilaei, nonnisi peractis centum annis, indiceretur: quod deinde spatium temporis contractum fuit a Clemente VI. ad annos quinquaginta; et postea ab Urbano VI. Praedecessore quoque nostro ad annos triginta tres redactum. Tandem, post alias vices, quae in Ecclesiae Annalibus recensentur, a Paulo II. Praedecessore nostro constitutum fuit, ut Anni Sancti celebritas post annos viginti et quinque in posterum ageretur: quae sane laudabilis consuetudo ad hanc usque diem retinetur.

Post Bonifacium VIII. qui primus Jubilaeum vel instituit, vel saltem restituit, ad haec usque tempora, septemdecim celebritates Anni Sancti peractae fuerunt; ideoque decimum octavum numerabitur Jubilaeum, quod proxime indicetur. Pontificum vero memoriam repetentes, qui celebritatem ejusmodi peregerunt, Nicolaum V. qui Bononiensem Episcopatum antea gesserat, et Gregorium XIII. Civem Bononiensem deprehendimus. Nos etiam Bononiae nati, et qui Bononiensem Archiepiscopatum adhuc retinemus, decimum octavum Jubilaeum, si Deo placuerit, indicemus, et celebrabimus. Quod si aliter contigerit, Divinae voluntati Nos omnino subjectos, paratosque ad quaelibet Dei judicia subeunda fatemur. Nam oculis nostris obversatur Pauli III. memoria, qui, indicto Jubilaeo, mortali hac vita defunctus est, et Julio III. illud absolvendum reliquit. Obversatur etiam exemplum Innocentii XII. qui Portam Sanctam reseravit, quam deinde Clemens XI. occlusit.

At vero, quidquid de incerto vitae cursu Nobis futurum esset, consentaneum tamen visum est, ut superiori Pontificatus Nostri tempore animum et cogitationem nostram converteremus ad Jubilaeum, quod fere oculis nostris semper occurrebat, ut ea, quae necessaria sunt, opportune pararentur; cum praesertim ipsa non solum maximos sumptus, sed plurimum etiam temporis, ut perficiantur, requirant. Vobis nequaquam exponemus hoc loco vias publicas, quas vel recenter aperuimus, vel dirutas reparavimus, ut facilior ad Urbem aditus, et commodiora universis Romam confluentibus itinera redderentur: ea solum recensebimus, quae Romae a Nobis perfecta sunt quae fortasse jam Vobis, Venerabiles Fratres, perspecta sunt et explorata, vel perspici pro vestra voluntate facile possunt.

Equidem Basilicae Sanctorum Petri et Pauli a Bonifacio VIII. ad Clementem usque VI. visitari unice consueverant ab iis, qui plenariam Jubilaei Indulgentiam assequi contendebant. Cognita satis est omnibus cura, quam impendimus, ut, operosa Basilicae Vaticanae testudine confirmata, populum ab omni metu, ac suspicione solveremus, cum rumor emanasset, quod moles illa ruinam proxime minaretur. In Basilica vero Sancti Pauli, cum musivum opus, quod supra Chorum adspiciebatur, vetustate labefactatum decidisset, jussimus, illud in pristinum splendorem restitui, quod sane quamprimum absolvetur.

Clemens VI. Basilicis Vaticanae et Ostiensi Lateranensem quoque visitandam adjunxit, in qua nihil ad majestatem augendam addi posse visum est, cum Praedecessor noster Clemens XII. eamdem Basilicam exterius, interiusque, Regia plane magnificentia, exornaverit. His tribus Basilicis, quas modo enumeravimus, Urbanus VI. Basilicam quoque addidit Sanctae Mariae Majoris, seu Sanctae Mariae ad Praesepe in Exquiliis, in qua versantur ante oculos omnium, qui ad illam se conferant, eximii sumptus, qui a Nobis quotidie fiunt, ut illius splendor ac dignitas augeatur.

At vero animum nostrum non ad quatuor solum Basilicas intendimus, quae tempore Jubilaei invisendae sunt ab iis, qui, reliquis piis operibus perscriptis operam dantes, plenariam Indulgentiam lucrari desiderant; sed etiam cogitationem nostram ad alias Ecclesias Urbis convertimus. Nemo Vestrum ignorat, quibus exornetur encomiis Ecclesia Sanctae Crucis in Hierusalem, quam Constantinus Imperator in Ædibus Sessorianis extruxit. In illa (ut alias insignes Sanctorum Reliquias recensere omittamus) Titulus Sanctissimae Crucis religiose servatur, qui repertus fuit, cum Innocentius VIII. Summum Pontificatum obtineret. Eam Lucius II. Civis Bononiensis, a fundamentis restauravit: Beatus autem Nicolaus Cardinalis Albergatus, Civis quoque et Episcopus Bononiensis, ejusdem Ecclesiae Titulum gessit. Idem Titulus Nobis contigit, cum inter Cardinales versaremur. Itaque eam

Basilicam diuturnitate temporis impolitam, ac pene labentem, magnis impensis in eum splendorem, quem nunc videtis, restituendam curavimus : viam quoque amplam, ac spatiosam ab ipsa Sessoriana Basilica ad aliam Lateranensem aperuimus.

Inter alias Ecclesias, quae jussu ac pietate Constantini Imperatoris conditae fuerunt, Sancti Martini in Montibus Templum adnumeratur, quod etiam Titulus Equitii dicitur, eo quod extructum fuerit in praedio Presbyteri, qui eo nomine appellabatur. Ejus partes subterraneas Cardinalis Gabriel Palaeotus, Civis Bononiensis, et primus ejusdem Civitatis Archiepiscopus, marmore obduxit et exornavit. Porro haud satis perspicui oculisque subjecti sunt non exigui sumptus, quos in eo loco impendimus. Verum, qui pristinam illius Templi conditionem cognitam habuerunt, minime ignorant, magnum illud Ædificium, non una ex parte labefactatum, consistere in hanc usque diem vix potuisse, nisi perfecta fuissent a Nobis ea omnia, quae ad ejus ruinam, ac perniciem vitandam, necessaria putabantur.

Exploratum quoque Vobis arbitramur, Templum Sanctae Mariae Angelorum, quod magnam Thermarum Diocletiani partem occupat, a Pio IV. conditum, deinde a Gregorio XIII. Bononiensi Cive ornatum fuisse. Nos quoque, ut illud magis expolitum fiat, curam nostram impendimus ; utque in formam pulchriorem redigatur, manus Artificum adhuc operibus exercentur. Siquidem Tabulas pictas ultro concessimus, quae ad ejusdem Templi venustatem, et Fidelium pietatem augendam plurimum conferunt. Postremo silentio praeteribimus ea, quae contulimus ad extruendas Sancti Apollinaris magnificas Ædes prope Forum Agonale. Quippe Vobis ipsis ea perspecta fuerunt, cum praesentes interfuistis, quo tempore Aram maximam ejusdem Templi paucis ab hinc mensibus consecravimus.

Cum magnam vitae nostrae partem, antequam ad Summum Pontificatum evecti fuimus, in hac Urbe nostra peregerimus, Jubilaei celebritatem bis Nos ipsi vidimus; et praesertim incredibile Fidelium ex remotissimis Orbis partibus Romam confluentium desiderium, et piam cupiditatem, ut sacrae antiquitatis monumenta inquirant, et suis ipsi oculis contemplentur : quae sane conferunt plurimum, ut veritas Catholicae Religionis comprobetur, et hujus Sanctae Sedis auctoritas firmetur. Quamobrem, cum pro novis aedificiis, quae Praedecessor Noster maximo sumptu, ac splendore perfecit ad Basilicam Lateranensem, necessario aequatum fuerit solo insigne Triclinium Leonis III. et vetus Sacellum Pontificium, quod apud Patres Poenitentiarios ejusdem Basilicae in veteri angustoque Monasterio servabatur, Nos idem Triclinium, et Sacellum Pontificium alio in loco collocavimus, et veterem ipsorum formam ita retinuimus, ut opere ipso veteri renovato, antiquitas tamen non tolleretur, sed illorum pretium, ac memoria integra permanerent. Quo tempore Clemens X. Annum Jubilaei celebravit, Viri pietate, ac religione praediti, Pontifici suaserunt, ut ad binos aditus Amphitheatri Flavii, quod *Colossaeum* vulgo dicitur, ea inscribi, et coloribus exprimi juberet, quibus loci Sanctitas, et Martyrum sanguis ob Fidei Catholicae defensionem ibidem magna copia profusus indicarentur. Sic enim fore putabant, ut in posterum scandala de medio tollerentur, quae aliis temporibus contigerant, ac praesertim, cum Summi Pontifices Avenione Sedem haberent. Nam in eodem Amphitheatro tum venationes ferarum, tum alia profana spectacula edita fuerant, quae Deum, ut memoriae proditum est, non semel ad justam indignationem, et severam praesentemque ultionem incitarunt. Porro monumenta ejusmodi, quae Nos ipsi pluries legimus, quamvis muro depicta, tamen ob assiduas pluvias deformata adeo fuerant, ut intelligi nequaquam possent. Qua de causa jussimus, ut illa marmore incidantur, ne temporis injuria labefactentur.

Pia constantique traditione ad Nos pervenit, quod Sanctus Petrus Apostolus, victo et prostrato Simone Mago, Gentilium furorem in se vehementer concitaverit; ideoque Fidelium studiis, ac voluntati obtemperans, consilium coeperit Urbis relinquendae, donec commota tempestas sedaretur. At vero amantissimum in Porta Salvatorem Jesum Christum offendens, eumque interrogans » *Domine quo vadis?* cum hoc responsum accepisset « *Venio iterum crucifigi* » aperte intellexit Apostolus, sibi redeundum in Urbem, Crucis martyrium expectandum. Quod plane ita contigit; nam paulo post Cruci affixus cursum suum consummavit. Hujus rei veritatem testimonio suo certissime comprobat S. Ambrosius in sermo-

ne contra Auxentium; nulliusque ponderis habenda est censura, qua Velenus, ac Basnagius impudentissime audent infringere Sancti Doctoris auctoritatem.

A Porta Capena, quae nunc a Sancto Sebastiano nuncupatur, parum distat Sacellum, quod vulgo dicitur *Sancta Mariâ Plantarum*, de quo primus Petrus de Natalibus Exquilinus Episcopus mentionem facit, qui decimo tertio saeculo scripta sua posteritati commendabat. Nihil desiderandum modo est illi Sacello, quod Cardinalis Scipio Burghesius restaurandum susceperat, et postremo Cardinalis Franciscus Barberinus senior perfecit. Non longe occurrit aliud Sacellum rotundae figurae, quod initio praeteriti saeculi Cardinalis Reginaldus Polus extruendum curavit. Duae feruntur opiniones. Nam plures existimant, Christum Dominum Sancto Petro apparuisse in eo loco, ubi Sacellum Sanctae Mariae Plantarum consurgit; ibique suorum pedum vestigia marmore impressa reliquisse, quod in Ecclesia Sancti Sebastiani modo asservatur. Sed vulgaris fere omnium sententia Christum se Petro ostendisse affirmat in eo loco, ubi, jussu Cardinalis Poli, Sacellum rotundae figurae conditum adspicitur. Illud modo pene dirutum est: et Nos ipsi restaurare, et ornare saepe illud cogitavimus; quam voluntatem animumque nondum deposuimus. Sed quanto certiores sumus de admirabili illa apparitione, quae Sancto Petro contigit, tanto incerti versamur de loco, ubi statuenda illa procul omni dubio videatur.

Quare dubitandum merito est, si illud Sacellum reparandum suscipimus, ubi locum apparitionis, sicut antea diximus, vulgus constituit, falso aliquos esse interpretaturos, id a Nobis peractum fuisse, ut popularem opinionem, ratam, firmamque redderemus; quod sane non mediocre afferret periculum. Siquidem, cum gravissimae difficultates ad locum apparitionis statuendum proponantur, aditus inde pateret malevolis, et pravae indolis hominibus, ut ipsam apparitionem, quae certa est, inficiaretur, locum ejus oppugnantes, qui sane est incertus, ita ut jure nihil de illo affirmari possit.

Sanctus Ambrosius hujusmodi apparitionem in Porta Civitatis accidisse commemorat: *Videns*, inquit, *sibi in Porta Christum occurrere, Urbemque ingredi*. Verum Sacellum Virginis Plantarum valde a Porta Civitatis sejungitur; longius etiam distat Sacellum notandum a Cardinali Polo excitatum: quamobrem praesens illorum situs parum loco convenire videtur, in quo juxta Sancti Ambrosii testimonium, Petro Apostolo Christus apparuit. Quod si locum, ubi Porta Capena modo sita est, considerantibus non levis videtur difficultas, quam in medium protulimus; majoris sane momenti illa judicabitur, si perpendamus, Portam Capenam, quo tempore Christus apparuisse Petro dicitur, ad mille passus interiorem fuisse, et Urbem versus constitutam. Etenim inter Ecclesiam Sanctae Balbinae, et Viridarium Familiae de Matthaeis, tunc temporis posita erat; quae deinde jussu Aureliani Imperatoris, videlicet ducentis septuaginta annis post Christi mortem, translata fuit in eum locum ubi nunc etiam perseverat.

Porro inter ea, quae ratione futuri Jubilaei perfici curavimus, recensere non dubitamus sacram Pontificii Sacelli supellectilem, quam spatio temporis detritam invenimus, refectam a Nobis et innovatam. Praeterea amplificatum, et splendide auctum Nosocomium Sancti Spiritus in Saxia: licet ipsum non modo constitutum sit pro excipiendis curandisque peregrinis, qui Romam venientes pro comparanda Jubilaei Indulgentia, in morbum inciderint; sed etiam ut commodius in illo versentur reliqui omnes quocumque tempore, qui vel ex Urbe, vel ex aliis locis, ad illud confugiunt, ut corporis morbis liberentur. Exemplis Praedecessorum nostrorum Sixti IV. et Gregorii XIII. adducti sumus ad id peragendum. Primus enim veterem pontem Janiculum, qui modo ab ejus nomine Sixtus appellatur, restituit; alter vero publicam viam aperuit, quae a Basilica Sanctae Mariae Majoris ad Lateranensem perducit: et inter opera, ab eis pro Jubilaeo peracta, et pons et via enumerantur. Constat autem, et viam patefactam, et pontem Janiculum restitutum non modo pro illis fuisse, qui tunc temporis Jubilaei causa a remotissimis partibus Romam venerunt, verum etiam publicam attulisse, et nunc pariter omnibus afferre commoditatem.

Universa, quae a Nobis gesta sunt, vestris oculis exposuimus; ita tamen, ut illa exigua valde esse cognoscamus. Animus sane fuisset majora quoque suscipiendi, nisi Pontificium

Ærarium pene exhaustum, uti Vobis exploratum est, ad Nos pervenisset; et nisi calamitosus undequaque Pontificatus ob peccata nostra, Dei judicio, Nobis contigisset. Porro ob eam solummodo causam haec omnia Vobis recensuimus, videlicet ad vestros animos, qualicumque exemplo nostro, inflammandos, ut studiis ac desideriis nostris obsecundetis, quae sane ad augendam Dei gloriam, splendoremque Sedis Apostolicae amplificandum, unice diriguntur. Romae existunt Ecclesiae, quae Cardinalium Tituli appellantur, et in quibus jurisdictionem quasi Episcopalem exercetis. Insigniores Basilicae Cardinalem Archipresbyterum obtinent, qui illas moderatur. Regularium Familiae Ecclesias pariter in hac Urbe possident, et Cardinalem fere omnes nactae sunt, cujus tutelae committuntur. Archisodalitia fere universa Cardinalis patrocinio fruuntur. Quapropter singulos vehementer hortamur, et quo possumus maximo studio obsecramus ad omnem diligentiam impendendam, ad omnem rationem excogitandam, ut Ecclesiae, quarum Titulis praediti estis, ut Basilicae, quarum Archipresbyteri renunciati fuistis, ut demum Ecclesiae Regularium, vel Sodalitatum, quarum patrocinium obtinetis, praesentis anni spatio convenienter aptentur, et exornentur, et nihil eorum desit, quae necessaria in illis judicantur; ut confluentes populi futuro anno, cum Jubilaeum celebrabitur, Sacras Dei Ædes intueantur, quales omnino haec Civitas requirit, quae Orbis Terrae Caput, et Vicarii Christi Sedes prae caeteris effulget, et cujus exemplum ac normam reliqua Orbis Christiani Templa sibi debent imitanda proponere. Cardinali nostro Vicario mentem nostram aperiemus pro iis omnibus, quae statuenda in caeteris Ecclesiis videbuntur.

Haec profecto, quae antea diximus, externa tantummodo sunt. Alia multa requiruntur ad fructum spiritualem colligendum, cujus gratia Jubilaei Annus fuit institutus. Ut hunc quoque finem assequamur, licet plura Nos ipsi jam perspeximus, et plura animo reputavimus; tamen multa etiam perspicienda, et excogitanda hujus anni cursu relinquuntur, in quibus ope vestra, vestroque consilio libenter uti non praetermittemus. Interim Deum magnopere obtestamur, ut liceat Nobis ad Annum proximi Jubilaei pervenire, ejusque spatium ita exigere, quemadmodum Nicolao V. Praedecessori nostro, quem superius nominavimus, feliciter contigit, de quo memoriae proditum est Annum Jubilaei peregisse *in celebritatibus, et Stationibus*.

EXEMPTIO BONORUM. IV.

Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia a Spolio Camerae Apostolicae debito.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices Pastoralis Officii Nostri curas quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicae Sedis, ac Universalis Ecclesiae, nec non etiam singulorum locorum piorum, ac Personarum Ecclesiasticarum jura ubique sarta, tecta, ac illibata tueri, et conservare, eaque adversus quaecumque, per quae illis aliquod detrimenti inferri posset, tradita Nobis divinitus potestate vindicare satagamus, sicut omnibus mature, ac debite pensatis, justitiae, ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Proemium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Antonius Maria Patriarcha Antiochenus Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe Praeceptor, seu Commendatarius, quod dudum fel. record. Sixtus Papa IV. Praedecessor noster per quasdam suas sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXVIII. pridie Kal. Septembris Pontificatus sui Anno II. expeditas literas, inter caetera statuit, et ordinavit, ut in posterum perpetuis futuris temporibus quispiam cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis esset, aliquod ex Hospitalibus, Domibus, Praeceptoriis, Oratoriis, Prioratibus, Ecclesiis, Cappellis, seu membris ab Archihospitali praedicto dependentibus, seu illi subjectis vacantibus, vel quae pro tempore vacare possent a Romano Pontifice pro tempore existente, vel ab Apostolica hac S. Sede, ejusque Legatis impetrari, seu impetrari facere vel etiam impetratis uti quoquomodo praesumeret, ac decrevit omnia et singula Hospitalia, Domos, Praeceptorias, Oratoria, Prioratus, Ecclesias, Cappellas, membra, seu Beneficia Archihospitalis praedicti, et ab eo de- Beneficia ab Archihospitalis S. Spiritus dependentia manualia sunt ad nutum Praeceptoris, ex concessione Sixti IV.

pendentia manualia esse, et fore, et illa pro tempore obtinentes pro solo nutu pro tempore existentis ipsius Archihospitalis Praeceptoris, seu Commendatarii praedicti, etiamsi ipsis per eamdem Sedem, et illius Legatos concessum fuisset, quod a Beneficiis, Praeceptoriis, Prioratibus, Oratoriis, Ecclesiis, Cappellis, Domibus, seu membris hujusmodi absque rationabili causa quoquo modo amoveri nequeant, posse libere, et licite amoveri, quodque nullas de Hospitalibus, Domibus, Beneficiis, Praeceptoriis, seu Commendis, Oratoriis, Prioratibus, Ecclesiis, Cappellis, seu membris hujusmodi, praeter Praeceptorem, seu Commendatarium praedictum, ad quem dumtaxat illorum collationem, provisionem, praesentationem, et quamvis aliam dispositionem pleno jure pertinere voluit, providere posset, etiamsi sub aliqua generali, vel speciali reservatione tam in corpore Juris clauso, quam ratione vacationis apud eamdem Sedem, seu praetextu alicujus Officii in ea obtenti, et obtinendi, vel familiaritate aliquorum ex S. R. E. Cardinalibus comprehenderentur, et comprehendi viderentur; quas quidem reservationes ad Beneficia, Praeceptorias, Oratoria, Prioratus, Ecclesias, Cappellas, seu membra hujusmodi nullatenus extendi voluit, neque sub illis quoquo modo comprehendi debere seu posse, ac insuper omnes, et singulas collationes, provisiones, seu dispositiones quomodocumque, et qualitercumque de Hospitalibus, Domibus, Beneficiis, Praeceptoriis, Oratoriis, Prioratibus, Ecclesiis, Cappellis, seu membris praedictis in titulum perpetui Beneficii, vel alias etiam cum irritantis appositione decreti, et speciali illa clausula pro tempore obtinentes ab eis absque rationabili causa amoveri, et ad claustrum revocari non possent, prorsus irritas, et inanes, ac nullius roboris, vel momenti fuisse et esse, etiamsi aliqua triennali, ac longiori, et diuturna possessione gavisi existerent; ac revocavit, cassavit, et irritavit, ac annullavit omnes, et singulas exemptiones et libertates per Canonicos dicti Archihospitalis sub quacumque verborum forma, vel expressione, tam a Sede praedicta, quam ejus Legati, aut alia ex quavis causa, seu auctoritate obtentas, et deinceps absque derogatione literarum hujusmodi obtinendas, quatenus per illas dicti Canonici a praemissorum observatione, et hujusmodi Ordinationibus sese subtrahere possent, etiamsi Cappellani, et Officiales dictae Sedis existerent; nec non Canonicos praefatos ad obedientiam, subjectionem, et correctionem pro tempore existentis Praeceptoris, seu Commendatarii praedicti una cum Domibus, Hospitalibus, Beneficiis, Praeceptoriis, Oratoriis, Prioratibus, Ecclesiis, Cappellis, seu membris, Granciis, possessionibus, et bonis ad dictum Archihospitale spectantibus, et ab eo dependentibus ubicumque existentibus in praejudicium ipsius quomodolibet quibusvis Personis Ecclesiasticis, vel Saecularibus cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuissent, etiamsi Pontificali fulgerent dignitate concessis, vel ab eis quomodocumque, vel qualitercumque obtentis, ad jus, et proprietatem ipsius Archihospitalis reduxit, eidemque reintegravit, et sibi illa perpetuo manere cum suis censibus, seu annuis pensionibus, atque juribus decrevit in futurum, et alias prout in dictis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Bona Canonicorum hujusmodi, Beneficia obtinentium spolio subjecta esse contendebatur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Antonius Maria Patriarcha, ac Praeceptor, seu Commendatarius, qui (ut asserit) juxta praedictarum Sixti praedicti, aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum literarum tenorem, Praeceptor, seu Commendatarius Archihospitalis praedicti jus quaecumque Beneficia, seu Prioratus, aut Praeceptorias, seu Commendas, aliaque bona quaecumque ad Archihospitale hujusmodi spectantia, et ab illo dependentia ubique existentia Canonicis Regularibus Sancti Spiritus juxta eorum antianitatem, aut eorum benemerentiam praeviis eorum obsequiis ab ipsis Archihospitali praedicto praestitis ad sui libitum, et ad sui nutum conferendi habet, interdum accidere solet, ut secuto alicujus ex Canonicis Regularibus praedictis aliquod Beneficium, seu Prioratum, aut Praeceptoriam, seu Commendam, aliudve bonum ad ejusmodi Archihospitale spectans, et pertinens, et ab illo dependens obtinentibus, obitu, Collectores, seu Subcollectores jurium ad Cameram nostram Apostolicam spectantium spolium defuncti Canonici hujusmodi facere, ac fructus cujuscumque generis, vel qualitatis aut speciei Beneficii, vel Prioratus, seu Praeceptoriae, aut Commendae, seu cujuscumque boni ab Archihospitali praedicto dependentis

per illum obtenti, licet beneficia praedicta saecularia non sint, quorum fructus juxta dispositionem aliarum ejusdem Sixti, ac sanctae mem. Pii Papae V. Praedecessorum nostrorum literarum tempore vacationis ad ipsam Cameram spectent, tempore vacationis hujusmodi percipere, et exigere contendunt, ad evitandas quascumque lites, quae in posterum ea de causa, in praejudicium dicti Archihospitalis oriri possunt, non solum memoratas expressas Sixti Praedecessoris literas per Nos confirmari, verum etiam sibi in praemissis opportune provideri, et ut infra indulgeri, summopere desideret.

Pontifex confirmat dispositionem Sixti IV.

§. 3. Nos ipsum Antonium Mariam Patriarcham, ac Praeceptorem, seu Commendatarium specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humillime porrectis inclinati, expressas, memorati Sixti Praedecessoris literas cum omnibus, et singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac quatenus opus sit innovamus, et de novo concedimus; ac omnibus, et singulis Nostris, et hujus S. Sedis Collectoribus, seu Subcollectoribus jurium Camerae nostrae Apostolicae cujuscumque qualitatis, gradus, praeeminentiae, status, et conditionis nunc, et pro tempore ubique existentibus, ne ipsi sub quocumque praetextu, causa, ratione, et colore, etiam vigore facultatum eis a Nobis, seu Sede, et Camera praedictis attributarum, fructus, redditus, et proventus cujuscumque qualitatis, quantitatis, vel speciei quorumcumque Beneficiorum, etiam de jure patronatus laicorum ad favorem memoratorum Canonicorum, jam erectorum, et in posterum erigendorum, nec non Prioratuum, Commendarum, Praeceptoriarumve, Domorum, membrorum, Ecclesiarum, Cappellaniarum, aliorumque bonorum quocumque nomine nuncupatorum per quoscumque dicti Archihospitalis Ministros, Officiales, aut Canonicos Regulares Sancti Spiritus hujusmodi obtentorum, et pro tempore obtinendorum ad Archihospitale praedictum nunc, et pro tempore spectantium, et pertinentium, et ab illo dependentium de praesenti vacantium, et qui pro tempore vacare possunt, post obitum cujuscumque personae, cui a memorato Antonio Maria Patriarcha moderno, ac pro tempore existente Archihospitalis hujusmodi Praeceptore, seu Commendatario Beneficia, seu bona ad Archihospitale praedictum spectantia collata fuerint, maturatos, et non exactos, et qui pro tempore, donec aliquem de eodem Beneficio, Prioratu, Praeceptoria, seu Commenda, membro, Ecclesia, Cappella, Oratorio, Domo, et bonis hujusmodi provideri contingat, decurrere, et maturare possunt, sub privationis eorum Officii, ac Beneficiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia Beneficia pro tempore obtinendorum, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis percipere, et exigere valeant, auctoritate, et arbitrio praesentis interdicimus, et prohibemus, ac praecipimus, et mandamus.

Prohibet inter spolia Camerae Apostolicae debita redigi fructus Beneficiorum hujusmodi quomodocumque vacantium.

§. 4. Ac insuper volumus, decernimus, et declaramus, ut secuto alicujus ex dictis Canonicis Regularibus S. Spiritus, etiamsi professionem per eosdem emitti consuetam non emiserit, dummodo de aliquo Beneficio, seu bonis ad Archihospitale praedictum spectantibus, et ab illo dependentibus, aut membro, Domo, Ecclesia, Cappella, et Oratorio provisus fuerit, obitu, spolium dicti defuncti ad ejusmodi Archihospitale spectare omnino debeat, nec quispiam sub quovis praetextu sese ingerere valeat; fructus vero quorumcumque Beneficiorum hujusmodi tam maturati, et non exacti, quam ii, qui durante vacatione Beneficii praedicti, donec aliquis de eo ab eodem Praeceptore, seu Commendatario pro tempore existente provideri contingat, ad liberam dispositionem ejusdem moderni, et pro tempore existentis Praeceptoris, seu Commendatarii praedicti remaneant, qui de illis ad favorem, vel Archihospitalis praedicti, vel Ecclesiae, seu Domus, et Prioratus, aut Canonicorum disponere possit.

Statuit spolia Canonicorum defunctorum, dictosque fructus spectare ad Archihospitale arbitrio Praeceptoris erogantium:

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos

etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales etiam de latere Legatos, seu eorum Vicelegatos, et Sedis praedictae Nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 4. Martii 1749

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Martii 1749. Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passionei.

IV*

CONSTITUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV.

Qua octo Cappellaniae a quondam Fructuoso de Faria fundatae a Parochiali Ecclesia de Lordello de Ovro Portugallen. Dioecesis ad Insignem *Collegiatam Ecclesiam S. Martini de Cedofeyta* dictae Dioecesis transferuntur, inibique eriguntur, eidemque Collegiatae Ecclesiae reservantur una LXXX., et altera pensiones perpetuae CXX. ducatorum super aliis duabus Parochialibus Ecclesiis dictae Dioecesis in utilitatem praefatae Collegiatae ad arbitrium Ordinarii convertendae.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter innumeras quas incessanter pro universae Ecclesiae regimine substinere compellimur sollicitudines praecipuam non omittimus adhibere diligentiam, ut quae a probis Christifidelibus in divini Cultus amplitudinem irrevocabili inter vivos peracta dispositione, aut supremis eorum tabulis commendabiliter mandata, seu legata esse dignoscuntur sollicitum sortiantur effectum, et ibi debitae executioni demandentur ubi copiosius, atque accuratius expleri valeant. Insignes quoque Collegiatas Ecclesias peculiari Apostolicae benignitatis studio prosequimur, et quotiescumque convenire putamus in illis inservientium, divinasque laudes quotidie inibi persolventium numerum ad Dei gloriam, ejusque Sanctorum venerationem augemus, idque libentius peragendum ducimus si spectabilibus, et Episcopali Dignitate decoratis viris pergratum esse dignoscamus.

Cum itaque sicut accepimus quondam tunc in humanis agens Fructuosus de Faria Laicus in Dioecesi Portugallensi ortus, et in Civitate Sancti Sebastiani in Brasilia plurimum commoratus ibique vita functus suo ultimo per eum tunc condito sub quo ab humanis decessit testamento, seu alia pura, et irrevocabili per Eum inter vivos tunc facta dispositione inter caetera per eumdem Fructuosum tunc fieri demandata, quod in Parochiali Ecclesia S. Martini de Lordello de Ouro dictae Portugallensis Dioecesis intra cujus Parochialis Ecclesiae Parochiae limites ipse Fructuosus Deo ita disponente ortum habuerat ex suis mere laicalibus ad eum legitime spectantibus, et pertinentibus bonis octo Cappellaniae pro Presbyteris vitae, ac morum honestate commendabilibus, et primum ex sui ipsius Consanguineis, seu Affinibus, et postmodum ex dictae Parochialis Ecclesiae si adfuerint, sin minus ex aliarum illi magis vicinarum Parochialium Ecclesiarum Parochianis ab utriusque sexus Christifidelium in primodicta Parochiali, seu alia Civitatis, vel Dioecesis Portugallensis Ecclesia canonice erecta Confraternitate sub Invocatione Sanctissimi Sacramenti assumendis, seu nominandis, et a pro tempore existente Rectore primodictae Parochialis Ecclesiae ad dictas octo Cappellanias, ut infra instituendas admittendis, et ab eisdem Cappellanis non sine gravissima causa amovendis, qui una cum eodem primodictae Parochialis Ecclesiae Rectore uti eorum Praeside quotidie horas canonicas, aliaque divina Officia more Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum, nec non unam Conventualem quotidie feriatis videlicet lectam, et de praecepto Ecclesiae Festis diebus cantatam, ac aliam de Beata Maria Virgine cum ejus Litaniis singulis Sabathis juxta praefati Fructuosi, et ejus Uxoris mentem, et intentionem applicandas Missas, ac certis determinatis tempori-

bus pro fidelibus Defunctis processionem cum quibusdam precibus, et quotidie post Completorium certas Antiphonas, et Preces in Breviario Dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci contentas in ejusdem Beatae Mariae Virginis, et Sancti Rocchi Confessoris honorem, et demum in Octava Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Officium eorumdem Defunctorum cum tribus Nocturnis pro Fructuosi ejusque Uxoris hujusmodi Animabus celebrare, peragere, et recitare respective debeant, et teneantur fundarentur, et instituerentur, mandaverit, volueritque, quod eidem pro tempore existenti Rectori primodictae Parochialis Ecclesiae sexaginta, et cuilibet ex dictis octo Presbyteris octo Cappellanias, ut praefertur fundandas, et instituendas praedictas obtenturis quadraginta, ac dictae Confraternitati hostias, vinum, ceras, et Paramenta, ac indumenta Ecclesiastica in pium Opus praefatum tradere, et subministrare debenti, et tam uni, quam alteri ex duobus Clericis, seu Juvenibus de Choro nuncupatis in Divinis Officiis, aliisque praemissis inservituris quindecim respective scuta monetae Romanae annuatim persolvantur, atque duos Procuratores cum certis tunc expressis facultatibus pro dictae ejus piae dispositionis executione nominaverit, et deputaverit, ac unum, vel plures praemissorum Executorem, sive Executores constituerit, rogaveritque tunc, et pro tempore existentem Episcopum Portugallensem, ut curam, ac protectionem suae piae voluntatis hujusmodi gereret, caverit tamen expresse, ut fundatio Cappellaniarum hujusmodi si illa in primodicta Parochiali Ecclesia effici minime valuisset in aliqua ex aliis Parochialibus Ecclesiis primodictae Parochiali Ecclesiae vicinis, aut quatenus tamen etiam illa in Regno Portugalliae effici nequivisset in dicta Civitate Sancti Sebastiani in Brasilia praefata exequeretur.

Cumque sicut etiam accepimus fundatio Cappellaniarum hujusmodi in primodicta Parochiali Ecclesia, non solum quia illa Ruri sita existit, et mille, et quingentis passibus a Civitate Portugalliae distat, et ideo in ea disciplina Ecclesiastica servari minime valeret, nec tempore procedente reperirentur sufficientes, et idonei Presbyteri, qui ad primodictam Parochialem Ecclesiam deserviendam ob tenuitatem supradicti salarii a praedicto Fructuoso, ut praefertur praescripti sese conferrent, sed etiam aliis de causis nobis plene notis hactenus effici nequiverit; Propterea quae dilecti quoque Filii duo Procuratores a praedicto Fructuoso ad incumbendum effectuationi dictae ejus piae dispositionis descripti postquam ipsis per septem annos negotio hujusmodi incubuerant, animadvertentes piam fundationem praefatam in aliqua Collegiata Ecclesia multo melius effici posse, atque attendentes ad id opportunam fore saecularem, et Insignem Collegiatam Ecclesiam Sancti Martini Oppidi, seu Loci de Cedofeyta dictae Portugallensis Dioecesis, quae primodictae Parochiali Ecclesiae a praedicto Fructuoso pro ejus pia dispositione hujusmodi inibi exequenda primo loco, ut praefertur vocatae vicinior existit ubi nullus adest Cappellanus, et pauca quidem legata pia a pie Testantibus, seu Disponentibus relicta, seu fundata reperiuntur.

Ac Venerabilem Fratrem nostrum Josephum Mariam Fonseca ab Ebora modernum Episcopum Portugallensem Prioratum dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini Dignitatem inibi principalem existentem in Commendam ad sui vitam ex Apostolicis concessione, et dispositione nostris dudum obtinere, eumdemque Josephum Mariam Episcopum in praefata Collegiata Ecclesia Sancti Martini Ministrorum Ecclesiasticorum augumentum ad divinum in ea cultum ampliandum cupere praefato Josepho Mariae Episcopo piam fundationem praefatam pro dicta Collegiata Ecclesia Sancti Martini obtulerint, et idem Josephus Maria Episcopus oblationem per duos Procuratores praefatos sibi, ut praefertur factam acceptaverit, ac alias prout in praefati Fructuosi Testamento hujusmodi, aut alias super dicta ejus pia dispositione, nec non super oblatione, et acceptatione praefatis respective confectis scripturis plenius, et uberius continetur.

Nos igitur, qui ea, quae prudentum Virorum consilio in Ecclesiarum praesertim Insignium Collegiatarum commodum, atque utilitatem, et supremarum decorem Domus Dei respicientium dispositionum providum adimplementum mature concepta, atque ordinata esse noscuntur libenti animo probamus, ac Apostolicae nostrae beneficentiae accessione complectimur piam voluntatem ejusdem Fructuosi in praefata Collegiata Ecclesia Sancti Martini aliquando ad effectum redactam videre

cupientes, et Josephum Mariam Episcopum, ac duos Procuratores praefatos in meditato per eos opere hujusmodi Apostolici muniminis praesidio confovere, eosque, ac dilectos quoque Filios modernos Capitulum, et Canonicos dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini specialis gratiae favore prosequi volentes, et duos Procuratores, ac Capitulum, et Canonicos hujusmodi, eorumque singulares Personas ab Excommunicationis, et tam ipsos, quam praefatum Josephum Mariam Episcopum a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes.

Ac dicti Fructuosi Testamenti hujusmodi, aut super ejus dispositione praefata, nec non super dictis oblatione, et acceptatione confectarum scripturarum praefatarum tenores etiam veriores ac datas praesentibus pro expressis habentes Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, et ex praefatis causis nobis plene notis oblationem piae fundationis, et illius acceptationem per duos Procuratores, ac Josephum Mariam Episcopum praefatos respective, ut praefertur factas hujusmodi, omnesque, et singulos actus non tamen infrascripta concernentes hinc inde forsan minus valide secutos, etiam adversus quemcumque defectum, et quamvis exceptionem, qui, et quae contra illos, illorumque subsistentiam, et firmitatem quomodolibet, et quandocumque per quoscumque, et in quocumque Judicio, et coram quibusvis Personis etiam quacumque auctoritate, et dignitate praedictis objici posset Apostolica auctoritate earumdem tenore praesentium sanamus, et convalidamus.

Et piam fundationem praefatam a primodicta Parochiali Ecclesia ab eodem Fructuoso primo loco, ut praefertur vocata, abstrahentes, et ad praefatam Collegiatam Ecclesiam Sancti Martini transferentes in ea ex dictis bonis laicalibus ad eumdem Fructuosum, ut praefertur spectantibus, et in quibuscumque fundis, et etiam in numerata pecunia consistentibus, et ab eodem Fructuoso in opus hujusmodi relictis, seu assignatis, ac a praefato Josepho Maria Episcopo provida ratione distribuendis octo Cappellanias pro octo Presbyteris, ut praefertur juxta mentem, et intentionem dicti Fructuosi, quae deinceps semper, et perpetuo servari debeant debite qualificatis, et ex gravissima tantum causa, ut praefertur amovibilibus futuris in praefata Collegiata Ecclesia Sancti Martini Cappellanis, qui apud illam personaliter residere, ac in ea singulis diebus una cum praefatis modernis, et pro tempore existentibus illius Capitulo, et Canonicis horas Canonicas, tam diurnas, quam nocturnas, aliaque divina Officia collegialiter, ac cum debita mentis attentione, servataque Ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, divinisque Officiis tam diurnis, quam nocturnis interesse, ac alias eidem Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini in divinis laudabiliter juxta illius consuetudines deservire, necnon Missas, preces, et caeteras functiones a dicto Fructuoso, ut praefertur praescriptas praefatas, et juxta infrascriptam providam dicti Josephi Mariae Episcopi interpretationem exequendas etiam respective celebrare, recitare, et peragere respective debeant, et teneantur auctoritate, et tenore praemissis perpetuo erigimus, et instituimus.

Ac ut illis sic erectis, et institutis conveniens Dos, et eas pro tempore respective obtinentibus pro illorum decenti substentatione, ac onerum illis respective incumbentium supportatione sufficiens assignatio reddituum constituantur eidem Josepho Mariae Episcopo, quod Ipse ex dictis bonis a praefato Fructuoso, ut praefertur in pium opus hujusmodi relictis, et in certis fundis jam existentibus, aut deinceps ex numerata pecunia ab eodem Fructuoso in causam praefatam legata emendis, et acquirendis, aut alias juxta providum praefati Josephi Mariae Episcopi arbitrium etiam ex una, et altera Pensionibus per Nos ut infra reservandis, seu ex illarum ratis eisdem futuris octo Cappellanis congrua annua praestatio perpetuis futuris temporibus duratura, ac ab omnibus, et quibuscumque oneribus quomodolibet nuncupatis in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia libera immunis, et exempta certorum fructuum, reddituum, et proventuum ad convenientem quantitatem quae tamen minor assignatione a praefato Fructuoso favore dictorum futurorum Cappellanorum, ut praefertur praescripta esse nequeat ascendentium Annis singulis incertis terminis, et sub cautio-

nibus per dictum Josephum Mariam Episcopum juxta ejus providam dispositionem statuendis, et declarandis persolvenda, ita quod liceat praefatis futuris octo Cappellanis annuae praestationis per dictum Josephum Mariam Episcopum, ut infra applicandae hujusmodi veram, realem, et actualem possessionem per eos, vel alium, seu alios dictarum octo Cappellaniarum per Nos, ut praefertur erectarum nomine propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, ac in eorum respective usum, et utilitatem cum hoc tamen, quod praestationis annuae hujusmodi saltem tertia pars in usum distributionum quotidianarum a futuris octo Cappellanis praefatis horis canonicis, aliisque divinis Officiis hujusmodi in dicta Collegiata Ecclesia Sancti Martini interessentibus juxta illorum interessentiam participandarum convertatur, et in usum hujusmodi semper stare debeat, ita quod distributionum quotidianarum hujusmodi non interessentium portiones praesentibus, ac interessentibus, infirmitatis, aut alio legitimo impedimento cessante accrescant, et ipso Jure auctoritate censeantur convertere cujusvis licentia minime requisita perpetuo applicet, et appropriet motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus Apostolica auctoritate praefata praecipimus, et mandamus.

Et insuper nedum praefatae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini prodesse studemus aliquod forte irrepat incommodum in praejudicium Ecclesiasticarum functionum inibi hucusque peragi solitarum utque omnes uni eidemque Ecclesiae inservientes concordem Deo praestent famulatum eidem Josepho Mariae Episcopo dispositionem dicti Fructuosi fundationem octo Cappellaniarum praefatarum, ut praefertur concernentem hujusmodi ad hoc, ut illa quantum fieri poterit consuetudinibus, ac usibus praefatae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini concilietur, et conformetur provide, et accurate examinandi, declarandi, et interpretandi plenam, et omnimodam facultatem, et auctoritatem eadem Apostolica auctoritate tribuimus, concedimus, et impartimur.

Praeterea ad majorem praemissorum omnium cautionem eamdem Collegiatam Ecclesiam Sancti Martini primodictae Parochiali Ecclesiae, et dictum Josephum Mariam modernum, et pro tempore existentem Episcopum Portugallensem praefatae Confraternitati, nec non eumdem Josephum Mariam Episcopum uti modernum praefatae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini Priorem Commendatarium, ejusque Successores Prioratum praefatum pro tempore quomodolibet obtinentes nunc, et pro tempore existenti Rectori primodictae Parochialis Ecclesiae in omnibus, et singulis Juribus, et ad omnia, et singula Jura, quae vigore dictae dispositionis per praefatum Fructuosum, ut praefertur factae quoad fundationem octo Cappellaniarum hujusmodi, et ad illas pro tempore vacantes Personarum, ut praefertur qualificatarum nominationem, seu praesentationem, ac quoad praefatorum futurorum octo Cappellanorum praesidentiam, et superioritatem ad primodictam Parochialem Ecclesiam, et illius Rectorem nunc, et pro tempore existentem, ac Confraternitatem hujusmodi respective spectant, et pertinent perinde, ac si dicta Collegiata Ecclesia Santi Martini, ac Josephus Maria modernus, et pro tempore existens Episcopus Portugallensis, idemque Josephus Maria Episcopus uti modernus praefatae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini Prior Commendatarius, ejusque Successores dictum Prioratum pro tempore quomodolibet obtinentes praefati, et non primodicta Parochialis Ecclesia, illiusque nunc, et pro tempore existens Rector, ac Confraternitas hujusmodi ab eodem Fructuoso respective ad jura praefata vocati, et nominati fuissent eadem Apostolica auctoritate etiam perpetuo substituimus, et subrogamus.

Demum ut in dicta Collegiata Sancti Martini Ministrorum si videbitur augumento, aut illius Canonicatuum, et Praebendarum fructuum, reddituum, et proventuum tenuitati, ac Choro, et Sacrario, dictisque futuris octo Cappellanis suppleri, ac de opportuno subventionis auxilio provideri valeat, prout eidem Josepho Mariae Episcopo in Domino visum fuerit ex nunc, prout ex tunc, et e contra cum primum una Sancti Joannis de Madeyra Toparchiae, vulgo de Feyra dictae Portugallensis Dioecesis, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio, seu praesentatio Personae idoneae in ea ad nominationem, seu praesentationem hujusmodi per Ordinarium Loci, aut alias instituendae ad pro tempore existentes Moniales cujusdam Monasterii Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis Portugallensis, seu alterius Civitatis, vel Dioecesis cessantibus tamen reservationibus, et affectionibus Apostolicis spectat, et pertinet cu-

jus tercentum sexaginta una vero cum incertis tercentum octoginta duorum, et altera Parochiales Ecclesiae Abbatiae, aut alias respective nuncupatae Sanctissimi Salvatoris de Lordello Toparchiae, vulgo de Penafiel praefatae Portugallensis Dioecesis, cujus etiam una cum incertis sexcentum ducatorum Auri de Camera respective fructus, redditus, et proventus secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus non excedunt per cessum etiam ex causa permutationis etiam in nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem illarum modernorum Rectorum Abbatum, aut alias respective nuncupatorum, ac cujuslibet eorum, aut alias quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam ex quocumque Decreto vacationis, seu cessationis cujuscumque Juris Apostolica auctoritate praefata in provisionibus de aliis Beneficiis Ecclesiasticis uni, et alteri Rectoribus praefatis, et eorum cuilibet eadem Apostolica auctoritate factis quomodolibet apponendo, seu tunc apposito vacaverint, et qualibet earum vacaverit eidem Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini unam octoginta super Sancti Joannis, et alteram Pensiones annuas perpetuis futuris temporibus duraturas, easque ab omnibus, et singulis oneribus Ordinariis, et Extraordinariis quomodolibet nuncupatis etiam Apostolica auctoritate praefata, ac Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus etiam consistorialiter, et ex quavis urgenti urgentissima, et de necessitate Juris, vel Facti exprimenda causa etiam pro reparatione, et fabrica Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cruciata Sancta, et expeditione contra Turchas, Haereticos, et alios Infideles etiam ad Imperatores Regum Reginarum Rerum publicarum, et aliorum quorumcumque Principum instantiam intuitum, et contemplationem etiam ad favorem Seminariorum Puerorum Ecclesiasticorum, aut alias nunc impositis, et pro tempore quomodolibet imponendis, ac alias in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia liberas, immunes, et exemptas centum viginti Ducatorum Auri de Camera hujusmodi super Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum praefatarum respective omnibus, et singulis fructibus, redditibus, et proventibus certis, et incertis in quacumque de re consistentibus, ac undecumque quomodocumque, et qualitercumque provenientibus, et quoad Sancti Joannis ad tercentum octoginta duos, et quo ad Sanctissimi Salvatoris Parochiales Ecclesias hujusmodi ad sexcentum Ducatos Auri pares etiam una cum illarum respective incertis, ut praefertur ascendentibus eidem Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini, et pro ea illius Procuratori legitimo, aut Æconomo, seu Administratori, vel Deputato pro tempore existenti per Sancti Joannis, et Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum praefatarum Rectores pro tempore existentes unam, et alteram Parochiales Ecclesias hujusmodi etiam pro tempore quomodolibet obtinentes annis singulis incertis loco, et terminis inter Collegiatae Ecclesiae S. Martini Procuratorem, aut Æconomum, seu Administratorem, vel Deputatum hujusmodi, et Sancti Joannis, ac Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum Rectores respective tunc existentes statuendis vigore tamen earumdem praesentium, nec alias alioquin praesens reservatio nulla sit eo ipso integre respective persolvendas, ac juxta providam dicti Josephi Mariae Episcopi administrationem, ejusque prudens arbitrium in dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini, illiusque Ministrorum augumentum, aut ejus Canonicatuum, et Praebendarum fructuum, reddituum, et proventuum incrementum, seu Chori, et Sacrarii, ac futurorum Cappellanorum hujusmodi commodum, et utilitatem convertendas Apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo reservamus, constituimus, et assignamus.

Decernentes Sancti Joannis, et Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum Rectores pro tempore existentes hujusmodi ad integram solutionem unius, et alterius Pensionum per praesentes, ut praefertur reservatarum praefatarum dictae Collegiatae Ecclesiae S. Martini perpetuo faciendam juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praefatarum tenorem fore efficaciter obligatos.

Ac volentes, et eadem auctoritate statuentes, quod ille ex Sancti Joannis, et Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum Rectoribus pro tempore existentibus praefatis, qui respective in dictis terminis, vel saltem infra triginta dies illorum singulos immediate sequentes unam, et alteram Pensiones per praesentes, ut praefertur reservatas praefatas

per eos dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini tunc respective debitas non persolverit cum effectu lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat, a qua donec dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini, vel eidem Procuratori, aut Æconomo, seu Administratori, vel Deputato hujusmodi de una, et altera pensionibus per praesentes, ut praefertur reservatis praefatis eidem Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini tunc debita integre satisfactum, aut alias cum dicta Collegiata Ecclesia Sancti Martini, vel cum Procuratore, aut Æconomo, seu Administratore, vel Deputato praefato super hoc amicabiliter concordatum fuerit praeterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium nequeat obtinere.

Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, substinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem, Sancti Joannis, aut Sanctissimi Salvatoris Parochialibus Ecclesiis praefatis respective perpetuo privatus existat, illarumque una, aut altera respective vacare censeantur eo ipso.

Praesentes quoque literas, et in eis contenta, et expressa quaecumque ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa emanarunt coram Nobis, vel alibi adductae, verificatae, et justificatae, ac primodictae Parochialis Ecclesiae Rector praefatus, dictaeque Confraternitatis dilecti etiam Filii Confratres, et Officiales, necnon duo Procuratores ab eodem Fructuoso, ut praefertur deputati, ac dilectae in Christo Filiae Abbatissa, seu Priorissa, et Moniales Monasterii hujusmodi, ac quicumque alii in praemissis, et circa ea interesse forsan quomodolibet habentes, seu habere praetendentes ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, ac consensum suum eisdem praemissis non praestiterint, aut alio quantumvis substantiali, et formali defectu etiam in corpore Juris clauso notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus, vel controversiam vocari, ad viam, et terminos Juris reduci, aut adversus illas quodcumque Juris, vel Facti, aut gratiae remedium, vel oris aperitionem impetrari neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per quascumque Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae nostrae Apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum Assumptionis Nostrae, et Successorum Nostrorum ad Summi Apostolatus apicem, vel alias sub quibuscumque tenoribus, et formis editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties ille emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per Episcopum Portugallensem, ac Priorem, et Capitulum, et Canonicos dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini, futurosque octo Cappellanos hujusmodi pro tempore existentes, et eorum quemlibet quandocumque eligenda concessas, et validas, et efficaces fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus in omnibus, et per omnia sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, prerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri, et interpretari debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus irritum, et inane decernimus.

Quo circa dilectis Filiis Causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori, ac Decano, et antiquiori Canonico Ecclesiae Portugallensis motu simili per Apostolica scripta mandamus quatenus Ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra unam, et alteram pensiones per praesentes, ut praefertur reservatas praefatas eidem Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini, vel Procuratori, aut Æconomo, seu Administratori, vel Deputato hujusmodi juxta reservationis, constitutionis, assignationis, ac decreti praefatorum continentiam, et tenores

integre perpetuo persolvi, et nihilominus quemlibet ex Sancti Joannis, ac Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum Rectoribus pro tempore existentibus praefatis, quem hujusmodi excommunicationis sententiam incurrisse eis constiterit quoties super hoc pro parte dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini fuerint requisiti tamdiu Dominicis, et aliis festivis diebus in Ecclesiis dum major inibi Populi multitudo ad divina convenerit excommunicatum publice nuncient, et faciant ab aliis nunciari, et ab omnibus arctius evitari, donec Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini, vel Procuratori, aut Œconomo, seu Administratori, vel Deputato hujusmodi de una, et altera Pensionibus per praesentes, ut praefertur reservatis hujusmodi dictae Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini tunc debita, fuerit integre satisfactum, Ipseque Excommunicatus ab hujusmodi Excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere, Contradictores per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo.

Non obstantibus praefata fundatione dicti Fructuosi, illiusque ultima voluntate, et quatenus opus sit Nostris, et Cancellariae praefatae regulis » de jure quaesito non tollendo, et de praestando consensu in Pensionibus, ac de exprimendo vero annuo valore in dismembrationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum, et de eisdem dismembrationibus committendis ad Partes vocatis quorum interest, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a Jure permissis fieri prohibentis, nec non felicis recordationis Benedicti Papae XIII. Praedecessoris nostri Pensiones annuas super fructibus, redditibus, et proventibus Parochialium Ecclesiarum reservari prohibentis, aliisque Apostolicis etiam in Synodalibus Provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, dictaeque Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, et Literis Apostolicis quibusvis Personis etiam in contrarium praemissorum specialiter, vel generaliter, ac etiam pluries concessis approbatis, et innovatis quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil poenitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Aut si Sancti Joannis, et Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum Rectoribus pro tempore existentibus hujusmodi, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem sit sede indultum quod ad praestationem, vel solutionem Pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Et quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis, indultis, et Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant perque praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibuscumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Literis mentio specialis.

Volumus autem quod una sexaginta super Sancti Joannis, et altera Pensiones annuae biscentum scutorum monetae ad rationem Juliorum decem pro quolibet scuto hujusmodi super Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum praefatarum respective fructibus, redditibus, et proventibus hactenus in Dataria nostra Apostolica pro Personis per Romanum Pontificem pro tempore existentem quandocumque nominandis dicta Apostolica auctoritate reservari solitae, firmae, et illesae remaneant, et imposterum, ut antea pro Personis nominandis hujusmodi Apostolica auctoritate praefata reserventur perinde ac si una octoginta super Sancti Joannis, et altera Pensiones annuae perpetuae praefatae centum viginti Ducatorum auri parium super Sanctissimi Salvatoris Parochialium Ecclesiarum praefatarum respective fructibus, redditibus, et

proventibus hujusmodi per Nos minime reservatae fuissent.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, sanationis, convalidationis, erectionis, institutionis, praecepti mandati, concessionis, impartitionis, substitutionis, subrogationis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, statuti derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrahire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo octavo Nono Kalendas Aprilis pontificatus Nostri anno nono.

Loco ✠ Plumbi.

V.

DE INDULTIS

S. R. E. Cardinalibus testandi, et disponendi de Sacris Supellectilibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUM SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

xordium.

Inter arduas Apostolici Ministerii Nostri curas, sicuti Nos oportet, non modo Patrem in abscondito orantes, sed publicis etiam Ecclesiae officiis, sacrisque conventibus praesidentes, Divinam opem sine intermissione implorare; ita Nos decet Pontificii Sacelli, in quo pleraque hujusmodi officia per annum solemniter peraguntur, splendori, et cultui prospicere, ejusque rationibus, juribusque tuendis, debitum providentiae studium impendere.

ard. Accoamboni sacram proprii Sacelli Supellectilem rivato Oratorio Agnati ui legaveat.

§. 1. In ultimo, cum quo decessit, testamento bon. mem. Joseph S. R. E. Cardinalis Accoramboni nuncupatus, Sacelli sui domestici vasa argentea auro obducta, una cum reliqua sacra Supellectile, reliquit in usum similis Sacelli, quod ab Ignatio Accoramboni agnato in suis Ædibus Spoleti constituendum mandavit. Sed contendentibus Camerae Nostrae Apostolicae Ministris, invalidam hac in parte fuisse dicti Cardinalis dispositionem; et praedictam argenteam, aliamque supellectilem sacram, Pontificio Nostro Sacello adjudicari postulantibus; eaque controversia delata ad Tribunal Dilecti Filii Thesaurarii Nostri Generalis; hujus Auditor, omnibus attente perpensis, sententiam pro Nostro Pontificio Sacello pronunciavit. A qua sententia quum Dilectus etiam Filius Philippus Accoramboni praefati Cardinalis haeres ad plenam Cameram appellasset, visum est Nobis universum Collegium Clericorum Praesidentium, aliorumque Officialium praefatae Camerae, quo die Causam hanc dijudicaturi erant, coram Nobis convocare; idque eo libentius fecimus, quod, quum omnia fere Curiae Nostrae Tribunalia, per hos transactos Pontificatus Nostri annos, praesentia Nostra decoraverimus, nondum id erga illustre istud Officialium, et Judicum Apostolicae Sedis Collegium praestiteramus. Itaque indicto coram Nobis die XII. mensis Janu. anni Domini MDCCXLVIII. Camerae plenae consensu, et partium rationibus per singulos Clericos in eadem suffragium ferentes, diligenter discussis, totius Collegii consensione Decretum prodiit: *Mandatum Domini Thesaurarii esse exequendum, et sententiam confirmandam, juxta modum a Sanctitate Sua declarandum quoad Candelabra, et Supellectilia excepta in Bulla Urbani VIII.*, quod ubi approbatione Nostra confirmatum fuit, mandavimus, ut universa domestici Sacelli praedicti Cardinalis Supellex, *Exceptis Candelabris, Malluviis, et Gutturniis*, Bacili, et Bocali *vulgo nuncupatis*, quae quidem haeredi reliquimus, in Pontificii Sacelli Nostri Sacrarium inferretur.

Sed Ministris Camerae Apostolicae illam pro Sacello Pontificio repetentibus.

Sententia secundum eos fertur.

Causa discutitur in plena Camera coram Sanctissimo.

Resolutio priori Sententiae conformis juxta modum a Pontifice declarandum.

Mandatum, et declaratio Pontificis.

§. 2. Hujus Resolutionis fundamentum agnitum fuit in fel. record. Praedecessoris Nostri Urbani Papae VIII. Constitutione CLXVI., quae incipit: *Æquum est*, in qua alterius Praedecessoris Clementis Papae VII. Constitutionem renovans, omniaque et singula indulta disponendi de sacra domesticorum Oratoriorum supellectile, S. R. E. Cardinalibus alias concessa, abrogans, decrevit, et statuit, ut sequitur: *Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, etiam ipsam Constitutionem Clementis Praedecessoris hujusmodi innovantes, et ampliantes, quod de caetero perpetuis futuris temporibus praefata omnia, et singula Mitrae, Pluvialia, Tunicellae, aliaque or-*

Resolutionis ratio desumitur ex Constitut. Urb. VIII.

namenta, et vestimenta, ac Calices, Patenae, Vasa etiam aurea, et argentea, aliaeque res, et utensilia quomodolibet nuncupata, praesertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. Cardinales nunc et pro tempore existentes, etiam praefatam, seu quamcumque aliam similem, vel dissimilem facultatem Apostolicam de illis disponendi, ac ad haeredes etiam ab intestato transmittendi, ut praemittitur, habentes, non solum in Cappella Pontificis, seu Processionibus, caeremoniis, et aliis functionibus Pontificiis praefatis, sed etiam in eorum Cappellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, ad Sacristiam praefatam ipso jure spectent et pertineant, et ad illam deferri, illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum Cardinalium, excepta una Tunicella pro quolibet Cardinale Diacono, et una Planeta pro quolibet Cardinale Presbytero, ac uno Pluviale pro quolibet Cardinale Episcopo, ac exceptis Candelabris, ac Malluviis, et Gutturniis, Bacili, et Bocali *vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis, hac perpetua valitura Constitutione Nostra statuimus, et ordinamus.*

Julius III. jamdudum Cappellae Apostolicae affecta declaravit Paramenta Sacra Cardinalium.

§. 3. Qua quidem lata lege, Pontificii Sacelli Sacrarii antiqua redintegravit jura, quae jamdudum fel. rec. Praedecessor pariter Noster Julius Papa III. in sua Constitutione VII., cujus initium est: *Cum sicut*, his verba asseruerat: *Hujusmodi paramenta, ac ornamenta Cappellae ipsorum Cardinalium, quae jam tanto tempore, quod ejus initii hominum memoria non habetur, Cappellae Apostolicae, in qua Missae Papales celebrantur, devolvi consueverunt.* Id autem ad eam aetatem probabiliter referri potest, qua primum coeperunt Ecclesiastica Officia solemni, et publico ritu in Pontificii Palatii Sacellis persolvi, ex quo scilicet Romani Pontifices Avenione in Urbem reduces fuerunt. Non quod antea quoque in Apostolicis Ædibus Laterani, Oratoria, et Sacella minime existerent; sed quod in ipsis Sacri Conventus non haberentur, qui publice fieri solebant in Urbis Ecclesiis, et Basilicis, ad quas Stationes pro tempore indicebantur, ut ex Sancti Gregorii Homiliis in variis ipsius Urbis Ecclesiis habitis, et ex vetustis Ordinibus Romanis colligitur. Id autem quum in Avenionensi Civitate perfici minime potuisset, idcirco ibi in Apostolico Palatio Sacella ad Pontificalium solemnitatum usum erecta fuerunt; idque in causa fuit, ut Romae quoque post Pontificum reversionem, magnifica in Apostolicis Palatiis Sacella extruerentur, in quibus pleraeque functiones peragerentur, quae antequam Pontifices Avenione Sedem figerent, ut supra dictum est, publice in Basilicis, aliisque Urbis Ecclesiis fieri consueverant.

Olim Cappellae Pontificiae habebantur in Urbis Basilicis, et Stationum Ecclesiis.

Sacella in Palatio Apostolico ad Pontificalium usum Aven. primum deinde Romae erecta fuerunt.

§. 4. Et sane in Ordine Romano, quem edidit Jacobus olim Sancti Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Cajetanus, qui Cardinalitiam Dignitatem a Bonifacio Papa VIII. Patruo suo accepit, nec verbum quidem legitur de Solemnitatibus in Pontificii Palatii Sacello habitis antequam Pontifices Avenionem migrarent. Contra vero in altero Ordine Romano, quem scripsit Petrus Amelius, postquam Pontifices Romam redierant, de Praedecessore Nostro Bonifacio IX. narratur, quod Beatae Birgittae Viduae Canonizationem in Palatii Sacello peregerit, propterea quod ea nocte, quae designatam hujusmodi Solemnitati diem praecessit, gravi morbo correptus fuisset non sine mortis periculo; a quo tamen ipsius Beatae intercessione liberatus, sequenti die in Basilica Vaticana ritu solemni Missam celebravit. Praeterea in Coeremoniali Augustini Piccolominei quondam Episcopi Pientini, quem sub auspiciis Leonis Papae X. Christophorus Marcellus tanquam suum opus edidit, ubi de Dominica prima Adventus, aliisque per anni cursum solemnitatibus agitur, saepe quidem Ecclesia, at saepe etiam Sacellum, seu Cappella memoratur: Et quamvis recol. mem. Praedecessor Noster Sixtus Papa V. in sua Constitutione XXII., quae incipit: *Egregia Populi Romani*, antiquam Consuetudinem quoad Functiones Pontificales in Basilicis, et Ecclesiis per Urbem celebrandas, in pristinum restituere volens, statos dies, certasque Ecclesias pro uniuscujusque solemnitatis celebritate designasset; nihilominus usus invaluit, ut pleraeque ex ipsis in Apostolicarum Ædium Sacellis peragantur.

Id probatur ex Ordinibus Romanis diversis temporibus editis.

Sixti V. consilium de restituendis Stationum celebritatibus contrariae consuetudini cedit.

§. 5. Porro jus istud, quo Cappella Apostolica a tanto jam tempore, ut praefertur, gaudere dignoscitur, et quidem ratione functionum, quae in ea ab ipsis S. R. E. Cardinalibus, vel saltem cum eorum assistentia peraguntur, quaeque continuum sacrae Supellectilis usum requirunt; quodque, ut superius etiam demonstravimus, a Praedecessore Nostro Urb. Papa VIII. speciali Constitutione assertum, et confirmatum fuit; non ita labe-

Positis juribus Sacelli Pontificii non potuit Cardinalis Accorambonus, vigore Indulti personalis, sacram Supellectilem privatae Cappellae legare.

factari visum est, in casu, de quo agebatur, per Indultum a fel. record. Benedicto Papa XIII. per Literas in forma Brevis concessum praedicto Josepho Cardinali, ut harum Literarum vigore potuerit hic praefatam Cappellae suae Supellectilem domestico haeredis Oratorio legare.

Immo idi-sum Indul-o vigorem demit, et Urbani le-em in in-egrum resti-uit.

§. 6. Quamvis enim in hujusmodi Literis praefatae Urb. VIII. Constitutioni expresse fuerit derogatum, eidemque Cardinali plena, et ampla concessa sit facultas testandi, et disponendi de omnibus, et singulis Mitris, Pluvialibus, Planetis, Tunicellis, aliisque ornamentis, et vestimentis Ecclesiasticis, et aliis rebus, et utensilibus Divino cultui dicatis, seu destinatis, aureis, seu inauratis, tam privatae Cappellae ipsius Cardinalis, quam iis, quibus in Cappellis, Coeremoniis, Processionibus, et aliis Functionibus Pontificiis usus fuisset; Cum tamen idem Cardinalis de praemissis non disposuerit juxta formam in praefato Indulto praescriptam, praedicta Urbani VIII. Constitutio suam vim, auctoritatemque recuperat, et in illius sequelam, jure meritoque judicatum, rescriptumque fuit, ut supra narravimus.

Indultum nim for-am dispo-endi pre-r pait favo-e Cappellae ublicae.

§. 7. Quod autem praedictus Cardinalis de sacra Oratorii sui supellectile ad formam Indulti non disposuerit, in dubium minime revocatum est. Etenim quum in relatis Benedicti Praedecessoris Literis ea conditio expresse apposita legatur: *Dummodo tamen de illis in favorem alicujus Ecclesiae, seu Cappellae, vel Locii Pii, arbitrio tuo disponas*: Quumque Cardinalis Accorambonus de praemissis omnibus disposuerit in favorem Cappellae Spoleti in suis Ædibus erigendae; clarum est, servatam ab eo non fuisse formam in Pontificio Indulto sibi praescriptam. Nec enim ullius momenti, ad casum, de quo agitur, reputata fuit quaestio, quae inter Partium defensores agitabatur, an scilicet ea Loca, quae in privatis Domibus ad Sancti Sacrificii celebrationem destinantur, *Cappellae* nomine, vel potius *Oratorii* appellanda sint; aut, etiamsi *Cappellae* nuncupari possint, an saltem ad aliquam distinctionem statuendam inter eas, aliasque Cappellas, quae in publicis Ecclesiis erectae sunt, et Altaria lateralia continent, *Cappellae privatae* appellari debeant. Nam si advertatur, *Cappellae* nomen in praecitato Brevi medium tenere locum inter *Ecclesiam*, et *Locum Pium*, quae sane nomina ad publica dumtaxat loca referri possunt; ait siquidem Breve in loco supra relato: *In favorem alicujus Ecclesiae, seu Cappellae, vel Loci Pii, arbitrio tuo disponas*; facile erit exinde inferre, Pontificem id intelligi voluisse non de Cappella privata in domesticis ipsius Cardinalis Ædibus extructa, vel extruenda, sed de publica Cappella intra alicujus Ecclesiae ambitum constituta. Eoque magis id rationi consonum apparet, quod quum praefatis Praedecessoribus Nostris, in suis Constitutionibus pro Sacello Pontificio editis, propositum sit, non solum Cameram Apostolicam a tot, tantisque expensis pro ipsius Sacelli apparatu necessariis aliqua ex parte sublevare; verum etiam aliquem justum modum imponere privilegio, quod S. R. E. Cardinalibus concedi consuevit, de bonis etiam ex Ecclesiasticis proventibus acquisitis, in favorem propinquorum testandi, et disponendi; quo scilicet, si ex Cardinalium testamentis reliqua eorum bona ad propinquos deferantur (quemadmodum de bonis praefati Cardinalis evenisse dignoscitur), sacra saltem vasa, atque ornamenta, vel juxta praescriptum Constitutionum generalium, ad Pontificiae Cappellae Sacrarium devolvantur, vel juxta Indultorum formam, in alicujus Ecclesiae, seu Cappellae, vel Loci Pii beneficium cedant: porro si Indulta hujusmodi etiam de Cappellis privatis, quae in Haeredum Domibus sunt, intelligi deberent, provida Pontificum mens, optato fraudaretur effectu; quum satis constet in diem contingere, ut Ædium Domini hujusmodi domestica Oratoria in usum propriae habitationis convertant; eorumdem vero sacra supellex, jure dominii, quod Haeredes liberum in eam exercent, saepe venalis fiat, ac, dummodo ejus aestimatio ratione benedictionis, aut consecrationis non augeatur, illius pretium libere et licite in Dominorum commodum redigatur.

Quod ita se probant ea indulti rba.

Et ratio suadet:

§. 8. Frustra vero praefati Testamenti Defensores replicabant, Cardinalem haeredem promptum et paratum esse ad publicam Cappellam, sive Oratorium publicum construendum prope domesticas suas Ædes: idque ipsi negari non posse contendebant, propterea quod laudatum Benedicti Praedecessoris Indultum, non ipsi solum Cardinali facultatem tribuerat ita de praemissis testandi et disponendi, sed etiam *illa ad haeredes suos, si ipsum intestatum mori contingeret, transmittendi, dummodo tamen*

Irritum quoque remansit privilegium transmittendi ad Haeredes, ut hi favore Cappellae publicae disponerent.

de illis in favorem alicujus Ecclesiae, seu Cappellae, vel Loci Pii, vel ipse arbitrio suo disponeret, vel ipsius haeredes, et successores, quatenus ipse ab intestato decederet, disponeretur, ut in iisdem legitur. Praetermissis enim aliis responsionibus, visum est, ipsius Cardinalis Testamentum, quo de Cappellae suae supellectili, ut praefertur, disposuit, praetensam haeredis facultatem ex Indulti Literis desumptam, penitus de medio sustulisse. Haec siquidem facultas in Literis ipsis Haeredi concessa erat, pro eo casu dumtaxat, quo Cardinalis ipse nihil disposuisset: *si te intestatum mori contigerit etc. quatenus ab intestato decedas etc.*: sed alium casum sane non respiciebat, quo scilicet idem Cardinalis testamentariam dispositionem exarasset, at Pontificio Indulto minime conformem; fuit illa, quam hactenus examinavimus, quaeque causam dedit, ut Urbani Lex pro Pontificio Sacello dudum statuta, vim suam resumpsisse censeretur.

Nam illud obtineret dumtaxat, si nihil a Cardinali dispositum fuisset.

§. 9. His potissimum fundamentis quum innixum fuerit Rescriptum a plena Camerâ coram Nobis dicta die congregata editum, Nos illud, iisdem de causis, jam tunc approbatione nostra ratum fecimus; et nunc tenore praesentium, et Apostolicae auctoritatis plenitudine, confirmamus et roboramus. In quo non id Nobis propositum est, ut quidquam detrahamus legitimis Privilegiis, quae Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, non solum propter conspicuam eorum Dignitatem, sed etiam propter gravissimos labores, quos pro Apostolica hac Sancta Sede assidue sustinent, jure ac merito concessa dignoscuntur; quum etiam Nos ipsi Praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, similia Indulta disponendi de sacris supellectilibus libenter concesserimus iis, quos ad Cardinalitiam dignitatem assumpsimus; sed eo dumtaxat spectamus, ut conditiones, quae in eorum Indultis provide apponuntur, suum debitum sortiantur effectum; ipsique, si concessis facultatibus uti voluerint, de sacris hujusmodi supellectilibus erga Ecclesias, seu Cappellas publicas, aut Loca Pia, benefici sint. Quod ubi in animum induxerint, Nos sane, salva Privilegiorum ipsis concessorum amplitudine, et per modum consilii, ab aequitatis tamen ratione, ut Nobis videtur, minime sejuncti, eosdem vehementer hortamur, ut eas potissimum Ecclesias prae oculis habeant, quas, sive Metropolitanas, sive Cathedrales, sive Abbatiales, aut ad Ecclesiastica ipsorum Beneficia spectantes, gubernaverint, et obtinuerint; quas quidem Ecclesias beatae memoriae Praedecessor Noster S. Pius Papa V. in hoc rerum genere tam amplo Privilegio donavit, ut in sua Constit. XXXXII., quae incipit: *Romani Pontificis*, decreverit, et declaraverit, quaecumque ornamenta, paramenta, vasa, et alia utensilia sacra, ad usum, et Cultum Divinum in privatis Cappellis, et Oratoriis Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiastica Beneficia obtinentium alias destinata, sub appellatione Spoliorum Camerae Apostolicae deditorum minime venire debere, nec etiam sub quibusvis testandi facultatibus, et Indultis comprehendit; sed ad singulas Ecclesias, Monasteria, et Beneficia, in quibus praedicti resederint, aut quibus praefuerint, seu quae alias obtinuerint, omnino spectare, et pertinere. Tum etiam pari ratione iisdem commendamus Ecclesias illas, quarum titulum ac Regimen in ipso Cardinalatus ordine obtinuerint, quae etiam in Sancta Synodo Lateranensi V. impense ipsis commendatae fuerunt, ut videre est in Cap. II. Bullae super Reformatione Curiae a rec. mem. Praedecessore pariter Nostro Leone Papa X. in ipsius Synodi sessione IX. promulgatae.

Pontifex itaque plenae Camerae rescriptum confirmat.

Neque per id Cardinalium Indultis quidquam detrahitur, sed eorum vera interpretatio traditur.

Adhortatio ad Cardinales circa sacrorum Vasorum, et supellectilium dispositiones desumpta ex praescripto Constitutionis 42. Sancti Pii V.

Item ex Concilio Lateranensi V.

§. 10. Volumus autem praesentes Literas, in dicta Camera, ejusque Libris, ad formam Constitutionis rec. mem. Praedecessoris quoque Nostri Pii Papae IV. de registrandis, admittendas, et registrandas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod dictus Philippus, et forsan alii desuper interesse habentes, seu habere praetendentes illis non consenserint, aut non sufficienter auditos se fuisse contendant, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu, etiam substantiali, aut ex alio quovis capite, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata, notari, impugnari, invalidari, et retractari posse, sed ipsas praesentes Literas semper validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Sacrario Sacelli Nostri plenissime suffragari.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 11. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Au-

Aliter judicari prohibetur.

ditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium, et alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon dictae Camerae Praesidentes Clericos, aliosque Officiales, nunc, et pro tempore existentes, in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariis.

§. 12. Non obstantibus praemissis, et praesertim praedicta lite, seu controversia hujusmodi, cujus statum, et merita, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi, illamque penitus, et omnino extinctam esse, et fore etiam decernimus; Necnon, quatenus opus sit, nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, et quibusvis usibus, et consuetudinibus, et actibus, ex interpretatione Indultorum S. R. E. Cardinalibus praedictis super facultate de bonis, et rebus propriis testandi, nec non illa, et alias ad haeredes ab intestato transmittendi concessorum, in contrarium praemissorum forsan introductis et gestis; Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegio, ac Ecclesiis, et Locis quibuslibet, et quibuscumque Personis cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, et Dignitatis, etiam individua expressione dignis, etiam in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis, caeterisque contrariis quibuscumque, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus eaque respective nullatenus obstare decernimus.

Fides praestanda transumptis.

§. 13. Volumus etiam, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem fides ubique Locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, hortationis, commendationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontif. anno 9. die 22. Aprilis 1749.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarn. Dom. 1749. x. Kal. Maji, Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 7. Maji ejusdem anni.

ABBATI MONASTERII

Campidunensis Ordinis S. Benedicti, ejusque Successoribus in perpetuum conceditur facultas ministrandi Sacramentum Confirmationis Christifidelibus suae Jurisdictioni spirituali subjectis.

BENEDICTUS EPISCOPUS VI.

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Suprema dispositione, cujus inscrutabili Providentia ordinationem suscipiunt universa, super eminenti Apostolicae Dignitatis specula, nullis nostris licet suffragantibus meritis,

sed solum per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam constituti, et in illius domo dispensatores effecti, ad ea, per quae Monasteriorum quorumlibet, illorum praesertim, quae ab antiquo tempore fundata, variisque privilegiis, et gratiis a Summis Pontificibus condecorata reperiuntur, et in quibus utpote perinsignibus Personas praecipua generosi stemmatis nobilitate fulgentes Altissimo famulatum exhibere percipimus, decori, et opportunitati, nec non illorum subditorum spiritualibus commodis, Divinique cultus augmento per novae concessionem gratiae per amplius consulitur, vota libenter intendimus, ac in his Pastoralis Officii nostri partes favorabiliter impartimur, prout Locorum, et Personarum hujusmodi qualitatibus, ac circumstantiis matura consideratione pensatis, ad Omnipotentis Dei, ejusque Gloriosissimae Genitricis Virginis Mariae laudem, et gloriam, devotionis quoque Christifidelium propagationem in Domino conspicimus salubriter expedire.

Insignia Privilegia Abbati, et Monasterio Campidunensi dudum concessa.

§. 1. Sane pro parte Dilecti Filii Engelberti de et in Sergestein moderni Abbatis Monasterii, Abbatiae Ducalis et Imperialis nuncupati, Beatae Mariae Virginis in Coelos assumptae Oppidi Civitatis Campidunensis Ordinis Sancti Benedicti nullius Dioecesis Provinciae Moguntinae, Sacri Rom. Imperii Principis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dictum Monasterium, alias et usque de anno Domini septingentesimo septuagesimo tertio a Beata Hildegarde fundatum, unum ex principalioribus dicti Ordinis Monasteriis tam in spiritualibus, quam in temporalibus existit, illiusque pro tempore existens Abbas, nedum inter praecipuos Sacri Romani Imperii Principes in Dieta Ratisbonensi Sedem, ac Votum, et Vocem habet, sed etiam pro tempore existentis Romanorum Imperatricis perpetuo Archimarescalli munere fungitur, ac in pluribus sibi subjectis Oppidis, et Locis Campidunensis Ducatus, et ditionis temporalem; in primodicto vero Monasterio, quoad Sedi Apostolicae immediate subjectum existit, ac in Parochiali Ecclesia Sancti Laurentii dicti Oppidi Campidunensis spiritualem, ac exemptam, et Ordinariam exercet Jurisdictionem; quamplurimis etiam, tum Apostolica a diversis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, tum Imperiali, et qualibet alia respective auctoritate concessis et elargitis, et Monasterium primodictum, illiusque Abbas, et Monachi pro tempore existentes gaudent Indultis, gratiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, praeeminentiis, et antelationibus, et ipse Engelbertus Abbas nuper speciali Abbatialem Ducalem nuncupatam Ecclesiam sub invocatione Assumptionis Beatae Mariae Virginis, et Sanctorum Gordiani, Epimachi, et Castoli Martyrum noviter restauratam, consecrandi facultate a Nobis decoratus fuit.

Nova petitio, ejusque fundamenta.

§. 2. Si autem, sicut eadem petitio subjungebat, aliud valde quidem opportunum dicto Engelberto Abbati, illiusque successoribus primodicti Monasterii Abbatibus pro tempore existentibus, a Nobis, et Sede Apostolica praefata concederetur Indultum, videlicet, ut ipse Engelbertus Abbas, ejusque successores primodicti Monasterii Abbates pro tempore existentes praefati, Sacramentum Confirmationis utriusque sexus Cristifidelibus subditis primodicti Monasterii, et Parochialis Ecclesiae praefatae Parochianis tantum ministrare possint, hoc profecto, et ad Catholicae Religionis bonum, et ad dictorum subditorum animarum salutem plurimum conferret; Quandoquidem cum dicti subditi, non sine gravi eorum incommodo et molestia, ad alia Loca pro dicto Sacramento Confirmationis suscipiendo se conferre coguntur, inde evenit, quod ipsi aut Sacramentum hujusmodi nonnisi in provecta aetate suscipiunt, vel, ut saepius accidit, absque dicto Sacramento vitam misere ducentes, ab humanis decedunt. Hinc dictus Engelbertus Abbas, qui haereticos in dicto Oppido degentes ad Fidem Catholicam amplectendam pari solicitudine, et zelo, et non sine effectu perducere curat, dictos subditos, et Parochianos Catholicos, et praesertim noviter ad dictam Fidem conversos, ad hoc ut ipsi fortius, et validius in spirituali lucta contra animae inimicos dimicare queant, Confirmationis Sacramento hujusmodi in congrua, et conveniente aetate muniri summopere exoptat; Quare pro parte dicti Engelberti Abbatis Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus dictorum subditorum, et Parochianorum indemnitati, eorumque animarum saluti in praemissis opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indultum, de quo in Rubrica, conceditur

§. 3. Nos igitur, qui, quantum cum Domino possumus, spiritualem Cristifidelium consolationem, et utilitatem pii Patris affectio-

ne prosequimur, opemque, et operas nostras ad id impendimus efficaces, praefato Engelberto Abbati specialem gratiam facere volentes, ipsumque Engelbertum Abbatem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Engelberto Abbati, illiusque successoribus primodicti Monasterii Abbatibus pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi indumentis Pontificalibus induti, recepto prius Oleo Sacro a quocumque Catholico Antistite, gratiam, et communionem dictae Sedis Apostolicae habente confecto, dictum Confirmationis sacramentum subditis dicti Monasterii, et Parochialis Ecclesiae praefatae Parochianis, spirituali Jurisdictioni ipsius Engelberti Abbatis, et pro tempore existentis Abbatis primodicti Monasterii subjectis tantum quocumque tempore conferre possint et valeant, Apostolica auctoritate earumdem tenore praesentium perpetuo concedimus, et indulgemus, ac plenam, et liberam, et omnimodam facultatem, et potestatem desuper impertimur.

§. 4. Nec non ipsum Engelbertum Abbatem, ejusque successores primodicti Monasterii Abbates pro tempore existentes praefatos desuper a quoquam quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes, sub quovis praetextu, colore, vel ingenio, causa, et occasione inquietari, perturbari, aut quovis modo impediri nullatenus umquam posse; sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, Sedisque Apostolicae praefatae Nuncios judicari, et definiri debere; Et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et Monasterii primodicti, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, perpetuae concessionis, indulti, licentiae, et facultatis, impartitionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimonono, sexto Kalendas Maji Pontificatus Nostri Anno Nono. Dat. die 26. April 1749.

VII.

SUPER CONSERVATORIIS

Virginum Anglicanarum nuncupatarum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Quamvis juxto Dei Omnipotentis judicio nullus finis sit arduis, acerbisque curis, gravibusque molestiis, quae Nos undique ac sine intermissione circumstant, et opprimunt: attamen constitutum Nobis est, coelestis auxilii fiducia, animum non despondere: Et quoniam, ipsius Dei beneficio, neque vires, neque rerum, et negotiorum reminiscentia Nos in hac provecta jam aetate destituunt, nullum Nobis credimus detrectandum esse laborem, quemcumque ad optimum Ecclesiae Sanctae regimen humilitati Nostrae commissum conducere posse reputemus. Itaque quoties exorientium controversiarum natura Apostolicae auctoritatis judicium requirere videtur, Nostramque operam, aliorum consilio adjutam, ad earum rectam decisionem haud inutilem fore judicamus; eas ipsas ab inferioribus quibuscumque Judicibus, et Tribunalibus avocatas, cognitioni Nostrae reservare, ac judiciali sententia prolata, dirimere, ac terminare consuevimus. Exordium. Pontifex pro Ecclesiae regimine quandoque causas ad se avocat, illasque cum aliorum Consilio decidit.

§. 1. Huic instituto nostro inhaerentes, quum quaedam controversia non ita pridem exorta fuisset inter Curiam Episcopalem Augustanam ex una, et duo Conservatoria Virginum Controversia orta fuit inter Curiam Episcopalem Augustanam et duo Con-

ervatoria Virginum Anglicanarum super obedientia Episcopo Augustano praestanda.

Anglicanarum nuncupatarum, unum nimirum in ipsa Civitate Augustae Vindelicorum, alterum vero Mindelheimi, ejusdem Augustanae Dioecesis Oppido, existentia, ex altera partibus; et dicta quidem Episcopalis Curia praefatis Conservatoriis praeceptum fecisset, ut suam Ordinariam auctoritatem recognoscerent, sibique debitam exhiberent obedientiam quam cuidam praetensae Generali Superiorissae Monachii commoranti ab illis praestari asserebat; praefatum vero Conservatorium in Civitate Augustana positum hujusmodi praecepto prompte paruisse, sed alterum Mindelheimi existens eidem obtemperare recusasset; quapropter praedicta Episcopalis Curia ad quosdam actus adversus Conservatorium hujusmodi processisset; cumque animadversum a Nobis esset, occasione hujus controversiae, nonnullas alias moveri quaestiones tam super instituto Jesuitissarum, quod idem esse dicebatur, cum praedictarum Anglicanarum Virginum instituto, quam super persona, et meritis defunctae quondam Mariae Warth, seu de Guardia nuncupatae, dictarum Jesuitissarum Instituti olim Fundatricis: Nos, quibus compertum erat, plura de hujusmodi Instituto, ejusque Fundatrice praedicta, a Scriptoribus referri, et asseri, quae minime consentanea sunt Actis authenticis, et indubiis monumentis, quae super ipsis, in Regestis Congregationum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, tam generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem deputatorum, quam negotiis Propagandae Fidei praepositorum, asservantur; haec omnia ad Nos afferri jussimus; ac deputata peculiari Congregatione, in quam adlegimus Venerabilem Fratrem Nostrum Xaverium Episcopum Praenestinum S. R. E. Cardinalem *Gentili*, Dilectosque Filios Nostros Joachimum Tituli S. Caeciliae *Portocarrero*, Carolum Albertum Tituli Sanctae Mariae de Pace *Cavalchini*, et Joachimum Tituli Sanctae Crucis in Hierusalem *Bezozzi*, ejusdem S. R. E. Presbyteros Cardinales respective nuncupatos, nec non Venerabilem Fratrem Josephum Archiepiscopum Damascenum, Congregationis super negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium Secretarium, quem huic etiam peculiari Congregationi a Secretis esse jussimus, ac dilectum Filium Magistrum Clementem Argenvillers Auditorem Nostrum; atque his omnibus coram Nobis die XXI. mensis Julii an. Domini MDCCXLVIII. congregatis, et diligenti super praemissis omnibus tractatu habito; quum eorum sententia fuerit, ut nonnulla, quae inferius subjicientur, Decreta, et Rescripta fierent, atque ederentur; ea Nos quidem jam tunc approbavimus, et rata esse voluimus; et nihilominus nunc iterum, tenore praesentium, atque evidentiore hac Apostolicae auctoritatis significatione roborata, perpetuam vim, et firmitatem habere decernimus, atque statuimus.

Hujus controversiae occasione aliae quaestiones excitatae; super essentia, et identitate Instituti dd. Virginum, et super persona quondam Mariae Warth Fundatricis alterius reprobati Instituti.

§. 2. Sed quoniam difficile, imo fere impossibile foret intelligere, quibus veluti fundamentis hujusmodi Decretorum justitia innitatur, non cognitis prius his, quae ex praefatis Regestis juridice desumpta esse diximus; necesse est hic nonnullas facti notitias praeponere. Eae autem sunt, quae sequuntur.

I. Quaedam Maria Warth, seu de Guardia nuncupata, postquam anno MDCIX. quemdam Mulierum convictum Audomaropoli, ad bonum finem, ut credi potest, aperuerat; aliosque similes deinde in aliis Belgii Locis, et in Leodiensi, Trevirensi, et Coloniensi Civitatibus constituerat; sub Pontificatu felicis recordationis Praedecessoris Nostri Gregorii Papae XV. anno MDCXXI. ad Urbem accessit, novi Instituti sui confirmationem ab Apostolica Sede impetratura.

II. Comparuit anno MDCXXIV. apud Congregationem Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Procurator Cleri Anglicani, graviter expostulans, quod magnum detrimentum Missionibus inferretur ex ratione vivendi, quam praefati Instituti Mulieres sequebantur; Id quod in causa fuit, ut ipsius instituti examen existenti Cardinali Millino committeretur.

Pontifex super integro negotio deputat Congregationem particularem

III. Quum anno MDCXXVIII. Episcopus Viennensis tunc pariter existens S. R. E. Cardinalis Clesselius nuncupatus eidem Congregationi exposuisset quamdam hujusmodi Mulierum Domum in sua Civitate, seipso inconsulto, apertam fuisse; et quid sibi circa eam agendum esset, ab ipsa Congregatione exquisiisset; coacta eodem anno coram recolendae memoriae Urbano Papa VIII. praedictorum Cardinalium Congregatione, decretum fuit, ipso Praedecessore Urbano annuente, ut Apostolicae Sedis Nuntiis per diversas Regiones constitutis demandaretur praefati Instituti, et ere-

Decreta di ctae Congre gationis, au ditis parti bus, facta ut infra Pontifice ap probantur.

Praemittun tur ea qua de gestis di ctae Mariae ejusque prae tenso insti tuto, in Ta bulariis S Inquisit., e Congreg. d Prop. Fide habentur.

Maria War th nonnulli Mulierum Conservato riis in Bel gio fundati Anno 1621 Romam ve nit, peten instituti su confirmatio nem.

Congreg. d Prop. Fide Cleri Angli cani querel excitata, i institutum ipsum inqui rit.

Ob nova adversus ip sum Cardin Clesselii querelas, Urbanus VIII. de con silio Congr. Institutum supprimi mandat.

quatenus
esbyteri
e. Jesu di-
s Mulieres
igerent,
jungitur
ius Prae-
sito Gene-
li, ut id,
inquam ab
eis Institu-
alienum,
ohibeat.

ctarum respective Domuum omnimoda extirpatio, et suppressio. Et quoniam praedictae Mulieres se a Presbyteris Societatis Jesu directas esse jactabant, injunctum fuit tunc existenti Generali ipsius Societatis Praeposito, ut quatenus id verum esset, subditis suis omnibus directe inhiberet, ne se in directione Convictuum quarumcumque Mulierum immiscerent; quum id ipsius Societatis Instituto contrarium dignosceretur, cujus Fundator S. Ignatius, quum Romam advenisset pro obtinenda ejusdem Instituti confirmatione, accepissetque piam quamdam Mulierem Elisabetham Rosellam nomine, in Urbem se pariter contulisse, eo consilio, ut facultatem obtineret, una cum aliis Piis Mulieribus sub Instituti regula convivendi, postulavit ipse, et obtinuit a Romano Pontifice, tam pro se, quam pro universa Presbyterorum a se institutorum Societate, ut a cura, et directione Mulierum in Religiosis Domibus conviventium, perpetuo liberi, et immunes esse deberent.

upprimun-
e aliquot
mus di-
rum Mu-
rum.

IV. Dum anno sequenti Apostolicae Sedis Nuntii Pontificiorum mandatorum executionem respective urgebant, jamque suppressae fuerant dictarum Mulierum Domus, quae Audomaropoli, Leodii, et Coloniae Agrippinae antea extiterant; quum Nuntius Coloniae agens Trevirensem similiter earum Domum supprimere aggrederetur; comparuit quaedam Mulier, Cambiani nuncupata, quae se ipsius Instituti Visitatricem asserens, vigore Literarum Patentium sibi a praetensa Praeposita Generali Maria Warth concessarum, ipsius Nuntii conatibus, magna vi et contentione se opposuit. Maria enim, in Urbe adhuc degens, statim ac intellexit, quid ferrent Pontificia mandata, omnem rationem inire studuit, ut ea effectu fraudaret; suasque sequaces ubique existentes per Encyclicas Literas admonuit, ne iis obtemperarent. Itaque praedictus Nuntius, ad evitanda majora scandala, nunc quidem ab incoepto desistere satius habuit.

d aliarum
ppressio
speuditur,
earum-
em resisten-
am, quam
evel Maria
Warth.

Causa gra-
ior efficitur
ad Tribu-
l S. Officii
emittitur.

V. Hujus rei relatione a Nuntio Romano transmissa, praedictoque Cardinali Clesselio magis magisque instante pro intelligenda Pontificis voluntate circa Domum, quae Viennae, ut supra dictum est, aperta fuerat; quum etiam nonnulli hujusmodi Instituti Mulierum convictus, quos Bononiae, Forosempronii, atque etiam Romae clam constitutos fuisse compertum est, quamprimum suppressi et extirpati fuissent; totius negocii cognitio ab ipso Urbano Praedecessore ad alteram praedictam Congregationem Cardinalium, S. Officii nuncupatam, remissa fuit.

Anno 1631. prodit Constitutio Urbani VIII., qua praetensum Institutum dictarum Mulierum Jesuitissarum nuncupat. penitus aboletur.

VI. Ex hujus Congregationis sententia et consilio, quum judicatum fuerit, opportunum, et expediens fore, ut Pontificia Decreta pro suppressione praedicti Instituti jam prolata, Apostolicae Constitutionis robore firmarentur, idem Urbanus Praedecessor Anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI. Idibus Januarii Apostolicas Literas sub Plumbo edidit, incipientes: *Pastoralis Romani Pontificis*, quibus praetensam Congregationem Mulierum, seu Virginum, Jesuitissarum nuncupatarum, penitus, et perpetuo abolevit, ejusque Congregationis assertas Visitatrices, Rectrices, et praepositam Generalem, aliasque Officiales quascumque, Officiis, muneribus suis de facto usurpatis privavit; eisdemque, et aliis Mulieribus, seu Virginibus, hujusmodi praetensae Congregationi antea de facto adscriptis, ne insimul, et in communi de caetero degere, et tractare, aut se pro Religiosis, seu praetensae hujusmodi Congregationis sequacibus, ullo modo gerere, multoque magis ne alias Virgines, seu Mulieres in ipsius reprobati Instituti societatem deinceps admittere, aut recipere auderent, sub excommunicationis majoris, aliisque poenis, districte prohibuit, easque omnes, quae in ipsa suppressa Congregatione, et relative ad illius legitimam subsistentiam, vota quaecumque emiserant, ab hujusmodi votorum obligatione omnino solutas, et liberas esse declaravit; ut fusius legi potest in ipsa Constitutione. Denique tam ipsam Mariam Warth, quae interim in Belgium se receperat, quam praefatam Cambiani, in custodiam dari jussit.

Ipsa Maria, cum altera sequace, in custodiam traditur.

VII. Sequuta utriusque detentione, ambae ad Urbem decenter translatae, atque hic clementer exceptae fuerunt, ipsiusque Apostolicae Sedis sumptibus in libera custodia asservatae, facto utrique praecepto, ut Urbem ipsam, Carceris loco haberent, atque una ab altera seorsim viverent. Cum autem aegritum fuerit, Mariam quidem seditiosas illas Encyclicas Literas, de quibus supra dictum est, aliis Literis tempestive datis revocasse; alteram vero, Cambiani nomine, muliebri potius levitate atque impetu abreptam, quam consulto, et malitiose peccasse; post factam iisdem facultatem simul convivendi, ac sedulo

Romam ambae adducuntur, ibique loco carceris detinentur, usque ad annum 1637.

Earum errores benigne excusantur.

exploratam utriusque agendi rationem; quum praedicta Maria Warth adversa conflictaretur valetudine, eamque ob rem Viterbi balnea, de licentia praefatae Cardinalium Congregationis, nullo fructu adiisset; tandem anno MDCXXXVII. indultum illi fuit, ut Leodium cum suo comitatu proficisceretur, quo convalescere posset beneficio illius aeris, quem alias salubrem experta fuerat.

Anno 1637. Mariae permittitur, ut valetudinis caussa Leodium se conferat.

VIII. Non ideo tamen Apostolica Sedes susceptum consilium curamque abjecit de Jesuitissarum Domibus, seu Convictibus abolendis, et extirpandis; qua de re extant posteriora mandata a praedicta Sancti Officii Congregatione transmissa, et praecise ad Apostolicum Nuntium Coloniae degentem anno MDCXL. Cumque deinceps de earum Instituto nihil amplius auditum fuerit; sub Pontificatu demum felicis recordationis Praedecessoris Nostri Innocentii Papae XII. plurium tam Ecclesiasticorum, quam Secularium Germaniae Principum preces ad Apostolicam Sedem delatae fuerunt, quibus petebatur Confirmatio Instituti quarumdam Virginum Anglicanarum nuncupatarum, quae in variis per Angliam, et Belgium Locis constitutae dicebantur. Cujus rei cognitio quum a Pontifice demandata fuisset Congregationi S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ab hac vero exhibitarum Constitutionum revisio delegata fuisset bonae memoriae Leandro Cardinali Colloredo nuncupato; his demum, aliisque ad rei summam pertinentibus in ipsa Congregatione mature perpensis, approbatae fuerunt praedictarum Virginum Regulae; earumque approbatio deinde a similis memoriae Praedecessore Nostro Clemente Papa XI. praefati Innocentii successore, confirmata fuit, quum is Apostolicas Literas edidit, incipientes: *Inscrutabili:* Datas sub Annulo Piscatoris die 13. Julii anni MDCCIII.

Post ulteriora S. Sedis mandata, nil amplius de Jesuitissarum instituto auditur.

Novum Institutum Virginum Anglicanarum Innocentio XII. commendatur a variis Germaniae Principibus.

Regularum examen committitur Congregationi Concilii, quae Regulas ipsas approbat.

Approbatio confirmatur Literis Apostolicis Clementis XI. Ex praemissis male intellectis, falsae inseruntur consequentiae favore Instituti Jesuitissarum.

§. 3. Verum, ex eo quod praefatae Mariae Warth permissus fuit regressus in partes Belgii, ipsaque deinde marte suo in Angliam transmisit, sequentibus vero temporibus alia Jesuitissarum Conservatoria, ut asseritur, fundata fuerunt, ac tandem Clemens XI. supracitatas edidit Literas super approbatione Constitutionum Virginum Anglicanarum, duo Religiosi Viri Corbinianus Khamm, et Franciscus Schmalzgrueber, ille in *Hierarchia Augustana in Prodromo Partis Tertiae Regularis Relatione VI. pag.* 506. *et seqq.*, hic autem in suo *Consilio LVI. Tom.* 1., hanc deduxerunt consequentiam, quod scilicet restitutum fuerit Jesuitissarum Institutum, Urbani vero Constitutio abrogata fuerit; id quod a veritate longissime abest. Nec enim ea, quae ab Apostolica Sede benigne, aut remisse gesta sunt erga praedictam Mariam Warth, sive quum Romae detineretur, sive quum valetudinis caussa permissum ei fuit salubriorem adire regionem, non ea, inquam, adversus ipsam Sedem Apostolicam converti, aut in argumentum innocentiae ejusdem Mariae usurpari debent. Quae etenim a gravioribus poenis ideo exempta fuit, quod Literas a se contumaciter, et seditiose scriptas in tempore revocasse probavit; nec nisi post diuturnam detentionem in Urbe, loco carceris ipsi assignata, facultatem discedendi, et quidem ex praemissa caussa, obtinuit; hanc profecto sine culpa agnitam, aut pro innocente dimissam fuisse, dici non potest. Neque vero recte infertur abrogatio Constitutionis Urbanae ex subsequutis novorum earumdem Jesuitissarum Convictuum erectionibus, quae, si verae essent, nil aliud probarent, quam continuatam adversus Apostolica Decreta inobedientiam, et contumaciam. Ita de aliquibus Bizochis, seu Beguinis, qui, postquam proscripta fuerat ipsorum secta, hujusmodi suppressi Instituti habitum a quibusdam Ecclesiasticis Praesulibus susceperant, Praedecessor Noster Joannes Papa XXII. in suo *Extravag. Sancta Romana. De religios. Dom.* pronunciasse legitur: *Quidam autem eorum dictum habitum, et vivendi ritum a quibusdam Episcopis, seu eorum Superioribus, vel aliis Ecclesiarum Praelatis, habuisse profitentur: Quod nec eis concedere licuit contra formam Concilii Generalis.* Quod idem a Nobis diceretur de Jesuitissarum Domibus, si quas post Urbani Constitutionem apertas fuisse constaret; videlicet id nulliter, et indebite factum fuisse, *contra formam Apostolicae Constitutionis.* Et sane Praedecessores quoque Nostri Romani Pontifices in eadem sententia fuisse comprobantur; dum omnia hujusmodi Conservatoria, de quibus post praedictam Constitutionem, ad ipsos relatum est, supprimi, et aboleri mandarunt.

Indulgentia Sedis Apostolicae erga Mariae Warth, hujus innocentiam non probat.

Erectione novarum Domorum Jesuitissarum, si quae contra Constitutionem Urbani factae sint, nil aliud probarent, nisi deteriorem contumaciam.

Cui semper Apostolica Sedes se opposuit.

§. 4. Quod autem pertinet ad Literas Apostolicas Clementis XI. super approbatione Regulae Virginum Anglicanarum; ante omnia sciendum est, quod eidem Clementi Praede-

Regulae Clementis XI. approbatae ad quas pertinent Virgines

cessori ex parte bonae memoriae Maximiliani Emmanuelis utriusque Bavariae Ducis, et Sacri Romani Imperii Principis Electoris expositum fuit, nonnullas ex Anglia Catholicas Puellas Nobiles, a Patria sua Catholicae Religionis odio expulsas, in ditionis suae Terrae olim pervenisse, ibique ab ipsius Ducis exponentis Avo benigne exceptas, piisque, et liberalibus subsidiis adjutas, sibi quandam Domum, seu Conservatorium constituisse, ibique vixisse, aliasque subinde Puellas, inter eas postmodum receptas, nunc pariter vivere, ac praeter alia pietatis opera, Puellis, quae ipsis erudiendae tradebantur, docendis, et instruendis incumbere. Cumque eaedem nonnullas pie vivendi Regulas sibi observandas praescripsissent, quas Apostolicae confirmationis Patrocinio communiri magnopere optabant, ideo ipse Maximilianus Dux et Princeps Elector pro hujusmodi approbatione eidem Clementi Praedecessori humiliter supplicabant; prout latius in ejusdem Clementis Literis continetur. Cumque hujusmodi Regularum revisio antea commissa fuisset Congregationi S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum; haec autem, Regulis ipsis mature examinatis, eidem Clementi sententiam suam pro earum approbatione aperuisset; Pontifex ipse, per supradictas Literas Apostolicas, easdem confirmare non dubitavit.

§. 5. In his autem Literis nulla mentio fit de Jesuitissis, quae quidem in Urbani Constitutione appellantur: *certae Mulieres, seu Virgines, Jesuitissarum nomine assumpto:* illae vero, de quibus agunt Clementis Literae: *Catholicae Puellae Nobiles Anglae*, nuncupantur. Praeterea in Urbani Constitutione agitur de Mulieribus, quae exercebant: *opera permulta, sexus, et ingenii imbecillitati, et modestiae muliebri, ac virginali praesertim pudori minime convenientia:* cum aliis, quae fuse leguntur in Libello a Procuratore Cleri Anglicani exhibito praefatae Congregationi Cardinalium Propagandae Fidei negotiis praepositae; in quo dicitur, eas Catholicae Religioni nostrae apud Haereticos opprobrium, et ignominiam inferre. Contra vero de Nobilibus Puellis Anglis, in Clementino Brevi dicitur, quod e Patria, *odio Catholicae Religionis, quae ibi persecutionem patiebatur, expulsae, et extorres* erant. In his etiam Literis nullum verbum fit de ipsa Urbani Constitutione; quum tamen, ex perpetua praxi Apostolicae Sedis, quoties aliquid per Literas Apostolicas statuitur de quacumque re, de qua praecedentes Pontifices aliqua decreverunt, eorum expressa mentio nunquam omitti soleat. Neque vero in iisdem Clementis Literis derogatur praefatae Urbani Constitutioni; cui quidem per clausulas generales derogari non poterat, sed eam infirmandam, speciali, et expressa derogatione opus erat. Ipsis denique Literis apposita legitur clausula salutaris, videlicet: *Caeterum non intendimus per praesentes ipsum Conservatorium in aliquo approbare:* quae tunc apponi consuevit, quum approbantur, seu confirmantur Regulae alicujus Conservatorii, aut Monasterii Mulierum, sine clausura viventium, contra praescriptum Decretalis Bonifacii VIII., et Decretorum Concilii Tridentini, nec non Constitutionis S. Pii Papae V., quae incipit: *Circa Pastoralis*.

Nec in Clementis Literis derogatur Constitutioni Urbani VIII.

Nec ad Conservatorium ipsum extenditur Apostolica approbatio, et confirmatio.

§. 6. In summa, neque verum, neque verosimile est, magnum Pontificem Clementem XI., eximia doctrina, et vastissima negotiorum Apostolicae Sedis cognitione praeditum (de quo Nos ipsi, qui olim in minoribus constituti plures annos in variis muneribus ipsius singulari erga Nos benignitate Nobis injunctis, eidem officia, et ministeria nostra praestitimus, et testificari possumus, et libenter testificamur) unius peculiaris Conservatorii Regulas approbando, in quo nonnullae Catholicae Virgines ex Anglia extorres sese receperant, in integrum restituere voluisse Jesuitissarum Institutum; quod ignorare non poterat, ab Urbano Papa VIII. tamquam Generalium Conciliorum Lateranensis, et Lugdunensis, aliisque Apostolicis Sanctionibus contrarium, et quidem gravissimis de causis in ipsius Urbani Constitutione relatis, atque in duabus Congregationibus Sancti Officii, et Propagandae Fidei diu et mature perpensis, suppressum atque abolitum jam pridem fuisse.

Multoque minus ad reprobatum jam pridem Jesuitissarum Institutum.

§. 7. Sane post damnatam, abolitamque in Concilio Viennensi a Praedecessore Nostro Clemente Papa V. quarumdam Mulierum sectam, quae vulgo Beguinae vocabantur, de quibus agitur *in Clementin. ad Nostram. Titul. de Haereticis*, ubi etiam earum perditi mores enunciantur, quum alter Praedecessor Noster Joannes Papa XXII., nonnullas ex illis ab aliarum criminibus immunes esse, atque honeste vivere comperisset, declaravit has minime comprehendi debere sub abolitione Begui-

Clemens XI., Urbani Constitutionem non modo non abrogare, sed nec moderari voluit.

narum a Clemente facta ; ut videre est in *Extravag. comm. cap. Ratio recta. de Relig. Domib.*, sed quum praefatus Clemens XI. Anglicanarum Virginum Regulas approbando, nihil prorsus innuerit, quod ad Jesuitissas, et ad Urbani Constitutionem referri possit, id etiam argumento esse debet, nec illi propositum fuisse praedictam Urbani Constitutione m revocare, nec eam aliqua ex parte temperare.

Resolutio trium priorum dubiorum, quae discutienda proponebantur.

§. 8. Quapropter, quum in praefata Congregatione die XXI. elapsi mensis Julii, ut praefertur, coram Nobis habita, decretum fuerit: *Primo adhuc vigere Constitutionem editam a Summo Pontifice Urbano VIII. super suppressione Jesuitissarum, nec ei unquam fuisse derogatum, nec subsistere assertum a nonnullis fundamentum Pontificiae tolerantiae dictae Constitutioni adversantis: Secundo, Institutum Virginum Anglicanarum non esse institutum Jesuitissarum: Tertio, Virgines Anglicanas, reprobatis caeteris aliis Constitutionibus, teneri ad observantiam earum tantummodo Constitutionum, quae fuerunt confirmatae a sanctae memoriae Clemente XI. Posse tamen ad Sedem Apostolicam habere recursum, quatenus alias edendas censuerint.* Nos, qui jam tunc tria hujusmodi decreta verbo comprobavimus, eadem nunc praesentium Literarum tenore approbamus, et confirmamus; dictaeque Urbani Constitutioni debitam obedientiam ab omnibus exhiberi mandamus, omnesque, et singulas poenas adversus illius transgressores in eadem propositas iterum statuimus, et innovamus; atque insuper praedicti Clementis XI. Literas plenum effectum habere, nec aliter, quam juxta earum germanum sensum, et juxta praemissam declarationem Nostram, intelligendas, et interpretandas esse statuimus atque decernimus; prohibentes expresse sub poenis, quae contra transgredientes Mandata Apostolica sancitae sunt, ne quis asserere audeat, praedictum abolitum Jesuitissarum Institutum ab eodem Clemente redintegratum, et restitutum fuisse; quantumvis forsan a Virginibus Anglicanis, omissis iis, quae a praefato Urbano Praedecessore in Jesuitissarum abolitione damnata, et vetita fuerunt, aliqua pia opera exerceri comperiantur, ex iis, quae exercebantur ab ipsis Jesuitissis, ideoque istarum Instituto Anglicanarum Institutum in aliquibus simile videri posset.

Pontifex. Ipsam resolutionem confirmat, et mandat observantiam Constitutionis Urbani VIII. innovando poenas ibi statutas.

Necnon Clementis XI. literas, juxta earum verum sensum, et declarationem hic traditam, suum effectum habere. Asseri vetat Jesuitissarum Institutum a Clemente XI. reintegratum fuisse.

§. 9. Quam in rem aptissimum, et satis notum est exemplum Quaestorum eleemosyna-

Exemplum affert de Eleemosynarum Quaestoribus, quae decretis Conciliorum Lateranensis, Viennensis, et Tridentini extirpati fuere.

rum, qui etiam *Quaestuarii* appellabantur. Hi duorum, Generalium Conciliorum, Lateranensis, et Viennensis, censura primum constricti, ob plures deplorabiles abusus, quibus in exercenda piarum largitionum quaestura universae Ecclesiae Dei scandalum inferebant, ut videre est in Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum Innocentii Papae III. *in cap. Cum ex eo, de poenit., et remiss.*, et Clementis Papae V. *in Clementin. Abusionibus, eod. tit.*, radicitus demum extirpati fuerunt in novissimo Generali Tridentino Concilio *sess. 21. cap. 9. de reform.*, ubi statuitur: *Ut posthac in quibuscumque Christianae Religionis locis, eorum nomen, atque usus penitus aboleatur, nec ad Officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus contrariis quibuscumque privilegiis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Nec tamen proscripti intelliguntur Petitores Eleemosynarum pro Ecclesiis, et Locis Piis.

§. 10. Nihilominus post Tridentinum Concilium, et semper alias, et Nostris etiam temporibus plures invenire licet pro Monasteriis, Hospitalibus, aliisque piis Locis, eleemosynas colligentes; quod olim ab iis fiebat, qui per relatas Canonicas sanctiones aboliti fuerunt. Nec tamen quisquam dicere audebit, recentiores hosce eleemosynarum collectores, ab iis dumtaxat excessibus immunes, quorum veteres illi rei erant, unum idemque Institutum cum ipsis jamdudum abolitis Quaestoribus profiteri: Quum contra ad diversum omnino genus pertinere dignoscantur, cui novas ex integro leges praescripsit saepe laudatus Praedecessor, Urbanus Papa VIII., mandans, ut omnes, et singuli, qui pro Monasteriis, locis Piis, et Hospitalibus eleemosynas conquirunt, providas hujusmodi regulas observare debeant, atque hanc etiam, inter alias, ut *eleemosynarum petitores* nuncupentur, non vero *Quaestores*, quorum nomen Sacra Tridentina Synodus detestatur, ut latius continetur in Decreto ejusdem Urbani die XII. mensis Julii anni Domini MDCXLIV. solemniter edito, et relato *Lib. xvij.* Decretorum Congregationis Concilii Tridentini *pag.* 350., *et seqq.*

Dummodo regulas ab Urbano VIII. ipsi praescriptas observent.

Resolutio Quarti dubii, a Pontifice etiam confirmata.

§. 11. Cum autem, occasione praesentis controversiae, animadversum fuerit, certisque argumentis comprobatum, hujusmodi Virgines Anglicanas, errore forsan ductas, consuevisse supradictam Mariam Warth, tamquam Instituti sui Fundatricem agnoscere, ejusque emortualem diem festivis ritibus palam celebrare,

atque illius laudes Hymmo prosequi, et nomen peculiari Collecta, et Litania invocare, denique Beatae Titulum tam voce, quam scripto passim illi tribuere; de his in praefata peculiari Congregatione decretum fuit: *Quarto, non posse* (Anglicanas Virgines) *recognoscere in Matrem, seu Fundatricem Mariam Warth, seu della Guardia; multoque minus fas esse ipsis, et quibuscumque aliis, eam invocare, tamquam in Caelis regnantem, ipsique exhibere cultum publicum, vel alium quemcumque actum, per quem ejus asserta Sanctitas approbari censeatur:* Quod pariter Decretum tunc approbavimus, et nunc praesentis Constitutionis auctoritate roboramus. Facile enim est intelligere, exhibitos hujusmodi venerationis actus erga praedictam Mulierem (quam quidem, nisi aliquid in contrarium afferatur, pie credimus, delictorum suorum labe expiatam, ac Deo in charitate conjunctam ex hac vita migrasse) non alio tendere, quam ut hominum animis insinuetur, eam immeritis in vita persecutionibus vexatam, ab omni demum culpa immunem agnitam fuisse, quum contra, bene perpensis illius vitae actionibus, magna potius dicenda sit Urbani Pontificis clementia erga ipsam fuisse, dum eam errantem, et Apostolicis jussionibus obluctantem benignitate potius obstringere, quam poenis ipsis debitis ad legum praescriptum plectere voluit.

§. 12. Sed quamvis etiam illius vita innocenter traducta, ac perpetuo virtutum fulgore illustris appareret; atque etiamsi post illius mortem ad ejus invocationem miracula facta fuisse, aut fieri constaret; nihilominus, absque praevia Nostra, seu Romani pro tempore Pontificis auctoritate, minime liceret publicum cultum eidem exhibere; per generalem, et notam Alexandri Pepae III. legem *in Cap. Audivimus de Reliq., et Venerat. Sanctor.* Nec dubitari potest, quin publici cultus rationem habeant illi quoque actus, qui privatim exercentur, ubi sint ex eorum genere, qui ab Ecclesia instituti sunt ad solemnem Beatis, aut Sanctis venerationem exhibendam, cujusmodi sunt illi, quos supra enunciavimus. Neque licet *Beati* Titulo eos appellare, quibus ab Apostolica Sede Beatificationis honores tributi non fuerint, praesertim si appellatio hujusmodi supra personam potius cadat, quam supra mores, et opinionem; qua de re adest Decretum inter alia a praefato Urbano VIII. Praedecessore Nostro super his edita, de protestationibus in principio Librorum apponendis ab his, qui Servorum Dei vitas conscribunt. Denique interdictum est, ne in die anniversaria obitus cujuscumque Fidelis, qui nondum ab Ecclesia inter Beatos adscriptus sit, omissis suffragiis pro illius animae requie fieri solitis, Missa de Sanctissima Trinitate, vel de Sanctis omnibus celebretur, aut Panegyricae conciones habeantur; haec enim omnia ad Servorum Dei cultum, sine auctoritate Apostolicae Sedis, inducendum, fovendum, aut amplificandum collineare dignoscuntur: Quibus de rebus a Nobis olim fuse actum est in Opere *de Servor. Dei Beatific., et Beator. Canoniz. lib. II. cap. 7. num. 3., et 7. cap. 12. num. 2. et seqq. cap. 13. num. 4. juxta editionem Patavinam.* Quare, approbato, ut praefertur, confirmatoque Decreto superius relato, Venerabiles Fratres, Dilectosque Filios, Locorum Episcopos, et Ordinarios, qui in Locis sibi subjectis similia usurpari cognoverint, hortamur in Domino, et admonemus, ut pro eorum Officii debito, consultissimarum hujusmodi Legum transgressores compescere non praetermittant, per legitimas poenas in ipsis Apostolicis Constitutionibus statutas, de quibus Nos in praefato Opere Nostro *Lib. II. cap. 16.*

Vel die Anniversario obitus, Missam votivam solemnem celebrare, seu Panegyricas Conciones habere.

Injungitur Ordinariis, ut Leges hac de restatutas observati curent.

§. 13. His ita Constitutis, assertoque inviolabili vigore Apostolicae Constitutionis, per quam Urbanus VIII. Praedecessor praefatus Jesuitissarum Institutum perpetuae abolitioni subjecit, quum simul demonstratum fuerit alterius Praedecessoris Clementis XI. Literas pro approbatione Regularium praefati Conservatorii Virginum Anglicanarum editas, ad hujusmodi Jesuitissarum Institutum nullo modo pertinere; dictarum vero Virginum Conservatoria, licet ab Apostolica Sede, ut praefertur, non approbata, ab hac tamen benigne tolerari, utpote ab eodem reprobato Jesuitissarum Instituto realiter distincta, et omnino independentia; cumque nihil adversus hujusmodi Virginum mores coram Nobis deductum extiterit; quin immo eorum opera in instituenda muliebris sexus juventute plurimum apud Nos commendata fuerit; ad dirimendas controversias inter Augustanam Episcopalem Curiam, et praefatum Conservatorium Mindelhemii in ejusdem Dioecesi existens, ut initio diximus, exortas; visum est in praedicta Congregatione inquiri oportere, utrum ejusmodi Virgines pro

Pontifex progreditur ad decisionem controversiae inter Curiam Episcopalem Augustanam, et Conservatorium Mindelhemii.

Ea potissimum pendet ex qualitate Instituti Vir-

ginum Anglicanarum, et Votorum, quae ab ipsis emittuntur.

veris Religiosis haberi debeant, ac Vota, quae ab ipsis fieri dicuntur, solemnia, an potius simplicia censenda sint; et an Ordinariae jurisdictioni Episcoporum, aliorumve Praesulum, in quorum Dioecesibus earum Conservatoria sita sunt, subjecta esse debeant. Super quibus, re mature pensata, responsum fuit:

Resolutio Quinti, et Sexti dubii.

Quinto: Virgines Anglicanas non esse vere Religiosas: promissiones, quae ab ipsis emittuntur, non esse ad summum, nisi Vota simplicia; et transmittendam esse formam, et notificanda verba, quibus dictae promissiones emittuntur: Sexto, Virgines Anglicanas, earumque coetus, esse jurisdictioni Ordinariae Episcoporum Subditos, in quorum Dioecesibus sunt; et ad Ordinarios praedictos pertinere, deputare Directores spirituales, et Confessarios, qui sibi apti videbantur, sive ex coetu Presbyterorum Saecularium, sive Regularium: Quae quidem responsa Nos pariter tunc approbavimus, et tunc praesentium tenore, et Apostolicae auctoritatis plenitudine confirmamus, et roboramus. Si enim ad essentiam Status vero Religiosi requiritur,

Ad essentiam status religiosi requiritur ut Ordo sit a S. Sede approbatus: nec sufficit confirmatio Regularum.

ut Religio, seu Ordo, in hujusmodi Statu, Apostolicae Sedis confirmatione stabiliatur, juxta Canonicas sanctiones, de quibus *in cap. Unic. de Religios. Domib. in VI.*, nec sufficit ab eadem Apostolica Sede obtinuisse dumtaxat approbationem, et confirmationem Regularum, quas aliqua Virorum, aut Mulierum, Societas sibi observandas praescripserit; si Vota paupertatis, obedientiae, et castitatis, ab

Vota solemnia non fiunt, nisi in Professione Religionis approbatae.

Anglicanis Virginibus emissa ad formam Regularum a Clemente XI. approbatarum, conjuncta dici nequeunt cum expressa, aut tacita Professione in aliquo Ordine per Sedem Apostolicam in Statu verae Religionis, ut praefertur, approbato; clare patet, et Statum Virginum Anglicanarum non esse Statum verae Religionis, et Vota, quae ab ipsis fiunt, simplicia ad summum Vota, non vero solemnia censeri debere, ad tramites Decretalis Bonifacii Papae VIII., quae unica extat sub Titulo *de Voto, et Voti redempt. in sexto.*

Congregatio Episcoporum et Regularium jampridem decrevit Virgines Anglicanas non esse vere Religiosas.

§. 14. Et haec quidem ex variis facti notitiis, et animadversionibus ex rei natura desumptis, majori etiam in luce collocantur. Quod enim praedictae Virgines veris Religiosis accenseri non debeant, id jam usque ab anno MDCCVI. responsum fuit a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, in causa tunc inter Conservatorium hujusmodi Virginum Monachii existens, et Ordinarium Loci, Frisingensem videlicet Episcopum, vertente, ejusque Congregationis resolutio a saepe laudato Praedecessore Clemente XI. confirmata, et approbata fuit per Literas in forma Brevis data die v. Martii ejusdem anni incipientes: *Emanavit.* Quod item

Constitutiones Virginum Anglicanarum, indicant, earum Vota simplicia esse.

earum Vota simplicia, non solemnia, dicenda sint, ex ipsis verbis Constitutionum ab eodem Clemente XI. pro illis approbatarum eruitur; siquidem ibi sic legitur: *Licet Regulae nostrae non tendant ad Statum, sive Ordinem Religiosum; tria tamen Vota emitti solita, Paupertatis, Obedientiae, et Castitatis, veluti triplicem vivendi modo murum, omnes peculiari studio conservare studeant, nihilque, quod illum ullatenus debilitare, aut violare possit, admittant:* Denique quum in supradicta Causae Frisingensis resolutione, Apostolica auctoritate, ut praefertur, approbata, decretum fuerit, easdem Virgines

Decretum pariter extat, eas esse Ordinariis subjectas.

immediate subjectas esse jurisdictioni, et correctioni Ordinarii; in earum vero Regulis similiter approbatis expresse legatur, quod *duo Confessarii a Superioribus, si commode fieri possit*, earum coetibus *proponendi sint;* Superiorum autem appellatione non alii intelligi debeant, quam Ordinarii Locorum, quorum jurisdictioni eas immediate subjectas esse; jam demonstratum est; Ex his simul junctis aperte

Confessarios eisdem a Superioribus proponendos statuitur in earum Regulis.

comprobatur justitia Decreti sub *numero sexto* superius relati, in eo quod pertinet ad deputationem Confessariorum, et Directorum spiritualium. In hac autem Decreti parte exequenda, minime dubitamus, quin Episcopi, et Ordinarii Locorum Apostolicas Nostras Literas superiore anno MDCCXLVIII. Nonis Augusti editas, quarum initium est *Pastoralis Curae*, prae oculis habituri sint; quibus nempe Literis et plura constituimus observanda in deputationibus Confessariorum Ordinariorum, et Extraordinariorum tam pro Monialibus, quam pro aliis Mulieribus, seu Virginibus, in piis Domibus, et Conservatoriis degentibus; et Superiorum animos, ad moderatae facilitatis, et indulgentiae sensus induendos erga eas, quae justis de Causis Confessarios extra ordinem sibi concedi postulaverint, magnopere hortati sumus.

Itaque ab Ordinariis id fieri debebit: servata forma novissimae Constitutionis Sanctissimi.

§. 15. Porro non haec duo sola Virginum Anglicanarum Conservatoria, quae controversiae causam dederunt, in partibus Germaniae

Plura Virginum Anglicanar Conservatoria, praeter pro-

sunt, sed praeter aliud superius memoratum Monachii in Frisingensi Dioecesi existens; unum etiam in Sancti Hippolyti, et aliud in Krembsi, Dioecesis Passaviensis Oppidis seu Civitatibus, aliaque forsan alibi, existunt. Unumquodque eorum a sua Superiorissa locali gubernatur; at praeter hanc, aliam quoque Superiorissam supremam agnoscit, quae Generalis etiam dicitur; propterea quod omnia Conservatoria hujusmodi, praecipua quadam auctoritate moderatur. Nec ea tamen unica est pro omnibus ejusdem Instituti Conservatoriis. Etenim non ita pridem contigit, ut in praefata Cardinalium Congregatione Episcoporum, et Regularium negotiis praeposita, disputaretur, an Conservatorium Krembsense in Austria erectum, et alia forsan in posterum in eadem Austriae Provincia sub Regulis a Clemente XI. approbatis erigenda, Superiorissae Generali in Oppido, seu Civitate Sancti Hippolyti residenti, an vero alteri Superiorissae Generali in Bavaria commoranti, subesse deberet: Cumque Rescriptum emanaverit pro Superiorissa Sancti Hippolyti, Nos illud per Literas in forma Brevis incipientes: *Exponis Nobis*, datas die xxv. mensis Maji anni Domini MDCCXLII., ac Dilecto Filio Nostro Josepho Dominico Presbytero Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali de Lamberg nuncupato Passaviae Episcopo pro executione directas, confirmavimus et approbavimus. Contra vero praedicta duo Conservatoria, Augustae Vindelicorum et Mindelheimii constituta, Bavaricae Superiorissae Generali obediunt. Unde quum superioribus annis universa Bavaria ab externis Militibus occuparetur, atque interim advenisset tempus, quo ad novae Superiorissae Generalis electionem procedendum erat; Venerabilis Frater Joseph Episcopus Augustanus, pro Pastorali sua providentia et circumspectione, vetuit, ne Superiorissa Localis Augustani Conservatorii, ad ejusmodi electionem peragendam, incommodum et periculosum iter Monachium versus susciperet; sed electionem ipsam, nova methodo pro ea vice prudenter praescripta, Augustae fieri curavit: ut constat ex ipsius Episcopi mandato, facto die 6. Junii 1745.

§. 16. Propter hanc igitur supremam, seu Generalem Superiorissam, aliud vertebatur controversiae caput inter praefatam Augustanam Episcopalem Curiam, et dictum Mindelheimense Conservatorium; quum Virgines Anglicanae in hoc commorantes, speciem quamdam exemptionis ed independentiae ab ipsius Episcopalis Curiae auctoritate sibi arrogare volentes, hoc inter alia obtenderent, quod scilicet obedientiam suam hujusmodi Generali Superiorissae promiserant. Super quo, matura deliberatione in praedicta Congregatione habita, quum rescriptum fuerit, ut sequitur: *Septimo; nihil innovandum quoad Superiorissam: ejus tamen auctoritatem coercendam esse ad visitationem, superintendentiam in materia educationis Puellarum, translationem Virginum de uno in alium locum; accedente debita subordinatione in praedictis ab Ordinariis Locorum; prout latius explicabitur a Sanctitate Sua in Constitutione suis tempore et loco edenda:* Nos hujusmodi Rescriptum, et tunc oretenus approbavimus, et nunc praesentis Constitutionis auctoritate, *juxta modum tamen mox declarandum*, confirmamus, et ratum facimus.

Resolutio VII. Dubii confirmata, juxta modum in ipsa reservatum.

§. 17. Non hic agitur de Praeposita Generali Instituti Jesuitissarum, quae dudum, una cum ipso Instituto, caeterisque praetensis illius Officialibus, in praecitata Constitutione Urbani Papae VIII. abolita fuit; sed res est de una, vel potius de pluribus Generalibus Superiorissis, quibus, ad plura Virginum Anglicanarum Conservatoria diversis in locis constituta, utiliter dirigenda, et moderanda, annuentibus Episcopis, in quorum Dioecesibus hujusmodi Conservatoria erecta fuerunt, suprema quaedam auctoritas in eadem attributa fuit. Nec agitur pariter de tali Superiorissa Generali, quae amplam quamdam jurisdictionem in subditas exercere, ipsaque ab Ordinaria Episcopi auctoritate exempta esse debeat; qualis esse asseritur Superiorissa Ordinis Fontebraldensis; pro qua prolixam scripsit *Apologiam* Joannes de la Mainferme, duobus justis voluminibus editam *Lutetiae Parisiorum, Anno Domini MDCLXXXIV.*; et de qua plura reperiuntur *in Historia Ordinum Monasticorum, Religiosorum, et militarium ibidem impressam Anno MDCCXXI. tom. 6. cap. 2.* Aut qualis est Abbatissa Burgensis in Hispania, quae Capitulum Generale in ipsa Civitate Burgensi singulis annis celebrare solet, et in plura Monasteria Regnorum Castellae et Legionis, suam jurisdictionem exercet; de qua *in Annalibus Cisterciensibus tom. 1. pag. 225.*, et apud *Thomassinum de vet. et nov. Ecclesiae discipl. part. 1. lib. 3. cap. 68. n. 12.*, multa habentur.

Superiorissae hujusmodi, annuentibus Episcopis, institutae sunt, pro meliori regimine Conservatoriorum.

Nec ipsae exemptae sunt ab Ordinariorum jurisdictione, ut de Fontebraldensi, et Burgensi asseritur.

Sed agitur de Superiorissa Generali nuncupata, cujus facultates circa res parvi momenti versantur; quaeque nullam, quantumvis parvam, facultatem exercere debet, independenter ab Ordinaria auctoritate eorum Praesulum, in quorum Dioecesibus existunt Instituti sui Conservatoria; quae omnia et singula, ut supra dictum est, ordinariae eorumdem Praesulum jurisdictioni immediate subjecta sunt, et esse debent.

Superiorissæ gener. Virg. Angl non licebit aliquam ad professionem admittere, absque expressa Episcopi facultate. In Monasteriis Episcopo immediate subjectis Professiones in manus ipsius, vel delegati ab ipso emitti debent. Facultas tamen haec Mulieribus delegari potest.

§. 18. Huic igitur Generali Superiorissae minime licebit Virginem ullam ad supradictorum Votorum Professionem admittere, aut Professiones hujusmodi recipere, nisi prius ipsi ab Episcopo necessaria facultas ad hunc effectum, sive peculiariter ad quemlibet actum sive generaliter ad omnes, concessa fuerit. In Monasteriis enim, et Conservatoriis Episcopo immediate subjectis, secundum Canonicam Regulam, Professiones fieri debent in manus vel ipsius Episcopi, vel illius, quem, seu quam ipse, ad eas recipiendas delegaverit (cum enim agatur de actu non Ordinis, sed Jurisdictionis, mulier quoque potest ad illum delegari): Quae Regula apud omnes Ecclesiastici juris auctores sine contradictore recepta, desumpta est ex *cap. Consuluit, sub tit. Qui Clerici vel voventes;* ubi praedecessor Noster Alexander Papa III. ita scribens: *Nec in manus alicujus Episcopi, Abbatis, vel Abbatissae, aut super Altare professa est, vel obedientiam promisit:* eorum enumerationem fecisse censetur, qui Professiones personarum sibi respective subjectarum recipere debent.

Enumerantur actus, circa quos Superiorissae supremae officium versari debet.

§. 19. Eidem tamen Generali Superiorissae licebit, praevio expresso Dioecesani Praesulis assensu, Conservatoria, seu Domos visitare, et an in ipsis omnia ad propriarum Constitutionum, rectaeque disciplinae normam gerantur, et quomodo Puellarum institutio ac profectus promoveatur, diligenter cognoscere. Et haec quidem per discretas mulieres, procul omni periculo, et aptius fortasse, quam per Viros, perfici possunt; ex iisque multa sane ad Dioecesis regimen opportuna cognoscere poterit Superior Ecclesiasticus, Episcopus nimirum, seu Ordinarius Loci; ad quem post Visitationem, de omnibus relatio fieri debebit, ut is Pastoralis providentiae consilia capiat, prout in Domino judicaverit. Eadem quoque poterit Migistras, et Virgines, de uno in aliud Conservatorium transferre prout illas in uno potius, quam in alio, opportune collocandas, et utilem operam praestituras esse, prudenter existimabit; habita tamen ad hujusmodi translationes pro tempore exequendas, licentia, et facultate illius Ordinarii Praesulis, seu illorum, in cujus, vel quorum Dioecesi ipsa Conservatoria respective sita reperiuntur.

Ex Instituto Virg. Angl., licet a S. Sede non approbato, servata debita Ordinariis subjectione utilitatis fructus sperari possunt.

§. 20. Ipsius itaque Generalis Superiorissae auctoritate intra hujusmodi limites conclusa, et ad terminos oeconomicae cujusdam providentiae, nec nisi cum perpetua dependentia ab ordinaria Episcoporum auctoritate exercendae, redacta; merito sperandum est, absque illius Officii abolitione, (quam quidem praedicta Congregatio neque necessariam, neque opportunam fore judicavit) ex Virginum Anglicanarum Conservatoriis, universoque earum Instituto, licet ab Apostolica Sede tolerato dumtaxat, sed non approbato, uberes optatae utilitatis fructus collectum iri. Neque vero timendum est, ullum detrimentum inferri canonico subordinationis ordini ex juramento obedientiae ab ipsis Virginibus praestito, aut deinceps, de ipsius Episcopi licentia, ut praefertur, praestando praefatae ipsarum Generali Superiorissae; Quum hujusmodi juramenta nihil detrahere valent Episcoporum auctoritati, cui ipsae subjectae esse debent; et cujus inconcussae firmitati innituntur, quaecumque in superioribus Decretis eorumdem Episcoporum Ordinariae jurisdictioni reservata esse, et fore statuimus, et declaravimus. In omni enim juramento semper debet intelligi jus Superioris exceptum, ut totidem verbis olim respondit Praedecessor noster Innocentius Papa III. in sua Decretali *cap. Obedientes, de jurejurando*.

Juramentum obedientiae Supremae Superiorissae a Virginibus praestitum non laedit subjectionem Ordinario debitam.

Cujus Jus semper est praeservatum.

§. 21. Haec autem ut aliquo exemplo magis confirmentur, remotioribus silentio praeteritis, juvat ex his, quae sub oculis nostris geruntur, exemplum affere nonnullorum Convictuum quarumdam Mulierum, *Magistrarum* nuncupatarum, quarum aliquae *Piarum* nomine, aliae vero *Sanctarum* appellatione distinguuntur. Harum omnium Institutum circa educationem et disciplinam Puellarum occupatur; quod, quum aliquibus retro annis in Dioecesi Montis Falisci, dum bon. mem. Marcus Antonius hujus S. R. E. Cardinalis Barbadicus nuncupatus illius regimen obtineret, initium habuisset, brevi tempore ad alia loca propagatum fuit, ita ut etiam nonnulla ipsius Instituti Conservatoria in hac ipsa Urbe fuerint

Exemplum adducitur Magistrarum Piarum et Sanctarum nuncupatarum.

constituta ; sed exortis in illius regimine quibusdam controversiis , in duas diversi nominis Societates , quae tamen unum idemque pium opus urgent , divisum fuit .

§. 22. Quilibet hujusmodi Mulierum Coetus proprium habet Directorem Spiritualem qui de Animarum cultura tantummodo curam gerit ; Utraque vero Societas , singulis trien niis , coram proprio Directore Spirituali congregata , suam sibi eligit Generalem Superiorissam , aliasque Officiales , Consultrices nuncupatas ; cui quidem Superiorissae Generali omnes ejusdem Instituti Magistrae subjectae sunt , et obediunt in iis omnibus , quae ad Scholarum regimen , earumque progressus pertinent . Ipsa vero statis temporibus Scholas omnes Instituti sibi subjecti visitando perlustrat , quamvis extra Urbem in diversis per suburbicariam regionem Dioecesibus existant . Quae quidem , quum ab hujusmodi Generalibus Superiorissis , sine detrimento jurisdictionis Ordinariorum, quibus earum Societates immediate subjectae sunt , et sine ipsorum querela pacifice exerceantur ; merito judicari visum est , Anglicanarum quoque Virginum Institutum , firmo quamvis remanente , ut praefertur, Officio earum Supremae , seu Generalis Superiorissae ; et Christianae Puellarum educationi valde proficuum , et etiam ipsis Episcopis in Dioecesum sibi commissarum regimine non modico adjumento esse posse .

§. 23. Cujus rei cum Nos justam in Domino fiduciam habemus , tum illud ad eam perficiendam conducere maxime poterit , si Ven. Fratres Ecclesiarum Praesules , in quorum Dioecesibus hujusmodi instituti Conservatoria, vel jam erecta sunt , vel in posterum erigi contigerit , pias hasce Virgines , in excolenda Dominicae Vineae parte laudabili studio adlaborantes , benigno favore prosequentur ; quod Nos eisdem enixe suademus ; tum etiam si eas edocebunt , nec earum Institutum idem esse cum reproba Jesuitissarum Societate ; nec licitum esse publico Cultu venerari eos , qui ab Apostolica Sede inter Beatos , vel Sanctos adnumerati non fuerint ; nec omnia quae de Servorum Dei gestis , ab Historicis praesertim , pia erga eos affectione praeoccupatis , enarrantur , ante ipsius Apostolicae Sedis examen , atque judicium , pro veris certisque amplectenda esse ; earum vero Conservatoria tolerari quidem ab hac eadem Apostolica Sede , sed Institutum ipsum nec approbatum , nec confirmatum esse ; obsistentibus Sacris Canonibus , et generali Constitutione Sancti Pii V. , ne Religiosae Mulierum Domus Apostolica confirmatione stabiliantur , quae se perfectae Clausurae legibus non obstrinxerint ; si denique eisdem Virginibus demonstraverint , Regulas a Clemente XI. pro ipsis approbatas , earum agendi normam esse debere ; aliasque similiter , quas forsan ad earum Instituti perfectionem addendas esse prudenter existimaverint ipsius Apostolicae Sedis judicio , pro legitima obtinenda approbatione , subjiciendas esse . Ipsae autem Anglicanae Virgines et Pontificiam benevolentiam , et Ordinariorum Praesulum favorem sibi facile conciliabunt , si Praesules ipsos pro veris , et legitimis Superioribus suis , ut par est , agnoscentes , sibique persuadentes , per obedientiae juramenta , quae propriae Generali Superiorissae praestiterint , nihil imminui posse de Superiorum Ordinariorum jure , quod semper , ut supra diximus , in omni promissione , ac juramento exceptum intelligi debet , ipsis Dioecesanis Episcopis debita reverentiae , et subjectionis officia , omni prorsus cunctatione abjecta , studuerint exhibere .

Virgines Anglicanae quomodo se gerere debeant erga Episcopos et Ordinarios .

§. 24. Hanc animarum, studiorumque concordiam inter Locorum Episcopos , et Anglicanarum Virginum Coetus fovendam esse reputans , praedicta Congregatio coram Nobis habita , in Causa Conservatorii Mindelheimensis novissimo loco decrevit , ut sequitur : *Ultimo , quod , facta a Virginibus Anglicanis Civitatis Mindelheimensis obligatione observandi contenta in hoc Decreto , restituantur in integrum ; Missae in ipsarum Ecclesia celebrentur , uti prius ; et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ea asservetur ; pro qua asservatione Sanctitas Sua , cui id reservatum est , facultatem opportunam indulget Episcopo Augustano :* Quod sane Decretum a Nobis tunc viva voce approbatum, nunc eo libentius confirmamus , quod , et praefati Conservatorii Virgines debitam obedientiam jam praestitisse , et pium , suique gregis vere amantem Episcopum Augustanum jam quoque illis indulsisse accepimus , ut in earum Ecclesia , et Missae , ut prius celebrentur , et SS. Eucharistiae Sacramentum retineatur . Quoniam vero alterius hujusmodi gratiae concedendae jus ad nos et Apostolicam Sedem privative pertinet , quod innuit Decretum superius relatum , et Canonica docet Disciplina ,

Resolutio postremi dubii exponitur, et confirmatur .

Pontifex laetatur de obedientia Conservatorii Mindelheimen. , et de Episcopi gratia ipsi restituta .

juxta quam Sacrosancta Eucharistia in Ecclesiis, quae Parochiales non sunt, retineri non potest, absque praesidio Apostolici Indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quae hujusmodi Indulti praesumptionem inducit; ut late ostenditur in Commentariis bon. mem. Cardinalis Vincentii Petra ad Romanorum Pontificum Constitutiones, et signanter *ad Constit.* 1. *Urbani IV. sect. unic. num.* 29. *et seqq. tom.* 3.; Episcopi autem est, licentiam impertiri, ut idem Augustissimum Sacramentum publicae Fidelium venerationi exponatur, quoties justa et publica causa id fieri suadeat, ut videre est in nostra Institutione Pastorali in editione Italica *tom.* 2. *n.* 10.; in Latina vero *num.* 30.; Nos iisdem Virginibus Anglicanis Conservatorii Mindelheimensis, quo obedientiae erga suum Ordinarium Praesulem, ut par erat, exhibitae meritum praemium ferant, et donec in eadem obedientia perseveraverint, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ut Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in earum Conservatorii Ecclesia, sine praejudicio tamen jurium Ecclesiae Parochialis, asservari, ac retineri possit, et valeat.

Licentia asservandi SS. Sacram. in Ecclesiis non Parochialibus a S. Sede dumtaxat concedi potest.

Hanc Pontifex indulget praedicto Conservatorio, donec Virgines in obedientia permanserint.

§. 25. Denique praesentes, dictorumque Urbani, atque Clementis Praedecessorum Literas, necnon praeinserta Decreta, aliaque omnia, et singula in ipsis respective statuta, disposita, atque sancita, etiam ex eo, quod praedictorum Conservatoriorum, seu aliorum quorumcumque ubilibet existentium Virgines, seu Mulieres, earumque Praepositae, atque Officiales, et alii quicumque in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere praetendentes eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocatae, et auditae, aut vocati, et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae forsan dici possent, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates, et quaevis alia forsan servanda, et adimplenda fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu laesionis, aliove colore, et capite, etiam in corpore Juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel justitiae remedium impetrari, aut concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, seu extra posse, ipsasque praesentes perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes et singulas, nec non omnes et singulos, ad quas, et quos spectat, et quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari; omnibusque etiam et singulis, quorum favorem respective concernunt, plenissime suffragari volumus, et decernimus.

Clausulae pro praemissorum omnium firmitate, et observantia.

§. 26. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuntios, et eorumdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationes tam ordinarias, quam particulares, aliosque omnes quavis auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Aliter judicari prohibetur.

§. 27. Quocirca Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Nostris, et Sedis Apostolicae Nuntiis, nec non Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Locorum Ordinariis ubilibet existentibus, per Apostolica scripta mandamus, ut statim ac praesentes nostrae Literae ad ipsorum, et eorum cujuslibet notitiam pervenerint, et pro parte aliquorum in ipsis interesse habentium requisiti fuerint, sive etiam ipsi ita expedire in Domino judicaverint, easdem solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, praemissa omnia, et singula, ac in eis, nec non praedictis Urbani, et Clementis Praedecessorum Literis statuta quaecumque, debitae executioni demandari, illasque inviolabiliter in

Committitur Ordinariis Locorum ut praemissa observari faciant.

omnibus et singulis illarum partibus observari. Contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes, per censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio ultrariis.

§. 28. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula, de non tollendo jure quaesito, nec non piae memoriae Bonifacii VIII. pariter Praedecessoris nostri de una, et in Concilio Generali edita de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad judicium non trahatur, aliisque quibusvis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, et universalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non praemissarum Virginum, seu aliorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu longa aut immemorabili observantia, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Usibus, et Consuetudinibus; privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis, aut Literis Apostolicis, quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, etiam Societatis Jesu, aliisve quibuslibet specifica, et individua mentione dignis, etiam cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere, vel in specie, etiam ad quorumlibet, et Supremorum quoque Principum instantiam, seu Motu proprio, et de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, et pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, et formis, specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime et plenissime, ac specialiter, et expresse, ex certa scientia, ac Motu, et potestatis plenitudine paribus, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Seu si quibusvis communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum Indulto hujusmodi mentionem.

Publicationi praesentium in Urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factae.

§. 29. Ut autem praesentes, et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit; volumus pariter, et mandamus, easdem praesentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiae Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campis Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicata et affixas, omnes et singulas, omnesque et singulos, quas et quos illae concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique earum, et eorum, nominatim, et personaliter intimatae fuissent: Utque ipsarum praesentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Fidem transumptis praestari decernitur.

Sanctio poenalis.

§. 30. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, declarationis, prohibitionis, concessionis, voluntatis, mandati, statuti, atque decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontif. A. 9. die 30. April. 1749.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarn. Dominicae MDCCXLIX. pridie Kalendas Maji, Pontificatus Nostri Anno IX.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 27. *Maji ejusdem anni.*

IN TRIBUNALI GUBERNII

Almae Urbis, ejusque Congregationibus, certa agendi ratio praescribitur; statuitur methodus exequendi Visitationes Carcerum etc.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Justitiae *gladium non sine causa a Nobis portari tum maxime homines intellecturos censemus, quum traditam Nobis praecellentem a Deo potestatem per eos omnes, quibus aliquam ejus partem communicavimus, ad correctionem et vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum, et ad optimum totius Civitatis regimen, sedulo exerceri curabimus. In quo et supremi Principis officio, quod humilitati nostrae universi Dominator imposuit, et paternae erga dilectissimum populum charitati, quam idem ipse Deus intimo cordi nostro indidit, pro viribus satisfacturos Nos esse confidimus; dum sacri Principatus dignitatem nostrae fidei concreditam, commendatamque patrocinio nostro Reipublicae tranquillitatem asserere, atque in tuto collocare studemus. Ideo quum plures jam pridem animo versaremus rationes, quibus et in Tribunali Gubernii ejusdem Urbis certam quamdam, aptioremque formam constitueremus, quae ad rectam non minus, quam celerem Causarum criminalium expeditionem conduceret; et debitum utilitatis fructum reipsa percipi curaremus ex providis Legibus tam a Praedecessoribus nostris, quam a Nobis ipsis alias statutis, pro frequenti visitatione eorum, qui in Carceribus quacumque de causa detinentur; utque demum, sublatis plerisque Civitatis sordibus, ab his peculiariter immunem praestaremus non infrequentem illum Curiae nostrae coetum, qui, dum circa criminales Causas vel judicando, vel patrocinando, vel actitando versatur, eam sane gravissimam Politici Juris partem tractare dignoscitur, ex qua et mutuae justitiae cultus, et publica morum honestas, et totius societatis securitas, atque felicitas maxime pendent: His omnibus diu et mature pensatis, auditisque super ipsis prudentum virorum sententiis, nunc denique infrascriptas leges et ordinationes perpetuis futuris temporibus valituras complexi sumus in quadam Schedula Nostri Motus proprii, Chirographo Nostro nuper subscripta, cujus tenor talis est, videlicet.*

Tria objecta Pontificiae providentiae proposita.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

Chirografo, che si conferma. Proemio.

Avendo Noi passata la maggior parte della vita nostra in questa Città di Roma, ed avendo, quando eravamo in minoribus, inteso più volte discorrere dalle persone pratiche, e ben'intenzionate, che sarebbe stato necessario lo stabilire alcune regole per la retta amministrazione della Giustizia criminale, non essendovi cosa ben fatta, e ben stabilita, che col tratto del tempo non abbia bisogno di qualche aggiunta, riforma, o schiarimento; ed avendo poi nel tempo del nostro Pontificato, avuti i positivi rincontri non meno della sussistenza degl' inconvenienti, che del bisogno del riparo; dopo aver fatto unire, ed aver ben considerato il tutto, ed aver anche inteso il parere, ed il consiglio d' Uomini gravi, e ben versati nelle materie criminali, essendo in oltre imminente l' Anno Santo, che per lo straordinario concorso della gente, come si spera, porta seco una maggior attenzione in chi governa, ed invigila pel pubblico bene, ci siamo risoluti di pubblicare questa nostra Cedola di Moto proprio che ancora intendiamo per maggior solennità di confermare con una Nostra Constituzione, non in forma communi, come si suol dire, ma in forma specifica, inserendola de verbo ad verbum in essa; dividendola, per maggior chiarezza della materia, in tre Capi, il primo de' quali risguarda il Tribunale del Governo di Roma; il secondo la Visita delle carceri; il terzo alcuni altri regolamenti per levare alcuni abusi introdotti dai Giudici, e Notari criminali del Tribunale del Governo, e d' altri Tribunali, e Ministri d' essi.

Della necessità vi stabilire alcune Regole per la Giustizia criminale.

Pubblica il presente Moto proprio diviso in tre parti.

Del Tribunale del Governo di Roma.

I Del Tribunale del Governo. I. Conferma a Monsignor Governatore di Roma le sue facoltà anche come Vice-Camerlengo.

§. 1. Le Cause criminali della Città di Roma, e suo Distretto sono state insino ad ora giudicate dal Governatore di Roma colla direzione, e voto di quattro Togati, cioè de i due Luogotenenti, e de i due Sostituti Luogotenenti; allorchè quelle delle Provincie si trattano, e si risolvono in una Congregazione composta di Cardinali, e di Prelati, che dicesi della Con-

sulta. Ciò è quello, che sempre ha dato motivo di discorso alle persone savie, che hanno mai sempre desiderato una più solenne discussione degli affari criminali di Roma, e suo Distretto. Per lo che, aderendo Noi a i loro suggerimenti, di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema, ed Apostolica Podestà, confermiamo in primo luogo a Monsignor Cosimo Imperiali presente Governatore di Roma, e Vice-Camerlengo di S. Chiesa, e suoi successori tutte, e singole facoltà, e preminenze, delle quali ha goduto fin' ora in virtù del Breve di sua Deputazione, e delle quali sogliono godere in qualunque forma i Governatori di Roma, anche in qualità di Vice-Camerlenghi, poichè in quanto appartiene al Governatore pro tempore, non intendiamo s' induca per la presente alcuna benchè minima innovazione.

Aggiunge Ponenti Consulta i due, che sono Poti del Goo, ed Assori del ernatore.

§. 2. In secondo luogo vogliamo, comandiamo, ed ordiniamo, che in avvenire, al solito ed ordinario numero de i Prelati Ponenti di Consulta se ne aggiungano *altri due*, quali abbiano, e debbano godere tutti gli onori, privilegj, esenzioni, e preminenze, che godono gli altri Ponenti, di modo che compongano con essi uno stesso Corpo, o sia Collegio; ma però in vece di essere Ponenti di una delle nostre Provincie, sieno, e debbano essere ambidue Ponenti del Governo di Roma, ed Assessori del Governatore pro tempore: Eleggendo, e deputando per tal' effetto a beneplacito Nostro, e della Santa Sede, *Monsignor Giuseppe Lucatelli* Protonotario Apostolico, e poc' anzi già destinato Ponente di Consulta, e *Monsignor Pietro Frangipani* Referendario dell' una, e l' altra Segnatura, e Ponente del Buon Governo.

stina i due lati Poti.

Conferma divisione le cause Sangue, e Relazione.

§. 3. In terzo luogo confermiamo, approviamo, ed ordiniamo, che in avvenire si continui fra gli Uffiziali, e Ministri di detto Tribunale del Governo la distribuzione alternativa delle Cause *di sangue*, e *di Relazione*, che ivi si pratica presentemente, e da gran tempo indietro, cioè non tanto fra li due Luogotenenti, quanto ancora fra li due Sostituti Luogotenenti, li quattro Sostituti Fiscali di numero, e li sei Sostituti Fiscali sopranumerarj, e fra li Dieci Notari stabiliti, fissati nell' altra Nostra precedente Costituzione *Rerum humanarum* delli 16. Dicembre 1747. Vogliamo però, che tutte le Querele, o Denonzie di sangue immediatamente, che sono portate al Tribunale, si scrivano dal Notaro di Settimana alla presenza del Querelante, o Denunziante, e sotto il proprio e distinto giorno in un Libro ben cartolato. E similmente, che tutte le Querele, o Denunzie di Relazione, cioè d' ogni altra causa, che non sia di omicidio, o ferite, e non quelle solamente di furto, si scrivano immediatamente, e alla presenza come sopra, dal Notaro, che si trova in quella settimana Notaro di Relazione, in altro Libro ben cartolato; e non mai si riceva, o scriva alcuna Querela, o Denunzia, o sia di Relazione, o sia di Sangue, in fogli volanti. Altrimenti il Notaro di Settimana, a cui appartiene, cada in pena di cinquanta scudi d' Oro anche per la prima contravenzione, da applicarsi per una terza parte al Delatore, che si terrà secreto, dopo però, che ne avrà somministrato prove sufficienti, e per le altre due terze parti alla Massa de' Giudici e Notari di esso Governo, per distribuirsi in fin dell' Anno fra di loro da Monsignor Governatore.

ole, che Querele di ngue si ivano alla

Presenza del Querelante in Libro ben cartolato.

Così quelle di relazione in altro Libro a parte.

E non in foglio volante.

Pene contro i Trasgressori

§. 4. In quarto luogo esortiamo, e raccomandiamo a Monsignor Governatore, ed altri suoi Successori pro tempore, che si facciano portare ogni sera li detti due Libri, e si facciano riferire dalli due Notari di Settimana, alla presenza delli due Sostituti parimente di Settimana, le Querele, e Denunzie, che saranno state portate, e scritte in quel giorno, come hanno praticato con grandissima utilità del Pubblico alcuno dei loro Antecessori.

4. Dovranno portarsi a Monsignor Governatore ogni sera i detti due Libri, e riferirgli il tutto alla presenza de' due Sostituti.

§. 5. In quinto luogo vogliamo, ed ordiniamo, che in ogni settimana si tengano onninamente da Monsignor Governatore pro tempore *le due Congregazioni* solite a tenersi, cioè una il Martedì, e l'altra il Venerdì, ambedue il dopo pranzo; e che in ciascheduna di esse Congregazioni debbano onninamente intervenire, oltre Monsignor Governatore, li detti due Prelati Ponenti di Consulta, ed Assessori del Governo, l' Avvocato, e Procurator Fiscale, li due Luogotenenti, e li dodici Sostituti con il Capo Notaro.

5. Si terranno due Congregazioni la settimana, a cui interverranno Monsigdor Governatore, I due Prelati Assessori, L' avvocato, e Procuratore Fiscali, e due Luogotenenti, e dodici Sostituti, col Capo Notaro.

§. 6. Che nella Congregazione *del Martedì*, debbano proporsi le Cause, nelle quali o si ha da decretare la Tortura, o sia ha da procedere alla Sentenza dopo fatte le Difese, oppure passato il termine assegnato per le medesime; ammettendo in essa, prima di votare, l' Avvocato, e Procuratore de' poveri, il Procuratore della Carità, e quando vi sia, anche altro Di-

6. Della Congregazione del Martedì, e ciò ch' in essa debba trattarsi.

Si ammettano i Defensori de i Rei.

fensore particolare eletto dal Reo, ad effetto d'informare, e dedurre in voce le ragioni del medesimo. Dopo di che, licenziati li sudetti Difensori, dovranno votarsi le dette Cause ad una per una, ma non già dalli due Luogotenenti, e dalli due Sostituti Luogotenenti, come si è fatto fin'ora, ma dalli due Togati Luogotenenti, e dalli detti due Prelati Ponenti di Consulta, ed Assessori del Governo: Volendo Noi, che in avvenire questi quattro solamente abbiano *il Voto decisivo*, oltre Monsignor Governatore, cui resterà l'arbitrio di votare, o non votare, come ha goduto fin'al presente. Quanto poi alli due Sostituti Luogotenenti, dovrà loro restare non più il Voto decisivo, ma solamente *il Voto consultivo*. E così parimente dopo risolute le Cause de' Rei presenti, dovranno nella medesima Congregazione, e nell'istessa maniera riferirsi, e votarsi le Cause *de' Contumaci*, nelle quali sarà stato già formato il Processo.

Dopo si voti in ogni causa.

Da chi debba darsi il voto decisivo, e da chi il consultivo.

7. Della Congregazione del Venerdì, e di ciò ch'in essa dovrà farsi.

§. 7. Nell'altra Congregazione *del Venerdì*, vogliamo, ed ordiniamo, che ciascheduno delli due Luogotenenti legga la Lista di quelli carcerati, che gli appartengono, e che si scriva dal Capo Notaro ivi presente sotto la partita di ciascun carcerato il Decreto, che farà la piena Congregazione: Dovendo anche in questo avere l'Avvocato, e Procuratore Fiscale Generale, e li due Sostituti Luogotenenti il solo Voto consultivo, ed all'incontro li due Luogotenenti, e li due Ponenti di Consulta, e Assessori del Governo il Voto decisivo, con l'arbitrio al Governatore pro tempore di votare, o non votare, come nell'altra Congregazione di Martedì.

Altre incombenze di tale Congregazione.

Inoltre ordiniamo, e comandiamo, che in questa Congregazione di venerdì non si facciano solamente i Decreti per le Cause leggiere, ma dopo che queste saranno state risolute, si parli ancora delle Cause più gravi, e dello stato, nel quale si trovano, licenziando gli altri Intervenienti, e ritenendo solamente quelli, a cui sono stati commessi li Processi di dette Cause, con il Capo Notaro, il quale, come sopra, dovrà scrivere sotto la partita di ciaschedun carcerato il Decreto, che farà la piena Congregazione per la formazione, e continuazione ben regolata del Processo, e per il disbrigo di tal Causa. Nel che deve consistere l'utilità, e profitto maggiore di questa Congregazione; alla quale per tal'effetto ordiniamo, che si faccia esibire gli stessi Processi originali, per assicurarsi dello stato e termine in cui saranno di mano in mano; ed altresì concediamo la facoltà, ed il dritto di prefiggere, quando ne faccia bisogno, un termine discreto al Giudice processante, ed inoltre di multarlo ad arbitrio, per trè, o più mesi del salario assegnatoli; non solo in ogni caso di negligenza, ma ancora quante volte si riconosca, che sia stato constituito alcuno, non dal Giudice alla presenza del Notaro, ma dal solo Notaro; che li Giudici, o Notari abbiano tardato a fare la dovuta ricognizione del corpo del delitto in cause specialmente di furti, o che abbiano in altro qualunque modo mancato al loro uffizio. Affinchè poi li Decreti, che si faranno dalla Congregazione, abbiano la dovuta esecuzione, dovranno nelle Liste del Venerdì susseguente, oltre li Nomi, e le Cause de' Carcerati, leggersi anche i Decreti fatti nella Congregazione antecedente; e così di mano in mano fino a tanto, che saranno stati effettivamente eseguiti, e sarà terminata, e compiuta la Causa.

8. Si tenga il numero compito de' Birri, e si riveda il Rollo.

§. 8. Ad effetto, che la Giustizia resti ben servita, vogliamo, che tanto dal Bargello di Roma, quanto dal Bargello di Campagna, si tenga effettivamente quel numero di Birri che sono obbligati di tenere, tolto affatto qualunque abuso di piazze morte, e perciò ordiniamo, e comandiano, che ciascuno di detti due Bargelli debba presentare a Monsignor Governatore il Rollo completo de' proprj Birri, e mancandone in qualsivoglia tempo qualcheduno, debba dentro tre giorni averne arrollato un altro, con aggiungerne il nome nel Rollo, e cessare quello, che è mancato; E di più, che ogni tre Mesi, in un giorno da destinarsi all'improvviso, debba farsi con i detti Rolli alla mano la rassegna di tutti i Birri avanti li medesimo Governatore, e li due Ponenti di Consulta Assessori del Governo, quali dovranno invigilare, che gli Uomini siano abili, ed idonei per il loro mestiero, e che li Birri di Campagna siano montati sopra buoni Cavalli, multando li due respettivi Bargelli, e Birri, a loro arbitrio, per il caso di qualunque mancanza.

9. Si faccia ogni tre mesi almeno la ricerca degli Oziosi.

§. 9. Di più vogliamo, che il Governatore di Roma con li detti due Prelati Assessori del Governo facciano fare ogni tre Mesi almeno per tutta la Città diligente ed esatta perquisizione delli Vagabondi, Birboni, Saltinbanchi, Ciarlatani, Zingari, e finti mendicanti, o finti

infermi, finti storpiati, ed altre simili persone oziose, quali non hanno verun impiego, nè sono applicati ad alcun esercizio lecito ed onesto. E trovandosi, che questi tali sieno nati in Roma, o nel Distretto, si dovrà loro prefiggere per la prima volta un termine di otto giorni, per applicarsi a qualche esercizio, e portarne fede autentica negli Atti del Governo: altrimenti si manderanno, senz'altro Processo formale, per tre anni *ad Opus*. Trovandosi poi esser nati fuori di Roma, e suo Distretto, oppur nati in altri Principati, si darà loro l'Esilio da Roma, e suo Distretto, e respettivamente da tutto lo Stato Ecclesiastico, sotto pena di sette anni di Galera in caso di contravenzione anche la prima volta. Con dichiarazione però, che tra li suddetti non s'intendano mai compresi *li veri Pellegrini*, quali anzi debbano riceversi, ed accarezzarsi con tutta la maggior carità, purchè sotto pretesto di pellegrinaggio non si fermino in Roma, e nel Distretto a vagare, e questuare, più del tempo comodo, e sufficiente per visitare i Luoghi Santi, e purchè non conducano seco donne, e putti per andar con essi mendicando, e con altre dichiarazioni, provedimenti, e pene, che dovranno prendersi, e pubblicarsi con nuovo Editto, che dovrà fare Monsignor Governatore, col consiglio, e voto di detti due Prelati Ponenti di Consulta, ed Assessori del Governo, affinchè la Città, e suo distretto sieno continuamente ripurgati da questa sorta di gente oziosa, e malvivente.

§. 10. Confermiamo in ciascheduna delle sue parti la detta Nostra Costituzione delli 16. Decembre 1747. e specialmente nel §. 5., ove si provede alla celere, e spedita trasmissione di coloro, che sono condannati in pena della galera. Ma perchè questa trasmissione siegue perlopiù di notte, di maniera che resta del tutto ignota al Popolo la pena suddetta, e la causa, per la quale si trasmettono alla Galera, perciò vogliamo, ed ordiniamo, che quante volte si farà la suddetta trasmissione, si debba affiggere lo stesso giorno alle Porte del Governo, di Monte Citorio, della Consulta, della Sala di Campidoglio, in Campo di Fiore, ed in altri luoghi soliti *una Lista stampata dei Nomi, Cognomi, e Patrie di tutti coloro, che si trasmettono*, con il titolo del delitto, per il quale sono stati condannati, ed il tempo della loro condanna, niuno affatto eccettuato, affinchè in vista di tali pene gli altri si astengano da commettere somiglianti delitti. Incaricando il Governatore di Roma, ed il Fiscale Generale pro tempore, per la stampa, ed affissione suddetta, e di presentare a Noi, e nostri Successori volta per volta una copia nella prima susseguente.

Tale nota si ha a presentare a N. S.

Della Visita delle Carceri.

II. Della Visita delle Carceri.

§. 1. Essendo fin da tempo antichissimo una delle principali incombenze del Governatore, come Luogotenente del Cardinal Camerlengo di Santa Chiesa, o vogliamo dire Vice-Camerlengo, la Visita delle Carceri, e Carcerati di Roma, ed avendo Noi riconosciuto, che sebbene Alessandro VI. Nostro Predecessore sin dall'Anno 1492. aggiungendo al medesimo altri Visitatori fosse il primo ad istituire la Congregazione della Visita, e che a questa in appresso siano state date diverse amplissime facoltà con alcune dichiarazioni, e riforme da altri Nostri Predecessori, cioè da Paolo III. nella sua Costituzione 44., da Pio IV. nella sua Costituzione 58., da S. Pio V. nella sua Costituzione 68., da Paolo V. nella sua Costituzione 71., §. 23. e 24.: Niuno però di essi le abbia mai dato un fermo, e stabile regolamento; E quindi esser avvenuto, che un'opera di tanta carità, quale per altro non può esser indifferente a veruno de' Principi Cristiani, molto meno al Sommo Pontefice, sia presentemente in Roma poco meno che negletta, e trascurata.

Tal visita è stata anticamente istituita, con dichiarazioni, e riforme, ma senza stabile regolamento circa il modo di eseguirla.

§. 2. Pertanto di pari Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Suprema autorità ordiniamo, e comandiamo, che delle due Carceri pubbliche, che sono al presente comuni, e promiscue per li Carcerati di tutti i Giudici, Tribunali e Magistrati di Roma, di quà in avvenire *quelle di Campidoglio* restino perpetuamente assegnate per coloro, che saranno carcerati per ordine, o a disposizione del Senatore, e di ogni altro Giudice, e Magistrato della Curia Capitolina, e in conseguenza ancora dei Tribunali dell'Agricoltura, delle Strade, di Ripa, e di Ripetta, del Rettore dello Studio, o sia della Sapienza, e de' Maestri Giustizieri; e che all'incontro *le Carceri Nuove* fabbricate in strada Giulia da Innocenzo X. similmente Nostro Predecessore, e surrogate in luogo delle due più antiche di Borgo, e di Tordinona, restino in avvenire perpetuamente asse-

Distinzione de' Rei, ed Inquisiti, che nelle due Carceri devono esser condotti.

Quali spettino alle Carceri del Campidoglio.

Quali alle Carceri Nuove.

gnate per quelli, che saranno carcerati per ordine, o a disposizione del Cardinal Vicario, del Governatore, dell' A. C., del Tesoriero, e di ogn' altro Giudice, Tribunale, e Congregazione di Roma, tolta non solamente ai Birri, ed Esecutori, ma ancora alli Giudici suddetti ogni facoltà, ed arbitrio di fare, oppure ordinare diversamente.

In amendue le Carceri si faranno tre sorti di visite. Una ordinaria. La seconda straordinaria. La terza graziosa.

§. 3. In sequela di detta divisione di Carceri, e Carcerati, la quale dovrà effettuarsi anche per quelli, che si troveranno carcerati nel giorno della pubblicazione della presente Cedola di Moto proprio; Vogliamo, che in avvenire si facciano onninamente tanto per le Carceri di Campidoglio, quanto per le Carceri Nuove, tre Visite distinte, e separate, cioè la Visita *Ordinaria*, la visita *Straordinaria*, e la Visita *Graziosa*, nella forma, e modo seguente, cioè:

Ogni Giovedì la visita ordinaria, alternativamente in una delle due Carceri.

§. 4. Che in ogni *Giovedì* mattina all'ora solita della Campana di Monte Citorio, ancorchè sia giorno di Festa, e quando la mattina fosse impedita per qualche Cappella, Concistoro, o altra Funzione pubblica, nel medesimo giorno dopo pranzo, si faccia la visita *Ordinaria* alternativamente, e per turno, cioè il primo Giovedì dopo la pubblicazione della presente in Campidoglio, e l'altro Giovedì susseguente alle Carceri Nuove, e così di mano in mano tutto l'Anno, e senz' alcuna intermissione.

Persone, che devono intervenire alla visita delle Carceri del Campidoglio: E dell' ordine nel sedere.

§. 5. Che alla detta Visita Ordinaria in Campidoglio possa ad arbitrio suo intervenire il Governatore di Roma, come Vice-Camerlengo, e perciò a capo della tavola debba esservi sempre per lui la solita sedia; ma però non sia tenuto d'intervenire, quando non voglia; siano bensì tenuti ad intervenire, sedendo alla destra di esso Governatore, *il Presidente* pro tempore *delle Carceri*, o altro Chierico di Camera da sostituirsi dal medesimo con approvazione Nostra, e de' Nostri Successori: *Il Prelato della Carità, ed il Prelato della Pietà*, o altri Prelati da sostituirsi dalle loro Archiconfraternite: *L'Avvocato de' Poveri, e l'Avvocato Fiscale*, o due altri Avvocati Consistoriali da loro sostituiti con nostra approvazione, come sopra: *Il Fiscale Generale di Roma*; o suo Sostituto Fiscale: *Il Giudice Camerale* Criminale, o suo Sostituto: *e li due Procuratori de' Poveri*, cioè quello deputato dalla Camera, e l'altro deputato dalla Carità, o almeno uno di essi.

§. 6. E che all'incontro di questi, e dal lato sinistro, sieno, secondo il solito, obbligati ad intervenire, e sedere *il Senatore* di Roma, e *li tre Conservatori col Priore de' Caporioni*, o almeno due di essi alternativamente: *Il primo, e il secondo Collaterale: Il Giudice de' Malefizj; Il Fiscale, e il Procuratore de' Poveri di Campidoglio*, quale dovrà sempre esser Segretario della Visita di queste Carceri, oltre il Notaro, quale parimente dovrà assistere, ma però senza voto.

Persone interv alla delle Ca ri nuov dell' or nel sede

§. 7. Per la visita ordinaria delle Carceri Nuove, dovrà personalmente intervenire: *Il Governatore di Roma*, sedendo a capo di tavola: *L'Uditore della Camera* dal lato destro; *e il Chierico di Camera Presidente delle Carceri* dal sinistro: dopo di essi dovranno intervenire, e sedere *li due Ponenti* di Consulta Assessori del Governo, *e li due Prelati della Carità, e della Pietà*, cioè due a destra, e due a sinistra, con precedenza fra di loro secondo l'ordine di anzianità in Prelatura. Seguiranno a destra; *L'avvocato de' Poveri, il Fiscale Generale, il Primo, ed il Secondo Luogotenente del Governo, il Procuratore de' Poveri*, deputato dalla Camera, *e il Procuratore Civile* parimente de' Poveri. All'incontro, ed a sinistra seguiranno *l'Avvocato Fiscale, il Luogotenente Criminale dell'A. C., il Luogotenente Criminale del Vicario, il Giudice Criminale Camerale, e il Procuratore de' Poveri* deputato dalla Carità, quale sarà sempre Segretario della Visita di queste Carceri: Oltre il *Commissario de' Galeotti, e Capo Notaro* della Carità, quali ultimi due assisteranno senza voto. Tutti li suddetti dovranno intervenire personalmente, lasciando per quel giorno ogn'altra incombenza, che mai avessero per altra carica, nè sarà loro lecito sostituire altri, senza Nostro speciale rescritto; eccettuato l'Uditore della Camera, al quale solamente si lascia l'arbitrio di non intervenire, con che però sempre vi sia la Sedia per lui nel luogo, come sopra, destinato.

Ciò, debba tr tarsi n Visite or uarie d due Ca alternati mente.

§. 8. In questa visita *Ordinaria* da tenersi alternativamente un Giovedì in Campidoglio, e l'altro Giovedì susseguente alle Carceri Nuove, li suddetti respettivi Visitatori non dovranno consumare il tempo nè in riconoscere stanze, camere, ed officine, nè in vedere, se li carcerati sono gravati dai Custodi nella qualità o prezzo delle cibarie, strapunti, e cose simili; ma dovranno unicamente attendere, invigilare, ed insistere per lo rilascio di coloro,

che non debbano restare più lungamente carcerati, e respettivamente per lo disbrigo delle Cause, in rapporto a quelli, che per giustizia non debbano rilasciarsi.

§. 9. A tale effetto tanto in Campidoglio, come nelle Carceri Nuove, dovrà incominciarsi la visita *Ordinaria* dalli Carcerati *nelle Segrete*; Dappoi proseguirsi per li Carcerati Criminali, che stanno *alla larga;* ed in ultimo per *li Carcerati Civili*. E perchè si faccia rispetto a tutti con buon ordine, dovranno li Procuratori, e Sollecitatori de' Poveri aver formato, e distribuito nel giorno antecedente di Mercoledì a ciascuno de' Visitatori *due Liste* distinte delli Carcerati per Cause Criminali, cioè una, ove siano descritti i nomi di tutti li Carcerati nelle segrete, e l'altra, ove siano descritti li nomi di tutti li Carcerati alla larga, e sì l'una, che l'altra, con il giorno della loro Carcerazione, il Giudice, o Tribunale, a cui appartengono, e se mai, e quante volte sono stati esaminati, lasciando sotto la partita di ciaschedun Carcerato uno spazio sufficiente in bianco per notarvi il Decreto, che farà la piena Visita.

§. 10. Con queste due Liste alla mano, e secondo l'ordine delle medesime, si chiameranno in primo luogo *li Carcerati delle Segrete* interrogandoli ad uno per uno, se sono stati costituiti dentro i primi tre giorni a tenore della riforma di Paolo V. dichiarata ed ampliata in detta nostra Costituzione delli 16. Decembre 1747. §. 7.: Se dopo la prima volta sono stati altre volte esaminati, e quante, e se sono stati esaminati dal Giudice, presente il Notaro, oppure dal solo Notaro senza il Giudice. Licenziato poi il Carcerato, dovranno i Visitatori sentire dal Giudice, a cui appartiene, il Titolo della Causa, per cui è stato carcerato: Se a querela, istigazione, o denunzia di alcuno, oppure *ex officio:* Se prima di carcerarlo aveva il Fisco indizj sufficienti, e tali, quali si ricercano per venire alla cattura personale per disposizione del Gius comune, e della detta riforma di Paolo V. §. 10. *num.* 5.: Se sono stati carcerati come pretesi Rei, oppur come Testimoni, ed essendo carcerati come Testimoni, se sieno stati ritenuti più di tre giorni contro la disposizione delle leggi comuni; e se sieno stati carcerati in causa, che non sia delle più gravi, contro la detta riforma *d.* §. 10. *num.* 24.: E finalmente dovranno interrogare il Giudice della Causa, a qual termine si trovi il Processo. Facendo per ciascun d'essi Carcerati quel Decreto, che conviene per la buona, ed esatta, ma però celere, ed espedita amministrazione della Giustizia; e prefiggendo, quando occorra, al Fisco, e molto più quando vi sia, all'Aderente, un termine congruo per formare, proseguire, e terminare il Processo, assegnar le Difese, e procedere alla Sentenza; senza contentarsi di sole risposte generali, come è stato dichiarato in detta nostra Costituzione delli 16. Decembre 1747. §. 7.

E si faccia il Decreto che occorrerà.

§. 11. Spediti li Carcerati *nelle Segrete*, si dovrà leggere *la lista delli Carcerati nelle Carceri larghe*, interrogando ciascuno d'essi da che tempo sono stati carcerati: Se da principio sono stati posti alla larga, oppure in segreta, ad effetto di punire quei Birri, che avessero posto alcuno in segreta per Cause leggiere, contro le risoluzioni più volte fatte dalla piena Visita, e specialmente sotto li 21. Luglio 1735.: E se, e quante volte, e da chi, cioè se dal Giudice presente il Notaro, oppure se dal solo Notaro, sono stati constituiti, ed esaminati. Dopo di che licenziando il Carcerato, dovranno riconoscere i Visitatori per ordine di qual Giudice è stato carcerato, se ad istanza, denunzia, o querela di alcuno, se con prove, ed indizj sufficienti, se è stata osservata la detta nostra Costituzione delli 16. Decembre 1747. al §. 6. circa le Catture, e Perquisizioni; E finalmente per qual delitto, e causa sia stato Carcerato, ed in quale stato sia il Processo; facendo per ciascheduno di essi, o il Decreto di rilasso con precetto, o senza, oppure con l'esilio, secondo le circostanze de' casi, e prefiggendo al Fisco, e quando vi sia all'Aderente, un termine congruo, dentro il quale debba aver formato, e terminato il Processo.

Si passi poi alla Visita dei Carcerati della Larga, ed in che s'abbiano ad interrogare

§. 12. Dovranno similmente i Visitatori in questa Visita *Ordinaria* riconoscere, ed insistere, che sia onninamente eseguita la suddetta nostra Costituzione nel §. 5. circa la trasmissione di coloro, che sono stati già condannati alla Galera, facendosi esibire la Lista stampata di quelli, che saranno stati trasmessi nell'ultima precedente trasmissione; E quando il Capo del Tribunale, a cui appartiene il Condannato, ne avesse ordinato l'arresto, dovranno verificarlo, con farsi esibire l'ordine sottoscritto, senza del quale non dovrà attendersi alcun' Arresto, e farsi dar conto del motivo,

Altre incombenze della Visita Ordinaria.

ad effetto di riconoscere, se sono stati, o nò, giustamente arrestati.

3. Della Visita dei Carcerati per debito Civile.

§. 13. Venendo per ultimo *ai Carcerati per debito Civile*, non dovrà per questi farsi alcuna Lista; ma essendovi alcuno, in favore del quale concorrano le cause, e circostanze espresse in detta Costituzione 71. di Paolo V. §. 24. *per tot.*, sarà a carico dei Defensori particolari di ciaschedun carcerato, e in mancanza di essi, delli Procuratori, e Sollecitatori, de' Poveri, fare istanza in piena Visita per la dimissione, e scarcerazione a tenore di essa Costituzione. Volendo Noi, che per tale effetto non si aspettino le Visite graziose, quali non si fanno, se non che due volte l' Anno, come si dirà in appresso, ma che le suddette istanze possano farsi, e debbano ammettersi in ciascuna Visita Ordinaria. Dichiaramo però, che qualora si pretenda dal Carcerato la nullità della sua Cattura, debbano li Visitatori solamente procedere alla dimissione, e rilascio, quando la nullità sia chiara, altrimenti non debbano ingerirsi nella cognizione, e decisione della medesima, ma debbano rimetterne l' ispezione alli Giudici suoi; poichè non vogliamo, che la potestà, ed autorità della Visita, da potestà Economica, passi mai, e si converta sotto qualunque colore, o pretesto, in giudiziale, e contenziosa.

Ispezioni circa essi.

Nelle Liste dei Carcerati, ch' hanno i Visitatori, a noti il Decreto fatto per ciascheduno di essi.

§. 14. Dopo la prima Visita Ordinaria, che si farà in sequela della presente per tutto, ed alternativamente, come si è detto, tanto in Campidoglio, come nelle Carceri Nuove, dovranno i Sollecitatori, e Procuratori de' Poveri notare, e riportare nelle Liste da farsi per l' altra Visita *Ordinaria* susseguente, sotto la partita di ciascheduno carcerato il Decreto fatto nell' antecedente, ad effetto che li Visitatori veggano, e riconoscano, se, e come sia stato eseguito, per dare gli ulteriori provedimenti. Di più li due Procuratori de' Poveri, e respettivi Segretarj, dovranno il giorno dopo ciascheduna Visita *Ordinaria*, portare a Noi, e Nostri Successori per mezzo de' Nostri Uditori pro tempore, ciascheduno le dette due Liste con i loro Decreti, altrimenti in caso di mancanza saranno come negligenti rimossi dall' Uffizio.

Della Visita Straordinaria.

Incombenze di essa.

§. 15. Oltre la Visita *Ordinaria* da farsi, come sopra, nel giorno fisso, ed a tutti noto di Giovedì, dovrà farsi ancora ogni Mese, e all' improviso, la Visita *Straordinaria* tanto inculcata dalli prelodati Nostri Predecessori, cioè da Paolo IV. nella sua Costituzione 58. §. 15. e da Paolo V. nella d. sua Costituzione 71. §. 23. *n.* 2., in cui senza punto ingerirsi nelle Cause de' carcerati, dovranno unicamente visitarsi tutte le stanze, camere, ed officine, tanto larghe, che segrete, e tutte l' Infermerie, per riconoscere, e provedere, che siano tenute con la dovuta polizia. Di più dovranno i Visitatori in questa Visita Straordinaria riconoscere il vino, ed il pane, ed altre cibarie, e dovranno interrogare i carcerati, se mai fossero strapazzati dalli custodi, oppure gravati dagli Affittuarj, ed altri, circa i prezzi tassati nella Tabella, quale deve tenersi affissa nelle Carceri, secondo la forma di dette Costituzioni, senza però, che per questo s' intenda tolta alli Deputati della Carità la facoltà di visitare in altri tempi, e a loro arbitrio, le cose suddette, come sono soliti lodevolmente di fare.

Persone, che devono farla.

§. 16. Ad effetto però di rendere più facile questa Visita *Straordinaria* di ogni mese, ed ancora più segreta, ed improvisa: Quanto alle Carceri di Campidoglio sarà questo peso del solo *Senatore* di Roma, con *uno de' due Prelati Ponenti di Consulta, ed Assessori del Governo, il Prelato della Pietà, l' Avvocato de' Poveri*, o altro Avvocato Concistoriale sostituito, come sopra, con Nostra approvazione, ed *il Fiscale, e Procurator de' Poveri* di Campidoglio. E quanto alle Carceri Nuove, sarà questa Visita Straordinaria di ogni Mese a carico *del Governatore di Roma*, con *l' altro delli due Prelati Ponenti di Consulta Assessori del Governo, il Prelato della Carità, l' Avvocato de' Poveri*, o suo sostituto *il Fiscale Generale, e li due Procuratori della Camera, e della Carità*, non essendo necessario, nè opportuno, che intervengano altri Visitatori.

Della Visita detta Graziosa.

§. 17. Finalmente vogliamo, ed ordiniamo, che oltre la suddetta Visita Ordinaria *di ogni Settimana*, e la Visita Straordinaria *di ogni Mese*, si faccia ancora *due volte l' anno* la Visita *graziosa* tanto in Campidoglio, come alle Carceri Nuove, cioè prima di Natale, e prima di Pasqua di Resurrezione, e che si faccia da quegl' istessi Visitatori, che sono stati di sopra stabiliti per la Visita Ordinaria di ogni settimana, ad effetto di ordinare, ed effettuare il rilascio, non solo dei Carcerati per delitti leggieri con qualche Precetto, o senza, secondo le circostanze de' casi, ma ancora dei carcerati

per debito civile, qualora in favore de' medesimi, o concorrano le Cause espresse nella detta Costituzione 71. di Paolo V., oppure l' Archiconfraternità della Pietà, o altri Benefattori pagando de' proprj denari, giusta il loro lodevole Instituto, una parte del debito, ottengano dai Creditori il saldo e quietanza dell' intiero.

Altri Regolamenti per levare alcuni Abusi introdotti dai Giudici, e Notari Criminali del Tribunale del Governo, ed altri Tribunali, e Ministri di essi.

§. 1. In occasione di dare un miglior ordine alle cose criminali dei Tribunali di Roma, e specialmente del Governo, avendo Noi risaputo gli abusi introdotti da alcuni Giudici, e Notari Criminali di diversi Tribunali per esigere emolumenti maggiori del giusto sotto titolo di viatici, di produzioni, di mancie, e di altri simili pretesti, e volendo onninamente rimoverli, ed estirparli: Di simile Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Apostolica podestà ordiniamo, e comandiamo, che dai Giudici, e Tribunali tutti di Roma, e specialmente dai Giudici Criminali si osservi, ed eseguisca puntualmente, ed onninamente la suddetta Costituzione 71. di Paolo V. in tutte, e singole parti, alle quali fin' ora non è stato espressamente derogato con altra diversa disposizione di altri Pontefici Successori, o da Noi medesimo: Volendo, e decretando, che i Giudici, e ciascuno d' essi, in caso di qualsivoglia contravenzione, siano tenuti ed obbligati del proprio a risarcire tutti i danni, ed interessi, e quando vi sia l' Aderente al Fisco, siano tenuti, ed obbligati in solidum, intendendo però delli Giudici Luogotenenti, e Sostituti Criminali, e non mai delli Capi de' Tribunali, o dei Prelati, che intervengono alle loro Congregazioni, ai quali si lascia solamente il peso d' invigilare sopra la condotta di detti loro Subalterni.

§. 2. Molto più vogliamo, ed ordiniamo, che si osservi, ed eseguisca puntualmente da tutti, e singoli suddetti Giudici Subalterni, e da tutti i Notari, Cancellieri, Straordinari, ed Esecutori di Roma, e specialmente nelle Cause, e materie Criminali, la *Tassa* stabilita, e pubblicata del medesimo Paolo V., nel suo Moto proprio, o sia Costituzione 72., rivocando Noi, ed annullando a tal' effetto ogni altra Tassa diversa, e difforme dalla sudetta Paolina, non ostante qualunque Concessione Apostolica, Consuetudine di lungo, e lunghissimo tempo, e stilo in contrario. Anzi ad effetto, che la menzionata Tassa Paolina sia da tutti puntualmente osservata, rinnoviamo l' ordine già dato nel suddetto Moto proprio di Paolo V. §. 3., cioè che negli Uffizj di tutti, e singoli Notari debba quella tenersi publicamente affissa, stampata, e tradotta in lingua Italiana; Altrimenti il Notaro, dopo venti giorni dalla publicazione della presente, cada, e s' intenda ipso facto caduto nella pena di tre Scudi per ciaschedun giorno, in cui quella non si trovi realmente affissa nell' Uffizio, ed in luogo a tutti scoperto, e visibile, senza speranza di alcuna remissione: E di più vogliamo, che i Notari Criminali siano tenuti, ed obbligati di scrivere, e notare giorno per giorno in un Libro ben cartolato, quale dovrà intitolarsi: *Receptorum Criminalium:* la precisa quantità, che riceveranno dalle Parti per qualunque Atto, e Titolo, e Causa, e darne ricevuta in scriptis alle medesime Parti, e loro Procuratori, sotto pena di Scudi 100. per qualunque contravenzione, dà applicarsi, come la suddetta di Scudi tre, per una decima parte alli Procuratori de' Poveri, che ne faranno istanza al Capo del Tribunale, o all' Uditore Nostro, e de' Nostri Successori pro tempore, e il rimanente alla Congregazione della Carità per mantenimento de' Carcerati.

§. 3. Affinchè poi non resti alterata detta Tassa Paolina sotto pretesto de' viatici, vogliamo, che tutti i Giudici Criminali, ai quali appartiene, e specialmente quelli del Vicario, e del Campidoglio, tengano onninamente nelle giornate giuridiche, ed in ora certa, e determinata, che dovranno fissamente stabilire, dopo la Campana di Campidoglio, o Monte Citorio, l' Udienza pubblica; e che in essa li Notari siano tenuti di leggere le citazioni, che cadano in detta Udienza, senza poter pretendere alcun viatico, essendo questo solamente dovuto, quando le Parti, o di esse vogliano far leggere alcuna citazione in giorno, che non sia giuridico: E così pure li medesimi Notari, quando ricevono l' ordine d' intimare ai Carcerati o l' Esilio, o qualche Precetto, debbano eseguirlo dentro il medesimo giorno, nè possano per ciò pretendere alcun viatico, sotto

Che si tenga la detta Tassa stampata in ogni Uffizio.

Di più ogni Notaro debba tenere un Libro intitolato: Receptorum Criminalium: ed in esso notare, quello, che esige per ogni atto.

3. Tutti i Giudici criminali tengano nei giorni giuridici l' udienza pubblica, per la quale i Notari non possano pretendere Viatico.

I Notari senza prendere viatico debbano nello stesso giorno intimare alli Carcerati o l' esilio, o ogni precetto.

pena di dieci scudi per qualunque contravenzione, da applicarsi come sopra.

4. Si dispone come si abbia a procedere nel fare precetti a Donne, ed agli Amasii.

§. 4. Alle Donne oneste, o almeno, che non siano *gravemente diffamate*, non si facciano Precetti senza prove sufficienti, e senza che preceda la trina monizione prescritta dai Sagri Canoni, e dal Sagro Concilio di Trento; fatto poi che sia una volta con prove legittime, e con dette precedenti ammonizioni, *non si rinnovi la seconda volta*, ma provata che sia la Contravenzione, si eseguisca contro l' Uomo la pena dell' Esilio, o altra pena comminata nel Precetto, quale non possa mai commutarsi in pena pecuniaria senza nostro special Rescritto, e de' Nostri Successori; E quanto alla Donna si provveda in quella forma, che stimerà migliore la prudenza del Capo del Tribunale, secondo la diversa qualità de' casi: che se mai alcuno dei precettati giustificherà di essere innocente, non solo debba cancellarsi il Precetto, o in tutto *gratis*, o al più *con soli tre Paoli*, e non più, per il Decreto di cancellazione; ma in oltre resti al medesimo l'arbitrio, ed il dritto di convenire i suoi Calunniatori, e quando mai dal Giudice, da cui è stato precettato, se gli negasse, o ritardasse la Giustizia, possa ricorrere ai Giudici Superiori per ottenere la rivocazione, servando però intanto il Precetto, che gli è stato fatto.

La pena dei precetti, dopo l'incorso in essa non si possa commutare in pecuniaria.

5. Nè Uomini, nè Donne possano mendicare dopo ore 24. e di notte.

§. 5. Nè Uomini, nè Donne di qualsivoglia età vadano mendicando per le strade di Roma dopo le ore 24., e di notte, senza licenza in Scriptis da concedersi in tutto *gratis* o dal Cardinale Vicario, o dal Vicegerente pro tempore, potendo li poveri procacciarsi facilmente il Vitto, durante il giorno, con le abbondanti limosine, che si fanno in Roma, non solo dai Particolari, ma anche dai Monasterj, Conventi, e Luoghi Pii; la suddetta licenza non dovrà darsi, se prima non costi, che sia persona onesta, e che giustamente si vergogni mendicare di giorno; e dovrà sempre negarsi a Fanciulle, e Donne giovani.

6. Donne, e Fanciulle, o di giorno, o di notte sotto niun pretesto, nè per mendicare, nè per comprare viveri, possano entrare in luoghi, che si accennano.

§. 6. Similmente vogliamo, ed ordiniamo, che le Donne, e Fanciulle Mendicanti di qualunque età, e molto più Donne disoneste, non siano in avvenire per qualunque causa, o pretesto anche di chieder elemosina, o di comprar pane, vino, o altri vittuali, ammesse, o ricevute nè di notte, nè di giorno, e molto meno alloggiate, dentro li Caffè, Bigliardi, Locande, Alberghi, Osterie, Bettole, Stalle, o altra Bottega, ove soglia concorrere, e fermarsi della Gente, poste in Roma, o dentro tre miglia fuori le Porte di Roma, loro Cortili, Giardini, Orti, ed ogni altra pertinenza, Case, ed anche Guardiole de' Birri, o di altri Ministri di Giustizia, o che le suddette Donne, e Fanciulle siano ancora in compagnia d' altre, e di altri, sotto pena irremissibile a chi le ammetterà, o riceverà anche per brevissimo tempo, di tre tratti di corda, e di Scudi cento per qualunque contravenzione, se sarà di giorno, ed essendo di notte di Scudi dugento, alla qual pena pecuniaria vogliamo siano tenuti i Padroni, e Principali, anche per il fatto, e colpa de' loro Garzoni, e Subalterni. E solamente sarà loro lecito di vendere alle medesime, o dare loro per elemosina pane, vino, e altri vittuali fuori le Botteghe, ed in mezzo alla pubblica strada; Con che però neppure per tal causa si fermino con esse più del bisogno, e molto meno a trastullare.

7. Le suddette Donne non possano esser ammesse a dormire in portici e o in altri luoghi si pubblici, e privati.

§. 7. Vogliamo inoltre, che alle suddette Donne mendicanti di qualunque età, non sia lecito, nè permesso di ritirarsi a dormire sotto i Portici, Entroni, Scale, o altre appartenenze di Chiese, Luoghi Pii, Case, e Palazzi sì pubblici, che privati di Roma; Ma debbano onninamente ritirarsi prima delle ore ventiquattro alle case proprie, se l' hanno, e non avendo casa propria, all' Ospizio delle Donne vicino a Santa Galla, sotto pena della carcerazione a pane, ed acqua per quaranta giorni continui, e poi dell' Esilio. Esortando Noi, e strettamente incaricando in virtù di Santa Obbedienza li Magistrati, che risiedono nelle Case, e Palazzi pubblici, e respettivamente li Superiori delle Chiese, e Luoghi Pii, li Gentiluomini, ed altri onesti Cittadini, ed altri abitanti in Roma, di attendere, ed insistere con tutta diligenza, che dentro i Cortili, Entroni, Stalle, ed altre pertinenze loro, non siano in conto alcuno ricoverate Donne, e Fanciulle mendicanti, anzi neppure altre Donne, che non siano da loro conosciute per savie, ed oneste.

N. S. esorta i Padroni, Presidenti dei detti luoghi ad invigilare, che le Donne in essi non si ricoverino.

8. Si stabiliscono le pene contro quelli, che permettessero la contravenzione a quello che di sopra si è disposto.

§. 8. E perchè questi Provvedimenti tanto necessarj per la quiete, e buon costume della Città siano onninamente eseguiti, dovranno sopra ciò invigilare, ed insistere tutti i Tribunali, e Giudici Criminali di Roma; E in oltre agli Esecutori di essi Tribunali, se mai tenessero mano, o in qualunque modo prestassero favore alle Persone, che contravenissero, vo-

premio
secuto-
r l' a-
miento
, che si
scritto

preseri-
lle qua-
i quel-
e devo-
ser am-
a scri-
ed at-
nelle
crimi-

e tanto
, che
hanno
, ed
to, co-
quelli,
orranno
ammes-
i abbia-
l esami-
ed ap-
ore se-
o la for-
che si
rive.

gliamo, si dia immediatamente l' Esilio con tre tratti di Corda: così all' incontro conducendo essi alle Carceri alcuna Donna, che vada senza licenza elemosinando per Roma di notte, o essendo solita mendicare di giorno, si trovi dentro i luoghi, e Botteghe, come sopra vietate, oppure, che non siasi ritirata alla casa propria, o in detto Ospizio di Santa Galla prima delle ore 24., vogliamo gli si dia dalla nostra Camera, dopo provata con due Testimonj de visu la contravenzione, *il premio di uno scudo* per qualunque Donna, e rispettivamente un *decimo* della pena pecuniaria, che si esigerà dagli Albergatori, Stallieri, Osti, Tavernieri, Bettolieri, Locandieri, ed altri suddetti, che saranno da essi similmente carcerati per tal contravenzione, ed il resto si applicherà per una metà alla suddetta Camera, e per l' altra al suddetto Ospizio di Santa Galla senza alcuna diminuzione.

§. 9. Finalmente ordiniamo, e comandiamo, che non tutti indistintamente, e promiscuamente si ammettano in Roma, come si è fatto fin' ora, a scrivere, oppure anche attitare nelle Cause Criminali, ma solamente si ammettano persone di nascita e costumi onesti, quali abbiano studiato la Teorica in qualche Università, ed appresa la buona pratica almeno per tre anni continui nello studio dell' Avvocato de' Poveri, o dell' Avvocato del Fisco, o del Fiscale Generale, o di uno delli Luogotenenti dell' A. C., del Governo, del Vicario, del Giudice de' Maleficj di Campidoglio, o del Giudice Camerale Criminale; E perciò tanto a quelli, che esercitano al presente la Professione Criminale, (purchè non siano attualmente Procuratori, o Sollecitatori già deputati de' Poveri, oppure Sostituti Fiscali di qualche Tribunale, oppure Uditori de' Baroni da tre anni a questa parte) quanto a quelli, che vorranno esercitarla in avvenire, vogliamo, che sia, e s' intenda inibito, e vietato di proseguirla, ed esercitarla, se prima non saranno esaminati, ed approvati da Monsignor Governatore con il voto delli detti due Prelati Ponenti di Consulta ed Assessori del Governo, e del Fiscale Generale, uniti assieme in Congregazione, alla quale per tale effetto vogliamo ancora, che possano, e debbano intervenire parimente con voto decisivo l' Uditore della Signatura di Giustizia, e l' Uditore Nostro, e de' Nostri Successori pro tempore, e respettivamente col voto consultivo, li Luogotenenti Criminali dell' A. C., del Governo, e del Vicario, il Giudice de' Maleficj, ed il Giudice Camerale. Volendo, che si faccia degli esaminati, ed approvati il suo elenco, come si pratica delli Procuratori Civili, che sono ammessi a scrivere in Rota, e che a questi solamente sia permesso di attitare, e scrivere, nelle Cause Criminali di Roma.

Dovrà farsi l' Elenco stampato di quelli, che sono esaminati, ed approvati.

§. 10. Li Procuratori, e Sollecitatori de' Poveri tanto deputati dalla Camera quanto dalla Carità, Pietà, o da altri chiunque sia, e quelli, che studiano appresso de' medesimi, non dovranno mai patrocinare, o sollecitare nè direttamente, nè indirettamente alcuna Causa Criminale contro degl' Inquisiti, o de' Rei; ed all' incontro i Procuratori, o Sollecitatori, o altri Ministri, ed Uffiziali del Fisco in qualunque modo determinati, e quelli, che studiano appresso di loro, non dovranno mai patrocinare, o sollecitare alcuna causa contro il Fisco, sotto pena di scudi 500. da applicarsi per una quarta parte all' Accusatore, dopo che avrà somministrato prove sufficienti, per un' altra quarta parte alli Giudici, e Notari di quel Tribunale, nel quale pende la Causa, e per il rimanente alla nostra Camera, oltre la rimozione dell' Uffizio: Volendo Noi, che a tal' effetto possa procedersi etiam *per Inquisitionem*, e che li Principali siano tenuti per la contravenzione de' Giovani, che studiano appresso di loro. Molto più sarà vietato alli Giudici Criminali, e loro Sostituti di attitare, o scrivere o pro, o contro del Fisco, sotto la pena medesima da applicarsi come sopra; e qualora avvenga, che in Consulta, o in altro Tribunale si proponga alcuna Causa, in cui abbia interesse qualche Curia, Comunità, o Vassallo Baronale: Se l' Uditore, oppure Ajutante di studio del Prelato, o altri, che dovrà votare in tal Causa, sarà anche Uditore Criminale del Barone, il Prelato, o altri suddetti, dovranno astenersi dal votare in detta Causa, pel sospetto, in cui deve giustamente aversi il di lui Uditore Criminale, ed Ajutante di studio.

10. Li Procuratori, e Sollecitatori dei Poveri, e quelli, che studiano presso di essi, non possano attitare contro i Rei, o Inquisiti. Nè i ministri del Fisco possano attitare contro di esso.

Ciò molto più è vietato alli Giudici criminali, e loro sostituti.

Cosa debba farsi nell'evento, che si tratti di una Causa Baronale, nella quale l' Uditore di un Votante sia Interessato, e suddito.

Esecutori di questo Nostro Moto proprio, e di tutti, e singoli provvedimenti, e regolamenti, che in esso, come sopra, si contengono, deputiamo, e vogliamo che siano quelli stessi, che sono deputati Esecutori nella detta Costituzione 71. di Paolo V., e di più il nostro Uditore pro tempore, e de' nostri Successori, l' Uditore parimente pro tempore della

Deputazione dei Giudici Esecutori.

Segnatura di Giustizia, con le medesime facoltà date, e concedute in detta Costituzione.

Clausule per la perpetua, ed esatta osservanza del presente Moto Proprio.

Volendo, e decretando, che alla presente nostra Cedola di Moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in Camera, e ne' suoi Libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d'alcun' altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, e giuridichi, anche di Jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnata, moderata, e rivocata, ridotta ad viam Juris, o concedersi contro di essa l'Aperizione Oris, o altro qualunque rimedio, e così, e non altrimenti, debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazioni anche de' Reverendissimi Cardinali, Camerlengo di S. Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare in contrario: Dichiarando Noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione della presente Nostra Cedola di Moto proprio; quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non vi sieno state chiamate, e sentite, o citate quali si sieno Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, Ecclesiastiche, e Luoghi Pii, che avessero, o pretendessero avere interesse nella presente Nostra disposizione, e che per comprenderle fosse bisogno di special menzione.

Deroga alle cose contrarie.

Non ostante la Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore *de Registrandis*, la Regola della Nostra Cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostanti ancora tutti, e qual si sieno Chirografi, Brevi, Ordinazioni, e Costituzioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri Predecessori, Bandi, ed Editti, in virtù d'essi, ed in qualunque altro modo emanati, affissi, e pubblicati, Leggi, e Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario: alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserito, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra Podestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra Cedola di Moto proprio, amplamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo.

Dato dal Nostro Palazzo di Monte Cavallo questo dì 12. Maggio 1749. Dat. a dì 12 Mag 1749

BENEDICTUS PAPA XIV.

Pont. Motu proprio praeinsertum Chirographum confirmat.

Cum autem praemissa omnia, tam ad servandum erga Reos, et Inquisitos aequabilem justitiae, et clementiae modum, quam ad legum observantiam, et publicam vivendi honestatem in hac Alma Urbe, quae totius Christiani Orbis caput est, et exemplar, futuris temporibus asserendam, opportuna et apta fore conspiciamus; ne illa ullo umquam tempore debitis fraudentur effectibus; Nos eamdem praeinsertam Schedulam, omniaque et singula in ea contenta et expressa, et a Nobis per eam, ut praefertur, sancita, volita et ordinata, Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum Literarum Nostrarum tenore confirmamus et approbamus; eisque perpetuum et inviolabile praesentis Nostrae perpetuo valiturae Sanctionis robur et firmitatem adjicimus; atque iterum, et ex integro ea omnia et singula, in omnibus et per omnia, juxta praeinsertae Schedulae seriem, continentiam, et tenorem eadem apostolica Auctoritate statuimus, volumus, et ordinamus; eademque ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in futurum, perpetuo observari et exactissime impleri jubemus, atque praecipimus.

Mandat omnibus etc etissimam observantiam.

Mandantes propterea Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus modernis in Urbe ejusque Districtu Vicario in Spiritualibus generali, et ipsius S. R. E. Camerario, nec non Dilectis pariter Filiis praedictae Urbis Gubernatori ejusdem S. R. E. Vice-Camerario, ac Generali Causarum Camerae Apostolicae Auditori, et Carcerum Praesidi, Nostroque pariter, et Romani Pontificis pro tempore existentis Auditori, ac Signaturae Justitiae Praefecti Auditori; Item Senatori Urbis, aliisque in ipsa Schedula superius expressis, eorumque omnium in Officiis, et muneribus praedictis respective Successoribus, ut praemissa omnia et singula observent, ac ab omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum,

exactissime observari faciant; inobedientes vero, impositis poenis in praeinserta Schedula statutis, coerceant, et compescant, tam ex Officio, et per inquisitionem, quam ad Instantiam Advocati Pauperum, Procuratoris Fisci, Commissarii Camerae, et Procuratorum Pauperum pro tempore existentium, et aliorum, quorum interest, et omni, et quacumque appellatione sive recursu remotis.

lausulae praemissa firmi.

Ac decernentes, praeinsertam Schedulam, nec non praesentes Nostras Literas, perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, fore; ac quibuscumque juris seu facti defectibus, qui adversus illa, etiam quorumvis privilegiorum a Sede Apostolica concessorum praetextu, ad effectum impediendi, seu retardandi earum exequutionem, quovis modo, seu quavis ex causa opponi, seu objici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis quomodolibet afferendis impedimentis penitus et omnino rejectis, ac neutiquam attentis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, sublata praefatis omnibus, aliisque quibuslibet aliter statuendi, et interpretandi facultate, inviolabiliter et inconcusse observari debere; Ac irritum et inane decernentes, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

rogatio ariis.

Non obstantibus omnibus iis, quae in ipsa praeinserta Schedula non obstare voluimus, et quibusvis aliis Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

io poe-

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, roboris adjectionis, Sanctionis, et ordinationis, jussionis, praecepti, mandati, et Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, et indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

. Pont. die 22. 1749.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, XI. Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno IX.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 27. Maji ejusdem anni.

Seguitur schedula Motus proprii super qualitatibus requisitis ad exercenda Officia Judicum, Relatorum, Defensorum, aut Notariorum in Criminalibus; necnon super modo, et facultate exercendi eadem Officia, vel seorsim, vel simultanee, pro diversa eorum natura.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

Si conferma, e si dichiara il precedente Moto proprio al §. 3. n. 9. e 10.

Animati dal giusto desiderio di rimettere in buon sistema, e in quella stima e credito, che conviene, la Professione Criminale, troppo certamente avvilita in questa nostra Curia, e Città di Roma per essere state in passato ammesse indistintamente all' esercizio della medesima in qualità di Difensori, ed anche di Giudici, e Notari, alcune Persone di poca o niuna abilità, e senza veruna precedente inquisizione: Con altra Cedola di Nostro Moto proprio da Noi segnata li 12. Maggio del corrente anno 1749., e dappoi solennemente confermata colla nostra Costituzione, che incomincia: *Justitiae gladium:* data li 22. e pubblicata li 27. dello stesso mese, prescrivemmo *al §. 3. num. 9.* alcune certe qualità, delle quali debbono essere ornati coloro, che vogliono continuare, oppure nuovamente assumere la detta Professione Criminale: E susseguentemente *al num. 10.* sotto alcune certe pene vietammo a quelli, che sono incaricati della difesa de' Poveri, il comparire, attitare, o scrivere contro qualunque sorta d'Inquisiti, o Rei; e vicendevolmente alli Difensori, ed Offiziali del Fisco il comparire, attitare, o scrivere contro il medesimo Fisco; E molto più alli Giudici Criminali, e loro Sostituti, d' ingerirsi nella difesa delle Cause, o sia per il Fisco, o sia contro di esso, seguendo in ciò le vestigia de' nostri Predecessori, e specialmente di Paolo V. nella sua celebre Costituzione 71. §. 15. 16., e 17.

§. 2. Ma avendoci in appresso umilmente rappresentato alcuni Sostituti Luogotenenti, ed alcuni Sostituti Fiscali Luogotenenti della curia, e Tribunale dell' Uditor Generale della nostra Camera, e di altri Tribunali di Roma, che essendo essi soliti attitare, e scrivere per gli aderenti al Fisco, troppo grave era il danno, che loro risultava dall' essere in oggi generalmente privati di tal facoltà. Abbiamo

perciò stabilito di provvedere all' indennità de' medesimi, per quanto però è compatibile con la retta, ed illibata amministrazione della Giustizia, e dichiarare più largamente la nostra intenzione tanto in ordine a quelli, che professano la Criminale per qualche Carica, Uffizio, o Deputazione, come rispetto a quelli, che senza alcuna Carica, Uffizio, o Deputazione, si esercitano per mera elezione, e volontà loro in attitare, o scrivere nelle Cause Criminali.

I Giudici, Relatori, Difensori, e Notari Criminali, che da tre anni erano in esercizio, potranno continuare.

§. 3. Avendo per tanto qui per espresso, e di parola in parola inserito l' intero tenore di detta nostra Costituzione data il 22. Maggio prossimo passato come pure dell' altra che incomincia: *Rerum humanarum:* data il 16. Dicembre 1747., ed ogn'altra cosa quantòsivoglia necessaria ad esprimersi; E incominciando da coloro, che godono di qualche Carica, Uffizio, e Deputazione; vogliamo, e dichiariamo, che tutti quelli, i quali al tempo, che fu pubblicata la detta nostra Costituzione *justitiae gladium*, erano, e si trovavano già deputati, e servivano attualmente Sostituti Luogotenenti, per Sostituti Fiscali Luogotenenti, o anche per semplici Sostituti Fiscali tanto di numero, che sopranumero in qualunque Curia, o Tribunale di Roma: Come pure li Relatori Criminali delle Congregazioni, e gli Uditori Criminali da tre anni indietro de' Baroni Romani, degli Abbati Regolari, anche Commendatarj, quali godono nelle loro Abbazie Giurisdizione Criminale, e dei Reverendissimi Cardinali Vescovi Suburbicarj residenti in Roma: E finalmente quelli, che al tempo suddetto già erano, e si trovavano legittimamente deputati per Difensori, e Procuratori, o Sollecitatori de' Poveri, non solo da Noi, ma ancora dalle due Confraternite della Carità, e della Pietà dalla Curia di Campidoglio, ovvero da altra Curia, e Magistrato: E finalmente quelli, che di quel tempo erano già Notari Criminali, o Sostituti de' medesimi in qualunque sia Curia, e Tribunale, possano senz' altra inquisizione, et esame, continuare, come prima, nel libero esercizio delle loro Cariche, Uffizj, e Notariati, secondo le respettive facoltà, e deputazioni di ciascuno di essi.

§. 4. Quanto poi alla facoltà di comparire, attitare, o scrivere nelle Cause Criminali, inerendo al suddetto nostro Moto proprio delli 12. Maggio prossimo passato, ed alla detta Costituzione 71. di Paolo V. nostro Predecessore, vogliamo di nuovo, e comandiamo, che a niuno di quelli, che sono, o saranno in avvenire deputati, come sopra, per Avvocato, Difensore, Procuratore, o Sollecitatore de' Poveri, sia lecito comparire, attitare, o scrivere nè sotto il proprio, nè sotto l' altrui nome contro gl' Inquisiti, o Rei (siano, o non siano dentro le Carceri) in alcuno de' Tribunali, o Congregazioni, o avanti alcun Giudice di Roma: essendo essi, e ciascuno di loro, in virtù della sua Deputazione, ed Uffizio, obbligati a comparire per li medesimi Inquisiti, e Rei in qualunque occorrenza: E che all' incontro all' Avvocato del Fisco, al Procuratore Fiscale generale, e suoi Sostituti Fiscali tanto generali, che particolari, che sono, e saranno in avvenire, in niun caso sia lecito comparire, attitare, o scrivere nè sotto il proprio, nè sotto l' altrui nome in favore degl' Inquisiti, o Rei, essendo essi tenuti in virtù del proprio Uffizio di attitare, comparire, e scrivere quante volte occorre per il Fisco.

I Giudi Principal de' Tribun li qui espres non posso assumer d fesa nè d Fisco, uè d Rei

§. 5. Li Luogotenenti dell' Uditore della Camera, del Governo, e del Vicario, il Giudice de' Maleficj, il Giudice Camerale, ed ogni altro Giudice Criminale principale di qualunque sia Curia, Tribunale, o Congregazione di Roma, si contentino dell' onore, ed Uffizio di Giudice, nè mai s' ingeriscano nella difesa di alcuna Causa Criminale nè per il Reo, ed Inquisito, nè per il Fisco, o suo Aderente. Quelli però, che non sono Giudici principali, ma sono Giudici subalterni, cioè Sostituti Luogotenenti, o di numero, o anche sopranumero, ancorchè sieno nello stesso tempo, e si chiamino anche Sostituti Fiscali, o con altro qualsisia nome; E così parimente li Notari Criminali, e loro Sostituti nella Curia dell' A. C., del Governo, del Vicario, e di Campidoglio, come che in virtù del loro Uffizio, e Ministero di Luogotenente, sono tenuti a servire, ed aver parte per qualunque caso occorrente nella formazione, e fabbrica de' Processi Criminali, non dovranno mai comparire, attitare, o scrivere nè sotto il proprio, nè sotto l' altrui nome, nè per il Fisco, o suo Aderente, nè contro li medesimi in qualunque Causa, che verta non solo nel Tribunale, a cui servono, ma neppur negli altri tre poc' anzi nominati, tra i quali sogliono vicendevolmente commettersi in grado di Appellazione, o di Ricorso le Cause giudicate in uno di essi: Essendo cosa troppo

I subalterni e Notari quattro Tr bunali Or narj, possono co parire con Difensori alcuno di si Tribuna

assurda, e disconvenevole, che si assuma, o possa assumersi la figura di Difensore, o del Fisco, e suo Aderente, o degl'Inquisiti, e Rei da quelli medesimi, che in figura di Giudici, e di Notari hanno fabbricato il Processo, o possono esser tenuti a fabbricarlo.

Potranno ... compa- in altri ...unali, o ...gregazio- ...purchè le ...se dai lo- ...Tribunali ...sieno per ...sare a ...esti in ...lo d'ap- ...zione.

§. 6. Ma perchè, salva la retta, ed illibata amministrazione della Giustizia, ci sta grandemente a cuore, che non resti ad alcuno preclusa la strada di esercitarsi nella Professione Criminale, e rendersi sempre più abile, ed esperto in tal materia, in quei casi, ne' quali non può entrare alcun sospetto di parzialità, o di affezione: Perciò vogliamo, e dichiariamo, che li suddetti Sostituti Luogotenenti dell' A. C., del Governo, e del Vicario, e ancora se ne fossero di Campidoglio, come anche li Notari di dette Curie e loro Sostituti Criminali, siano di numero, o siano di sopranumero, possano liberamente comparire, attitare, e scrivere tanto per il Fisco, e suo Aderente, quanto contro di essi in ogni altra Causa Criminale, che debba giudicarsi o nelli Tribunali Camerali, o nella Congregazione della Consulta, o in altra qualsisia Congregazione di Roma, che abbia Giurisdizione Criminale: Giacchè le Cause de' Tribunali Camerali, e di dette Congregazioni non si commettono mai in grado di appellazione, o di ricorso, ad alcuno di detti quattro Tribunali Ordinarj; E vice versa quelle, che sono giudicate in detti Tribunali Ordinarj non si commettono mai in seconda, o in altra istanza nè alli Tribunali Camerali, nè ad alcuna di dette Congregazioni: Eccettuiamo però, rispetto al Fiscale, Sostituto Fiscale, e Notari della Curia di Campidoglio, quelle cause, nelle quali dal giudicato de' Conservatori si appella al Tribunale del Camerlengo, come pure rispetto ai Sostituti Luogotenenti, ed altri suddetti Ministri, e Notari della Curia dell' A. C., le Cause della Congregazione de' Vescovi, e Regolari, della Dataria, e del Palazzo Apostolico, quante volte accada, che il Luogotenente del medesimo A. C. ne sia Giudice, o Relatore, come lo è presentemente: E similmente rispetto alli Sostituti Luogotenenti, e Notari del Governo, eccettuiamo le Cause da giudicarsi nella Congregazione della Consulta, quando per ordine della medesima, come bene spesso avviene, sia stato fabbricato, o impugnato il Processo dalla stessa Curia del Governo.

§. 7. In somma vogliamo, e comandiamo per legge, e regola generale, che tutti quelli che sono, o in avvenire saran tenuti di servire anche per subalterni alcuna Congregazione, o Tribunale di Roma, ancorchè qui non espresso, e non specificato, o in figura di Giudice, o in figura di Notaro nella formazione, e fabbrica de' Processi, non solo debbano astenersi dall'attitare, o scrivere sia per il Reo, o sia contro di esso nel Tribunale, o Congregazione, a cui servono, ma ancora se ne debbano astenere in ogn' altra Congregazione, e Tribunale, cui possa esser commessa la medesima Causa in seconda, o altra istanza, ovvero in cui debba giudicarsi sopra il medesimo Processo: Et all' incontro possano comparire, attitare, e scrivere in qualunque altra Causa, che si agiti in ogni altra Congregazione, ed in ogni altro Tribunale, purchè tra questo, e il proprio, non vi sia alcun passaggio in grado di appellazione, o di ricorso, e purchè in esso la Causa non si abbia da giudicare sopra alcun Processo, nel quale eglino, o loro subalterni abbiano avuto parte alcuna o in figura di Giudici, o in figura di Notari.

§. 8. Per la medesima ragione, e in sequela della medesima legge, e regola generale, tutti quelli, che sono, o saranno tenuti a servire o come Giudici, o come Notari in alcun de' Tribunali Camerali, non potranno in verun caso comparire, attitare, o scrivere nè in favore del Fisco, e suo Aderente, nè contro de' medesimi, nè sotto il proprio, nè sotto l'altrui nome, non solo in quel Tribunale, a cui servono, o serviranno, ma nè tampoco in altro Tribunale Camerale, a cui possano passare dal proprio, o da cui possano venire al proprio Tribunale le Cause Criminali in grado di Appellazione, o di ricorso. Potranno bensì comparire, e scrivere nelle altre Cause, che vertono ne' suddetti Tribunali Ordinarj dell' A. C., del Governo, del Vicario, e di Campidoglio, cioè in Campidoglio nella maniera poc'anzi divisata, in Consulta, ed in altre Congregazioni, che hanno giurisdizione Criminale: Giacchè tra questi Tribunali, e Congregazioni, e li suddetti Tribunali Camerali, alla riserva del Campidoglio nel caso suddetto, non vi è alcun passaggio di Cause in grado di Appellazione.

Il Fiscale Generale, il Fiscale di

§. 9. Il Fiscale Generale di Roma, il Fiscale di Campidoglio, e loro Sostituti Fiscali, pur-

Campidoglio, e loro Sostituti, che non siano Giudici, potranno comparire pel Fisco in ogni Tribunale.

chè non sieno nello stesso tempo Sostituti Luogotenenti di numero, o sopranumero, o che per altro qualunque titolo non possano essere deputati ad assistere come Giudici nella formazione de' Processi Criminali, potranno comparire, attitare, e scrivere non solo in quel Tribunale, a cui servono, ma ancora in ogni altro Tribunale di appellazione, o di ricorso; con che però compariscano, e scrivano, come si è detto di sopra, solamente per il Fisco, o suo Aderente, e non mai contro di essi. E perciò li dieci Sostituti Fiscali del Governo, ai quali con altra Cedola di Moto proprio da Noi segnata li 30. Settembre 1747., e dappoi solennemente confermata mediante l'altra Nostra Costituzione, che incomincia: *Rerum humanarum:* abbiamo assegnato graziosamente il fisso, e certo salario di scudi quindici per li quattro di numero, e di scudi dieci al mese per gli altri sei Sopranumero, comecchè sono obbligati di assistere in figura di Giudici nella Fabbrica dei Processi, non dovranno mai reputarsi, come semplici Sostituti Fiscali, e perciò quanto all'attitare, e scrivere, dovranno sempre essere soggetti alle Regole, e Leggi poc' anzi prescritte per li Sostituti Luogotenenti.

Gli Uditori, e Giudici particolari, eccettuate le Cause giudicate nelle loro Curie, possano comparire nelle altre in ogni Tribunale.

§. 10. Finalmente gli Uditori Criminali de' Baroni Romani, degli Abbati Regolari, o Commendatarj, che godono nelle loro Abbazie Giurisdizione Criminale; come pure quelli dei Cardinali Vescovi Suburbicarj, che risiedono in Roma, non potranno comparire, attitare, o scrivere nè pro, nè contro il Fisco, o suo Aderente, in alcuna di quelle Cause, che saranno state giudicate nelle loro Curie Baronali, Abbaziali, o Vescovili, o che la Causa passi al Tribunale dell' A. C., o che vada in Consulta, o altrove, in grado di Appellazione, o di ricorso: Dovendosi presumere, che quelle siano state giudicate in dette Curie con il consiglio, e direzione loro. Vogliamo però, che possano comparire, e scrivere senz' altro esame, senz' altra approvazione, in ogni altra Causa Criminale tanto in favore, che contro gl' Inquisiti, purchè, secondo la forma del Nostro precedente Moto proprio delli 12. Maggio prossimo passato, sieno stati deputati, ed abbiano effettivamente esercitato l'Uffizio di Uditor Criminale per tre anni prima della pubblicazione del medesimo, e purchè in virtù di altra Carica non restino compresi sotto le Regole, e Leggi soprascritte.

Si prescrive di nuovo l'esame, ed approvazione delle persone, che potranno esercitare la Professione Criminale.

§. 11. A niun altro, che non goda di alcuna delle Cariche, ed Uffizj suddetti, benchè sia Procuratore di Collegio, o in altro qualunque modo approvato a scrivere *in Civilibus*, sarà lecito comparire, attitare, o scrivere nelle Cause Criminali nè pro, nè contro il Fisco, e suo Aderente, nè sotto il proprio, nè sotto l' altrui nome, avanti alcun Giudice, Tribunale o Congregazione di Roma, e nettampoco fare istanza, che la Causa debba rimettersi al Giudice Criminale, se non sarà stato prima esaminato, ed approvato a scrivere *in Criminalibus* nella maniera stabilita in detto Nostro Moto proprio delli 12. Maggio, come in fatti è già seguito di alcuni nell' esame tenuto li 19. Giugno prossimo passato; E solamente per impulso della Nostra Paterna clemenza permettiamo a quelli, quali comparivano, o scrivevano in una, o più Cause Criminali prima, che fosse pubblicato il suddetto Moto proprio, di poter continuare nella difesa della medesima Causa, o Cause, fino al nuovo esame, che sarà intimato dal Nostro Monsignor Governatore di Roma dentro il corrente mese di Novembre; ma però non più oltre; di modo che passato il giorno di detto nuovo esame, a chi non si sarà soggettato al medesimo, non possa, nè debba più ammettersi scusa alcuna, o darsi altra dilazione.

§. 12. E perchè l' Inquisizione, ed Esame di quelli, che vorranno in avvenire attendere in Roma alla Professione Criminale, vien da Noi considerato per uno de' Provvedimenti più efficaci, ad effetto di rimettere in credito, ed in buon sistema la medesima Professione; Perciò ampliando, e dichiarando il più volte nominato nostro Moto proprio delli 12. Maggio, non solo vogliamo, ed ordiniamo, che quelli, i quali vorranno assumerla di nuovo, ed essere ammessi a comparire, attitare, o scrivere in alcuna Curia, o Congregazione, debbano avere tutti i Requisiti in esso prescritti al §. 3. *num.* 9., cioè, che debbano esser Persone di nascita, e costumi onesti, aver studiato la Teorica Criminale, almeno per il corso di un anno intero o nella Sapienza di Roma, o in altra approvata Università, e successivamente appresa la buona pratica almeno per altri tre anni continui nello studio dell' Avvocato, o delli tre suddetti Procuratori de' Poveri, o di altri nominati in esso Moto proprio, e finalmente che debbano essere stati esaminati, ed

approvati da Monsignor Governatore pro tempore con il voto della Congregazione a tal effetto già stabilita.

§. 13. Ma in oltre vogliamo, e comandiamo, che niuno in avvenire possa essere da chiunque sia eziandio Cardinale della S. R. Chiesa, ed in vigore di qualunque facoltà, e privilegio, ancorchè per comprenderlo bisognasse qui farne espressa, e specifica menzione, deputato per Procuratore, o Sollecitatore de' Poveri, per Sostituto Luogotenente, oppur anche per semplice Sostituto Fiscale, per Uditor Criminale, oppur Relatore di alcuna Congregazione, che non abbia i suddetti Requisiti, e che insieme non sia stato esaminato, ed approvato, come sopra: Derogando Noi per tal effetto a qualunque Privilegio, e consuetudine ancorchè immemorabile, ed anche a qualunque Costituzione Apostolica nostra, o de' nostri Predecessori, che facesse, o potesse fare in contrario.

§. 14. Finalmente vogliamo, ed ordiniamo, che in avvenire non debba neppur' alcuno ammettersi ad esercitare in Roma l'arte di Notaro Criminale o in qualità di Capo, o in qualità di Sostituto, che non sia di nascita, e costumi onesti: Che non abbia studiato, come sopra, la Teorica Criminale per il corso d'un anno in qualche approvata Università: Che non abbia dappoi appreso la buona pratica almeno per altri due anni continui in qualità di Novizio nella Banca, ed Uffizio di alcuno de' Capi Notari di Roma: E che non sia stato esaminato, ed approvato, come poc'anzi si è detto degli altri Professori Criminali.

§. 15. In sequela, ed esecuzione di questi nostri provvedimenti, subito che sarà stato dentro il corrente mese di Novembre tenuto il suddetto nuovo esame, il nostro Monsignor Governatore di Roma si prenderà la cura di formare un Sillabo, o sia Elenco Generale di tutti quelli, che a tenore del presente nostro Moto proprio potranno esercitare in Roma la Professione Criminale: Cioè di tutti quelli, che come Sostituti Luogotenenti, o per altro qualunque titolo sono tenuti di assistere come Giudici nella fabbrica, e formazione de' Processi: Di tutti i Relatori, e di tutti quelli, che sono Uditori Criminali da tre anni indietro: Di tutti i Procuratori, e Sollecitatori de' Poveri: Di tutti quelli, che sono Sostituti Fiscali, o per altro qualunque titolo sono tenuti a comparire per il Fisco: Di tutti quelli, che non avendo alcuna delle Cariche, ed Uffizj suddetti, saranno stati esaminati, ed approvati a scrivere, e comparire tanto a favore, che contro il Fisco: E finalmente di tutti i Notari, e Sostituti Criminali di qualunque Congregazione, Tribunale, Magistrato, e Curia, eccettuata la sola Congregazione, e Tribunale della S. Inquisizione: Volendo Noi e dichiarando preventivamente, che dall' essere in detto Sillabo, ed Elenco o prima, o dopo descritti in alcuna Congregazione, Tribunale, Magistrato, o Curia, Relatore, oppure Uditore, non sia, nè s' intenda perciò irrogato alcun menomo pregiudizio alla dignità, e preeminenza di veruno di essi, nè dei loro Ministri, ed Uffiziali, ma sia, e s' intenda solamente fatto per maggior comodo, facilità, e chiarezza del medesimo Elenco.

§. 16. Avverta pertanto ciascuno, a cui appartiene, di essere diligente in dare il suo nome, e di giustificare nelle mani di esso Monsignor Governatore le qualità di sopra prescritte dentro il termine di giorni dieci dopo seguito il detto nuovo esame; perchè quelli, che non saranno descritti nell' Elenco suddetto, ancorchè si trovino in possesso di alcuna delle riferite Cariche, Uffizj, o Notariati Criminali, s' intenderanno ipso facto decaduti, senza speranza di alcuna grazia, o purgazione di mora. E se alcuno, come sopra, non descritto ardirà di comparire, o scrivere, o in figura di Giudice, o in figura di Difensore, o in figura di Notaro, in alcuna Causa Criminale, o sotto il proprio, o sotto l' altrui nome, caderà irremissibilmente, ed ipso facto nelle pene contenute in detto Nostro precedente Moto proprio; quale in tutte le altre parti non repugnanti, nè difformi dal presente, vogliamo, che s' intenda pienamente, ed amplamente confermato, essendo così mente, e volontà nostra espressa, per la cui perpetua inviolabile fermezza vogliamo, che qui si abbiano, e s' intendano per trascritte, e ripetute tutte le Clausule, Deroghe, e Decreti, che si leggono apposti in dette due nostre precedenti Costituzioni. Pene contro i contravventori.

§. 17. Volendo, e decretando, che alla presente nostra Cedola di Moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in Camera, e ne' suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d' alcun' altro vizio, o Clausole.

difetto della nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti possa essere impugnata, moderata, o rivocata, e che così, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazione anche de' Reverendissimi Cardinali, Camerlengo di S. Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario: Dichiarando Noi sin d' adesso perventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto cio, che da cadauno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e deposizione della presente nostra Cedola di Moto proprio; quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice nostra sottoscrizione; benchè non vi sieno state chiamate, sentite, o citate quali si sieno Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse, e che per comprenderle facesse bisogno di special menzione: Non ostante il precedente nostro Moto proprio segnato li 12. Maggio prossimo passato, in quelle parti però ripugnanti alla presente nostra determinazione, la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore *de registrandis*, la Regola della nostra Cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostanti altresì qualunque privilegio, e consuetudine, ancorchè immemorabile, e qualunque Costituzione Apostolica Nostra, e de' nostri Predecessori, Leggi, statuti, riforme, stili, usi, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserito, e registrato, e supplendo colla pienezza della nostra Podestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e total' esecuzione di quanto si contiene nella presente nostra Cedola di Moto proprio, ampiamente, ed espressamente deroghiamo.

Dat. a dì 7. Nov. 1749.

Dato dal nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 7. Novembre 1749.

BENEDICTUS PP. XIV.

PRO MUTUI COMMERCII IX.

Libertate inter Provincias Ditionis Pontificiae asserenda, ac impedienda extractione generum ab eadem Ditione.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

Commerci libertas inter Subdito Ditionis Ec clesiasticae statuta pe Literas An 1748. edita quas vid Bullar. tom II. num. 53

Benchè in sequela dell'ampla, ed amplissima libertà, che con Cedola di Nostro Moto proprio segnata li 29. Giugno dell' anno prossimo passato 1748. e poi inserita, e confermata solennemente per Bolla, o sia Costituzione perpetua in data delli 8. del mese susseguente di Luglio, benignamente concedemmo a tutti, e singoli abitanti, e commoranti nelle Provincie, e Legazioni di Bologna, Ferrara, Romagna, ed Urbino, nella Provincia della Marca, sotto cui intendemmo comprendere anche lo Stato di Fermo, e in altri Governi, Città, Terre, e Luoghi espressi in detto Nostro Moto proprio al §. 1., di poter ciascuno a suo piacimento, ed arbitrio non solo vendere, e comprare, o in altro qualunque modo contrattare, ma in oltre estrarre, e trasportare per via di terra in tutto il decorso dell' Anno da un luogo all' altro della medesima Legazione, e Provincia, e respettivamente per nove mesi dell'Anno anche da Legazione a Legazione, e da Provincia a Provincia, Grano, Biade, Formentone, e Marzatelli di qualsivoglia genere, ed in qualunque modo denominati, senza domandarne licenza alcuna, nè darne Assegna, Denunzia, o Notizia nè in voce, nè in scritto ai Cardinali pro tempore Legati, Vice-Legati, Governatori, Presidenti, Magistrati, o loro Uffiziali, Cancellieri, e Ministri, avrebbe dovuto ognuno apertamente, e facilmente intendere, che non dovevasi più astringere alcuno a denunziare, ed assegnare la quantità del Grano, Biade, Formentone, e Marzatelli, o novamente raccolta, o per altro qualunque titolo ritenuta, e posseduta:

Exturbatur, adactis Aratoribus ad denuncian-

§. 2. Avendo Noi nondimeno risaputo essere stati nella Nostra Provincia di Romagna, e anche altrove, da alcuni Governatori Locali

con Editti penali ordinato di dare dentro un certo, e determinato tempo le Assegne de' Grani, Marzatelli, e Minuti, ed essersi ancora proceduto all' esecuzione delle pene non solo contro quelli, che non avevano dato le Assegne suddette, ma ancora contro altri, che le avevano date, sotto il colore, e pretesto, che non fossero giuste; e quindi essere avvenuto, ed avvenire, che li Nostri amatissimi Sudditi, e specialmente gli Agricoltori, Coloni, e Contadini, i quali noi riguardiamo con particolare Paterno affetto, sieno rimasti, e rimangano tuttavia, come lo erano prima di detta Nostra grazia, ed amplissima concessione, esposti, e soggetti a continue vessazioni, e processure Criminali in evidente danno di tutto il Nostro Stato:

§. 3. Perciò ad effetto di togliere, e sradicare ancor questo abuso, ed ogni altro pretesto, per il quale si voglia se non direttamente, almeno indirettamente rendere inutile la suddetta Nostra grazia, e concessione, ed impedire sul Grano, ed altri generi poc' anzi nominati quella piena libertà di commercio, della quale assolutamente, e costantemente vogliamo, che godano in pace, e senz' alcun minimo disturbo i Nostri Sudditi, specialmente dopo aver veduto, mediante l' esperienza di tutta la stagione decorsa, quanto sia necessario per il comodo, utilità, e vantaggio comune, di tutti i Luoghi, Terre, e Città del Nostro Stato, e tanto di quelle, che per natura, e situazione loro abbondano di detti generi, quanto dell' altre, che ne sogliono scarseggiare, il suddetto libero, e reciproco commercio.

§. 4. Di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema, ed Apostolica autorità annulliamo, e dichiariamo irriti, nulli, e di niuna forza, e valore, come fatti, e pubblicati contro la Nostra intenzione, e volontà, tutti, e singoli Editti, Ordini, e Bandi fatti, e pubblicati da qualunque sia Governatore, Vice-Governatore, e Magistrato, anche in sequela di alcuna Lettera, oppure ordine precedente di alcuno de' Cardinali Legati, Vice-Legati, Presidenti, e Governatori di Provincie, ne' quali sia stato ingiunto l' obbligo di assegnare, o in altro qualunque modo denunziare, Grano, Biade, Formentone, Marzatelli, ed altri Minuti di qualunque specie, anche sotto l' apparente, e specioso colore, che sia assolutamente necessario il sapere per mezzo di tali Assegne la quantità del raccolto, per potere, in caso di bisogno, regolare l' abbondanza, e far supplire a chi ne ha d' avanzo a quei luoghi, che ne scarseggiano: Avendo noi bastantemente provveduto, senza il vincolo, e soggezione di dette Denunzie ed Assegne, al bisogno di ciascheduna Città, Terra, e Luogo, con dare in detto Nostro Moto proprio un tempo più che congruo di tre mesi, ad effetto, che in ciascheduna delle Provincie, alle quali abbiamo conceduta la grazia del libero e scambievole commercio, non solo le pubbliche Abbondanze, li Monti Frumentarj, e li Forni Venali, ma eziandio ciascuna Persona particolare, e privato Cittadino, possa comodamente provvedersi del Grano, Formentone, e di ogni altro genere di Biade, e Marzatelli, che si raccolgono nella sua Legazione, o Provincia.

§. 5. In sequela di che vogliamo, e comandiamo, che si abbiano per nulle, ed irrite tutte, e singole inquisizioni, Processure Criminali, e Carcerazioni fatte in virtù di detti Bandi, ed Editti tanto contro quelli, che dentro il tempo in essi prescritto non aveano date le assegne, quanto contro quelli, che le aveano date, sotto il pretesto, che non fossero giuste. Anzi di più vogliamo, ed ordiniamo al Reverendissimo Card. Silvio Valenti Camerlengo di S. Chiesa, ed a ciascheduno delli quattro Arcivescovi di Bologna, Ferrara, Ravenna, ed Urbino da Noi specialmente deputati per Giudici, ed Esecutori di detto Nostro Moto proprio, e Costituzione sopra il libero commercio, che facciano onninamente restituire tutte le pene indebitamente esatte, e risarcire tutti, e singoli danni spese, ed interessi, rilasciandone, e facendone eseguire gli opportuni Mandati contro i Governatori, Vice-Governatori, Luogotenenti, Cancellieri, Ministri, ed altri Uffiziali di qualunque sorta, dei quali gli costerà, che abbiano ordinato, o avuta alcuna parte, ed ingerenza nelle dette Inquisizioni, Processure, Carcerazioni, e Pene: Tolta, e rimossa qualunque appellazione.

Processus eorum vigore factos annullat; Poenas exactas restitui jubet.

§. 6. Per l' avvenire poi, inerendo alla medesima Costituzione, di pari Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra podestà, confermiamo, e rinoviamo l' ordine in quelle già dato, che niuno dei Cardinali pro tempore Legati, Vice-Legati, Presidi, o Governatori tanto di Provincie, quanto Locali, Vice-Governatori, Luogotenenti, Segretarj, Fiscali,

Ordinationes quascumque libertati Commercii contrarias fieri vetat.

Cancellieri, ed altri Uffiziali di qualunque sorta, si faccia lecito, e rispettivamente ardisca di ordinare, pubblicare, o eseguire Bandi, Editti, Notificazioni, Tariffe, e simili, per le quali si rechi direttamente, o indirettamente, immediatamente, o in conseguenza alcuno, benchè minimo, impedimento al suddetto libero, e scambievole commercio, e alla suddetta Grazia, concessione, e facoltà di contrattare il Grano, Biade, Marzatelli, e Minuti, e quelli trasportare da luogo a luogo, e da Provincia a Provincia, secondo la forma di detta Nostra Cedola, e Costituzione; E perciò specialmente ordiniamo, che niuno di essi si faccia lecito, ed ardisca di costringere, ed obbligare in qualunque modo alcuno de' Soggetti alla loro Giurisdizione a denunziare, ed assegnare la quantità del Grano, Formentone, Marzatelli, Minuti, e Biade di qualunque sorta, o che ha raccolta, o che possiede, nè dentro li tre Mesi, per li quali abbiam voluto, che resti in sospeso il commercio reciproco tra Provincia, e Provincia, e tra Legazione, e Legazione, nè dentro gli altri nove Mesi, per li quali abbiam conceduto libero, perpetuo, e scambievole commercio anche da una Provincia all' altra, e da una Legazione all' altra: sotto le medesime pene comminate, ed espresse in detta Nostra Costituzione. Avendo Noi riconosciuto, e tuttavia semprepiù riconoscendo, che per promovere, mantenere, e conservare in questo Nostro Stato Ecclesiastico, o nelle sunnomate Provincie l'abbondanza del Grano, Formentone, Marzatelli, e Minuti, e Biade d' ogni sorta, il solo, ed unico provvedimento, non apparente, e non palliato, ma solido, efficace, e vero, è quello, che abbiamo preso, e che oggi di nuovo confermiamo, d' insistere, e invigilare, che li generi suddetti non si estraggano fuori di Stato, e che in virtù di tal proibizione restando i medesimi dentro lo Stato, possano circolare, e trasportarsi liberamente da per tutto, ove gli chiama il bisogno, mediante il suddetto libero, e reciproco commercio.

Denuntiationes quantitatis fructuum collectorum a nemine exigi posse declarat.

§. 7. Ond' è, che sebbene alcune Persone, Famiglie, Collegj, Religioni, ed altri, a tenore della detta Nostra Costituzione del libero, e reciproco commercio, abbiano dentro il termine in quella prefisso, esibito, e verificato innanzi la Congregazione Camerale il Privilegio d' estrarre fuori del Nostro Stato Grano, Legumi, Risi, Biade, Marzatelli, e simili, nientedimeno vogliamo, e comandiamo, che li medesimi Privilegiati debbano godere il detto loro Privilegio in maniera tale, che per causa di quello non si rechi pregiudizio alcuno alla Provincia, da cui si vorrà fare l' estrazione, nè a tutto il rimanente di detto Nostro Stato, nè alli diritti della Nostra Camera: E perciò vogliamo ancora, ordiniamo, e comandiamo, che non solo gli Appaltatori Camerali, ma ancora tutti, e singoli Privilegiati, che hanno ottenuto dalla detta Congregazione Camerale il Decreto di verificazione de' loro Privilegj, volendo far uso de' medesimi debbano denunciare, come già si è ordinato in detta Costituzione, volta per volta, la giusta quantità del Grano, ed ogni altro dei suddetti generi, che vorranno estrarre, e a tenore di essa denunzia debbano riportare dai Cardinali pro tempore Legati, Presidi, o Governatori di Provincie la Bolletta, e documento di essa denuncia, quale vogliamo, che loro si conceda del tutto *gratis*, e prima si registri nella pubblica Cancelleria, cosicchè facendo l' estrazione, e trasporto senza tal Bolletta, o prima, che questa sia stata, come sopra, registrata, anche gli Appaltatori, e Privilegiati suddetti incorrano nelle pene imposte in detta Nostra Costituzione, e nelle altre de' Nostri Predecessori; derogando in questa parte, quanto ne faccia bisogno, in forma amplissima, a qualunque Indulto, e Privilegio, che facesse in contrario tanto Nostro, che de' Nostri Predecessori, anche dati, e conceduti per causa, e contratto pubblico, e per titolo veramente oneroso.

Quae Privilegia ad hanc legem declarandam minime suffragari decernit.

Denuntiari tamen jubet genera e Statu Ecclesiastico extrahenda etiam in vim Privilegiorum approbatorum.

§. 8. Inoltre vogliamo, ordiniamo, e dichiariamo con la medesima amplissima, e generalissima Deroga, che niuno di detti Privilegiati possa far uso di detto Privilegio dentro i *tre Mesi*, per li quali è stato ordinato in detta Nostra Costituzione, che non debbano estraersi i generi suddetti da una Provincia all' altra, e da una Legazione all' altra, poichè essendo in questo tempo proibito il trasporto a qualsivoglia altro luogo dello stato Ecclesiastico fuori della Provincia, e Legazione, in cui si raccolgono i suddetti generi, molto più deve intendersi proibita alli suddetti Privilegiati l' estrazione, e trasporto fuori dello stato; E se mai (che Iddio non voglia) o nella Provincia, e Legazione, in cui nascono, e si raccolgono i detti generi, o in altre Provincie, e Legazioni dello Stato Ecclesiastico, avvenisse penuria, e scar-

Eadem Privilegia ... usum deduci non permittit tribus Annis mensibus quibus vetita est extractio de una Provincia ad aliam etc.

sezza di Grano, Formentone, Legumi, Risi, Biade, Marzatelli, e simili: in tal caso vogliamo, e dichiaramo, che per quell' anno, e stagione, nella quale accaderà simigliante penuria, e scarsezza, niuno di detti Privilegiati, ancorchè per comprenderlo avesse bisogno, eziandio secondo la forma del suo Privilegio, di speciale, e specialissima menzione, possa far uso alcuno di detto suo Privilegio, ma questo resti in sospeso per tutto l' anno, e stagione di scarsezza. Volendo, e decretando, che in detto caso sia, e s' intenda proibita anche alli suddetti Privilegiati l' estrazione del Grano, Marzatelli, ed altri generi suddetti, sotto le pene contenute in essa Costituzione.

§. 9. Rispetto poi a quelli, che dentro il tempo, e termine prescritto in essa Costituzione, o non hanno esibito innanzi la Congregazione Camerale i pretesi loro Privilegj, o avendoli esibiti, non hanno ottenuto dalla medesima il Decreto di verificazione: Vogliamo, ed ordiniamo, che onninamente si eseguisca, quanto da Noi è stato già ordinato, e disposto in detta Nostra Costituzione al §. 11., e perciò ordiniamo, ed incarichiamo al Reverendissimo Cardinal Silvio Valenti Camerlengo di Santa Chiesa, che con suo particolare Editto ciò notifichi a tutte le Persone, Famiglie, Religioni, Collegj, Monasterj, Università, ed altri che hanno ottenuto, come sopra, il Decreto di verificazione dalla Congregazione Camerale, ed in sequela dichiari, che niun' altra Persona, Collegio, Monastero, Religione, Università, Luogo, ed Opera Pia (eccettuata la sola Religione di Malta, rispetto alla quale ci riserviamo di prendere in appresso un special Provvedimento) gode, e può gedere, dal primo giorno di Giugno del 1745. in avvenire, dritto, facoltà, o Privilegio alcuno di estrarre fuori di Stato Grano, Marzatelli, ed altri generi suddetti; e che se alcuno, ciò non ostante, ardirà di estrarli, incorrerà irremissibilmente nelle pene di detta Nostra Costituzione, e delle altre de' Nostri Predecessori: E perchè in fine così è precisa volontà, e mente Nostra, alla quale tutti debbono uniformarsi, e prontamente obbedire.

§. 10. Volendo, e decretando, che alla presente Nostra Cedola di Moto Proprio, benchè non esibita, nè registrata in Camera, e ne' suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d' alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, e giuridichi, anche di Jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnata, moderata, e rivocata, ridotta *ad viam Juris*, o concedersi contro di essa l' Aperizione *Oris*, o altro qualunque rimedio; e che così, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazione, anche de' Reverendissimi Cardinali, Legati, a Latere, Vice-Legati, Camerlengo di Santa Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare in contrario: Dichiarando Noi sin d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione della presente Nostra Cedola di Moto proprio: quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non vi sieno state chiamate, sentite, o citate qual si sieno Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, Ecclesiastiche, Luoghi Pii, che avessero, o pretendessero avere interesse nella presente Nostra Concessione, e che per comprenderle fosse bisogno di special menzione: Non ostante la Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore *de registrandis*, la Regola della Nostra Cancelleria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostanti ancora tutti, e qualsisieno Chirografi, Brevi, Ordinazioni, o Costituzioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri Predecessori, Bandi, ed Editti, in virtù di essi, ed in qualunque altro modo emanati, affissi, e pubblicati, Leggi, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, e potesse fare in contrario: Alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra potestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente nostra Cedola di Moto proprio, ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo.

Dat. die 30. Maji 1749

Dato in Castel-Gandolfo questo dì 30. Maggio 1749.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Exhibit. in Actis Castellani Cam. Apost. Secret. die 6. Junii ejusdem anni.

DE FACULTATE

Obsignandi Vela Statuae Beatae Mariae Virginis in Sacra Lauretana Æde admota, et subscribendi folia eorum identitatem testantia: cum opportunis praeceptis super ipsorum distributione.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a Pont. studio erga S. Domum Lauretanam

Almae Domus Lauretanae decorem devoto cordis affectu diligentes, jam usque ab initio Pontificatus Nostri, post maturum examen Privilegiorum et Exemptionum omnium Ecclesiae, et Civitati Lauretanae a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessorum, omnia et singula hujusmodi privilegia, gratias, praerogativas, exemptiones, et indulta ab ipsis Praedecessoribus Nostris Sacrae Ædi Lauretanae, ejusque bonis, nec non Personis illi inservientibus quomodolibet concessa; ac praeterea quamdam Synopsim Resolutionum et Decretorum alias a Congregatione Lauretana nuncupata editorum super controversiis identidem inter Episcopos Lauretanos, et Civitatis Gubernatores pro tempore existentes circa regimen tam spirituale, quam oeconomicum, et politicum ipsius Sacrae Ædis, et illius Personarum, ac rerum, alphabetico ordine digestam, Apostolica auctoritate confirmavimus, et approbavimus: Simulque triginta tria dubia circa alias similes quaestiones vertentia, Nos ipsi resolvimus; nec multo post unum pariter dubium illinc ad Nostram audientiam delatum, subinde vero alia novem similia dubia ad examen Nostrum revocata, pari auctoritate definivimus, prout in Nostris Literis septimo Idus Januarii Anni Incarnationis Dominicae MDCCXLII., sub plumbo editis, et latius in Appendice ad calcem II. Voluminis Bullarii Nostri impressa distincte continetur.

Jam illius privilegia, Synopsim Decretorum Congregationis Lauretanae confirmavit

Nonnullaque dubia circa illius regimen orta, ipsemet decidit

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, particulae quaedam tam albi, quam nigri Veli, quo Sacra Statua Deiparae Virginis in ejus Æde sita pro tempore operitur, quodve statis temporibus eidem admovetur, pio confluentium, et peregrinantium studio requiri, eisdemque, certis quibusdam foliis, quae authentica vocantur, insertae distribui soleant; et quidem hujusmodi folia hactenus ab uno ex tribus Presbyteris Secularibus Lauretani Sacelli Custodibus designatis, privative quoad alios quoscumque, subscribi et obsignari consueverint; Nosque superiori Anno MDCCXLVIII. ad preces ex parte dilectorum Filiorum Poenitentiariorum in Ecclesia Lauretana Apostolica auctoritate deputatorum per supplicem Libellum Nobis exhibitas, rescripto Nostro sub die xi. mensis Junii ejusdem Anni edito, dictis Poenitentiariis pro tempore existentibus, quo faciliori; et magis expedita ratione Fidelibus hujusmodi Veli particulas expetentibus per eos satisfieri posset, concesserimus, et indulserimus, ut ipsi quoque super dictarum particularum identitate authentica documenta hujusmodi propria subscriptione et sigillo munire possent. Quia tamen experientia compertum est, concessionem hujusmodi a Nobis favore Poenitentiariorum omnium illic designatorum generaliter factam, novae quaestionis occasionem dedisse, aliisque animorum perturbationibus aditum aperuisse, contendentibus etiam nonnullis Ecclesiasticis Viris ejusdem Ecclesiae servitio addictis aequam sibi facultatem esse debere.

Item ad satisfaciendum Fidelium devotioni, Poenitentiarius Ecclesiae Lauretanae per Rescriptum concesserat, ut ipsa Vela Statuae B. Mariae Virginis, admota obsignare posset

Id varias quaestionibus aditum aperuit.

§. 3. Idcirco Nos omnes prorsus quaestiones, et controversias ab ea praecipue Ecclesia, in qua Ædes servatur, ubi Pacis Auctor naturam assumpsit humanam, prorsus eliminare cupientes, omnibus rei circumstantiis mature pensatis, auditis etiam gravium, proborumque Virorum sententiis, non ad alicujus suggestionem, aut instantiam, sed Nostris motu proprio, certa scientia, et potestatis plenitudine praesentium Literarum tenore statuimus, atque decernimus: Ut perpetuis futuris temporibus ad solos tres Presbyteros Custodes praefatos privative spectet, atque pertineat omnia Vela, quae Statuae Deiparae Virginis diebus ad id designatis admovenda offeruntur, eidem Statuae admovere; ita ut dictorum Custodum

Ideo ad eas tollendas statuit, ut tres tantum Custodes Sacrae aedis, qui autea, Vela eis tradenda Statuae Deiparae admovere possint

opera tantum, et non alias, Vela hujusmodi in quacumque quantitate fuerint ad ipsius Statuae contactum sint approximanda: Eisdemque Custodibus a quacumque Persona tam Ecclesiastica, quam Saeculari, hujusmodi Vela, seu illorum Volumina ad effectum praemissum tradi debeant: Ipsi vero Custodes eadem Vela, eorumve Volumina, post contactum Statuae, juxta morem hactenus servatum, proprio sigillo obsignare, et authentica reddere possint, ac debeant; nec alii cuilibet Personae cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, praeter ipsos Custodes, liceat in hujusmodi Velis Statuae praefatae admovendis, iisque, ut, praefertur, obsignandis se ingerere.

§. 4. Quum vero ex ipsis majoribus Velis, eorumque Voluminibus, jam Statuae praedictae, ut praefertur, admotis, et obsignatis, minores particulae praecidendae, et consuetis foliis imaginem Beatae Mariae Virginis repraesentantibus cum solito sigillo aptandae, et adnectendae erunt, ut piis Fidelibus, et Peregrinis erogentur, ac distribuantur; tunc volumus, ac etiam statuimus, ut folia hujusmodi cum dictis Veli particulis, non solum ab aliquo ex tribus Custodibus praefatis, ut moris erat, sed etiam quoad illas Velorum hujusmodi particulas, quae per praedictos Poenitentiarios distribuendae erunt, ab eorumdem Poenitentiariorum Collegii Rectore nunc et pro tempore existente dumtaxat, non vero ab alio ex ipsis Poenitentiariis, seu ab alia quacumque Persona cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existat, subscribi possint. Quocirca rescriptum Nostrum sub dicta die XI. Junii Anni MDCCXLVIII. in favorem omnium Poenitentiariorum, ut praefertur, factum ad praemissorum effectum moderamur, et coarctamus, et quatenus opus sit, Apostolicae potestatis plenitudine revocamus, cassamus, et abolemus.

§. 5. Praedicti autem Collegii Rectori nunc, et pro tempore existenti ipsarum tenore praesentium distincte injungimus, et mandamus, ut caveat, ne dictas Veli particulas sua subscriptione in foliis praefatis facienda communiat, nisi ipse tuto compertum habeat, ipsas Veli particulas precisas esse ex iis Velis, seu Velorum voluminibus, quae a dictis Custodibus Statuae praefatae admota fuere, idque ex apposito ipsorum Custodum signo cognoverit; ejus conscientiam super hoc onerantes; ac etiam prohibentes, ne umquam folia hujusmodi aliud quidquam, praeter consuetam Beatae Mariae Virginis Imaginem, receptamque attestationis formulam, exclusis aliis quorumcumque Sanctorum Imaginibus, aut aliorum verborum inscriptionibus, praeseferant; inhibentes quoque praedicto et pro tempore existenti ipsius Collegii Rectori, ne umquam, ullaque etiam infirmitatis, aut absentiae causa aliam quamcumque Personam ad ea folia vice sua subscribenda valeat subrogare.

consuetam formulam

Dictus Rector vices suas aliis committere nequeat.

§. 6. Ad haec, quoniam non sine gravissima animi Nostri molestia accepimus, quosdam perditionis filios olim non defuisse, qui piam Fidelium devotionem erga Velorum hujusmodi particulas in proprii quaestus occasionem convertentes, a confluentibus, et peregrinantibus exiguos quosdam nummos in particularum hujusmodi traditione exigere non dubitant; ne forte detestabile malum hujusmodi quandoque de novo subrepat, opportunum adjicere remedium non ommittimus: Propterea que simili Motu, scientia, et potestatis plenitudine, inhaerentes etiam aliis Apostolicis Praedecessorum nostrorum, ipsiusque Lauretanae Ecclesiae Synodalibus Constitutionibus, omnibus et singulis tam Sacrae Ædis Custodibus, quam dicti Collegii Rectoribus pro tempore existentibus aliisque, sive Ecclesiasticis cujuscumque status, gradus, et conditionis saecularibus, et cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti etiam Societatis Jesu Regularibus, sive Laicis Personis quibuscumque, earumdem praesentium tenore vetamus, et interdicimus, ne hujusmodi Velorum, et particularum causa quidquam directe, vel indirecte, etiam recognitionis, muneris, et strenae nomine, sive incommodi, et laboris obtentu, etiam a sponte dantibus, accipere audeant, vel praesumant; sed eorum distributionem gratis omnino, et pro solo Beatissimae Virginis honore, et Fidelium spirituali consolatione, et munime fieri praecipimus. Contravenientes autem etiam pro prima vice, si Ecclesiastici fuerint, poenam suspensionis a Divinis ipso facto incurrere; si vero Laici, ab ipsius Lauretanae Civitatis, et Sanctuarii Gubernatore, tamquam Congregationis Lauretanae Delegato, pecuniariis, aliisque etiam corporis afflictivis poenis, cum praevio tamen ipsius Congregationis assensu, severissime mulctari et affici volumus, atque decernimus.

Inhibitio, ne pro Velorum hujusmodi distributione quidquam etiam a sponte dantibus, recipiatur.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 7. Praesentes quoque Literas, etiam ex eo, quod dicti Custodes, et Poenitentiarii, et alii quicumque praemissis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes, quibus omnibus et singulis perpetuum desuper silentium imponimus, eisdem praemissis non consenserint, aut se ad ea non vocatos, vel non satis, aut nullo modo auditos fuisse dixerint, aliaque quavis de causa quantumvis juridica et legitima, de ullo subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus umquam posse; sed semper, et perpetuo validas, firmas et efficaces existere, et ab iis ad quos spectat, et in futurum spectabit, firmiter, et inviolabiliter observari, eisque omnino acquiesci: Sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac eamdem Congregationem Lauretanam, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque instantia, ubique judicari et definiri debere: Irritum quoque et inane quidquid secus super praemissis, vel eorum aliquo, aut circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, pari auctoritate decernimus.

Aliter judicari prohibetur.

Derogatio contrariis.

§. 8. Non obstantibus Rescripto Nostro praedicto, ac quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transumptis.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae haberetur, ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 10. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrarum constitutionis, ordinationis, moderationis, prohibitionis, poenarum impositionis, derogationis, praeceptorum, decretorum, mandati, et voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. Anno X. die 8. Septembr. 1749.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, sexto Idus Septembris Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

PAROCHI JURISDICTIO XI.

In Tertiarias conviventes intra Paroeciae fines.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decretum a Congregatione Concilii in Causa Januen. editum.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini interpretum in causa vertente inter dilectum filium modernum Rectorem Parochialis Ecclesiae S. Vincentii Civitatis Januen. ex una, ac dilectas in Christo Filias puellas Tertiarias nuncupatas Ordinis S. Dominici ex altera partibus, super

praetensione subjectionis eidem Rectori, et exemptione ab illo, praevia propositione dubii: *an puellae tertii Ordinis S. Dominici Civitatis Januae, nuncupatae Tertiariae, subjectae sint jurisdictioni Parochi in casu etc.* decretum tenoris sequentis, videlicet: *Die 26. Aprilis MDCCXLIX. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit affirmative. A Cardinalis Gentili Praefectus. F. A. Furiettus Secretarius: Loco ✠ Sigilli.*

Idem Decretum auctoritate Apostolica confirmatur.

§. 2. Cum autem, sicut praedictus Rector Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Rectorem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

usulae, ecreta.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, e Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

rogatio-

Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiae, et Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Septembris MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Decimo. Dat. die 17. Septembris 1749.

D. Card. Passionеus.

AD MONASTERIA XII

Monalium ne quis etiam exemptus, et Ecclesiastica Dignitate praefulgens, accedat, sine Ordinarii Localis permissu.

Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios per Ecclesiasticam Ditionem constitutos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Facultas accedendi ad Monialium Coenobia sine permissu Ordinarii ab aliquibus praesumpta.

Gravissimo animi moerore affecti fuimus, dum a certis viris renuntiatum Nobis est, aliquos esse Praesules, qui regimen Civitatum Ditionis Nostrae obtinentes, nec habita, immo nec petita quidem ab Episcopis, Locorumque Ordinariis facultate, ad Monalium Monasteria se conferunt, et libere cum iis colloquuntur, Synodorum decreta et Episcoporum Constitutiones omnino infringentes, in quibus hujusmodi licentia dignis poenis prohibetur: Sed non solum in iis Civitatibus, in quibus sunt cum imperio, eos ita se gerere audivimus; verum in caeteris quoque, per quas casu transeunt, ea ratione innixi, quod a peculiaribus Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Constitutionibus, sese exceptos esse contendant. Haec, quae ad Nos delata sunt, excipere, ac credere non dubitavimus; quum id Nobis etiam Anconitanam, et Bononiensem Ecclesias regentibus coram contigerit, quamvis aegre id

ferentes, acriter, sed frustra, quos decebat, admonere non praetermiserimus.

Antiqua Decreta, quae vel ignorantur, vel contemnuntur, innovari oportet.

§. 1. Nihil, aut parum negotii res facesseret, si ante oculos ponerent Tribunalium Urbis decreta confirmata a Praedecessoribus Nostris, qui res omnes praeteritis temporibus non providerunt solum, verum etiam iis sapientissime consuluerunt. Sed quoniam aut illa ignorant, aut si sciunt, arbitratu suo vivere contendunt, ad eum, qui Ecclesiae praeest, omnino spectat illa ad memoriam revocare, tum jubere eadem observari.

Non solum Regularibus exemptis, Praesulibus, et Gubernatoribus, sed etiam Episcopis aliarum Dioecesum, prohibitus fuit accessus ad Moniales, sine Ordinarii Loci permissu.

§. 2. Praeteritis temporibus Sacrae Congregationes, annuentibus Summis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, opportuna statuerunt quae sibi necessaria visa sunt, quod Regulares, qui suis fulti legibus, sive immunitatibus, putabant in jussu Episcopi libere se adire posse sibi addicta Monialium claustra, ut videre licet in nostro Tractatu *de Synodo lib. 7. cap. 41. n. 7.*, ubi eadem decreta indicantur; sed providentes etiam non tam Gubernatoribus, quam Episcopis, qui aut in Civitates, aut Oppida alterius Episcopi, juri subjecta veniunt, aut inibi commorantur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario Monasteria adiret, aut Moniales alloqueretur; cujusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ut legitur apud Pellizarium *de Monialibus cap. 5. sect. 5. num. 210.*, apud Gratianum *discept. 392. num. 1.*, apud Tamburinum *de Jure Abbatissarum disput. 25. quaest. 2.*, et apud Ferrar. *in sua Bibliotheca, in verbo Moniales art. 4. n. 34.*

Ordinarius Localis Custos est Clausurae Monialium, jure Ordinario quoad Monasteria sibi subjecta et jure delegato quoad exempta.

§. 3. Cononicis sanctionibus Monialium custodia juri Ordinario Episcopi, si Monasteria ejus potestati subjecta fuerint, delegato, si exempta, committitur; quemadmodum statutum fuit a Pontifice Praedecessore nostro Bonifacio VIII. *in cap. Periculoso, de statu Monachor. in sexto*, atque a Sacro Tridentino Concilio renovatum *in cap. 5. sess. 25. de Regularibus et Monialibus*. Hinc porro omnino sequitur, Monasteria adire, Monialesque invisere sine Custodis jussu licere nemini; ac propterea debere omnes hujusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivae interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores, et argui facile potest ex praeteritis Congregationum decretis.

Nec aliquis ab ejus directiva auctoritate ac jure exemptus censeri potest.

Decreta super hoc edita confirmantur, et innovantur a Pontifice.

§. 4. Quae quidem confirmata omnino volumus, ac si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus, imperamusque, ne Episcopi alienae Dioecesis Monasteria conveniant, atque cum Monialibus colloquantur, inscio Ordinario Loci; eademque omnia firma, rataque esse jubemus, etiam quoad Vicelegatos, et Gubernatores licet Praesules, quibus ad Monasteria accessum sine debita venia, in iis quoque Civitatibus, in quibus cum imperio fuerint, interdicimus.

Distinctio inter auctoritatem directivam, et coactivam.

§. 5. Jam dictum est hosce omnes directivae Episcoporum auctoritati, eorumque Constitutionibus subjacere, quae omnino accessum vetant ed Monialium Claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum jurisdictioni minime subsint; ideo sunt immunes a vi coactiva, idest a poenis contra transgressores statutis, uti ex responso patet Clementis III. Praedecessoris nostri *in cap. A Nobis 21. de sententia excommunicationis*. Ne vero ab hujusmodi immunitate aliquid mali exoriatur, volumus et mandamus, ut si aliquando contigerit, quod futurum non credimus, ut eorum aliqui, quos supra memoravimus, ad Monasteria Monialium se conferant, et cum iis Episcopi injussu agant, infringentes Synodorum sanctiones, atque Episcoporum edicta; volumus, inquam, et imperamus, ut Episcopi Nos, aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiorem faciant, ut aliqua ratione contempta Episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius hujusmodi consilium amplectimur, quod idem a Praedecessoribus nostris decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes, et Sedi Apostolicae immediate subjectas, procedendum sit; Joannes XXII. *in cap. Cum Matthaeus, de haereticis, in Extravag. com.*, Eugenius IV. *in cap. Divina, de Privileg. in Extravag. com.*

Si quis illam contemnere praesumpserit, Pontifici denunciari praecipitur.

Praesentium executio Ordinariis demandatur.

§. 6. Haec sunt, quae a Nobis facienda esse duximus, Tuum nunc est Venerabilis Frater, hanc Epistolam nostram in Cancellaria tua diligenter servare, eamque meliori, qua decet, forma promulgare, iisque, ad quos pertinet, indicere, ejusque executionem procurare: ac Fraternitatem tuam in Domino amplectentes, Tibi et gregi tibi credito Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die trigesima prima Octobris, Anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Dat. die 31 Octob. 1749.

III. TRIBUNALI

Sanctae Inquisitionis in Portugalliae, et Algarbiorum Regnis adjudicatur cognitio *pertinentiae* Causarum contra Confessarios exquirentes a Poenitentibus complicum nomina cum denegatione absolutionis. Eaque in re delinquentes, etiam sine suspicione pravi dogmatis, eidem Inquisitionis Officio denunciari jubentur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

dium

Apostolici Ministerii Nostri partes non minus esse putamus, ad suborientes abusus eradicandos, idonea remedia comparare, quam opportunas rationes praescribere, quibus servatis, ipsa exhibita remedia vim suam obtinere, et optatum effectum reipsa edere valeant.

Perversa es non- eorum essario- detecta.

§. 1. Sane quum Nobis innotuisset nonnullos esse in florentissimis Portugalliae, et Algarbiorum Regnis Presbyteros Sacramenti Poenitentiae Ministros, qui a poenitentibus nomen personae ipsis in peccato, quod confessi fuerant, complicis, aliquando etiam locum habitationis ejusdem complicis, exquirebant, absolutionem quoque sacramentalem iis denegando, qui eorum inquisitionibus satisfacere recusarent.

nnatur, Episco- aboleri adatur Litteras tolicas.

§. 2. Nos Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum per ea Regna constitutorum zelum excitare non omisimus, ut omnes suum studium, operamque conferrent ad eas respective Dioeceses, in quibus Presbyteri sic delinquentes existerent, a tam pernicioso malo liberandas, ex quo *oblocutiones et scandala, et non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta erant:* Rejicientes simul, ac reprobantes praetextus illos, quibus hujusmodi Confessarii interrogantes, se se tuebantur; desiderii nimirum emendationis ipsius complicis; nec non quarumdam opinionum, quae apud aliquos Doctores repertae fuerant, et quarum aliquae, aut falsae, aut erroneae censendae erant, aliae autem per se verae, et sanae, ab ipsis sic delinquentibus perperam applicabantur; ut latius videre est in Nostris Literis Apostolicis die VII. Mensis Julii anni Domini MDCCXLV. editis in forma Brevis, quarum initium est *Suprema omnium Ecclesiarum*, quaeque impressae sunt in *Bullarii Nostri Tom. I. num.* 134.

Aliis deinde Literis, contra impugnantes Decreta Apostolica, aut delinquentes cum suspicione pravi dogmatis, in Officio Inquisitionis procedi jubetur.

§. 3. Has Literas sub Annulo Piscatoris primum expeditas, in forma specifica deinde confirmavimus, et ampliori robore communivimus per alias nostras Apostolicas Literas sub Plumbo editas IV. Nonas Junii anni 1746. in incipientes *Ubi primum;* quae etiam impressae leguntur in *II. Tomo Bullarii Nostri n.* 8. His autem posterioribus Literis, non solum Tribunali Sanctae Inquisitionis praedictorum Regnorum, atque Ditionum injunximus, ut contra eos severe procederet, qui priora Decreta nostra impugnare, aut perverse interpretari ausi fuissent, sed etiam *contra Confessarios de nomine complicis Poenitentem interrogantes, eidemque Poenitenti, nisi illud sibi manifestaverit, absolutionem denegantes; dummodo tamen hujusmodi interrogandi, et denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, quae sic agentem Confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.*

Additur praeceptum denunciationis, non tamen Poenitenti in causa propria.

§. 4. His cohaerenter addidimus praeceptum denunciandi Confessarios, aliquo ex supradictis modis delinquentes eidem Tribunali Sancti Officii intra terminum dierum pro aliis denunciationibus ab eodem Officio praefigi solitum; exemptis dumtaxat, ex justis gravibusque causis, ab hujuscemodi denunciandi onere personis Poenitentium in causa propria, idest in casu, quod ipsi peccatum suum confitentes, a Confessario adigerentur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato; statuentes tamen, quod *quando aliunde, quam ex propria confessione, novissent Confessarium aliquo ex superius enumeratis, et Sancto Officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum et ipsi denuntiare ex ista aliunde habita notitia tenerentur.*

Praeceptum vero non fuit, ut denunciarentur delinquentes sine dicta suspicione, sed Ordinariorum correctioni relicti fuerunt.

§. 5. Et quoniam id etiam evenire posse prospeximus, ut Confessarius aliquis Poenitentem de complicis nomine interrogando, atque etiam manifestare nolenti absolutionem negando, id faceret imprudenti certe, ac malo, sed tamen simplici quodam, et nudo actu *idest iis circumstantiis destituto, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in nostro*

Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum redderent: Ideo in ipsis posterioribus Literis declaravimus, in hujusmodi casu, neque Confessarium praedicto Inquisitionis Officio denunciandum necessario fore, nec ejus delictum ejusdem Sancti Officii, et Tribunalis cognitioni subjectum esse, sed ad cujuslibet Ordinarii in propria Dioecesi judicium, et correctionem pertinere; prout in ipsis secundo loco memoratis Literis latius habetur expressum.

Sed quia designatus non fuerat Judex pro controversiis super pertinentia Causarum.

§. 6. Sic igitur justis respective statutis finibus, tam jurisdictioni Tribunalis Inquisitionis, quam Ordinariorum Praesulum auctoritati; persuasum Nobis fuit, certam et tutam rationem procedendi contra Sacerdotes in Sacramenti Poenitentiae administratione, ut praefertur delinquentes assertam per Nos fuisse. Verum quum deinde Nobis ex parte nonnullorum Ecclesiasticae pacis zelo flagrantium fuerit insinuatum, in hujusmodi methodi executione novis perturbationibus procul dubio aditum apertum iri; propterea quod nemo esset, qui in casibus discrepantiae, judicium proferret; quoniam delictum idem in certis quibusdam circumstantiis ad Tribunal S. Officii; in aliis vero ad Ordinarii judicium deferendum fore statueramus; ac propterea demonstratum Nobis fuerit, quod, dempto in aliquibus circumstantiis metu denunciationis eidem Inquisitionis Officio faciendae, id sane sublatum dici poterat, quo maxime homines a patrando tam pernicioso, et profligato delicto retraherentur. Idcirco Nos, praedictam iterum perversam praxim in utrisque praefatis Literis Nostris reprobatam atque proscriptam, eorum nempe, qui in administrando Poenitentiae Sacramento, complicis nomen, cum absolutionis denegatione, quatenus reticeatur, a poenitente rescire contendunt, praesentium quoque tenore damnantes, et reprobantes; nec non confirmantes statutam pertinentiam cognitionis hujusmodi causarum praedicto Inquisitionis Officio, quoties delinquentis actus iis circumstantiis, quas in secundo dictis Literis Nostris latius expressimus, conjunctus existat, nec non obligationem denunciandi eidem Officio Confessarium quemcumque, hujusmodi delictis memoratis circumstantiis convestiti reum; excepta tamen ab hujusmodi denunciationis onere ipsa persona poenitentis in causa propria, juxta id, quod in ipsis praefatis Literis per Nos decretum, et in praesentibus superius relatum fuit; ad reliquas in futurum perturbationes avertendas, et praecavendas, omnibus mature pensatis, auditisque prudentium virorum, et in illis rebus apprime peritorum consiliis, Nostris motu proprio, et certa scientia, sequentes ordinationes, et leges ab omnibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit in posterum, omnino tenendas, atque observandas, earumdem praesentium tenore, et Apostolica auctoritate edicimus, et promulgamus.

Et denunciationis praeceptum visum est utiliter praescribendum pro omnibus casibus.

Ideo Pontif. praemissa confirmat et ulterius statuit, ut intra.

Exceptis poenitentibus in causa propria, omnibus injungit ut Confessarius quomodocumque in praemissis delinquentes, Officio Inquisitionis denuncient.

§. 7. In primis itaque, exceptis dumtaxat personis poenitentium in causa propria, ut supra declaratum est, quas quidem justis ex causis ab omni denunciationis onere eximimus, et pro exemptis in tali casu semper haberi decernimus, omnibus et singulis, qui Sacerdotem aliquem sive Secularem, sive Regularem, (cujuscumque gradus, et conditionis, et cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam speciali, et individua mentione digni, ad hoc, ut praesenti sanctione comprehendatur, existat) quocumque alio modo, praeterquam ex ipsa Confessione a semetipsis apud eum peracta, cognoverint in administrando Poenitentiae Sacramento interrogasse poenitentem de nomine complicis, eidemque indicare recusanti absolutionem denegasse; sive id fecisse intellexerint propter adhaesionem praedictae reprobatae praxi, aliave de causa erroneae opinionis suspicionis ingerente; sive id etiam per imprudentiam egisse, et per actum praefatis destitutum circumstantiis, propter quas, juxta praecedentem Constitutionem nostram, praedicto Inquisitioni Officio esset denunciandus, et quibus deficientibus, juxta ipsius Constitutionis tenorem, ejus delicti cognitio ad Ordinarii Tribunal spectare debuisset; injungimus, et mandamus, atque in virtute Sanctae Obedientiae, sub eisdem poenis, quibus ad debitas aliorum delictorum denunciationes adstringuntur, praecipimus, et jubemus, ut hujusmodi Confessarium quocumque modo in praemissis delinquentem, saepe dicto Sanctae Inquisitionis Officio intra consuetum praefiniti temporis spatium omnino deferant, et denuncient.

Accepta denunciatione, vel detecto reo, auditur Ordinarii Procurator in Tribunali inter-

§. 8. Ubi vero Sacerdos delinquens eidem Sancti Officii Tribunali denunciatus fuerit, vel etiam illius carceribus inclusus; quatenus probationes ad carcerationem sufficientes habeantur; si forte Ordinarii illius, cujus juris-

dictioni reus subjectus erit, Procurator in ipso Tribunali Sancti Officii de more interveniens eas adesse circumstantias crediderit, ob quas delicti cognitio juxta praecedentem Constitutionem nostram ad Ordinarii Forum spectare deberet, ac propterea insteterit, se super hujusmodi pertinentiae articulo ulterius aut fusius audiri, vel etiam scripto easdem circumstantias et rationes exponere, suaque Curiae jura tueri se velle declaraverit; volumus, et statuimus, ut juxta ejusdem Tribunalis consuetudinem, satis temporis illi ad scribendum assignetur; neque interea idem Tribunal ad alium irretractabilem, multoque minus ad definitivam sententiam adversus reum devenire possit, donec idem Procurator, intra praescriptum sibi tempus, jura Curiae Episcopi constituentis sui, vel voce, vel scripto exposuerit.

§. 9. Quoties autem praefatus Ordinarii Procurator controversiam de pertinentia Causae proponat, eamque examinari postulet; tunc volumus, in ipso Sancti Officii Tribunali hujusmodi examen fieri; nec omitti posse, absque totius consequentis processus nullitate. Simul autem omnibus, et singulis tum ejusdem Officii Inquisitoribus, et Consultoribus, tum ipsis Ordinariorum Procuratoribus districte mandamus, ut deposita quacumque animi affectione, aut praeoccupatione, qua erga proprium respective Tribunal facile ferri possent, coram Deo disquirant, ac videant, an reus de praefato delicto inquisitus, illud cum ejusmodi circumstantiis patraverit, ob quas illius Causa, juxta praecedentem Constitutionem nostram, ad Inquisitionis Tribunal pertinere deberet; an vero cum aliis, quae Causam ipsam ex ejusdem Constitutionis lege in Ordinarii Foro judicandam constituunt.

§. 10. Prolato demum ab Inquisitoribus judicio super causae pertinentia, volumus, et statuimus, ut si quidem Causa adjudicata fuerit Tribunali Sancti Officii, in hujus potestate reus permaneat, et juxta ipsius Officii leges et regulas puniatur; si vero judicatum fuerit, causam ad Sancti Officii Tribunal non pertinere, idem Officium, ut ejus fert consuetudo, reum dimittat, et Procurator de reo ita dimisso certiorem faciat Ordinarium sui constituentem; ut ea accepta notitia, adversus eumdem reum servatis servandis juxta Canonicas sanctiones possit procedere. Si quis autem praemissum judicii hujusmodi ordinem a Nobis per praesentem constitutum pervertere, aut turbare ausus fuerit, noverit, se omnibus Canonicis poenis subjectum fore, quaecumque in sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus, adversus Ecclesiasticae Jurisdictionis perturbatores, violatores, et invasores latae, et statutae dignoscuntur.

Clausulae pro perpetua Constitutionis observantia.

§. 11. Praesentes autem Literas, omniaque et singula in ipsis contenta, atque statuta, etiam ex eo, quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis existant, seu alias speciali et individua mentione, et expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari; impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas praesentes Literas semper et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus et singulis praemissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte et inviolabiliter observari decernimus.

Aliter judicari prohibetur.

§. 12. Sicque et non aliter in praemissis conseri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, et contra haereticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, et praeeminentia fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis quibuscumque derogatur.

§. 13. Non obstantibus aliis praemissis Nostris, aliisque quibusvis Apostolicis, et in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Generalibus, sive specialibus Constitutionibus, et quorumcumque Tribunalium, Curiarumve mandatis, Edictis, sive Decretis, nec non ejusdem Inquisitionis Officii, et quarumcumque Ecclesiarum, etiam Episco-

palium, et Metropolitanarum, et quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, et Institutorum, etiam Societatis Jesu, aliisque quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illinsque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Praelatis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, et Personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, et cum quibuscumque etiam efficacissimis, et insolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam motu, et Apostolicae Potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, quatenus iisdem praesentibus adversentur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores praedictos pro sufficienter, et de verbo ad verbum expressis et insertis, formasque hujusmodi pro plene, et exacte observatis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus.

Fides habenda transumptis.

§. 14. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra, ubique habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio.

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, moderationis, ordinationis, praecepti, statuti, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 9. Dec. 1749.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, quinto Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

ERECTIO CATHEDRALIS

Ecclesiae Terlitien., ejusque unio aeque principaliter cum Cathedrali Ecclesia Juvenacen., cum avocatione Causae, et extinctione Litis antea pendentis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Unigenitus Dei Filius, qui in Ara Crucis in pretium Redemptionis humani generis immolari non abnuit, pacem illam, quam venit mittere in terras, Discipulis suis in carne passus ejus Sanguine ultro promeritam semel et iterum uberius dedit, et abundantius praecepit, et quidem ut diligerent alterutrum, ac una simul ex mutua hujuscemodi demandata dilectione moniti, illud magno praecepto simile agnoscerent, per quod immensa debet tanti Conditoris Majestas venerari. Nos itaque, qui illius vices, licet immerito, gerimus in Terris, et vestigia ejus, quantum Nobis ex alto conceditur, sectari, satagimus, ubi sentimus unde Divina ipsa mandata valeant utilius adimpleri, protinus lites quascumque hoc potissimum impedientes, ad Nos avocamus et extinguimus, ac per Nostrae providentiae studium etc. cuncta componere procuramus, prout salutis animarum suadet utilitas, ac procurandae, exinde-

que firmandae, ac tuendae pacis cogit necessitas.

signatio chipres- teratus rlitien. manibus.

§. 1. Dudum siquidem omnes Dignitates, caeteraque Beneficia Ecclesiastica apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum Archipresbyteratus Secularis, et Insignis Collegiatae Ecclesiae B. Mariae Virginis in Coelos Assumptae, ac S. Michaelis Archangeli Oppidi Civitatis nuncupati Terlitii, in et de Juvenacen. Dioecesi, quae inibi Dignitas principalis existit per liberam resignationem Dilecti Filii Antonii Fioravante nuper ipsius Collegiatae Ecclesiae Archipresbyteri de illa, quam tunc obtinebat, in manibus Nostris, ad infrascriptorum tamen effectum, sponte factam, et per Nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de ipso praeter Nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis.

ntiquae li- s et con- oversiae in- r Episco- os Juvena- en. et Ar- ipresbyte- s Terli- so.

§. 2. Cumque deinde, sicut Venerabilis Frater Noster Paulus de Mercurio modernus Episcopus Juvenacen., ac Antonius praedictus, et dilecti etiam Filii Clerus et Populus dicti Oppidi, Nobis nuper exponi fecerunt, alias et postquam de anno Domini nongentesimo quinquagesimo primo, seu alio veriori tempore, Ecclesia Juvenacen. in Cathedralem Ecclesiam Apostolica auctoritate erecta fuerat, ab eo tunc Episcopo Juvenacen. pro tempore existente, plurimas controversias et dissensiones contra ipsos etiam a pro tempore existentibus Archipresbyteris dictae Collegiatae Ecclesiae, ratione jurium et praeeminentiarum, quae ab ipsis Archipresbyteris praetendebantur, omnique conatu tuebantur, inductas, jugiter sustinuerint, quae tamen postmodum per binas transactiones inter tunc existentes Episcopum Juvenacen. et Archipresbyterum praedictos, ad controversias et dissensiones praedictas omnino dirimendum initas, et earum alteram de anno ejusdem Domini 1459. prius a bon. mem. Latino, dum viveret, S. R. E. Cardinale Ursini nuncupato tunc Sedis Apostolicae apud tunc temporis Regem Neapolis de Latere Legato, ordinaria, seu etiam delegata, et successive a fel. record. Paulo Papa II. Praedecessore nostro Apostolica auctoritate respective confirmatam, usque ad Concilii Tridentini celebrationem penitus siluerunt. Et pro eo quod post hujusmodi celebratum Concilium tunc existens Episcopus Juvenacen. crediderat, se vigore decretorum Concilii hujusmodi, illico Collegiatam Ecclesiam hujusmodi, visitare posse, pax illa, quae jamdiu perduravit, non ultra affluxerit, imo praemissorum ratione antiquis controversiis et dissensionibus hujusmodi novis suppeditatis viribus, iis et causa in Romana Curia, et Causarum Palatii nostri Apostolici Auditorio, coram certo illius Auditore introducta fuerit, quae ob emanatam ab eodem Auditorio et certo illius Auditore praedicto Decesionem, qua Episcopo Juvenacen. pro tempore existenti jus Collegiatam Ecclesiam ipsam visitandi concedebatur, usque ad recentiora tempora in eodem Auditorio summa contentione perduravit.

Novissima super illis Decreta Benedicti XIII. confirmantur Literis Clementis XII.

§. 3. Novissime vero piae memoriae Benedictus Papa XIII. etiam Praedecessor noster, cui tunc existens Episcopus Juvenacen. exposuerat, quod iis hujusmodi antiquitus orta, et adhuc tunc indecisa pendens, nedum Episcopo Juvenacen. et Archipresbytero praedictis, nec non Clero et Populo dicti Oppidi pro tempore respective existentibus, nimis dispendiosa dignoscebatur, sed Divino cultui, et animarum profectui, bonoque regimini, et spirituali gubernio praedicti Populi grave damnum afferebant, liti et causae hujusmodi finem imponere, pacemque et tranquillitatem Personis Ecclesiasticis summopere consentaneam inter praedictos tunc existentes Episcopum Juvenacen. et Archipresbyterum dictae Collegiatae Ecclesiae confovere cupiens, litem et causam hujusmodi ad se avocaverit, easque penitus et omnino extinxerit, ac praedictis Episcopo Juvenacen. et Archipresbytero dictae Collegiatae Ecclesiae tunc et pro tempore existentibus perpetuum silentium desuper imposuerit, ac determinatam quandam jurisdictionem pro tempore existenti Episcopo Juvenacen. concesserit, videlicet: quod Oppidum Terlitii foret et esset in Dioecesi et de Dioecesi Juvenacen.; Ideoque ad praedictum Episcopum Juvenacen. pro tempore existentem spectaret et pertineret. I. Jus visitandi jure ordinario. II. Visitandi etiam Archipresbyterum jure delegato. III. Procedendi in causis Matrimonialibus. IV. Etiam in causis criminalibus non levibus. V. Per se ipsum ad Ordines sacros promovendi

sine testimonialibus Archipresbyteri. VI. Vel Dimissorias concedendi pro promovendis ad eosdem Ordines. VII. Conferendi Beneficia curata et Cappellanias habentes annexam curam Animarum, e respective concedendi institutionem authorizabilem. VIII. Destituendi et excommunicandi, interdicendi, et mulctandi; omnia alia faciendi, et exercendi omnes et quoscumque alios actus pertinentes ad Episcopum; qui Vicarium sibi in spiritualibus in dicto Oppido Terlitii, pro suae Episcopalis jurisdictionis nomine ipsius Episcopi exercitio, deputare teneretur, cum obligatione utendi carceribus Ecclesiasticis in eodem Oppido Terlitii pro custodiendis in eis dumtaxat delinquentibus ipsius Oppidi Terlitii, exceptis tantummodo his, quae declarabantur competere, et respective concedebantur Archipresbytero. Tunc existenti vero Archipresbytero, ejusque in Archipresbyteratum successoribus similiter jurisdictionem, ut infra, concessit; nempe Archipresbyterum fore immediate subjectum Sedi Apostolicae, ideoque exemptum a jurisdictione Episcopi, ordinaria dumtaxat, non autem delegata; et propterea illum teneri praestare obedientiam Episcopo in actu Visitationis jure delegato faciendae quoad ipsum; eidemque Archipresbytero competere jus instituendi, et respective conferendi Beneficia Ecclesiastica, et Canonicatus Ecclesiae Terlitien. in Mensibus et Vacationibus Sedi Apostolicae non reservatis, non tamen Beneficia quaecumque curata, aut quomodolibet annexam curam Animarum habentia: Jurisdictionem procedendi in causis civilibus ad Forum Ecclesiasticum spectantibus in prima instantia, cum hoc quod appellatio devolveretur ad Episcopum Juvenacen. in criminalibus levibus dumtaxat, in quibus poena de jure non esset corporis afflictiva, et pro his imponendi et applicandi mulctas, juxta formam praescriptam a Concilio Tridentino; cum declaratione, quod Archipresbyter, Ecclesiastici, et Ecclesia Terlitien. sint exempti a subsidio charitativo, et quarta canonica, et cum Indulto pro Archipresbytero utendi Pontificalibus, benedicendi Paramenta, Vasa, et omnia alia sacra utensilia, in quibus sacra unctio non interveniret; et interveniendi in Synodo tam Dioecesana, quam Provinciali; Ac demum nominandi, deputandi, ac benedicendi Concionatores, quatenus nominatio ad alios non pertineret; cum hoc tamen, quod super posteriori concessione hujusmodi tunc existenti Archipresbytero, ejusque successoribus praedictis, per dictum Benedictum Praedecessorem tunc ut praefertur facta, literae Apostolicae expediri deberent; quae subinde, praefato Benedicto Predecessore nostro de medio sublato, a recolendae memoriae Clemente Papa XII. pariter Praedecessore nostro ad praefati summi Apostolatus apicem successive assumpto emanarunt, ac alias, prout in singulis Benedicti et Clementis Praedecessorum hujusmodi tunc desuper confectis literis plenius respective continetur.

Aliae controversiae super dd. Literarum executione.

§. 4. Ipso autem Clemente Praedecessore ad praedicti summi Apostolatus apicem, ut praefertur, assumpto, tunc existens Archipresbyter, ac Capitulum et Canonici dictae Collegiatae Ecclesiae, nec non Populus dicti Oppidi, ad nostrum Signaturae Gratiae Tribunal recursum habuerunt pro petenda aperitione oris adversus praedictas literas ejusdem Benedicti Praedecessoris, nec non remissione causae ad Rotam; Quibus obtentis, causaque in eodem Auditorio coram dilecto Filio Nostro Mario tituli Sanctae Priscae S. R. E. Presbytero Cardinale Millino nuncupato, tunc Auditorii hujusmodi Decano, noviter proposita, idem Auditorium, praevia desuper emanata Decisione, fuit in sensu, quod praedictae ejusdem Benedicti Praedecessoris literae essent exequendae; quae quidem decisio, mediante alia decisione coram dilecto etiam Filio Nostro Carolo tituli Sanctae Mariae in Ara Coeli nuncupatae ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato tunc uno ex Auditorii hujusmodi Auditoribus edita, confirmata remansit. Sed quia, circa modum ejusdem Benedicti Praedecessoris literas hujusmodi, exequendi, graves in praedicto Auditorio ex utraque parte difficultates, et non modicae etiam praetensiones insurrexerant; proinde nonnullae aliae decisiones super variis punctis et dubiis desuper propositis hinc inde favorabiles emanaverint; et licet gravissimae expensae ratione litis et causae hujusmodi in eodem Auditorio factae, utramque partem ultro citroque defatigassent; nihilominus ipsae partes litibus perniciose captae, novas lites in aliis dictae Curiae Tribunalibus, quae adhuc pendent indecisae, introducere curaverint, litesque hujusmodi, ultra dispendia, quae utrique parti, ut praemittitur, attulerunt, plura jur-

gia, contentiones, rixas, et scandala, aliaque plura mala inter personas Ecclesiasticas, et saeculares, in maximum Ecclesiasticae disciplinae detrimentum, concitaverint, itaut ex rerum confusione brachii secularis auxilium pro sedandis tumultibus, et delinquentibus puniendis, opus fuerit quandoque invocare.

Proponitur erectio Ecclesiae Terlitien in Cathedralem, ejusque unio cum Ecclesia Juvenacen.

§. 5. Ipse vero Antonius Archipresbyter praemissorum ratione motus, ad Cleri et Populi hujusmodi calamitates et infortunia eliminanda, ac politiam Ecclesiasticam omnimode restituendam, eidem Paulo Episcopo proposuerit, quod si dicta Collegiata Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam Apostolica auctoritate per Nos ut infra erigeretur, et illa sic erecta Ecclesiae Juvenac. aeque principaliter uniretur, ipse Antonius Archipresbyter firmam spem habebat, quod ex erectione et unione hujusmodi Ecclesiastica disciplina praedicta in pristinum restitui, necnon dispendia, ac turbationes, et scandala hujusmodi penitus cessare respective deberent; Cui propositioni ipso Paulo Episcopo assentiente, nonnulla capita conventionum, et conditionum, erectionem, et unionem praedictas, per Nos ut infra faciendas, concernentia, Paulus Episcopus, ac Antonius Archipresbyter praedicti efformaverint; et quemadmodum ad praedictam Ecclesiam Juvenacen., dum illa pro tempore vacat, nominatio Personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo Filium Nostrum Carolum utriusque Siciliae et Hierusalem Regem Illustrem ex Privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare dignoscitur, bon. mem. Trajanus, dum viveret, praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis de Aquaviva nuncupatus, tunc etiam, dum viveret, Regnorum utriusque Siciliae et Hierusalem apud Nos et Sedem Apostolicam Protector, ejusdem Caroli Regis preces super praemissis Nobis exhibuerit; Nosque preces ipsas benigne suscipientes, negotium hujusmodi Congregationi Consistoriali discutiendum remiserimus; Quae quidem Congregatio Consistorialis Particularis sub die vigesima octava Mensis Februarii anni proxime praeteriti respondit: *Pro gratia erectionis novae Cathedralis juxta modum et conditiones praescribendas: et ad RR. PP. DD. Datarium, et Auditorem Sanctissimi, una cum Secretario Congregationis pro erectione:* Et rescripti hujusmodi vigore, dilecti pariter Filii Magistri Joannes Jacobus Millo Datarius Noster, et Clemens Argenvilliers Auditor etiam Noster, nec non Nicolaus Antonellus praedictae Congregationis Secretarius, insimul congregati sub die vigesima tertia Mensis Aprilis ejusdem anni proxime praeteriti, per certa tunc edita Capitula eorum sensum pro animi Nostri instructione desuper aperuerint.

Propositio a Congregatione Consistoriali approbatur.

Pontifex omnes lites et causas ad se avocat, easque extinguit.

§. 6. Nos igitur, attentis praemissis, et ex voto ejusdem Congregationis, aliisque de causis animum nostrum moventibus, Paulo Episcopo, et Antonio Archipresbytero praedictis, nec non Capitulo, ac Clero, et Populo dicti Oppidi specialem gratiam facere volentes, ipsosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, et, non tamen quoad dictum Paulum Episcopum, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione et causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac pacem et tranquillitatem jamdiu a litibus et dissensionibus hujusmodi sublatas in pristinum restituere cupientes, omnibusque et singulis praemissis Nobis sic, ut praemittitur, expositis, pro verificatis et plenarie expressis habentes: Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, lites et causas quascumque super jurisdictione praedicta in eodem Auditorio, et quibusvis aliis Romanae Curiae praedictae Tribunalibus coram quocumque Judice, in quocumque statu, et quacumque instantia, inter modernos, et tunc existentes Episcopum Juvenacen., et Archipresbyterum dictae Collegiatae Ecclesiae a pluribus annis introductas, et adhuc indecisas, pendentes ad Nos avocamus, easque penitus et omnino extinguimus; Ac Paulo Episcopo et Antonio Archipresbytero praedictis, omnibusque aliis et singulis Personis, etiam speciali nota dignis, in lite et causa praedictis interesse quomodolibet habentibus, seu habere praetendentibus, perpetuum silentium imponimus ad praemissorum validissimum effectum.

Status Oppidi, seu Civitatis Terlitien. ejusque Ecclesiae Collegiatae.

§. 7. Nec non etiam, pro eo, quod, sicut accepimus, praedictum Oppidum Terlitiense, jam Civitatis nomine decoratum existit, ac inter potissima Loca, Urbesque Provinciae Baren. ob ejus amplitudinem, situs amoenitatem, rerum ad victum necessariarum copiam,

aedificiorum elegantiam, Civium nobilitatem, Populique multitudinem ad septem millium circiter numerum ascendentem; Duo Religiosorum Coenobia, ac alterum insigne et numerosum Sanctimonialium sub Regula Sanctae Clarae Monasterium: Montem item Pietatis, atque pro alendis pauperibus, et curandis aegrotis, excipiendisque Peregrinis, insigne Xenodochium: Undecim Laicorum Congregationes, sive Oratoria, conspicuum merito censetur: Illiusque insignis Collegiata Ecclesia praefata, quae omnes alias Provinciae hujusmodi in majoritate antecellit, utpote exornata quinque navibus, Altaribus octo, Trono fixo, ac Choro cum stallis superioribus et inferioribus praeclare dispositis; Celebre Organo, Sacristiis duabus, quibus privata Cappella alio Altari constructa adnectitur ac simul alta ac speciosa campanilis mole, nec non pluribus abundans redditibus, ac satis superque sacris vasis et suppellectilibus variis, etiam ad Pontificalia exercenda necessariis, maxime iis in argento elaborato confectis locupletata, procul dubio Ecclesiis Cathedralibus ejusdem Provinciae comparari certo potest; ejusdemque Collegiatae Ecclesiae Capitulum quatuor Dignitatibus, Archipresbytero scilicet, qui Pontificalibus insigniis, ut praefertur, decoratus in qualitate Praelati prope ipsam Collegiatam Ecclesiam in Palatio nimis amplo suum habet incolatum: Uno Primicerio, et duobus Cantoribus, ac vigintiduobus Canonicis, ac supra septuaginta Participantibus, qui una cum hujusmodi Dignitates inibi obtinentibus, et Canonicis praefatis, servata forma statutorum ejusdem Collegiatae Ecclesiae, in ea pro Divinis Officiis absolvendis inserviunt; referta dignoscitur.

Dictam Ecclesiam in Cathedralem erigit, et Juvenacensi aeque principaliter unitam fore decernit.

§. 8. Collegiatam Ecclesiam praedictam, illiusque titulum, denominationem, naturam, et essentiam Collegiatae, itaut illa ex nunc Collegiata esse desinat, et illa uti talis amplius denominari, inscribi, censeri, vel reputari non possit, Apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus; illisque sic per Nos, ut praefertur, suppressis et extinctis, Collegiatam Ecclesiam ipsam in Cathedralem Ecclesiam Terlitiensem nuncupan., sub eadem invocatione Beatae Mariae Virginis in Coelos Assumptae, et Sancti Michaelis Archangeli dicta Apostolica auctoritate perpetuo erigimus, eamque sic erectam Ecclesiae Juvenacen. aeque principaliter etiam perpetuo unimus, itaut in posterum eadem Collegiata Ecclesia dicti Oppidi per Nos, per praesentes, ut praefertur, suppressa et extincta, et in Ecclesiam Cathedralem Terlitien., etiam per praesentes, ut praefertur, erecta, ac etiam, ut praefertur, dictae Ecclesiae Juvenacen. aeque principaliter unita, Concathedralis cum eadem Ecclesia Juvenacen. esse et recognosci debeat; neque una alteri subjecta sit, sed ambae sint independenter et aeque principaliter unitae; dictusque Paulus Episcopus utrique Ecclesiae hujusmodi praesit, ac Juvenacen. et Terlitien. Episcopus censeatur et sit. Ipsaque Ecclesia Terlitien. in Ecclesiam Cathedralem per Nos per praesentes, ut praefertur, erecta, dictaeque Ecclesiae Juvenacen. pariter, ut praefertur, aeque principaliter unita omnibus facultatibus, exemptionibus, praerogativis, honoribus, et juribus, quae ad Ecclesias Cathedrales, et praesertim ad Ecclesiam Juvenacen. pertinent, sub infrascriptis tamen conditionibus, fruatur, et gaudeat. Ac nominatio Personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda, quae ad praedictum Carolum Regem ad ipsam Ecclesiam Juvenacen., ut praefertur, pertinere dignoscitur, deinceps simul ad utramque Ecclesiam Juvenacen. et Terlitient. per Nos per praesentes, ut praefertur, aeque principaliter unitas, ad eumdem Carolum Regem spectare dignoscatur.

Unionis leges, et conditiones.

§. 9. Cum hoc tamen, quod in omnibus, et quibuscumque actibus, etiam respicientibus Ecclesiam Terlitien. etc. praeferatur semper denominatio Ecclesiae Juvenacen. et Episcopi ad praedictas Ecclesias Juvenacen. et Terlitien. sic, ut praefertur, aeque principaliter unitas pro tempore nominandi, et respective Apostolica auctoritate praedicta promovendi, possessionem semper et in perpetuum capiant prius in Ecclesia Juvenacen. et deinde in altera Terlitien., atque ita in perpetuum servetur: Nec non duos Vicarios in spiritualibus generales, unum videlicet pro Juvenacen. et alterum pro Terlitien. respective Ecclesiis, sic, ut praefertur, aeque principaliter unitis, etiam perpetuo debeant deputare, qui jurisdictionem, dependenter tamen ab Episcopo pro tempore existente, exerceant. Tempore vero vacationis Sedis Episcopalis, Capitulum Ecclesiae Terlitien., perinde ac illud Ecclesiae Juvenacen., proprium Vicarium Capitularem jurisdictionem suam independenter a Vicario Capitulari

Juvenacen. exercere debentem eligat. Vicarius autem in spiritualibus generalis Ecclesiae Terlitien. judicabit reos et delinquentes in carceribus Curiae Terlitien. detentos, et in casu dumtaxat avocationis causarum, liceat Episcopo pro tempore existenti transferri facere reos ad carceres Curiae Juvenacen., ubi ipse resederit; sed hoc fiat aequa moderatione, et raro, justisque de causis, et in rebus arduis et gravioribus. Quodque modernus et pro tempore existens Juvenacen. et Terlitien. Episcopus, pro Ordinationibus Presbyterorum, ac concursibus super Parochialibus Ecclesiis ad formam decretorum Concilii Tridentini habendis, aliisque rebus hujusmodi, Examinatores Synodales in Ecclesia Terlitien. eligere atque habere debeat, a quibus etiam Clerici et presbyteri Ecclesiae Juvenacen. examinari possint, si dum Episcopus pro tempore in Civitate Terlitien. resederit, opus fuerit: et e converso idem servetur, quando Episcopum in Civitate Juvenacen. residere contigerit. Ipseque modernus, et pro tempore existens Juvenacen. et Terlitien. Episcopus temporibus ab eodem Concilio Tridentino praescriptis in Ecclesia Cathedrali Juvenacen. residere teneatur; Curet tamen residere etiam in Ecclesia Cathedrali Terlitien. signanter in aliquibus diebus solemnioribus; Pro cujus habitatione, habita per modernum Episcopum Ecclesiae Terlitien. possessione, tradantur Ædes Archipresbyterales, quae in ejus et pro tempore existentis Episcopi praedicti plenum dominium transire debent cum omnibus earum partibus et membris, exceptis tamen quae locari solent, nempe, Piscinae olei, stabula, officina, aliaque hujusmodi, ex quibus redditus Mensae Archipresbyteralis constitui consueverunt, quorum fructus, redditus et proventus eidem Antonio Archipresbytero inferius reservamus. Archivium itidem Archipresbyterale cum omnibus scripturis et documentis ad Ecclesiam Terlitien. spectantibus, salvum et integrum servare teneatur; neque scripturas alio transferre possit; Quinimo Capitulum Ecclesiae Terlitien. quocumque tempore a Custode Archivii hujusmodi pro tempore rationem officii sui et scripturarum ejus fidei commissarum reposcere possit et valeat. Ac modernus et pro tempore existens Episcopus Juvenacen. et Terlitien. ex quocumque titulo, causa vel praetextu, etiam constructionis, aut refectionis Ædificiorum, monumenta, insignia, lapides, et inscriptiones ad praeteritos Archipresbyteros et Capitulum Terlitien. spectantes nunquam amovere, delere, aut deformare possit; Sed et teneatur in novis Ædificiis constituendis, vel veteribus restaurandis, fideliter reponere et conservare. Quodque unicam Synodum Dioecesanam habeat. Prima autem, quae post praesentis gratiae concessionem pro utraque Dioecesi celebrabitur, habeatur in Ecclesia Juvenacen.; et deinde liberum sit Episcopo pro tempore existenti eamdem Synodum in una vel altera Ecclesia, seu Juvenacen. seu Terlitien. congregare; et in ea, quoties illam contigerit, Capitulum Juvenacen. semper praecedat Capitulo Terlitien. Dicto vero moderno et pro tempore existenti Juvenacen. et Terlitien. Episcopo, donec praedictus Antonius Archipresbyter infrascriptos fructus, sibi ut infra reservandos, perceperit, a nunc et pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis, ac Locis piis Terlitiensibus centum ducati Regni Neapolitani etc. annuatim persolvantur, absque eo quod modernus et pro tempore existens Juvenacen. et Terlitien. Episcopus praedictus aliquid aliud praetendere possit; Non comprehensis tamen in eisdem centum ducatis monetae praedictae, juribus Curiae, aliisque ex literis patentibus collationis Beneficiorum Ecclesiasticorum, Canonicatuum, et Dignitatum provenientibus, quae a die captae possessionis, ad modernum, donec vixerit, ac Juvenacen. et Terlitien. Ecclesiis praedictis praefuerit, et deinde ad pro tempore existentem Juvenacen. et Terlitien. Episcopum pertinebunt. Ipseque modernus et pro tempore existens Juvenacen. et Terlitien. Episcopus, pro visitatione Ecclesiarum, et Locorum piorum Civitatis Terlitien., nullam procurationem exigere possit; Sed pro Cathedratico et Synodatico, ac subsidio charitativo, et pro quocumque alio titulo, ac jure, percipere debeat annuos ducatos quadraginta ejusdem monetae etc. quin ullum aliud subsidium charitativum a nunc et pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis ejusdem Ecclesiae Terlitien., praeter ipsos ducatos quadraginta monetae praedictae, praetendere queat: adeout sit in arbitrio et libera voluntate eorumdem Capituli et Canonicorum, ac Civium Terlitiensium, ea, quae ab Archipresbyteris pro tempore exigi hoc nomine solebant, illi, si velint, subministrare. Post decessum tamen, seu ad alicujus Ec-

clesiae regimen promotionem dicti Antonii Archipresbyteri, quem dictus Paulus Episcopus tam proprio, quam in praefatis Juvenacen. et Terlitien. Ecclesiis successorum suorum nomine, tum etiam Deputati Capituli et Canonicorum, ac Communitatis Terlitien. in pacifica perceptione eorumdem fructuum sibi, ut praefertur, inferius reservandorum non molestandi se obligarunt, in ipsorum fructuum perceptione, et fruitione modernus, et pro tempore existens Juvenacen., et Terlitien. Episcopus succedat, non comprehensa tamen in eisdem fructibus ea portione, quam nunc ex bonis ad Capitulum et Canonicos Ecclesiae Terlitien. spectantibus dictus Antonius Archipresbyter percipit; sed ea integre, atque omnino, cum omnibus suis fundis, ad eosdem Capitulum, et Canonicos Terlitien. revertatur.

Suppresso Archipresbyteratu Terlitien.

§. 10. Cumque praedictus Antonius Archipresbyter, ut omnibus litibus, et controversiis hujusmodi in futurum occasio adimatur, eumdem Archipresbyteratum, quem tunc, ut praefertur, obtinebat, in praedictis manibus nostris, ad praemissorum effectum, reservatis tamen sibi valide infrascriptis fructibus, redditibus, et proventibus, et non aliis, aliter, nec alio modo resignaverit, Nosque resignationem hujusmodi pariter, ut praefertur, admittentes, Archipresbyteratum praedictum cujus, et illi forsan annexorum, fructus, redditus, et proventus, etiam una cum incertis, centum octoginta ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt etc. sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per similem, aut aliam liberam resignationem dicti Antonii vel cujusvis alterius de illo in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, et Testibus sponte factam, aut assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati, non tamen si per obitum vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, dictusque Archipresbyteratus dispositioni Apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservatus existat, et super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad Nos hac vice pertineat, illiusque titulum collativum, denominationem, naturam, et essentiam Archipresbyteratus dignitatis, principalis collativae, ita quod ille ex nunc collativus esse desinat, et si de caetero ut talis in titulum collativum conferri, aut impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, et quaevis aliae dispositiones, hujusmodi de illo sic faciendae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, nullique suffragentur, aut coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant, Apostolica auctoritate praedicta, etiam perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Erectio Archidiaconatus, et Archipresbyteratus cum cura animarum in Cathedrali Terlitien.

§. 11. Illisque sic suppressis, et extinctis, in eadem Ecclesia Terlitien. per Nos in Cathedralem erecta etc. ut illa majori cum honorificentia et decore deserviatur, unum Archidiaconatum, qui in eadem Ecclesia Terlitien. etc., dignitas post Pontificalem major, et Sedi Apostolicae praedictae semper reservatus existat, pro uno Presbytero futuro in ea Archidiacono, qui dictae Ecclesiae Terlitien. etc. illiusque Capituli caput existat, et tam in Choro, quam in Capitulo, Processionibus, aliisque actibus, et functionibus Capitularibus tam publicis, quam privatis, praesit, ac praeeminentiam, et praecedentiam, primumque, et digniorem locum, nec non vocem activam, et passivam, et votum in eodem Capitulo habeat. Ac unum Archipresbyteratum, qui etiam in eadem Ecclesia Terlitien. etc. secunda Dignitas existat, pro uno Presbytero futuro in ea Archipresbytero, cui omnimoda animarum dilectorum Filiorum Parochianorum ejusdem Ecclesiae Terlitien. etc. cura, quae ante dictae Collegiatae Ecclesiae, quae etiam Parochialis existebat, suppressionem, et extinctionem per Nos per praesentes, ut praefertur, factas hujusmodi, per unum, et alterum, seu plures Vicarios amovibiles Curatos nuncupatos exercebatur, in futurum perpetuo immineat; quique etiam tam in Choro, quam in Capitulo, Processionibus, aliisque functionibus, et actibus Capitularibus publicis, et privatis hujusmodi, secundum locum post Archidiaconum, ac etiam vocem activam, et passivam, nec non votum in ipso Capitulo habeat. Ipsique Archidiaconus, et Archipresbyter pro tempore futuri una cum aliis Dignitates per Nos, ut infra, declarandas inibi obtinentibus, nec non Canonici dictae Ecclesiae Terlitien. etc. pro tempore existentibus, Capitulum in posterum

dumtaxat constituere debentibus, illius Capitulum hujusmodi in futurum tantum constituant, et apud illam personaliter residere, et in ea quoque una cum praedictas Dignitates per Nos, ut infra, declarandas inibi ut praefertur, obtinentibus, ac Canonicis praedictis, Divina Officia, caeterasque Ecclesiasticas functiones inibi celebrare, horasque Canonicas tam diurnas, quam nocturnas decantare, recitare, et psallere, ac eidem Ecclesiae Terlitien. etc. in omnibus, et per omnia laudabiliter deservire, illiusque statuta imposterum edenda debite, exacteque observare debeant, et teneantur. Nec non omnibus, et singulis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, et libertatibus, immunitatibus, praeeminentiis, gratiis, honoribus, antelationibus, indultis, et praerogativis, quibus aliarum Cathedralium post Pontificalem majores, ac etiam in eis inferiores Dignitates de jure, et de consuetudine, aut alias quomodolibet gaudere solent, eisque debentur, respective gaudere libere, et licite possint, et valeant; cum onere tamen, quod Archipresbyteratum per Nos per praesentes, ut praefertur, erectum pro tempore obtinens, sibi de idoneis Vicariis Curatis ad ejus nutum amovibilibus, qui eum juxta Populi necessitatem in administratione Sacramentorum coadjuvent, providere teneatur, eadem Apostolica auctoritate pariter perpetuo erigimus, et instituimus; illisque sic per Nos per praesentes erectis, et institutis pro Archidiaconatus, et Archipresbyteratus hujusmodi congrua, et competenti dote, illosque pro tempore respective obtinentium congrua substentatione, ex nunc videlicet Archidiaconatum, et Archipresbyteratum praedictos pro tempore respective obtinentibus simplicem participationem distributionum quotidianarum dictae Ecclesiae Terlitien. etc. inservientibus, et in ea interessentibus dari solitam, donec et quousque infrascripta fructuum, reddituum, et proventuum reservatio per dicti Antonii decessum, seu ejus promotionem praefatam cessaverit; Ipsa vero fructuum, reddituum, et proventuum praedictorum reservatione, sic, ut praefertur, cessata, Archidiaconatui videlicet ultra simplicem earumdem distributionum quotidianarum participationem praedictam, quinquaginta ducatorum monetae praedictae: Archipresbyteratui vero per Nos per praesentes, ut praefertur, erectis praefatis, pariter ultra simplicem dictarum distributionum quotidianarum participationem hujusmodi, aliorum quinquaginta ducatorum ejusdem monetae respective summas, a mensa Archipresbyterali dicti Archipresbyteratus per Nos per praesentes, ut praefertur, suppressi desumendas.

Futuri Archipresbyteri jura et onera statuuntur.

§. 12. Ipsique Archipresbyteratui praedicto omnia emolumenta, et jura tam certa, quam incerta, primitias, et Stolae nuncupata, ratione exercitii curae animarum lucrifieri, et percipi solita, quae antea ad primodictos Vicarios Curatos spectabant, et pertinebant; ita quod liceat futuris ejusdem Ecclesiae Terlitien. Archidiacono, et Archipresbytero summas praefatas eisdem modo, et forma, quibus ante dictae Collegiatae Ecclesiae, nec non ejusdem Archipresbyteratus, ut praefertur, suppressae, et extinctae, ac suppressi, et extincti respective suppressionem, et extinctionem hujusmodi, Mensae Archipresbyterali, et Archipresbyteratui per Nos per praesentes, ut praefertur, suppresso, et extincto, competebat: Eidemque Archipresbytero pro tempore futuro, omnia emolumenta, et jura praefata praedictis Vicariis Curatis antea competentia, cum praedicto tamen onere secundodictos Vicarios ad nutum amovibiles, ut praefertur, habendi; ac cum hoc etiam, quod quotiescumque ipse futurus Archipresbyter, prout etiam Vicarii Curati, ut praefertur, deputandi praedicti, si in dicta Ecclesia Terlitien. Presbyteri Participantes extiterint, in exercitio curae animarum hujusmodi, ac Sacramentorum administratione occupati fuerint, pro praesentibus habeantur, dictasque distributiones pro rata eis respective debitas lucrari possint, et valeant; quodque Capitulum, et Canonici dictae Ecclesiae Terlitien., nec non Confratres Confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi nunc etiam pro tempore existentes, illa omnia, quae ante Archipresbyteratus per Nos praesentes erecti praefati erectionem hujusmodi primodictis Vicariis Curatis pro administratione Sacramentorum, et respective associatione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti subministrare solebant, ea itidem omnia absque ulla prorsus differentia et diminutione, ad praemissorum effectum, Archipresbyteratum praedictum per Nos per praesentes, ut praefertur, erectum, nunc et deinceps pro tempore obtinenti subministrare respective debeant,

et teneantur, respective percipere, exigere, lucrare, ac in eorum, et utriusque eorum respective usus, et utilitatem convertere, Dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, Apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo applicamus, et appropriamus.

De aliis Dignitatibus, et Canonicatibus novaeque Cathedralis Ecclesiae Capitulo

§. 13. Praeterea quod Primiceriatus nunc secunda, deinceps tertia cum eadem praeeminentia in Choro, quam primus Cantor de praesenti habet, et primus Cantoratus nunc tertia, in futurum quarta, qui custodiam Archivii Capitularis perpetuo habeat, adeo ut ipse semper, ac perpetuo sit unus ex custodibus Archivii; Alter vero, seu secundus Cantoratus, nunc quarta, imposterum quinta, etiam Sacrista nuncupandus, ad quem Custodia Sacrarii, et sacrae supellectilis, sacrorumque vasorum semper pertineat, respective dignitates dictae Ecclesiae Terlitien. per Nos in Cathedralem Ecclesiam per praesentes, ut praefertur, erectae, dictaeque Ecclesiae Juvenacen., etiam per praesentes, ut praefertur, aeque principaliter unitae, existant; illaeque, prout omnes singuli Canonicatus, et Praebendae ejusdem Ecclesiae Terlitien. ab illa, ac illos ad praesens respective obtinentibus, absque nova illarum, ac illorum respective provisione, ut prius, obtineri, ac retineri possint, et debeant: illasque, ac illos nunc, ut praefertur, et in futurum respective obtinentes, Dignitates, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Terlitien. praedictae sic per Nos, ut praefertur, erectae existant; iique tantum, salvis tamen juribus Presbyterorum participantium, Capitulum dictae Ecclesiae Terlitien. per Nos in Cathedralem Ecclesiam erectae, dictaeque Ecclesiae Juvenacen. aeque principaliter unitae constituant, iisdemque redditibus fruantur, quibus hactenus sunt gavisi; ita quod Primiceriatus, ac Cantoratus primus, necnon alter, seu secundus Cantoratus, etiam Sacrista nuncupandus hujusmodi, illosque pro tempore respective obtinentes, similiter et pariformiter omnibus, et singulis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, praeeminentiis, gratiis, honoribus, antelationibus, indultis, et praerogativis, quibus similes inferiores dignitates aliarum Ecclesiarum Cathedralium de jure, et consuetudine gaudere solent, itidem gaudere libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, Apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo declaramus.

Erectio Praebendae Theologalis, et Poenitentiariae Episcopo injungitur.

§. 14. Et ulterius, quod modernus Episcopus Juvenacen., statim ac dictae Ecclesiae Terlitien. per Nos in Cathedralem, ut praefertur, erectae, dictaeque Ecclesiae Juvenacen. aeque principaliter unitae possessionem vigore earumdem praesentium assecutus fuerit, in eadem Ecclesia Terlitien., unum, et unam in Theologalem, ac alterum et alteram ex Canonicatibus et Praebendis dictae Ecclesiae Terlitien. in Poenitentiariam respective praebendas, ad praescriptum Concilii Tridentini, ordinaria ejus auctoritate erigere debeat, et teneatur.

Forma collationis, et Provisionis Dignitatum et Canonicatuum Terlitien. in futurum servanda.

§. 15. Quodque Archipresbyteratus praedictus per Nos per praesentes, ut praefertur, erectus, ad Dignitates etiam per Nos praesentes, ut praefertur, declaratae; necnon Canonicatus, et Praebendae, ac omnia, et singula dictae Ecclesiae Terlitien., aliaque si quae sint in aliis Civitatis et Dioecesis Terlitien., Ecclesiis consistentia Beneficia Ecclesiastica, reservationibus, et affectionibus Apostolicis semper subjaceant. Ipseque et illae, ac illi, et illa cuicumque ex Ecclesiasticis, seu Presbyteris, etiam extraneis, et non Terlitien., per Nos, et Sedem Apostolicam libere; eisdem vero reservationibus, et affectionibus Apostolicis cessantibus, Clericis, seu Presbyteris, Civibus tamen Terlitien., per modernum, et pro tempore existentem Juvenacen., et Terlitien. Episcopum ordinaria ejus auctoritate praefata (exceptis tamen aliquibus, non tamen pluribus, etiam perpetuis, et simplicibus, et personalem residentiam non requirentibus Beneficiis Ecclesiasticis Civitatis Terlitien., quae modernus, et pro tempore existens Episcopus Juvenacen., et Terlitien. praedictus, eisdem reservationibus, et affectionibus Apostolicis, ut praefertur, cessantibus, Clericis, seu Presbyteris, etiam non Terlitien. sibi benemeritis, et suis familiaribus, canonice tamen conferre possit, et valeat,) semper, et in perpetuum respective conferantur, eadem Apostolica auctoritate statuimus, et ordinamus.

Facultas Capitoli Terlitien condendi sibi leges, et statuta.

§. 16. Ac demum futuris Archidiacono, et Archipresbytero, ac modernis, et pro tempore existentibus Primicerio, ac primo Cantori, et alteri, seu secundo Cantori, etiam Sacristae nuncupando, nec non Canonicis dictae Eccle-

siae Terlitien., ut ipsi tantum capitulariter congregati pro dictae Ecclesiae Terlitien., et illius mensae Capitularis, nec non Sacristiae, illorumque rerum, et bonorum, ac jurium, tam spiritualium, quam temporalium, prospero, et felici regimine, gubernio, et directione, nec non onerum illis respective incumbentium supportatione, Divinorum Officiorum, Processionum, Funeralium, Anniversariorum, et Suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, repartitione, perceptione, et divisione, poenarumque per absentes, ac Divinis Officiis suis loco, et tempore non interessentes, seu onera et ministeria eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum, incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, coeremoniis, et ritibus in dicta Ecclesia Terlitien., illiusque Choro, Capitulo, Processionibus, et aliis actibus hujusmodi servandis, Officialibus, et Ministris dictae Ecclesiae Terlitien. necessariis deputandis, et amovendis, ac ministeriis per seipsos subeundis, salariis, et stipendiis praestandis, ac quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa praemissa quomodolibet necessariis, et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen et honesta, ac sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis, decretisque Concilii Tridentini praedicti minime adversantia, et per Ordinarium Loci prius examinanda, et approbanda, edendi, et edita declarandi, interpretandi, et in meliorem formam redigendi, et reformandi, seu alia de novo ex integro eisdem sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis, decretisque praedictis minime adversantia, et, ut praefertur, per Ordinarium Loci prius examinanda, et approbanda, et per eos, ad quos spectat, et pertinet, et pro tempore spectabit, et pertinebit observanda sub poenis in contravenientes infligendis similiter edendi, plenam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem, dicta Apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et impertimur.

Clausulae pro perpetua praesentium firmitate.

§. 17. Praesentes quoque semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, an nullo umquam tempore, ex quocumque capite cum qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo, quod causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo, solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, aut jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum, necessario exprimenda foret; aut quod de voluntate nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, aut controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato, aut emanato, quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse; neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque Literas, et Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae nostrae Apostolicae Regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis nostrae, et Successorum nostrorum ad praedicti Summi Apostolatus apicem, ut alias sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi de eisdem praemissis, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas, et imposterum edendas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse.

Decreta irritantia.

§. 18. Sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis au-

ctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii nostri Apostolici praedicti Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-legatos, Sedisque Apostolicae praedictae Nuntios, et alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque instantia, judicari et definiri debere: et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus irritum, et inane decernimus.

Provisiones, et valores Dignitatum, et Praebendarum, de quibus supra.

§. 19. Et nihilominus Archidiaconatum praedictum, cujus vigintiquatuor, computatis vero distributionibus quotidianis, quinquaginta, Felici de Paù U. J. D. etc.; alterum seu secundum Cantoratum per Nos in quintam Dignitatem per praesentes declaratum obtinenti; Et Archipresbyteratum praedictum per Nos per praesentes, ut praefertur, erectos et institutos, cujus etiam vigintiquatuor, computatis vero distributionibus quotidianis, aliisque incertis, sexaginta, a primaevis illorum erectione, et institutione per Nos per praesentes, ut praefertur, factis hujusmodi vacantes, Nicolao Josepho Lategola, etiam U. J. D. etc. Canonicatum et Praebendam dictae Ecclesiae Terlitien. obtinenti, eadem Apostolica auctoritate respective conferimus, et de illis etiam respective providemus; Ipsumque alterum seu secundum Cantoratum, etiam Sacristam, ut praefertur, nuncupandum, per Nos in quintam Dignitatem, ut praefertur, declaratum, ad quem in futurum pro tempore obtinentem custodia Sacrarii, et sacrae suppellectilis, sacrorumque vasorum semper pertineat, ut praefertur, et quem per solam gratiae de dicto Archidiaconatu per Nos dicto Felici Apostolica auctoritate per praesentes factae concessionem vacare decernimus, ac cujus etiam, computatis distributionibus quotidianis, vigintiquatuor, Francisco Xaverio Taralli U. J. D. etc. Canonicatum et Praebendam dictae Ecclesiae Terlitien. obtinenti, ac primodictos, quos per solam gratiae de dicto Archipresbyteratu per praesentes, ut praefertur, erecto, per Nos eidem Nicolao Josepho dicta Apostolica auctoritate, etiam per praesentes factae concessionem vacare quoque decernimus, ac quorum etiam computatis distributionibus quotidianis vigintiquatur, Francisco Paulo Lopez etc. secundodictos vero Canonicatum et Praebendam ejusdem Ecclesiae Terlitien., quos per solam gratiae de praefato altero seu secundo Cantoratu dicto Francisco Xaverio, ut infra, faciendae concessionem similiter vacare decernimus, ac quorum pariter, etiam computatis distributionibus quotidianis, aliorum vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, respectiva fructus, redditus, et proventus secundum communem aestimationem praedictam valorem annuum, ut itidem accepimus, non excedunt, juxta decreta hujusmodi apud Sedem Apostolicam praedictam respective vacantem, et vacantes etc. Alexio Rubino etc. Presbyteris, ex dicta Civitate Terlitien. respective oriundis, dilectis pariter Filiis, cum annexis hujusmodi, et quod primo et secundodictos Canonicatus, et Praebendas, plenitudine juris Canonici, ac omnibus respective juribus, et pertinentiis suis, Apostolica auctoritate praedicta, etiam conferimus, et de illo et illis etiam respective providemus; decernentes, prout est, irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari.

Reservatio fructuum Archipresbyteratus suppressi, favore Resignantis.

§. 20. Et insuper eumdem Antonium, ut ex resignatione sua hujusmodi, ad pacem dictae Ecclesiae Terlitien. per Nos in Cathedralem Ecclesiam per praesentes, ut praefertur, erectae, dictaeque Ecclesiae Juvenacen., etiam per praesentes aeque principaliter unitae, restituendam, et in ea Divinum cultum augendum, restituendamque Ecclesiasticam disciplinam, ut praefertur, facta, nullum sibi praejudicium, prout juris est, inferatur, nec non attento dicti Pauli Episcopi tam proprio, quam ejus successorum dictae Ecclesiae Juvenacen. Praesulum nomine, ac etiam modernorum Deputatorum tam Capituli ejusdem Ecclesiae Terlitien., quam Communitatis Civitatis Terlitien. consensu de non molestando ipsum Antonium, sive ejus Procuratorem legitimum in exactione et perceptione infrascriptorum fructuum, reddituum, et proventuum desuper respective praestito, in praemissis gratioso favore prosequi volentes, eidem Antonio omnes et singulos fructus, redditus, et proventus mensae Archipresbyteralis dicti Archipresbyteratus per Nos per praesentes, ut praefertur, suppressi et ex-

tincti, nempe piscinae olei, stabulorum officinae, et aliorum hujusmodi, et qui notantur in Platea mensae Archipresbyteralis, comprehensis potissimum mortuariis, sive juribus funerum, strenis, transactionibus actuum cum Capitulo Terlitien., franchigiis super Gabella farinae, et oblationibus, quae in Sancti Michaelis Archangeli, ac Purificationis B. Mariae Virginis respective festis diebus dari consueverunt, et dantur, ex quibus ante Archipresbyteratus praedicti suppressionem et extinctionem redditus mensae Archipresbyteralis constituebantur, et quos ipse Antonius ad praesens percipit, usque ad illius decessum, aut ejus promotionem ad alicujus Ecclesiae regimen tantum, et non ultra, itaquod post ejusdem Antonii decessum, aut promotionem hujusmodi, in illorum integra perceptione et fruitione modernus, et pro tempore existens Juvenacen. et Terlitien. Episcopus succedere debeat, ut praefertur, Apostolica auctoritate praedicta ipsarum tenore praesentium reservamus, concedimus, et assignamus.

Deputatio Executorum.

§. 21. Quocirca eidem Episcopo Bituntino, ac Venerabilibus Fratribus Nostris Ruben., et Andrien. Episcopis motu simili per praesentes committimus, et mandamus etc. etc.

Derogationes.

§. 22. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae praedictae Regulis de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero annuo valore in Beneficiorum suppressionibus, ac in concessionibus de quibuscumque fructibus, et bonis Ecclesiasticis, nec non de eisdem suppressionibus perpetuis committendis ad partes, etiam vocatis ad id interesse habentibus, ac Lateranen. Concilii novissime celebrati suppressiones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibus Conciliis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, dictaeque Ecclesiae Juvenacen., ac ante illius erectionem, et unionem praefatas per Nos, ut praefertur, factas, Ecclesiae Terlitien. praedictae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, et novis additionibus, stilis, et usibus, ac consuetudinibus eorum immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis illis, et quibuscumque Superioribus, et Personis, etiam specifica, et expressa, ac individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis; approbatis, confirmatis, et innovatis; etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque Literas Apostolicas, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessas, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur derogatum. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales eidem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, hic inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum, latissime, plenissime, ac sufficienter, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqui in dicta Ecclesia Terlitien. in Canonicos sint recepti etc. etc.

De Taxa novae Cathedralis Ecclesiae Terlitien. in Libris Camerae describenda.

§. 23. Volumus autem, quod taxa praedictae Ecclesiae Terlitien., per Nos in Cathedralem Ecclesiam per praesentes, ut praefertur, erectae, dictaeque Ecclesiae Juvenacen., etiam per praesentes, ut praefertur, aeque principaliter unitae, in trigintatribus Florenis auri cum duobus tertiis alterius Floreni similis ex tunc in posterum sit, et ita in libris Camerae nostrae Apostolicae describatur etc.

Sanctio.

§. 24. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, litium, et causarum hujusmodi extinctionis, avocationis, silentii impositionis, suppressionis, extinctionis, erectionis, unionis, applicationis, appropriationis, statuti, declarationis, collationis, provisionis, decreti, commissionis, man-

dati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 26. Novembr. 1749.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, sexto Kalendas Decembris, et Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Loco ✠ Plumbi.
J. Datarius.

XV.

DE PRÆPARATIONE

Ad Annum JUBILÆI Universalis, ac praesertim de reparandis Ecclesiis Urbis.

Allocutio ad S. R. E. Cardinales habita in Consistorio secreto Feria secunda die 3. Martii anni 1749.

VENERABILES FRATRES

De tempore Jubilaei Universi. indicendi et celebrandi.

Annus Jubilaei, qui Sanctus vulgo nuncupatur, post hunc annum, quem auspicati jam sumus, indicendus occurrit, tunc enim vigesimus quintus annus absolvetur, ex quo Benedictus XIII. Praedecessor noster Jubilaeum celebravit. Porro nemo Vestrum ignorat, Constitutione Bonifacii VIII., Praedecessoris nostri sancitum fuisse, ut Annus Jubilaei, nonnisi peractis centum annis indiceretur: quod deinde spatium temporis contractum fuit á Clemente VI. ad annos quinquaginta; et postea ab Urbano VI. Praedecessore quoque nostro ad annos triginta tres redactum. Tandem, post alias vices, quae in Ecclesiae Annalibus recensentur, a Paulo II. Praedecessore nostro constitutum fuit, ut Anni Sancti celebritas post annos viginti et quinque in posterum ageretur: quae sane laudabilis consuetudo ad hanc usque diem retinetur. Post Bonifacium VIII., qui primus Jubilaeum vel instituit, vel saltem restituit, ad haec usque tempora, septemdecim celebritates Anni Sancti peractae fuerunt; ideoque decimum octavum numerabitur Jubilaeum, quod proxime indicetur.

Pontificis mens circa Jubilaei celebrationem.

§. 2. Pontificum vero memoriam repetentes, qui celebritatem ejusmodi peregerunt, Nicolaum V., qui Bononiensem Episcopatum antea gesserat, et Gregorium XIII. Civem Bononiensem deprehendimus. Nos etiam Bononiae nati, et qui Bononiensem Archiepiscopatum adhuc retinemus, decimum octavum Jubilaeum, si Deo placuerit, indicemus, et celebrabimus. Quod si aliter contigerit, Divinae voluntati Nos omnino subjectos, paratosque ad quaelibet Dei judicia subeunda fatemur. Nam oculis nostris obversatur Pauli III. memoria, qui, indicto Jubilaeo, mortali hac vita defunctus est, et Julio III. illud absolvendum reliquit. Obversatur etiam exemplum Innocentii XII., qui Portam Sanctam reseravit, quam deinde Clemens XI. occlusit. At vero, quidquid de incerto vitae cursu Nobis futurum esset, consentaneum tamen visum est, ut superiori Pontificatus Nostri tempore animum et cogitationem nostram converteremus ad Jubilaeum, quod fere oculis nostris semper occurrebat, ut ea, quae necessaria sunt, opportune pararentur; cum praesertim ipsa non solum maximos sumptus, sed plurimum etiam temporis, ut perficiantur, requirant.

Quam multa in eum finem paranda curaverit.

§. 3. Vobis nequaquam exponemus hoc loco Vias publicas, quas vel recenter aperuimus, vel dirutas reparavimus, ut facilior ad Urbem aditus, et commodiora universis Romam confluentibus itinera redderentur: ea solum recensebimus, quae Romae a Nobis perfecta sunt, quae fortasse jam Vobis, Venerabiles Fratres, perspecta sunt et explorata, vel perspici pro vestra voluntate facile possunt.

De quatuor potioribus Basilicis.

§. 4. Equidem Basilicae Sanctorum Petri et Pauli a Bonifacio VIII. ad Clementem usque VI. visitari unice consueverant ab iis, qui plenariam Jubilaei Indulgentiam assequi contendebant. Cognita satis est omnibus cura, quam impendimus, ut, operosa Basilicae Vaticanae Testitudine confirmata, populum ab omni metu ac suscipione solveremus, cum rumor emanasset, quod moles illa ruinam proxime minaretur. In Basilica vero Sancti Pauli, cum musivum opus, quod supra Chorum adspiciebatur, vetustate labefactatum decidisset, jussimus, illud in pristinum splendorem restitui, quod sane quamprimum absolvetur. Clemens VI. Basilicis Vaticanae et Ostiensi Lateranensem quoque visitandam adjunxit, in qua nihil ad majestatem augendam addi posse visum est, cum Praedecessor noster Clemens XII. eamdem Basilicam exterius, interiusque, Regia plane magnificentia, exornaverit. His tribus Basilicis,

quas modo enumeravimus, Urbanus VI. Basilicam quoque addidit Sanctae Mariae Majoris, seu Sanctae Mariae ad Praesepe in Exquiliis, in qua versantur ante oculos omnium, qui ad illam se conferunt, eximii sumptus, qui a Nobis quotidie fiunt, ut illius splendor ac dignitas augeatur.

asilica e Cru- Hieru-

§. 5. At vero animum nostrum non ad quatuor solum Basilicas intendimus, quae tempore Jubilaei invisendae sunt ab iis, qui, reliquis piis operibus praescriptis operam dantes, plenariam Indulgentiam lucrari desiderant; sed etiam cogitationem nostram ad alias Ecclesias Urbis convertimus. Nemo Vestrum ignorat, quibus exornetur encomiis Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, quam Constantinus Imperator in Ædibus Sessorianis extruxit. In illa (ut alias insignes Sanctorum Reliquias recensere omittamus) Titulus Sanctissimae Crucis religiose servatur, qui repertus fuit, cum Innocentius VIII. Summum Pontificatum obtineret. Eam Lucius II. Civis Bononiensis e fundamentis restauravit; Beatus autem Nicolaus Cardinalis Albergatus, Civis quoque et Episcopus Bononiensis, ejusdem Ecclesiae Titulum gessit. Idem Titulus Nobis contigit, cum inter Cardinales versaremur. Itaque eam Basilicam diuturnitate temporis impolitam, ac pene labentem, magnis impensis in eum splendorem, quem nunc videtis, restituendam curavimus: viam quoque amplam, ac spatiosam ab ipsa Sessoriana Basilica ad aliam Lateranensem aperuimus.

Ecclesia artini ontibus.

§. 6. Inter alias Ecclesias, quae jussu ac pietate Constantini Imperatoris conditae fuerunt, S. Martini in Montibus Templum adnumeratur, quod etiam Titulus Equitii dicitur, eo quod extructum fuerit in praedio Presbyteri, qui eo nomine appellabatur. Ejus partes subterraneas Cardinalis Gabriel Palaeottus, Civis Bononiensis, et primus ejusdem Civitatis Archiepiscopus, marmore obduxit et exornavit. Porro haud satis perspicui oculisque subjecti sunt non exigui sumptus, quos in eo loco impendimus. Verum, qui pristinam illius Templi conditionem cognitam habuerunt, minime ignorant, magnum illud Ædificium, non una ex parte labefactatum, consistere in hanc usque diem vix potuisse, nisi perfecta fuissent a Nobis ea omnia, quae ad ejus ruinam ac perniciem vitandam, necessaria putabantur.

§. 7. Exploratum quoque Vobis arbitramur, Templum Sanctae Mariae Angelorum, quod magnam Thermarum Diocletiani partem occupat, a Pio IV. conditum, deinde a Gregorio XIII. Bononiensi Cive ornatum fuisse. Nos quoque, ut illud magis expolitum fiat, curam nostram impendimus; utque in formam pulchriorem redigatur, manus Artificum adhuc operibus exercentur. Siquidem Tabulas pictas ultro concessimus, quae ad ejusdem Templi venustatem, et Fidelium pietatem augendam plurimum conferunt. Postremo silentio praeteribimus ea, quae contulimus ad extruendas Sancti Apollinaris magnificas Ædes prope Forum Agonale. Quippe Vobis ipsis ea perspecta fuerunt, cum praesentes interfuistis, quo tempore Aram maximam ejusdem Templi paucis ab hinc mensibus consecravimus.

De Ecclesia Sanctae Mariae Angelorum in Thermis.

Et S. Apollinaris.

§. 8. Cum magnam vitae nostrae partem, antequam ad Summum Pontificatum evecti fuerimus, in hac Urbe nostra peregerimus, Jubilaei celebritatem bis Nos ipsi vidimus; et praesertim incredibile Fidelium ex remotissimis Orbis partibus Romam confluentium desiderium, et piam cupiditatem, ut sacrae antiquitatis monumenta inquirant, et suis ipsi oculis contemplentur: quae sane conferunt plurimum, ut veritas Catholicae Religionis comprobetur, et hujus S. Sedis auctoritas firmetur. Quamobrem, cum pro novis aedificiis, quae Praedecessor Noster maximo sumptu, ac splendore perfecit ad Basilicam Lateranensem, necessario aequatum fuerit solo insigne Triclinium Leonis III. et vetus Sacellum Pontificium, quod apud Patres Poenitentiarios ejusdem Basilicae in veteri angustoque Monasterio servabatur, Nos idem Triclinium, et Sacellum Pontificium alio in loco collocavimus, et veterem ipsorum formam ita retinuimus, ut opere ipso veteri renovato, antiquitas tamen non tolleretur, sed illorum pretium, ac memoria integra permanerent. Quo tempore Clemens X. Annum Jubilaei celebravit, viri pietate, ac religione praediti, Pontifici suaserunt, ut ad binos aditus Amphitheatri Flavii, quod *Colossaeum* vulgo dicitur, ea inscribi, et coloribus exprimi juberet, quibus loci Sanctitas, et Martyrum sanguis ob Fidei Catholicae defensionem ibidem magna copia profusus indicarentur. Sic enim fore putabant, ut in posterum scandala de medio tollerentur, quae aliis temporibus contigerant, ac praesertim, cum Summi Pon-

Alia sacrae antiquitatis monumenta restaurata.

Triclinium et Sacellum Lateranense.

Amphitheatrum Flavium.

tifices Avenione Sedem haberent. Nam in eodem Amphitheatro tum venationes ferarum, tum alia profana spectacula edita fuerant, quae Deum, ut memoriae proditum est, non semel ad justam indignationem, et severam praesentemque ultionem incitarunt. Porro monumenta ejusmodi, quae Nos ipsi pluries legimus, quamvis muro depicta, tamen ob assiduas pluvias deformata adeo fuerant, ut intelligi nequaquam possent. Qua de causa jussimus, ut illa marmore incidantur, ne temporis injuria labefactentur.

Cogitatum etiam de monumento apparitionis Jesu Christi B. Petro Apostolo.

§. 9. Pia constantique traditione ad Nos pervenit, quod Sanctus Petrus Apostolus, victo et prostrato Simone Mago, Gentilium furorem in se vehementer concitaverit; ideoque Fidelium studiis, ac voluntati obtemperans, consilium coeperit Urbis relinquendae, donec commota tempestas sedaretur. At vero amantissimum in Porta Salvatorem Jesum Christum offendens, eumque interrogans: *Domine quo vadis?* cum hoc responsum accepisset, *Venio iterum crucifigi:* aperte intellexit Apostolus, sibi redeundum in Urbem, Crucis martyrium expectandum. Quod plane ita contigit; nam paulo post Cruci affixus cursum suum consummavit. Hujus rei veritatem testimonio suo certissime comprobat S. Ambrosius in sermone contra Auxentium; nulliusque ponderis habenda est censura, qua Velenus, ac Basnagius impudentissime audent infringere Sancti Doctoris auctoritatem.

§. 10. A porta Capena, quae nunc a Sancto Sebastiano nuncupatur, parum distat Sacellum, quod vulgo dicimus *Sanctam Mariam Plantarum*, de quo primus Petrus de Natalibus Exquilinus Episcopus mentionem facit, qui decimo tertio saeculo scripta sua posteritati commendabat. Nihil desiderandum modo est illi Sacello, quod Cardinalis Scipio Burghesius restaurandum susceperat, postremo Cardinalis Franciscus Barberinus senior perfecit. Non longe occurrit aliud Sacellum rotundae figurae, quod initio praeteriti saeculi Cardinalis Reginaldus Polus extruendum curavit. Duae fuerunt opiniones. Nam plures existimant, Christum Dominum Sancto Petro apparuisse in eo loco, ubi Sacellum Sanctae Mariae Plantarum consurgit; ubique suorum pedum vestigia marmore impressa reliquisse, quod in Ecclesia Sancti Sebastiani modo asservatur. Sed vulgaris fere omnium sententia Christum se Petro ostendisse affirmat in eo loco, ubi, jussu Cardinalis Poli, Sacellum rotundae figurae conditum adspicitur. Illud modo pene dirutum est; et Nos ipsi restaurare, et ornare saepe illud cogitavimus, quam voluntatem animumque nondum deposuimus.

Sed ob incertitudinem loci, dilatum consilium.

§. 11. Sed quanto certiores sumus de admirabili illa apparitione, quae Sancto Petro contigit, tanto incerti versamur de loco, ubi statuenda illa procul omni dubio videatur. Quare dubitandum merito est, si illud Sacellum reparandum suscipimus, ubi locum apparitionis, sicut antea diximus, vulgus constituit, falso aliquos esse interpretaturos, id a Nobis peractum fuisse, ut popularem opinionem, ratam, firmamque redderemus; quod sane non mediocre afferret periculum. Siquidem, cum gravissimae difficultates ad locum apparitionis statuendum proponantur, aditus inde pateret malevolis, et pravae indolis hominibus, ut ipsam apparitionem quae certa est, inficiarentur, locum ejus oppugnantes, qui sane est incertus, ita ut jure nihil de illo affirmari possit.

§. 12. Sanctus Ambrosius hujusmodi apparitionem in Porta Civitatis accidisse commemorat: *Videns*, inquit, *sibi in Porta Christum occurrere, Urbemque ingredi.* Verum Sacellum Virginis Plantarum valde a Porta Civitatis sejungitur; longius etiam distat Sacellum rotundum a Cardinali Polo excitatum: quamobrem praesens illorum situs parum loco convenire videtur, in quo, juxta S. Ambrosii testimonium, Petro Apostolo Christus apparuit. Quod si locum, ubi Porta Capena modo sita est, considerantibus, non levis videtur difficultas, quam in medium protulimus; majoris sane momenti illa judicabitur, si perpendamus, Portam Capenam, quo tempore Christus apparuisse Petro dicitur, ad mille passus interiorem fuisse, et Urbem versus constitutam. Etenim inter Ecclesiam Sanctae Balbinae, et Viridarium Familiae de Matthaeis tunc temporis posita erat; quae deinde jussu Aureliani Imperatoris, videlicet ducentis septuaginta annis post Christi mortem, translata fuit in eum locum, ubi nunc etiam perseverat.

Alia in Urbe praestita.

§. 13. Porro inter ea, quae ratione futuri Jubilaei perfici curavimus, recensere non dubitamus sacram Pontificii Sacelli suppellectilem, quam sacram spatio temporis detritam invenimus, refectam a Nobis et innovatam.

Praeterea amplificatum, et splendide auctum Nosocomium Sancti Spiritus in Saxia: licet ipsum non modo constitutum sit pro excipiendis curandisque peregrinis, qui Romam venientes pro comparanda Jubilaei Indulgentia, in morbum inciderint; sed etiam ut commodius in illo versentur reliqui omnes quocumque tempore, qui vel ex Urbe, vel ex aliis locis, ad illud confugiunt, ut corporis morbis liberentur. Exemplis Praedecessorum nostrorum Sixti IV., et Gregorii XIII. adducti sumus ad id peragendum. Primus enim veterem pontem Janiculum, qui modo ab ejus nomine Sixtus appellatur, restituit; alter vero publicam viam aperuit, quae a Basilica Sanctae Mariae Majoris ad Lateranensem perducit, et inter opera ab eis pro Jubilaeo peracta et pons et via enumerantur. Constat autem, et viam patefactam, et pontem Janiculum restitutum non modo pro illis fuisse, qui tunc temporis Jubilaei causa a remotissimis partibus Romam venerunt, verum etiam publicam attulisse, et nunc pariter omnibus afferre commoditatem.

Adhortatio ad S. R. E. Cardinales, quae eorum curis sunt, instaurari, aptari cupiunt.

§. 14. Universa, quae a Nobis gesta sunt, vestris oculis exposuimus; ita tamen, ut illa exigua valde esse cognoscamus. Animus sane fuisset majora quoque suscipiendi, nisi Pontificium Ærarium pene exhaustum, uti Vobis exploratum est, ad Nos pervenisset; et nisi calamitosus undequaque Pontificatus ob peccata nostra, Dei judicio, Nobis contigisset. Porro ob eam solummodo causam haec omnia Vobis recensuimus, videlicet ad vestros animos, qualicumque exemplo nostro, inflammandos, ut studiis ac desideriis nostris obsecundetis, quae sane ad augendam Dei gloriam, splendoremque Sedis Apostolicae amplificandum, unice diriguntur. Romae existunt Ecclesiae, quae Cardinalium Tituli appellantur, et in quibus jurisdictionem quasi Episcopalem exercetis. Insigniores Basilicae Cardinalem Archipresbyterum obtinent, qui illas moderatur. Regularium Familiae Ecclesias pariter in hac Urbe possident, et Cardinalem fere omnes nactae sunt, cujus tutelae committuntur. Archisodalitia fere universa Cardinalis patrocinio fruuntur. Quapropter singulos vehementer hortamur, et quo possumus maximo studio obsecramus ad omnem diligentiam impendendam, ad omnem rationem excogitandam, ut Ecclesiae, quarum Titulis praediti estis, ut Basilicae, quarum Archipresbyteri renunciati fuistis, ut demum Ecclesiae Regularium, vel Sodalitatum, quarum patrocinium obtinetis, praesentis anni spatio convenienter aptentur, et exornentur, et nihil eorum desit, quae necessaria in illis judicantur; ut confluentes populi futuro anno, cum Jubilaeum celebrabitur, Sacras Dei Ædes intueantur, quales omnino haec Civitas requirit, quae Orbis Terrae Caput, et Vicarii Christi Sedes prae caeteris effulget, et cujus exemplum ac normam reliqua Orbis Christiani Templa sibi debent imitanda proponere. Cardinali nostro Vicario mentem nostram aperiemus pro iis omnibus, quae statuenda in caeteris Ecclesiis videbuntur.

Alia pro spirituali Fidelium profectu praestanda innuuntur.

§. 15. Haec profecto, quae antea diximus, externa tantummodo sunt. Alia multa requiruntur ad fructum spiritualem colligendum, cujus gratia Jubilaei Annus fuit institutus. Ut hunc quoque finem assequamur, licet plura Nos ipsi jam perspeximus, et plura animo reputavimus; tamen multa etiam perspicienda, et excogitanda hujus anni cursu relinquuntur, in quibus ope vestra, vestroque consilio libenter uti non praetermittemus. Interim Deum magnopere obtestamur, ut liceat Nobis ad Annum proximi Jubilaei pervenire, ejusque spatium ita exigere, quemadmodum Nicolao V. Praedecessori nostro, quem superius nominavimus, feliciter contigit, de quo memoriae proditum est, Annum Jubilaei peregisse *in Celebritatibus, et Stationibus*.

PRO INDICTIONE JUBILÆI UNIVERSALIS. XVI.

Allocutio ad S. R. E. Cardinales habita in Consistorio secreto Feria secunda die 5. Maji anno 1749.

VENERABILES FRATRES.

Jam Vobis exposuimus in Consistorio, quod incunte Martio habuimus, illa omnia, quae pro celebrando Jubilaeo perfecimus; videlicet, ut Basilicae, Templa, et sacra hujus nostrae Urbis monumenta splendore magis augeantur. Tunc etiam Vos hortati sumus ad omnem diligentiam impendendam, ut in Ecclesiis, quarum Titulis praediti estis, aut quae peculiari cura vestra ac patrocinio gaudent, nihil omnino, quod vel ad sacrae supellectilis dignitatem, vel

ipsius aedificii majestatem pertinet, ab illis desideretur, qui Romam confluent, ut sacras Indulgentias adipiscantur. In eodem Consistorio pariter indicavimus, defixam esse praecipue mentem nostram in illis excogitandis, quae ad fructuosam Jubilaei adeptionem conferre viderentur; eaque vestris oculis subjicere polliciti sumus, ut consiliis vestris uteremur. De his itaque in praesenti Consistorio agemus.

De tempore publicandi Literas Indictionis Jubilaei Universalis.

§. 2. Si tum vetusta, tum recentia repetamus Ecclesiae monumenta, facile intelligimus, Constitutionem Apostolicam, qua primo Jubilaeum indicitur, promulgari quandoque feria quinta Majoris Hebdomadae consuevisse post recitatam solemniter Bullam, quae *in Coena Domini* nuncupatur. Aliquando in celebritate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli id contigisse legimus. Alias tandem, cum solemnis dies Ascensionis in Coelum amantissimi Salvatoris nostri ageretur. Equidem consuetudo Jubilaei promulgandi feria quinta majoris hebdomadae, sicuti primo loco recensuimus, antiquissima est. Publicari vero Jubilaeum die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli tum solum consuevit, cum Sedis Apostolicae vacatio publicationem hujusmodi, solemni die Ascensionis fieri solitam, impediret. Itaque, cum his postremis temporibus mos obtinuerit indicendi magni Jubilaei ea die, qua Domini in Coelos Ascensio solemniter recolitur; Nos eamdem disciplinam retinentes, Constitutionem ad Jubilaeum declarandum in proxima Ascensionis Domini celebritate promulgari decernimus.

Addita in Literis conditio Eucharistiae suscipiendae, pro assequutione Jubilaei.

§. 3. Omne sane studium contulimus, ut hujusmodi Constitutio, quae Vobis singulis jam tradita est, reliquis conformetur, quas Praedecessores nostri ob eamdem Jubilaei causam ediderunt. In hoc solum auctam Constitutionem nostram agnoscetis, quod Praedecessores nostri de Poenitentia solum verba faciant, quam secundam post naufragium tabulam Patres nuncuparunt, et cujus virtute aeterna supplicia simul cum peccati culpa remittuntur. Sacram vero Synaxim minime commemorant, quam Tridentina Synodus *antidotum* appellat, quo Fideles *liberantur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservantur*. Quocirca piis operibus ad Jubilaeum comparandum praescriptis, sumendam quoque Divinam Eucharistiam adjunximus, ad quam plerumque fideles ultro accedebant, ut eamdem Indulgentiam lucrarentur. Adducti sumus non modo sententia Virorum virtute praestantium, qui de magno Jubilaeo scribentes, et non exigua volumina ac dissertationes in hanc rem typis committentes, vehementer expetere videntur, ut inter pietatis opera, quae indici solent, sacra Synaxis recenseatur: non, inquam, auctoritate solum hujusmodi adducti sumus, sed ob eam pariter rationem, quod, cum in reliquis Jubilaeis percipienda sacra Eucharistia jubeatur, consentaneum omnino putavimus, idem quoque praecipere, dum Anni Sancti Jubilaeum celebratur.

Sess. 33. de Eucharistia, cap. 2.

Plura a Pontifice destinata subsidia Fidelibus ad conversionem, et spirituales profectus.

§. 4. Post ejusdem Jubilaei promulgationem, cum aestivum tempus incoeperit, curam nostram animumque convertemus, ut in hac nostra Civitate sacrae Missiones peragantur. Illarum Ministros admonebimus, ut, praetermissis caeteris disputationibus, Ecclesiae doctrinam de Indulgentiis populo declarent, illumque edoceant rationem rite, ac utiliter peccata confitendi: totis insuper viribus contendant, ut Poenitentiae Sacramento scelerum maculas detergat, ut expiatis animis Annum Sanctum pie auspicetur. Accitos etiam Sacerdotes pro excipiendis Confessionibus designatos alloquemur iis verbis, atque sententiis, quae in libro Monitorum ad ipsos Confessarios a Sancto Carolo Borromaeo conscripto continentur: quem sane librum utinam Confessarii saepius in manibus haberent, ut maximam ex eo utilitatem perciperent, et aptissima ad morbos animae depellendos remedia desumerent, quae Sanctus Archiepiscopus proponit, et sanissima ex doctrina Canonum et Patrum delibavit. Ad Episcopos Fratres nostros Literas Encyclicas dabimus, ut illis explorata perspectaque faciamus ea, quae Nos Romae constituimus, ut eamdem disciplinam, et exempla suis ipsi in Dioecesibus imitentur. Quare, si Deus Optimus Maximus universa, quae disposuimus, sua prosequatur gratia, (siquidem *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus*) si, uti diximus, ipse Nobis adsit propitius, non modo praeteritas Pontificatus nostri, ac praesentes, sed eas etiam, si quae forte futurae sunt, calamitates atque infortunia, abunde rependi laetabimur, cum videbimus Annum Jubilaei sancte, uti par est, celebrari, annum poenitentiae plenum, annum ad sempiterna Paradisi gaudia viam sternentem, annum bonis exemplis redundantem, annum denique, qualem et Nos in votis habe-

I. ad Corinthios 3.

mus, et Praedecessores nostri summopere exoptarunt.

…structio- …quoque, …claratio- …ad con- …rsias, et …a tollen-

§. 5. Cum denique Portae Sanctae aditus reserandus erit, tum Poenitentiariis, et Confessariis varias atque extraordinarias facultates impertiemur. Qui vel leviter Scriptores de Morali Theologia tractantes percurrit, non ignorat profecto multiplices, obscuras, et implicatissimas difficultates, quas illi pro iis facultatibus intelligendis, et explicandis induxerunt, quamobrem easdem difficultates in unum congerere, et in recenti formula, quae jam recensitas facultates continebit, quaestiones omnes de medio tollere non praetermittemus, quae magis partium studiis excitari olim consueverunt, et quae hoc tempore procul dubio minime defuissent. Attamen persuasum Nobis nequaquam habemus, aditum quoque praeclusisse omnibus et singulis difficultatibus, quas olim ingenia turbulenta, callida, ac litigiosa excitarunt, et nunc etiam ejusdem indolis homines excogitare possunt. Porro animadvertimus, Praedecessores quidem nostros operam dedisse suam, ut quaestiones hujusmodi convellerent; tamen ipsae totis viribus agitari non destiterunt: quod sane non contigisset, si legentes hujusmodi facultates, accuratius earumdem verba perpendissent, quibus usi fuerunt Summi Pontifices in illis tradendis, et vanis quaestionibus praecidendis, quae tunc temporis ferebantur. Quamobrem, ut huic pariter incommodo remedium afferatur, facultatibus, quas Nos poenitentiariis, et Confessariis elargiemus, Literas Encyclicas adjungemus, quae singulas difficultates complectantur; et simul indicabimus verba recentis nostrae formulae, quibus eaedem difficultates satis abunde explicantur.

…tifex S. …. Cardi- …nus orari …mlat pro …i consi- …am suo- exitu.

§. 6. In his peragendis ac disponendis occupamur, antequam Annum Sanctum ineamus; videlicet, ut ea, quae necessaria sunt, opportune praeparentur. Quae omnia perspecta Vobis facimus, Venerabiles Fratres, ut vestra Nobis consilia, vestramque operam suppeditetis. Illud autem vehementius expetimus, ut vestris ad Deum precibus, vestrisque Sacrificiis, Divinam opem ac praesidium in tam gravi negotio Nobis imploretis. Beatissimam in primis Dei Matrem, ac praeterea S. Pium V. Praedecessorem nostrum, cujus hodie solemne festum celebramus, deprecatores apud Deum Nos ipsi eligimus, ut omnia feliciter eveniant. Tutelae ac patrocinio Beatae Virginis magnopere confidimus, quam toto vitae nostrae cursu propitiam Nobis atque indulgentissimam experti sumus. Sancti Pii V. praesidiis fidenter innitimur, non modo quod ipse hanc eamdem Sedem, ad quam Nos immerentes ascendimus, merito obtinuit; sed quia pie credi novimus, Beatos Viros, qui Deum in Coelis intuentur, facilius adduci, ut suorum civium justas obsecrationes Deo exhibeant; et eorum praesertim, qui laborem suum impenderunt, vel impendunt, ut ipsis in hoc Orbe terrarum, gloria, quam accidentalem vocant, augeatur.

Invocat opem auxiliumque S. Pii Papae V., cujus dies festus agebatur.

§. 7. Itaque sermonem, animumque nostrum ad Te convertimus, Sanctissime Pontifex, qui licet in Oppido Insubriae, quod Boschum appellant, hujus vitae lucem acceperis, id tamen adversari minime potuit (Tu non semel ipse comprobasti), quin praeclara uti generis origo ad communem Patriam nostram Bononiae Urbem referatur. Praesentes oculis tuis versentur vigiliae, ac sudores, quos Nos in minoribus constituti, et inter Consistoriales Advocatos cooptati, aetate florente, libenter insumpsimus, ut miracula, quae Deus, Te deprecante atque intercedente, patraverat, ab acutissimis argumentis vindicaremus, quae ex Jurisprudentiae, et Physicae fontibus objiciebantur. Praesentes quoque sint labores nostri, quos alacri animo suscepimus, cum Promotoris Fidei munere fungebamur, ut solemnis tua Canonizatio ad finem perduceretur, quam Clemens XI. felicis recordationis, quemadmodum exploratum est omnibus, communi omnium plausu ac pietate celebravit.

INDICTIO

UNIVERSALIS JUBILÆI

ANNI SANCTI

Millesimi septingentesimi quinquagesimi.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christifidelibus praesentes Literas inspecturis, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De causis indicendi Jubilaeum Universale.

Peregrinantes a Domino, et futuram Civitatem Patriam nostram inquirentes, in multis omnes offendere, atque a via mandatorum Dei saepe nos declinare, et quasi insipientes Oves aberrare, nimis est exploratum. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, arguente nos conscientia nostra de multitudine praevaricationum nostrarum, propter quas formido mortis conturbat nos, et timor, et tremor veniunt super nos in cogitatione appropinquantis judicii Dei. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum, cujus vera, et justa sunt judicia, cujus flagella non alia de causa congregata sunt super nos, nisi quia peccavimus ei, injuste egimus, iniquitatem fecimus; et ideo nos temporaliter caedere, et castigare non desinit, ut convertamur ad eum, antequam sempiternam adducens retributionem adveniat.

§. 1. Hujus rei causa pia Mater Catholica Ecclesia potissimam hanc pietatis curam alumnis filiisque suis incessanter impendit, ut errantes ad viam justitiae, ruentes in praeceps ad rectum salutis tramitem revocet, lapsos ad poenitentiam, et per hanc ad delictorum veniam obtinendam adducat; meritisque poenis obnoxios ad dissolvendas impietatis colligationes, oblatis Misericordiae Divinae remediis, invitet. Sed pauci sunt, qui Ecclesiae salubriter monenti auscultent: Plerique enim vel pravis affectionibus adstricti, vel solicitudinibus, et voluptatibus vitae impliciti, poenitentiae spiritum, et labores, morumque emendationem refugientes, divitias bonitatis Dei, et patientiae, et longanimitatis contemnunt: Indulgentiarum vero thesaurus, quos prolixa Ecclesiae benignitas omnibus ubique, et omni tempore apertos exhibet, alii damnabiliter negligunt, alii non rite acquirere, et promereri student. Interim vero dies nostri deficiunt; et omnes sicut aquae dilabimur super terram; quum autem apparuerit justus Judex, tunc sero agnoscemus, secundum duritiam nostram, et impoenitens cor, thesaurizasse nobis iram in die irae; atque omnia manere Divino judicio punienda, quaecumque non fuerint poenitentiae emendatione deleta.

§. 2. Bene itaque ac sapienter Praedecessores Nostri Romani Pontifices certa quaedam tempora in saeculorum evolutione delegerunt, quibus universos per Orbem Terrarum Christi Fideles de ingruente Mundi fine commonefactos, majori studio excitarent ad redimenda peccata, ad salvandas animas. Quumque id olim centesimo quoque anno fieri consuevisset, habita deinde ratione illius temporis, intra quod generationes hominum passim renovari conspiciuntur, post singulos vigintiquinque Annos hoc idem provide praestandum esse decreverunt, ut novis subinde Familiis super faciem terrae succrescentibus, generalia propitiationis et indulgentiae consequendae me-

dia, non sine apta poenitentialium operum praefinitione, suppeditarent. Annum hunc acceptabilem, annum renovationis et poenitentiae, annum reconciliationis et gratiae, Sanctum in Ecclesia merito appellatum; qui proximo hyemali solstitio aperietur, annunciamus vobis, quotquot Catholico nomine censemini, ac paterno vos affectu adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; neve nostra, et Ecclesiae consilia, quae ad pacem, et salutem directa sunt, in irritum cedere sinatis.

§. 3. Audite, audite summam Apostolicae Praedicationis, quam Dominus JESUS CHRISTUS Nobis etiam, indignis licet, ad Apostolicae servitutis officium vocatis demandavit: Poenitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Coelorum. Filioli, novissima hora est, revertimini ad Dominum, reconciliamini Deo. Et Mundus transit, et concupiscentia ejus; nec aliis promittitur aeterna stabilitas, quam his, qui fecerint voluntatem Dei, quae manet in aeternum. Quae est autem voluntas Dei, nisi sanctificatio vestra? Ad hanc perficiendam vocat vos communis Mater Ecclesia Romana, quae proximum hunc annum in publicis Religionis, et pietatis exercitationibus totum impendet; id optans, ut filii sui omnes, quicumque Catholicae doctrinae lacte per omnem Terrarum Orbem imbuti sunt, de latere surgant, ac de longe veniant, et conspirante pietatis studio, Dei misericordiam et gratiam, tam sibi singuli, quam universae Fraternitati demereant. Aperit illa advenienti multitudini Sacrorum Templorum Portas; sed multo magis pandit Maternae charitatis sinum, atque omnibus sincere postulantibus, et digne inquirentibus certam peccatorum veniam et indulgentiam promittit.

§. 4. Huic promissioni fidem indubiam adstruunt tum suprema ligandi, atque solvendi potestas Beatissimo Apostolorum Principi, ac per eum Nobis in illius Sede residentibus, ipsa Redemptoris voce tributa, et inaestimabilis meritorum: et satisfactionum thesaurus ex ipsius Christi Domini, ejusque Virginis Matris, omniumque Sanctorum meritis, passionibus, ac virtutibus constans; ejusdem Beati Petri, nostraeque similiter dispensationi creditus; tum sanguis Apostolorum, et Martyrum, qui ad Ecclesiae hujus aedificationem, tamquam aqua olim super terram effusus, clamat ad Dominum, suisque cultoribus veniam precatur, et pacem; tum recta disciplinae ratio, ad Ecclesiasticae regulae normam in praescribendis salutaris poenitentiae operibus, et ad Ecclesiasticae lenitatis spiritum in Indulgentiae largitione, conformata; tum denique propositi finis sanctitas, Christianae plebis utilitas, majorum exemplum.

Jubilaei initium et terminus denunciatur.

§. 5. Quod igitur ratio temporis, et praedictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum admonet consuetudo, illorum vestigiis inhaerentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium assensu, universalis et maximi Jubilaei in hac Alma Urbe Nostra celebrationem in annum proximum Millesimum septingentesimum quinquagesimum, a primis Vesperis Vigiliae Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI proxime futurae inchoandam, et per totum annum ipsum finiendam; auctoritate Dei Omnipotentis, et Beatorum Petri, et Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, Catholicae Ecclesiae exaltationem, ac totius Christiani Populi sanctificationem, indicimus, et promulgamus.

Opera injuncta, et Indulgentia Plenaria.

§. 6. Quo quidem Jubilaei anno durante, omnibus utriusque Sexus Christi Fidelibus vere poenitentibus, et confessis, sacraque Communione refectis, qui Beatorum Petri, et Pauli, nec non Sancti Joannis Lateranensis, et Sanctae Mariae Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel Incolae Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies, devote visitaverint, et pro Sanctae Ecclesiae exaltatione, Haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et Christiani Populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, et veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

§. 7. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa detenti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne fortasse qui-

dem inchoato, praemissa exequi, et dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piae promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac sacra Communione refectos, praedictae Indulgentiae, et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis praescriptis reipsa visitassent; ut praefatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus, consequantur.

Adhortatio ad omnes Christifideles.

§. 8. Commovemini itaque, ut par est, universi Catholicae Ecclesiae Filii, ad tanti muneris vobis oblati nuncium, ac summa alacritate, et spiritus fervore aggredimini opus, quod salvare potest animas vestras. Non vos retineant assueti domicilii commoda; non vos terrat itineris labor; sed spiritualis Thesauri acquisitionem Christianae Fidei aestimatione pensantes, nolite committere, ut major appareat in negotiatoribus saeculi terrenae substantiae aviditas, quam in Fidelium cordibus divitiarum coelestium desiderium.

§. 9. Ingens itineris vestri lucrum, spiritualis consolationis cumulabit suavitas. Quid enim Christiano homini jucundius accidere potest, quam Gloriam Crucis Christi in supremo, quo in Terris fulget, splendoris lumine conspicere, ac monumenta triumphalis victoriae, qua Fides nostra Mundum devicit, propriis oculis intueri? Hic videre licebit ad Religionis reverentiam saeculi culmen inclinatum; ipsamque terrenam quondam Babylonem in novae ac Caelestis Civitatis speciem conversam, non quidem ad conterendas Nationes, et subjuganda Regna, saevas armorum bellorumque minas intentare, sed ad docendos salvandosque Populos, Doctrinae Coelestis, atque intemeratae Disciplinae documenta depromere; superstitionis hic olim regnantis memoria oblivione sepulta, sincerum veri Dei cultum, sacrorum Rituum Majestatem ubique splendere; mendacium Numinum eversa delubra, summi Dei Templa casta Religione consecrata; impios Theatrorum ludos, et vesana Circensium spectacula ex hominum mentibus obliterata, frequentata Martyrum Coemeteria, dejecta Tyrannorum Monumenta, Apostolorum Sepulchra Imperatoriis manibus aedificata; pretiosa quaeque Romanae superbiae ornamenta ad Sacrarum Basilicarum cultum translata; et quae olim, subactis Provinciis, oblata Diis gentium fuerant celsiora donaria, nunc ab impura superstitione expiata, invictae Crucis Trophaeum justius et felicius sustinere. Ipse demum conspectus innumerabilis Fidelium multitudinis hoc ipso anno ad Urbem, undique confluentis justo sanctoque gaudio cumulabit cor vestrum; dum suam quisque fidem in tot diversarum Nationum linguarumque hominibus agnoscens, et cum his omnibus in charitate fraternitatis apud communem Matrem Ecclesiam Romanam in Domino conguadens, coelestium benedictionum rorem, tamquam de vertice Hermon in Sanctae Civitatis habitatores de proximo defluentem, uberius in se derivari persentiet.

Ad Haereticos et Schismaticos.

§. 10. Atque utinam Nobis datum esset, ad unitatem Catholicae Fidei redeuntes conspicere, ac vobiscum, Dilecti Filii, convenientes amplexari tot alios, olim ejusdem Fidei, et conversationis alumnos, qui jamdiu diabolica fraude decepti, atque e Domo pientissimae Matris digressi, adhuc de longe stant, et obturant aures suas, ne audiant illius vocem ad suum sinum eos amantissime revocantis. Sed numquid non audiunt? Numquid non intelligunt, quot, et quam variis errorum vanitatibus jactentur, ex quo derelinquentes eam, quam a Patribus acceperant, Fidem, et Unius Catholicae, et Apostolicae Ecclesiae antiqua et sancta deferentes instituta, hominum commentis intendere coeperunt, et tradiderunt se erudiendos iis, qui secundum voluntatem suam doctrinis variis, et peregrinis eos abduxerunt? Sed heu! quam multi sunt inter illos, qui haec non ignorant! et quidem propriae cujusque sectae fundamenta nutare, ac, si paululum excutiantur, facile labi et corruere, non diffitentur. At, quod magis deflendum est, prava quaedam incuria circa ea, quae Dei sunt, humanos animos occupavit, propter quam veritatis lumen, et conscientiae suae voces contemnunt, nec tam Ecclesiae Catholicae, quam Animarum suarum hostes, nolunt intelligere, ut bene agant, neque scrutari vias Domini rectas, per quas unice ad salutis portum reduci possunt. Expergiscantur saltem, Fidei vestrae, ac devotionis exempla intuentes, ac serie tandem cogitent, inexcusabiles se fore apud Divinum Judicem, si oblatas sibi veritatis agnoscendae rationes aspernari pergent. Sit illis aemulationi ac pudori studiorum vestrorum manifesta concordia, in Dei

cultu, in emendatione vitae, in unanimi observantia erga communem Patrem, Magni Pastoris Vicarium, cujus votorum summa est, ut repleatur Terra scientia Domini, ac Dei honor, cum Fidei Christianae puritate, et morum sanctitate, apud omnes ubique Gentes floreat et augescat. Id postulabimus, velut agmine facto; id precum vestrarum suffragiis obtinere sperabimus a clementissimo Domino, qui a servis suis quoties simul ipsum orare consenserint, quandam quasi vim sibi fieri profitetur; simulque eum pro Ecclesiae Catholicae pace, pro Christianorum principum felicitate, pro universi Fidelis incolumitate precabimur.

Episcopis mandatur bilaci pulsatio.

§. 11. Vos autem, Venerabiles Fratres, Catholicae Religionis Antistites, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, qui apud Christianas Plebes legatione fungimini pro Deo et Ecclesia, vocate Coetum, congregate Populum, annunciate ipsis Annum Domini acceptabilem; omnique ratione date operam, ut paternae charitatis Nostrae consilium, ad Dei gloriam, totiusque Ecclesiae utilitatem, ex Venerabilium Praedecessorum Nostrorum instituto susceptum, proposito Nobis non fraudetur effectu. Et quoniam Misericors Deus exoptatissimam pacem, post diuturni belli calamitates, enixis Populi sui obsecrationibus largiri dignatus est, ad ipsius Populi emendationem, aeternamque salutem proficiat, quod ad ejus temporalem tranquillitatem contulit Dei Nostri benignitas. Novum belli genus adversus salutis Nostrae hostes nunc est suspiciendum. Cohibenda est ab omnibus opinandi, agendique licentia; coercenda vitae luxuria atque superbia; iniquorum quaestuum cupiditas refraenanda; expurganda omnis immunditia; reconciliandae simultates, abolenda sunt odia.

§. 12. Agite ergo Sacerdotes, Ministri Dei, clangite tubis, et spiritale hujusmodi bellum adversus inimicos Crucis Christi indicite. Confortate remissas Militum vestrorum manus, soluta genua erigite; in primisque rectos gressus facite eorum pedibus, qui ad hanc Religionis arcem, et inexpugnabile propugnaculum conferre se statuent. Audiant ex Vobis, non se ad otiosam vagationem, aut ad curiosa spectacula huc evocari, sed ad tractanda Christianae Militiae arma, et ad colluctationis pugnaeque labores acciri. Quae autem arma Satanas pertimescit, nisi piorum Vigilias, Orationes, Jejunia, Eleemosynas, Christianaeque humilitatis, et misericordiae opera? Quibus nimirum et humanae cupiditatis tyrannica dominatio destruitur, et ejus, quae in Deum, et in proximum est, Charitatis regnum firmatur et ampliatur.

§. 13. Ad hoc igitur pium bellum prodeuntes, oportet Cruce Christi munitos, et in omni armatura Dei Collectos incedere, ut ne quis insidiantibus hostibus suppetat nocendi locus. Placidi, atque concordes, modesti, ac religiosi, itinerum suorum spatia transcurrant; implorantes regimen, et misericordiam, et adjutorium Dei; ut cujus signa sequi se profitentur, illius disciplina se dignos exhibeat, et cujus auspiciis militant, ejus etiam ductu et auxilio, propositam victoriae coronam mereantur acquirere. Vos vero, Venerabiles Fratres, dum haec iisdem insinuare curabitis, hoc simul cogitate, quod facile est quidem exhortationis, et suasionis officium; sed validiora sunt exempla, quam verba; et plenius est opere docere, quam voce. Luceat itaque coram ipsis sanctae conversationis vestrae splendor, ut videant opera vestra bona, et ad normam eorum, vitam moresque suos exigant, et conforment. Hospitalitatis, beneficentiae, et communionis nolite oblivisci; et dum Ecclesia spiritualibus Fidelium indigentiis uberiorem exhibet clementiae mansuetudinem, temporales quoque pauperum necessitates a pietate vestra, majori misericordiae largitate, sublevantur.

Christianorum Principum auxilia expetuntur.

§. 14. Carissimos quoque in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, ac Reges, et Principes omnes Catholicos hortamur et rogamus in Domino, ut quo plura, et magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt; tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur. Praecipue vero Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum; et superiorum Antistitum Pastoralem sedulitatem et vigilantiam adjuvent, et a suis Magistratibus et Ministris adjuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, et bonorum studia, eorum Regia ope et gratia foveantur. Maxime autem erga Peregrinos munificentiam et liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, et nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed Hospitalibus, Domibus,

et publicis Hospitiis amanter excepti, et commeatu, rebusque ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione, et injuria, institutum iter laeti peragant, et cum gaudio in Patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum et Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, et demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur et nutritur.

Fides habenda Transumptis.

§. 15. Ut vero praesentes Literae ad omnium Fidelium, quibuscumque in locis existentium, notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fidem haberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si exhibitae forent, et ostensae.

Sanctio.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis, hortationis, rogationis, et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, tertio Nonas Maji, Pontificatus Nostri Anno Nono. Dat. die 5. Maji 1749.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicationes solemnes in Urbe.

Anno a Nativitate Domini millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Indictione duodecima, die vero quinta decima Maji, Festo Ascensionis Domini Nostri JESU CHRISTI, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini BENEDICTI Divina providentia PAPÆ XIV. Anno Nono, praesentes Literas Apostolicas in Atrio Sacrosanctae Basilicae Vaticanae de Urbe, adstante Populo, legi, et solemniter publicavi.

Ego J. C. Boschi Abbreviator de Curia.

Anno etc. supradictae Literae Apostolicae in Atrio Basilicae Principis Apostolorum, ut supra, publicatae, ad valvas ejusdem Basilicae affixae fuerunt, ac eaedem postea publicatae in Basilicis S. Pauli, Lateranensis, et S. Mariae Majoris, et ad earum valvas affixae fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariae Apostolicae, et Magnae Curiae Innocentianae in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, ac aliis locis solitis, et consuetis Urbis, dimissis Copiis, ut moris est, per Nos Nicolaum Cappelli, et Josephum Renzoni SS. D. N. PP. Cursores.

Antonius Befani Magister Cursorum.

Item eisdem Anno, et Indictione, die vero vigesimaprima Mensis Decembris, Dominica quarta Adventus Domini, Pontificatus praefati Sanctissimi Domini Nostri Anno Decimo supradictae Literae Apostolicae apud Portam majorem Palatii Pontificii Montis Quirinalis lectae, et publicatae fuerunt per Nos infrascriptos Subdiaconos Apostolicos.

Christophorus Migazzi Sac. Rotae Auditor.
Aloysius Mattei Sac. Rotae Auditor.

Eisdem Anno, Indictione, et Die supradictae Literae Apostolicae prae foribus Basilicarum SS. Petri, et Pauli, necnon Lateranensis, et Liberianae, prout ad valvas Cancellariae Apostolicae, et Magnae Curiae Innocentianae in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, aliisque locis consuetis Urbis publicatae, et affixae de more iterum fuerunt per nos Nicolaum Cappelli, et Josephum Renzoni Sanctissimi Domini Nostri Papae Cursores.

Antonius Pellicia Magister Cursorum.

VIII. SUSPENSIO

Indulgentiarum et Facultatum vertente Anno Universalis Jubilaei Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Pontificis nisilium praedecessorum exemplis consentaneum.

Cum Nos nuper Sancti Jubilaei celebrationem in hac Alma Urbe a Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futurae inchoandam, et usque ad finem sequentis anni duraturam, universo Populo Christiano, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis qui Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, necnon Sancti Joannis Lateranensis, et Sanctae Mariae Majoris de Urbe Basilicas certis vicibus visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, et veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis Literis plenius continetur; Cupientes ut Christianae Nationes ex omnibus Terrarum Orbis locis in hac Urbe Nostra, in Fidei, ac Religionis unitate congregatae, eodem pietatis, ac devotionis spiritu Basilicas praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilaeo, visitantes, et frequentantes, tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant; multorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum exemplo adducti, Indulgentias et Facultates ab Apostolicae Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere, et nihilominus tum spiritualibus Fidelium per universum Orbem degentium necessitatibus Paterna charitate consulere; tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quaedam Religionis et pietatis opera in Christianorum animis conservare, et fovere; tum demum suffragia in Fidelium Defunctorum levamen atque subsidium erogari solita neutiquam imminuere, eorumdem Praedecessorum vestigiis insistentes, decrevimus, et constituimus.

Indulgentiae, quae a suspensione generali excipiuntur.

§. 1. Itaque, praeservatis et firmis remanentibus Indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus seu Indultis illas impertiendi seu communicandi, tam Venerabilibus Fratribus Episcopis, ac dilectis Filiis Praelatis Locorum Ordinariis, in vim, seu ad formam nostrarum Literarum nonis Aprilis anni MDCCXLVII. editarum, quam aliis quibuscumque communiter aut personaliter, seu pro certo Personarum genere, gradu, aut numero concessis; iisque pariter, quas fel. record. Praedecessor noster Benedictus Papa XIII. cunctis Fidelibus Salutationem Angelicam, seu alias preces de tempore, mane, aut meridie, seu vespere, ad Campanae pulsum, de genu, vel, juxta dierum et temporum rationem, stando recitantibus; Item Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quam ipse Benedictus, novissimo Jubilaei anno durante, omnibus Christifidelibus, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque degentibus, qui sacramentaliter confessi, et sacra Communione refecti, vel saltem vere contriti, et cum firmo proposito confitendi, Ecclesias, in quibus Augustissimum Eucharistiae Sacramentum pro oratione quadraginta Horarum, eo anno durante, expositum esset, devote visitassent, ibique juxta Sanctae Matris Ecclesiae mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit, quamque Nos etiam, illius exemplo, pro proxime ineunte Jubilaei anno, et tam pro Urbe, quam pro aliis ubique locis, praesentium tenore, libenter concedimus, et elargimur; Atque illis etiam, quas similis memoriae Innocentius XI., et Innocentius XII. Romani Pontifices Praedecessores nostri, Fidelibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, cum ad Infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen, aut facem per alios ea occasione deferendum, seu deferendam mittentibus, similiter concesserunt; tum etiam Indulgentiis a S. R. E. Cardinalibus de Latere legatis, et Apostolicae Sedis Nunciis, ac Episcopis, in usu, seu exercitio Pontificalium, aut impertienda Benedictione aliave forma consueta, concedi solitis; Item salvis et firmis remanentibus Indulgentiis Altarium Privilegiatorum pro Fidelibus Defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis Defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque Indulgentiis, et peccatorum remissionibus, alias pro vivis concessis, ad effectum duntaxat, ut Christifideles illas animabus Fidelium Defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii directae applicare valeant; quas

omnes et singulas, licet, pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc Jubilaei anno durante, generaliter, ut infra, suspensas, ad praedictum tamen effectum, ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse concedimus, et indulgemus.

Item Facultates, quae in suo vigore praesertantur.

§. 2. Praeservatis etiam et firmis remanentibus facultatibus Tribunalis Officii Inquisitionis adversus Haereticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti, ejusque Officialium; Missionariorum quoque, et Ministrorum, qui ab eodem Tribunali, seu a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita, vel alias a Sede praedicta ad id deputati fuerint, et praesertim facultate absolvendi ab Haeresi illos, qui, abjuratis eorum erroribus, capaces ejusmodi absolutionis reddunturi; aliisque facultatibus, quae ab Officio Poenitentiariae nostrae Apostolicae, Missionariis, in Locis Missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendae, concessae fuerint; Item salvis et illaesis remanentibus facultatibus tam Venerabilium Fratrum Episcoporum, aliorumque Superiorum Antistitum, in suis respective Dioecesibus, circa dispensationes et absolutiones suorum Subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, prout ipsis a Sacra Tridentina Synodo, seu alias, etiam in publicis, a jure communi Ecclesiastico, et ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis et casibus, indultae permissaeque dignoscuntur; quam etiam Superiorum Ordinum Regularium, quaecumque ipsis in Regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostolica praedicta tributae fuerunt.

Suspensio abarum omnium indulgentiarum et Facultatum absolvendi.

§. 3. Caeteras omnes et singulas Indulgentias, tam Plenarias, quam non Plenarias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates, et indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Literis die Coenae Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, et impedimentis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam S. Joannis Jerosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, Universitatibus, et Piis Locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, et tam Saecularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus Personis, Coronisque, Granis, Imaginibus, et Numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, et aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, et Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentibus, etiam ad instar Jubilaei, aut alias quomodocumque, et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas, et concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio et assensu, ac potestatis nostrae plenitudine, suspendimus, et suspensas, ac suspensa esse declaramus, easque, et ea, eodem anno durante, nulli prodesse, ac suffragari debere: irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Praeceptum ne aliae Indulgentiae publicentur sub poena excommunicationis.

§. 4 Quocirca per praesentes auctoritate Apostolica praecipimus, et mandamus, ne interim, praeter superius expressas, aliae, quam indicti a Nobis praedicti Jubilaei, Indulgentiae, sive publice, sive privatim, quovis praetextu, ubivis locorum et gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendae, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis poenis, publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Derogatio privilegiis, indultis etc.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, et Locorum, aliorumque praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, exemptionibus, et Indultis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, et Personis, ac aliis

quibuscumque, per eosdem Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos et dictam Sedem, ejusque Legatos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis, concessis, confirmatis, et innovatis: Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, et individua mentio fiat, illis alias in suo robore, permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

habentransumpta.

§. 6. Et quia difficile nimis esset, praesentes quocumque, ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, et sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio, et extra, ubique Locorum adhiberi, quae adhiberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

sanctio.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, declarationis, decreti, praecepti, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

. die 17. ii 1749.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, sextodecimo Kalendas Junii Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 24. Maji ejusdem anni.

BENEDICTUS PAPA XIV. XVIII.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Injuncti Nobis per abundantiam divinae gratiae Pastoralis Officii sollicitudo postulat, ut in his per quae Christifidelium sub suavi Religionis jugo, ac arctioris vitae instituto famulantium regulari observantiae, Religiosaeque tranquillitati, prosperoque statui, regimini, et gubernio consulitur, ejusdem Officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Ludovicus a Taurino Procurator, ac Commissarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod alias felic. record. Clemens Papa IX. Praedecessor noster ad supplicationem bon. mem. Hieronymi dum vixit S. R. E. Cardinalis Farnesii nuncupati ejusdem Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris nonnulla Decreta, quae in Capitulo Generali memorati Ordinis anno MDCLXVII. habito cum consensu, et approbatione omnium Vocalium tunc in dicto Capitulo congregatorum pro felici praefati Ordinis gubernio sancita, facta, et stabilita fuerunt per quasdam suas in simili forma Brevis die ix Septembris supradicti anni expeditas Literas confirmavit, et approbavit, inter caetera vero decreta, seu statuta approbata, et confirmata, ut praefertur, ita reperitur, nempe, Concionatores non concionentur extra suas Provincias, nisi sint Praedicatores, seu Concionatores insignes, et concionari debeant in Cathedralibus, seu aliis conspicuis Ecclesiis. Subinde rec. mem. Clemens Papa X. Praedecessor quoque noster per alias suas in pari ilidem forma Brevis die ii. Octobris MDCLXXI. expeditas Literas perpetuo interdixit, et prohibuit, ne Fratres dicti Ordinis de caetero ad obtinendas obedientias, sive permissiones visitandi eorum Parentes, seu propinquos, aut loca sacra quaecumque, vel ut ad dignitates, et officia, aut munera quaelibet ejusmodi Ordinis, aut ad studia promoverentur, sive ut ab uno ad alium locum transire, vel in aliquo particulari Conventu dicti Ordinis permanere eis liceret, vel ut cum eis dispensaretur ad hoc, ut ante peractum septennale studium in Concionatores assumi, munusque Concionatoris exercere, aut ut ante completum in eodem Ordine septen-

nium ad sacrum Presbyteratus Ordinem promoveri valerent, sive ad alia similia consequenda tam pro se, quam pro aliis Ordinis praefati Fratribus ad quarumcumque Personarum extra saepe dictum Ordinem existentium, etiam quavis Ecclesiastica, vel mundana dignitate, praeeminentia, et potestate fungentium, aut alia specifica, et individua mentione, et expressione dignarum favores, suffragia, vel intercessiones recurrere, illisve uti valerent quovis modo, vel praesumerent sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae, et passivae, ac graduum, Officiorumque per eos obtentorum, perpetuae inhabilitatis ad illa, et quaevis alia in posterum obtinenda poenis per contraventores ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Et subinde san. mem. Clemens Papa XII. pariter Praedecessor noster per alias suas quoque in simili forma Brevis die v. Maji MDCCXXXIII. expeditas Literas inter caetera inhaerens memorati Ordinis Constitutionibus, quibus praescriptum reperitur recursum, et appellationem interponendos esse gradatim a Guardianis ad Ministros Provinciales, et ab his ad ipsum Ministrum Generalem, ejusque Definitorium antequam Causae, et Lites ad alia Tribunalia extra dictum Ordinem deferantur, omnibus, et singulis Romanae Curiae Tribunalibus, Judicibus Officialibus, et Ministris; ac quibusvis etiam Venerabilium Fratrum ejusdem S. R. E. Cardinalium Congregationibus, ne hujusmodi Causas, et Lites reciperent, et cognoscerent, nisi juxta modum superius expressum in dicto Definitorio Generali prius agitatae, et definitae fuerint, sub poena nullitatis actorum; et quoad Religiosos recurrentes, seu appellantes, qui praemissis contravenerint sub gravibus sui, et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis poenis auctoritate Apostolica itidem prohibuit, et alias prout in ipsorum Praedecessorum nostrorum trinis Literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Ludovicus Procurator, et Commissarius, (ut asserit) praemissis non obstantibus compertum habet, quod nonnulli dicti sui Ordinis Alumni tum favores Personarum extra praedictum Ordinem constitutarum pro obtinendis gratiis, poenisque fugiendis sibi procurare, tum non servata forma pro recursibus, et appellationibus, ut praefertur, praescripta, ad Tribunalia etiam Saecularia recurrere non desinunt, tum etiam alii, nulla habita consideratione obedientiae, et dependentiae erga suos Superiores, praesertim Ministros Provincialem, et Generalem debitae, ipsis insciis, omne studium in assequendis extra propriam Provinciam Pulpitis adhibere conantur, quibus obtentis, obedientiam pro itinere faciendo sibi concedendam esse praetendunt, etiamsi Pulpita eorum ingenii facultatem excedant, vel multoties Pulpita conspicua non sint, quamobrem contra dispositionem dictarum Literarum Clementis IX. Praedecessoris praedicti temere procedunt, et non sine magna divagatione spiritus, gravi Benefactorum, Conventuumque incommodo inutiliter itinerantur, quando de Pulpitis praefatis Ministri Provinciales sufficienter providere possunt, illaque distribuere, et assignare valent suarum respective Provinciarum Concionatoribus, nec necessarium existit, ut omnes Concionatores dicti Ordinis concionentur, praecipue cum magnus de praesenti excreverit illorum numerus, itaut tempore Quadragesimae regularis observantia ob defectum Religiosorum in Conventibus non leve detrimentum patiatur. Ut quaelibet via praecludatur ambitioni, et debita respective Subditorum erga Superiores obedientia, exactaque regularis disciplinae observantia in eodem Ordine conserventur, et sicubi exciderint, restituantur, opportunum gliscentibus malis, et abusibus hujusmodi remedium adhiberi, et alias in praemissis salubriter a Nobis, ut infra provideri, et sibi indulgeri plurimum desideret. Nos qui aliunde ex diutina rerum experientia probe novimus, quot, et quanta regularibus Ordinibus ex praedictarum, et similium ordinationum inobservantia, et fractione eveniant detrimenta, et damna, ipsius Ludovici Procuratoris, et Commissarii piis postulatis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequen. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Clementis

IX., Clementis X., et Clementis XII. Praedecessorum Nostrorum literas cum omnibus, et singulis in illis contentis auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, ac innovamus, et quatenus opus sit omnibus, et singulis dicti Ordinis Professoribus, nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, ne ipsis sub quovis praetextu, causa, ratione, et occasione ad quoscumque tam dicti, vel alterius Ordinis Fratres, et Superiores, vel extra dictum Ordinem ad quascumque tam Seculares, quam Ecclesiasticas personas, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque alia Ecclesiastica, vel saeculari dignitate, et praeeminentia Ducali, Regali, et Imperiali fulgentes, ac etiam Sedis Apostolicae Nuntios, et dictae Sedis Legatos, seu Vice-legatos pro obtinenda aliqua intra dictum Ordinem gratia, gradu, dignitate, vel officio, aut administratione, et aliis similibus, vel vitanda, praesertim quoad Apostatas ob eorum patrata crimina, et apostasiam, poena ullo modo recurrant, sub poenis a dicto Clemente X. praedecessore praescriptis, assignatisque. Insuper ipsis ejusdem Ordinis Fratribus ne per se ipsos, aut per interpositas personas cujuscumque status, gradus, conditionis, et qualitatis, ac dignitatis hujusmodi pulpita in quibusvis Civitatibus, Terris, Locis, aut Oppidis absque Ministri Generalis pro tempore existentis, vel illo absente Procuratoris Generalis pro pulpitis Civitatum, seu Ecclesiarum conspicuarum, quae eorumdem Superiorum Generalium obedientiales literas exigunt, ac Ministrorum Provincialium pro iis, quorum provisio ad ipsos spectat, intra propriam Provinciam expresse petito, et obtento consensu, sibi procurare possint, neque Pulpita ipsa Quadragesimae, Adventus, aliisque temporibus per annum inconsultis Superioribus supradictis suscipere audeant, seu quovis modo praesumant sub poenis suspensionis ad triennium ab exercitio concionandi, nec non vocis activae, et passivae ad sexennium, singulis vero Saecularibus, Ecclesiasticis, et Regularibus cujusvis Ordinis personis, ne praemissos dicti Ordinis Fratrum recursus admittant sub poena excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae praefatae reservatae per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis auctoritate, et tenore praedictis interdicimus, et prohibemus. Recursus autem usque nunc a Fratribus dicti Ordinis habitos pro assequendis in posterum Pulpitis a publicatione praesentium Nostrarum literarum omnino, et ipso facto cessare volumus, nec ullius roboris esse, ullumque effectum sortiri, ac dicti Concionatores, qui a memoratis Superioribus Pulpita obtinuerint, statim ac Apostolicos suos labores absolverint recto tramite ad proprium Conventum, propriamque Provinciam absque ullo praetextu redeant sub poenis arbitrio dictorum Superiorum infligendis, neque ullo modo, ullave causa, praeterquam causa veae, et actualis infirmitatis Cisio vulgo *il Calesse*, vel alio commodo Seraphicae quovis modo contrario uti valeant sub poenis superius expressis pro recurrentibus ad obtinenda Pulpita, quas quidem poenas ad quoscumque alios ejusdem Ordinis professores sic contra Regularis Ordinis praedicti Instituti praescriptum itinerantes sine justo, veroque infirmitatis motivo utentes Cisio, aut alio commodo, scilicet ab exercitio concionandi per triennium, si Concionatores sint, aliarumve poenarum arbitrio dictorum Superiorum, si non sint Concionatores privationis vocis activae, et passivae per sexennium dicta auctoritate extendimus. Praeterea in casibus, in quibus Fratres memorati Ordinis de jure appellare, aut recursus habere licet, id non aliter deinceps fieri posse auctoritate, et tenore praefatis statuimus, et ordinamus, ut gradatim a gravamine Guardiani ad Ministrum Provincialem, vel Definitorium Provinciale, a Provinciali, vel Definitorio Provinciali hujusmodi ad Ministrum Generalem, seu ad Definitorium Generale, ita ut causae appellationis hujusmodi antequam a Superioribus Generalibus cognitae, et definitae fuerint extra dictum Ordinem deferri, agitari, et cognosci nequeant. Quam quidem legem non solum in appellationibus, sed in quibusvis recursibus, et querelis, aut causis inter dictos ejusdem Ordinis Professores quoquo modo agitandis inviolabiliter observari sub poenis per praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones praescriptis, ac contentis ipso facto absque alia pariter declaratione incurrendis. Demum omnibus Romanae Curiae Tribunalibus, ac Judicibus, ac quibusvis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. praedictae Cardinalium Congregationis, nec non Sedis Apostolicae Nuntiis nunc, et pro tempore existentibus, ne Fratrum dicti Ordinis recursus, aut

appellationes super cujuscumque causae cognitione admittant, causasque ipsas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit, illas juxta praesentes, et memorati Clementis XII. Praedecessoris literas praescripto ordine servato cognitas, et definitas fuisse sub poena nullitatis actorum inde secutorum, auctoritate, et tenore praefatis itidem harum serie interdicimus, ac omnibus, et singulis Ordinis praedicti Professoribus sub poenis superius expressis eo ipso absque alia declaratione irremissibiliter incurrendis, ne ipsi ad Secularia Tribunalia adversus ea, quae a dictis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint sub quovis praetextu appellare, aut quovis modo recurrere audeant, seu praesumant, seu per interpositas personas praemissa peragere curent, et faciant, dicta auctoritate prohibemus. Concedimus quoque Superioribus dicti Ordinis, ut ipsi contra similia, ac superius expressa, et in ejusmodi literis contenta perpetrantes, et hisce nostris literis parere recusantes etiam per simplicem denunciationem servata tamen forma Constitutionum praefati Ordinis procedere possint. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab iis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in dictis literis concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxiv. Maij Millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri Anno nono.

D. Cardinalis Passioneus.

DE PRÆPARATIONE XIX.

Ad Annum Universalis Jubilaei, Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater.

Fideles ad sacram peregrinationem iuvitati fuerunt per literas Apostolicas.

§. 1. Apostolica Constitutio a Nobis nuper promulgata, in qua Sanctioris Anni solemnitatem Christifidelibus denunciavimus, eosdem invitat, ut sacris Peregrinationibus se se committant, ac opus perficiant, quod in veteri Testamento Dei jussa, in primaevis Ecclesiae seculis frequentior ad sacra Jerosolymorum loca accessus, ac perpetua consuetudo, quae vel ipsos Imperatores ac Reges ad hujus nostrae almae Urbis sacra monumenta, et prae caeteris ad beata Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Sepulcra invisenda perduxit, satis commendant: opus denique, quod ab haereticis male habitum, a nostris Controversiarum Tractatoribus multa vi, solidisque rationibus fuit vindicatum. Si enim ab iis, qui Ecclesiarum regimini praeficiuntur, ejusmodi Peregrinationes, qua decet methodo ac ordine instituantur, pietatis ac religionis stimulos conciliant iis omnibus, qui sobrio pacatoque animo rem ipsam introspiciunt, ac veros, quibus ea circumscribimus limites contemplantur.

Hujusmodi peregrinationum praecepta in Lege veteri.

§. 2. Jussit Deus in Lege veteri, ut omnes Israelitarum filii ter quotannis Tabernaculum, sive ad Domini Templum devoti accederent: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, et in solemnitate Tabernaculorum:* ut ex Deuteronomii *cap.* 16. cuique perspectum est. Cui quidem praecepto Elcana, ejusque uxor Anna sedulo obtemperarunt, 1. *Reg. cap.* 1. Et Redemptor noster summopere diligendus, Beata Virgine ejus Matre, ac Sancto Josepho ejus Nutritio comitantibus, ad Templum statis vicibus se contulit; ut legimus *Lucae cap.* 2. Hinc, ut Templum a Salomone constructum vel ipsae Gentes frequentiores adirent, idem Salomon Deum precatus est, ut exterarum Gentium, etsi Israelitis non accenserentur, quae post longos itinerum tractus Templum invisrent, precibus

bonignus annueret: *Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum, ubique) . . . tu exaudies in Coelo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena.* Prostant haec verba 3. *Reg. c.* 8.

ristiano-
concur-
ad sacra
aestinae
.

§. 3. Splendidum testimonium suppeditat Eusebius *Histor. Ecclesiast. lib.* 6. *cap.* 11., ubi Sancti Alexandri Cappadociae Episcopi adventum in Jerosolymorum Urbem commemorat, ut sacra illa loca intueretur ac coleret, inquiens: *Divino admonitus oraculo Alexander, cum ex Cappadocia, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Jerosolymam profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia.* Sed longe praestantiora sunt, quae in rem hanc producit S. Hieronymus *in epist. modo* 46. *olim* 17. hisce verbis: *Longum est nunc ab Ascensu Domini usque ad praesentem diem per singulas actates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Christiana virorum venerint Jerosolymam, putantes, minus se religionis, minus habere scientiae, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.*

Peregri-
onibus
Limina
ostolo-
a, testi-
nia illu-
ora.

§. 4. Nostra non interest longiorem sermonem hic attexere de frequentiori Regum, Episcoporum, atque Ecclesiae Praelatorum, nec non Fidelium pene omnium accessu, ac assiduis ad Limina Apostolorum Peregrinationibus; cum provinciam hanc universam praeoccupaverint celebres aliquot eruditi nimirum Onuphrius Panvinus in suo *de praestantia Basilicae Vaticanae* Tractatu, quem Nos in minoribus adhuc positi, hoc est inter Vaticanae Basilicae Canonicos cooptati, atque Archivi ejusdem Basilicae Praefecturam agentes, pluries perlegimus nondum typis impressum, et in Tabulario Basilicae diligenter servatum; Jacobus Gretserus *tom.* 4. novae Operum editionis *lib.* 2. *de sacris Peregrinationibus cap.* 12. *et seqq.* Coccius *lib.* 5. *Thes. Catholic. cap.* 17. Stanislaus Hosius *cap. de Caeremoniis, quae desumuntur a loco;* Rutilius Benzonius *de anno Sancti Jubilaei lib.* 6. *cap.* 1. *et seq.* Drexellius *tom.* 13. edition. Monachii *par.* 1. *cap.* 7. *pag.* 126. *et seqq.;* et nuperus Trombella *de Cultu Sanctor. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 46. *et seq.* Juvabit tamen ex Marculfo Monacho, qui vixit saeculo Ecclesiae septimo, formulam, cujus memorati Scriptores nunquam meminere, hic producere, ut palam fiat, quo ritu ac metodo conscriberentur commendatitiae literae, quae ad Summum Pontificem, ac Episcopos dabantur, in gratiam eorum, qui Romam ad Apostolorum Limina progrediebantur. Prostat haec formula *in lib.* 2. *cap.* 49. eaque sic habet: *Portitor iste, radio inflammante divino; non, ut plerisque mos est, vacandi*, sive ut alii legunt, *vagandi causa, sed propter nomen Domini itinera ardua, et laboriosa parvi pendens, ob lucrandam Orationem Limina Sanctorum Apostolorum Domini Petri et Pauli adire cupiens, a mea parvitate se petiit vestrae commendari Almitati.* S. Joannes Chrisostomus in libro, cui titulus, *Quod Christus sit Deus, tom.* 1. editionis Parisiensis anni 1718. *pag.* 570. *num.* 9. ita ad rem nostram scribit: *In Regia Urbe Roma, missis aliis omnibus, ad Sepulcra Piscatoris, et tentoriorum Opificis, accurrunt Imperatores, Consules, Exercituum Duces.* Carolum Magnum Imperatorem septem supra quadraginta annorum spatio, religionis stimulo ductum Romam quater accessisse, Eginardus testatur, inquiens: *Carolus Magnus intra annos quadraginta septem, quater Romam ad vota persolvenda, et orandum profectus est.* Neque omittendum splendidum Nicolai I., qui nono saeculo floruit, testimonium, quo frequentissimae ad hanc Urbem Peregrinationes, ad beatos Apostoli Petri Cineres institutae, commemorantur. *Tanta millia hominum* (verba sunt Nicolai *in epist.* 8. ad Michaelem Imperatorem) *Protectioni ac intercessioni Beati Apostolorum Principis Petri ex omnibus finibus terrae properantium se se quotidie conferunt, et usque in finem vitae suae apud ejus Limina semet mansura proponunt, ut praeter illud quo vas e Coelo submissum, in quo cunctorum ostensa sunt eidem Beato Petro horum omnium rectori animantium genera, Catholicam signat Ecclesiam, etiam ipsa sola Romanorum Urbs, apud quam ejusdem Apostoli corporalis praesentia sedule veneratur, ipsius vasis cunctas dignoscatur in se continere universorum animalium (quae homines intelliguntur spiritualiter) nationes.*

Formula Literae commendatitiae pro peregrinantibus ad ea, apud Marculfum.

§. 5. Quod vero aut ad nostros Controversiarum Scriptores attinet, qui pios ad sacra loca secessus ab haereticorum calumniis egregie vindicarunt, aut ad solertem Ecclesiae Praelatorum oeconomiam spectat, ut ejusmodi

Apologiae pro sacris peregrinationibus conscriptae, et Conciliorum Canones indicantur.

Peregrinationes, semotis quibusque scandalis, rite atque ex ordine perficerentur; Nos, quibus non est animus Dissertationem, aut Tractatum elucubrandi, ea duntaxat innuimus, quae literis consignarunt Joannes Aurelianensis Episcopus, noni sæculi Scriptor, contra Claudium Taurinensem, in sacras Imagines, ideoque in sacras etiam Peregrinationes infensum, et Ægidius Carlerius Ecclesiae Cameracensis Decanus in celebri Oratione Basileae habita contra errores Nicolai Taboritae, in qua, solidioris doctrinae argumentis, quaecumque ab adversario contra sacra Fidelium itinera objiciebantur, plane dissolvit, ut patet Orationem legenti *in tom.* 8. *Collectionis Conciliorum* Harduini *pag.* 1896. *et seqq.* Ea item consulenda, quae in Concilio Cabilonensi secundo *ann.* 813. *cap.* 45. et uberius in Concilio Bituricensi *anno* 1584. *tom.* 10. *memoratae Collectionis pag.* 1466. *et seqq.* sancita sunt; patebit enim, Canones aliquot fuisse procusos ad quaevis absurda tollenda, quae in sacras Peregrinationes irrepere potuissent. Nec silentio praetereunda, quae in rem hanc sedula cura in unum collegit Laurentius Bochelli *in Decretis Ecclesiae Gallicanae lib.* 4. *cit.* 14. *de Peregrinationibus*.

Quid eo tenendum de duobus Operibus S. Gregorio Nysseno tributis.

§. 6. Neque vero ignoramus duo illa S. Gregorii Nysseni Opuscula, alterum *de iis, qui adeunt Jerosolymam*, alterum *ad Eustatiam, Ambrosiam, et Basilissam*, quae *tom.* 3. *ejus Operum* editionis Parisiensis anni 1638. *pag.* 651. *et seqq.* inseruntur; quibus abutuntur heterodoxi, ut pios Fidelium ad sacra loca secessus irrideant, ac damnent. Novimus etiam gravem controversiam ab eruditis super Opusculorum veritate excitatam. Genuina fatentur Lippomanus, Baronius, Natalis Alexander, Tillemontius, Ceillerus; dubia censet Cardinalis Bellarminus: tamquam supposititia et apocrypha damnat Gretserus; idque multis rationibus probare contendit in accuratis adnotationibus, quas *pag.* 71. *et seqq. tom.* 3. *praefatae editionis* impressas legimus. Haec tamen controversia seposita; esto Opuscula genuina dicamus; esto in abusus, qui occasione Peregrinationum ad sacra Jerosolymorum loca irrepserant, S. Gregorium insurrexisse concedamus; esto praeposteram sententiam illorum, qui hasce Peregrinationes ad aeternam salutem consequendam omnino necessarias affirmabant, proscribamus; nihil inde conficitur, quod veritatem a Nobis supra propositam convellat, aut infirmet. Non enim sacrorum itinerum necessitatem obtrudimus, sed utilitatem duntaxat commendamus: neque absurda, quae in longis itinerum Tractibus aliquando insurgunt, propugnamus; sed, ut infra patebit, opportunis remediis praecavemus, ne scandala suboriantur. Quod si S. Doctor zelo pietatis abreptus, vehementiori fortasse stylo in sacras Jerosolymorum Peregrinationes aliquando obloquiatur; aut de pravis Peregrinorum moribus duriores quaepiam sententiae excipiendae sunt; aut communis Ecclesiae sensus ac ritus, qui sacra Christianorum itinera, modo qua decet modestia ac disciplina instituantur, piis ac devotis operibus accenset, privato Doctoris, etsi sanctitatis ac doctrinae laude celeberrimi, judicio anteponendus.

Quinam ad Urbem, et quibus conditionibus, invitentur.

§. 7. Nostra haec invitatio ipsos cum primis Venerabiles Fratres Ecclesiarum Episcopos complectitur; modo corporis salus id ferat, nullumque ex Pastoris absentia gregi concredito obventurum sit detrimentum. Oportet vero meminerint, plerosque Praedecessorum, eorum saltem, quos longiora itinera ab Urbe non dissociabant, quotannis in sanctam Civitatem se contulisse, ut conjunctim cum Romano Pontifice SS. Apostolorum Petri et Pauli Festa celebrarent; ut *ex epistola* 13. *et* 16. S. Paulini satis compertum est. Hortamur etiam Sacerdotes, atque ex Clero reliquos; modo, ut par est, dimissoriales Episcoporum Literas secum ferant: non enim a Nobis lex ista nunc primum indicitur, cujus jam tum a vetustis Ecclesiae saeculis apertissima occurrit mentio; ut patet *ex Canone* 41. *et* 42. *Concilii Laodiceni an.* 372. penes Harduinum *tom.* 1. *pag.* 789. et 790. Hortamur et Regulares; modo opportuna Superiorum, quos tamen hac in re benigniores fore confidimus, accedat voluntas. Pari studio Laicos hortamur; modo, antequam itineri se se committant, aut a Parocho aut a Confessario, quid sibi expediat, probe intellexerint. Ne autem conscientiarum moderatores et consiliarii facile hallucinentur, ea nosse, ac prae oculis habere debent, quae hisce in casibus Theologi, ac prae caeteris Theophilus Raynaudus *tom.* 15. *suorum Operum*, in Tractatu, qui inscribitur *Heteroclita spiritualia pag.* 217. *num.* 13. sedulo examinanda proponunt. *Peregrinatio*, ita Raynaudus, *est opus supererogationis, et pertinet ad cultum voluntarium, quem par non est officere actibus virtutis*

Episcopi.

Regulares.

Laici.

ex obligatione exercendis. Sic maritus, qui vinculo conjugii adstringitur adhaerere uxori, male faciet, si; uxore reluctante, longam Peregrinationem, ea domi relicta, suscipiat etc. Immo, quamvis uxor consentiret, posset tamen Peregrinatio longa mariti continere heteroclisim, si per eam absentiam in alterutro conjugum verisimile periculum labefactandae virtutis timeretur. Æque ex hoc capite anomala esset Peregrinatio patrisfamilias, qui cum necessarius esset domi ad sustentationem familiae, deberetque suis laborare, et thesaurizare, vellet tamen domo abesse, et ad haec aut illa sacra monumenta discursare. Idem pronunciatum esto de eo, qui obaeratus, nec habens aliunde, unde dissolvat debita, quam si alicubi haereat, et laboret, eligit tamen visere loca sancta. Norunt omnes Plenariam peccatorum Indulgentiam, quam Urbanus II. in Concilio Claromontano iis elargitus est, qui Crucis insignia gestantes, ad sacra Jerosolymorum loca recuperanda, sacrae militiae nomen darent: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniae adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit; iter illud pro omni poenitentia reputetur:* verba sunt memorati Concilii, quod *anno* 1095. celebratum est, atque *tom.* 10. Labbeanae editionis inscribitur. D. Thomas, *quodlibet. 4. art.* 11. hac quaestione proposita: *Utrum vir possit accipere Crucem, si de ejus incontinentia timeatur,* eamdem, quam supra statuimus, doctrinam secutus, ita quaestionem absolvit: *Ex necessitate viro imminet, ut gerat Crucem uxoris, quia caput mulieris est vir. Sed, quod accipiat Crucem ad transfretandum, subjacet propriae voluntati. Unde si uxor sit talis, quae sequi non possit propter aliquod impedimentum, et de ejus incontinentia timeatur, non est ei consulendum, ut accipiat Crucem, et dimittat uxorem; secus autem est, si uxor continere voluntarie proponat, aut velit, et possit sequi viram suum.* Sed nec ipsas quidem Mulieres, modo clausurae legibus non teneantur, arcemus, quominus Anni Jubilaei tempore, si ita illis expediat, Romam accedant. Multa enim praesto sunt, quae sacra mulierum itinera commendant exempla. S. Helenam ad sacra loca properantem S. Ambrosius describit. Eudoxiae, quae Theodosio nupsit, Peregrinationes ad Urbem Jerosolimam Socrates commemorat. Paulam Matronam Romanam in Terrae sanctae locis lustrandis solicitam exhibet Sanctus Hieronymus. Nec minori studio S. Birgitta Compostellam, ac Romam, ut Sanctorum Apostolorum Limina deosculare tur, perrexit. Ad haec, Nos ipsi, quo tempore diuturniorem in hac Urbe Sanctae Sedis servitio obstricti moram traximus, de frequenti mulierum adventu, citra ullum aetatis, aut conditionis discrimen, testes sumus. Verum, ne ubi sedulus Paterfamilias frumentum seminat, inimicus homo zizania commisceat, eos omnes, quibus disciplinae ac morum custodia est concredita, monemus, ac in Domino obsecramus, ut sedulo caveant, ne ullus pateat aditus criminibus, quae facili negotio a mulierum aetate, ab eorum, quibus sociantur, indole, ingenio, ac sexu dissimili, suam ducunt originem. Quod si mulieres viro alligatae itineri se committant, ea cum primis cura adhibenda est, ut, viris absentibus, fratrum custodiae commendentur, aut saltem iis custodiendae tradantur, quos propinquitatis gradus, et a quavis suspicione alienos, et in pudicitia servanda probet solicitos.

Mulieres.

Quanta veneratione prosequendi sint SS. Apostolorum cineres.

§. 8. Jam vero reliquum est, ut, quo tandem nostra haec invitatio spectet, aperiamus. Id vero satis explicare non possumus, nisi quaedam scitu digna, a sanctis Patribus, atque Ecclesiasticae Historiae monumentis petita, primo loco statuamus. Sanctus Joannes Chrysostomus *Homil.* 32. *in Epistolam ad Romanos tom.* 9. *praefatae editionis pag.* 757. Urbem Romam laude dignam affirmat, quod Illius amplitudo vetustas, pulcritudo, populi frequentia, divitiae, ac victoriae, quas bello reportavit, multam intuentium animis excitent admirationem. Verum haec illi non erat praecipue commendationis materies. Aliud quidpiam in Urbe Roma intuebatur, quod nedum laudes ab ore eliceret, sed insuper amorem ac desiderium excitaret quammaximum; ipsa nimirum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli sacra Lipsana, ex quibus longe majori gloria ac dignitate Roma nobilitatur. *Propterea*, inquit S. Doctor, *quamquam aliunde illam laudare possim, a magnitudine, ab antiquitate, a pulcritudine, a populi frequentia, a potentia, a divitiis, a rebus in bello fortiter gestis. Sed missis illis omnibus, ideo illam beatam praedico, quia Paulus et dum viveret, illis scripsit, atque ipsos ita dilexit, ac praesens ipsos allocutus est, et vitam ibidem clausit; ideoque hinc clarior est Civitas, quam ex aliis omnibus: ac, quemadmodum corpus magnum et robustum, duos illa*

Urbs habet oculos splendentes, horum videlicet Sanctorum Corpora. Non ita splendet Coelum, cum radios Sol emittit, ut Romanorum Urbs duas illas lucernas habens per totum Orbem lucem emittentes. Hinc charitatis igne succensus, quae praesens intueri non poterat, Beatorum Apostolorum Corpora absens venerabatur: atque, ut aliquando Romam posset accedere, veluti morae impatiens, summis optabat votis. *Quis mihi nunc dederit*, sic ille prosequitur, *ut Corpus Pauli circumplectar, ut sepulcro haeream, ut pulverem videam Corporis illius, quae Christo decerant, adimplentis, stigmata illius gestantis, praedicationem ibique disseminantis?* et post pauca: *Vellem sepulcrum videre, ubi jacent arma justitiae, arma lucis, membra nunc viventia, et mortua dum ille viveret, in quibus omnibus vivebat Christus, quae crucifixa erant mundo, membra Christi, quae Christum induebant, templum spiritus, aedificium sanctum, quae spiritu ligata erant, quae confixa erant timore Dei, quae stigmata Christi habebant. Hoc Corpus Urbem illam quasi moeniis cingit, quod omni turre, et vallis innumeris tutius est; et cum hoc etiam Petri Corpus; nam illum viventem honoravit: Ascendi, inquit, videre Petrum.*

Alia Christiano Hominis visenda in Urbe.

§. 9. Et Nos igitur S. Joannis Chrysostomi exempla secuti, affirmare tuto possumus, nostram hanc Urbem Romam amplissimis aedificiis, ac miro instructam ornatu, dignam esse, quae spectatorum oculos alliciat ac trahat. Verum vota, nostraque ad fidelem populum hortamenta hic non sistunt. Haec praecipua Romae laus est, quod Catholicae Religionis Caput, ac unitatis Centrum in ea sedem fixerit. Hoc dignum Urbe Roma spectaculum, apertissima monumenta disjectae penitus Idololatriae, quae tamdiu Urbem hanc Orbis dominam sibi subjecerat, contemplari. Perspectam habent Eruditi sententiam Petri Angeli Bargaei in celebri Epistola *de privatorum publicorumque aedificiorum Urbis Romae eversoribus*, qua probare contendit, magnifica Theatrorum, Thermarum, Templorumque aedificia, ac innumera Idolorum simulacra, non jam a Gothis, Vandalis, aliisque efferatis gentibus fuisse disjecta; sed a Romanis Pontificibus, ipsoque cum primis Sancto Gregorio Magno, aliisque fidelibus, fuisse prostrata, ut omnem plane Idolatrici cultus memoriam, ac superstitionis irritamentum e medio tollerent. Quidquid vero sit de hujusce sententiae veritate, profecto non defuit, qui nostra aetate operosum Tractatum confecerit de profanis ac superstitiosis Ethnicorum reliquiis, in commodum ac ornamentum Ecclesiarum translatis, addito insuper nomine ac numero Ecclesiarum, qua vel hisce diebus profanis Gentium Templis innixae ac superimpositae; Romae aspiciuntur. Sacras igitur Peregrinationes indicimus, ac religiosum ad memorias Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli accessum suademus, eo consilio, ut fidelis populus ad sacra haec loca eodem feratur pietatis spiritu, quo S. Joannes Chrysostomus, ut supra narravimus, vehementer exarsit; esto, illi datum non fuerit sacratiora Urbis Romae loca, vel semel invisere.

Indulgentia Plenaria praecipuus itineris scopus.

§. 10. Nondum vero rationes omnes, quibus nostra haec hortatio innititur, explicavimus. Notum satis, quod *anno* 1300. Bonifacii VIII. tempore contigisse narratur. Fama illico invaluit de Plenaria peccatorum Indulgentia quovis anno centesimo iis concessa, qui Sanctorum Apostolorum adirent Limina. Auctor famae, quae nedum Romae, sed et in aliis Orbis partibus percrebuerat, etsi diu multumque quaesitus, nusquam inventus est. Hinc Bonifacius VIII. anno centesimo tunc recurrente, celeberrimam edidit Constitutionem, cui initium *Antiquorum habet fida relatio*, in qua plenissimam peccatorum veniam concedit iis omnibus, qui vere poenitentes ac confessi, quindecim vicibus, si fuerint extranei, si vero Romani fuerint, triginta vicibus Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Basilicas visitaverint; ac praeterea cuilibet centesimo futuro anno idem plenissimarum Indulgentiarum beneficium, iisdem sub conditionibus acquirendum, perpetuo sociavit. Universa rei series fido calamo a Jacobo Cajetano Diacono Cardinali S. Georgii in Velabro, ejusdem Pontificis Nepote, conscripta, typis impressa legitur *tom.* 25. *Bibliothecae Maximae Patrum* editionis Lugdunensis *pag.* 937. *et seq.* Notum item centum annorum spatium a Bonifacio VIII. definitum, a Clemente VI. ad annos quinquaginta, ab Urbano VI. ad annos tres ac triginta, ac postremo a Paulo II. ad annos viginti quinque fuisse revocatum: addita insuper a Clemente VI. Lateranensis, ab Urbano VI. Liberianae Basilicae visitatione. In nostra, quam nuper edidimus, Constitutione, nihil de consueta Ecclesiae disciplina, sive quoad Ecclesiarum, sive quoad Visitationum numerum, sive

etiam quoad opera, quae ad lucrandum Indulgentiarum thesaurum praescribuntur, excepta Sacrae Eucharistiae perceptione, quam jure ac merito superaddendam duximus, immutavimus. Atque huc tandem vota nostra ac hortamenta contendunt, ut, quae praecipiuntur in sacris hisce itineribus, pia opera, qua decet humilitate ac devotione impleantur; non enim duntaxat consilii, sed praecepti, ac necessitatis res est, ejusmodi operum implementum. Quo semel posito, verbis iisdem, quibus Augustinus Valerius vigilantissimus Ecclesiae Veronensis Episcopus, mox Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis egregius, *in Pastorali epistola edita anno* 1574. dilectum suae Civitatis ac Dioecesis populum hortatus est, occasione Jubilaei, quod Gregorius XIII. sequenti anno celebravit, universos Christifideles alloquimur, ac monemus. *Fratres*, verba sunt Epistolae ex Italico idiomate in Latinum translata, *Gratia Sancti Spiritus proximo Jubilaei Anno vos Romam accersit; multus item, qui vobis proponitur, thesaurus invitat. Hortor vos omnes, ut vestro pares muneri, jucunditatis stolam, quae bonae conscientiae perpetua comes est, induatis; ita namque fiet, ut hoc Jubilaei Anno sanctificationis gratiam adepti, e sacro itinere reduces, promptiores, quam antea fuistis, Deo serviatis.*

§. 11. Liceat Nobis huc item transferre ipsamet verba, quibus Sanctus Carolus Borromaeus, clarissimus Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopus, geminam ad commissum sibi gregem dedit epistolam, Italico sermone, ut omnium captui se accommodaret, conscriptam; alteram quidem *die* 10. *Septembris* 1574. hoc est anno Jubilaeum a Gregorio XIII. celebratum praeeunte; alteram, absoluto Jubilaei tempore, *anno* 1576. promulgatam. Utriusque epistolae fragmentum latine redditum lubentes exscribimus. Prior Epistola sic habet: *Contemnenda ergo non est, filii charissimi, occasio, ex qua animabus vestris tanta obveniunt emolumenta. Nolite, precamur vos, metu curave laboris quo corpus paulisper lassatur, tanto fraudari bono. Vestram in terrenis commodis ac emolumentis diligentiam perpendite: quorum gratia, longa, ac periculi plena itinera ultro suscipitis, absque eo quod aerumnae, ac incommoda vos terreant, aut labores, qui non semel occurrunt, ab incaepto vos retrahant. Pudeat igitur, quod majora corpori, quam animae, impendatis beneficia. Enimvero si de temporalis oneris dissolutione agatur, aliqui vestrum non dubitant vias etiam difficiliores adire; esto sacra haec itinera, tot tantorumque peccatorum, quae animam gravant, absolutionem impetrent. Haec ratio, filii charissimi, quae animae saluti tam bene consulit, stimulos vobis addat oportet, ut sincerae pietatis, quae Christianos decet, spiritu instructi, sacrum iter suscipiatis, ad quod antiqua Fidelium devotio, ac vetusta populorum ac Principum exempla vos provocant.* Posterioris epistolae, quam, elapso Jubilaei Anno, Sanctus Carolus scripsit, postquam Summus Pontifex, ipso rogante, Plenariam Jubilaei Indulgentiam Mediolanum transmiserat, ut eorum saluti consuleret, qui praecedenti anno Romam non accesserant, verba haec sunt ad rem nostram satis opportuna: *Nostis quaenam fuerint anno praeterito vota nostra, ut nemo vestrum, cujusvis negotii aut impedimenti praetextu, a sacris Peregrinationibus, quae ad Urbem Romam instituendae erant, abstineret. Unumquemque excitavimus, ut ad spirituales divitias sibi comparandas properaret, ac singulari obsequio S. R. E., quae omnium Mater est, veneraretur, Romam accedens, ut corpore praesens Apostolicas benedictiones consequeretur, et Beatorum Petri et Pauli sacra Corpora, aliorumque Sanctorum Reliquias coleret; ut vetustas ac venerandas Ecclesias, necnon loca illa innumerorum pene Martyrum sanguine conspersa ac consecrata intueretur. Haec enim Urbs illa est, mysteriis, sacrisque monumentis insignita, singularibus beneficiis a Deo cumulata, cum in ea S. Petri Cathedram perpetuo fixerit; infallibilem Fidei Catholicae veritatem, disciplinae ac morum Magisterium collocaverit. Haec quidem Urbs est, cujus tellus, muri, Arae, Ecclesiae, Martyrum sepulcra, et quidquid oculis observatur, sacrum quid animis ingerit, ut ii experiuntur, ac sentiunt, qui rite comparati sacros illos recessus invisunt. Hinc vos omnes et voce pluries hortati sumus, et literis excitavimus, et itineris a nobis suscepti exemplo monuimus; rati, nostra interesse, hac etiam in re ductorem agere, ac exemplo praeire.*

§. 12. Huc usque nostram hanc Encyclicam Literam producere, tandemque finem imponere meditabamur; verum, praeter spem a Nobis praeconceptam, multa adhuc superesse animadvertimus. Patres Synodi secundae Cabilonensis *anno* 813. *in Canone* 45. apud Harduinum *tom.* 4. *pag.* 1039. *suae Collectionis*,

Simplex peregrinatio ad Jubilaeum consequendum non sufficit.

nonnulla recensent absurda, quae eorum aetate, occasione rei, de qua agimus, invaluerant, et quae fortasse nostris etiam temporibus possent obrepere. *Nam et a quibusdam*, inquit Canon, *qui Romam, Turonumve, et alia quaedam loca sub praetextu orationis inconsulte peragrant, plurimum erratur. Sunt Presbyteri, et Diaconi, et caeteri in Clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se a peccatis putant, et ministerio suo fungi debere, si praefata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impune aut peccare, aut peccasse, quia haec loca frequentant. Sunt adeo vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visitatione a peccatis purgari.* Alia item sequentium temporum absurda, ex quibus Fidelium Peregrinationes suo frustrantur effectu, commemorat Abbas Albertus Stadensis in Chronico: *Vix aliquos vidi, vel nunquam, qui redierint meliores de transmarinis partibus, vel de Sanctorum Liminibus.* Ut hisce malis occurrant Patres Cabilonenses, remedia praescribunt, verbis, quae sequuntur: *Qui vero peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt Parochiis, confessi sunt, et ab his agendae poenitentiae consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo Apostolorum Limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda.* Nec remedia dissimulat Abbas Stadensis, inquiens: *Puto ex eo hoc provenire, quod debita devotione nec eunt, nec redeunt; debent enim tali cogitatione proficisci, quasi essent de saeculo migraturi.* Et Nos igitur, ne Apostolici ministerii partes negligamus, alieno exemplo edocti, malis omnibus avertendis, et iis statuendis, quae ad Indulgentiarum fructum percipiendum necessaria sunt, animum intendamus oportet.

Instructiones, quibus praeparandi sunt populi ad Indulgentiae valorem aestimandum.

§. 13. Notum cuique est, mensium aliquot spatium intercurrere ab eo tempore, quo Anni Jubilaei Bulla Romae evulgatur, ad ipsa sacri Jubilaei Anni primordia; quandoquidem, juxta veterem Ecclesiae disciplinam, ipsa Nativitatis Domini Vigilia, quae Bullae indictionem consequitur, Porta Sancta aperitur, et Jubilaei Annus tunc primum incipit. Hoc mensium aliquot intervallum, otiosum abire non patimur; eo namque utimur, ut interim in variis Urbis Romae partibus Missiones habeantur, quarum utilitatem satis commendavimus in Pastoralibus nostris Edictis, quae Nobis ad Archiepiscopalis Ecclesiae regimen Bononiae commorantibus elucubrata sunt, ac typis edita; moxque in Latinum sermonem translata, iterum recusa sunt. Illud vero Evangelicis Missionum Operariis inculcamus, ut Catecheses ad populum habeant, in quibus Catholicam de Indulgentiis ac universali Jubilaeo doctrinam explicent, iis posthabitis quaestionibus, quae ad puram putamque disceptationem, a Polemicae vel Moralis Theologiae Tractatoribus agitantur. Satis enim erit fideli populo, si bene norit, Sacramento Poenitentiae, modo quis bene illo utatur, culpam poenamque aeternam dimitti; temporalem vero poenam universam perraro tolli; quae idcirco aut satisfactoriis operibus in hac vita, aut post obitum Purgatorii igne superest eluenda: ut docet sacra Synodus Tridentina *sess. 6. cap. 14. et Can. 30. ejusdem sessionis, sub titulo de Justificatione.* Satis item erit, si Christianae plebi innotescat, adesse in Ecclesia indeficientem thesaurum, ex immensa meritorum Christi copia conflatum, cui et alia Sanctorum accedunt merita: hujusce vero thesauri dispensationem, ab eodem Christo Domino, ejus in terris Vicario, hoc est Romano Pontifici fuisse concreditam; ideoque provido Romani Pontificis consilio, justis causis ita suadentibus, modo ampliorem modo contractiorem fieri posse meritorum applicationem, sive per modum Absolutionis pro vivis, sive pro mortuis per modum suffragii: si tamen viventes culpam, poenamque aeternam per poenitentiam deleverint; defuncti vero, Deo in charitate conjuncti ex hac vita migraverint. Porro haec meritorum applicatio, Indulgentiae nomine donatur, quam quisquis rite consequitur, a temporali peccatorum poena liberatur pro mensura applicationis, quam legitimus Dispensator concessit, ac definivit; ut legimus in Summorum Pontificum Constitutionibus, ac, prae caeteris, in celeberrima Decretali Leonis X. Praedecessoris nostri ad Cardinalem Thomam de Vio, alias Cajetanum, quo tempore Legati Apostolici munere in Germania fungebatur. Ex quo sequitur, ut Christifidelibus utilis admodum sit Indulgentiarum usus, ideoque diro anathemate damnanda sit prava illorum sententia, qui aut Indulgentiarum utilitatem denegant, aut Ecclesiae Indulgentias conferendi adimunt potestatem, ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 25. in Decreto de Indulgentiis.* Postremo monendus erit Chri-

stianus populus, Indulgentiam Anni Jubilaei Plenariam esse, atque ab aliis item Plenariis, quae etiam per modum Jubilaei dispensantur, secerni, quod Sacro Jubilaei Anno Confessariis ad id muneris designatis amplior tribuatur facultas cum absolvendi a peccatis, tum dispensandi super vinculis ac impedimentis quibusdam, quibus non semel poenitentium conscientia irretitur.

Doctrina de Indulgentiis Decretali Bonis X.

§. 14. Omissis aliis Summorum Pontificum Constitutionibus, quae cuique obviae sunt, eam duntaxat, quam Leo X. promulgavit, hic duximus exscribendam. Sic vero habet: *Per praesentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquae tamquam Matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem Petri clavigerum, successorem, et Jesu Christi in terris Vicarium, potestate Clavium, quarum est aperire Regnum Coelorum, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta, culpam scilicet et poenam, pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento Poenitentiae, poenam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum divinam justitiam debitam, mediante Ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christifidelibus, qui, charitate jungente, membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, et Sanctorum; et tam pro vivis, quam pro defunctis, Apostolica auctoritate, Indulgentiam concedendo thesaurum meritorum Jesu Christi et Sanctorum dispensare, et per modum Absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, et per modum suffragii illam transferre consuevisse; ac propterea omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena, secundum divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita, liberari, quantâ concessae et acquisitae Indulgentiae aequivalet; et ita ab omnibus teneri, et praedicari debere etc. auctoritate Apostolica etc. decernimus.*

Poenitentia populis inculcanda, ut Indulgentiae fructu potiantur.

§. 15. Haec docuisse sat erit, ut populus ea, quae ad Indulgentiarum materiem pertinent, satis percipiat. Quia vero studendum cum primis est, ut Indulgentiarum fructum Fideles consequantur; hinc ad alia progrediantur oportet, qui sacrarum Missionum ministerio incumbunt. Apostolico instructi zelo, in saeculi corruptelas, quae longe lateque grassantur, sermonem convertant, memores verborum Isaiae *cap.* 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* Poenitentiae necessitatem indicant, ac ineluctabilem animae jacturam urgeant, nisi poetentiae ope crimina deleantur: quo pertinet illud Christi Domini, Lucae 13. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ad haec, divinae misericordiae divitias extollant, quae in eos effunduntur, qui, pravis anteactae vitae moribus omnino rejectis, cor novum, novumque spiritum sibi comparant. Interim vero prae oculis habeant ea Domini verba, Ezechielis *cap.* 18. *Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum, . . . Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, et vivite.* Et cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

Confessionum generalium utilitas ostendenda.

§. 16. Proposita virtutis poenitentiae necessitate, ad Sacramentum Poenitentiae sermonem convertant, atque hortamenta, ac monita ingeminent, ut Fideles hoc saluberrimo muniti Sacramento, ad Annum Jubilaei accedant rite dispositi. Hinc ad validam ac utilem peccatorum Confessionem perficiendam populos erudiant; omnimodam necessitatem iterandi Confessiones pridem irritas explicent; omnemque curam adhibeant, ut ii quoque, qui nulla necessitate obstrictos se putant, ad praeterita crimina in Poenitentiae Sacramento iterum manifestanda, atque ad generalem peccatorum Confessionem instituendam facile inducantur. *Licet non sit de necessitate iterum confiteri eadem peccata, tamen propter erubescentiam, quae est magna Poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre:* verba sunt Praedecessoris nostri Benedicti XI. in Decretali *Inter cunctas, de Privilegiis,* relata inter Extravagantes communes. Quibus consona scribit S. Carolus Borromaeus in suis ad Confessarios Monitis, quae Innocentius XII. Praedecessor noster, ut iis, qui Confessiones audiunt, exemplo essent ac documento, iterum Romae imprimenda curavit. *Confessarii,* ita loquitur S. Carolus, *pro cujusque personae qualitate, opportuno tempore et loco, ad generalem quamdam Confessionem poenitentes exhortentur, ut per hanc, proposita*

omni praeterita vita sibi ob oculos, majori cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in praecedentibus Confessionibus accidere, resarciant.

Ea commendatur a S. Francisco Salesio, a S. Vincentio a Paulo, et ab ipsis Summis Pontificibus.

§. 17. Hanc ipsam generalium Confessionum utilitatem in suorum Operum locis quamplurimis S. Franciscus Salesius commendat. Praecipua vero sunt, multamque redolent suavitatem verba illa, quae ex epistola ad Viduam Matronam data, hic repetimus, e Gallico sermone Latine reddit: *Accepi literas a Patre tuo, quibus a me postulat, ut aliquid, quod animae saluti profuturum sit, illi aperiam. Lubens, et facilior fortasse, quam par est, votis annuo. Quae illi trado monita, ad duo revocantur capita. Alterum est, sedula ac universalis anteactae vitae discussio, quam generalis Confessio, et par poenitentia sequatur. Hoc enim illud est, quod nemo vir ingenuus ante obitum negligit. Alterum in eo versatur, ut paulatim a mundi illecebris animum studeat avellere.* Ejusmodi epistolae exemplum inseritur *tom.* 1. *illius Operum* editionis Parisiensis anno 1669. *pag.* 914. *num.* 6. In Vita Sancti Vincentii a Paulo Fundatoris Congregationis Missionis, italice scripta, multis agitur de fructu, qui a generalibus Confessionibus, occasione sacrarum Missionum, percipitur. Hinc memoratae Congregationis Regulae ab Apostolica Sede probatae, inter caetera Instituti ministeria illud enumerant. *Confessiones generales totius anteactae vitae suadere, et excipere.* Eodem pertinent verba Urbani VIII. relata in Bulla, quae incipit: *Salvatoris nostri*, qua Institutum praefatae Congregationis confirmatur; ita namque generalium Confessionum usum ac utilitatem commendat: *Ex quorum felicibus successibus* (operum scilicet ac ministeriorum, quae Congregationis Instituto propria sunt ac peculiaria) *evidenter apparet, hoc pium Institutum Deo acceptissimum, hominibus vero utilissimum, prorsusque necessarium esse: ex eo enim, licet non multo ab hinc tempore, rarus antea Confessionum sacramentalium, etiam generalium, et sanctissimae Eucharistiae usus, frequens per Dei gratiam factus est.* Hinc Praedecessor noster Innocentius XII. secum reputans graviores defectus, qui ex irrito praeteritarum Confessionum usu possunt occurrere; in ea, quam post indictum Jubilaei Annum evulgavit Instructione, hisce verbis a Nobis latine redditis, quemlibet peregrinorum hortatur, ut ante discessum universa anteactae vitae crimina iterato aperiat in foro sacramentali: *Discessurus, validam, ac generalem Confessionem praemittat; ac moneatur, ut, hac oblata occasione, id non negligat: ut nimirum medeatur languoribus, quibus Confessiones pridem habitae fortasse laborant.* Sane conscientiarum moderatores uno ore conveniunt, multam ex generalium Confessionum usu percipi utilitatem. Ita namque universa vitae ratio animo obversatur, ex quo hominis timor ac humilitas; major in peccatum horror insurgit; augentur vires, ut quidquid ad malum provocat, propulsetur; jucundissima pax et tranquillitas animo accedit; et, quae praeteritis Confessionibus illata sunt, damna sarciuntur.

Multum vero interest, ut Confessarii munus recte calleant et adimpleant.

§. 18. Haud ignoramus, sacramentales Confessiones, sive pro quotidianis excessibus instituantur, sive frustraneas repetant, sive universa vitae crimina in unum colligant, eo, quem expectamus, et summopere expetimus, fructu parituras, nisi a probis, doctis, ac in sana Ecclesiae doctrina rite instructis poenitentiae Ministris excipiantur. Quo tempore Archiepiscopalis Ecclesiae Bononiensis regimini Nos ipsi praefuimus, nullum in Poenitentiae Ministrum delegimus, quem aut Nos, aut alii coram Nobis, praevio examine, non probaverint; ut scilicet solidum de moribus ac doctrina suppeteret testimonium. Neque vero indefinitam ad Confessiones audiendas cuiquam tribuimus auctoritatem, sed certo, ac brevi temporis spatio circumscriptam concessimus; ut semel probati iterum examini subjicerentur, aut a Nobis ipsis, aut Nobis adstantibus perficiendo. Hoc autem sicut multam Confessariis molestiam, ita magnam poenitentibus afferebat utilitatem. Jam vero universalis Ecclesiae regimine usque adeo pressi, ut illi ferendo pene deficiant vires, examen Confessariorum, qui in hac Urbe Roma Sacramentum Poenitentiae administrant, aliorum, de quorum fide ac diligentia Nobis bene sperare licet, judicio relinquimus; et nonnisi semel quotannis, adventante nimirum sacro Quadragesimalis jejunii tempore, Concionatoribus, ac Parochis, qui coram Nobis jussi conveniunt, ea omnia, quae eorum muneri, ac animarum saluti expedire videntur, significamus. Sed longe major ac potior Nos urget ratio, ut, occasione Anni Jubilaei, qui propediem venturus est, Confessarios omnes alloquamur, quibus idcirco, ea,

qua possumus, verborum vi atque animi contentione, haec, quae sequuntur, monita ac hortamenta praebemus.

Poenitentium conscientiam indiligent ejus apta remedia praebent.

§. 19. Primo loco monemus, ut meminerint, suscepti muneris partes non implere, immo vero gravioris criminis reos esse eos omnes, qui cum in sacro Poenitentiae Tribunali resident, nulla tacti solicitudine, poenitentes audiunt, non monent, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, Absolutionis formam illico proferunt. Id sane a solertis Medici, qui oleum, ac vinum vulneri infundit, moribus nimis alienum est. Equidem Medicum agit quisquis Poenitentiae Sacramentum ministrat; hinc debet nedum criminum circumstantias, sed etiam illius, qui in crimina lapsus est, indolem ac ingenium sedulo inspicere, ut illi praesto sit opportunis remediis, ex quibus animae salutem consequatur. *Sacerdos autem sit discretus, et cautus, ut more periti Medici similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium praebere, et ejusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum:* verbis utimur clarissimi Praedecessoris nostri Innocentii Papae III. in Generali Concilio Lateranensi *Cap. Omnis utriusque sexus, de Poenitentiis et remissionibus.* Consonat Rituale Romanum a Paulo V. nostro item Praedecessore Apostolica Constitutione probatum, *in tit. de Sacramento Poenitentiae*, ubi sic loquitur: *Si poenitens numerum et species, et circumstantias peccatorum non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.* Quod si Confessarius probe norit, poenitentem aliquibus peccatis gravari, quae nondum aperuit, sive ex oblivione, quod imos conscientiae recessus non satis exploraverit, sive ex crassiori ignorantia, quae tamen culpa non vacat, cum putet sibi licere, quod re ipsa nefas est; e re erit Confessarii, ne alioqui necessaria integritate Confessio fraudetur, caute ac prudenter in memoriam poenitentis revocare, quae omisit, illumque monere ac corrigere, ut rite comparatus Sacramenti Poenitentiae fructum percipiat. Ita sentit S. Bernardinus Senensis *tom. 2. serm. 27. artic. 2. cap. 3. pag.* 167., ubi quaestione proposita, *an Confessor teneatur diligenter perscrutari, et examinare conscientiam peccatoris*, affirmando respondet: idque locum habere, ait, non solum in iis, quae poenitens *propter negligentiam, vel propter verecundiam* omittit, sed et in iis, quae ignorans tacet; *eo quod peccatores ignorant, quae Dei sunt: unde si Confessor audierit aliquid de poenitente, vel scivit per aliquam probabilem conjecturam; id debet poenitenti ad memoriam reducere; quia potest timeri, quod poenitens ignoret ignorantia crassa, quae non excusat secundum Guillelmum; vel quia forte non intelligit illud esse peccatum; nam, secundum Isidorum, ignorans quotidie peccat, et ignorat.*

Scriptorum communis doctrina in hac materia.

§. 20. Obvia haec sunt apud Theologos, ne iis quidem exceptis, qui inter rigidioris disciplinae magistros enumerandi non sunt. Non enim res hic agitur de ignorantia, ut ajunt, invincibili juris positivi, ex qua poenitens in absurdum quidpiam, uni Confessario notum, prolapsus est; et si forte, quod poenitens ignorat, monitus disceret, gravioris mali occasio inde sequi posset: sed vincibilis ignorantia locum habet; cum poenitens aut crimina ignoret, quae tamen nosse debet; aut in iis versetur facti circumstantiis, quae Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo; cum quis arbitretur, ea sibi licere, quae ab iis, qui Ecclesiae Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. Hisce in casibus concors Theologorum sententia est, Confessarium teneri monitis ac interrogationibus poenitenti opem ferre, quamvis inde poenitentis tristitiam secuturam agnoscat. Quod si Confessarii monitis par exitus tunc non respondeat, adhuc sperare licet, ea in posterum, adjuvante Domino, profutura. Inter Theologos, qui aut Praedicatorum Ordini accensentur, aut Divi Thomae doctrinae subscribunt, consulantur Soto *in 4. Sententiar. dist. 18. quaest. 2. tit 4.* ac Sylvius *in 3. par. D. Thomae tom. 4. quaest. 9. art. 2. ad 7.* Inter Franciscanae Familiae alumnos, caeterosque Scoti discipulos, Cardinalis de Laureaea *in 4. Sentent. tom. 2. de Sacrament. Poeniten. disput. 21. art. 3. n. 64. et sequentibus.* Inter Societatis Jesu Scriptores, Suaresius *in 3. part. D. Thomae disp. 32. sect. 3. et. 4. tom. 4.* Theophilus Raynaudus *tom. 16. Heteroclit. spiritual. punct. 9. n. 4.* Gabriel Antonius *tract. de Poenitent. art. 3. quaest. 3.* et Cardinalis de Lugo *de Sacram. Poenitent. disput. 22. sect. 2.* ubi animarum salutis studio fervens, multa in rem hanc profert contra Episcoporum, Praelatorum, Principum, ac Gu-

bernatorum desides Confessarios, qui licet in sacro Poenitentiae foro nullam de publicis criminibus accusationem excipiant, taciti quiescunt, nullaque hortatione praemissa, praecipiti judicio Absolutionis beneficium dispensant. *Infero secundo*, sic ille loquitur, *quid dicendum sit de obligatione, quam habent Confessarii Praelatorum, Principum, Gubernatorum, et similium, quando vident, aut sciunt, ipsos non satisfacere revera suo debito circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex superfluis faciendas de redditibus Ecclesiasticis, et alia similia: de quibus illud notandum est, raro contingere, quod ignorantia sit invincibilis, et inculpabilis; item raro contingere, quod ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, qui facile putant licita quae a Praelatis et Principibus fieri vident; vel certe non afferat damnum commune. Quare regulariter Confessarius tenetur admonere poenitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione: nec satisfacit suo muneri, absolvendo a peccatis, quae poenitens dicit, sed potius imponit suis humeris peccata caetera et errores, quos in poenitente dissimulat, et caeco caecum ducente, ambo in aeternam foveam cadent. Si formidet ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium; sed modeste se excuset tamquam minus aptum ad illud onus portandum.* Quae quidem saluberrima Cardinalis de Lugo sententia, non solum eos Sacramenti Ministros complectitur, qui Episcoporum ac Principum Confessiones excipiunt, sed pari jure eos omnes Confessarios perstringit, qui poenitentes audiunt, quorum mores, ac vitae exempla in proxima peccati occasione versantur, sin minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus, ac morosis delectationibus, quibus assentiri consueverunt, neque interim ulla tanguntur cura, ut miserum crimonosae vitae statum aperiant.

In casibus dubiis, ne temere, aut ex privata opinione de iis judicetur.

§. 21. Alterum pro Confessariis monitum illud est, ut, si forte contingat (solet autem frequentius contingere) Confessionis Ministrum aliquid a poenitentibus audire, quod peculiari examine dignum sit, caveat, ne, divinando, respondeat; sed, opportuno tempore ac consilio primum adhibitis, rem expediat. Optandum sane esset, ut quilibet Confessarius ea polleret scientia, quam eminentem appellant: verum, cum haec dos paucorum sit, necesse omnino est, ut competenti saltem scientia sit instructus. Nec meliora sperare licet; cum Moralis Theologia tot tantasque quaestiones, quae a sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum notitia pendent, complectatur, ut ardua plane res sit, posse aliquem omnia simul bene nosse, atque illico nodos quoscumque dissolvere; ut ii solent, qui eminenti scientia praefulgent. Sat igitur erit si inferioris notae Confessarii, ope librorum, quos consulant, difficiliora quaedam, quae in Sacramenti administratione occurrunt, rite expediant; ut scite animadvertit Praedecessor noster Innocentius IV. *in Commentariis ad Cap. Cum in cunctis, num. 2. sub tit. de electione, et electi potestate*, ubi sic loquitur: *Scientia autem reputamus eminentem, quae subtiles quaestiones discutere et definire novit, et in promptu responsiones habet: ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, et qui in libris veritatem eorum, quae scire tenetur, scit quaerere, et sic in promptu omnia non habet.* Cum igitur aut difficilior, aut nova quaedam facti species ad Confessarium defertur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate, ac librorum delectu id agendum. Notum quippe est, in tanto Scriptorum numero aliquos prodiisse, quorum opinio ac sententia Evangelicae simplicitati, ac Sanctorum Patrum doctrinae non bene consonat. *Complures opiniones* (verbis hic utimur Praedecessoris nostris Alexandri VII. Decreto edito *die 7. Septembris* 1665.) *Christianae disciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitori, partim noxiter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela.* Nolumus hac in re pressiorem sermonem instituere; nolumus vexatissimas quaestiones, quae circa Scriptorum fidem, eorumque doctrinae integritatem, agitantur, attingere. Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriae opinioni non innitantur; sed antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior; ac deinde in eam descendat sententiam, quam ratio suadet, ac firmat auctoritas. Nec aliud sane docuimus in nostra Encyclica super usuris,

quae occurrit *ordine* 143. *Bullarii nostri tom.* 1. ubi §. 8. ita scripsimus: *Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur: deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent.* Idipsum modo repetimus. Nostra quippe sententia non solis rei usurariae limitibus circumscribitur, sed ea omnia complectitur, quae sive ad forum Sacramentale, sive ad rectum conscientiarum regimen quoquo modo conferre possunt.

Videndum quando, et quibus conferenda, neganda, aut differenda sit absolutio.

§. 22. Monemus tertio, ut Sacramenti Poenitentiae Ministri illud Venerabilis Cardinalis Bellarmini effatum prae oculis habentes: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, et memores propositionum, quas Praedecessores nostri anathematis gladio confixerunt, ac prae caeteris Innocentius XI., qui *die* 2. *Martii* 1679. Propositionem *ordine* 60. *cum tribus sequentibus* proscripsit, discant, quibus in casibus concedenda, deneganda, aut protrahenda sit Absolutio: *Videat autem diligens Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit Absolutio; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant.* Verba sunt haec, non rigidioris Theologi, sed Ritualis Romani, quod insuper Confessariis inculcat, ut, sive denegent, sive differant Absolutionem, miti ingenio, ac suavi sermone poenitentibus causas denegatae Absolutionis aperiant, ac ostendant ita expedire, ut animae saluti bene consulatur. Hinc illos, ut quantocyus revertantur, invitent, atque animos addant, ut ante reditum, ea omnia, quae illis agenda praescribuntur, rite perficiant, ex quo fiet, ut ad sacramentale forum regressi, Absolutionis beneficio donentur. Ubi vero Absolutionem concedunt, iis potissimum, qui aut raro, aut non sine multis criminibus ad Poenitentiae Sacramentum solent accedere, eos hortari non desinant; vitam, quam sub peccati jugo duxere miserrimam, illis aperiant; criminum turpitudinem explicent: ut nimirum ex corde doleant, ac se in posterum a peccatis recessuros serio proponant. Ratum quippe est, solida ac gravia Confessariorum hortamenta in Poenitentiae foro prolata, longe efficaciora esse sacris Oratorum Concionibus, ut poenitentis animum a vitiis avocent. Solent enim Concionum auditores, quas aure excipiunt increpationes, in alios potius, quam in se ipsos, transferre. Id vero fieri nequit in privatis Confessariorum monitionibus, quae in unum ac individuum poenitentem cadunt, ac in illius faciem vibrantur, absque eo quod aut crimina inficiari possit, aut excusare. Nec Confessarii reponant, id fieri non posse, si frequentior poenitentium numerus suadeat brevitatem, jam enim difficultatem dissolvit aurea illa S. Francisci Xaverii sententia apud P. Tursellinum *in ejus Vita lib.* 6. *cap.* 17. hisce verbis concepta: *Confitentibus porro, non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut praeoptarent Confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas.*

Opportuna poenitentibus monita dari debent.

Satisfactio imponenda pro criminum gravitate.

§. 23. Quartum monitum Satisfactionem attingit, quae Sacramenti Poenitentiae postrema pars est, eaque integralis. Etsi pia Mater Ecclesia humanam commiserans infirmitatem primaevam severitatem nonnihil emolliverit, atque a Canonum Poenitentialium usu recesserit; quandoquidem, ut legimus *in Can. Fraternitatis. dist.* 34. *Defectu nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram*: non ideo tamen fas Confessariis sacramentalem Satisfactionem, pro libito, ac temere imponere; sed hac in re justitiae, prudentiae, ac aequitatis jura debent una componere. *In irroganda autem satisfactionis poena Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia, justitia, prudentia, et pietate dirigenda existimabunt.* Ita statuit Catechismus Romanus in Parochorum utilitatem, jussu Concilii Tridentini elucubratus, et a S. Pio V. Praedecessore nostro in lucem editus, *sub tit. de Poenitentia.* Praeiverat eadem Synodus Tridentina *in cap.* 8. *Sess.* 14. *de Poenitentia*, ubi saluberrimam hanc doctrinam ita statuit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis*

injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem; nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, et docent. Ut autem ad acceptandam opportunam satisfactionem, quae a Confessariis imponitur, peccatores facilius inducantur, multum proderit Canonum Poenitentialium notitia, qua Confessarius instructus, esto Canones illos in usum non revocet, potest tamen ea uti, ut poenarum, quae olim pro iisdem criminibus statutae fuerant, mensuram explicet: ex quo poenitens, et summam peccatis inesse malitiam agnoscet, et indictae sibi satisfactioni, quae gravior alioqui videri potuisset, lubens acquiescet; facta nimirum comparatione cum iis poenis, quas pro iisdem criminibus subjisset, si remotiori aetate, cum scilicet Poenitentiales Canones adhuc obtinebant, ad Confessarium accessisset, nec ad ea pervenisset tempora, quibus veterum Canonum severitatem benignior Ecclesiae disciplina emollivit. Atque ita quidem ratiocinantur Scriptores quamplurimi pietate ac doctrina praestantes, quorum nomina cum a Nobis *in nostro Tractatu de Synodo lib. 7. cap. 62.* fuerit relata, supervacaneum ducimus ea hic repetere. Illud vero addimus, vitam, moresque Fidelium, qui nostra aetate ad Poenitentiae Sacramentum accedunt, late discriminari ab ea vitae ratione, quae inclytam Agnetem, Imperii dignitate, ac pietatis studio conspicuam, olim commendavit. Cum enim in hanc Urbem, ut ad Sanctorum Apostolorum Limina procumberet, se contulisset, universas praeteritae vitae maculas B. Petro Damiani, eximio S. R. E. Cardinali, aperuit in foro sacramentali; atque inde recessit, nulla a Confessario, probitatis ac doctrinae laude celeberrimo, imposita satisfactione.

B. Petrus Damiani nullam Agneti Imperatrici poenitentiam imposuit.

§. 24. Praestat ipsummet B. Petrum Damiani *in Opusculo 56. c. 5. tom. 3. suorum Operum* editionis Parisiensis *pag. 432.* hac de re disserentem, atque in aliorum exemplum ita loquentem audire: *Sed ut hi, qui ad Apostolorum Limina confluunt, Sanctae devotionis tuae salubriter imitentur exemplum, sub arcana quoque B. Petri confessione, ante Sacrum Altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus, et amara suspiria, ab ipsa quinquennis infantiae tenera adhuc, et nuper ablactata levitate coepisti, et tamquam illic ipse Beatus Apostolus corporaliter praesideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuae potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid praeterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum: ad quod mihi visum est, ut nil aliud confitenti poenitentiae pondus injungerem, nisi ut illud Divinae legationis elogium iterarem: Age quod agis, operare quod operaris: vel illud, quod his, qui Thiatyrae erant, per Angelum mittitur: Non mittam super vos aliud pondus; tantum id, quod habetis, tenete (Apoc. 2.). Nam, Deo teste, ne unum quidem diem jejunii, vel cujuslibet afflictionis indidi; sed, ut in coeptis solummodo sanctis perseverares operibus, imperavi.*

Non ita merentur plerique poenitentiam.

§. 25. At contra, nostris hisce temporibus passim occurrunt peccatores (quo nomine censemur et Nos, et alii fortasse Beati Petri Damiani tempore censebantur) qui non jam in generali criminum exomologesi, sed et in ipsis Confessionibus, quas plures in anno frequentant, atque identidem repetunt, gravioribus criminibus implicantur; ideoque in sacro Poenitentiae foro ea satisfactione digni sunt, quae juxta Concilii Tridentini Canones peccatorum gravitati commensuretur: tum maxime, quod nulla aut fere nulla bona opera eliciunt, si in consueta vivendi ratione permaneant; nec, ut par est, aequo ferunt animo aerumnas, quibus aliquando premuntur: ex quo fit, ut uberiori fructu fraudentur, quem Ecclesiae praeces, Sacerdotis ore in poenitentes prolatae, a Deo postulant hisce verbis: *Ut quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae.*

Adhortatio ad Episcopos ut praemissa in suis Dioecesibus observari curent.

§. 26. En igitur, Venerabilis Frater, rerum, quas gessimus, aut etiam gerendas decrevimus, seriem universam tibi propositam, ut quoquot nostram hanc Urbem inhabitant sanctioris Anni spirituales fructus percipiant. Hoc idem in tua Civitate, ac Dioecesi, te agente, praestari vehementer cupimus, ut populus tibi concreditus, qui jamjam venturo anno sacras Peregrinationes ad hanc Urbem suscipiet, par lucrum, eamdemque coelestium bonorum copiam assequatur. Quae de sacramentali Confessione a peregrinis ante discessum instituen-

da, hactenus significavimus, Bituricense Concilium *anno* 1584. *in Can.* 2. *tom.* 10. Collectionis Harduini *pag.* 1466. *et seq.* pridem decreverat hisce verbis: *Praemuniantur debita et integra peccatorum Confessione, et Eucharistiae Sacramento, quicumque ad loca sacra peregrinantur, antequam ire aggrediantur.* Consonat Praedecessor noster Innocentius XII. in ipsa Indictione Anni Jubilaei 1700. ubi salutarem criminum expiationem cum primis urget, atque ita loquitur: *Sanctificamini itaque, filii charissimi, et praeparate corda vestra Domino. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis Dei, et renovati spiritu mentis vestrae, orationibus insistite, frequentate jejunia, eleemosynas erogate.* Ne autem quis putaret, haec verba ad eos duntaxat, qui Romae degebant, extendi, prudenti consilio alia addidit, quibus illos etiam comprehendit, qui Romam venire parati, a suis regionibus nondum recesserant. *His porro Christianae vitae ornamentis instructi, virtutumque praesidiis muniti, impigre, piaque animi alacritate, ad hanc Sanctam in terris Civitatem Dei, veluti ad Thronum gratiae, accedite cum fiducia, ut misericordiam consequamini.*

Quam sancte se gerere debeant, qui sacrum iter ire cogitant.

§. 27. Te vero, modo Pastoralis officii ministerium id ferat, ad Urbem hanc accedente, certo confidimus, ut, sive iter agas, sive Romae degas, eam vivendi rationem, quam S. Carolus Borromaeus Anno Jubilaei 1575. Romam accedens, Romaeque commoratus, sibi servandam constituit, studeas aemulari. Sacram hanc optimi Praesulis Peregrinationem describit Carolus a Basilica Petri, Novariensis Episcopus, *lib.* 3. Historiae, quam texuit de vita ac gestis S. Caroli. Si vero, ut par est, et Nos summopere optamus, e tua Dioecesi populus Romam commigraturus discedat, in eam spem erigimur, ut, quamdiu peregrinatur, atque hac illac divertit, nihil molestiae illaturus sit iis locorum Praesidibus, quorum interest vigili cura cavere, ne ea suboriantur scandala, quae retroactis temporibus ansam nonnullis praebuere, ut contra sacras Peregrinationes obloquerentur. Cumque Romam pervenerit, omni studio curabimus, ut honestam et morigeram vitam ducat, opera injuncta rite perficiat, Basilicas adeat, variosque Christianae poenitentiae actus exerceat. Enimvero testis est Deus quo studio, quoque conatu in id incumbamus, ut peregrini omnes, qui suas repetent domos, sanctae conversationis, quae Romae viget, exemplo edocti, in Fide stabiles, in virtute fervidi, atque in Apostolicae Sedis obsequio confirmati perseverent. Quae Nobis, eadem et Praedecessori ac Concivi nostro Gregorio XIII. insedit voluntas, cum Jubilaei Annum tunc temporis recurrentem celebraret ut *ex illius Annalibus lib.* 3. *cap.* 24. compertum est. Quibus ita statutis, solidam spem concipimus, ut, adjuvante Domino, cui rem hanc universam humillimis precibus commendamus, peregrini in patriam regressi, ea censura digni non sint, qua S. Hieronymus *in epist.* 58. *ad Paulinum. tom.* 1. *Operum.* edition. Veronens. *pag.* 318. nonnullos, qui sacras Peregrinationes in ipsa Jerosolymorum Urbe confecerant, ita sugillat: *Non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse, laudandum est.*

Non deerunt Romae subsidia ad poenitentium reconciliationem ad bonorum exercitia.

§. 28. Integro Anni Jubilaei tempore praesto erunt in Urbe Roma Poenitentiarii, aliique ad Confessiones excipiendas designati, qui opportunis facultatibus instructi, poenitentes audiant, ac meritam absolutionem et dispensationem concedant, cum iis, qui Romae degunt, tum aliis qui aliunde confluunt, ut Spiritualis Sanctioris Anni divitias consequantur. Hoc ipso temporis intervallo non deerunt Divini Verbi praecones. Nos ipsi loquemur; loquentur et alii ad id muneris a Nobis designati; ita tamen, ut Theologicae controversiae, quae ad puram putamque Scholarum disputationem pertinent, intactae relinquantur. Illud vero cum Nobis, tum aliis, qui nostro loquentur nomine, curae erit, ut clausulae illius, quam Bullae nostrae inseruimus: *Fidelibus vere poenitentibus, et confessis, Sacraque Communione refectis:* vis ac significatio probe intelligatur. Illud item re atque exemplis demonstrabimus, quam futilis atque inanis sit illorum sententia, qui a Catholica Communione extorres, perperam asserunt, Indulgentiarum usu poenitentiam imminui, aut etiam e medio tolli. Praeterea, ne quis suspicetur, aut Nos ipsos, aut eos, qui nostra auctoritate Conciones habebunt, in rigidiorem sententiam pronos esse, eamdem sequemur methodum, quam celebris Pater Bourdalove Societatis Jesu sibi proponit, ac sequitur in Sermone sub initium Anni Jubilaei habito, ac typis edito *tom.* 2. *Sermonum pag.* 517. *et seqq.* juxta alteram editionem Parisiis procusam. *an.* 1709.

Quo tempore Bononiae moram traximus, et nostras identidem ad populum Instructiones evulgavimus, quae primum in plures tomos digestae, mox Latine redditae, in unum volumen in folio compactae sunt, unam procudimus, quae *tom.* 3. *Italicae editionis* est *ordine duodecima*, in Latino autem volumine occurrit *quinquagesima tertia*. Porro in hac Instructione, omissis Theologorum disceptationibus, universum Dioecesis nostrae populum monuimus, ac hortati sumus, ut, occasione Plenariae Indulgentiae, quam Praedecessor noster Clemens XII. promulgaverat, injunctis operibus alia pietatis opera superadderet, ac dignos poenitentiae fructus faceret, aureo illo Venerabilis Cardinalis Bellarmini documento *ex tom.* 2. *Controversiarum in tractatu de Indulgentiis lib.* 1. *c.* 12. §. *Ad tertium*, illis proposito: *Accipiunt prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos poenitentiae fructus facere, ac pro suis peccatis Domino satisfacere.* Sed et illud adjecimus, quod Cardinalis Pallavicinus *in Historia Concilii Tridentini lib.* 24. *c.* 12. *num.* 6. adnotavit, falsam nimirum esse illorum sententiam, qui rentur, Christianos, propter Indulgentiarum usum, desides fieri; atque a satisfactione, quae Deo criminum nostrorum vindici praestanda est, avocari. Sane, cum homines dubii omnino sint, an Indulgentiarum fructum re ipsa comparaverint, stimulus pluribus superest, quo urgentur, ut novo salutarium operum ac laborum quaestu, in solidiorem spem erigantur. Praeterquamquod, opera ad lucrandas Indulgentias statuta, cum in praxim usumque revocantur, pietatem adaugent, atque, ut quotidiano constat experimento, novum inducunt habitum, quo quis semel instructus, alia virtutis opera facilius exequitur. Equidem Bonifacius VIII. Basilicarum visitationem, ab exteris quindecim vicibus, a Romanis vicibus triginta peragendam praescripsit, atque huic operi lucrum Indulgentiarum sociavit. Non ideo tamen caetera pietatis opera silentio praeteriit, immo vero in sua Extravaganti *Antiquorum, de poenitentiis, et remissionibus*, quae inter communes Extravagantes legitur, expressis verbis haec addidit: *Unusquisque tamen plus meretur, et Indulgentiam efficacius consequetur, quo Basilicas ipsas amplius, et devotius frequentabit.* Haec autem iis affinia sunt, quae et Nos supra inculcavimus, monentes, ut, praeter opera, quae praecipiuntur, alia Christifideles exerceant pia opera, quae spiritui ac votis Ecclesiae consona sunt. Nec aliud subindicant ea veteris formulae verba, quibus Praedecessores nostri usi sunt, et Nos item utimur, cum populo solemniter benedicimus. Expleto quippe Benedictionis ritu, Plenaria Indulgentia conceditur; ac praeterea humiles ad Deum funduntur preces, ut adstanti populo nedum *perseverantiam in bonis operibus, sed et cor semper poenitens* tribuat, hoc est, ad nova poenitentiae opera, quibus praeterita expiantur crimina, rite comparatum: quamvis aliunde bene sperare liceat, praeteritorum criminum culpam poenamque aeternam, in Poenitentiae Sacramento fuisse dimissas; et temporalem, quae superest, poenam, ope Indulgentiae, quae pridem conceditur, fuisse dilutam.

Peregrinis etiam hospitia suppetent.

§. 29. Apud vulgatum Anastasium in Vitis Praedecessorum nostrorum Zachariae, et Paschalis legimus, nonnullas prope Vaticanum Templum extructas fuisse hospitales domos, in quibus peregrini, qui ad Limina Apostolorum pervenerant, excipiebantur, et reficiebantur. Ejusmodi aedificia, sive temporum, sive hominum injuria, jamdiu eversa sunt. Alia tamen, in variis Urbis locis posita, insignis Romanorum pietas excitavit, ad quae quovis tempore, potissimum vero Sacro Jubilaei Anno, liber patet aditus peregrinis, qui ad Urbem hanc confluunt, ut Beatorum Apostolorum deosculentur Limina, atque Indulgentiarum thesauros acquirant: quibus ea item, quae sive corpori alendo, sive animo piis operibus proborum Sacerdotum ope reficiendo necessaria sunt, abunde suppeditantur. Haec sunt, quae tibi duximus significanda. Atque plena animi Nostri benevolentia tibi, tuoque gregi universo Apostolicam Benedictionem elargimur.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die 26. Junii 1749. Pontificatus Nostri Anno IX.

XIX.*

Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIV.

Literae Apostolicae in forma Brevis, in quibus tres gratiae de novo conceduntur pro Con-

gregationibus Beatissimae Virginis Annuntiatae, Primae Primariae dictae, et eisdem Aggregatis, et Aggregandis; et aliae tres itidem gratiae pro Universa Societate Jesu in omnium Christifidelium utilitatem.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Societatis Jesu Studia, Celus commendatur.

Quemadmodum Presbyteri Regulares Societatis Jesu non ultimum locum, et gradum inter tot Religiosos Ordines, Congregationes, et Instituta in Catholica Ecclesia sibi vindicant, quippe qui assiduis laboribus omnes utriusque sexus Cristifideles in omnibus Christianae pietatis, et doctrinae virtutibus; et studiis erudire, et imbuere contendunt; ita omni proculdubio merentur, ut iisdem, quibus Apostolica haec Sancta Sedes nonnullos alios Religiosos Ordines, Congregationes, et Instituta cumulavit, ipsos etiam Apostolicae benignitatis privilegiis, gratiis, et indultis augeamus.

Ejusque Praepositus Generalis.

Itaque demissis precibus dilecti Filii Francisci Retz ejusdem Societatis Jesu Praepositi Generalis ob religiosas virtutes paternae nostrae charitati maxime commendati Nobis, totius Societatis nomine humiliter porrectis inclinati, atque ipsum Franciscum Praepositum Generalem, dictosque Presbyteros specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes.

Facultas concedatur asservandi Venerabile Sacramentum in Sacellis domesticis quoties, et quandiu Praepositio Generali ipsum fuerit.

Primum iisdem, ut in Cappellis, sive Sacellis, sive Oratoriis domesticis uniuscujusque Domus, Collegii, Tyrocinii, Seminariique, in quibus de more, et juxta dictae Societatis privilegia, et Indulta alias concessa Sacrosanctum Missae Sacrificium celebratur, aliaque pietatis, et regularis Instituti sui officia peraguntur, dummodo decenter ornatis, sacrisque supellectilibus instructis in eleganti Tabernaculo cum Pysside argentea, et cuppa inaurata, et cooperta suo conopaeo serico albi coloris Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservandi, quoties tamen, et quandiu Praepositus Generalis pro tempore ita expedire in Domino judicaverit, facultatem perpetuo valituram tenore praesentium Apostolica auctoritate concedimus, et impertimur. Volumus autem, et districte mandamus, ut lampas semper accensa coram Sanctissimo Sacramento inibi habeatur, et Ciborii clavis per Sacristam custodiatur.

Omnes Religiosi fruuntur Indulgentiis Congregationum Primae Primariae aggregatarum, tanquam si ibidem essent adscripti, et easdem frequentarent.

Deinde ut iidem Presbyteri, Clerici, et Laici ejusdem Societatis pro tempore existentes, et neque Congregationibus Primae Primariae dictis, vel eidem aggregatis, seu pro tempore aggregandis adscripti, neque ipsarum Congregationum Oratoria frequentantes, neque visitantes, sed eadem pietatis opera, quae sodales earumdem Congregationum praestare solent, exercentes, ac sive proprias publicas Ecclesias, sive antedicta Oratoria domestica visitantes, easdem Indulgentias, peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes, quas consequerentur, si iisdem Congregationibus adscripti, ipsarum Congregationum Oratoria visitarent, consequi possint, et valeant, sine praejudicio aliarum Indulgentiarum ipsis quomodolibet concessarum auctoritate, et tenore paribus indulgemus, et elargimur.

Easdem lucrantur Principes Viri, etiam absentes, et nunquam neque pro prima vice quando adscribuntur frequentantes Congregationem.

Praeterea omnibus, et singulis Regibus, Principibus, Ducibus, et Comitibus supremam potestatem habentibus, eorumque Consanguineis, et Affinibus primi, et secundi gradus duntaxat, qui Congregationis ubique locorum erectis, et erigendis, vel Primae Primariae hujusmodi adscribi petierint, etsi absentibus, eadem tamen pietatis opera, ut praemittitur exercentibus, et aliquam ad eorumdem commodum, et placitum Ecclesiam visitantibus, easdem, ut supra Indulgentias, remissiones, et relaxationes itidem concedimus, et impertimur.

Omnes Christifideles lucrantur Indulgentias 40. horarum si visitent Venerabile, quando spatio continui tridui exponetur per aliquod tempus in dictis Congregationibus.

Insuper ut omnes, et singuli Christifideles, qui Expositioni Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in Oratoriis supradictarum Congregationum Primae Primariae, vel eidem aggregatarum, seu pro tempore aggregandarum spatio continui Tridui per aliquod temporis spatium faciendae interfuerint, ibique oraverint, ac caetera injuncta opera praestiterint, Indulgentias, peccatorum remissiones, poenarumque relaxationes, quas consequerentur, si Ecclesiis, in quibus expositio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti per quadraginta continuas horas fieri solet, visitarent, consequi possint,

et valeant, tenore, et auctoritate paribus itidem concedimus, et impertimur.

Quicumque Christifidelis Exercitia Spiritualia S. Ignatii per quinque dies ad minimum peregerit, lucrabitur Indulgentias concessas eadem per octo dies peragentibus.

Deinde cum saepe contingat, ut Exercitia Spiritualia S. Ignatii dicta, quae per octo dies fieri solent, rationabilibus de causis in quibusdam locis, attenta personarum, locorum, et temporum conditione per integras octo dies peragi nequeant, sed ad quinque aliquando, vel sex, vel septem dies duntaxat producantur, hinc est, quod Nos Indulgentias concessas iis, qui per octiduum tantum illa frequentarent, ab iis etiam, qui vel per septem, vel sex, vel quinque saltem continuos dies peregerint lucrari posse concedimus, et indulgemus.

In omnibus Ecclesiis dictae Societatis concediturunum Altare Privilegiatum quotidianum perpetuum, a Rectore pro tempore destinandum.

Denique omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animae e Purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei Misericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes, et singulas Ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas eorumdem Presbyterorum, Societatis Jesu, et in qualibet ex dictis Ecclesiis unum Altare, dummodo nullum aliud Altare Privilegiatum adsit, hoc speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei Misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis Secularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularis sacrosanctum Missae Sacrificium pro Anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare per uniuscujusque Domus, sive Collegii, aut Tyrocinii, Seminariique Rectorem designandum, et aliud alteri, quoties ita opportunum judicaverit, subrogandum celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis, sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, concedimus, et indulgemus.

Clausulae confirmatoriae, et pro fide Transumptis adhibenda.

Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Nostrae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum Transumptis, seu Exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Julii Millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri anno nono.

Datum 15. Julii anni 1749.

Loco Sigilli.

Cajetanus Amatus.

BENEDICTUS PAPA XIV. XIX.**

Ad futuram rei memoriam.

Ad auferenda, et penitus eliminanda quaecumque, quae impedimento esse possint, quo minus ea, quae pro felici, prosperoque Religiosorum Virorum sub severiori potissimum Regularis disciplinae observantia Omnipotenti Deo, mancipatorum regimine alias statuta, et ordinata debitae executioni demandentur, alacres Apostolicae Auctoritatis, providentiaeque Nostrae partes interponere gestimus. Cum alias Nos ad supplicationem tunc existentium Majoris, Visitatorum, Procuratoris Generalis, et Sociorum Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae per quasdam Nostras in simili forma Brevis die xvi. Januarii MDCCXLI. expeditas Literas, quarum initium est » Ad futuram rei memoriam. Apostolicae Auctoritatis etc. quaedam Indulta, et Privilegia eidem Congregationi a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessa, ac quamplurima Decreta a Congregationibus tunc existentium S. R. E. Cardinalium tam super Disciplina Regulari, quam Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, et a Capitulo Generali primodictae Congregationis vigore facultatum Capitulo Generali hujusmodi a Constitutionibus ejusdem Congregationis Auctoritate Apostolica confirmatis attributarum, aliaque ad prosperum ejusmodi Congregationis gubernium conducentia, licet Decreta praedicta alias publicata, et proposita debitae executioni prius demandata fuissent, nihilominus non-

nulla ex illis tunc minime observarentur; Auctoritate Apostolica sub certis modo, et forma tunc expressis confirmaverimus, et approbaverimus, seu de novo concesserimus, quarum tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri; Subinde vero in Dieta primodictae Congregationis postmodum habita, Major, et Visitatores praedicti praedictas Nostras Literas publicari facere curarunt. Porro cum Capitulum Generale memoratae Congregationis Anno MDCCXLV. celebrandum esset, tunc existentes Definitores Generales, penes quos per octo circiter dierum spatium juxta memoratas Constitutiones omnis auctoritas remanet, insciis coeteris Vocalibus pro celebratione dicti Capituli congregatis, Nobis supplicandum esse existimarunt, quatenus supradictae Literae a Nobis concessae revocarentur, et annullarentur, licet subinde quatuor ex memoratis Definitoribus eorum Dicta revocaverint. Ortis proinde animorum dissidiis, partiumque studiis tam pro firmitate, quam pro revocatione memoratarum Nostrarum Literarum, Nobisque delatis; Nos, qui per omnem vitae Nostrae aetatem nihil curavimus impensius, quam ut e medio sublatis contentionibus, litiumque dissidiis per solam, liquidamque veritatis inspectionem jus suum unicuique tribueretur, perpensis rationibus hinc inde deductis, negotium hujusmodi, ex mera Nostra benignitate ad Capitulum Generale ejusdem Congregationis celebrandum, die III. Maii MDCCXLVI. ad examinandum remisimus, tunc existens Major dictae Congregationis de hujusmodi Nostra voluntate omnes Priores, Vocalesque, qui in Capitulo Generali celebrando locum habere debebant, transmittendo formulam Literae Secretariae Nostrae Status sibi datae, ac Puncta a Nobis ex dictis Nostris Literis desumpta in dicto Capitulo Generali proponenda, examinandaque, certiores facere non praetermisit. Nuper vero (sicut accepimus) Capitulum Generale ejusmodi Congregationis in Eremo Montis Coronae die XXVI. Aprilis proxime elapsi celebratum fuit, et tunc existens Major, vigore facultatis sibi per dictam Epistolam attributae, antequam ad electionem Definitorum deventum esset, eadem Epistola prius publice lecta, omnibus Vocalibus inibi congregatis Puncta, sicut praemittitur, a Nobis praescripta singillatim proponi facere non desivit, ad hoc, ut Ipsi suos sensus per secreta suffragia aperirent. Puncta autem dictis Vocalibus proposita, sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

Punti, che si propongono al Capitolo Generale degl' Eremiti Camaldolesi di Monte Corona, sopra li quali deve votarsi con Voti segreti da tutti, e singoli Vocali del medesimo Capitolo, e riferirne il risultato, e numero de' Voti prò, e contra alla Santità di nostro Signore. Primo « Se, oltre il Procurator Generale, e Compagno in Roma, secondo il solito, debba aggiungersi un' altro Compagno. » Fù posto a partito, ed ebbe Voti numero ventitrè in favore, e trè contra. « II. – Se debba farsi in qualche Eremo un Professorio nelle Provincie, nelle quali non ritrovasi per allevarsi li noviter Professi nelle materie di Spirito, e delle Sciènze » Fù posto a partito con la seguente clausola, cioè: Senza pregiudizio della Osservanza, e sol tanto nella perfezione religiosa, nella Morale, e ne i Studj necessarj, e passò con Voti numero venticinque favorevoli, ed uno contrario » III. « Se li Cellerarj, e Censuarj debbano farsi a tenore delle Costituzioni per il Capitolo Conventuale di ciascheduń Eremo, o pure dal Capitolo Generale, o dalla Dieta » Fù posto a partito in questa maniera, cioè, se detti Cellerarj, e Censuarj debbansi fare dal Capitolo Generale, e dalla Dieta, et infra annum dal Tribunale, giusta le Costituzioni, e passò con Voti numero venticinque favorevoli, ed uno contra » IV. « Se debba celebrarsi il Capitolo Generale ogni due anni, e nell' anno intermedio la Dieta, come comandano le Costituzioni, o pure debba prorogarsi a quattro anni. » Fù posto a partito nel seguente modo, cioè « Se il Capitolo Generale debba celebrarsi ogni quattro anni, e la Dieta intermedia di due anni: e non passò, avendo avuti Voti nove favorevoli, e numero diecisette contrarj » V. « Se il Tribunale debba avere un Segretario, e questo della Nazione del P. Maggiore » Fù posto a partito, e passò con Voti numero diecisette favorevoli, e numero nove contrarj » VI. « Se intorno alle Vesti, quando un Religioso passa da un' Eremo all' altro, debba osservarsi l' uso, e consuetudine della Nazione Napolitana » Fu posto a partito con questa dichiarazione, se nelle mutazioni si debba portare dupplicato il Vestiario, e passò con Voti numero ventidue favorevoli, e numero quattro contrarj » VII. « Se nelle medeme Vesti debba conservarsi il modo prescritto dalle Costituzioni in ordine alle Saccoccie, o siano Scarselle, o pure

debbano farsi a tutti due li fianchi » Fù posto a partito con questa dichiarazione: Se le Saccoccie debbano portarsi a' fianchi, e senza alcun' ornamento, e passò con Voti numero venticinque favorevoli, ed uno contrario » VIII. « Se tutti gli Officj, o Prelature supreme in avvenire debbano prorogarsi ad anni otto, non ostante le Costituzioni, che prescrivono sei anni » Fù posto a partito in questo modo, cioè, Se le Prelature supreme debbano prorogarsi ad otto anni, e non passò, avendo avuto Voti numero sei favorevoli, e numero venti contrarj » IX. « Se alla Dieta debba conferirsi l' Autorità di provedere gli Officj, e le Prelature minori, la facoltà di dispensare sopra li Capucci degli Oblati, la recezione de i Novizj, la Ordinazione de i Chierici, e cose simili, circa le quali ha la facoltà il Capitolo Generale, supposto, che questo si differisse dal biennio al quatriennio » Questo Punto non fù posto a partito per esser coerente al numero quarto, ed al numero ottavo » X. « Se debbano rigettarsi li Ricorsi al Capitolo Generale, ed alla Dieta, se non saranno fatti due mesi prima del Capitolo, o Dieta contro qualunque Monaco, e specialmente contro li Vocali » Fù posto a partito in questo senso: Se debbano rigettarsi, e passò con Voti numero ventuno affermativi, e numero cinque negativi » XI. « Se li difetti corretti da' Superiori possano, ciò non ostante, differirsi alla Dieta, o Capitolo Generale » Fù posto a partito in questo senso, cioè: Se possano differirsi, ed ebbe Voti numero ventisei tutti negativi » XII. « Se li due Oblati della Procura Generale debbano essere uno della Nazione del Procurator Generale, e l' altro della Nazione del primo Compagno » Fù posto a partito, e passò con numero ventitrè Voti favorevoli, e trè contrarj » XIII. « Se agli Eremiti Sacerdoti, che viaggiano, sia espediente la grazia di celebrare il Santo Sagrificio della Messa due ore prima dell' Aurora, ed un' ora dopo mezzo giorno » Fù posto a partito con questa aggiunta, se anco per prendere medicamenti, e passò con Voti numero venticinque favorevoli, ed uno contrario » XIV. « Se sia espediente, che il Maggiore abbia l' uso delli Pontificali » XV. » Se sia espediente al medesimo Maggiore, supposta la Concessione dell' uso delli Pontificali, la facoltà di conferire la prima Tonsura, gli Ordini Minori, di benedire, e consecrare Vesti, e Paramenti Sagri, Calici, Altari fissi, e portatili per uso degli Eremi della Congregazione » Furono posti a partito con questi due Punti con questa ristrettiva, cioè, che il P. Maggiore non possa fare Pontificali pieni, nè portare l' Anello, se non nelle private azioni di consecrare Calici, Altari fissi, e portatili, benedire Campane, ordinare Chierici, ed altre Funzioni espresse nel Breve, nelle quali dovrà servirsi di tutti quei Ministri, che sono necessarj, e passò con Voti numero quindici favorevoli, ed undici contrarj » Io D. Oddone Maggiore affermo essere vero quanto di sopra » Io D. Lodovico Maria Visitator Generale affermo come sopra » Io D. Clemente Visitatore Generale affermo ut supra » Io D. Paolo Procuratore Generale affermo come di sopra » Io D. Theobaldo Priore di Monte Corona affermo come sopra » Io D. Biagio Priore dell' Incoronata affermo ut supra » Io D. Simone Priore delle Grotte affermo ut supra » Io D. Carlo Priore di Monte Cucco affermo come sopra » Io D. Filippo Priore di Ancona affermo come sopra » Io D. Ildefonso Priore dell' Eremo di Centrale affermo ut supra » Io D. Girolamo Priore dell' Eremo del Santissimo Salvatore di Napoli affermo ut supra » Io D. Emiliano Priore di Frascati affermo come sopra » Io D. Macario Priore dell' Eremo della Torre in Regno di Napoli affermo etc. » Io D. Gennaro Priore dell' Eremo di Vico Equense di Napoli affermo ut supra » Ego D. Romualdus a Jesu Prior de Eremo Ritvianensi ex Polonia affirmo ut supra » Io D. Ignazio Priore dell' Eremo di Monte Giove di Fano affermo quanto sopra » Io D. Gio. Gualberto Priore dell' Eremo di Bologna affermo quanto sopra » Io D. Isidoro Priore dell' Eremo di Brescia affermo quanto sopra » Io D. Parisio Priore dell' Eremo di Venezia affermo quanto sopra » Io D. Girolamo Priore dell' Eremo di Conegliano affermo quanto sopra » Io D. Alessandro Priore dell' Eremo di Verona affermo quanto di sopra » D. Joannes Gualbertus E. C. Prior Vigrensis ex Polonia » Io D. Mattia Priore dell' Eremo di S. Maria Avvocata affermo quanto di sopra » P. D. Demetrius Prior Eremi Sancti Antonii Magni in Hungaria » P. D. Petrus Dam. Prior Eremi S. Michaelis Archangeli in Hungaria » D. Florianus Vicarius Generalis Poloniae, et Magni Ducatus Lituaniae » D. Joannes Gualbertus Definitor, et Scriba de mandato etc. » Loco ✠ Sigilli.

Postmodum vero dictus Major Puncta praedicta, ac Vota, seu Suffragia a Vocalibus super praemissis praestita in authenticam formam Nobis transmisit, quae quidem omnia

Nos circumspexerimus; Hinc est, quod Nos, qui animorum simultates, ac dissentiones, quae religiosam quietem, et regularem observantiam conturbare solent, de medio auferre cupimus, prosperoque, felicique dictae Congregationis regimini, paci, et quieti quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, regularem disciplinam confirmare, aeternamque animarum salutem procurare, ac dilectos Filios Superiores, et Eremitas ejusdem Congregationis specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequen., harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine statuimus, decernimus, ac praecipimus, et mandamus, ut licet Vocales praefati praeinsertum quartum Punctum eorum Suffragiis minime admiserint, receperintque; nihilominus Nos considerantes non solum expensas, quae pro celebratione Capitulorum Generalium faciendae sunt, eo magis si Capitula hujusmodi saepe saepius celebranda sunt, verum etiam, quod indecorum est, ut dictae Congregationis Professores, qui juxta eorum Institutum solitariam vitam agere debent, circumeant, et vagentur, Capitulum Generale memoratae Congregationis Montis Coronae de quatriennio in quatriennium, ac Dietam de biennio in biennium in posterum futuris temporibus, non obstante quacumque dictae Congregationis Constitutione in contrarium disponente, quam ad praemissum effectum derogamus, ac dispositione in Capitulo Generali hujusmodi contra praescriptum per praesentes nostras Literas a Vocalibus capta, celebretur, et celebrari debeat, ac propterea Majorem, Visitatores, Procuratorem Generalem, necnon Vicarios Poloniae, et Germanico-Hungariae in nupero Capitulo Generali, sicut praemittitur, canonice electos, ad quatuor annos in eorum respective Officiis a dicto Capitulo eis demandatis, confirmamus in omnibus, et per omnia perinde ac si dictum Capitulum Illos ad quatuor annos, juxta dispositionem dictarum nostrarum Literarum in suis respective Officiis elegisset, itaut primum Capitulum Generale supradictae Congregationis Anno MDCCLIII. tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicae celebrandum sit. Et quia in Punctis a Nobis praescriptis reperitur Octavum, quod licet propositum, tamen minime admissum fuit, quippe quod adhaerens erat quarto, in quo Capitulo hujusmodi facultas attributa remanebat, ut facta propositione, an Officia Superiorum Majorum, nempe Majoris, Visitatorum, Procuratoris Generalis, et Vicariorum proroganda forent ad octo annos, non obstante, quod per dictas Constitutiones praescriptum reperitur, quod ii per sex annos durare debeant, quibus elapsis, per duos annos ab Officiis vacent, attenta deliberatione nostra, ut supra expressa, quod Capitulum Generale de quatriennio in quatriennium celebrari omnino debeat, Motu, scientia, et potestate similibus decernimus, et declaramus, ut non solum dicti Majores, verum etiam inferiores Superiores per integrum octo annorum spatium in Officiis eis demandatis durare possint, illaque expleant, ad hoc ut ne sortes Electionum in haud Capaces cadant, et omnes Superioritates sint uniformes, itaut, absolutis dictorum octo Officiorum annis, vacatio duorum annorum ab Officiis omnino contingere debeat, ea tamen conditione, ut Major, Visitatores, Procurator Generalis, et Vicarii praedicti Officium eis demandatum per quatuor annos, Priores, vero per duos annos juxta dictas Constitutiones explere possint, quodque Dieta quolibet biennio celebretur, quae facultatibus ab ejusmodi Constitutionibus praescriptis uti valeat, ac cum Oblatis super concessione Caputii dispenset, admittat ad Habitum per dictos Eremitas gestari solitum eos, qui illum suscipere desideraverint, ac licentiam concedat suis Eremitis, ut se ad primam Tonsuram, et alios Ordines etiam majores promoveri faciant ab Ordinario Loci, in cujus Dioecesi degunt, et Eremi constitutae sunt; Majoribus vero pro tempore existentibus dictae Congregationis, ut Patenas, Calices, et Campanas pro servitio, et usu suarum Eremorum dumtaxat, et illius Ecclesiarum (Chrismate tamen ab Episcopo benedicto prius recepto) absque ullo tamen Pontificalium usu, excepta Mitra, benedicere, et consecrare valeant, absolutis vero benedictione, et consecratione hujusmodi nullo unquam tempore, nullave occasione sub priva-

tionis Officii, ac inhabilitatis ad illud, et alia in posterum obtinenda, Mitra hujusmodi, et aliis Pontificalibus, ac etiam Annulo utatur. Prioribus vero cujuscumque Eremi, ut ipsi durante eorum Officio quaecumque Indumenta Sacra, in quibus sacra Unctio non requiritur, pro suae Eremi tantummodo servitio benedicere possint, motu, scientia, et potestate paribus concedimus, et indulgemus. Demum supradictas nostras Literas Anno MDCCXLI. expeditas, juxta tenorem praesentium Literarum, prout etiam acta Capitularia praeinserta (demtis tamen, seu exceptis quarto, octavo, et nono, quibus per praesentes provisum est, ac decimo tertio facultatem et licentiam celebrari faciendi Eremitis occasione qua mederi debent per Capitulum praedictum concessam, quam revocamus) cum omnibus, et singulis in ea contentis, juxta tamen tenorem, et dispositionem superius, et per praesentes expressam, motu, scientia, et potestate similibus confirmamus, et innovamus, perpetuumque silentium super praemissis imponimus. Decernentes easdem praesentes Literas, ac in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet in praemissis forsan jus, vel interesse habentes, seu habere praetendentes illis non consenserint, vel ad ea vocati, citati, vel auditi fuerint, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aut inexcogitato defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis Oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque Juris, Facti, vel Gratiae remedium intentari, vel impetrari, sed ipsas praesentes Literas semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab iis inviolabiliter observari, et adimpleri, sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicae Nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Clementis IX. Praedecessoris nostri, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu dilecti Filii Procuratoris Generalis dictae Congregationis subscriptis, et illius Sigillo munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Julii MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passionеus.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI NOSTRI DOMINI XIX.***

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV.

Constitutio super Adimplementum Onerum perpetuorum Missarum, et Suffragiorum in Ordine Minimorum S. Francisci de Paula.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

1. Paternae sollicitudinis, et charitatis munus à Domino Nostro Jesu Christo una cum

inexhausti Ecclesiae Thesauri administratione, Nobis impositum, pro viribus implere satagentes, inter alia Apocae servitutis officia, id Nobis curandum agnoscimus, ut Religiosorum Ordinum Regulae a Sanctis eorum Institutoribus, Deo inspirante, conditae, et ab Apostolica Sede approbatae, et confirmatae in suo robore, et observantia serventur, simulque, ut pii Benefactores, qui Eleemosynas pro Regularium Virorum sustentatione sub onere celebrationis Missarum, aliorumque Suffragiorum obtulerunt, optatum plenissime consequantur intentum, meritamque ex ipso Ecclesiae Thesauro retributionem accipiant, prout expensis rerum, et temporum rationibus, in Domino noscimus salubriter expedire.

2. Sane exposuit Nobis Dilectus Filius Julius Malmusius Presbyter Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum expresse Professus, ejusdemque Ordinis Procurator Generalis, seu Zelosus, quod quum in ipsius Ordinis Regula a praedicto S. Francisco Fundatore constituta, et ab hac Apostolica Sede specifice confirmata *Cap. 4. num.* 15. habeatur, quod « *Ad nullas Missas, nec ad quaecumque Suffragia se obligent ipsi Fratres, nisi tantum in genere, seu sub generalitate Suffragiorum Ordinis aut solum pro quinquaginta annis, vel citra* » ex certis quibusdam Indultis, seu ex tolerantia Sedis Apostolicae, per diuturnum quondam temporis spatium, complura Missarum, et Suffragiorum onera etiam perpetua in eodem Ordine suscepta, et quidem per quinquaginta annos in specie, deinde vero sub generalitate Suffragiorum, ad formam praefatae Regulae adimpleta fuerunt.

3. Cum autem post Decreta generalia de celebratione Missarum edita per Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, et a felic. record. Urbano Papa VIII. Praedecessore Nostro approbata; per quae privilegia omnia quibusvis Ecclesiis, et Ordinibus eatenus concessa, ut certarum Missarum, et Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendi satisfieret, revocata fuere; Corrector Generalis dicti Ordinis tunc existens, ut ipsius Ordinis indemnitati, ac suae, suorumque Fratrum conscientiae quieti consultum foret, pro opportuna declaratione, et remedio recol. mem. Alexandro Papae VII. pariter Praedecessori Nostro demissas preces obtulisset; idem Alexander Praedecessor ex Voto dictae Congregationis Tridentini Concilii Interpretis rescripsit » *In futurum recipi debere onera Missarum ad praescriptum Decretorum de celebratione Missarum; Quo vero ad onera praeterita, ut juxta eorum Constitutionem, usque ad diem, quo fuerunt edita dicta Decreta censeantur adimpleta juxta eorum Constitutionem. A die vero editionis dictorum Decretorum, satisfaciant celebrationi onerum Missarum ad rationem scutorum quadraginta pro qualibet Missa perpetua, juxta Decretum editum tempore fel. record. Innocentii X.*

4. Emanato hujusmodi Decreto, ad illius tramites successive in particularibus Causis ejusdem Ordinis pluries judicatum fuit tam per Judices Fabricae Principis Apostolorum de Urbe, quam per eamdem Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, in qua signanter occasione cujusdam Causae proposito Dubio « *An, et quomodo ex vi Decreti Alexandri VII: Fratres Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula teneantur adimplere onera Missarum perpetua suscepta tam ante, quam post editionem Decretorum Urbani VIII. de celebratione Missarum* » Die XXVIII. Julii Anni Domini MDCCVIII. ipsa Congregatio censuit « *Quoad onera perpetua suscepta ante Decreta Urbani VIII. de celebratione Missarum, teneri sub generalitate Suffragiorum, ad formam eorum Constitutionis: Quo vero ad suscepta post dicta Decreta usque ad Decretum Alexandri VII. teneri ad rationem scutorum quadraginta pro qualibet Missa perpetua, ad formam Decreti Innocentii X., Quo vero ad onera suscepta post dictum Decretum Alexandri VII., teneri juxta formam Decretorum Urbani VIII., et cum Sanctissimo* » factaque per Secretarium ejusdem Congregationis hujusmodi Decreti relatione fel. recordat. Clementi Papae XI. itidem Praedecessori Nostro, hic die prima Augusti ejusdem anni praefatae Congregationis sententiam approbavit adjecto mandato « *Ut qualibet anno in singulis Conventibus celebraretur Missa cantata de Requie cum applicatione pro dictis oneribus, et in horum memoriam, ultra Suffragia generalia, ad quae tenentur pro illis, et destinentur a Provinciali dies celebrationis dictae Missae in qualibet Conventu apponendae in Tabella onerum Missarum.*

5. Verum, sicut eadem expositio subjun-

gebat, propter mundanas vicissitudines, et ingruentes temporum calamitates, ob quas parae Christifidelium largitiones imminutae sunt, et comparatio victus praesertim Quadragesimalis, quo tantum dicti Ordinis Professores aluntur, graviores ubique sumptus exigit, ad sublevandas ejusdem Ordinis necessitates, jam saepe opus fuit ad Apostolicae Sedis benignitatem, sive pro omissorum Suffragiorum condonatione, sive pro receptorum onerum imminutione, et reductione confugere; nam praeter alia antiquiora condonationum, et reductionum hujusmodi Indulta, praedictus Clemens Praedecessor Anno MDCCXIII. de consilio peculiaris Congregationis nonnullorum S. R. E. Cardinalium Concilii praefati Interpretum, per suas Literas in forma Brevis die prima Septembris editas, omnia, et singula perpetua Missarum onera Conventibus dicti Ordinis ultra Montes positis tunc incumbentia ad rationem annuae Eleemosynae septuaginta duorum scutorum monetae Romanae pro qualibet Missa quotidiana perpetua, sub certis legibus, certaque servata forma, per ipsius Ordinis Correctorem Generalem reduci posse concessit: Quod idem similiter Anno MDCCXXIII. a fel. record. Praedecessore quoque Nostro Innocentio Papa XIII. innovari opus fuit; prout etiam a Nobis favore Conventuum ejusdem Ordinis in Galliarum, et Belgii Provinciis existentium Anno MDCCXLV. cum condonatione Missarum non celebratarum, et reductione Missarum adhuc perpetuo celebrandarum ad rationem obolorum triginta pro qualibet Missa, iterum concessum, et novissime superiori Anno ad Conventus etiam in Germania, et Hispaniis, ac Sardinia, nec non Indiarum Regionibus consistentes extensum fuit.

6. At quia per hujusmodi, aut similia ab Apostolica Sedis benignitate impetrata remedia, nec primodictae Regulae observantiae, ejusdemque Ordinis indigentiae satis prospici, nec piorum Benefactorum voluntati, eorumque animarum optatis suffragiis plene, et integre satisfieri videtur, utique etiam futuris temporibus nulla novis omissionibus, vel ulterioribus Missarum, ac Suffragiorum imminutionibus, et redutionibus occasio relinquatur; propterea ex parte ejusdem Julii Procuratoris Generalis Nobis fuit humillime supplicatum, ut universo Fratrum suorum Ordini de opportuno, stabilique super praeteritis, ac futuris Missarum, et Suffragiorum perpetuis oneribus remedio consulere dignaremur.

7. Nos igitur attendentes, et praemissum Regulae caput, Ordini praedicto ab ipsius Sancto Fundatore, et Parente sapienter praescriptum, valde consentaneum esse paupertati, et mendicitati, in qua ipse Ordo insimul cum perpetua a carnibus abstinentia, et rigorosa vitae Quadragesimalis observantia, apud Deum valde meritoria, et in Sacris Canonibus, ac per Sanctos Patres maxime commendata, laudabiliter in Ecclesia Catholica militare dignoscitur; et simul aequum, justumque esse, ut pii Benefactores, qui ejusdem Ordinis Professoribus subsidia vitae largiuntur, optato Sacrificiorum, et Suffragiorum fructu nequaquam fraudentur; et sic tam Ordinem ipsum, quam ejus devotos Benefactores, specialis gratiae favore prosequi volentes, ac praedictum Julium, et Ordinis praefati modernos Superiores, illiosque Professorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; Inhaerentes etiam exemplis quorumdam peculiarium Indultorum a fel. record. Julio II., et Leone X. Praedecessoribus Nostris, idem Ordini alias concessorum;

8. Nostris Motu proprio, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione concedimus et indulgemus, quod omnia, et quaecumque onera perpetua Missarum, et Suffragiorum, eidem Ordini, ejusque Ecclesiis, Conventibus, vel Domibus in quavis Mundi parte, per quascumque personas, tam per ultimas voluntates, quam per contractus inter vivos nuncupatos, et sub quacumque obligatione hactenus relicta, et in futurum per voluntates et contractus hujusmodi etiam relinquenda, ac per easdem Ecclesias, Conventus, vel Domos suscepta, et perpetuis futuris temporibus quocumque modo suscipienda, adimpleri debeant per quinquaginta annos in specie a die suscepti oneris computandos, et deinde finito dictorum quinquaginta annorum spatio, adimpleri valeant in genere, seu sub

generalitate Missarum, et Suffragiorum ejusdem Ordinis; quibus de Apostolicae, qua in spiritualis Ecclesiae Thesauri dispensatione fungimur, auctoritatis et potestatis plenitudine, aequipollentem omnino tribuimus suffragiis fructum, atque valorem, quem habent, et haberent eaedem Missae, vel Suffragia, particulariter, et in specie celebrata modis, et formis per ipsos Benefactores praescriptis, et ad Altaria etiam Privilegiata per eos designata, adeout illis suffragentur, et animabus ipsorum prosint, perinde ac si pro eisdem Benefactoribus tam vivis, quam defunctis Missae, et Suffragia hujusmodi particulariter, et in specie, dictim, vel respective statutis diebus, locis, atque temporibus, sive ad Altaria designata, celebrarentur, et recitarentur, eisque respective applicarentur.

9. Volumus autem, ut in eorumdem onerum, aliorumque etiam antiquiorum, perpetuam, atque specialem memoriam, sicut etiam in compensationem quarumcumque omissionum Missarum, et Suffragiorum, per hujusmodi Testatorum, seu Benefactorum dispositiones eidem Ordini alias injunctarum, et injunctorum, aut transgressionum quorumcumque Decretorum, in quibusvis dicti Ordinis Conventibus, Domibus, et Ecclesiis usque ad praesens admissarum, super quibus omnibus eorumdem Conventuum, et Domorum, ac Provinciarum, et Ordinis universi Superiores, et Religiosos, auctoritate Nostra Apostolica, et earumdem praesentium tenore misericorditer absolvimus, et praetermissa eis condonamus; in singulis totius Ordinis praefati Ecclesiis, quolibet anno, juxta suprarelatum praedicti Clementis Praedecessoris Decretum, die a singulis modernis ejusdem Ordinis Provincialibus, si nondum designata sit, destinanda, et in Tabellis perpetuis onerum Missarum describenda, ultra Suffragia generalia, ad quae tenentur pro illis, una Missa de Requie cum Cantu, et cum applicatione pro dictis obligationibus et oneribus, in perpetuum celebretur.

10. Utque ipsa praesentium Literarum dispositio statim in universo Ordine praedicto suum debitum sortiatur effectum, ac pia Missarum et suffragiorum onera, juxta earumdem praesentium tenorem, uniformiter deinceps in ipso Ordine adimpleantur, iisdem motu, scientia, et potestatis plenitudine, omnes et singulas reductiones, seu moderationes Missarum, et Suffragiorum perpetuorum, eidem Ordini, vel ejus peculiaribus Provinciis, Conventibus, Domibus, aut Ecclesiis, etiam per Nos, et Sedem Apostolicam quomodolibet, et ex quacumque causa, praeterquam ratione passae evictionis, aut totalis deperditionis Fundi, vel Dotis, hactenus concessas, revocamus, cassamus, at abolemus; nimirum quoad illa dumtaxat onera, a quorum acceptatione nondum decursi sunt anni quinquaginta; Haec enim imposterum, usque dum hujusmodi quinquaginta annorum tempus completum fuerit, juxta modum et numerum per pios Benefactores ab initio praefixos, omnino celebrari, et adimpleri volumus, et praecipimus; Ea vero, a quorum acceptationis die, usque ad diem datae praesentium, quinquaginta anni jam sunt elapsi, non amplius particulariter, et in specie, sed juxta praemissa, per generalitatem Suffragiorum Ordinis jam nunc implenda esse decernimus, et declaramus. Quo vero ad onera Missarum, et suffragiorum in futurum eidem Ordini imponenda, et respective suscipienda, volumus et statuimus, quod durante eodem spatio quinquaginta annorum a die illorum acceptationis computandorum, nulla penitus locum habeat reductio, et moderatio eorum celebrationis, et implementi particularis, et in specie, non obstante quacumque redditiuum assignatorum diminutione, quae intra dictum spatium quinquaginta annorum, ex quavis causa, excepta dumtaxat evictione, seu totali deperditione Fundi, vel Dotis, contingere possit.

11. Praesentes autem, omniaque, et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in ipsis interesse habentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut citati, vel auditi non fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu etiam substantiali, aut ex alio quovis capite etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata, notari, impugnari, invalidari, et retractari, nec adversus ipsas aperitionis Oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti remedium impetrari posse, sed ipsas praesentes, tamquam ad firmandam dictae Regulae observantiam, certamque Benefactorum suffra-

gationem, eorumque piae voluntatis effectum, et fructum afferendum, factas, semper firmas, validas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, Ordinique praedicto plenissime suffragari.

12. Sicque, et non aliter quorumcumque Benefactorum, seu Testatorum voluntates, eorumque Dispositionum tenores, atque etiam acceptantium obligationes, et promissiones, (ad tramites nimirum, et formam eorum Regulae, Nostraeque praesentis Constitutionis, cujus tenorem omnibus, ut infra, notum, et manifestum semper esse volumus,) intelligi et interpretari statuimus, ac decernimus; atque ita in praemissis omnibus per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, ejusdemque Sedis Nuntios, ac eorumdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationes, et Judices praedictae Fabricae, aliosque quoslibet quavis auctoritate fungentes, vel functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

13. Non obstantibus praefatis generalibus Decretis, et quibusvis Testatorum, Fundatorum, et Benefactorum Testamentis, Codicillis, Instrumentis, Substitutionibus, Caducitatibus, ac poenarum impositionibus in eis contentis, necnon quibuscumque contractibus, publicisque scripturis, et obligationibus in eis emissis, ac eorumdem Testatorum, Fundatorum, et Benefactorum voluntatibus, quas per concessam a Nobis Suffragiorum, ac meritorum aequipollentiam, satis juxta praemissa impletas esse, atque inposterum fore et censeri debere, declaramus, atque decernimus; Necnon quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis dictae Fabricae, et quibusvis Ecclesiis, et Locis Piis, ac quibuscumque Personis cujuscumque status, gradus, conditionis qualitatis, etiam individua mentione dignis, etiam in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis.

14. Quibus omnibus, et singulis, caeterisque contrariis quibuscumque, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter et expresse derogamus, eaque respective nullatenus obstare etiam decernimus.

15. Ut autem omnia et singula a Nobis per praesentes sancita et concessa, omnibus, et ubique innotescant, volumus, et mandamus, ut praesentium Transumpta, sive Exempla, quibus etiam Typis impressis, manu dicti Julii, et pro tempore existentis ejus Ordinis Procuratoris Generalis subscriptis, et sigillo ejus Officii munitis, eamdem ubique locorum tam in judicio, quam extra illud haberi volumus, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent, vel ostensae; ad omnes et singulos ejusdem Ordinis Conventus, Domos, et Ecclesias transmittantur, ibique per superiores locales semper asserventur, et quibuslibet Personis requirentibus exhibeantur. Quodque in Tabellis onerum Missarum, quae in singulis eorumdem Conventuum, Domorum, et Ecclesiarum Sacristiis, in loco commodo, et omnibus conspicuo appensae et expositae retineri debent, apponatur substantialis Epilogus praesentium Literarum Nostrarum vernaculo cujuslibet Regionis idiomate translatus, tenoris qui sequitur, videlicet:

16. *Il Sommo Pontefice* BENEDETTO XIV. *non solo per caritativo sollievo all'Ordine de' Ministri di S. Francesco di Paola, che alla povertà del suo Instituto unisce l'osservanza continua della Quadragesimale, ma ancora per più sicuro e perpetuo vantaggio spirituale delle Anime de' Benefattori dell'istesso Ordine, con sua particolare Costituzione data li 30. Agosto 1749. inerendo alla disposizione della Regola stabilita dal Santo Fondatore del detto Ordine, e ad alcuni esempj de' Sommi Pontefici suoi Predecessori, si è com*

piaciuto concedere in generale ed in perpetuo all' Ordine istesso l' indulto di sodisfare ai pesi perpetui di Messe, e Suffragi già imposti, ed accettati, ed a quelli che in futuro verranno richiesti, imposti, e ricevuti, mediante la particolare, e specifica celebrazione delle Messe, e recitazione dei Suffragj nel numero prefisso dalli Benefattori, per cinquant' anni intieri, da computarsi dal giorno, che sono stati accettati, e si accetteranno detti pesi, senz' alcuna speranza di riduzione, per qualunque diminuzione, che possa succedere delle rendite assegnate, e da assegnarsi per i medesimi pesi; E dopo il detto termine di cinquant' anni, colla generalità delle Messe e Suffragj del medesimo Ordine, quali col supplemento del Tesoro spirituale di Santa Chiesa, abbiano sempre, ed in perpetuo a favore de' Benefattori il medesimo valore, ed equivalente frutto spirituale delle Messe celebrate in specie, nel numero, e nel modo, che sono state, e saranno prefisse da' medesimi Benefattori. Si esorta pertanto, e si avvisa ciascuno de' nostri Religiosi a procurare, che tutti quelli, che vorranno fondare, o lasciare simili pesi da adempirsi nelle nostre Chiese, o Comunità, restino informati del tenore di questa Pontificia concessione, e dell' importanza di essa a perpetuo suffragio, e benefizio delle Anime loro.

17. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, Indulti, oneris, injunctionis, revocationis, absolutionis, decreti, derogationis, declarationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Tertio Kalen. Septembris, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

BREVE XIX.****

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PP. XIV.

Ad Generales totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini super concessione Altaris Privilegiati ipsis personaliter ubique concessi, et confirmatione aliorum in Ordinis Ecclesiis ubique terrarum erectis, et erigendis alias concessorum. Dilecto Filio Augustino Gioja Priori Generali Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quam praeclara studiosaque voluntate complectamur insignem istum sanctissimis institutis, doctrinis, disciplinis, et religiosarum virtutum exemplis celeberrimum Sancti Augustini Ordinem in Catholica Ecclesia commendatissimum, cui tanta cum prudentiae, et zeli laude praees, non obscuris Apostolicae nostrae providentiae auctoritatisque argumentis tunc potissimum universis probasse Nobis facile persuademus, cum probe intelligentes, munus Prioris Generalis ad cujusque vitam magno rerum studiorum, et regularis observantiae, incremento maxime profuturum, Apostolica dispensatione nostra indulsimus, ut per libera suffragantium Fratrum vota in Comitiis Generalibus ferenda perpetuum constitueretur. Singulari vero cum paterni cordis nostri laetitia excepimus, Te itidem in Generalem Priorem perpetuum omnium, centum nimirum triginta octo suffragiis fuisse electum: satis enim superque Nobis perspectum erat, quo Te pacto gesseras in aliis gravissimis ejusdem Ordinis ministeriis rite sancteque adimplendis, ac praesertim in Officio Apostolici per Italiam Visitatoris, quod Tibi a Nobis Apostolica auctoritate demandatum magna cum nominis tui commendatione, Pontificii animi nostri gratulatione, et Ordinis utilitate obiveras. Eapropter Te etiam, postquam Prior Generalis Romam redieras primum quidem totius Ordinis Augustiniani Apostolicum Visitatorem confirmavimus; deinde vero etiam Apostolicum Visitato-

rem Provinciae Romanae dilectorum Filiorum Fratrum ejusdem tui Ordinis Excalceatorum nuncupatorum licet renuentem in meritum salutaris obedientiae constituimus per alias nostras in simili forma Brevis literas Motu proprio datas. Perjucundum praeterea Nobis accidit, quod animum statim adjeceras, ut Ædes Conventus S. Augustini hujus Almae Urbis, in quo Religionis Caput cum non modica familia residere solet, prope ruinam minantes, secundum Statuta in iisdem Generalibus Comitiis quoad Ecclesiarum Ædiumque, indictis etiam tributis vulgo Tassis, instaurationem praescripta, a fundamentis iterum excitares magnificentiusque extrueres; qua in sententia, ut firmius maneres, et celerius manus operi admoveretur, Nos etiam, et hortati, et facultatem etiam impertiti fuimus, ut stips ad arduum hujusmodi opus inchoandum perficiendumque ab aliis universi Ordinis Provinciis, et Conventibus colligeretur. Ex hac sane spontanea, praeter tassarum tributorumque alias indictorum collationem, pecuniarum erogatione sine ullis adhuc ad Nos delatis quaerimoniis factum est, ut in dies tam immensa Ædificii moles crescat; unde iterum atque iterum ad illud invisendum accedentes, non sine admiratione tuam industriam, prudentiam sedulitatemque palam laudavimus, non secus atque alias fecer amus, cum Ædes quoque in Oppido Mareni a Te ante, quam Prior Generalis renunciareris, ex depositi tui aere eductas instructasque invisissemus. Quoniam autem in utriusque Ædibus Oratorium ad opportunum tam Prioris Generalis pro tempore, quam aliorum commodum pro sacrosancto Missae Sacrificio inibi celebrando affabre instructum sacrisque Supellectilibus ornatum visitavimus, ac Nos alias ad tuas demissas preces in singulis Ordinis tui Ecclesiis erectis, et erigendis unum Altare privilegio perpetuo pro Animabus Christifidelium in caritate Dei defunctorum insignitum, et per locorum Ordinarios deputandum pro Fratribus ejusdem Ordinis dumtaxat valiturum concessimus, quemadmodum tenore praesentium Apostolica auctoritate confirmamus, atque iterum, quatenus opus sit de novo concedimus, et impertimur; ut Tu tuique successores Priores Generales, quibus sacrosanctum Missae Sacrificium pro toto Ordine semper celebrandi onus injunctum est, aliique Fratres dicti Ordinis Hospitesque Nobiles sine stipe, sed devotionis studio in utroque Oratorio celebrantes, eodem perpetuo privilegio gaudeas, et quilibet eorum gaudeat, tenore, et auctoritate paribus utramque Oratorium perpetuo privilegio decoramus. Insuper, ut ampliora Tibi praebeamus pontificia benignitatis nostrae documenta, itidem tam Tibi, quam Priori Generali pro tempore existenti ad quodcumque Altare celebranti pariter concedimus, et impertimur, ut sacrosanctum Missae Sacrificium perinde suffragetur, ac si ad Altare Privilegiatum fuisset celebratum. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Caeterum, Dilecte Fili, perge, ut hactenus a Te praestitum esse laetamur, in suprema Ordinis tui procuratione initam viam rationemque tenere, ut omnia, quemadmodum in Domino confidimus, ad majorem divini honoris cultum, regularis disciplinae incrementum, et ad aeternam Tibi comparandam in Coelis retributionem cedant. Nos interim Tibi tuique Ordinis Alumnis Apostolicam Benedictionem coelestis praesidii auspicem, nostraeque paternae benevolentiae pignus peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 10. Septembris MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Cajetanus Amatus.

Loco ✠ Sigilli.

BENEDICTUS PAPA XIV. XIX.*****

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancti Apostolatus Officium, quod inscrutabilis Divinae sapientiae, atque clementiae altitudo humilitati nostrae, meritis licet imparibus, committere dignata est, salubriter exequi jugi vigilantia satagentes, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut Christifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, sublatis iis, quae Regulari eorum observantiae, atque disciplinae detrimentum afferre noscuntur, juxta Regularia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, multipliciter in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Chrysostomus Major Eremitarum Camaldulensium Congregationis Tusciae, quod

praeter, et ultra prohibitiones, inhibitionesque a fel. record. Alexandro III. Honorio etiam III. Rom. Pont. Praedecessoribus nostris editas, rec. mem. Leo Papa X. Praedecessor itidem noster per quasdam suas sub Plumbo, quarum initium est, *Et si a summo* quarto nonas Julii 1513. expeditas Literas, inter caetera sancivit, mandavit, constituit, et prohibuit hisce verbis « *Et nulli Praelatorum, vel Monachorum praedictorum ab Institutis, Ordinationibus, Correctionibus, et Mandatis Capituli, sive Generalis Ordinis, aut aliorum Praelatorum Congregationis hujusmodi ad quemcumque etiam ad Nos, et Sedem Apostolicam praedictam de speciali Indulto Summi Pontificis liceat appellare, appellationesque desuper pro tempore interpositae, et inde secutae, irritae habeantur;* Ac insuper sanctae mem. Innocentius Papa XII. Praedecessor quoque noster, quo ad facultates Protectorum Ordinum Regularium per alias suas quartodecimo Kal. Martii 1694. incipientes, *Christi Fidelium*, declaravit, ne Protectores hujusmodi sese ingererent quo ad negotia particularium Religiosorum, sed tantummodo in iis, quae ad totum Ordinem pertinent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Chrysostomus agnoscens Constitutiones hujusmodi proficuas esse pro bono quorumcumque Ordinum regimine, ac pace, et quiete Eremitarum suae Congregationis, prospicientes in illas per Nos confirmari, et abusibus, si forsan in dicta Congregatione irrepserint, remedium adhiberi, et alias in praemissis salubriter a Nobis, ut infra provideri, summopere desideret, prout alias a Nobis pro nonnullis aliis Regularibus ordinibus, et a Romanis Pontific. Praedecessoribus Nostris confirmatum, concessum, et provisum fuisse memoratur. Nos qui aliunde ex diutina rerum experientia probe novimus, quot et quanta Regularibus Ordinibus ex praedictis, et similium ordinationum inobservantia, et infractione eveniant incomoda, ipsius Joan. Chrysostomi Majoris piis postulatis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Alexandri, Honorii, et Leonis Praedecessorum nostrorum Literas cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, et innovamus, et quatenus opus sit, ad Congregationem Eremitarum Camaldulensium hujusmodi, et ad illius Eremitas in omnibus, et per omnia, perinde ac si ad illius, et ad illorum favorem Literae praedictae editae fuissent extendimus, et extensas esse decernimus, et declaramus. Praeterea in casibus, in quibus Eremitae ejusdem Congregationis de Jure, vel juxta illius Constitutiones appellare, aut recursus habere licet, id, et non aliter deinceps fieri posse, auctoritate, et tenore praesentium statuimus, et ordinamus, ut in Causis Eremitarum memoratae Congregationis pro tempore habendis, Prior localis primus Judex sit, et esse debeat, qui justis rationibus Causam agnoscere nequens, illam ad Majorem, et Visitatores generales pro tempore existentes cognoscendam, definiendamque deferre valeat, nec a dicto Priori locali ad Majorem, et Visitatores praefatos, nisi in *Devolutivo* appellari, vel recursus haberi possit, a quorum Decretis, aut Sententiis, seu Constitutis, si Eremitae hujusmodi ad Nos, et hanc Sanctam Sedem, et alia Almae Urbis nostrae Tribunalia ad praemissum effectum deputata recurrere, et appellare desideraverint, eorum appellationes, et recursus, praeter quam in *Devolutivo* recipi, et admitti debeant, et id etiam intelligatur, ac intelligi censeatur pro recursibus, et appellationibus, quas Eremitae dictae Congregationis haud observantes, et inobedientes, aut violatores Constitutionum ejusdem Congregationis, juxta illarum tenorem a Prioribus localibus extrajudicialiter aliqua poena mulctati, agere poterunt in futurum. Demum auctoritate, et tenore praedictis, volumus, praecipimus, et mandamus, ut litigantes, et appellantes Congregationis hujusmodi Eremitae, qui pro defendendis, patrocinandisque Causis ad se spectantes adversus Sententias, et Decreta a Superioribus suprad. lata, Personas saeculares sumptibus dictae Congregationis nominare, et eligere contendunt, nullum alium Defensorem, et Patronum pro defensa hujusmodi, quam unum Eremitam propriae cujuscumque Eremi habere possit. Praeterea omnibus Romanae Curiae Tribunalibus, ac Judicibus, et quibusvis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus, necnon Sedis Apostolicae Nunciis nunc, et pro tempore existentibus, ne Eremitarum Congregationis praedictae recursus, aut appellationes super cujuscumque Cau-

sae cognitione admittant, Causasque ipsas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit, illas juxta praesentium tenorem, per dictos Superiores, praescripto ordine servato, cognitas, et definitas fuisse, sub poena nullitatis Actorum inde secutorum, auctoritate, et tenore praedictis itidem prohibemus. Ac omnibus, et singulis memoratae Congregationis Eremitis nunc, et pro tempore existentibus, sub poenis in supradictis eorum Constitutionibus ac in Apostolicis Ordinationibus contentis contra Inobedientes inflictis, ac *Excommunicationis latae sententiae*, a quo nemo absolutionis beneficium, nisi in mortis articulo constitutus obtinere queat, Nobis, et Successoribus nostris reservatae, et suspensionis a Divinis, ac privationis vocis activae, et passivae absque alia declaratione, eo ipso, irremissibiliter incurrendis, ne ipsi ad saeculares, vel alias Personas quacumque auctoritate, dignitate, et potestate fungentes, extra eamdem Congregationem constitutas, pro obtinenda aliqua commissorum criminum debitae eis poenae remissione, recurrere audeant, ne ipsi ad quaecumque Tribunalia saecularia adversus ea, quae ab ejusmodi Congregationis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint sub quovis praetextu appellare, aut quovis modo recurrere praesumant, seu per interpositas personas praemissa peragere curent, et faciant dicta auctoritate prohibemus, decernentes easdem presentes Literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales etiam de Latere Legatos, et Sedis praedictae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac memoratae Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Septembris MDCCXLIX. Pontificatus nostri anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

BENEDICTUS PAPA XIV. XIX.******

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, dudum fel. record. Gregorius Papa XIII. Praedecessor Noster miseratione tantae gentis Collegium Illyricanae Juventutis in Civitate tunc sua, nunc nostra Lauretana illius Sacrosanctae Domus proventibus alendae, bonisque artibus, et disciplinis instituendae praefixo tunc temporis numero ad triginta adolescentes erexisset, et instituisset, et subinde recol. mem. Urbanus Papa VIII. itidem Praedecessor Noster cum pium opus praedictum aliquot post annis quibusdam de causis admodum imminutum fuisse redacto ad duodecim tantum Alumnos Adolescentium Romam Laureto translatorum numero, Lauretano penitus extincto, hanc translationem, et numeri Alumnorum imminutionem in maximum damnum Fidei in illis Provinciis contigisse certa scientia cognovisset, ad hujusmodi opus dictum Collegium in pristinum, et quantum fieri posset in meliorem statum restituendum, et renovandum animum suum convertis-

set, praedictum Collegium in dicta Civitate Lauretana, praescriptis numero Alumnorum, ac forma pro illis recipiendis de novo erexerit, et instituerit, ac eidem Collegio, Scholaribus, et Rectoribus, nec non Gubernatoribus, ac Ministris, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, et indultis, quibus Studium Generale Almae Urbis Nostrae, et illius Rector, Doctoresque in eo legentes, aliaque Collegia quarumcumque Nationum, et Seminaria tam in eadem Urbe, quam extra illam per Romanos Pontifices Praedecessores suos instituta utebantur, potiebantur, et gaudebant, ac uti, potiri, et gaudere quomodolibet possent in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter, et pariformiter in omnibus, et per omnia uti, frui, et gaudere valeret auctoritate praedicta indulserit, ac communicaverit, et alias prout in Gregorii, ac Urbani Praedecessorum praedictorum Literis sub Plumbo expeditis, quarum tenores praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur: Hinc est, quod Nos eidem Collegio specialem gratiam facere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine Collegium praedictum, ejusque Collegiales, ac Ministros a quibusvis juribus Parochialibus exemptum, et exemptos esse decernimus, et declaramus, et idem Collegium, ac omnes, et quoscumque illius Ministros, Officiales, Rectorem, Magistros, seu Lectores, Alumnos, et Convictores, intra tamen ejusdem Collegii septa degentes a Parochia, seu Parochiali Ecclesia, ac moderno, et pro tempore existente illius Rectore, seu Parocho motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus earumdem tenore praesentium perpetuo eximimus, et plenarie liberamus, eosque sic exemptos, et liberatos moderno pariter, et pro tempore existenti dicti Collegii Rectori, seu alteri ab eo deputando in iis, quae ad administrationem Sanctissimae Eucharistiae etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis Sacramentorum, aliisque omnibus, quae ad animarum curam spectant penitus, et omnino subjicimus. Quapropter dicto moderno, et pro tempore existenti Parocho districtius inhibemus, ne in posterum se in praemissis ingerere, ac desuper Collegium hujusmodi, ac Rectores, et personas praedictas, seu eorum aliquem molestare audeat, seu praesumat. Praeterea eidem moderno, et pro tempore existenti Collegii praedicti Rectori, ut in privato ejusdem Collegii Oratorio, dummodo decenter ornatum, sacrisque Supellectilibus munitum reperiatur, super quo conscientiam suam oneramus, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ac sanctum Oleum, seu Oleum Infirmorum ab Episcopo benedictum facultatem asservandi, et retinendi Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur; ita tamen ut ante Ciborium lampas accensa diu, noctuque detineatur, ac ejusdem Ciborii clavis per eumdem Rectorem, seu alium ab ipso deputandum in sacro Presbyteratus Ordine constitutum custodiatur. Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod modernus Parochus, seu alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, dignitatis, seu alias speciali, et individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes Literae emanarint adductae, specificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti posse, sed ipsas praesentes Literas, et in eis contenta hujusmodi semper firma, valida, et efficacia existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter; et inconcusse observari; sicque, et non aliter per quoscumque Judices ordina-

rios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non dictae Parochialis Ecclesiae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eidem Parochiali Ecclesiae, illiusque Rectori, seu Parocho, aliisve quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Novembris Millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri Anno decimo.

D. Card. Passioneus.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI XIX.*******

BENEDICTI PAPAE XIV.

ALLOCUTIO

Habita in Consistorio Secreto Feria secunda die prima Decembris 1749.

VENERABILES FRATRES.

Nemo Vestrum ignorat, die solemni Ascensionis Domini, quem jam peregimus, in Vaticana Basilica futuram Anni Sancti celebritatem primo fuisse promulgatam, quemadmodum in alio praecedenti Consistorio Vobis fuerat indicatum. Jam prope tempus imminet ad eamdem celebritatem secundo indicendam, quod in quarta Adventus Dominica fieri consuevit; cujus quidem rei monumenta ab Alexandri VI. Praedecessoris nostri Pontificatu repetuntur, qui Jubilaeum initio decimi sexti saeculi celebravit. Porro secundam hanc publicationem non semel in limine Basilicae Sancti Petri in Vaticano, alias vero in limine hujus Palatii Apostolici in Quirinali peractam fuisse, rerum Scriptores commemorant. Nos Jubilaeum ex Quirinali secundo indicemus, ut Nobis incommodum, et Vobis etiam minuatur. Sed neque id peragi sineremus, nisi occurrerent exempla Clementis X. et Innocentii XII. Praedecessorum nostrorum, qui Jubilaeum in limine hujus Quirinalis Palatii secundo promulgarunt.

Hac secunda Jubilaei indicatione peracta, in pervigilio Natalis Domini in Basilicis Sancti Petri, Sancti Pauli, Sancti Joannis in Laterano, et Sanctae Mariae Majoris Portae Sanctae recludentur. Equidem hoc loco minime contendemus, reseratas etiam fuisse Portas Sanctas, cum Bonifacius VIII. Praedecessor noster primum Jubilaeum rite celebravit: Nullum enim hujusce rei documentum ex eodem primo Jubilaeo desumi potest, neque ex aliis, quae deinde Clemens VI. Bonifacius IX. Martinus V. Nicolaus V. et Sixtus IV. Praedecessores nostri peregerunt. Quamobrem solemnis Portae Sanctae apertio pro Jubilaeo auspicando ad Alexandrum VI. Praedecessorem nostrum merito referenda videtur, qui hanc eamdem celebritatem in quadam sua Constitutione clare aperteque commemorat. Accedit, quod Burcardus

Magister Caeremoniarum ejusdem Pontificis, totius rei, quemadmodum gesta fuit, ritum, ac narrationem in suis Diariis descriptam reliquit. Illud asserere certo possumus, ritum aperiendae Portae Sanctae, tum Jubilaeo inchoando aptissimum esse, tum pietati excitandae magnopere accommodatum. Etenim Fidelibus in mentem revocatur publicae poenitentiae consuetudo, et publice poenitentium disciplina, quae priscis temporibus in Ecclesia vigebat. Siquidem nonnulli ab ingressu Ecclesiae prohibebantur; aliis vero toti Missae Sacrificio praesentes adesse minime licebat, donec Episcopo, seu Pastori probatum, perspectum esset, illos plene satisfecisse iis omnibus, quae a Sacris Canonibus decernebantur.

Hi autem Canones multum temporis, multaque exposcebant pro criminum publicorum expiatione, antequam Ecclesiae aditus poenitentibus hujusmodi pateret. Plura quoque requirebantur, ut ipsis integro Missae Sacrificio interesse, et Corporis, ac Sanguinis Christi Domini participes fieri concederetur. Ineunte Jubilaei Anno Pontifex universum terrarum Orbem ad poenitentiam invitat, et hortatur. Opera quaedam pietatis, ac religionis indicit, ab illis perficienda, qui plenariam Indulgentiam lucrari peroptant. Portas Sanctas Basilicarum initio Jubilaei universalis illis omnibus recludit, qui conscientiae suae labes animo vere detestantur, et indicta pietatis opera libenter suscipiunt, omnique studio adnituntur, ut ejusdem Indulgentiae fructus assequantur: summaque benignitate, atque amore permotus idem Pontifex, etiam illis Portam Sanctam patere decernit, qui pravis saeculi cupiditatibus dissolvi, suisque criminibus salutari poenitentia expiandis operam conferre incipiunt et ad sacram Indulgentiam rite obtinendam aspirant.

Romanus Pontifex Basilicae Vaticanae Portam Sanctam recludere in pervigilio Natalis Domini semper consuevit, nisi forte corporis aegritudine impediretur, quemadmodum Innocentio XII. felicis recordationis evenit. Nam Cardinalis Bullionius Episcopus Portuensis, loco Pontificis, uti Nos ipsi perspeximus, Basilicae Vaticanae Portam Sanctam aperuit, cum eodem tempore Cardinalis Cybo Episcopus Ostiensis ac Velitranus, et Sacri Collegii Decanus, gravi morbo teneretur. Si Deus Optimus Maximus sospites et incolumes Nos servabit, in pervigilio Natalis Domini proxime imminentis ad Vaticanum accedemus, ut illius Basilicae Portam Sanctam aperiamus. Idem in aliis Basilicis per Cardinales Legatos nostros eodem pervigilio perficietur.

Porro in his Legatis seligendis diversa diversis temporibus obtinuit disciplina. Memoriae proditum est, constitutum fuisse ab Alexandro VI. quemdam Archiepiscopum familiarem suum, qui Portam Sanctam Basilicae S. Pauli sue nomine reseraret: verum deinceps Cardinales ad hanc rem gerendam delectos semper fuisse non est dubitandum. Illud quoque certissimum est, nullo umquam tempore contigisse, ut Portae Sanctae Basilicarum Sancti Joannis in Laterano, et Sanctae Mariae Majoris per alium Cardinalem, quam per Archipresbyterum suum, reclusae fuerint; ita ut, cum Clemens VII. et Julius III. universale Jubilaeum celebrarent, et tum forte Cardinalis Decanus Episcopus Ostiensis ac Velitranus Archipresbyteri dignitatem in Basilica Sancti Joannis Lateranensis obtineret, ad eamdem Basilicam Sancti Joannis pro Sancta Porta aperienda Cardinalis Decanus se contulerit, aliamque Basilicae Sancti Pauli reseraverit alius Cardinalis, qui Casinensis Ordinis patrocinium gerebat. Porro, cum id posteriori tempore nunquam evenerit, Cardinalis Episcopus Ostiensis ac Velitranus, et Sacri Collegii Decanus, hoc munere semper perfunctus est aperiendae Portae Sanctae in Basilica Sancti Pauli, quemadmodum Cardinales Archipresbyteri in suis quisque Basilicis idem peregerunt. Nec his profecto adversatur, vel quod tempore Innocentii XII. qui universale Jubilaeum indixit, Cardinalis Bandinus Panciaticus ritum Portae Sanctae aperiendae in Basilica Sancti Pauli exercuit tamquam Ordinis Casinensis Patronus, vel quod, indicto a Benedicto XIII. de Nobis optime merito, universali Jubilaeo Anni Sancti, Cardinalis Fabritius Paulutius Portam Sanctam Basilicae S. Pauli reclusit; tempore siquidem Innocentii XII. uti dictum est, Summus ipse Pontifex aegrotabat, aegrotabat quoque Cardinalis Collegii Decanus, et cum Prodecanus in Basilica Vaticana Portam Sanctam aperiret, ad Cardinalem Ordinis Casinensis Protectorem delatum est munus Portam Sanctam aperiendi in Basilica S. Pauli: et tempore Benedicti XIII. cum Cardinalis Franciscus de Judice Decanus gravi morbo decumberet, Cardinalis Paulu-

tius, qui Prodecani gradum obtinebat, loco Decani memoratam Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli reclusit.

Equidem Cardinales Legati in pervigilio Natalis Domini designari solebant in Aula, quae dicitur Paramentorum, cum Summus Pontifex ad aperiendam Portam Sanctam Basilicae Sancti Petri se conferret. Attamen rem magis consentaneam, ac per honorificam facere Nos arbitrati sumus, si antea, et in Consistorio Cardinales iidem Legati declarentur. Verum Ecclesiae disciplinam, et consuetudinem in reliquis omnibus retinentes, eligimus, ac deputamus Legatum nostrum de Latere, ut Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli nomine nostro aperiat, Cardinalem Thomam Rufum Episcopum Ostiensem ac Velitranum, Sacri Collegii Cardinalium Decanum, qui per tot annos Bononiam Patriam nostram, ejusque Comitatum, Civitatem quoque, ac Ducatum Ferrariensem, et Provinciam Romandiolae, munere Legati a Latere praeditus, magna cum laude administravit. Insuper eligimus, et constituimus Legatum nostrum a Latere, ut Portam Sanctam Basilicae Sancti Joannis in Laterano nomine nostro recludat, Cardinalem Nereum de Corsinis Diaconum Sancti Eustachii, qui ejusdem Basilicae Archipresbyter illius Clero praesidet. Nepos ipse est Clementis XII. felicis recordationis, qui regia plane munificentia, et maximis sumptibus, eamdem Lateranensem Basilicam interius exteriusque exornavit. Postremo eligimus ac declaramus Legatum nostrum a Latere, ut Portam Sanctam Basilicae Sanctae Mariae Majoris aperiat nomine nostro, Cardinalem Hieronymum Columnam Diaconum Sancti Angeli in Foro Piscium, qui Archipresbyteri Titulo Liberianae Basilicae Clero praesidet. Ipse quidem inter praeclara Familiae suae lumina Martinum V. Praedecessorem nostrum recenset, cujus nomen a Scriptoribus Ecclesiasticis tantopere commendatur, quique saeculo decimo quinto universale Jubilaeum Anni Sancti indixit: enumerat quoque Cardinalem Marcum Antonium Columnam, qui Portam Sanctam Basilicae S. Mariae Majoris reseravit, cum Gregorius XIII. Praedecessor noster universale quoque Anni Sancti Jubilaeum promulgavit. Neque omittendus est Cardinalis Ascanius Columna, qui ad aperiendam Portam Sanctam Basilicae S. Joannis Lateranensis delectus fuit, cum universale Jubilaeum Anni Sancti Clemens VIII. Praedecessor noster celebravit. Postremo occurrit etiam Cardinalis Hieronymus Columna senior, qui ejusdem Lateranensis Basilicae Portam Sanctam reclusit, cum Innocentius X. dimidio saeculi decimi septimi celebritatem Anni Sancti peregit.

Itaque praedictis Cardinalibus Legatis nostris a Latere facultatem impertimur, ut Portas Sanctas, quas superius commemoravimus, nostro nomine aperiant, et populo, qui praesens aderit, plenariam Indulgentiam simul cum Apostolica benedictione auctoritate nostra elargiantur. Ipsos Cardinales ab equitatus solemni pompa dispensamus, qua ex Vaticano decedentes ad Portam Sanctam recludendam proficisci solebant. Itaque ad Basilicas singulis designatas se conferent ex propriis Ædibus, et suo quilibet nobili comitatu stipatus curru devehetur. Hoc pacto res gesta fuit, cum Benedictus XIII. universale Jubilaeum Anni Sancti auspicatus est.

Inter monumenta Praedecessorum nostrorum descriptae ad Nos pervenerunt Allocutiones, quas ipsi ad Annum Sanctum secundo indicendum in Consistoriis protulerunt coram Cardinalibus, ipsos hortantes, ut nihil omnino praetermitterent, quod pietatem concitare posset in illorum animis, qui ex omnibus Terrae partibus eo tempore Romam magna frequentia confluunt, ut universalis Jubilaei Indulgentiam adipiscantur: contenderent etiam omni studio religionis exempla illis praebere, qui a Communione nostra prorsus alieni, Romam Jubilaei tempore veniunt, ut vetusta profanae antiquitatis monumenta admirentur, et simul accurate ac diligenter praesentes illorum mores potissimum perscrutentur, qui eminenti in dignitate constituti sunt, et quorum consiliis negotia totius Ecclesiae universalis administrantur. Percelebris est sententia, quam Pius II. Praedecessor noster usurpare solebat, quoties novos Cardinales renunciaret: *Tales estote, quales esse debere Cardinales dijudicastis, antequam ipsi hoc culmen ascenderitis.* Id Nobis tribuere, et accommodare non recusamus; et illa omnia praestare Nobiscum animo meditamur proximo Anno Jubilaei, quae Pontificem decere maxime affirmaremus, si Nos ipsi hanc Apostolicam Sedem non teneremus. Idem Vobiscum constituite, Venerabiles Fratres, ut universalis Jubilaei tempore perficiatis ea omnia, quae

Cardinalium nomini, ac dignitati consentenea esse libere diceretis, si Vos ipsi Purpurae honore decorati non essetis. Sed jam finem dicendi faciamus: quippe de virtute vestra dubitandum non est, cum Nos ipsi mirati simus vestram frequentiam, ac pietatem in Sacris Missionibus audiendis, quas in hac nostra Civitate fieri curavimus, ut animi Fidelium ad annum universalis Jubilaei disponantur.

X.******** BREVE

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIV.

Super confirmatione perpetuitatis Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et de conservanda ejusdem Ordinis Unitate.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias gravissimis rationum momentis adducti per binas nostras in simili forma Brevis literas, alteras die trigesima prima mensis Martii anno MDCCXLV., alteras die sexta mensis Augusti eodem anno datas primum quidem motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine indulsimus et mandavimus, ut munus Prioris Generalis in celeberrimo Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini nuncupatorum, quod juxta fel. record. Sixti Papae V. Praedecessoris nostri Constitutionem, cui derogavimus, ad sexennium obiri solebat, deinceps ad uniuscujusque Prioris Generalis vitam explendum, nec ne in Capitulo Generali, quod Bononiae habendum erat, per libera suffragantium Fratrum vota constitueretur; deinde vero statutum sive decretum in eodem Capitulo Generali factum, quo statuitur, ac decernitur, ut munus hujusmodi ab unoquoque Priore Generali legitime electo, quoad vixisset, geri deberet, atque alia etiam ejusdem Capituli Generalis acta auctoritate Apostolica in forma, ut dicitur, specifica, confirmavimus, prout in iisdem nostris literis, quarum tenores hisce praesentibus pro insertis, et tamquam de verbo ad verbum expressis haberi volumus, uberius continetur. Etsi autem contra Statutum sive Decretum, et Acta Capituli Generalis, ac nostram Apostolicam super ipsis confirmationem hujusmodi ad hanc usque diem neque ad Nos ipsos, neque ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam quidquam allatum vel appellatum est, atque adeo fore in Domino confidimus, ut, sicut omnia hactenus servata sunt ac servantur, ita inposterum integerrime ab omnibus et singulis ejusdem Ordinis Professoribus custodiantur, debitaque cum obedientia omnimodae executioni mandentur: tamen, ut quandocumque ubique locorum omnis penitus adimatur auferaturque minima aliter sentiendi, disputandi, in dubium vertendi et contradicendi occasio vel causa, atque etiam, ut omnia antedicta firmius subsistant et serventur exactius: Hinc est, quod Nos non solum omnia et singula in memoratis nostris literis contenta tenore et auctoritate paribus iterum confirmamus, et inviolabili Apostolicae firmitatis praesidio munimus; verum etiam laudata Sixti Praedecessoris praefati exempla sequentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine omnibus et singulis dicti Ordinis Professoribus huic negotio incumbentibus, ac praesertim Capitulis sive Provincialibus sive Generalibus, Congregationibus Intermediis, Diffinitoriis, et Diffinitoribus Generalibus (quibus Diffinitoribus Generalibus insimul congregatis juxta laudati Ordinis Constitutiones inest ampla corrigendi innovandique ipsasmet Constitutiones, ac novas leges condendi facultas) et cuicumque demum cujusvis gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae in virtute sanctae Obedientiae, et sub Excommunicationis sententia eo ipso per contrafacientes incurrenda, et omnimoda omnium et singulorum graduum, dignitatum, munerum, privilegiorum ac praeeminentiarum privatione, necnon inhabilitatione ad eorum earumque (reservata tamen Priori pro tempore Generali illos absolvendi et habilitandi facultate) consecutione districte prohibemus, praecipimus et mandamus; quatenus nemo quicumque omnium antedictorum vel per verba, vel per scripta, vel per epistolas, vel per quamcumque aliam

viam rationemque sive directe sive indirecte sub quocumque colore, praetextu, excogitabili modo ac titulo audeat et praesumat contra omnia vel singula in memoratis hisque praesentibus literis nostris expressa et praescripta agere, tractare et moliri quidquam etiam minimum, ac praesertim contra futuras Priorum Generalium electiones, ne ad cujusque electi Prioris Generalis vitam fiant. Praeterea in virtute itidem sanctae Obedientia, et sub iisdem Excommunicationis sententiae, et privatione, ac inhabilitatione districte pariter prohibemus, praecipimus et mandamus, quatenus nemo quicumque quovis modo quandocumque audeat et praesumat novitates in laudatum Ordinem inducere, nempe separandi, dividendi, disuniendique Provincias, Congregationes sive magnas sive parvas, et Nationem quamcumque ejusdem Ordinis ita, ut aliquod etiam minimum praejudicium, vel detrimentum afferri possit unitati saepedicti Ordinis, cujus supremum regimen et gubernium ab uno Capite, nempe Priore Generali pro tempore existenti omnino in perpetuum dependere et administrari debet, ac volumus, praecipimus et mandamus. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, etiam ejusdem Ordinis Protectorem, necnon quascumque eorumdem Cardinalium Congregationes, ac Sedis Apostolicae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et Cancellariae nostrae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, et praefati Sixti V., necnon Clementis VIII., Pauli V., et aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae, seu dilecti Filii moderni vel pro tempore existentis dicti Ordinis Procuratoris Generalis subscriptis, et illius sigillo munitis eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima tertia Decembris Millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Cajetanus Amatus.

POENITENTIARIIS XX.

In Basilicis et Ecclesiis Urbis pro Anno Jubilaei deputatis, et Confessariis a Cardinali Urbis Vicario designandis, Facultates eodem Anno exercendae conceduntur: adjectis opportunis Monitis, et Declarationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Convocatis per alias nostras Apostolicas Literas Universis Ecclesiae Filiis ad celebrandam Nobiscum proxime recurrentis Anni Sancti solemnitatem; iisque jam, ut confidimus, ad Supremi Pastoris vocem, Sacerdotali praesertim Fratrum Nostrorum Episcoporum tuba inclamante, excitatis; ad Officium nostrum pertinere judicamus, non solum convenientes

ex toto Christiano Orbe Fideles aperto charitatis paternae sinu excipere; sed etiam omnia, quae confluentium necessitatibus, aut utilitatibus opportuna fore prospicimus, in antecessum parata atque disposita habere; ut hominis illius Regis in Evangelicis Literis laudatam providentiam imitemur, qui, quum ad Coenam magnam vocasset multos, quaecumque ad uberem splendidumque convivii apparatum spectarent, ita solicitè curare non destitit, ut instante hora Coenae, mittere potuerit invitatis dicere, *quia parata sunt omnia*. Et Nos igitur pluribus per elapsos Menses curis et solicitudinibus, quantum humanarum rerum conditio patitur, id efficere studuimus, ut omnibus, quicumque ad Sanctam Civitatem iter arripient, nihil sive ad Divinae Religionis cultum, sive ad Christianae pietatis exemplum, sive ad itineris, hospitiique commoda deesse posset. Et nunc, attendentes, quaenam potissimum a suprema ligandi atque solvendi potestate Nobis cum Apostolicae vicis Officio commissa, expetere possint plures, qui ad oblatum remissionis et indulgentiae munus assequendum, cum vero poenitentiae spiritu, et devotionis affectu accedentes, commissorum forsan delictorum oneribus gravati, aliisque conscientiae vinculis adstricti, et impediti reperiantur; haec etiam peculiari studio a Nobis ordinata, et mature provisa fuisse, omnibus, ad quos pertinet, specialiter vero infrascriptis Sacramenti Poenitentiae Ministris, praesentium Literarum tenore ab iis praesertim diligenter observando, edicimus et declaramus: nil magis optantes, quam ut omnes, quicumque animum peccatis aegrum, aut Censuris, impedimentisve irretitum gerunt, procul abjecto formidatae difficultatis terrore, ad Ecclesiasticae curationis fidenter remedia confugiant, per quae copiosum Redemptionis fructum consequentes, et sanitati reddantur et paci, et in filiorum Dei libertatem, confractis impietatis compedibus, vindicentur.

Novimus sane Praedecessores nostros Romanos Pontifices, in quorum tempora superiores, nostroque tempori propinquiores Jubilaei Universalis Anni incurrerunt, hunc morem servasse, ut per geminum praecipue organum, per Cardinalem scilicet Majorem Poenitentiarium, perque Cardinalem ipsum in Urbe, ejusque districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, et idoneos Confessarios deputari, et eorum amplificari facultates providenter mandarent; ut nec sacrorum Ministrorum copia per Urbem, nec his facultatum amplitudo deesset, ad Poenitentes, pro variis cujusque causis, Deo reconciliandos, et culpa jam exsolutos, ad assequendam quoque plenissimam poenarum indulgentiam disponendos.

Idcirco Nos laudabilibus eorum vestigiis inhaerentes, simulque cupientes gravissimam hanc Pastoralis dispensationis partem, certa rectaque ratione administrari, nec ullum, quoad ejus fieri poterit, circa facultatum, praesertim limites, earumque usum et exercitium, dubitationi aut errori locum relinqui; post maturam deliberationem super his rite praehabitam, nostro Motu proprio, certaque scientia, rem totam ad eum, quem subjicimus modum, ordinandam dirigendamque decrevimus.

Commissio Cardinali Majori Poenitentiario pro deputatione Poenitentiariorum.

I. *INPRIMIS* itaque Dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Majori Poenitentiario per praesentes committimus, ac demandamus, ut juxta id, quod jam pridem in nostra Constitutione incipien. *In Apostolicae Poenitentiariae Officio*, Idibus Aprilis Anni MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto edita, pro perpetuis futuris temporibus praescripsimus, praeter consuetos trium Basilicarum S. Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, et S. Mariae Majoris Poenitentiarios Minores, pro Basilica etiam S. Pauli extra Muros praesenti Anno Sancto similes Poenitentiarios designet; nec non, praeter extraordinarios Poenitentiarios in dicta Basilica Sancti Petri certis cujusque anni diebus inservientes, nunc autem per totum Annum Sanctum aliis insuper diebus, ejusdem Poenitentiarii Majoris arbitrio praescribendis, inservituros, a se jam electos, vel eligendos, alios insuper, eadem Anno Sancto durante, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive Saecularium, sive Regularium, et nominatim, quantum fieri poterit, in variarum Nationum Urbis Ecclesiis, novos similiter Poenitentiarios deputet, et extra ordinem abunde multiplicet.

Item Cardinali Vicario Urbis pro Confessariorum deputatione.

II. Deinde Dilecto itidem Filio Nostro S. R. E. Cardinali, Nostro in Urbe ejusque Districtu Vicario in spiritualibus Generali, commisimus pariter atque injungimus, ut ex Confessariis tam Saecularibus, quam Regularibus, ab se alias ad audiendas Romae Confessiones approbatis, quamplures magno numero designare non omittat; imo etiam, si ita ad con-

currentium tam Romanorum, quam Exterorum utilitatem et commoditatem necessarium aut expediens fore judicaverit, omnes, a se, ut praediximus, approbatos, vel approbandos, designare in eum finem non dubitet, ut facultatibus illis, quae a Nobis inferius, earumdem praesentium tenore, Confessariis hujusmodi ab eo designandis tribuentur, statim se a Nobismet ipsis instructos esse intelligant, easque exercere libere valeant, audiendisque Confessionibus Fidelium quorumcumque, Jubilaeum hujus Anni Sancti lucrari volentium, operam dare aggrediantur, et assiduo charitatis et zeli studio pergant. Pro Confessariis autem Monialium, aliarumque Virginum, seu Mulierum in perpetua Clausura Romae viventium, sicut etiam Oblatarum, aliarumque in Religiosis aut Piis Domibus, seu Conservatoriis degentium, nec non Carceribus detentorum, et morbis impeditorum, quaecumque opus erunt, quaeque Nobis in Domino expedire videbuntur, aliis nostris peculiaribus Literis statuemus.

Facultates pro Poenitentiariis

III. *PORRO* Poenitentiariis sive in quatuor praefatis Basilicis, sive in aliis Urbis Ecclesiis per Cardinalem Majorem Poenitentiarium, ut praefertur, deputatis, vel per Anni Sancti cursum deputandis, subsequentes facultates, pro hoc dumtaxat Anno Sancto duraturas, de Apostolicae potestatis plenitudine concedimus, et impertimur: videlicet.

Circa absolutiones.

IV. *Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, quascumque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiamsi ex praescripto Superiorum, vel suarum Constitutionum, etiam a Sede Apostolica approbatarum; vel alias ex Indulto, Decreto, aut praecepto Apostolico, extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur, a quibuscumque Sententiis Excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis Censuris, etiam Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae quomodolibet, etiam in Bulla Coenae, reservatis, et a sacris Canonibus fulminatis, nec non ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, injunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de jure iisdem Poenitentibus injungendis.*

V. *Absolvere item possint a supradictis Censuris in jure latis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, quamvis publicae in partibus sint, quamvis deductae, aut nominatim declaratae, ac denunciatae in iisdem partibus sint per Locorum Ordinarios, aut alios quoscumque Judices; praemonitis tamen Poenitentibus de Libello, ut infra, in his casibus publicis omnino conficiendo. Post absolutionem nimirum conficiant Libellum supplicem, expresso nomine, cognomine, ac Dioecesi Poenitentis, et casu hujusmodi publicae Censurae subjecto; et sublus scribant testimonium absolutionis ab eadem Censura concessae; eumdemque Poenitentem dirigant ad Officium Poenitentiariae Apostolicae, ut recipere possit Breve in forma Missi, vel Remissi absoluti, juxta praxim ejusdem Officii Poenitentiariae.*

VI. *A censura ab Homine, seu a quocumque Judice de partibus, nominatim lata, absolvere valeant ad effectum dumtaxat Indulgentias praesentis Jubilaei consequendi; itaut, semel ac consecuti Jubilaeum fuerint, eadem, qua antea, Censura adstricti remaneant, ac teneantur parere Judicis sententiae, et absolutionem ab eodem petere, perinde ac si nunquam absoluti fuissent. Atque his Poenitentibus nullum detur testimonium absolutionis, neque Confessionis.*

VII. *Absolvere insuper valeant, pro foro conscientiae tantum, a Censuris propter haeresim formalem externam incursis, dummodo tamen Poenitens neminem habeat haeresis complicem; praevia coram ipso Confessario abjuratione secreta; atque etiam pro casu, quo Poenitens habeat eadem haeresis complicem, vel complices, sed hujusmodi complex, seu complices, in Regionibus, ubi haeresis impune grassatur, existant, et degant.*

VIII. *Omnia, et singula simplicia Vota, etiam Sedi Apostolicae reservata, etiam jurata, commutare dispensando possint in alia pia opera.*

IX. *Votum tamen perpetuae Castitatis, nonnisi Mulieribus ita commutare possint, ob periculum inconfinentiae, vel ob timorem pudicitiae; et quidem tantummodo ad effectum nubendi; easdem monendo, facturas contra idem Votum, si extra usum Matrimonialem delinquant; et remansuras eodem prorsus, ac antea, voto Castitatis obstrictas, si Marito supervixerint.*

X. *Votum autem Religionis iisdem tantum Mulieribus commutare dispensando possint ad effectum nubendi, si alterutra supradicta causa intercesserit; ad effectum vero vitam tantum coelibem in saeculo ducendi, si vel dote sufficiente ad ingrediendum Religionem careant, vel Religionis onera sufferre posse rationabiliter diffidant.*

Circa dispensationes.

XI. *Habeant etiam prae oculis, quoad Vota,*

infrascriptum Monitum, quod inter alia pro ipsis Poenitentiariis mox subjicienda, positum est n. XXXII.

XII. *Dispensare possint super irregularitate, ob violationem Censurarum dumtaxat contracta, et occulta remanente, cum Sacerdotibus, aut in sacris constitutis, tam Saecularibus, quam Regularibus.*

XIII. *Cum illis, qui scienter, vel ignoranter cum impedimento Secundi et Tertii, vel Tertii solius, aut Tertii et Quarti, vel solius Quarti gradus Consanguinitatis, vel Affinitatis, etiam ex copula licita provenientis, Matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiae possint, ad remanendum in Matrimonio.*

XIV. *Cum illis, qui a Dataria Apostolica dispensationem obtinuerunt super aliquo impedimento publico, quod tamen non sit Primus et Secundus, vel Secundus tantum gradus Consanguinitatis, vel Affinitatis ex copula licita provenientis, et prae verecundia copulam inter eos secutam in eadem Dataria tacuerint (dummodo nullitas praedictae dispensationis ex hujusmodi reticentia provenies occulta sit) dispensare pro foro tantum conscientiae valeant, tam ad remanendum in Matrimonio jam contracto, quam ad illud contrahendum, si nondum sit contractum.*

XV. *Dispensare item pro foro tantum conscientiae valeant super impedimento dirimente occulto tam Primi et Secundi, quam Primi tantum, aut Secundi tantum gradus Affinitatis, ex copula illicita provenientis, tam in Matrimonio contracto, quam in contrahendo.*

XVI. *Dispensare similiter pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo, possint super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante; idest quando solum concurrant adulterium, et fides data de Matrimonio contrahendo post Conjugis mortem.*

XVII. *In praedictis Matrimonialium Dispensationum casibus possint etiam, quandocumque opus fuerit, pro foro conscientiae, legitimare prolem, non tamen ex adulterio susceptam.*

XVIII. *Dispensare ad petendum debitum possint in casu Affinitatis incestuosae Matrimonio supervenientis.*

XIX. *Ad petendum pariter debitum, cum illis, qui Voto simplici Castitatis obstricti, Matrimonium contraxerunt, dispensare valeant; illos monendo facturos contra id Votum, si extra usum Matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus, ac antea, Voto obstrictos, si Conjugi supervixerint.*

XX. *Super Visitatione quatuor Basilicarum, cum Exteris, qui vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem causam, in Urbe remanere non possunt, dispensare valeant, vel reducendo ad tres saltem dies Visitationes earumdem quatuor Basilicarum, alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum; vel visitationes praescriptas in alia pia opera, ad ipsorum Poenitentiariorum prudens arbitrium, commutando.*

XXI. *Cum Civibus autem, et Incolis Romanis, qui morbo, vel aliquo legitimo impedimento detenti, non valent praefatas Basilicas visitare, possint praescriptas iisdem per triginta dies Visitationes in alia pia opera, quae illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare; suam tamen conscientiam oneraturi, si super hujusmodi Visitationibus inconsultos, et sine justa et rationabili causa, sive cum Exteris, sive cum Romanis Civibus, aut incolis dispensaverint.*

Monita pro recto praecedentium facultatum usu.

XXII. *QUIA VERO* magnopere interest concessis facultatibus prudenter, et circumspecte uti, ne minus caute illas exercendo, tum justo disciplinae rigori, tum ipsarum Animarum vero bono detrimentum afferri contingat; Ideo pro facultates a Nobis pro hoc Anno Sancto memoratis Poenitentiariis concessas, congruum et opportunum ducimus nonnulla Monita pro recto earumdem facultatum usu subjungere; quae quidem tam ab ipsis omnibus, et singulis, quam etiam reliquis Confessariis, ut supra, designandis, attente legi et considerari jubemus, ac pro norma, et regula haberi, cui se in suae quisque facultatis exercitio, prout casus poposcerit, exacte conforment.

Facultatum limitationes indicantur.

XXIII. Primo itaque meminerint, nulli penitus Confessario dari in praesenti Jubilaeo, aut in quovis alio, facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum praeceptum peccato; atque omnem Confessarium respectu hujusmodi complicum, esse omni tum jurisdictione, tum approbatione destitutum, et prorsus ineligibilem, cujuscumque Jubilaei, sive Indulti beneficio, ad normam Constitutionis Nostrae incipien. *Sacramentum Poenitentiae*, Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLI. Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno Primo editae.

XXIV. Intelligant, hujusmodi facultatibus

peculiaribus a Nobis, ut supra, pro hoc Anno Sancto sibi concessis, uti se non posse, nisi cum iis Poenitentibus, qui praesens ejusdem Anni Sancti Jubilaeum consequi sincere et serio volunt; atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt; neque item posse uti cum iis Poenitentibus, qui hujus Anni Sancti Jubilaeum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur *n.* LII.

XXV. Advertant insuper, supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes, non posse a se exerceri extra actum Sacramentalis Confessionis, neque extra suam cujusque Basilicam, vel Ecclesiam, nisi in casibus alias sibi a Majori Poenitentiario permissis, vel permittendis; vel in casu administrandi Poenitentiae Sacramentum alicui Infirmo, qui quum corporalis aegritudinis causa ad Basilicas ipsis respective designatas accedere personaliter nequeat, eorum aliquem arcessendum duxerit, ut Confessionem Sacramentalem pro Jubilaei consecutione, ut praefertur, apud ipsum expleat.

Leges in earum usu servandae statuuntur.

XXVI. Non praetermittant suam cuique Poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem Jubilaei per eumdem Poenitentem consequendi.

XXVII. Ab occultis Censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae Poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit Poenitens cum Libello, de quo supra *n.* V.

XXVIII. Violantibus Clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant proibitionem accedendi in posterum ad quaevis Monastéria, et Ecclesias Monialium; monendo Poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a Censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverit, relabantur eo ipso in easdem Censuras.

XXIX. Religiosos vero suam violantes Clausuram per Mulierum introductionem ad malum finem, ita a Censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad Dignitates, et Officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

XXX. A lectione Librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam Poenitens Libros, quos in sua potestate habeat, Inquisitori, vel Ordinario, secrete tradiderit; vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

XXXI. In absolvendis Regularibus a suo Ordine Apostatis, vel Fugitivis, servent modum in sua Tabella praescriptum.

Limitatio quoad Vota.

XXXII. Denique quoad Vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad Vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione, vel Communitate, et in Vota obbligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa Vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior Voti materia.

XXXIII. Caeterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis Minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Literas incipientes: *Pastor bonus:* communicavimus, et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso Jubilaei Anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam Anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus, et declaramus.

De aliis Poenitentiar. facultatibus.

XXXIV. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus:* quam in praesentibus Nostris Literis expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem Anno Sancto concedimus et impertimur; ad hoc ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos Confessa-

rios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu Confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Literarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii Minores et Confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut Animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

Facultates pro Confessariis Card. Vicario designandis.

XXXV. *CONFESSARIIS* autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius Anni Sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas; videlicet.

Circa absolutiones.

XXXVI. *Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibuscumque Ecclesiasticis Censuris, etiam Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae, etiam in Bulla Coenae reservatis, et a Sacris Canonibus fulminatis, dummodo tamen hujusmodi Censurae non sint publicae; nec non ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis; injunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de jure iisdem Poenitentibus injungendis.*

Circa Vota.

XXXVII. *Omnia et singula simplicia Vota etiam jurata, etiam Sedi Apostolicae reservata, exceptis Castitatis, religionis, aliisque superius n. XXXII. memoratis Votis, commutare in alia pia opera valeant.*

XXXVIII. *Quibus tamen facultatibus, tam absolvendi, quam Vota commutandi, uti non poterunt nisi cum iis Poenitentibus, qui praesens Anni Sancti Jubilaeum consequi sincere, et serio volunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt. Neque item uti poterunt cum iis Poenitentibus, qui hujus Anni Sancti Jubilaeum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n.* LII.

Circa Dispensationes.

XXXIX. *Dispensare possint circa Visitationes praescriptas quatuor Basilicarum, easque commutare, eodem omnino modo, ac conceditur Poenitentiariis in duobus postremis numeris, quae pertinent ad facultatem circa Dispensationes superius positis. Praeter hanc autem facultatem dispensandi circa dictas Visitationes, scient nullam aliam dispensandi cum quoquam facultatem sibi concedi.*

XL. Postremo praecipimus Confessariis praefatis, attente legere et considerare monita superius post facultates Poenitentiariis impertitas adjuncta, eisque in excercitio suarum respective facultatum exacte se conformare.

Facultates speciales pro Confessariis Regularibus erga suos Religiosos.

XLI. *PRÆTEREA* Regularium quoque commoditati uberius consulere, simulque augendo numero Confessariorum pro Jubilaei consecutione prospicere volentes; *praemissas super facultates, quas Confessariis hujusmodi a Cardinali Vicario designandis hoc Anno competere statuimus, easdem omnes et singulas pari prorsus modo, pro eodem Anno, tribuimus, et concedimus omnibus Confessariis illis Regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, quicumque alias ejusdem Card. Vicarii seu ipsius Vicesgerentis approbationem ad audiendas Confessiones habeant, et insuper per suos respective Regulares Praelatos, seu Superiores, ad excipiendas suorum Religiosorum Confessiones deputati fuerint; ad hoc scilicet, ut iidem Confessarii facultates hujusmodi erga solos proprii respective Ordinis Poenitentes Religiosos hoc Jubilaeum lucrari volentes, exercere in suis quique Coenobiis seu Domibus, libere et licite valeant: quibus etiam Regularibus Confessariis, facultatem dispensandi cum iisdem Religiosis Paenitentibus in Sacris Ordinibus constitutis super Irregularitate forsan ob Censurarum violationem contracta, dummodo occulta sit, earumdem tenore praesentium, ac dicto Anno, dictaque occasione dumtaxat, concedimus et impertimur.*

Declarationes circa praesens Jubilaeum.

XLII. *DENIQUE* communi tam Confessariorum, quam Poenitentium utilitati, ac spirituali solatio provide intendentes, ac memores quaestionum, atque dubiorum, quae occasione universalis Jubilaei hujusmodi excitari solent, non nullas hic etiam declarationes, seu magis apertas voluntatis nostrae significationes super hoc a Nobis indicto praesentis Anni Sancti Jubilaeo subnectere opportunum duximus; quibus inspectis, ac diligenter, ut par est, animadversis, pleraque hujusmodi dubia anteverti posse, aut facile solutum iri non dubitamus. Eae autem sunt, quae sequuntur.

Quoad Personas.

XLIII. Personis Romam ad hoc Jubilaeum consequendum venire volentibus, non intelligitur data veniendi libertas, sive licentia, sine

obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

XLIV. Romanorum appellatione, quoad Visitationes quatuor Basilicarum per triginta dies peragendas, comprehenduntur omnes et singuli nati atque habitantes Romae, sicut etiam nati atque habitantes in Suburbano Vinearum tractu, intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine, ad eumdem effectum, intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod Officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa quasi domicilium acquirunt; omnesque illi, qui ad eamdem Urbem, vel ad aliquem suburbanum locum intra quintum lapidem, ut supra, se contulerunt alia quacumque de causa, quam praesentis Jubilaei lucrandi; vel si ipsius lucrandi causam ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per majorem Anni partem, seu ultra sex menses ibi commorentur. Reliqui omnes, Peregrinorum, aut Exterorum nomine, quoad Visitationes earumdem Basilicarum per quindecim dies, se comprehensos intelligant.

Quoad opera injuncta.

XLV. Confessionem et Communionem pro hoc Jubilaeo consequendo injunctas, non necesse est visitationibus quatuor Basilicarum praemittere. Satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes expletas, Confessionis, et Communionis Sacramenta suspicere.

XLVI. Cum Confessio Sacramentalis in hoc Jubilaeo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari Jubilaeum velit.

XLVII. Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera pro Jubilaeo hoc lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut Indulgentiam hoc Jubilaeo concessam consequatur.

XLVIII. Quamvis injuncta pro hoc Jubilaeo Communio sit; pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc Annum Sanctum, Parochi proprii, vel Confessarii judicio, admittendi videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti; eidemque Communionem in aliud pium opus arbitrio Confessarii praescribendum commutari permittimus.

XLIX. Ad injunctam Basilicarum visitationem perficiendam non opus est in easdem Basilicas per Portas Sanctas, vel per harum aliquam ingredi, vel egredi.

L. Si quod superveniat Indultum, quo praescriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur; quisquis, ante id Indultum, Visitationes peregisset paucioribus numero diebus, quam qui in Indulto praescribuntur, is Visitationes a se jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum Visitationum hujusmodi Indulto praescriptarum; superaddendo nimirum alias, quae desint ad explendam summam Indulto praefinitam. Si vero eam summam, seu numerum antea jam explevisset, vel etiam excessisset; unum saltem diem Visitationis quatuor Basilicarum praeterea adjunget, ut Indulti beneficio frui valeat.

LI. Injunctae piae preces in singularum Visitatione Basilicarum, ad fines Nobis propositos, et in nostra Bulla Indictionis expressos effundendae, satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines devote orare voluerit, laudandus est; aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.

Quoad iteratam hujus Jubilaei consecutionem.

LII. Qui hoc Anno Sancto bis, aut pluries omnia et singula opera, vel primitus in hujus Jubilaei Indictione praescripta, vel superveniente forsan aliquo Indulto, ea, quae in ipsius Indulti concessione pro ejusdem Jubilaei consecutione praescribentur, plene iteraverit; vel prius ad Indictionis, deinde ad Indulti formam, vel prius ad formam Indulti unius, deinde ad alterius fortasse diversi formam, ut praefertur, iteraverit; bis quoque aut pluries poterit hoc Anni Sancti Jubilaeum lucrari. Nos enim, habita ratione annui spatii, ad quod hujusmodi Jubilaeum protenditur, ita de Apostolicae liberalitatis plenitudine concedimus et indulgemus; hoc tamen declarantes neminem posse, nisi semel; idest prima tantum vice, frui seu potiri favoribus huic Jubilaeo adjunctis: quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut absolutionum a novis censuris et casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum, aut dispensationum in facultatibus superius positis contentarum.

Quoad favores huic Jubilaeo adjunctos.

LIII. Praeter Poenitentiarios, ut supra, deputatos, seu deputandos, peculiaribus pro hoc Anno Sancto facultatibus a Nobis instructos, inter quas adest etiam facultas absolvendi pro

foro conscientiae a censuris propter haeresim formalem incursis, prout latius expressum est supra *n.* VII., reliqui omnes noverint, in concessione facultatis absolvendi a Censuris in Bulla Coenae reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a Censuris propter haeresim formalem externam, etiam occultam, incursis, nisi specialiter, et expresse hujusmodi facultas concedatur; juxta iteratas hac de re Declarationes, et nominatim juxta Decretum Universalis Inquisitionis die XV. Maji Anni MDCLVI. a felic. recordat. Praedecessore Nostro Alexandro VII. approbatum.

LIV. Absolutiones a Censuris (praeter quam datae ad reincidentiam, qualis, exempli gratia, datur in casu superius expresso, ubi de facultatibus pro Poenitentiariis egimus *n.* VI.) Commutationes item Votorum, et Dispensationes, juxta concessas hoc Anno respectivas facultates, semel obtentae, permanent in suo vigore, etiamsi contigerit eum, qui illas jam obtinuerat, mutato postea, quod prius habuerat, sincero et serio proposito Jubilaeum hoc lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem Jubilaeo consequendo amplius non laborare.

uoad facultates verotes Anno ubilaei susnsas.

LV. Suspensio facultatum absolvendi, dispensandi etc. pro hoc Anno Sancto a Nobis indicta per alias nostras Literas Apostolicas incipientes: *Cum Nos nuper*, datas XVI. Kalendas Junii proxime praeteriti non comprehendit ipsam Romanam Urbem, in qua hoc maxime Anno praestat Operariorum copiam et auxilia pro expediendis Poenitentibus non imminui. Quicumque ergo in eadem Alma Urbe hujusmodi facultatibus alioquin legitime muniti reperiantur easdem per hunc quoque annum in ipsa Urbe juxta tenorem uniuscujusque concessionis alias obtentae, exercere libere poterunt.

LVI. Extra Urbem vero, servanda omnino erit suspensio facultatum in praefatis Literis expressa, per quam non modo facultates illas, quae causa vel occasione Indulgentiarum concessae fuissent, verum etiam caeteras quaslibet quocumque alio titulo, et causa concessas, praedicto Anno durante, suspensas esse et censeri debere, exceptis dumtaxat illis, quas in praefatis Literis Nostris ab ipsa generali suspensione praeservavimus, praesentium tenore, quatenus opus sit, et pari auctoritate, edicimus et declaramus.

LVII. *JAM VERO* adventante convivii hora, qua magnus Paterfamilias non modo vocandos atque invitandos convivas, sed ad intrandum potius compellendos esse denuncial, hanc Pastoralibus Nostris vocibus virtutem a Deo donari cupimus, quae universos in Christo credentes a finibus Terrae evocatos, ad hoc Unitatis et Fidei centrum valeat congregare. Itaque omnes iterum Nostros Ecclesiaeque Filios, quam maximo possumus paterni animi affectu etiam atque etiam hortamur, ut ad Coelestium gratiarum aquas ex hoc fonte nunc latius reserato hauriendas occurrant, atque hic omnes uno corde atque ore Deum honorificantes, propriaeque saluti singuli serio consulentes, ipsius Dei misericordia, et piae Matris Ecclesiae favoribus uberrime perfruantur. Adhortatio.

Sacros autem Christi Ministros, ejusque Sacramentorum dispensatores, Nostra, ut praefertur, ordinatione deputandos, enixe, studioseque admonemus, ut demandatum sibi laborem pro Fratrum infirmorum curatione et salute alacriter suscipiant, ac pro ipsius Christi Domini, ejusque Sponsae Ecclesiae charitate, strenue et constanter exerceant, memores illius, cujus vices gerunt, Pastoris boni, qui non labores solum longissimo intervallo majores sustinuit, sed vitam quoque suam posuit pro Ovibus suis; cujus nimirum immensae charitatis cooperatores se fieri, maximo lucro suo deputare debebunt, amplissimamque mercedem ab eo sperare, quam ipse omnibus, qui sibi ministraverint, retributurum spopondit. Omnes itaque ad Sacramenti Poenitentiae saluberrimum et necessarium lavacrum accurrentes benigne excipiant, patienter audiant, instruant, moneant; et facultates per Nos sibi collatas in eorumdem Poenitentium solidum bonum, in aedificationem, non in destructionem, quo scilicet fideles dispensatores inveniantur, adhibeant.

Caeterum praesentes Literas, omnesque, et singulas concessiones, limitationes, monita, declarationes, ac voluntatis Nostrae significationes in iis contentas, de nullo defectu impugnari, aut redargui posse, sed omnimoda firmitate validas esse et censeri, et ab iis omnibus, ad quos pertinet, exactissime observari, eisque etiam, quorum favorem respective concernunt, plenissime suffragari volumus atque decernimus: Non obstantibus praemissis Nostris, aliisque Apostolicis, seu in Universa- Clausula.

libus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus et Ordinationibus; necnon quarumcumque Personarum, aut Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et Institutorum, etiam specialem et individuam mentionem promerentium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Indultis quoque, et Privilegiis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliter nuncupatis, et sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam suspensionum, et derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, seu irritantibus Decretis, etiam simili Motu, scientia, et potestatis plenitudine, et alias quomodolibet concessis, et iteratis vicibus confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, quatenus praesentibus in aliquo adversari dignoscantur, illis alias in suo robore permansuris, pro hac vice dumtaxat, amplissime et latissime, ac specialiter et expresse, velut si eorum tenores praesentibus per extensum inserti forent, derogamus, et derogatum censeri volumus et decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum concessionum, limitationum, monitorum, declarationum, mandatorum, decretorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, septimo Kalendas Decembris Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 6. Decembris ejusdem anni.

Et controversiis olim excitatis circa opera injuncta pro Jubilaei acquisitione, et circa Facultates concessas, earumque usum; quae per praecedentes Constitutiones sublata fuerunt: Epistola Encyclica ad Poenitentiarios et Confessarios pro Anno Sancto in Urbe deputatos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

De variis Controversiis ad Jubilaeum spectantibus, ac de ratione easdem solvendi.

Inter praeteritos, ac praesentes labores nostros in eum potissimum finem a Nobis susceptos, ut imminens jam magni Jubilaei Annus ea, qua par est, pietate celebretur, et Fideles Christi spiritualem S. Indulgentiae fructum consequantur, non postremo loco habenda est ea, quam adhibuimus, cura ut libros de Anni Sancti Jubilaeo pertractantes, qui numero pauci non sunt, consuleremus. In hisce vero libris perlegendis illud animadversum a Nobis est, quod inter eorum Auctores, alii quidem sunt, qui in controversiarum tractatione ita se gerunt, ut in iisdem discutiendis, ac resolvendis, vel ad eorum scripta tantummodo attendant, qui aetate praecesserunt, vel de propositis quaestionibus ex eo, quod sibi ac propriae intelligentiae magis conveniens videatur, pronuntient, nulla interim attentione adhibita ad Summorum Pontificum Constitutiones, quibus Anni Sancti Jubilaeum Christifidelibus indicitur, et in quibus inserta quaedam verba reperiuntur, quorum beneficio quaestiones ante exortae commode et opportune explanantur. Alii contra, earumdem Constitutionum verba accurate considerantes, dum illa rite ponderare non praetermittunt, ex eisdem quaestionum ipsarum solutiones deducunt, atque eas difficultates de medio tollunt, quae ab illis excitatae fuerant, qui vel ante scripserunt, quam Constitutiones ipsae prodirent, in quibus opportuna verba inserta sunt, quorum vigore excitatae jam difficultates evanescunt; vel qui si posterius scripserunt, nullam in scribendo, ut par erat, adhibuerunt ad Pontificiarum Constitutionum verba mentis applicationem. Hunc, qui prope jam instat, Magni Jubilaei Annum, si Divinae Majestati

placuerit vitam nostram ad illud usque tempus perducere, tertium numerabimus ex iis, quos Nos in hac Urbe celebratos vidimus: nec immemores sumus disputationum, et quaestionum, quae non sine aliqua contentione agitabantur inter Confessarios, Romae primum, deinde etiam foris, postquam, peracta hic Anni Sancti celebratione, Jubilaeum ad alia loca transmittitur. Ea igitur de causa, Nos opportunam operam dedimus, primum ut in Constitutionibus, quas de Anni Sancti Jubilaeo publicavimus, ea verba insereremus, quae non minus a Nobis, quam ab iis Doctoribus, qui ante Nos scripserunt, talia reputantur, quae excitatas prius difficultates vi sua dissolvant; deinde vero, cum quaestiones aliquae adhuc indecisae remanerent, quae a solis verbis in Constitutionibus insertis solutae dici non poterant; aliquot etiam pro hisce Declarationes facere non praetermisimus. Non tamen idcirco Nobis certo pollicemur, omnia Nos omnino dubia diluisse, quae suboriri possint hominibus ingenio nimis ad Metaphysicas subtilitates prono, quae quidem, quantum in speculativis rebus afferunt usum, tam magno sunt in Moralibus Disciplinis incommodo. Illud tamen speramus, tantum Nos hac via profecisse ut per eam aliis, quibus plusquam Nobis otii sit, liberior ac latior ad iter persequendum semita recludatur. Ut vero haec quaecumque egimus, ac meditati sumus, in caeterorum commodum, et in praecipuam Confessariorum praesertim, et eorum, qui animarum curam gerunt, utilitatem evadant; ad Vos, Dilecti Filii, Encyclicas hasce nostras Literas dirigimus, adimplentes hoc modo, quod polliciti sumus in Consistoriali Allocutione nostra, quam in Consistorio die v. Maji vertentis 1749. a Nobis habito pronunciavimus. Atque ut etiam confusio omnis removeatur, et debito ordine procedatur, de qualibet Constitutione super Anni Jubilaei Sancti per Nos ad praesentem usque diem publicata singillatim agemus.

I.

De Apostolica Constitutione, quae incipit, Peregrinantes, *in qua indicitur Universale Jubilaeum Anni Sancti, publicata die* 15. *Maji, in Festo Dominicae Ascensionis*, 1749.

De Communione Sacramentali.

§. 2. In hac Constitutione nostra haec, quae subjicimus, verba leguntur: *Vere poenitentibus, et confessis, sacraque Communione refectis*. Primi Nos omnium sumus, qui Confessioni Communionem adjecimus, eam inter opera illa comprehendentes, quae ad consequendas Anni Sancti Indulgentias injuncta sunt atque praescripta. Quae vero Nos causae moverint, ut praedicta verba adjungeremus, eas in Consistoriali Allocutione nostra expressimus, quae in Consistorio die 5. Maji Anni 1749. habito a Nobis pronunciata fuit. Neminem autem arbitramur futurum qui eam in medium quaestionem adducat, num videlicet sub nomine Sacrae Communionis, Sacramentalis Communio, an vero Communio spiritualis intelligatur; quoniam Sacrum Tridentinum Concilium, *Sess.* 13. *cap.* 8. trium Communionum mentionem facit, videlicet, solius Sacramentalis, quae Communio est illorum, qui eam in peccato lethali recipiunt; solius Spiritualis, quae illorum est, qui summopere cupientes Panem Eucharisticum gustare, viva fide, *quae per dilectionem operatur*, spiritualis illius fructus atque utilitatis participes fiunt; et Sacramentalis simul ac Spiritualis, quae est illorum qui *prius ita se probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam Mensam accedant*. Nos sub sacrae Communionis nomine Sacramentalem simul ac Spiritualem Communionem intelleximus, atque intelligimus, cum sensus verborum obvius hic plane sit; neutiquam rati, rem tam absurdam cuiquam in mentem venire posse, ut sub nomine sacrae Communionis, sola Sacramentalis Communio intelligi possit; quemadmodum etiam opportune a Patre Passerino *de Indulgentiis quaest.* 43. *et* 44. animadversum fuit; licet ipse scriberet quidem post damnationem ab Alexandro VII. die 7. Septembris 1665. prolatam illius propositionis: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae;* sed scriberet ante damnationem promulgatam a Venerabili Servo Dei Innocentio XI. die 2. Maji 1679. in alteram propositionem: *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem*.

De Confessione Sacramentali.

§. 3. In celebri illa Bonifacii VIII. Constitutione, quae incipit *Antiquorum* sub titulo *de poenitentiis et remissionibus in Extravagan. commun.*, ubi indicit Jubilaeum Anni Sancti, haec verba leguntur: *vere poenitentibus, et confessis, vel qui vere poenitebunt et confitebuntur*: et in Extravaganti *Unigenitus* Clementis VI.

eodem libro, et sub eodem titulo haec alia leguntur verba : *vere poenitentibus, et confessis*. Ex hisce autem verbis gravis est controversia quodam tempore excitata, num ad Indulgentiae consecutionem confessis *in voto* sufficiens sit, an vero confessio *in re* requiratur; quod idem est ac si diceretur, utrum ad consequendam Indulgentiam peccata Sacerdoti actualiter confiteri necessarium sit, an vero satis sit ea cum intimo doloris sensu, et sincere contritionis actu detestari cum confitendi proposito, confessionem interim in aliud tempus differendo, ac in Pascha praesertim, quo tempore unusquisque Fidelium, lege ab Ecclesia praescripta, sacram recipere Communionem obligatur.

§. 4. Indicata tantum, verum non decisa hujusmodi quaestio est a Cardinali de Lugo *de Poenit.* 27. secundum leges discussam reperimus. Ludovicus Bologninus Canonici Juris Doctor illustris famae, in suo *de Indulgentiis* Tractatu, in eam inclinat sententiam, quod contritionis actus cum praedicto proposito conjunctus, sufficiens sit. Felinus Sandeus, vir suis supra Jus Canonicum scriptis item insignis, in eo, quem scripsit *de Indulgentia plenaria* Tractatu, in eamdem pariter sententiam propendet; verum contrariam tutiorem esse affirmat. Bolognini, et Felini opera in Tractatibus, qui vulgo *Magni* dicuntur, sunt impressa *tom.* 14. *edit. Venet. ann.* 1584. *pag.* 145. *a tergo, et pag.* 158. *a tergo*. Silvester vir in Theologica Facultate praeclarus in sua summa *in verb. Indulgentia n.* 20. postquam propriam in eam sententiam propensionem ostendit, quod sufficiat confessio *in Voto;* eos qui Indulgentias consequi volunt, ad actualem Confessionem consilio suo excitat, atque in ea pariter sententia est Venerabilis Cardinalis Bellarminus *tom.* 2. *Controversiarum lib.* 1. *de Indulgentiis c.* 13. §. *Tertia quaestio*. Sanctarellus *Variar. resolut. quaestion.* 76. *a num.* 7. *usque ad num.* 23. Auctores, qui pro utraque stant opinione, diligenter colligit et accurate, ipse tamen ad consecutionem Indulgentiae Anni Sancti actualem Confessionem requirit. Nos ad Auctores ab ipso collectos Johannem Baptistam Pauliani *libr.* 3. *capit.* 2, *capit* 147. *et seqq.* addemus, qui super Jubilaeo Anni Sancti a Julio III. pubblicato scripsit; qui quidem Auctor ex vi verborum *vere poenitentibus, et confessis* actualem Confessionem requiri contendit.

§. 5. Navarrus tam celebris, qui olim opinionem, quae sufficientem esse vult Confessionem *in voto*, secutus fuerat, Cardinali Cajetani auctoritate permotus, in suo *de Jubilaeo* Tractatu *Notabil.* 18. *n.* 1. *et seqq. et num.* 6. eam prorsus abjecit, et alterius opinionis sectator evasit, quae requirit Confessionem actualem, quamque Fidelibus magnae spiritualis utilitatis occasionem dedisse cognoverat. Pater Viva *de Jubilaeo quaest.* 8. *art.* 3., qui per occasionem Jubilaei Anni Sancti ab Innocentio XII. publicati scripsit, et Pater Constantini in suo Tractatu *part.* 2. *artic.* 5. de Anno Jubilaei a Benedicto XIII. indicti, considerant, quod sub verbo *vere poenitentibus*, comprehenduntur peccatores contriti; verum quoniam ad verba *vere poenitentibus* adduntur haec alia, *et confessis*, in hisce ultimis actualis Confessio exprimitur atque praescribitur.

§. 6. Dici autem potest, quod hujusmodi opinio facta jam sit sententia Sanctae Sedis; nam cum in Congregatione Indulgentiarum propositum, et quaesitum esset, num videlicet, quemadmodum Missionarii, qui in regionibus Infidelium morantur, licite Sanctam Missam celebrant, praemisso contritionis actu ob grave aliquod, quod admiserint, peccatum, cum non adsit Confessarius, nec debeant die Festo Fideles Missa privari; ita consequendi Indulgentias, quae conceduntur *vere poenitentibus, et confessis* capaces dicendi sunt facientes actum contritionis, nec praemittentes Confessionem, Congregatio praedicta respondit, nequaquam eos esse capaces, verum Summo Pontifici supplicari debere, ut nova eos gratia capaces reddat, ut, non facta actuali Confessione propter deficientiam Confessarii, solo contritionis actu ad consequendas Indulgentias habiles evadant. Hanc vero resolutionem Clemens XII. Praedecessor Noster approbavit, et gratiam impertitus fuit. Documenta referuntur in Opere P. Theodori ejusdem Congregationis Indulgentiarum Consultoris *de Indulgent. part.* 1. *cap.* 11. *artic.* 5. *in fine*.

§. 7. Nos hac formula *vere poenitentibus, et confessis*, Confessionem actualem intelleximus, semperque intelligemus, quam inter praescripta, et adimplenda opera ad consequendas Indulgentias necessaria reponimus. Dicere, quod sic intelleximus, et intelligimus, sufficiens fortasse fuisset; verum quae ante exposuimus, ea de causa exponere opportunum existimavimus,

ut fundamenta agnoscantur, quibus nostra innixa sententia est.

e visita-
e Basili-
um.

§. 8. Prosequitur Constitutio *Peregrinantes*, atque in ipsa post praescriptas quatuor Basilicarum, videlicet Sancti Petri, S. Pauli, S. Joannis in Laterano, et S. Mariae Majoris visitationes, subjungitur, quod dicta visitatio fiat *semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, sive naturales, sivem etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel incolae Urbis, si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies:* quibus verbis, rite, et, ut Nos intelligimus, intellectis, quaestiones duae alias excitatae de medio tolluntur.

§. 9. Prima, num, quemadmodum quatuor Basilicarum visitatio vigore Constitutionis interpolatis diebus fieri potest, velut, exempli gratia, fieri potest una visitatio quatuor Basilicarum decima die mensis Januarii, alia vero visitatio quatuor Basilicarum die 15.; ita fieri possit, exempli gratia visitatio duarum Basilicarum in uno die, et visitatio duarum aliarum Basilicarum in altero die, usque ad completum triginta, vel quindecim respective visitationum pro unaquaque Basilica numerum.

§. 10. Verba *saltem semel in die* etiam in citata Bonifacii VIII. Decretali *Antiquorum* leguntur: Glossator autem ad praedicta verba, ea commentans, attestatur, quod dictus Pontifex in Consistorio declaravit, praedictarum Basilicarum visitationes per modum nuper indicatum fieri posse, dummodo numerus visitationum uniuscujusque Basilicae trigesimus sit quo ad Romanos, et decimus quintus quo ad Exteros. Si ponamus, quod factum a Glossatore relatum subsistat, dici debere putamus, Pontificem Bonifacium non quidem declarasse, quod talis esset verborum sensus *saltem semel in die*, verum pro speciali gratia concessisse, ut, non obstante contraria Decretalis suae dispositione, Ecclesiarum visitationes modo ante indicato fieri possent. Et sane quotquot subsequentibus temporibus super Bullis de Anni Sancti Jubilaeo scripserunt, in quibus semper verba *saltem semel in die*, reperiuntur, vim locutionis expendentes, quod dicitur *in die* in singulari, et non *in diebus* in plurali, fieri debere visitationes quatuor Basilicarum in uno die dixerunt. Videri possunt Navarrus *de Jubilaeo, et Indulgentiis notab.* 32. *num.* 41., et Benzonius *de anno Jubilaei lib.* 5. *dub.* 5. Ita pariter disserunt Sanctarellus *variar. Resolut. quaest.* 75. *n.* 1. *et seq.* Lavorius *de Jubil. et Indulgent. part.* 1. *cap.* 17. *num.* 5. Quartus *Trattato del Giubbileo punt.* 2. *dub.* 1. Passerinus *de Indulgentiis quaest.* 49. *n.* 363. Pasqualigo *de Jubilaeo quaest.* 45. Riccius *Trattato del Giubbileo cap.* 117. qui ulterius adjunxit, quod quando a Summis Pontificibus Basilicae per Annum Sanctum visitantur, quatuor simul in uno die visitantur.

§. 11. Nihilominus per occasionem Anni Sancti 1700. a Pontefice Innocentio XII. promulgati opportunum factu visum fuit, in particulari Congregatione ex variis Cardinalibus, et Praelatis composita, iterum examini supradictum dubium committere, num videlicet visitatio quatuor Basilicarum in unico tantum die fieri deberet, an vero fieri diebus interpolatis posset, duas exempli gratia Ecclesias uno die, alteras vero duas alio die visitando. Concordi sententia decisum fuit, quod omnes in uno die fieri deberent. Atque ita pariter in Notificatione a Cardinali Gaspare de Carpineo tunc temporis Urbis Vicario publicata indictum fuit. Tam nomina eorum, qui Congregationi interfuerunt, quam ipsa Resolutio registrata sunt a Joanne Baptista Riganti Comment. ad Regulas Cancell. *Tom.* 4. *ad Reg.* 53. *ann.* 22. *usque ad finem.* Declaratio ipsa a P. Viva *de Indulgent. pag.* 668. *edit. Patavin. ann.* 1715. typis impressa, atque etiam a P. Vanranst *Opuscul. de Indulg. et Jub. quaest.* 7. *n.* 10. indicata reperitur. Nos demum, communi, atque obvio verborum sensui *saltem semel in die*, communi Doctorum opinioni, ac praecedentibus Resolutionibus adhaerentes, protestamur, Nos in Constitutione nostra *Peregrinantes*, visitationem quatuor Basilicarum in uno die fieri debere intellexisse.

De die, in quo fieri debent Visitationes quatuor Basilicarum.

§. 12. Altera autem controversia est, quae respicit mensuram diei, in quo quemadmodum dictum est, quatuor Basilicarum visitatio fieri debet. Quidam a media praecedenti nocte; ad alteram mediam noctem diei subsequentis metiendum esse existimarunt; exempli gratia, a media nocte diei Jovis usque ad mediam noctem diei Veneris subsequentis. Alii porro crediderunt diem metiendum esse a Vesperis diei praecedentis ad Vesperas diei sub-

sequentis, exempli gratia, a Vesperis diei Jovis usque ad alteras Vesperas diei Veneris subsequentis, quod idem est ac si dicatur, usque ad principium noctis, sive ad vigesimam quartam horam diei Veneris, quoniam Completorium orationum diei complementum est.

§. 13. Haec controversia per occasionem Anni Sancti a Clemente X. celebrati examinata, at non decisa fuit, quemadmodum Phoebaeus *de Anno Jubilaei par. 2. cap. 15. pag.* 241. testatur. Iterum postea per Annum Sanctum ab Innocentio XII. indictum novo examini commissa est. Rigantius *loco citato* ei adhaesit opinioni, quod dies illi a primis Vesperis usque ad Vesperas diei sequentis computari deberent. Nec omisit validissimas pro suo assumpto rationes afferre; illud valde ad rem animadvertens, quod Portae Sanctae in pervigilio Nativitatis Domini Nostri ante Vesperas aperiuntur, et in subsequenti altero Nativitatis Domini Pervigilio post Vesperas, idest prope occasum Solis clauduntur. Hujusmodi rationes tam ab aliquibus, qui in Congregatione interfuerunt, quam ab aliis, quorum sententias Congregatio ipsa requisivit, et laudatae, et receptae fuerunt. Alii vero partim ex Congregatione, partim etiam ex iis, qui ab eadem Congregatione consulti sunt, in eam sententiam iverunt, quod dies ab una ad alteram mediam noctem metiendus esset. Haec autem sententia vicit, ut apud ipsum Riganti videre est, et in citata Cardinalis de Carpineo Vicarii Notificatione declaratum fuit, diem ab una ad alteram mediam noctem incipere, et desinere intelligi debere. Nos vero, ut Fideles per imminentem Annum Sanctum visitationem quatuor Basilicarum facilius adimplere possint, omnem in Constitutione nostra disputationem de medio sustulimus, declarantes, quod visitatio quatuor Basilicarum vel uno, vel altero modo fieri possit; videlicet aut ab una ad alteram mediam noctem, aut a Vesperis diei praecedentis usque ad subsequentis diei vespertina crepuscula.

De Confluentibus, qui Visitationes praescriptas adimplere nequeunt.

§. 14. Postremo vero in citata Constitutione *Peregrinantes* decernitur, quod ii, qui iter Romam versus susceperunt, vel qui cum ad ipsam pervenerint, non possunt vel complere vel incipere visitationem Basilicarum, sive morte praeventi, sive alia legitima causa impediti, gaudeant fructu Indulgentiae, dummodo poenitentes sint, Confessionem fecerint, et Sanctam Eucharistiam receperint: *Eosdem vere poenitentes, et Confessos, ac Sacra Communione refectos, praedictae Indulgentiae, et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a nobis praescriptis re ipsa visitassent.*

§. 15. Pontifex Bonifacius VIII. in sua pluries a Nobis citata Decretali: *Antiquorum*, in qua Annum Sanctum indicit, praedictam declarationem Advenarum, seu Peregrinorum comprehensivam non inseruit; orta proinde controversia fuit: num ipsi in praedictis circumstantiis Indulgentias consequuti essent? Quapropter ipse Pontifex verbalem in Consistorio Declarationem in favorem Advenarum facere necessarium duxit, quemadmodum Glossator Decretalis: *Antiquorum, vers. sed quaero: aliquis vere poenitens, et confessus*, inter Extravagantes Communes, testatur. Altera deinde fuit Quaestio excitata: num, sine praedicta declaratione, illi, qui ad proficiscendum Romam parati, sive ad eamdem iter ingressi erant, quive cum Romam pervenissent, praescriptam tamen Basilicarum visitationem aut incipere, aut complere non potuissent, dummodo peccatorum suorum poenitentes, et confessi forent, Jubilaei Indulgentias consequerentur? Nec defuit, qui ejus esset opinionis, quod eam consequerentur. Melioris tamen notae, ac famae Doctores in contraria sententia fuerunt, ea ducti ratione, quod ad consecutionem Indulgentiae non sola voluntas satis sit, sed necessario effectus requiratur. Ita disserit Felinus in suo *de Indulgentiis* Tractatu *inter Tractatus Magnos cit. tom. 14. pag. 159. a tergo num.* 36. Hoc idem assumptum variis argumentis probavit etiam supra citatus Joannes Baptista Pauliani *lib. 3. de Jubilaeo cap. 5.* Similis Controversia a S. Thoma *Quodlibet. 2. art. 16.* pertractatur, ubi hanc quaestionem proponit: utrum scilicet is, qui Cruce sumpta, profecturus ad recuperationem Terrae Sanctae, pro qua insigni actione Indulgentiam consequebatur Plenariam, consequeretur eam, si in statu verae poenitentiae constitutus, morte praeoccuparetur, antequam itineri se committeret? Sanctus vero Doctor controversiam eamdem solvit dicendo: opus esse, verba Textus concessionis Indulgentiae rite observare; quoniam, si in Textu dicitur, quod Indulgentia conceditur sumentibus Crucem; Crucesignatus statim acquirit Indulgentiam, ejusque

particeps fit, si moritur, antequam itineri se commiserit; verum si in Textu Concessionis Indulgentiae, ipsa conceditur illis, qui mare transierint; Crucesignatus, qui mortem ante obit, quam mare transeat, Indulgentiam non consequitur.

§. 16. Pontifex Clemens VI., qui ille fuit, a quo Jubilaei Annus a centesimo quoque Anno per Bonifacium VIII. praefixo ad quinquagesimum reductus fuit, in Decretali sua: *Unigenitus: De Poenitentiis, et Remissionibus inter Extravagantes Communes*, primus omnium supradictam Declarationem in Peregrinorum, atque Advenarum favorem scripto mandavit, et in sua Decretali registravit, atque in eamdem inseruit, quocirca celebris Jurisconsultus Joannes de Anania Archidiaconus Bononiensis in suo de Jubilaeo Tractatu sub Rubrica *de Sortilegiis*, postquam quatuordecim Dubia ad Jubilaei materiam spectantia examinanda proposuit, *num.* 9. hoc quod sequitur, reponit: *Dubitatur de illo, qui ivit usque ad mediam viam, et non potuit ulterius ire; vel illo, qui non implet numerum dierum*. Huic autem dubio ita respondet: *Ista tolluntur in Bulla praecedenti*, quae est Clementis VI. superius ab ipso commemorata. Eadem Declaratio invenitur in Constitutionibus, et indictionibus Anni Jubilaei, Pontificum, qui successerunt. Nos etiam ad omnes controversias tollendas, exemplo eorum libenter adhaesimus, et eam propterea in Constitutione nostra *Peregrinantes* inseruimus: illud tamen animadvertendum, quod haec Declaratio Advenas tantummodo comprehendit, nec ad Romanos, aut Romae incolas extenditur, quemadmodum bene etiam a Benzonio *de Anno Jubilaei lib.* 5. *dub.* 10. fuit observatum; Quum Romanis, aut Romae incolis, visitationes Basilicarum facere non valentibus, sive impeditis, alia quadam ratione, ut alibi ostenderetur, provisum sit.

II.

De Constitutione, quae incipit: Cum Nos nuper, *signata die* 17. *Maji* 1749.

De suspensione Indulgentiarum durante Anno Sancto.

§. 17. In primis quinque Jubilaeis alias Indulgentias, aut etiam facultates absolvendi a casibus reservatis, suspensas fuisse minime legitur; et omnium primus, qui per occasionem Anni Sancti praedictam suspensionem faceret, fuit Pontifex Sixtus IV., sicut in ejus Decretali: *Quemadmodum*, sub titulo: *De poenitentiis et remissionibus*, in Extravagantibus Communibus videre est; atque id ea maxime de causa, ut Fideles Romam ad consequendam Plenariam Indulgentiam, quam ipse per Annum Sanctum eisdem offerebat, invitaret; cujus postea exemplo, qui successerunt, Pontifices sese conformarunt. Quidam ex his suspensionem Indulgentiarum, et Facultatum in eadem Bulla, qua Jubilaeum Anni Sancti indicebant, inseruerunt. Ita fecit Sixtus IV. Alexander VI. praestitit idem, sed per separatam Constitutionem. Sixti IV. exemplum in omnibus secuti sunt tum Clemens VII., tum Julius III., ut ex Jubilaei Bullis apparet. At Gregorius XIII. ille fuit, qui suspensionem per Bullam a Jubilaei Bulla separatam restituit, quemadmodum ab Alexandro VI. factum fuerat, atque eo postea modo deinceps continuatum est. Sairo, Valentia, Salas a P. Baldello *tom.* 1. *Theolog. Moral. lib.* 5. *de lege disp.* 16. *num.* 8. nominati, et probati, praedictam suspensionem superfluam esse dixerunt, cum illa Sixti IV. in Jure Canonico jam inserta esset, sicuti nuper dictum est. Probe Nos scimus, non solum illis Decretalibus honorem habendum esse, quae in Collectionibus jussu Gregorii IX., Bonifacii VIII., et Clementis V. factis, insertae sunt, verum et aliis, quae dicuntur Extravagantes Communes, inter quas ea Sixti IV., quam indicavimus reperitur; quia licet harum collectio auctoritate privata facta fuerit; fons nihilominus, a quo profluunt et originem ducunt, idem est ac omnium aliarum; cum tam illae, quam hae ab eadem Apostolica Sede derivatae sint; quemadmodum etiam Venerabilis Frater vivens Episcopus Feltrensis in eximio suo Opere *Institution. Juris Canonici cap.* 59. *num.* 8. novissime in lucem edito valde apposite animadvertit; verum considerantes Nos, non esse saltem rationi incongruum dubitare, num suspensio Indulgentiarum, et Facultatem a Sixto IV. facta, revocata sit; hinc orta necessitas est novae suspensionis Indulgentiarum, et Facultatum, quae fit, quando Annus Jubilaei indicitur.

§. 18. Suspensio Indulgentiarum, et Facultatum a Sixto IV. facta hisce, quae sequuntur, verbis concepta fuit: *Usque ad nostrum, et ejusdem Sedis beneplacitum suspendimus, illasque, durante beneplacito nostro, et Sedis praedictae, suspensas esse volumus, nec interim ali-*

cui suffragari: quicquid autem cum clausula *ad beneplacitum Sedis Apostolicae* stabilitur, durat etiam post Pontificis mortem, qui id stabilivit: cum id, quod stabilitum est, non cesset, nisi revocetur a Successore: *si usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum gratia concedatur; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore fuerit revocata:* quod quidem non contingit, tum cum actus fit a Pontifice usque *ad suae voluntatis beneplacitum*, quia concessio cessat cum morte concedentis: *si gratiose tibi a Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quae tempore tuae promotionis obtinebas, posses usque ad suae voluntatis beneplacitum retinere, hujusmodi gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat;* verba sunt Pontificis Bonifacii VIII. *in cap.* Si gratiose, *de rescriptis in sexto.*

§. 19. Navarrus in suis Consiliis *lib.* 5. *de poenitent. et remissionibus consil.* 17. hanc se materiam accurate tractasse dicit; quod verum est, cum ipse in suo de Jubilaeo et Indulgentiis Tractatu *Notab.* 28. *num.* 27. *et* 28. *ac Notab.* 33. *num.* 7. de eadem fuse disseruerit. Ibi post ponderatam vim clausulae *ad nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum*, Sixti IV. mortem certam esse dicit, illud tamen ignorari, an ipse antequam supremum diem obiret, suspensionem revocaverit, aut ex illius Successoribus quispiam id fecerit; quapropter ei se opinioni adhaerentem, et addictum ostendit, quod suspensio Sixti etiam tunc duraret. Vivebat Navarrus tempore Gregorii XIII., cumque animadvertisset, Pontificem hunc in suspensione Indulgentiarum Anni Sancti clausulam *ad nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum* adhibere, egit de hac re cum Officialibus Curiae Romanae, qui ei responderunt, Pontificem Sixtum nunquam generalem suspensionis revocationem fecisse, neque ex eo inductam revocationem existimari posse, quod Annus Sanctus elapsus esset; verum credibile esse, eumdem Sixtum, exacto Anno Sancto, particularem revocationem suspensionis quarumdam Indulgentiarum fecisse, ut aliquorum Fidelium precibus obsecundaret, adjunxeruntque, quod etiam Pontifex Gregorius XIII. eamdem rationem retenturus erat: hoc vero totum, quod a Navarro dicitur, a Benzonio etiam *de Anno Jubilaei lib. 4. cap.* 8. *dub.* 6., et a P. Theodoro *tom.* 1. *de Indulg. cap.* 13. *art.* 5. confirmatur.

§. 20. Verum si quis ita dixisset, aut diceret; verum quidem esse, Pontificias determinationes per formulam *ad nostrum, et Apostolicae Sedis beneplacitum* conceptas, morte Pontificis, qui eas fecit, non cessare, sed revocationem alicujus ex Successoribus necessariam esse; credibile etiam esse, Sixtum IV., completo Anno Sancto, revocationem suspensionis generalem, et expressam minime fecisse, verum tantummodo particularem; At eodem tempore subdidisset ac subderet, aliquas dari revocationes, ut scholae loquuntur, *virtuales*, et expressis revocationibus aequipollentes, atque hasce in eo, de quo agitur, casu intervenisse; quoniam, non obstante suspensione Indulgentiarum per Annum Sanctum facta, Summis Pontificibus notum semper fuit, quod homines pii, ac religiosi suspensas, elapso Anno Sancto, hujusmodi Indulgentias praedicarunt, ac publicarunt, libris suis inseruerunt; ac super eisdem fuse scripserunt, quin umquam Sancta Sedes contra aliquem ex praedictis actibus quidquam egerit, aut statuerit, licet apocryphas interim Indulgentias prohibere, et variis etiam Decretis, quae revocatae forent, nominatim declarare, quoties occasio hoc tulit, non praetermiserit; procul dubio et Navarrum, et quemcumque alium, qui se ejus opinionis asseclam fecisset, aut faceret, ad incitas, quod ajunt, atque angustias redegisset.

§. 21. Non nostra haec, sed Castro Palai in suis Operibus Moralibus *part.* 4. *tract.* 24. *disput. unic. punct.* 12. §. 2. *num.* 12. *et* 13. animadversio est. Et quando ex hujusmodi animadversione aliud nihil deduci possit, vel deducatur, nisi saltem materiam dubiam esse; haec tam Praedecessoribus nostris, quam Nobis sufficiens causa esse potuit, cur, non obstante suspensione a Sixto IV. in Jure Canonico, ut dictum est, inserta, novam suspensionem Indulgentiarum, et Facultatum per occasionem Anni Sancti faceremus. In Constitutione nostra: *Cum Nos nuper*, de qua in praesens agimus, usi non sumus clausula *Ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum*, verum alia hac *Apostolica auctoritate etc. suspendimus etc. easque eodem Anno durante nulli prodesse, aut suffragari debere etc.* Hanc autem clausulam adhibuimus, tum quia Clemens VIII. in suspensione Indulgentiarum, et Facultatum per Annum Sanctum eamdem adhibuit, atque ejus exemplo omnes alii Successores, quorum temporibus

celebrati sunt Anni Sancti, sese conformarunt; tum quia per ipsam difficultas alias excitata de medio tollitur, num videlicet post Annum Sanctum suspensio Indulgentiarum perduret, necne, quemadmodum valde apposite Lavorius *de Jubilaeo et Indulg. par.* 1. *cap.* 10. *num.* 13., et Quarti *in suo Tractatu de Jubilaeo punct.* 1. *de suspensione Indulgentiar. dub.* 7. adnotarunt.

§. 22. Qui aliquem, etsi mediocrem, in Moralibus Auctoribus usum habet, multas procul dubio quaestiones non ignorabit, quae ab ipsis excitantur circa Indulgentias promoventur quae per Annum Sanctum suspenduntur. Ad eas Nos removendas, generalem in Constitutione nostra suspensionem fecimus. Sed primum, quemadmodum in ipsa legere est, aliquot a generali revocatione Indulgentias subtraximus, quas expressimus etiam, et nominavimus; ex quo per se consequitur, illas, quae nominatim praeservatae non sunt, intelligi debere suspensas. Magna erat controversia, num sub suspensione solae Plenariae Indulgentiae comprehenderentur, an vero ipsa ad non Plenarias, et partiales extenderetur. Navarrus *de Jub. et Indulg. notabili* 33. *num.* 26. Benzonius *de Jub. lib.* 4. *cap.* 8. *dub.* 2. Lavorius *de Jub. par.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. *et* 4. Viva *de Jub. praesertim Anni Sancti quaest.* 4. *art.* 1. solas Plenarias suspensas remanere scripserunt. Alii vero in ea erant opinione, quod tam plenariae, quam non plenariae, sive partiales, suspensae remanerent. Ita scripserunt Vanranst. *in Opuscul. Histor. Theologic. de Indulg., et Jubilaeo quaest.* 5. Quarti *in Tractatu de Jubilaeo cap.* 3. *punt.* 1. Pignatellus *in Tractatu de Anno Sancto cap.* 13. *dub.* 10. Difficultas ex diversitate formularum in suspensionibus adhibitarum oriebatur, cum in aliquibus ea, quae sequuntur, verba legerentur: *Omnes, et singulas Indulgentias plenarias;* in aliis vero *omnes et singulas Indulgentias*. Quidam ita reputabant, quod etiamsi in formulis suspensivis Indulgentiae non plenariae minime nominarentur, nihilominus credendum esset, easdem comprehensas esse ex eo, quod quidam Pontifices, Anno Sancto vertente, concesserant, ut partiales aliquot Indulgentiae restituerentur, ac publicarentur, non fecissent, nisi prius mens illis fuisset easdem sub suspensione comprehendere. Ita PP. Constantinus *in suo Tractatu de Jubilaeo Anni Sancti part.* 3. *cap.* 7., et Theodorus *de Indul. tom.* 1. *cap.* 13. *art.* 5. *quaest.* 2. scripserunt. Nos, ut omnis quaestio removeretur, postquam Indulgentias, quas non revocamus, expressimus; ita subdimus: *Caeteras omnes, et singulas Indulgentias tam plenarias, quam non plenarias etc. suspendimus, et suspensas esse declaramus etc.*

De Indulgentiis non suspensis per proximum Annum Sanctum.

§. 23. Nihil ab ipsa materia proposita digredientes eas Nos Indulgentias a revocatione excepisse ac subtraxisse dicemus, quae pro Defunctorum Animabus directe conceduntur. Reliqua erat controversia circa illas Indulgentias, quas vivi consequi possunt, cum facultate per modum suffragii Defunctis applicandi. Quarti *in Tractatu de Jubilaeo cap.* 3. *punt.* 1. *pag.* 198. et Pignatellus *in suo Tractatu de Anno Sancto cap.* 13. *dub.* 20. ejus opinionis fuerunt, quod praedictae Indulgentiae sub revocatione minime comprehenderentur. Pro contraria autem sententia steterunt Viva *de Jub. quaest.* 4. *art.* 4. Vanranst *in Opuscul. Hist. Theol. de Ind. et Jubil. quaest.* 5. *num.* 9., et Constantinus *in Tractatu de Jubil. par.* 3. *cap.* 7. *pag.* 244. Neque inficias iri potest, hanc magis plausibilem sententiam fuisse, et per multos etiam Annos Sanctos in praxi receptam. Abbas olim Michael Angelus Riccius, qui Congregationis Indulgentiarum primum a Secretis fuit, deinde vero inter Cardinales cooptatus, in Congregationibus, quae habitae fuerunt tempore Anni Sancti a Clemente X. celebrati, in quibus examinatae, at non admissae fuerunt quarundam piarum personarum preces, quibus instanter petebant, ut decerneretur, ne generalis suspensio Indulgentiarum illas comprehenderet, quae conceduntur vivis cum facultate Defunctis applicandi, multum se illi opinioni addictum ostendit, quae praedictas Indulgentias contendit per Annum Sanctum suspensas esse, et sub revocatione, seu generali suspensione contineri. Illi etiam sententiae haec ratio favet, quod in Indulgentiis, quae conceduntur Vivis, cum facultate eas per modum suffragii defunctis applicandi, duae res considerari possunt; altera, quae principalis est, et quae respicit Vivos; altera, quae est accessoria, et quae respicit Mortuos; et cum sub revocatione comprehendatur pars principalis, non videtur, exemptam esse posse partem accessoriam.

§. 24. Ut praecedentes Notificationes in caeteris Annis Sanctis publicatas missas faciamus; in illa a Cardinali de Carpineo Urbis Vi-

cario per Annum Jubilaei 1675. jussu Pontificis Clementis X. publicata ita legitur: *Non intelligantur suspensae Indulgentiae Altarium privilegiatorum pro Defunctis, neque aliae concessae eo modo pro Defunctis; verum illae suspensae habeantur, quae possunt sibi consequi Vivi, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii.* Similes fuerunt Notificationes, quae per Annum Sanctum tempore Innocentii XII. celebratum publicatae fuerunt. Et Pontifex Benedictus XIII. in sua Notificatione, quae die 10. Jan. 1725. publicata est, eidem pariter sententiae, ac normae sese conformavit. Verum cum Pontificis illius Benedicti Benefactoris Nostri praecipua pietate praediti, mirificus erga Purgatorii animas esset devotionis sensus, quemadmodum ex sermonibus super Purgatorio ab ipso Typis editis clarum fit; sub die IX. Februarii ejusdem Anni aliam Notificationem publicavit, quam in Historia Annorum Jubilaei ab Alfano *pag.* 564. in lucem edita videre est; ac deinde sub die XXVIII. Aprilis ejusdem pariter Anni Breve expedivit, quod a P. Theodoro in suo saepius citato de Indulgentiis Tractatu *par.* 1. *pag.* 375. impressum reperitur; in quo declaravit, Indulgentias Vivis concessas cum facultate Defunctis applicandi sub revocatione ab ipso per Annum Sanctum facta minime comprehendi, quo ad illam tamen dumtaxat partem, quae Animarum Defunctorum suffragium respicit. Et licet Regula sit, quod Indulgentiae Vivis concessae, per modum suffragii Mortuis applicari non possunt, nisi id in concessione exprimatur; adjecit quod, Anno Sancto durante, ut Purgatorii Animae opportunis suffragiis nequaquam destitutae remanerent, possent a Vivis Indulgentiae in ipsarum beneficium applicari, etiamsi in concessione facultas, ut eaedem pro Defunctis applicari possent, expressa non esset. Quapropter, et Nos in Constitutione Nostra tanti Pontificis exemplum libenter secuti sumus.

De suspensione Facultatum durante Anno sancto.

§. 25. In hac nostra Constitutione: *Cum nos nuper*, quemadmodum hactenus dictum est, durante Anno Sancto, non solum Indulgentiae suspenduntur, verum omnes Facultates, et Indulta absolvendi a Casibus reservatis etiam in Bulla Coenae, secundum id, quod in §. *Caeteras omnes* legitur. Quam regulam in suspensione Indulgentiarum tenuimus, eamdem et in suspensione Facultatum, et Indultorum servavimus; cum praecipue Facultates, et Indulta expresserimus, quae sub revocatione minime comprehendi intelleximus; unde sequitur, illa, quae excepta non sunt, comprehensa remanere. In generali Facultatum, et Indultorum suspensione alio tempore dubitatum fuerat, num Facultates comprehenderentur, quae Praelatis Regularibus ratione proprii Officii ac muneris competunt, absolvendi scilicet Regulares eorum subditos a casibus reservatis, et super aliquibus impedimentis dispensandi, quemadmodum apud P. Viva *de Jubilaeo quaest.* 4. *art. ult.* §. 4. Constantinum *de Jubilaeo Anni Sancti part.* 3. *cap.* 7. *pag.* 250., et Pasqualigum *quaest.* 160. videre est. Nos, ad ambiguitatem omnem tollendam, inter facultates a suspensione exceptas, illas excepimus: *Superiorum Ordinum Regularium, quaecumque ipsis in Regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostolica praedicta tributae fuerunt.*

§. 26. Verum cum Regulares non solis Indultis et Facultatibus gaudeant super suos subditos Regulares, sed quidam eorum contendant, habere se Facultates, et Indulta sibi a Sede Apostolica concessa, nec umquam revocata, absolvendi a casibus eidem Sedi reservatis seculares personas, et Vota commutandi, aliasque varias res concedendi, quas hic commemorare minime opus est; alia gravis controversia in medio remanet, num eaedem Facultates, sub suspensione Indultorum, et Facultatum, quae per Annum Sanctum fit, comprehensae remaneant. In qua quidem controversia aliqui opinantur, Facultates absolvendi a casibus reservatis, Vota commutandi, etiamsi collatae non sint intuitu, aut occasione Indulgentiarum, suspensas remanere. Quidam alii vero distinguunt inter Facultates absolvendi collatas per occasionem, aut intuitu Indulgentiarum, et Facultates aliis de causis attributas; et primas, non autem secundas, per Annum Sanctum suspensas remanere affirmant, quemadmodum apud Viva *loc. cit.*, item apud Constantinum *loco pariter citato pag.* 246. *et seqq.* Vanranst. *cit. Opuscul. de Indulgent. quaest.* 5. et apud alios complures videre est, quos hic nominare inutile foret.

§. 27. Qui primae adhaerent opinioni, quod videlicet Facultates, et Indulta sive intuitu et occasione Indulgentiarum, sive ob alias rationes concessa suspensa remaneant, argumentum desumunt ex amplo modo, quo suspensivae Bullae conceptae sunt; item ex eo, quod quae-

dam Facultates, et Indulta a generalitate suspensionum excipi solent; sicut videri potest apud Sorbum, et Rodriguez, quorum sententiae a Pasqualigo *cit. quaest.* 160. referuntur. Pro hujus autem sententiae comprobatione magnam habet vim Pontificis Julii III. factum, quod narratur; qui Pontifex, cum per Annum Jubilaei Facultatem absolvendi a Casibus Sedi Apostolicae reservatis Confessariis illis, qui eam habebant, suspendisset, pro speciali gratia Patribus Societatis Jesu concessit, ut per integrum vertentis tunc Anni Sancti cursum gaudere possent Privilegio absolvendi a casibus Summo Pontifici, et Apostolicae Sedi reservatis, quod ipsis a Paulo III. non quidem intuitu, aut occasione Indulgentiarum, sed ob alias rationes elargitum fuerat. Ex quo sequitur, dicta Privilegia ab ipso Pontifice sub suspensione, quam per Annum Sanctum fecerat, comprehensa fuisse. Factum ab Orlandino in Historia Societatis Jesu refertur, et Phoebaei *Tract. de Anno Jubilaei par.* 2. *cap.* 10. *pag.* 162. Victorelli *in Historia Jubil. Pontific. par.* 3. *pag.* 371. Alfani *in Historia Anni Sancti pag.* 311. *et seqq.* Riccii *Tractatu de Jubil. cap.* 38. testimoniis comprobatur.

§. 28. Qui secundae opinionis partes tuentur, considerant, Romanos consuevisse Pontifices quasdam Facultates concedere ad faciliorem Indulgentiarum consecutionem, et ad impedimenta removenda; atque has solas esse, quae per Annum Sanctum suspensae intelliguntur; cum ad has suspendendas eos potissimum ducat desiderium, quod habent, ut Fideles ad acquirendas Indulgentias Romam se conferant; verum nequaquam remanere suspensas Facultates absolute, ac non ratione Indulgentiarum, neque ipsarum causa concessas. Ita, post alios complures, contendit Quarti *in Tract. de Jubil. cap.* 3. *punt.* 2. *pag.* 219. Porro Navarrus Bullam Indulgentiarum suspensivam a Gregorio XIII. per Annum Jubilaei publicatam cum exponeret, quamvis facilis ei ad Pontificem aditus pateret, apud quem, et gratia, et existimatione valebat, narrat tamen (*de Jub. et Indulg. notab.* 33. *num.* 2.), se, ne illis saepius molestus esset, egisse cum Praesule tum temporis Datario viro valde perito, et qui Pontificiam mentem apprime callebat; eumque interrogasse, num sub generali suspensione Facultates, et Indulta ex aliis causis, et non ratione, aut per occasionem Indulgentiarum concessa, comprehenderentur; atque hoc, quod sequitur, responsum tulisse: *Intentionis Sanctissimi Domini Nostri fuisse suspendere solas, et omnes Indulgentias Plenarias, et sola, et omnia earum quaerendarum causa concessa, et indulta; ita quod nulla Indulgentia, quae non esset Plenaria, nec ulla Facultas, quae non esset causa Indulgentiae Plenariae quaerendae concessa, censeatur suspensa.* Alia item similis Clementis VIII. declaratio a Cardinali de Lugo *de Poenit. disput.* 20. *sect.* 8. *n.* 145. refertur.

§. 29. In hac Controversia, num Breve generalis suspensionis omnium Indulgentiarum, et Facultatum absolvendi a Casibus Sanctae Sedi reservatis per Annum Sanctum illas tantummodo Facultates comprehendat, quae respectu Indulgentiarum conceduntur, an vero ad illas etiam extendatur, quae sine ullo Indulgentiarum respectu concessae sunt; Nos semper arbitrati sumus, atque arbitramur, diversitatem sententiarum ortam esse, atque oriri ex diversitate verborum, et clausularum, quibus Brevia suspensionis concepta sunt; et ex eo quod qui scripsit, non animadverterit, Suspensiones minime esse uniformes, et quod sub una Suspensione comprehendi possunt omnes Facultates absolvendi a casibus reservatis; sub alia vero aliquae tantum, et non aliae comprehendi possunt. In Decretali Sixti IV. *Quemadmodum* qui, sicut supra etiam indicatum est, primus fuit, qui per Annum Sanctum Indulgentias, et Facultates absolvendi a casibus reservatis suspendit, subjecta verba leguntur: *Omnes, et singulas Plenarias, etiam ad instar Jubilaei, etc. deputandi Confessores cum potestate absolvendi etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, Facultates, Concessiones, et Indulta a Nobis, et eadem Sede, vel illius auctoritate concessas . . . . . suspendimus etc.* Haec eadem formula a successoribus illius Alexandro VI., Clemente VII., et Julio III. adhibita fuit in Constitutionibus, in quibus Anni Sancti Jubilaeum indixerunt. Nimis generalia verba sunt, neque ulla datur ansa restringendi suspensiones ad facultates absolvendi, ratione Indulgentiarum, concessas; cum Facultates comprendere debeat aliis etiam de causis impertitas. Quare nemini mirum videri debet, si Pontifex Julius III., qui eadem adhibuerat, Patribus Societatis Jesu potestatem concessit, ut per totum illum, quem ipse celebrabat,

Annum Sanctum, a casibus reservatis absolverent, utentes privilegio, quod eisdem a Paulo III. concessum fuerat, quodque ipse prius sub amplitudine suae suspensionis comprehenderet, quemadmodum etiam paulo ante dictum est.

§. 30. Hujusce porro formulae amplitudo ad Gregorium usque XIII. perduravit, qui in suspensione Indulgentiarum, et Facultatum, quam per Annum Sanctum a se celebratum fecit, in hunc, qui sequitur, modum eamdem restrinxit: *De Apostolicae potestatis plenitudine suspendimus... omnes et quascumque plenarias, etiam ad instar Jubilaei, et earum causa, Facultates, Concessiones, et Indulta quaecumque a Nobis, et a dicta Sede, ejusque auctoritate quibuscumque Ecclesiis etc.* Digna observatione verba sunt, *et earum causa*, cum ab ipsis derivetur, eas dumtaxat Facultates sub Brevi suspensivo comprehensas fuisse, quae per respectum ad Indulgentias concessae fuerant; quod quidem explicationem a Pontificis Datario editam, et Navarri sententiam, sicut et supra indicatum est mirifice comprobat.

§. 31. Restrictiva Gregorii XIII. formula a Clemente VIII. nequaquam servata fuit, qui antiquam rursus amplitudinem assumpsit: *Omnes, et singulas Indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, et Facultates, et Indulta absolvendi etiam a casibus Sedi Apostolicae reservatis.... suspendimus.* Hanc autem eamdem rationem Successores illius tenuerunt, qui verba, *et earum causa*, unde restrictiva oriebatur, omiserunt. Cardinalis de Lugo *loco supracitato* contendit, solam suspensionem Facultatum, quae ratione Indulgentiarum concessae sunt, non autem earum, quae propter alias causas impertitae fuerunt, admittendam esse, etiamsi in Brevi suspensivo Clementis VIII. verba, *et earum causa*, desiderentur, affirmans, ita ab eodem Clem. fuisse declaratam: *Sed idem Pontifex interrogatus dixit, eamdem fuisse intentionem suam, et ad tollendum dubium, edita fuit iterum eadem Bulla, additis eisdem verbis*, idest, *earum causa*. Nos mutationis hujusce nullum documentum aut indicium habemus; et, posito quod subsisteret, argumento esset, quod nisi in suspensivo Brevi insint verba, *earum causa*, sub illius amplitudine Facultates absolvendi, tam in ordine ad Indulgentias, quam aliis de causis concessae, comprehensae intelliguntur. Verba *earum causa* in Brevibus suspensivis Urbani VIII., aliorumque Successorum etiam omissa sunt; Et quamquam supradictus Cardinalis de Lugo in sententia sua persistens, affirmet, quod Breve Urb. VIII. secundum explicationem alteri Brevi Clementis VIII. datam intelligendum sit; animadvertendum tamen est, quod non ita Urbanum declarasse ait, sed ita Cardinalem ipsum opinatum esse: *Quare cum iterum de hoc dubitaretur, aeque dixi, non fuisse revocatam Regularium Facultatem.* Et sane cum Regesta Anni Sancti Pontificis Urb. VIII. diligenter evoluta, ac perlustrata sint, nullum inventum est monumentum, quod hanc, de qua agimus, materiam respiciat. Praeterea diligenter perlecta sunt Regesta Congregationum, quae per Jubilaei Annum a Clemente X. celebratum habitae fuerunt, atque ex ipsis hoc collectum est, eos, qui in illis interveniebant, ejus sententiae fuisse, ut deficientibus in Brevi suspensivo verbis, *et earum causa*, Facultates absolvendi, tam in ordine ad Indulgentias, quam aliter concessae, revocatae intelligerentur. Et sane maximo studio contenderunt, ut a Summo Pontifice declararetur, sicuti declaratum fuit, ut durante etiam Anno Sancto possent Regulares uti privilegiis proprios subditos absolvendi a casibus reservatis, quod profecto non fecissent, nisi credidissent, sub suspensione Pontificis Clementis etiam Facultates absolvendi non respectu Indulgentiarum concessas, comprehensas fuisse; cum hujusmodi essent eae, quas in favorem Regularium praeservari postulabant.

§. 32. Pater Constantini in suo *de Anno Sancto* pluries laudato Tractatu *part. 3. cap. 7. pag.* 246. valde apposite, et ad rem dicit, rem omnem a mente, atque intentione Pontificis pendere. Nos in Constitutione nostra verba, *et earum causa*, quemadmodum Gregorius XIII. fecit, non inseruimus; Neque porro in altera Constitutionis nostrae editione ea verba supplevimus, quemadmodum Cardinalis de Lugo a Clemente VIII. factum affirmat. Persuasum Nobis est, magnam esse vim generalitatis verborum; Ideoque protestamur, quod, salvis Facultatibus expresse ac nominatim exceptis, suspensae remaneant, durante Anno Sancto, aliae Facultates absolvendi a casibus Apostolicae Sedi etiam *in Bulla Coena* reservatis, sive Indulgentiarum causa, et intuitu, sive ob alias causas concessae sint. Et quamquam hoc

ad aperiendam, et manifestandam mentem nostram circa id, de quo agitur, sufficiens esse deberet; nihilominus opportunum, atque expediens esse existimavimus in altera Constitutione nostra, quae incipit *Convocatis*, repetere quod omnes Facultates absolvendi, et dispensandi suspensae sint, sive eae Indulgentiarum causa, et occasione, sive alio quovis titulo, et causa concessae fuerint; tum cum de earum Facultatum usu agitur extra Urbem; non tamen Romae; et item quando agitur de earumdem usu in Saeculares extra Urbem, non tamen quando agitur de illarum usu sive extra Urbem, sive in ea in Regulares Subditos eorum Praelatorum, et Superiorum Regularium, quibus eaedem Facultates legitime competere dignoscuntur; quemadmodum etiam superius §. 24. indicatum est.

III.

De Apostolica Constitutione, quae incipit Convocatis, *signata sub die* 25. *Novembris* 1749.

§. I.

§. 33. Non nostrum hic consilium est de Annis Jubilaei Historiam contexere, cum id jam praestitum ab aliis multis sit, et etiam per occasionem Anni Sancti, a Pontifice Benedicto XIII. celebrati a supra citato P. Alfani Ordinis Praedicatorum. Minime etiam proinde immorabimur in referendo, quo modo a Decessoribus nostris Poenitentiarii minores deputari, et quo numero coeperint, aliique deinde ipsis adjuncti in Basilicis SS. Apostolorum Petri, et Pauli, S. Joannis, et S. Mariae Majoris, ad eorum omnium audiendas Confessiones, eosdemque ab ipsorum peccatis absolvendos, quicumque ad easdem visitandas accederent plenariam Indulgentiam consecuturi. Nihil praeterea dicemus etiam de deputatione, quae temporis successu a Cardinali Urbis Vicario fieri coepit aliorum Confessariorum, qui pro majori Poenitentium commodo in propriis Ecclesiis Confessiones audire possent. Tam minorum Poenitentiariorum in Basilicis, quam adjunctorum, quemadmodum item Sacerdotum, qui a Cardinali Vicario eliguntur, deputationem Nos introductam invenimus, atque eam aliis duobus praecedentibus Jubilaei Annis, quos Romae celebrari vidimus, in more habitam, et receptam Nos vidisse dicere possumus. A Cardinali Poenitentiario, ex Oraculo Pontificio, opportunae Facultates dabantur Poenitentiariis minoribus Basilicarum tam ordinariis, quam adjunctis; eodemque Oraculo a Cardinali Vicario aliquae Confessariis, quos deputabat, Facultates impertiebantur. Ex hoc quaedam confusionis ac perplexitatis species oriebatur, licet variae identidem Instructiones pro recto usu Facultatum eisdem respective concessarum publicarentur, ac variis Notificationibus solverentur dubia, quae non semel proponebantur. Nos illud curavimus, ut in unica Constitutione, in ea nimirum, de qua nunc agimus, omnia simul complecteremur. In hac itaque Facultates enunciavimus, quas Poenitentiariis Basilicarum minoribus, atque iis, qui tum in ipsis, tum in aliis Urbis Ecclesiis adjunguntur, concedimus; instructiones item pro recto earumdem usu; Facultates, quae Confessariis a Cardinali Vicario deputatis dantur; et quorumdam dubiorum, quae alias proposita sunt, declarationes; ut uno, quod ajunt, ictu oculi unusquisque omne id, quod ad adimplendum in futuro Anno Sancto Poenitentiarii, vel Confessarii, ut supra, deputati ministerium, necessarium est, videre possit. Quare illud unice restat, unumquemque Poenitentiarium, vel Confessarium deputatum hortari, eique, ut facimus, injungere, ut quantum unicuique eorum conceditur attente legant, ne in propriae animae, ac animarum suorum Poenitentium praejudicium praescriptos auctoritatis limites excedant.

§. II.

De Facultatibus concessis in Constitutione Convocatis *pro imminente Anno Sancto Poenitentiariis in ordine ad* Absolutiones *a peccatis, et censuris incursis.*

§. 34. Duae in hoc, quod proponitur, themate notabiles res Nobis videntur; una quae respicit Poenitentes; altera, quae pertinet ad peccata.

§. 35. Magna ea controversia est, num aliqui Regulares tempore Jubilaei Anni Santi, sive alias dum Jubilaeum conceditur, et Poenitentibus Facultas datur eligendi Confessarium

ab Ordinario approbatum, possint confiteri Confessario Saeculari, vel Regulari alterius Ordinis, ab Ordinario pro Confessionibus saecularium audiendis approbato, idque sine Superiorum suorum licentia; cum aliquot Religiosae Communitates, sive Religiones, Privilegia a Summis Pontificibus eisdem concessa habeant, ut non obstante Facultate, quae occasione Jubilaei conceditur, confitendi Confessario ab Ordinario approbato, vetitum tamen id sit eorum Alumnis, nisi ad id expressus Superiorum suorum Regularium assensus concurrat. Hujusmodi privilegium a Leone X. Minimis concessum dicitur, ab Alexandro VI. Cisterciensibus, a Sancto Pio V. Praedicatoribus, a Sixto V. Barnabitis. Amplum illud est, quod Gregorius XIII. Societati Jesu concessit in Bulla, cujus initium: *Decet Romanum Pontificem:* ubi declarat, *non esse, nec fore umquam mentis nostrae, aut Sedis Apostolicae, ut personae Societatis absque expressa Superiorum ejusdem Societatis licentia, utantur Facultatibus, quae in Jubilaeis, Bullis Cruciatae etc. hactenus concessae sunt, aut in posterum concedentur, etiamsi in illis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, hujusmodi Facultatibus uti possint.* Atque hujus Privilegii alii Regulares Ordines participes se debere esse per viam communicationis contendunt, quemadmodum citatus P. Constantini probe animadvertit *in suo Tractatu de Jubilaeo par. 3. cap. 5. §.* Secondo che.

§. 36. Quaestio haec in opere, quod *de Privilegiis Religiosorum* inscribitur, accurate discussa est; quem librum Canonicus quidam Regularis Lateranensis pridem defunctus conscripsit, et P. Eusebius Amort Canonicus item Lateranensis notis diligentibus, et accuratis illustratum novissime in lucem edidit: Ibi, *de potestate Regularium eligendi sibi Confessarium num. 17. pag. 750.* In praedicto Opere fuse comprobatur, quod a suis Canonicis Regularibus tempore Jubilaei etiam sine Superiorum suorum licentia eligi possit Confessarius, vel Secularis, vel Regularis alterius Ordinis ab Ordinario approbatus. P. Viva in Tractatu suo pluries a Nobis allegato *de Jubilaeo quaest. 9. art.* de hac quaestione generaliter agit, sequeque opinionis Regularium libertati contrariae asseclam fecit, opinionem vero, quae ipsis favet, inter probabiles tantum haberi vult. Natalis Alexander *de Indulgentiis cap. 3. regul. 17.* nullam se videre rationem testatur, quare hujusmodi libertas tempore Jubilaei auferri Regularibus possit. Cardinalis de Lugo inter Bullam Cruciatae, et Jubilaeum distinguit; dicens, haudquaquam vigore primae eligi posse a Regularibus Confessarium ab Ordinario approbatum pro Secularibus, sine Superiorum suorum Regularium licentia; quod item a compluribus Summis Pontificibus Decessoribus nostris, et a Nobis in Constitutione nostra, cujus initium *Apostolica Indulta, la 100. §. 7, Bullar. tom. 1.* stabilitum est, cum Cruciatae Privilegium sit Privilegium permanens, quod si in Religiosis Ordinibus suum haberet vigorem, damno eisdem esset; posse vero a Regularibus eligi supradictum Confessarium vigore Jubilaei, quod Privilegium brevi temporis intervallo durat, quod in favorem est omnium, quodque nemini nocet. Alii vero docent, huic controversiae locum non esse, quando Regulares conferunt se ad confitendum Poenitentiariis minoribus Basilicarum Urbis, sive per Annum Sanctum, sive extra Annum Sanctum; tum quia ita palam ab ipsis fit, absque ulla Superiorum suorum licentia, quod tacitam infert Summorum Pontificum permissionem; tum quia, cum hi Poenitentiarii a Romanis Pontificibus ad omnium Catholicorum sive Secularium, sive Regularium Confessiones excipiendas in Basilicis collocati sint, ii Religiosi, qui ad confitendum eisdem accedunt, ad confitendum Sacerdoti a proprio Pastore deputato accedunt; cum Romanus Pontifex Supremus omnium Christi ovium, omniumque Pastorum earumdem Pastor sit. Eos, qui ita docent, Auctores Rotarius *in Theolog. moral. Regular. tom. 3. lib. 1. cap. 1. punct. 2. num. 18.* colligit, eorumque sententiae subscribit. Diffuse id a P. Siro, qui in Lateranensi Basilica tot Annos Poenitentiarii munus obivit, comprobatur in suo Tractatu *de Facultatibus minorum Poenitentiariorum Basilicarum Urbis part. 1. capit. 1. dub. 6.* Nos vero nihil eorum juri detrahentes, verum, ut dici solet, *jura juribus addendo*, ad unicum dumtaxat finem, ut tutiores semper conscientiae reddantur, inter Facultates, quas hoc Anno Sancto vertente, Poenitentiariis Basilicarum concedimus, etiam illam expressimus, ut possint scilicet absolvere *quascumque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, et Instituti; etiamsi ex praescripto Superiorum, vel suarum Constitutionum etiam a Sede Apostolica appro-*

batarum, vel alias ex Indulto, Decreto, aut Praecepto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur.

§. 37. Atque haec sunt, quae ad Poenitentes pertinent. Quod vero respicit peccata, in Ephemeridibus Joannis Burcardi Cappellae Pontificiae Caeremoniarum Magistri tempore Alexandri VI., in Annalibus Bzovii, et in pluries citata Alfani Historia de Annis Sanctis, *Lib. 8. de Anno Sancto* 1500. *pag.* 244. *num.* 7. 8. *et* 9. postulationes registratae sunt, quas S. Petri Poenitentiarii Pontifici Alexandro VI. occasione Anni Sancti, qui tunc celebrabatur, obtulerunt; inter quas illa registrata est, ut possent absolvere *a peccatis omnibus quantumcumque enormibus;* Pontifex vero in sua Constitutione, quae incipit *Cum in principio*, eam cum exceptione quatuor casuum concessit, idest conjurationis contra Pontificis Personam, ejusque statum; adulterationis literarum, et commissionum Apostolicarum; translationis armorum, aliarumque rerum vetitarum ad loca, et regiones Infidelium; et injectionis manuum violentarum in Cardinales, Episcopos, aliosque Praelatos, et Superiores Ecclesiasticos. Eamdem exceptionem a Pontifice Clemente VII. per Annum Sanctum, quem ipse celebravit, eisdem Basilicae Vaticanae Poenitentiariis factam legimus in Constitutione, quam penes Nos habemus, cujus initium *Pastoris aeterni.* De praedictis casibus, ac de aliis etiam, mentio est in Constitutione Pauli II., quae incipit: *Etsi Dominici Gregis*, inter Extravagantes communes sub titulo *de Poenitentiis, et Remissionibus;* Quod quidem quibusdam occasionem credendi ac scribendi praebuit, non posse Poenitentiarios Minores Basilicarum per Annum Sanctum a praedictis casibus absolvere. Nos vero ad difficultatem omnem de medio tollendam, aliorum etiam Decessorum nostrorum, exemplo adhaerentes, in Constitutione nostra, de qua in praesens agimus, *num.* IV., Poenitentiariis praedictis auctoritatem dedimus absolvendi a censuris etiam *in Bulla Coenae* Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae reservatis, et insuper *ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus, et enormibus.* Praeterea vero *num.* XXXIII. illaesas, et in suo vigore per Annum Sanctum alias etiam Facultates remanere declaravimus, quae ipsis Cardinali Majori Poenitentiario concessae sunt, aut concedentur.

§. 38. Nequaquam vero, quemadmodum inferius dicetur, concessa umquam intelligitur auctoritas absolvendi ab haeresi ad extrinsecum deducta, etiamsi verba Indulti generalia, ac generalissima sint, nisi haeresis expresse, et individualiter nominetur. In facultatibus a Nobis per Annum Sanctum, Poenitentiariis concessis casus haeresis ad extrinsecum deductae expresse *nu.* VII. nominatur; ubi tamen Facultas absolvendi a censuris propter haeresim formalem externam incursis intra certos limites restringitur, quos Poenitentiarius attente animadvertere debet, ne faciat id, quod faciendi auctoritatem non habet.

De peccatis, et censuris, ad quae extenduntur Facultates Poenitentiariorum.

§. 39. De Confessario, qui expers remanet auctoritatis absolvendi personam complicem in peccato turpi et inhonesto contra sextum Praeceptum, etiam tempore Jubilaei, inferius dicetur. Hoc interim punctum de Facultatibus absolvendi a peccatis, et censuris, quae Poenitentiariis minoribus per Annum Sanctum conceduntur, concludimus, eosdem admonendo, et hortando, ut Nostram legant Constitutionem de Facultatibus Majoris Poenitentiariae; cum ex ejus lectione facile intelligere possint, non obstante amplitudine verborum Concessionis, ac etiam quidquid ipsis communicatum fuerit a Cardinali Majori Poenitentiario, aut in posterum communicetur, interdictum ipsis esse totum id, quod eidem Cardinali in Constitutione interdicitur. Exempli gratia, si Cardinalis Major Poenitentiarius non potest absolvere *in occultis etiam in foro conscientiae*, eos, qui, vivente Romano Pontifice circa Successoris electionem tractatus inierint, suffragia comparaverint, aut pactiones fecerint; nec eos, qui Astrologia Judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu Reipublicae Christianae, sive de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, inquisierint; multo minus eos Poenitentiarius minor absolvere poterit. Constitutio incipit: *Pastor bonus*, et ordine 95. est in Bullario Nostro *tom.* 1., quae si rite legatur, et ponderetur, magnam Poenitentiariis minoribus in hujusmodi rebus lucem allatura est; quibus praeterea notum facimus, ut, si quando aliquis ex praedictis casibus eisdem occurrat, ad Cardinalem Majorem Poenitentiarium recurrere non praetermittant, cui a Nobis opportuna, et necessaria remedia demonstrabuntur, ac praescribentur.

§. III.

De Facultatibus Minorum Poenitentiariorum circa vota, contentis in Constitutione Convocatis.

§. 40. Dum Jubilaei Annus a Praedecessore nostro Alexandro Papa VI. celebratus fuit, quemadmodum apud Bzovium *ad Annum Christi* 1500. *num.* 5. videre est, inter alias petitiones, quas Poenitentiarii Minores Pontifici obtulerunt, ea, quae sequitur, ordine undecima est: *Commutatio omnium Votorum, adempto Continentiae, aut Religionis solemni*. Licet autem tunc temporis id illis concessum fuerit, certum tamen est, subsequentibus temporibus nihil aliud facultatis ipsis tributum esse, quam ut omnia Vota simplicia, etiam Apostolicae Sedi reservata, in alia pia Opera commutare dispensando possent.

§. 41. Quod idem est ac si dicatur, ipsos potestatem dispensandi in Votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae in solemni Religiosa Professione, sive in Ordinis Sacri susceptione emissis, minime habere: Haec autem sola solemnia Vota sunt; quum alia omnia Vota, licet publice facta simplicia Vota sint, secundum Bonifacii VIII. Decretalem, *cap. unic. de Voto, et Voti redemptione, in sexto;* et communem Auctorum sententiam *apud Pontas in verbo Votum, in princip.*, posse vero e contrario omnia alia simplicia Vota, licet S. Sedi reservata, in alia pia opera, dispensando, commutare.

§. 42. Sanctus Thomas 2. 2. *quaest.* 88. *art.* 12. *ad tertium* duorum dumtaxat simplicium Votorum Summo Pontifici reservatorum mentionem facit, *Continentiae, et Peregrinationis Terrae Sanctae;* idcirco autem duorum praedictorum tantum Sanctum Doctorem mentionem fecisse putandum est, quia suo forsan tempore illa duo solum reservata Sanctae Sedi fuerant. Crevit postea simplicium Votorum numerus, quae Pontifici sunt reservata; ea autem, sicut unicuique probe notum est, Vota sunt Religionem ingrediendi, perpetuam continentiam servandi, peregrinationis ad Sanctam Urbem Jerusalem, ad Sanctuarium Sancti Jacobi de Compostella, item ad Urbem Romam visitandi gratia Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli; sive id ex consuetudine ortum sit, sive ex subsequenti Canonica dispositione Sixti P. IV. registrata in cap. *Et si Dominici capit.* 5. *de poenitent. et remiss. inter Extravagant. communes*. Alii sunt, qui inter Vota Summo Pontifici reservata, Votum adjungunt visitationis Sanctae Domus Lauretanae; verum hujusce rei nulla probatio occurit. Alii denique in hac Classe omnia perpetua Vota reponunt; id quod errori locum praebere potest, nisi aliquid addatur; Propositio enim intelligi debet de solo Voto perpetuo, quo quis Episcopatum acceptans, obligationem suscipit animarum sibi commissarum curam retinendi, juxta Responsum Innocentii III. *in cap. nisi cum pridem, de renuntiatione*, ac probatiorum Theologorum Doctrinam, quemadmodum apud Sylvium *in* 2. 2. *D. Thom. quaest.* 8. *artic.* 12. *conclus.* 2. videre est.

De Votis juramento confirmatis.

§. 43. Super eo, quod hactenus dictum est, nulla, quod sciamus, extitit Controversia. Controversia autem, quae alias excitata est, ea fuit, num videlicet Poenitentiarius, qui facultatem absolvendi a Votis simplicibus habet, etiam de quinque Sedi Apostolicae reservatis loquendo, possit hac auctoritate uti, quando Vota juramento confirmata sunt. Quod quidem alii eum posse crediderunt, docente S. Thoma 2. 2. *quaest.* 89. *art.* 8. arctius esse vinculum Voti, quam juramenti, ac proinde, cum Poenitentiarius auctoritatem habeat absolvendi a Voto, dici debere, eumdem habere etiam auctoritatem absolvendi a Voto per juramentum confirmato. Alii autem contra senserunt; quia, cum in Voto per juramentum confirmato, duo diversa vincula insint, alterum, quod oritur ex Voto, alterum quod ex juramento; qui habet auctoritatem solvendi unum, non habet item auctoritatem alterius dissolvendi, nisi individualiter eidem concedatur; cujus rei argumentum desumitur ex eo, quod qui per vim coactus Votum fecit, non tenetur illud adimplere; verumtamen ad idem implendum obligatur, si ipsum juramento confirmaverit; similique ratione, si quis promisit solvere usuras, non tenetur eas solvere, cum tamen ad earum solutionem adstringatur, si promissionem juramento confirmaverit; juxta Decretalem: *Debitores, de Jurejurando*.

§. 44. Eorum Auctorum nomina, qui tam pro una, quam pro altera stant opinione, videri possunt in Leandro *part.* 1. *Tractat.* 5. *de Sacramento Poenitentiae disp.* 14. *quaest.* 100. Azorius porro *Institut. moral. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 10. *quaest.* 2. utriusque opinionis funda-

menta refert, atque ad extremum illi adhaeret, quae habenti auctoritatem absolvendi a Votis, potestatem denegat id faciendi, tum cum Vota juramento confirmata sunt. P. Sirus *de Facult. Minor. Poenitent. par.* 1. *cap.* 6. *dub.* 4. Facultatem ad commutanda Vota concessam, Vota etiam Jurejurando confirmata comprehendere affirmat. Nos autem ad omnem controversiam removendam, inter Facultates Poenitentiariis Minoribus pro Anno Sancto concessas, §. 8. hujusce Constitutionis nostrae, illam etiam auctoritatem dedimus, non solum ut possent Vota simplicia, etiam S. Sedi reservata, in alia pia Opera, dispensando, commutare; verum et illud adjecimus, ut id ipsum circa illa Vota facere possent, quae Jurejurando confirmata sunt: *Omnia, et singula simplicia Vota etiam Sedi Apostolicae reservata, etiam jurata, commutare, dispensando, possint in alia pia opera;* quod quidem a Nobis etiam in citata Constitutione: *Pastor bonus*, super Facultatibus Cardinalis Majoris Poenitentiarii, factum est, in qua agendo de auctoritate, quae ipsi concedebatur, Vota simplicia S. Sedi reservata in alia pia Opera, dispensando, commutandi, verba, quae sequuntur, adjecimus: *tametsi privato juramento confirmata.* Pro exemplo nobis fuit circa praemissa, id quod a Praedecessore nostro Gregorio Papa XIII. erga PP. Societatis Jesu praestitum fuit. Horum Confessariis Ordinariis ab eorumdem Superioribus deputatis, et ab Ordinariis approbatis Paulus III. Facultatem commutandi Vota concesserat, iis exceptis, quae S. Sedi reservata erant; cum vero dubitatum esset, num praedicta Facultas Vota comprehenderet juramento confirmata; Gregorius XIII., salva Pauli III. exceptione, auctoritatem etiam ad Vota jurata extendit, sicut in Compendio Privilegiorum eorumdem *in verb. Commutatio* §. 1. videre est.

e commu-
ione Vo-
um.

§. 45. Operae pretium est hic animadvertere, quod Facultates, de quibus hactenus pertractatum est, non sunt Facultates commutandi simpliciter; et absolute verum *commutandi dispensando;* cum commutatio, et dispensatio, res inter se diversae sint. Nam Dispensatio obligationem Voti tollit, sine ulla alia subrogatione; at simplici commutatione non extinguitur obligatio Voti, verum materia Voti transfertur in aliam materiam, quae ipsi subrogatur. P. Sirus in suo Opere superius allegato *par.* 1. *cap.* 6. *dub.* 2. observat, totum id, quod Poenitentiario Facultatis attribuitur, in commutatione mixta cum aliqua dispensatione consistere; quodque, sicut sola ac simplex commutatio subrogationem exigeret in materiam majorem, aut saltem aequalem, sic commutatio mixta cum dispensatione, capax est alicujus moderatae inaequalitatis inter materiam Voti, et materiam subrogatam: *Ut principale*, scribit praefatus Auctor, *ponitur* COMMUTARE *et ut accessorium jungitur* DISPENSANDO, *ita ut esse debeat essentialiter commutatio, quae de sui natura est in majus, vel in aequale, et per accessoriam dispensationem a rigore naturae suae aliquantisper recedat: ergo moderata, et non exorbitans, debet esse inaequalitas materiae subrogatae in commutatione Voti, cum accessoria dispensatio sequi debeat naturam sui principalis, scilicet commutationis, ejus naturam non multum immutando; ne quod accessorie ponitur, locum habeat principalis, nempe plus dispensando, quam commutando, quod esset contra intentionem Pontificis, qui facultatem dat Poenitentiario, ut possit dispensando commutare, non commutando dispensare.*

§. 46. Permultum ad rem, de qua agimus, duo illa faciunt exempla, quorum alterum Pontificis est Alexandri III. in sua Decretali: *Venientis, de Voto*, in qua valde gravibus de causis Clericum dispensat, qui Voto se obstrinxerat Hierosolymam proficiscendi ad Christi Domini Sepulchrum invisendum; Votum tamen in Eleemosynas commutans, eique injungens, ut per totum vitae suae tempus propriis sumptibus *tam in victu, quam in vestitu* pauperem aleret, dummodo tamen ejus facultates ad onus hoc ferendum non impares essent. Alterum vero est Innoc. III. in Decretali: *Magnae, eod. Tit.* in qua Episcopum Traecensem ab adimplendo Voto dispensat, quod, licet improvide, fecerat item Hierosolymam se conferendi, eidem injungens, *ut omnes expensas, quas fuerat in eundo, morando, et redeundo facturus, alicui religioso committat in necessarios usus Terrae illius*, idest Terrae Sanctae, *sine diminutione qualibet transferendas;* tum autem labori, quem in itinere sustinere debuisset, aliorum laborum augmentum subrogans, quos ut pro servitio gregis sui susciperet mandavit: *Labores etiam laboribus recompenset, solicitius instando vigiliis, devotius vacans orationibus, et jejuniis fortius se exercens, ac super grege suo vigilans solicitudine Pastorali.*

§. 47. Verba ista, quae non simplicem tantum commutationem, verum *commutationem cum dispensatione conjunctam* indicant, non solum ad bonam regulam super dispensatione, et commutatione Votorum in alia pia Opera, utilia sunt; sed etiam difficultati, quae oriri poterat, quaeque alias inter Auctores exorta est, occasionem praecludunt; quae quidem difficultas ex eo originem habuit, quod vel solum verbum *commutatio*, vel solum verbum *dispensatio* adhibitum sit; cum alii quidem contenderent, quod potestas commutandi Vota non ferat secum potestatem super ipsis dispensandi, cum commutatio, ac dispensatio sint actus, quemadmodum dictum est, omnino distincti; alii vero docerent, quod nec ex facultate quidem concessa super Votis dispensandi, alia commutandi potestas deduci possit; cum de potestate delegata agatur; quae semper intra praecisos limites in literis Delegationis praescriptos restringi debet. Ita cum aliis multis Pignatellus *in suo Tract. de Anno Sancto cap.* 19. *dub.* 2. *et* 3. ratiocinatur. Neque tandem defuere, qui de Anno Sancto agentes, docuerunt, concessam intelligi Facultatem commutandi, ac dispensandi in Votis, etiamsi neutra expressa foret. Verum hujusmodi opiniones communiter reprobatae ac rejectae sunt, quemadmodum apud P. Viva *de Jubilaeo quaest.* 12. *art.* 1. *num.* 2. et apud Constantinum *de Jubilaeo Anni Sancti part.* 3. *cap.* 1. §. Potrebbe, *cum multis aliis seqq.* videre est. Quibus etiam praeclusa opportune via est per nominata saepius a Nobis verba *commutare dispensando* in supradicto §. 8. *ac sequentibus* insertas.

§. IV.

De Facultatibus super Dispensationibus, *quae continentur in Constitutione:* Convocatis.

De Facultate dispensandi super Irregularitate etiam cum Clericis in Minoribus Ordinibus constitutis.

§. 48. Qui aliqua Canonici Juris, ac Moralis Theologiae vel mediocri cognitione imbutus est, duas hasce controversias procul dubio non ignoraverit; quarum una est, num sub nomine Censurae comprehendatur Irregularitas, quae oritur ex delicto; altera vero, utrum qui censuram incurrit, idest aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum, cum sit in Minoribus Ordinibus constitutus, susceptos Ordines solemniter exercens, incurrat irregularitatem. Oritur prima quaestio ex intelligentia Decretalis: *Quaerenti, de verbor. significat.*, ubi interrogatus Summus Pontifex, quid sub censurae nomine comprehendatur, respondit, quod comprehenditur interdictum, suspensio, et excommunicatio; quo non obstante, Gonzalez *in Commentar. ad dict. textum* contendit, quod sub nomine censurae etiam irregularitas ex delicto comprehendatur. Contrariam tamen sententiam tuentur Suarez, Molina, Trullengus, Filliucius, Reginaldus, aliique complures. Altera vero controversia oritur ex Decretalibus, quae leguntur sub tit. *de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante;* in quibus etiamsi legatur, quod qui ligatus excommunicatione minori celebrat, graviter peccat, sed non incurrit irregularitatem; quae tamen incurritur ab eo, qui excommunicatione majori ligatus, Sacerdos cum sit, celebrat, vel in ordine Subdiaconatus, vel Diaconatus constitutus, Subdiaconi, aut Diaconi functiones exercet, dummodo sciat, se incurrisse in censuram, aut non ignoret ignorantia crassa, supina, aut erronea; nulla tamen ex iis est, quae de Clerico excommunicatione majori excommunicato, non in Sacris Ordinibus, sed in Minoribus constituto, loquatur, et quae eum irregularem declaret, si susceptos Ordines solemniter exercet. Navarrus, Avila, cum aliis multis ejus sententiae sunt, quod in praedicto casu Irregularitas non incurratur. Contra vero Pirhing. *ad lib.* 5. *Decretal. tit.* 27. §. 6., Anacletus *ad eumdem titulum Decretal. n.* 21. *et* 22., et Fagnanus *in cap.* Si quis Presbyter *a n.* 2. *usque ad fin. de Clerico excommunicato ministrante,* eumdem Irregularitatem incurrere affirmant; atque hic quidem postremus, talem esse Poenitentiariae, et Congregationis Concilii sententiam adjungit.

§. 49. Ex hisce controversiis dubia duo exoriri poterant: primum, utrum cum Poenitentiariis *num.* IV. Facultas absolvendi *a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis censuris* attributa sit, concessa etiam ipsis intelligeretur auctoritas absolvendi *in occultis*, et quo ad forum conscientiae, ab irregularitatibus *ex delicto* contractis, excepta tamen illa semper, quae provenit ex homicidio voluntario; quoniam juxta quorumdam opinionem irregularitates *ex delicto* sub Censurae nomine comprehenduntur. Alterum autem, num, cum data esset minoribus Poenitentiariis Facultas absolvendi Sacerdotes, et

alios in Sacris Ordinibus constitutos, ab irregularitate contracta *ob violationem censurarum*, pro illis etiam data intelligeretur, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti.

§. 50. Gonzalez in Commentariis ad citatam Decretalem *Quaerenti, de verbor. signific.* licet opinionis eorum assecla sit, qui sub Censurae nomine irregularitatem ex delicto comprehendi volunt; attamen protestatur, quod si per Jubilaeum Facultas datur absolvendi ab omnibus censuris, non illa intelligitur concessa absolvendi ab irregularitate *ex delicto*, quum haec speciali mentione digna sit, et difficilius remitti consueverit. Ad omnes hasce disputationes evitandas, duae classes constitutae sunt, altera Censurarum, altera Irregularitatum. In priori verbum *absolutionis* adhibitum est, in posteriori vox *dispensatio*, cum haec propria loquendi forma sit ex Sacro Concilio Tridentino desumpta *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* Ex quo quidem satis manifestum fit, quod, quidquid sit de ea controversia, num sub nomine censurae irregularitas *ex delicto* comprehendatur, cum Nos censuras ab irregularitate separaverimus, cumque, respectu irregularitatis, Poenitentiariis minoribus nonnisi Facultatem dederimus dispensandi ab irregularitate *ob violationem censurarum*, idque per vocem *dumtaxat*, hinc alia omnis irregularitas, sive ex delicto, sive ex defectu, excluditur. Et quamquam ibi non nisi Sacerdotes, et in Sacris Ordinibus constituti nominentur; unusquisque tamen per se satis intelligere potest, si, eo concesso, quod est majus, concessum intelligitur quod minus est, nequaquam vetitum esse Poenitentiariis, quibus data est facultas dispensandi cum Sacerdotibus aut in Sacris Ordinibus constitutis, super occulta irregularitate *ob violationem censurarum* contracta, quo minus eadem facultate utantur cum Clericis, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti.

aliis Facultatibus pensandi.

§. 51. Sequuntur aliae Facultates dispensandi in foro conscientiae, et in casibus occultis, quae minoribus Poenitentiariis occasione Jubilaei conceduntur. Quod vero ad hasce pertinet, nihil aliud hic inculcandum est, nisi ut ab eisdem attente consideretur, quam ipsis, et quibus terminis conclusam concedatur, ne de ministerio suo in praejudicium animarum suorum Poenitentium male gesto ante Dei Tribunal rei fiant.

De dispensatione, et commutatione Visitationum injunctarum quatuor Basilicarum.

§. 52. Facile evenire potest, ut Advenae, qui consequendi causa Indulgentiam Anni Sancti sese Romam contulerunt, sive ob magnam paupertatem, sive alia urgenti de causa, tamdiu morari non possint, ut quindecim visitationum Basilicarum numerum compleant; quemadmodum fieri etiam potest, ut Romani, aut alii Urbis incolae, sive ob morbum, sive ob aliud legitimum impedimentum, easdem Basilicas per vices triginta visitare non possint. Hac de causa *num.* XX. Constitutionis Nostrae novissime indicatae, Poenitentiariis minoribus auctoritas est attributa, quo ad Advenas, quindecim visitationes Basilicarum ad tres saltem reducendi, aut visitationes ipsas in alia pia opera commutandi, quo autem ad Romanos, certosque Urbis incolas, sequenti *num.* XXI. concessa ipsis auctoritas est triginta visitationes in alia pia opera commutandi, quae ab impeditis adimpleri possint, ipsorum Poenitentiariorum conscientiam onerando, ne praedictis Facultatibus abutantur.

§. 53. Hujusmodi autem auctoritas tum quo ad Romanos, tum quo ad Advenas, ad visitationes Basilicarum restringitur, ac proinde ad alia opera injuncta nec potest, nec debet extendi; exempli gratia ad Confessionem, ad Communionem; aut etiam ad preces, quae a Basilicarum visitatione separari possunt. Quapropter controversiae illi, ac disputationi, quae inter Doctores habetur, non est amplius locus, num videlicet in Jubilaeis, injuncta Confessionis, et Communionis opera etiam quoad personas sacrae Communionis capaces, in alia pia opera commutari possint. De hac controversia tractant Cardinalis de Lugo *Disput.* 27. *de Poenit. sect.* 7. *num.* 118. *tom.* 1., Leander *de sacram. Poenit. tract.* 5. *quaest.* 95., La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *de Indulg. num.* 1442. Constantinus in suo de Anno Jubilaei Tractatu *part.* 3. *cap.* 4. *pag.* 204. *et seq.* animadvertit, quod cum Facultas commutandi ad visitationes Basilicarum restringatur, non solum ea ad commutationem aliorum operum injunctorum, sicut modo innuimus, extendi non potest; verum ulterius quod commutatio ipsa nequaquam fieri debet in alia opera, licet pia, ad quae poenitens ex alio titulo esset obligatus. Quaestio sane inter Scriptores est, utrum quis Indulgentiam consequi possit, opera aliqua faciendo, ad quae ex alio titulo obligatur. Exempli gratia, utrum, cum inter opera in-

juncta eleemosyna praescripta sit, sufficiat ad consequendam Indulgentiam, pro eleemosyna tantum pauperi dare, quantum quis eidem jam dare teneretur ratione justitiae; sive posito quod quis, vigore alicujus Testamenti, aliquid in subsidium pauperum erogare teneretur, an is, hujusmodi faciendo eleemosynam, possit eam habere pro implemento illius, quae inter opera sibi ad consequendam Indulgentiam injuncta comprehensa foret. In hac quaestione, sicut in ceteris omnibus, alii affirmant, alii negant; quemadmodum apud Benzonium *de Anno Jubilaei lib.* 5. *dub.* 30. videre est. Sed illa verior opinio esse videtur, quod acquiri nequeat Indulgentia per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligatur, nisi qui Indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per praedictum opus acquiri possit: id etiam saepe contingit, cum inter injuncta opera trium dierum jejunium praescribitur, ac dies nominatim indicando, exempli gratia dicitur, quod esse debeant tres dies quatuor temporum Septembris. Ita cum aliis multis Passerinus *de Indulgentiis quaest.* 41. distinguit, cum quo P. Theodorus *de Indulgentiis tom.* 1. *cap.* 10. *art.* 6. concordat. Verum, etiamsi id in ipsis, quas expressimus, rerum circumstantiis locum habeat; non tamen ad praesentem rem nostram applicari potest, in qua de commutatione visitationum Basilicarum in alia pia opera sermo est; cum haec commutatio non possit fieri in alia pia opera, ad quae poenitens ex alio titulo obligaretur. Agitur enim de subrogatione; et cum pro constanti regula habeatur, id quod subrogatur, ejusdem qualitatis, ac naturae esse debere, cujus est opus ipsum, cui fit subrogatio, sequitur inde, quod, quoniam visitatio Basilicarum non erat opus, ad quod praeceptum ullo quis obligaretur, sed novum onus ad consequendam Indulgentiam impositum, ejusdem speciei ac naturae esse debet etiam opus, quod in locum ipsius subrogatur.

§. 54. Ita sapienter disserit Constantinus *loco citato*, qui quidem illud etiam adjungit, nequaquam licitum esse Poenitentiariis, salva eorum conscientia, numerum visitationum Basilicarum imminuere, aut in alia pia opera commutare, nisi impedimentum vere adsit, aut moralis impotentia visitationes praedictas faciendi.

§. 55. Universam hanc materiam S. Caroli Borromaei monito absolvamus, quod in suis Instructionibus ad Confessarios §. 16. habetur: ipsa Sancti Cardinalis verba apponimus, quae quidem ad propositum nostrum, tam quoad Facultates super dispensationibus, quam quoad eas, quae commutationes Votorum respiciunt, sufficientia fuissent, nisi diversitas ac multiplicitas sententiarum inter scriptores, rem Nos fusius persequi coegisset: *Confessarius, qui aliquod Privilegium, Facultatem, et Auctoritatem habet illorum Vota commutandi, qui sibi confitentur, nequaquam illa commutet, nisi in majora alia pia opera, et quae Deo gratiora sint, aut saltem aequalia, diligentem rationem habens expensarum, laborum, aliarumque incommoditatum, quas sustinuissent, si Vota sua adimplessent. Praeterea si Facultates habent per Jubilaea, aut Privilegia Literis Apostolicis concessa, absolvendi a peccatis licet enormibus, et poenis, ac censuris Ecclesiasticis, illud tamen advertant, non habere se potestatem dispensandi cum illis, qui in irregularitatem incurrerint, nisi in praedictis Literis Apostolicis expressa hujusce rei mentio fiat.*

§. V.

De Monitis contentis in Constitutione Convocatis, *quae necessaria sunt Poenitentiariis Minoribus ut Facultatibus sibi concessis rite utantur.*

De Sacerdote complici cum poenitente in peccato contra sextum Decalogi praeceptum.

§. 56. Inter Monita, quae *num.* XXIII. incipiunt, primum pertinet ad Sacerdotem, qui pro audiendis Confessionibus approbatus, confessionem excipit personae secum complicis in peccato turpi et inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum, eamque absolvit. Alio tempore inter Auctores controversia erat, utrum hujusmodi absolutio valida foret, et communis opinio stabat pro ejusdem validitate, cum nulla esset lex, quae illius invaliditatem induceret. Quaestio item erat, num absolutio licita esset; atque opinio communis ad licitum propendebat, quoties non minus Poenitens, quam Confessarius commissum peccatum abhorrerent, neque novi consensus periculum subesset.

§. 57. Episcopi animarum sibi commissarum boni regiminis studiosi, considerantes, rem hanc, quidquid de ea abstracte, et in ca-

thedra dici possit, in praxi minime bonam, sed potius perniciosam esse, coeperunt in Synodis subtrahere Confessariis, licet a se approbatis, jurisdictionem absolvendi personas sibi complices in peccato contra sextum Decalogi praeceptum commisso. Postea vero, cum Deo placuisset, Nos sine nostro ullo merito ad summum Pontificatum evehere, Nobiscum instanter agere non destiterunt, ut generali Constitutione huic inconvenienti opportuna remedia adhiberemus.

§. 58. Facti hujusce historia a Nobis in nostro Tractatu *de Synodo lib. 7. cap. 14.* refertur. Tunc publicata fuit a Nobis Apostolica Constitutio, quae incipit: *Sacramentum poenitentiae*, 20. *Bull. tom. 1.* in qua quemcumque Confessarium omni auctoritate ac jurisdictione absolvendi personam complicem in peccato turpi et inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum privavimus, adeo ut absolutio ab eodem data nulla atque invalida remaneat, tamquam ab eo data, qui a Nobis jurisdictione ad absolvendum necessaria in eo casu privatus est.

§. 59. Casum articuli mortis, et in quo nullus alius esset Sacerdos, qui personae moribundae confessionem audire posset, excepimus: exinde vero aliam Constitutionem, cujus initium: *Apostolici muneris* 120. *Bullar. tom. 1.* publicavimus, in qua explicantes casum articuli mortis, et in quo nullus alius, praeter Sacerdotem complicem, adesset, qui poenitentem personam moribundam absolvere posset, adjunximus, quod in dictis circumstantiis posset complex absolvere, etiamsi alius esset Sacerdos, cui tamen si moribundus confiteretur, posset exinde infamia, aut scandalum in Sacerdotis complicis, aut personae poenitentis praejudicium redundare; dummodo infamia esset vera, et scandalum etiam esset verum, et non Sacerdotis complicis praetextum esset. Huic porro onus imposuimus omnem diligentiam adhibendi ad infamiam, et scandalum removendum. Praeterea non minus Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit Poenitentis, eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius Sacerdos non desit, sive qui, cum alius sit Sacerdos, sibi fingit, quod si Poenitens illi confiteatur, infamia, aut scandalum inde oriturum sit, et ideo ejus confessionem excipit, atque eum absolvit, Excommunicationis majoris poena a Nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit; cujus absolutionem Nobis solis, ac Successoribus nostris reservavimus.

§. 60. Cessant itaque per has leges a Nobis editas quaestiones illae veteres, num absolutio a Sacerdote complice Poenitenti socio in peccato contra sextum Decalogi praeceptum data, valida, an invalida, licita, an illicita sit. Et quia quo tempore citatam nostram Constitutionem, *Sacramentum Poenitentiae*, condidimus, consideravimus, quod cum occasione Jubilaeorum ampla Confessariis Facultas detur excipiendi confessiones, et a quolibet enormi peccato absolvendi, institui quaestio potuisset, num forsan pro tempore Jubilaei restituta esset Confessario complici Facultas socium Poenitentem absolvendi; in dicta Constitutione declaravimus, quod cum ipse a Nobis jurisdictione complicem absolvendi privatus sit, adeoque ob id tamquam Confessarius legitimus, et approbatus haberi non debeat, hinc est quod in quocumque Jubilaeo censendus est in eodem gradu remanere, inhabilitatus nimirum, et exutus auctoritate complicem in peccato turpi, et inhonesto absolvendi. Atque ad haec respicit primum ex Monitis, de quibus hic agimus.

De Monitis contentis in §§ 24. 25 et 26.

§. 61. Una cum Monitis Instructio pro Poenitentiariis prosequitur; In hac vero, generali regula praemissa, qua praescribitur, non posse Poenitentiarios uti Facultatibus, quae ipsis per Annum Sanctum conceduntur, nisi cum iis Poenitentibus, qui serium Jubilaei acquirendi consilium, et propositum habent, et qui ad injuncta opera pro ejusdem consecutione adimplenda parati sunt; ad alia duo puncta stabilienda gradus fit, quorum alterum est, quod non possint ullam aut commutationem, aut dispensationem concedere extra Sacramentalis Confessionis actum, aut extra eas Basilicas, et Ecclesias, in quibus ad audiendas confessiones destinati sunt; alteram, ne intuitu laudabilis propositi, quod Poenitens habeat adimplendi opera injuncta, ac Jubilaeum consequendi, salutarem poenitentiam eidem in confessione imponere praetermittant.

Quod Facultatibus concessis uti minime potestas sit, nisi cum iis, qui recipiendi jubilaeum voluntatem habeat.

§. 62. Quod ad generalem regulam attinet, satis clara ratione innititur, quod in ea constitutum est: etenim si omnes, quae tribuuntur Facultates, ad Jubilaei consecutionem directae, ac veluti ipsius praeparatio sunt; clare inde consequitur, illarum usui minime locum esse, nisi cum eo, qui et ad consequendum Jubilaeum praeparatus sit, et certum ha-

beat propositum adimplendi opera ad ejusdem acquisitionem injuncta: *Gratia non conceditur, nisi in ordine ad hunc finem, et per modum preparationis ad effectum Jubilaei; ergo, qui non habet animum implendi, et obtinendi Jubilaeum, non potest gaudere Facultate*. Verba sunt Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 6.* de commutatione votorum agentis; qui quidem paulo post quaestionem illam examinans, an scilicet in pristinum redeat vinculum Voti Jubilaei tempore commutati, tum cum Poenitens, licet quando confessus fuit, ad accipiendum Jubilaeum dispositus ac paratus esset, omittit postea opera ad ejusdem consecutionem injuncta adimplere, de qua re posterius agetur; docet *ibi num. 11.* quod, si in commutatione clarum non inest pactum injuncta ad Jubilaei consecutionem opera adimplendi, implicitum tamen pactum intercedit. *Dico, licet non probetur pactum explicitum, sufficienter probari implicitum quasi intrinsece, et ex natura rei, inclusum in tali actionee seu ministerio, ut recte, et fideliter fiat; nec videtur dubium, quin haec sit praesumpta intentio Pontificis talem Facultatem concedentis.*

Quod praedictis Facultatibus uti non licet extra actum Confessionis.

§. 63. Verum, si clarum est id, quod in praemissa regula continetur, non ita tamen dici poterat, ante Declarationem nostram, de priori illa lege, qua Poenitentiarii adstringuntur, ut propriis Facultatibus in actu Sacramentalis Confessionis, non autem extra ipsum, utantur. In Facultatibus, quae tempore Jubilaei Poenitentiariis attributae sunt, multa continentur; videlicet absolutio a peccatis reservatis, et a censuris, auctoritas Vota dispensando commutandi, potestas denique dispensandi in aliis etiam materiis extra Vota, sicuti nuper dictum est. Sane quod attinet ad absolutionem a casibus reservatis, manifestum quidem est, ipsam extra Sacramentalem Confessionem dari non posse. De absolutione autem a Censuris, dubitatum est inter Auctores, num ea extra Sacramentalem Confessionem dari posset. Sanchez id eo casu fieri posse existimavit, cum in concessione Facultatis apposita non est Clausula *eorum Confessionibus diligenter auditis*, aut alia, quae huic aequivalens sit, quemadmodum in ejusdem Operibus videre est *lib. 8. de Matrim. disp. 34. num. 30.* Alii vero tutiorem opinionem sequentes, putarunt, non posse extra Sacramentalem Confessionem dari absolutionem a Censuris, cum Facultas absolvendi a Censuris detur, tamquam praevia dispositio ad absolutionem a peccatis; et haec sententia est Suarez, Vasquez, Filliucii, Navarri, cujus sententiam sequitur Viva *de Jubilaeo quaest. 10. num. 4.* Quod vero ad commutationem Votorum spectat, Constantinus in suo de Anno Jubilaei Tractatu *part. 3. cap. 3. pag. 192.* contendit, eamdem per Anni Sancti Jubilaeum dari posse ab eo, qui Facultatem habet, etiam extra Sacramentalem Confessionem, cum in Notificationibus per praeteritos Annos Sanctos publicatis non legerit clausulam *eorum Confessionibus diligenter auditis*; cumque nequaquam eidem videatur, commutationem Votorum ullam ad Poenitentiale Forum relationem habere, neque ex natura sua, neque ex voluntate concedentis commutandi Facultatem. Alii denique illius clausulae *auditis Confessionibus* nullam omnino rationem habent; et quamvis ea apposita fuerit post Facultatem absolvendi a casibus reservatis, et a censuris, atque etiam post auctoritatem Vota commutandi, et quasdam dispensationes concedendi, idcoque omnes res praecedenter expressas comprehendere debere videatur; docent tamen, eamdem ad solam absolutionem a casibus reservatis; sive ad absolutionem a censuris referri debere, pro quibus specialis ratio militat ex earum natura desumpta; nunquam vero ad commutationes Votorum, aliasque dispensationes, pro quibus locum non habet ratio, quae propria est absolutionis a casibus reservatis, et a censuris. Ita fuse Bonacina *Oper. Moral. tom. 2. disp. 4. circa secundum Decalogi praeceptum quaest. 2. punct. 4. §. 1. num. 16.* Lean. *part. 1. tr. 5. de Sacram. Poenit. disp. 14. de Indulg. quaest. 97.* Diana *in edit. coord. tom. 7. tr. 1. res. 300. num. 7.* Giribaldus *Tract. 7. de Sacr. Poenit. cap. 21. de Jubilaeo dub. 6. num. 42. et seqq.* ratiocinantur. Nos vero ad omnem difficultatem tollendam, in Instructione injunximus, non posse a Poenitentiariis ullas absolutiones, commutationes, ac dispensationes dari *extra actum Sacramentalis Confessionis;* idque Nobis, et congruum esse, et materiae gravitati, ac ministerii qualitati conveniens visum est, atque praeterea omnem controversiae ansam eripit, et conforme est praxi Poenitentiariae nostrae Apostolicae, quemadmodum in Thesauro *de poenis Eccles. par. 1. cap. 22.* videre est.

§. 64. Alterum subsequitur punctum, quod

respicit salutarem poenitentiam a Confessario imponendam cuicumque personae, quae illi confitetur ad hoc ut se ad Jubilaei acquisionem disponat. Non hic de celebri illa quaestione agitur, quae inter Theologos est, num ad consequendum Indulgentiae fructum, sufficiens sit, rite primum confiteri, mox impositam a Confessario poenitentiam adimplere, et injuncta Opera exacte ac fideliter exequi; an ulterius opus sit, animum habere promptum ac paratum ad dandam Divinae Justitiae, pro eo quantum facultas erit, per alia poenalia opera, satisfactionem. Praesens quaestio ulterius etiam progreditur, dum ipsam Poenitentiam respicit, quae a Confessario imponitur illi, cujus excipit Confessionem ad Jubilaeum consequendum praeparatoriam; nec enim defuerunt, qui contenderint a Confessario, occasione Jubilaei, non solum leviores poenitentias imponi posse Poenitenti, quem animo comparatum agnoscat ad consequendam Plenariam Indulgentiam, verum etiam poenitentiae ejusdem impositionem omitti. Talis sententia est Cardinalis de Lugo *de Poenit. disput.* 27. *sect.* 2. *num.* 30. Dianae *in edit. coordin. tom.* 1. *tract.* 6. *resolut.* 10. *num.* 2. et aliorum complurium. Alii inter poenitentias satisfactorias, ac poenitentias medicinales distinctionem fecerunt, docentes, quod Poenitens, qui Jubilaeum consecutus est, non teneatur ad exequendas poenitentias satisfactorias, obligetur tamen ad solas medicinales, quemadmodum apud Viva *de Jubilaeo quaest.* 5. *art.* 2., apud Constantinum *Tract. de Anno Sancto par.* 1. *cap.* 4. §. *il secondo*, et Leandrum *par.* 1. *tract.* 5. *disput.* 9. *quaest.* 82. videre est. Alii porro Poenitentem a medicinalibus etiam poenitentiis a Confessario injunctis eximunt, dummodo ad evitanda peccata absolute necessaria non sint, in quo quidem rerum statu obligatio ipsas adimplendi non ex auctoritate Confessarii, sed ex Jure naturali provenit, sicut apud Cardinalem de Lugo *de Poenit. disp.* 27. *sect.* 2. *numer.* 21. *et pluribus seqq.* Leandrum *tom.* 1. *tract. de Sacram. Poenit. quaest.* 172. et Dianam *in edit. coord. tom.* 5. *tract.* 1. *resol.* 201. *num.* 4. Contra praedictas assertiones non defuere Theologi, qui fuse scriberent, inter quos Juvenin *Tract. Hist. Dogmat. de Sacram. dissert.* 13. *quaest.* 5. *cap.* 4. Pontas *in Dictionar. Moral. in verb. Jubilaeum cas.* 10., ac novissime P. Amort *in Histor. Indulg. in quaest. pract. pag.* 467. *et seqq.*, qui ad hanc materiam quidquid facit, summo cum studio ac diligentia congessit. Cum autem illius diligentiam P. Gregorii de Valentia testimonium effugerit, qui certe inter eos, qui Rigoristae dicuntur, minime recensendus est, Nos illud hic apponemus. Praefatus Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quaest.* 20. *de Indulg. punct.* 3. *pag.* 1603. ita scriptum reliquit: *Notandum, neque per hanc Indulgentiae formam, scilicet* de injunctis Poenitentiis, *neque per ullam aliam quamvis amplam et generalem, relaxari obligationem, qua, propter integritatem Sacramenti, tenetur Confessarius salutarem poenitentiam poenitenti injungere, et Poenitens eam implere etc. Primo ex eo, quod illa obbligatio est Juris Divini etc. Secundo ex eo, quod truncaretur alioqui Sacramentum Poenitentiae quadam sua integrali parte, qualis est nimirum Jure Divino satisfactio ipsius Poenitentis. Tertio id confirmatur ex communi sensu, et usu Ecclesiae, siquidem nec in plenissimis etiam Indulgentiis solet negligi a Confessariis, et Poenitentibus Sacramentalis satisfactio, et poenitentia; immo expresse ab ipsis Pontificibus solet tunc etiam requiri.*

§. 65. Super prima Quaestione, sicut etiam super qualitate satisfactionis, sive poenitentiae a Confessario imponendae, quantum sufficere existimavimus, in Encyclica Epistola Nostra diximus, quam ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos super praeparatione ad Annum Sanctum dedimus in Arce Castri Gandulfi *die* 26. *Junii Anni vertentis*, atque ad illam Nos referimus. Unum tantummodo reliquum erat, ut super impositione poenitentiae a Confessario non omittenda diceremus, quoniam Poenitens, qui Indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eamdem adimplendam. Cum autem hujusmodi ratio laxior visa esset, Instructione, de qua *numer.* XXVI. agitur, mentem Nostram declaravimus, statuentes, salutarem poenitentiam a Confessario injungendam esse Poenitenti, etiamsi hic ad recipiendum Jubilaeum praeparatus sit, ex quo sane Poenitentis obligatio exoritur eamdem adimplendi: *Omnia sua peccata confiteatur fideliter, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere:* verba sunt Concil. Lateranensis, dum de Sacramentali Confessione loquitur in celebri Decretali: *Omnis utriusque sexus, de Poenitentiis, et Remissionibus;* et sane praeter necessariam correlationem, quae inter

auctoritatem imponendi poenitentiam, et obligationem ejusdem adimplendae intercedit; difficillima perceptu res Nobis visa est, eum posse dici, aut esse *vere Poenitentem*, sicut ille debet esse, qui plenariam Indulgentiam consequi cupit, si hujus praetextu, eximere se velit a poenitentia illa adimplenda, quae ipsi in Sacramentali Confessione a Confessario injuncta est.

De aliis Monitis usque ad finem.

§. 66. Ulterius procedit Instructio, nonnulla opportune statuendo circa absolutionem a censuris, tum eorum, qui sine licentia, ac prava intentione se in Claustra Monialium introducunt, tum Regularium Virorum, qui ad malum finem mulieres intra suas Religiosas Domus pariter ducunt, illorum praeterea, qui absque Licentia Libros prohibitos legunt, et circa Votorum quorumdam dispensationem; Nos vero, quibus nil aliud in praesenti propositum est, nisi controversias indicare, quas tollere curavimus, eo potissimum consilio, ne sopitae jam res iterum in quaestionem redeant, id nunc declarabimus, quod, quando Poenitentiariis Facultates conceduntur absolvendi a censuris occultis propter damnum alicui datum incursis, adjecta conditione, ne eisdem utantur, hoc est, ne Poenitentem ab hujusmodi censuris absolvant, nisi is *parti laesae* satisfecerit, aut saltem ante absolutionem, jurejurando spondeat, se eidem satisfacturum; Nos sub nomine *partis laesae* non intelligimus, sicut a quibusdam intellectum est, Judicem, verum illum, qui damnum passus est, quemadmodum rite a Viva *de Jubilaeo quaest.* 10. *art.* 2. a Giballino *de Censuris disquisit.* 9. *quaest.* 4. *num.* 7., et a Salmanticensibus *in Cursu Theologico Morali tom.* 2. *tract.* 10. *de Censuris cap.* 2. *punct.* 2. *num.* 20. animadversum est. Quod vero attinet ad commutationem Votorum, in quibus de tertii praejudicio agitur, quae quidem Poenitentiariis interdicitur, apposite sane scribit Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 6. *cap.* 5. *et praesertim num.* 7. Circa Vota perseverantiae, quae a quibusdam fiunt, dum aliquem Congregationem ingreditur, quaeque naturam assumunt contractus, et reciprocae obligationis inter ipsos, et Congregationem, quae eosdem recipit, a quibus Poenitentiarii dispensare non possunt, valde ad rem loquitur P. Sirus *in suo manuscr. Op. super Bull. Innoc. XII. respic. Facult. Majoris Poenit.* qui etiam in eodem Opere *de Votis poenalibus* agit.

§. VI.

De Facultatibus contentis in Constitutione: Convocatis, *pro Confessariis a Cardinali Vicario destinatis, quo ad absolvendum a peccatis, et censuris, item pro Votorum commutationibus, et dispensationibus.*

§. 67. Illud, quod Nos hic monendum habemus, est, ut hi Confessarii textum suarum Facultatum attente legant, ne earum limites excedant; praeterea, ut qua parte cum illis concordant, quae Poenitentiariis sunt attributae, legere, et observare non praetermittant id, quod super eisdem paulo ante disseruimus; quantum vero ad *Dispensationes* attinet, non aliam se Facultatem habere probe meminerint, quam dispensandi, aut commutandi in alia pia opera visitationes Basilicarum, quam et Poenitentiarii habent. Quamobrem legendum ipsis erit id, quod super hac eadem re, respectu Poenitentiariorum *ad num.* 52., *et* 53. dictum est.

§. VII.

De quibusdam declarationibus contentis in Constitutione Convocatis *quo ad praesens Jubilaeum, ac primum de Declarationibus, quae respiciunt Personas, quae illud consequi volunt.*

§. 68. Celebris Joannes de Anania, qui anno 1458. vivere desiit, parvum de *Jubilaeo* Tractatum conscripsit, in cujus fine Quaesita aliquot proposuit, inter quae ea legimus, quae sequuntur: num Jubilaeum juvet Episcopo, qui, non obtenta prius a Summo Pontifice licentia, ejus consequendi gratia Romam proficiscitur: num juvet Parocho, qui sine Episcopi sui venia discedit: num Monacho, qui sine Abbatis sui permissu abit: num Viro, qui sine assensu Uxoris: num denique Uxori, qui sine Mariti licentia Romam venit. Eorumdem dubiorum examen circa annum 1599. a saepius nominato Benzonio *de anno Jubilaei lib.* 5. *a dub.* 14. *ad dub.* 18. continuatum est. Ac decisum tandem fuit, minime supradictis personis licere, sine praevia Superiorum suorum licentia, Patrias suas relinquere, ac Romam proficisci ad consequendum Jubilaeum Anni Sancti; ac sine ipsa venientes peccare: Verum

cum Romam pervenerint; si hoc peccatum una cum aliis omnibus vero cum dolore confessi fuerint, ac quantum ad consequendam Indulgentiam praescriptum est, praestiterint, eam consequi. Eadem mens, et sententia est Quarti *in Tract. de Jubilaeo Anni Sancti pag.* 67. *cap.* 1. *punct.* 6. *dub.* 1. *et seq.*, illud tantummodo adjungit, non posse quidem Uxorem sine Viri venia, et consensu venire; posse tamen Virum venire sine consensu Uxoris, dummodo ejusdem absentia nec diuturna, nec gravis incommodi, aut detrimenti Uxori, et familiae futura sit; ac jure quidem contra Religiosos, et Animarum Pastores exclamat, qui sine necessariis licentiis, gratia obtinendi Jubilaeum Anni Sancti, iter Romam suscipiunt, cum generalis invitatio, quae a Summo Pontifice omnibus fit, intelligi debeat, illos tantummodo comprehendere, qui licite, et cum requisitis conditionibus venire possunt. Hujusmodi rationibus, ac sententiis adhaeret Constantinus *in suo Tract. de Anno Sancto par.* 2. *cap.* 4. *pag.* 103. *et seq.*, Nos in supra citata *Encyclica Epistola Nostra die* 26. *Junii* vertentis Anni super praeparatione ad Annum Jubilaei edita, praedictis punctis secundum rationes, ac sententias nuper adductas, responsum fecimus. Ad eam igitur Epistolam Nos referimus, ex cujus tenore necessario prima declaratio *n.* XLIII. expressa deducitur, quod Personis Romam ad hoc Jubilaeum consequendum venire volentibus non intelligitur data veniendi libertas, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

§. 69. Pontifex Bonifacius VIII. in sua pluries nominata Decretali: *Antiquorum, inter Extravagantes Communes de poenitentiis, et remissionibus*, visitationem Basilicarum Romanis per triginta vices, Peregrinis vero, et Advenis per vices quindecim praescripsit: *Si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, et saltem semel in die; si vero Peregrini fuerint, aut Forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant.* Haec eadem verba in alia Decretali Clementis VI. quae incipit: *Unigenitus, ibi, sub eodem Titulo*, reperiuntur. Eadem loquendi forma a Pontifice Clemente VII. adhibita est in Indictione Jubilaei, quam fecit per suam Bullam, cujus initium: *Inter solicitudines*, die 17. Decembris 1524. expeditam. Progressu temporis, verbo *Romani* aliud adjunctum fuit: *vel Urbis incolae*, aliud vero *Forenses* omissum fuit, quemadmodum in Constitutione Gregorii XIII., quae incipit: *Dominus ac Redemptor*, videre est: *Triginta continuis, vel interpolatis diebus semel saltem in die, si Romani, vel Urbis incolae fuerint; si vero Peregrini, quindecim diebus devote visitaverint*, et in aliis compluribus.

§. 70. Quamvis verbum *Romani* nulli controversiae locum dare posse videretur, res tamen contra fuit, nam cum Romanus sit non ille solum, qui Romae natus est, et in Urbe moratur, verum etiam ille, qui licet Romae natus, alio domicilium transtulit; quaestio fuit, num hic Anno Jubilaei Romam veniens, per triginta, an per quindecim vices Basilicas visitare debere. Navarrus *de Jubilaeo, et Indulgentiis num.* 42. *pag.* 163. ejus sententiae fuit, quod vices quindecim sufficerent, cum in hoc casu domicilium origini praevalere debeat, et ea maxime ratione, quod Romanus, qui alibi domicilium habet, Romam veniens, idem itineris, ac laboris incommodum subit, ac Advena, et Peregrinus. E contrario Benzonius *de Anno Jubilaei lib.* 5. *dub.* 3. eum ad triginta visitationes obligatum existimavit: *Turpe est enim*, ait ipse, *virum Romanum vel avaritiae, vel accidiae, seu corporis vitio laborare, praesertim in eo Anno, in quo Urbs tota gaudio, jubilatione, munificentia, atque singularissima festivitate refulget.* Praeterea autem dubium illud propositum fuit, num sub *Romani* nomine ad effectum de quo agitur, etiam ille, qui in proximis Urbi locis habitat, comprehensus intelligeretur.

§. 71. Disputationibus porro super voce *Romani*, aliae super verbis: *vel Urbis incolae*, successerunt. Navarrus *loco citato num.* 43. ait, sub nomine *incolae* in praesenti casu eum intelligi debere, qui annum Romae moratur, aut saltem tamdiu moratur, ut Romae incola dici possit. Quarti, et Constantinus practice disserunt. Horum prior *pag.* 126. *et seq.* sub nomine *incolae Urbis* eum intelligi debere vult, qui Romae minime natus, neque ex ea oriundus est, verum in ea domicilium contraxit, ac proinde Curiales, Procuratores, Advocatos, Aulicos ad triginta visitationes obligatos esse, atque huic item oneri subjacere debere Scholares, Mercatores, Litigantes, qui majorem anni partem Romae morantur, cum hi omnes in Urbe, si non verum domicilium, at quasi do-

sinam cen-
ntur Ro-
ani, et
colae Ur-
, et qui
regrini, et
terni.

micilium contraxerint. Alter vero *pag.* 119., *et seq.* considerans, Peregrinis quindecim tantum visitationum numerum praescribi ratione incommodi in itinere suscepti, Romanis vero, et Romae degentibus numerum majorem triginta visitationum, eo quod praedictum incommodum ac laborem non sustinuerint; affirmat, omnes quotquot itineris incommodo caruerunt, triginta visitationum oneri subjacere debere; contra vero a graviori onere exemptos esse, et ad levius tantum, scilicet quindecim visitationum onus, obligari omnes illos, qui supradictum itineris incommodum passi sunt.

§. 72. In constitutione nostra: *Peregrinantes*, in qua Jubilaei Annum indiximus, ea quae sequuntur verba adhibuimus: *Per triginta continuos, aut interpolatos dies etc. si Romani, vel Incolae Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies devote visitaverint.* Praedicta autem verba in hac novissima Constitutione nostra *num.* XLIV. exponentes, diximus, idque nunc etiam repetimus, sub nomine *Romanorum* omnes illos venire, qui Romae nati sunt, et Romae degunt, sive qui in suburbano districtu nati pariter sunt, atque ibi habitant, in eo scilicet tractu, ad quod se protendunt vineae intra quintum ab Urbe lapidem; haec est enim legalis notio, et intelligentia hujusce vocabuli *Romanus*, quemadmodum valde apposite Spondanus *in Epitome Annal. Card. Baronii ad ann.* 1. *in princip.* animadvertit: *Jurisconsulti responderunt, eos, qui in continentibus Urbis nati sunt, Romae natos intelligi, Romam enim esse etiam qua continentia aedificia essent; nec Romam muro tenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi; cum diceremus Romam nos ire, etiamsi extra Urbem habitaremus.* Diximus etiam, ac modo hic iteramus, sub nomine *incolarum Urbis* omnes illos censeri, qui Romam advenerunt animo ibi majorem anni partem commorandi, itemque omnes illos, qui Romae alicujus muneris aut negotii causa, sive alicujus officii ac ministerii ibidem acquirendi desiderio et expectatione morantes, si non verum ac rigorosum domicilium, saltem quasi domicilium contrahunt. *Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit, cum essent incolae in terra Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea:* legitur *in Actis Apostolorum cap.* 13. *num.* 17. Atque ii, qui latini sermonis proprietatem optime tenent, *incolas* illos esse affirmant, qui, cum alibi nati sint, locum incolunt, in quo sibi habitationem delegerunt, licet loci ejusdem cives aut indigenae non sint; in quorum numero idcirco Causidici, Procuratores, Advocati, Aulici, Scholares, Mercatores, Litigantes, aliique id genus homines recensendi sunt, quod etiam probe animadversum fuit, ab antiquo Glossatore Decretalis *Antiquorum, inter Extravagantes communes, de poenitentiis et remissionibus, in verbo, Forenses*, cujus haec verba sunt: *Quid de Curialibus existentibus in Curia Papali, respondet Sixtus Papa, illos facere debere triginta dies. Et est ratio, quia isti nec vere peregrinantur, nec vere sunt forenses, sed ut moraturi in Curia accedunt.* Igitur omnes ii, quos supra nominavimus, per triginta vices Basilicas visitare tenentur. Eidem visitationum numero illos etiam obligatos fore declaravimus, et nunc declaramus, qui alia, quam Jubilaei consequendi, causa Romam advenerint; omissa enim controversia, num hi possint sub *incolarum Urbis* nomine comprehendi, manifestum est, quod, cum ipsi itineris incommodum alia de causa passi sint, non aliter ad Jubilaeum consequendum se comparare poterunt, quam si triginta Basilicarum visitationes expleverint. Idem decrevimus de illis, qui consequendi Jubilaei gratia Romam venientes, amplius sex mensibus in eadem commorantur, cum iis liceat sine gravi incommodo per dicti temporis spatium ad triginta vices visitationem Basilicarum adimplere. Verbum illud *Forenses*, a proximis Decessoribus nostris praetermissum, Nos etiam omisimus; quod quidem, juxta loquendi morem medio aevo usitatum, nihil aliud, quam exteros significare poterat, ut probe Lucas Holstenius *Collectionis Labbeanae Concilior. tom.* 8. *pag.* 138. animadvertit, dum verba Synodi Romanae saeculo nono sub Leone IV. habitae exponit: *Tantam superfluitatem Presbyterorum forensium.* Antiquo verbo *peregrini*, usi sumus, qui illi sunt, qui iter suscipiunt causa visitationis Sacrorum Liminum, et sacrae Indulgentiae consequendae: *Advena sum, et peregrinus apud vos:* legitur *in Genesi cap.* 23. Verbo autem *peregrini*, aliud adjecimus *externi*, quod non minus secundum rectum latini idiomatis usum, quam quod magis interest, secundum propriam in Divinis Scripturis loquendi rationem,

advenam aut alienigenam significat; unde *Exodi cap.* 23. legitur: *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro;* et Numerorum cap. 1. *Quisquis externorum accesserit, occidetur;* et capite tertio: *Externus, qui ad immolandum accesserit, morietur.* Atque, ut ad propositum nostrum revertamur, declaravimus ac declaramus, sub *peregrinorum* aut *externorum* nomine omnes alios comprehendi, qui sub nomine *Romanorum*, aut *incolarum Urbis*, secundum explicationem paulo ante datam, minime comprehenduntur.

§. VIII.

De declarationibus contentis in Constitutione: Convocatis, *circa opera injuncta:*

udo fie- debeant ssio, et munio acquisi- s Jubi-

§. 73. Optandum omnino esset, et melius, ac tutius procul dubio foret, si antequam visitatio Basilicarum inciperetur, fructuosa praemitteretur Confessio, ut visitationes ipsae in statu gratiae fierent, atque iteraretur confessio, si quis, visitationibus inceptis, in lethale aliquod peccatum prolaberetur. In actis Ecclesiae Mediolanensis *part.* 7. *edition. Mediolanen.* 1599. *pag.* 1031. magni Sancti Caroli Borromaei ita legitur: *Ante omnia autem unicuique sedulo curandum est, ut conditione a Sanctitate Sua in literis concessionis ipsius Jubilaei expressas diligenter observet; quoniam minime illud consequeretur, qui easdem non observaret. Harum prima est, ut vere contritus, et confessus sit, quod unusquisque facere debet antequam visitationes Ecclesiarum incipiat, pro majori securitate Sancti Jubilaei acquirendi. Ob eamdem causam, si quis postquam confessus esset, et Ecclesiarum visitationes incoepisset, in mortale aliquod (quod Deus avertat) peccatum prolaberetur, mortale peccatum confiteri debet, ac deinceps reliquum dierum numerum persequi, qui supererunt ad completum usque numerum dierum quibus quatuor Ecclesiarum visitatio ab eo facienda erit.*

§. 74. Hujusmodi porro agendi ratio a S. Antonino *in Summa part.* 1. *tit.* 10. *c.* 3. §. 5. *in fin.*, a Cardinali Bellarmino *de Indulg. lib.* 1. *cap.* 13. *Controversiar. tom.* 2., a Becano *in Summa tit. de Sacramentis cap.* 28. *de Indulgentiis quaest.* 6., Benzonio *de Anno Jubilaei lib.* 5. *dub.* 3. §. *Dico septimo*, et Pontas *in verb. Indulgentiae cas.* 13. pro tuta agnoscitur, et approbatur. Quod vero et Nos id summopere cupierimus, et ex animo cupiamus, satis intelligi potest tum ex iis, quae in supradicta Encyclica Epistola nostra scripsimus, tum ex iis, quae fecimus, dum proxime praeterita aestate publicas per Urbem Missiones haberi jussimus, tum denique ex his, quae facimus, dum hoc Adventus tempore, usque ad Festum S. Thomae, easdem Missiones per varias Ecclesias Urbis continuari curamus; quae omnia ad eum tantummodo scopum et finem diriguntur, ut a peccatoribus rite, et cum emendationis fructu Confessiones prius fiant, quam Porta Sancta aperiatur, ac proinde antequam Basilicarum visitationes fieri incipiant; nec illud etiam ommittendo, quod desiderium hujusmodi nostrum, et ex ipsa Constitutione nostra, *Peregrinantes*, satis deducitur, in qua visitationibus Ecclesiarum Confessio, et Communio praemittitur.

§. 75. Verum nequaquam in hoc difficultatis summa versatur; sed praecipuum in eo dubium consistit, num videlicet, si forte a quopiam lethalis culpae reo visitatio Basilicarum incipiatur, et continuetur, et sic ab eo hujusmodi opus fiat, quod bonum est eo bonitatis genere, quo esse possunt opera, quae a peccatoribus fiunt; deinde vero idem rite et recte confiteatur, et sacram Communionem in statu gratiae recipiat; proindeque in ultimo opere, quod ad Jubilaeum consequendum adimplevit, in statu gratiae sit; num, inquam, praecedentes Ecclesiarum visitationes pro sufficienti operum injunctorum implemento haberi et censeri possint. Super hoc difficultatis puncto fuse disserit Navarrus *de Jubilaeo, notabili* 19.; sed communior opinio est, visitationes etiam in statu peccati factas sufficere ad Indulgentiam consequendam, dummodo postremum opus, in quo acquiritur Indulgentia, in statu gratiae perficiatur; cum temporalis poena non remittatur, nisi peccato deleto, ac remissa aeterna poena, quod quidem per Poenitentiam obtinetur. Ita insigniores Theologi in suis Theologicis operibus ratiocinantur, videlicet Suarez *in* 3 *par. D. Thomae tom.* 4, *disp.* 52. *sect.* 2. *num.* 7., Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quaest.* 20. *de Indulg. punct.* 5. §. *Non tamen*, Cardinalis de Lugo *de Sacram. Poenit. disp.* 27. *sect.* 6. *num.* 83., Sylvius *par.* 3. *D. Thom. tom.* 4. *in suppl. tert. part. quaest.* 27. *art.* 1., Estius *in* 4. *Sent. dist.* 20. §. 8. *per tot. et signanter vers. Caeterum, et*

seqq., Juvenin *in Tract. de Sacram. disp.* 13. *de Indulg. quaest.* 6. §. *Caeterum*, aliique complures. Illi etiam, qui Morales Theologi dicuntur, in hac re concordi sententia sunt, quos inter Filliuccius *Oper. Moral. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *quaest.* 5. *num.* 258., Santarellus *variar. resol. quaest.* 76. *num.* 15., La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *de Indulg. num.* 1410., Bonacina *de Jubilaeo quaest.* 6. *art.* 2. *num.* 4., item alii, qui ex professo de Jubilaeo scripserunt, ex quibus Viva *in Histor. Indulg. inter quaest. et res. pract. quaest.* 32., Amort *tom.* 1. *pag.* 203. *Ven. edit. ann.* 1698., atque illi etiam, qui Romae Tractatus de Indulgentiis composuerunt, atque ediderunt, in quorum numero PP. Passerinus *de Indulg. quaest.* 73. *per tot.*, *et praesertim num.* 514, Vanranst *in Opuscul. de Indulg. quaest. num.* 7. *et seq.*, ac Theodorus *in Tractatu de Indulg. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 1. *per tot.* Haec autem, quae communis opinio dici potest, suo et quidem valido fundamento non destituitur, quum Ecclesiarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia non est, factae, opera sint moraliter bona, quamquam aeternae vitae non meritoria; licet enim opera inimici sint, illius tamen inimici sunt, qui se ad reconciliationem cum Deo comparat, atque disponit: hoc vero prioribus Ecclesiae saeculis in publicis illis poenitentiis adumbratum videtur, quae ab illis fiebant, qui in graves, ac publicos excessus prolapsi erant, qui quidem antequam absolutionem ab ipsis obtinerent, et sic in eodem statu peccati, in adimplendis operibus ac poenitentiis sibi praescriptis se exercebant. Hoc autem semel constituto, quod in ultimo opere, quod ad consequendam Indulgentiam adimpletur, status gratiae absolute necessarius sit, quodque non item absolute requiratur hujusmodi status, dum alia injuncta opera adimplentur, in sententiae hujus confirmatione laudati Auctores publicam Fidelium consuetudinem advocant, ei satis notam qui Indulgentiam concedit, et ab eodem non improbatam; cum fieri vix possit, ut sibi persuadeat, visitationes, quae ad Jubilaeum consequendum vel per triginta, vel per quindecim dies interpolatos fiunt, non nisi ab iis fieri, qui in gratia constituti sunt; neque vero a sententia sua removentur, ob eam causam, quod in Jubilaei universalis Bulla visitationi Basilicarum Confessio, et Communio praemissa sit; huic etenim argumento respondent, ordinem verborum non adaequatam esse regulam pro ordine factorum, ac praeterea adjungunt, in Indulgentiis sufficere auctoritatem in concedente, gratiam in recipiente, ac pietatem in causa; pias autem esse Basilicarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia constitutus non est, factae sint, dummodo debitis cum circumstantiis adimpleantur, quum ad consequendam habitualem gratiam praeparationes sint.

§. 76. Atque haec est summa eorum, quae in sententiae hujus comprobationem afferri solent ab iis, qui eamdem tuentur; a qua Nos, in praesenti minime recedendum ducimus, neque recedimus, quemadmodum ex iis, quae ad *n.* XLV. novissimae Constitutionis declaravimus, videre est. Quoniam, licet quo ad Nos, magis ac magis semper in votis habeamus, ut visitatio Ecclesiarum in Statu gratiae fiat, ac proinde vel post fructuosam Confessionem, vel saltem post Contritionis actum; reputantes tamen, non omnia quaecumque optamus posse semper contingere, humanamque fragilitatem commiserari opus esse, et fructu Indulgentiae minime excludendos illos existimavimus, qui non praemissa Confessione, visitationem Ecclesiarum incipiunt, ac prosequuntur, dummodo quando opus ultimum perficiunt, in quo Indulgentia acquiritur, in statu gratiae sint; ac dummodo visitationes ipsae cum sensu devotionis adimpleantur. In Bulla: *Peregrinantes* legitur *devote visitaverint;* In Extravaganti: *Unigenitus* inest verbum *devotionis;* In alia: *Quemadmodum*, verbum *reverenter;* Navarrus autem *de Jubilaeo sub num.* 44. eadem illa verba exponens; ita ait: *Per quae significatur, visitationes has Ecclesiarum fieri debere bene, et quidem recte; nam licet, per asserta cum communi, non sit necessarium ut fiant in statu gratiae, necessarium tamen est, quod sint actus boni moraliter.* Ad injunctum igitur visitationum opus adimplendum necesse est, ut visitatio fiat consilio atque animo exhibendi honorem Deo, aut Sanctis ejus; ut tam in itinere, quod ad Basilicas habetur, quam in easdem ingrediendo, modeste incedatur, atque in hisce aliquis religionis actus exerceatur. Ex quo deduci potest, quod, si quis nullo pio fine, sed mera ductus curiositate visitatum Ecclesias se confert, aut animi relaxandi, seu, quod dicitur, deambulationis habendae gratia, iter conficit, Jubilaeum minime consequitur. Illum vero omnino omittimus, de quo dicere supervacuum est, qui in actuali pec-

cato mortali, animo, exempli gratia, alios ad peccandum inducendi, Ecclesiam visitaret; ut, et hujusmodi, et alios similes casus indicando, disserunt Vanranst *de Indulg. quaest. 7. a num. 15. ad nu. 20.*, Constantinus *part. 2. cap. 6. pag. 121.*, Quarti *tract. de Jubil. pag. 146. et seq.*, Viva *da Jubil. quaest. 8. art. 5. num. 3.*, Pignatellus *de Anno Sancto dub. 21. cap. 8.*, Amort *in quaestionibus practicis in fine Historiae Indulgentiarum quaest. 72.*, aliique complures.

Confessio facienda ab eo non, qui alis culpis mortalibus est.

§. 77. Confessionis praeceptum, prout a jure Divino statutum fuit, sola mortalia peccata comprehendit, nec ad venialia extenditur. Cum vero Ecclesia in Concilio Lateranensi certum confitendi tempus, quod est Pascha Resurrectionis, praescripserit, controversia est, num necessitati confitendi peccata mortalia, aliam adjecerit, ut venialia etiam peccata confiteri necessarium sit. Et quamquam communiter dicatur, nequaquam adjunctam esse necessitatem etiam venialia peccata confitendi ad adimplendum praeceptum; non desunt tamen Auctores, qui pleni studio ac zelo contrariam opinionem tuentur, ac docent, eum, qui non nisi venialia peccata habet, saltem in Paschate Sacerdoti se sistere debere, ut ei notum faciat, se, Divina opitulante gratia, nonnisi venialium culparum sibi conscium esse. Juvenin *de Sacramentis dissert. 6. cap. 3. art. 2.*, du Hamel *tom. 7. tract. de Poenitentia dissert. 3. cap. 2. num. 5. §. Quid vero dicendum*, Habert *tom. 8. de Poenitentia cap. 9. quaest. 2.*, Auctor additionis ad Pontas *tom. 1. in verb. Confessio cas. 51.* in editione latina, Auctor Theologiae Moralis ad usum Seminarii Petrocoriensis *tom. 4. lib. 2. tract. 1. quaest. 9.* videri possunt. Nos hanc controversiam intactam relinquimus. S. Antoninus in Summa sua *tom. 1. tit. 10. cap. 3. num. 10. ultimae impressionis Veronae* expresse docet, rem dignam ac laudabilem ad consequendam Indulgentiam fieri a Poenitente, qui a lethalibus peccatis liber cum sit, venialia confitetur. Verum ad propositum nostrum ne id quidem sufficiens erat, quoniam controversiae caput non circa utilitatem, sed circa necessitatem versatur. Quaestio enodanda illa est, quae inter Theologos agitatur, utrum videlicet, cum ad Jubilaei consecutionem Confessio praescripta sit, etiam iis, qui peccata mortalia non habent, sed tantummodo venialia, praescripta intelligatur. Apud Sanctarellum *quaest. 76. variar. resolut. num. 2. et seq.*, et in cursu morali Salmaticensium *tom. 1. tract. 6. cap. 7. punct. 3. num. 34.* Auctores tam pro affirmativa, quam negativa parte collectos videre est. Ipsi vero, se affirmativae opinioni, quam quidem tutiorem asserunt, adhaerere profitentur. Cardinalis autem de Lugo *disp. 27. de Sacramento Poenitentiae sect. 7. num. 101.*, ac Leander *par. 1. tract. 5. disput. 14. quaest. 76.* negativam partem sequuntur, ea nixi ratione, quod, quando de Confessione sermo est, de mortalium peccatorum Confessione semper intelligatur. Cum vero non desit auctoritas injungendi Confessionem etiam venialium, quemadmodum probe Cardinalis de Laurea *in 4. sent. tom. 2. de necess. Sacram. Poenit. disput. 24. art. 2. §. 4.*, et Clericatus *de Sacrament. Poenit. decis. 50. n. 7.* advertunt, quod textu Pontificis Clementis V. in Clementina, quae incipit: *Ne in agro, de statu Monachorum*, comprobatur, ubi Monachis onus saltem in mense confitendi imponit, etiamsi probabiliter posset ac deberet existimari magnam ipsorum partem non nisi venialia peccata habere; cumque etiam certum sit, quod, dum ad Jubilaei consecutionem facienda praescribuntur opera, quae ex natura sua mera consilii opera, ac supererogatoria essent, velut exempli gratia jejunium per aliquot dies, ab Ecclesiastico praecepto non praescriptos, sive devota Basilicarum visitatio, quemadmodum in praesenti Anni Sancti Jubilaeo fit; praescribi etiam venialium peccatorum Confessio iis potest, qui mortalia non habent, etiamsi extra hujusmodi circumstantias, atque in abstracto loquendo, peccata venialia confitendi obligatio non adesset. Ita Nos fecimus, ac *num.* XLVI. novissimae Constitutionis declaravimus, ad Jubilaeum consequendum, etiam ab eo, qui nonnisi peccata venialia habeat, confessionem peragendam fore. *Posset autem Papa, si vellet, expressis verbis injungere, ut qui Indulgentiam consequi vellet, venialia peccata confiteretur, sicut injungit alia opera supererogationis, neque tamen hoc esset facere venialia materiam necessariam Confessionis, sed cum alias venialia sint congrua materia Confessionis, illam quoque exigeret, si vellet, in acquisitione Indulgentiae*, quae Benzonii verba sunt *de Anno Jubilaei lib. 5. cap. 15. dub. 6.*

§. 78. Ne multa, quaestioni illi, quae inter Theologos fit, utrum, quando ad consequendam Indulgentiam Confessio praescribitur, il-

le, qui non nisi peccata venialia habet, ad confitendum obligetur, tunc locus est, cum Confessio tamquam dispositio ad statum gratiae pro Jubilaei consecutione necessarium requiritur; non autem quando Confessio inter praescripta opera comprehenditur, quemadmodum nunc a Nobis factum est, dum eamdem, ut onus injunctum ad consequendam Indulgentiam imposuimus; sicut etiam Pasqualig. *quaest.* 63. Viva *de Jubilaeo quaest.* 8. *art.* 5. §. *dices*, et Constantinus *de Anno Sancto part.* 2. *cap.* 5. *pag.* 106. apposite animadvertunt.

De eo, qui, cum jam confessus esset, ante completas Visitationes in novum mortale Peccatum incideret.

§. 79. Hanc ita decisam quaestionem alia solvenda difficultas excipit, quae circa illum versatur, qui cum et confessus jam sit, et per vices aliquot Basilicarum visitationes fecerit, in novum aliquod mortale peccatum prolabitur; de hoc siquidem inter Doctores disputatur, quid illi ad consequendum Jubilaeum faciendum sit; teneatur ne factas jam visitationes iterare, an vero ei satis sit ante postremam visitationem contritionis actum elicere, an demum ad confitendum commissum peccatum obligetur. Quidam contritionis actum sufficientem esse existimarunt, ex eo, quod in Jubilaei Bulla unica tantum tum confessio praescribatur, quae in proposito casu supponitur adimpleta, atque item ex eo, quod per contritionis actum rite conceptum status gratiae ad consequendam Indulgentiam necessarius acquiratur. Ita Cardinalis de Lugo *de Sacr. Poenit. disp.* 27. *sect.* 7. *num.* 102., ac Leander *par.* 1, *Oper. Moral. tr.* 5. *de Sacram. Poenit. disput.* 14. *de Indulg. quaest.* 79. ratiocinantur; qui etiam aliorum Auctorum, qui secum sentiunt, auctoritatem adducunt. Verum, cum ab aliis, ac praesertim a Suar. *disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 7., a Filliuc. *c.* 1. *tr.* 8. *c.* 6. *n.* 147., a Quarti *pag.* 109. et a Constantino *part.* 2. *cap.* 5. *in fin.* consideretur, quod Confessio in Bulla praescripta, refertur ad Indulgentiam, et quod consequenter Confessio mortalium peccatorum usque ad terminum, quo Indulgentiae fructus obtinetur, commissorum requiritur, jure ac merito docent, quod ille, qui confessus est, et Basilicarum visitationes incoepit, si ante ultimam visitationem in mortale peccatum incidit, confiteri debet; quodque contritionis actus ad consequendum Jubilaeum minime sufficiens est: Ad repetendam item Confessionem illum etiam obligari addunt, qui peccati alicujus in Confessione prius facta, per innoxiam oblivionem non enunciati, reminisceretur. Atque huic Nos solidiori sententiae *num.* XLVII. adhaesimus, Peccatorem ab onere iterandi visitationes Basilicarum jam factas absolventes, alteri tamen oneri obnoxium relinquentes, ut prius confiteri debeat, quam postremam compleat Basilicarum visitationem. Dictum est, Nos eum ab onere visitationes jam factas iterandi liberasse, cum quaestio circa hanc obligationem tunc solum locum habeat, quum admittitur opinio, quae statum gratiae tamquam necessarium eo tempore, quo injuncta opera adimplentur, requirit, non autem quando necessitas status gratiae reducitur ad novissimum opus, in quo Indulgentia obtinetur, quemadmodum Benzonius *de Anno Jubilaei lib.* 5. *cap.* 15. *dub.* 9. probe animadvertit.

De Pueris ad Communionem nondum aptis.

§. 80. In praesenti Anni Sancti Jubilaeo, sicut supra indicavimus, et sicut etiam in Bulla *Peregrinantes* sancitur, inter injuncta opera, Sanctam etiam Communionem enumeravimus. Cum vero quidam sint, qui per eorum aetatem, ac naturalem mentis captum, ad Confessionem tantum, non autem ad Communionem admittuntur, aditum aperiri praevidimus disputationi, num scilicet hi, quos diximus, Jubilaei consequendi capaces sint; quae quidem Quaestio ab Auctoribus in omnibus aliis Indulgentiis, in quibus pro opere injuncto Communio praescribitur, tractata est. In hac controversia quorumdam opinio fuit, quod, quum, hi, de quibus agitur, Communionis minime capaces sint, etiam consequendi Jubilaei incapaces remaneant, cum nihil vel impotentia, vel legitimum quodvis impedimentum prosit illi, qui nequit, vel impeditur, praescriptum ad Indulgentiae consecutionem opus adimplere. Ita Lavorius *part.* 1. *cap.* 21. *de Jubilaeo num.* 31. ratiocinatur; quin ullum nec ipse, nec alii, qui ejusdem partis sunt, praesidium agnoscant in Facultate, quam forte Confessarius haberet, injuncta opera commutandi in favorem illius, qui ea exequi impeditur; tum quia hujusmodi Facultas commutationem Sanctae Communionis non comprehendit; tum etiam quia eadem ad illos restringatur, qui casu aliquo impediuntur; ut sunt Moniales, in carcere detenti, aegroti, qui Basilicas visitare nequeunt, vel pauperes, qui eleemosynam impertiri non possunt, quando inter opera injuncta eleemosyna comprehensa est; ideoque ad illos extendi non possit, qui non per acci-

dens, sed ex dispositione juris, ad praestandum id, quod in Jubilaei Bulla praescribitur, incapaces sunt. Atque haec Passerini *de Indulg. quaest.* 46., Cardinalis de Lugo *de Sacr. Poenit. disput.* 27. *sect.* 7. *num.* 118., Vanranst *de Indult. quaest.* 7. *num.* 32. sententia est. Nec vero ex altera parte defuere, qui se mentis Summorum Ponticum interpretes sponte facientes, contenderunt, injunctum opus Communionis ad illos minime extendi, qui per aetatem communicandi incapaces sunt, cum conditio haec, quoad istos, *de jure* impossibilis sit; aut supponi debere, dari a Pontifice Confessariis Facultatem in aliud pium opus Communionem commutandi, etiamsi id expresse non dixerit. Horum nomina apud Passerinum *loco nuper citato* videre est. Nos vero ad hujusmodi controversiam ac difficultatem tollendam, *num.* XLVIII. Confessariis facultatem dedimus Communionem in aliud pium opus commutandi pro pueris illis, qui ad primam Communionem nondum admissi sunt, quique ex Parochi, vel Confessarii judicio, ad eum capacitatis gradum non pervenerunt, ut Anni Sancti decursu ad primam Communionem admitti possint.

De aliis declarationibus circa opera inducta.

§. 81. Pauca alia in Constitutione *Convocatis* sub capite declarationum supersunt, et quae ad tollendas controversias aliis temporibus excitatas, magis magisque semper faciunt. Prima est sub *n.* XLIX., non opus esse in visitatione Basilicarum, ad Indulgentiam consequendam, per Portam Sanctam ingredi, aut egredi, cum id in nulla Constitutione praescriptum sit, licet hujusmodi ingressus, et egressus pro opere supererogationis aestimandus sit; quod etiam a Passerino *de Indulg. quaest.* 55., Quarti *Tract. de Anno Sancto pag.* 62., Pignatello *eodem Tract. dub.* 30. *cap.* 8. opportune animadversum est.

§. 82. Altera autem respicit casum, in quo per Anni Sancti progressum, aliquod, ut quandoque fieri consuevit, Indultum publicetur pro minuendo praefixo visitationum Ecclesiarum numero. Dubium hic igitur erat, num, si quis jam Basilicas visitasset, posset uti visitationibus jam factis, easdem computando in numero Visitationum, quae in Indulto praescriptae essent: Alia praeterea dubitatio erat, utrum, si ante Indulti publicationem numerum visitationum in eodem praescriptarum jam complesset, Indulto uti possent, nullam praeterea aliam visitationem faciendo. Omnes hae difficultates *num.* L. sublatae sunt, ea scilicet declaratione, quae ibidem habetur, quod qui visitationes Basilicarum per aliquot vices fecit, antequam Indultum publicaretur, visitationibus jam factis uti potest pro complemento numeri, qui in Indulto praefigitur; itemque, quod qui ante publicationem Indulti, visitationum numerum in ipso praefixum jam complevit, gaudere Indulto potest, dummodo aliam quatuor Basilicarum visitationem faciat, eamque unico die totam perficiat; quod quidem etiam a supra laudatis Auctoribus, Passerino *de Indulgentiis quaest.* 47., Quarti *Tract. de Anno Sancto pag.* 133. *et seqq.*, ac Pignatello *de Anno Sancto cap.* 8. *dub.* 2. *et seq.* indicabatur.

§. 83. Tertia est illa, de qua hic pauca subjungimus. In Constitutione nostra: *Peregrinantes*, Basilicarum visitationem devote fieri debere, praecipitur, et ad consequendam Indulgentiam, pias Omnipotenti Deo preces adhibendas esse pro Sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et Christiani Populi salute, ac tranquillitate; verum nequaquam hic, sicut nec in aliis quidem Decessorum Nostrorum Constitutionibus, in quibus Anni Sancti indicti sunt, vocalesne, an mentales hujusmodi preces esse debeant, explicatur; ex quo quidem aliis temporibus Controversiarum causa exorta est. Viva *de Jubilaeo quaest.* 8. *art.* 5. *dub.* 7. mentalem sufficientem esse existimavit; Constantinus *part.* 2. *art.* 7. *pag.* 128. mentalem quidem sufficere probabile esse dicit, verum vocalem esse tutiorem; Quarti *pag.* 178., alterutram satis esse affirmat, Cardinalis de Lugo *de Poenit. disp.* 27. *sect.* 7. *num.* 3., et Amort *in quaest. pract. in mater. Indulg. quaest.* 74. mentali vocalem addere, tutius esse ajunt. Vanranst *de Indulg. quaest.* 7. *num.* 20., nec solam mentalem, neque solam quidem vocalem, si *notabiliter modica* sit, sufficientem esse dicit: Et contra nimiam hanc orationis modicitatem tam ipse etiam Viva, quam reliqui superius citati Auctores exclamant; licet enim oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita, praescripto ac legi Constitutionis *Peregrinantes* satisfacere possit; plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio, aut parum propenso ad res spirituales animo, sive taedio, negligentiaque proficisci solet. Nos

itaque ab istorum considerationibus nihil recedentes, ad *num.* LI. declaravimus, vocalem orationem pie adhibitam ad consequendam Indulgentiam sufficientem esse; laudandum eum, qui spiritu ac mente orat, dummodo tamen vocales aliquas preces orationi illi adjungat.

§. IX.

De iterata acquisitione Jubilaei, et aliis declarationibus circa Facultates concessas pro Anno Sancto vertente.

De iterata Jubilaei acquisitione.

§. 84. Vetus illa quaestio fuit, num qui tempore Anni Sancti per triginta vices (quantum omnino ad Indulgentiam consequendam praescriptum est) Basilicas devote visitasset, confessus praeterea etiam fuisset, ac Sanctam recepisset Communionem, ac ideo se Indulgentiae fructum consecutum esse confidere posset, iterum ipsum consequi valeat, visitationem Basilicarum ad praescriptum numerum iterando, iterumque confitendo, et communicando. Hujusmodi controversia a Joanne de Anania in parvo suo de Anno Sancto Tractatu indicata, atque ab aliis postea iterum resumpta fuit. Filliuccii *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *de Jubilaeo num.* 261. opinio in eam propendebat partem, ut operibus injunctis repetendis Jubilaeum denuo acquireretur; verum postea, ratus a Congregatione Concilii *Anno* 1620. rem contra decisam esse, ab hac sententia discessit; Vanranst *de Indulgentiis quaest.* 6. *num.* 15. Jubilaeum iterum acquiri non posse contendit, etiamsi opera injuncta adimpleantur. Navarrus *de Jubil. et Indulg. notab.* 32. *sub. num.* 46. nihil in Bullis Anni Sancti iteratae Jubilaei acquisitioni contrarium reperiri considerans, partes illius opinionis amplectitur, quae in favorem illorum est qui opera injuncta repetunt; Navarro Benzon. *de Anno Jubilaei lib.* 5. *cap.* 15. *dub.* 23. subscribit; Et haec communis sententia dici potest, quemadmodum apud Vivam *de Jubilaeo quaest.* 6. *art. ult.*, Constantinum *de Anno Sancto part.* 2. *c.* 6. *quaest.* 9. *pag.* 123., Quarti *de Jubilaei Anno Sancto pag.* 53., *et seq.* videre est. Constantinus porro ita a Pontifice Urbano VIII. declaratum fuisse refert, et Congregationis Concilii declarationem a Filliuc. nominatam minime authenticam esse affirmat. Nos autem de hac alias proposita Controversia mentem nostram *num.* LII. declarare opportunum existimavimus. Etenim considerantes, minime hic agi de duarum hebdomadarum Jubilaeo; verum de Jubilaeo, quod annum integrum perdurat; non de operibus injunctis agi, quae pluries in die adimpleri possint, quemadmodum fit, quando Plenaria Indulgentia illis conceditur, qui certis ac praescriptis diebus certam Ecclesiam visitaverint; *in* quo quidem statu rerum, etiamsi pluries in die Ecclesiae illius visitatio fiat, unica tantum Indulgentia acquiri potest, juxta Decretum Congregationis Indulgentiarum a san. mem. Innoc. P. XI. expresse approbatum, ac *die* 7. *Martii* 1678. rite ac secundum legis formulas promulgatum, in quo ita legitur: *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri;* verum de visitationibus agi numero non paucis, Basilicarum quae inter se dissitae ac distantes sunt, quaeque non nisi multis ac distinctis diebus fieri possunt, minime dubitavimus declarare, posse pluries per Annum Sanctum, injuncta opera iterando, Sanctam Indulgentiam acquiri. Diximus, injuncta opera iterum repetendo, acquiri denuo posse Indulgentiam. Verum quoniam in Jubilaeo Indulgentiae adjuncti sunt alii favores, et gratiae; in eadem Constitutione, atque *eodem* §. declaravimus, qui semel illarum particeps factus est prima vice, qua Jubilaeum consecutus fuit, iterum earum participem fieri non posse, si post primam Jubilaei acquisitionem, iterum in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis Votorum commutationibus, aut Dispensationibus indigeat.

De Facultate absolvendi ab haeresi extrinseca.

§. 85. Quum in dicta Constitutione: *Convocatis*, de iis actum est, quae Poenitentiariis Basilicarum Minoribus concessa sunt; ad *n.* VII. expressa mentio facta est Facultatis absolvendi ab haeresi ad extrinsecum deducta; illam tamen Facultatem intra certos limites restringendo, qui *in supra citato* §. indicati sunt. Sed quoniam inter Facultates Confessariis a Cardinali Vicario per Annum Sanctum specialiter deputatis datas ad *num.* XXXVI. ampla Facultas absolvendi a Censuris *in Bulla Coenae* reservatis concessa est, ex quo aliqui contenderunt, posse etiam deduci Facultatem absolvendi ab Haeresi ad extrinsecum deducta, de qua in dicta Bulla in Coena Domini mentio fit; declarare opportunum putavimus, sicut

in *num.* LIII. declaramus, id minime subsistere; cum hujuscemodi Facultas expresse semper nominari debeat, nec umquam vigore cujusvis verborum amplitudinis concessa dici possit; quemadmodum statutum fuit a Decessore Nostro Alexandro VII. in Decreto, quod in Congregatione Sanctae Inquisitionis coram se habita condidit: *Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa VII. sub die* 23. *Martii* 1656. *inhaerendo declarationibus alias a Praedecessoribus suis factis, ad removendam omnem dubitandi occasionem, et ne circa id in posterum ullo tempore haesitari contingat, cum crimen haeresis prae caeteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, Facultatem absolvendi ab haeresi, in Jubilaeis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur Facultas absolvendi ab haeresi.* Tam de controversia ante Decretum agitata, quam de eadem per Decretum prorsus sublata, fuse a Nobis actum est in quadam Notificatione, dum Bononiae resideremus, publicata, quae numero quarta est tam in Italica, quam in Latina editione.

his, qui
Confes-
nem a
posito
uirendi
bilaei re-
unt, in-
cta opera
nme pro-
uentes.

§. 86. Dictum superius fuit, eum, qui Facultates habet, quae per Annum Jubilaei conceduntur, eisdem non nisi cum illis Poenitentibus uti posse, qui sinceram habent Jubilaei consequendi voluntatem, quique ex hoc animo injuncta ad ejusdem consecutionem opera adimplendi ad confitendum accedunt. Illud reliquum erat dubium eruendum, num videlicet, si is qui antea in animo sibi proposuerat omnia, quae ad hunc finem necessaria sunt, adimplere, consilium mutet, nec praescripta opera adimpleat, in censuras, a quibus absolutus fuit, recidat, ac obtentae ab eo Votorum commutationes, ac Dispensationes abolitae intelligantur. Verum, quoniam absolutio a censuris in casu, de quo agitur, minime quidem *cum reincidentia*, sed absolute data est, ac datur, idcirco in eadem Constitutione *Convocatis, num.* LIV. declaravimus, illum nequaquam censuris, a quibus solutus fuerat, innodatum, aut gratiae commutationum, ac dispensationum obtentarum expertem remanere. Ita post allegatos Auctores antiquiores, Giribaldus *tract.* 7. *de Sacramen. Poenit. cap.* 21. *dub.* 4., et Viva *de Jubilaeo quaest.* 11. *art.* 4. ratiocinantur. Et quamquam praedictorum Auctorum prior a mortali peccato illum eximat, qui, mutato consilio, ea non adimplet, quae ad Jubilaei consecutionem reliqua erant, alterius tamen sententia, quae, adhibita Suarez, Vasquez, et Filliucci auctoritate, eumdem lethalis culpae reum facit, subsistenti ratione fulta est; ex eo scilicet, quod in materia gravi contravenerit intentioni ac menti illius, qui Facultates Confessariis concessit; quas quidem ille, tamquam medium ad Jubilaeum consequendum, est impertitus; Poenitens vero, in actu, quo absolutionem a censuris recepit, ac favores et gratias per occasionem Jubilaei datas in se admisit, ad reliqua injuncta opera exequenda sese obligavit; quemadmodum etiam superius animadversum fuit.

§. X.

De Facultatibus caeterorum Confessariorum Urbis, qui in numero Poenitentiariorum non sunt, neque ex iis, qui a Cardinali Vicario per Annum Sanctum specialiter deputantur.

§. 87. Praeter Poenitentiarios Basilicarum ordinarios, atque illos, qui eisdem per occasionem Anni Sancti adjunguntur, ac praeter Confessarios etiam a Cardinali Vicario per Annum Sanctum deputatos, alii item ordinarii Confessarii Romae sunt, de quibus in Bulla *Convocatis* actum est; ut sint qui caeteros coadjuvare, et suam pro sollicita Poenitentium, qui hoc Anno Sancto Romam adventuri sunt, expeditione, praestare operam possint.

§. 88. Hi vero ordinarii duplicis generis sunt. Alii Regulares sunt, qui a Superioribus suis ac Regularibus Praelatis ad subditorum Regularium audiendas Confessiones deputantur. Alii autem Regulares insuper a Cardinali Vicario pro saecularium Confessionibus excipiendis approbationem habent. Atque hisce postremis in Constitutione: *Convocatis num.* XLI. omnes, respectu Poenitentium Regularium Collegarum suorum, Facultates attributae sunt, quae Confessariis a Cardinali Vicario Romae per Annum Sanctum deputatis sunt concessae: ac insuper adjuncta eisdem auctoritas est supradictos ab irregularitate dispensandi, quam propter censurarum violationem, dummodo occulta sit, incurrissent; idque per integrum Anni Sancti cursum; ea tamen conditione, ut praedicti Regulares a Cardinali Vicario pro audiendis saecularium Confessionibus approbati, dicta facultate absolvendi ac dispen-

sandi, non nisi erga ante nominatos Regulares suos, uti possint; qui quidem Regulares si quando opus fuerit, ad eosdem, non vero ad alios, qui a Superioribus suis tantummodo ad excipiendas Regularium Confessiones deputati sunt, recurrere possunt.

§. 89. Alii porro ex Seculari Clero ordinarii Confessarii reperiuntur, qui cum solita quidem Cardinalis Vicarii approbatione ac licentia Secularium Confessiones excipiunt, verum qui minime ab eodem specialiter per Annum Sanctum deputati sunt. Atque his quidem nihil datur, nihilque auferitur, si aliquam forte absolvendi, aut dispensandi legitimam facultatem habeant. Idem vero plane quoad Regulares, qui cum Cardinalis Vicarii approbatione Secularium audiunt Confessiones, a Nobis dicitur, quum respectu secularium, aut eisdem addere, aut aliam quamcumque, quam ex alio titulo habeant, legitimam facultatem demere mens Nostra non sit. Nam constitutio nostra, quae incipit: *Cum Nos nuper*, solos Confessarios, qui sunt extra urbem, comprehendit; quorum Facultates, Anno Sancto durante, remanent suspensae, sive eae intuitu, et occasione Indulgentiarum, sive ex alia qualibet disparata, ac minime indulgentias respiciente causa, concessae forent; quemadmodum alibi in hac eadem epistola comprobatum est; eadem autem Constitutio: *Cum Nos nuper*, Confessarios non comprehendit Urbis Romae, in qua sane ad excolendam per Annum Sanctum Domini vineam magno operariorum numero opus est.

§. 90. Illud modo advertendum, ut hujusmodi Confessari super Facultatibus, quas habere se arbitrantur, rectum examen instituant; cum eae a privilegiis legitimis, non revocatis, quaeque in usu sint, proficisci debeant, juxta Decretum sanctae memoriae Clementis XI. die 3. Maji 1711. pro Confessariis Urbis conditum, et per bon. mem. Cardinalem Petram *tom. 5. Constitut. Apostolicar. ad Constit. 19. Sixti IV. num. 14. pag. 572. Romanae editionis*, typis editum.

§. 91. Habetis igitur, dilecti Filii quaecumque exponere vobis necessarium judicavimus; ut, graviorum controversiarum, quae aliis temporibus excitatae, per nostras Constitutiones occasione hujus Jubilaei editas de medio tolluntur, earumque solutionum compendium quoddam a Nobis elaboratum prae oculis habentes, ministerium vestrum accurate et exacte, quod maxime optamus, implere valeatis; ad quem etiam finem adjumentum Vobis allaturam arbitramus Encyclicam alteram Epistolam nostram die 26. Junii Anni vertentis datam de Praeparatione ad Annum Sanctum, quam itidem ut legatis, et consideratis, etiam atque etiam monemus. Neque vero mirum quidquam Vobis videri debet, si in hac Epistola nostra, quam in praesens exhibemus, recentibus Auctoribus plerumque usi sumus, nequaquam similes Patrifamilias, qui profert de Thesauro suo *nova, et vetera*; etenim, cum controversiae ut plurimum a recentibus Auctoribus, atque ab iis, qui de Anno Sancto scripserunt, excitatae sint; iisdem Nos etiam plerumque uti necessitas coegit. Interim autem Paterna Vos charitate complectentes, Apostolicam Vobis Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 3. Decembris 1749. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

PEREGRINORUM XXII.

Et Advenarum Anno Jubilaei Romam adeuntium Causae Civiles, et Criminales certis Judicibus summarie expediendae committuntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

Exordium

Essendoci sommamente a cuore, che i Pellegrini, Ospiti, e Forastieri, che verranno in questa nostra Città di Roma per il prossimo Anno Santo, non solamente sieno benignamente accolti, e ricevuti, ma in oltre, che in qualunque Controversia, che possa loro occorrere nel tempo della loro permanenza in essa nostra Città, sia loro amministrata senza veruna formalità di Giudizio, pronta e speditissima Giustizia; Ci siamo perciò determinati di dare i seguenti provvedimenti. E primieramente volendo, e dichiarando, che per Forastieri, Ospiti, e Pellegrini debbano intendersi per l'effetto presente, tutti quelli, che dal primo giorno del prossimo Decembre 1749. sino a tutto Gennaro 1751. verranno, o saranno venuti a dimorare per qualsivoglia tempo, tanto

dentro la Città di Roma, che nelli Sobborghi, o Casali, Ville, Orti, e Vigne per lo spazio intorno alle Mura di miglia cinque per ogni parte, di qualunque siano sesso, età, e qualità, condizione, e professione, Laici, ed Ecclesiastici, eziandio Regolari di qualunque Ordine, Congregazione, ed Instituto, esenti, o non esenti, niuno affatto escluso, e nè tampoco quegli Esteri, che non godono della Comunione della nostra Santa Romana Chiesa; Ed avendo nella presente nostra Cedola di Moto proprio per espresso, e di parola in parola registrato l'intero tenore di ogni e qualunque cosa necessaria da esprimersi.

Causis olibus.

§. 1. Di nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Suprema Potestà vogliamo, e decretiamo, che accadendo alcuna Controversia Civile tra li suddetti Pellegrini, Ospiti, e Forestieri da una, e la nostra Camera Apostolica, oppure Capitolina, loro Ministri, Uffiziali, Appaltatori, Suppaltatori dall'altra parte, per causa di qualsisia Gabbella, o di altro qualunque Dritto d'Introduzione, Transito, estrazione, o Contrattazione di qualunque Roba, o Merci, ed anche di Cavalli, ed altri Animali, non però per Mercimonio, ma per uso proprio solamente di essi Forastieri, tanto per Acqua, che per Terra, o per altra qualsisia Causa Fiscale; debba questa conoscersi, e terminarsi ad ogni richiesta estragiudiziale del Pellegrino, Ospite, o Forestiero, dal nostro Monsignor Tesoriero Generale; o da per sè stesso, o per mezzo di altra Persona idonea, che a lui piacerà deputare, senz'alcuna formalità di Tribunale e di Giudizio, all'inpiedi, e senz'alcuna spedizione di Mandato, inteso prima verbalmente, o anche non inteso, come a lui piacerà, Monsignor Commissario di essa nostra Camera, rispettivamente il Fiscale di Campidoglio, e per via meramente economica, privativamente ed esclusivamente a qualunque altro Giudice, o Tribunale, eziandio superiore al detto nostro privativo, e munito di qualsivoglia amplissima e specialissima facoltà, tanto della detta nostra Camera, quanto della suddetta Capitolina, e rimossa qualunque appellazione, ricorso, anche in devolutivo, purchè però quella non s'interponga, o questo non si domandi dallo stesso Forestiero, Ospite, o Pellegrino, a cui solamente, e non al Fisco, o suo Appaltatore, debba esser lecito di appellare, e ricorrere, quando mai si credesse gravato dal suddetto Monsignor Tesoriero, a condizione però di osservare in tal caso la solita strada giudiziale avanti i Giudici, e Tribunali competenti.

De aliis Civilibus.

§. 2. Accadendo poi alcuna Controversia Civile, in cui non abbiano Interesse nè la nostra Camera, nè la Camera Capitolina, o tra due, o più de' suddetti Ospiti, Pellegrini, o Forestieri, o tra un Forestiero da una parte, ed uno, che non sia Forestiere dall'altra, per causa, occasione, o pretesto di qualsisia Contratto, tanto nominato, che innominato, tanto ridotto, che non ridotto in scritto, sopra cose mobili, o semoventi, o per qualunque Locazione tanto espressa, che tacita, di Palazzi, o Case, Stanze, Rimesse, o Stalle dentro la Città, e Circondario suddetto; di Carrozze, Calessi, Carrette, o Carri, Cavalli, Muli, o altre Bestie da trasporto, o da soma, Letti, Apparati, ed ogni altra sorta di Suppellettili, o anche di quelle Opere personali, che sogliono prestarsi a' Forestieri da' Servitori, Cuochi, Camerieri, ed altri simili Famigliari, interpreti, o Maestri di Lingue, Sensali di Contratti, Introduttori, Condottieri, Antiquarj, e Nomenclatori; e finalmente per causa di Alloggi, Cibarie, e Alimenti; preso il nome di Alimenti nel suo più ampio, e largo significato; tutte queste Controversie, e cadauna di esse, di pari nostro Moto proprio, scienza, e pienezza di potestà vogliamo, che debbano conoscersi, e terminarsi, con tutti li loro annessi, e connessi emergenti, et incidenti, da Monsignor Gio: Carlo Molinari Protonotario Apostolico, ed uno de' Ponenti della nostra Consulta, o in suo nome da altra Persona idonea, che a lui piacerà deputare, ad ogni richiesta stragiudiziale del Pellegrino, Ospite, o Forestiero, Manu Regia all'inpiedi, senz'alcuna formalità di Tribunale, e di Giudizio, e senza alcuna rilassazione, e spedizione giudiziale di Mandato, e per via meramente economica, intesa soltanto verbalmente l'altra Parte, e con facoltà amplissima, ed illimitata di rescindere, ed annullare, e moderare qualsisia de' suddetti contratti, e di ridurre i prezzi, mercedi, pigioni, e noliti, che a lui pareranno eccessivi, ed eccessive, ai limiti dell'equo e dell'onesto, privativamente, ed esclusivamente ad ogni altro Giudice, e Tribunale, ancorchè Camerale, e privativo di questa nostra Città di Roma, quantosivoglia privilegiato, e privilegiatissimo, e per cui com-

prendere abbisognasse farne individua e speciale menzione, e rimossa qualsisia appellazione; e ricorso, anche in devolutivo, purchè però quello non s' interponga, o questo non si domandi dallo stesso Forestiero, Ospite, o Pellegrino, a cui solamente, e non all' altra Parte sarà lecito di appellare, o ricorrere, quando mai si credesse gravato dal Prelato suddetto a condizione però di osservare in tal caso la solita strada giudiziale avanti i Giudici, e Tribunali competenti, come poc' anzi stabilimmo rispetto alle Cause Fiscali; ed in oltre con la facoltà a suddetto Monsignor Molinari, per la pronta esecuzione degli ordini, che da lui si daranno, di servirsi delli Ministri, ed Officiali di qualunque Corte, e Tribunale, e di procedere alla pignorazione de' Beni, o anche carcerazione contro chiunque ricusasse di ubbidire.

De Criminalibus. §. 3. Rispetto finalmente alle Cause Criminali tanto attive, che passive, che potranno accadere, o tra un Forestiero, e l' altro, o tra un Forestiero, da una parte, ed uno, che non sia Forestiero dall' altra, di simile nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Pontificia autorità vogliamo, che debbano conoscersi, e terminarsi il più prontamente, e speditamente, che sia possibile, secondo la natura, ed esigenza della Causa, dal nostro Monsignor Governatore di Roma, o con il Voto, o anche senza il Voto della sua Congregazione, ancorchè quello, che non è Forestiere, sia talmente privilegiato per qualunque causa, titolo, e ragione, che, secondo le Costituzioni Apostoliche o nostre, o de' nostri Predecessori, o per altro qualunque privilegio, non possa esser giudicato da detto Monsignor Governatore, ma debba esser giudicato da altro Giudice privativo, di qualunque preeminenza, e dignità egli sia, e ancorchè degno di speciale, e specialissima menzione, eccettuando solamente il Tribunale della nostra Inquisizione. E nascendo alcuna questione di pertinenza in qualunque Controversia, o Causa, tanto attiva, che passiva di alcuno de' suddetti Forestieri, Ospiti, e Pellegrini, non debba attendersi altra Citazione, che segnata di mano del nostro Monsignor Uditore.

Termini a Jurisdictionum sic delegatarum. §. 4. Dichiariamo però, che le suddette Giurisdizioni privative, e facoltà straordinarie da Noi date, e comunicate per causa del prossimo Anno Santo, e in favore, difesa, e sicurezza delli Pellegrini, Ospiti, e Forestieri, a Monsignor Tesoriero Generale, a Monsignor Molinari, et a Monsignor Governatore di Roma, non s' intendano date, e comunicate, se non che dal primo giorno, del prossimo Decembre, e debbano finire, terminare, e spirare nell' ultimo giorno di Gennaro 1751., di modo che spirato questo giorno, s' intendano le cose *ipso facto, et ipso jure* riposte, e restituite nello stesso stato, nel quale si trovavano prima della sottoscrizione di questa presente nostra Cedola, e non altrimenti.

Clausulae. §. 5. Volendo, e decretando, che alla presente nostra Cedola di Moto proprio, benchè non esibita, nè Registrata in Camera, e ne' suoi Libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d' alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, e giuridichi, anche Jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnata, moderata, o rivocata, ridotta *ad viam Juris*, o concedersi contro di essa l' aperizione *Oris*, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti, debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazione de' Reverendissimi Cardinali, Camerlengo di S. Chiesa, Rota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e Giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario. Dichiarando Noi sin d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da cadauno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione della presente nostra Cedola di Moto proprio; quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non vi sieno stati chiamati, sentiti, o citati Monsignor Commissario, e gli altri Difensori della nostra Camera, i Ministri, e Difensori della Camera Capitolina, gli Appaltatori, e Subappaltatori della suddetta nostra Camera, e di quella Capitolina, ed altre qualsisieno Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, che vi avessero, o pretendessero avervi Interesse, e che per comprenderle facesse bisogno di special menzione. Non ostanti la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore *de Re-*

gistrandis, la Regola della Nostra Cancellaria, *de jure quaesito non tollendo*, e qualsisieno altre Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche, Nostre, e de' nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra Podestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e total' esecuzione di quanto si contiene nella presente nostra Cedola di Moto proprio, ampiamente, ed espressamente deroghiamo.

die 28. 1749. Dato dal Nostro Palazzo di Monte Cavallo questo dì 28. Novembre 1749.

BENEDICTUS PP. XIV.

XIII. INDULGENTIÆ JUBILÆI

Anni Sancti MDCCL. pro Monialibus, Oblatis, Tertiariis etc. necnon Anachoretis, Eremitis, Infirmis, et in carcere, aut captivitate detentis conceduntur.

Cum Facultatibus circa absolutiones, et votorum commutationes.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Pontificis providentia in Fidelium votis, necessitatibus occurrit.

Paterna charitas urget Nos, ut omnium Nostrorum Ecclesiaeque Filiorum pia vota, non tam oblata Nobis benigne suscipere, quam animo vix concepta praevertere, eisque recluso Apostolicae liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequentes ex omni Christiani Orbis Regione Fideles ad Nostram hanc Urbem, et Beatorum Apostolorum Limina, pro indicto a Nobis imminentis Anni Sancti Jubilaeo consequendo, partim jam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis Nostrae oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, hujusmodi iter avide aggrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitae propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas, vel corporalis infirmitas detineret. Horum Nos fidei ac desideriis favere, nec non spiritualibus indigentiis consulere, simulque pias preces supplicationesque eorum omnium, inter quos Evangelicae perfectionis sequaces animae, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, Nostris, congregataeque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam Omnipotentis Dei misericordiam, adjungere cupientes, praesentium Literarum tenore opportunas rationes praescribere decrevimus, per quas tam Viri, quam Mulieres, in Eremis, Monasteriis, et Religiosis Domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis, et carceribus detenti, aut morbis et infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam Urbem non accedentes, neque sacras Apostolorum memorias, et Patriarchales ejusdem Urbis Basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum, concessique a Nobis plenarii Jubilaei participes effici valeant.

Jubilaeum cum opportunis favoribus illi adjunctis ad diversa personarum genera extenditur.

I. Ad Moniales, Oblatas, Tertiarias, aliasque Puellas, et Mulieres, quae hic declarantur.

§. 1. Ut autem nemini dubium oriri possit, quaenam personae sub harum Literarum providentia comprehendantur: in primis Moniales omnes, quaecumque solemnia Religionis vota emiserunt, et in Monasteriis, sub perpetuae Clausurae legibus, sive Locorum Ordinariis, sive Regularibus Superioribus, sive Apostolicae Sedi immediate subjectae, vivunt; earum quoque Novitias, aliasque Virgines, seu Mulieres saeculares, Educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis in eisdem Monasteriis habitantes; item Monasteriorum hujusmodi Moniales, quae aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem Clausura egrediuntur; nec non Oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter Novitiis, Educandis, aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosae Clausurae legibus adstrictae non sint; Tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum Novitiis, Educandis, aliisque saecularibus Personis in earum societate viventibus, quamvis rigorosam Clausuram non observent, earumque Institutum, nec umquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum, aut confirmatum extiterit, neque pro appro-

bato, praesentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique Puellas atque Mulieres in Conservatoriis degentes, quamvis nec Monialium, nec Oblatarum, nec Tertiariarum numero habeantur, neque Clausurae legibus subjectae sint, tam in Urbe, quam extra eam ubique locorum et gentium existentes, praesentis concessionis favoribus, uti, frui, et gaudere posse volumus, et declaramus.

2. Ad Anachoretas, et Eremitas, quibus in hac declaratione.

§. 2. Item Anachoretas et Eremitas, non quidem eos, qui nullis Clausurae legibus adstricti, sive collegialiter et in societate, sive etiam solitarij, sub Ordinariorum etiam regimine, certisque legibus aut regulis obtemperantes, vivunt, sed eos, qui in continua, licet non omnimode perpetua, Clausura et solitudine, contemplativae vitae exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt, etiamsi Monastici, aut Regularis Ordinis, et Instituti Professores existant, uti Cistercienses aliquot, et Chartusienses Monachi, et Eremitae Sancti Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

3. Ad captivos, carceratos, relegatos, damnatos ad opus etc.

§. 3. Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in captivitate apud hostes quoquo modo existunt; nec non ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus, aut criminalibus causis, in carceribus tam Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum Superiorum et Tribunalium, quam Saecularium Principum, et Magistratuum, et ad Regulares, qui in carceribus Claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum causae expeditae sint, vel quia tempus poenae eisdem impositae non adhuc sit elapsum; quive, ex Superiorum quorumcumque praecepto, aliquem locum, aut Civitatem, carceris, et custodiae, seu exilii, et deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in Triremibus, seu alibi, ad opus damnati, eique addicti reperiuntur, ejusdem praesentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen, qui carceribus Tribunalis Sanctae Inquisitionis inclusi ubicumque detinentur, ea, quae paternae providentiae Nostrae opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis Officii praescribere non omittemus.

4. Ad actu vel habitu infirmos; et senes septuagenario majores.

§. 4. Denique ad Infirmos pariter utriusque sexus, tam Laicos, quam Ecclesiasticos, sive Saeculares, sive cujuslibet Ordinis, Congregationis, et Instituti Regulares, qui nempe extra Urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, a qua, juxta Medici judicium, non ita tempestive liberari poterunt, ut intra ipsum Jubilaei annum ad Urbem conferre se valeant, vel qui, licet ex hujusmodi infirmitate convaluerint, non tamen sine gravi incommodo, et recidivae periculo, Romanum iter conficere possent; quive etiam habitualiter infirma valetudine utuntur, adeo ut iter hujusmodi suscipientes, in actualem facile morbum, aliudve grave corporis incommodum incidere possent; ac demum ad senes septuagenario majores; quaecumque inferius praesentibus Literis respective statuentur, spectare et pertinere volumus pariter, et declaramus.

Praemissis omnibus opera pro Jubilaeo consequendo, facienda designat.

§. 5. Hos itaque omnes et singulos monemus, hortamur, et obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudine animae recolentes, totoque cordis affectu detestantes, salutari Poenitentiae Sacramento, et congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent; tum ad vivificum Divinae Mensae convivium, innocentiae et charitatis stola ornati, reverenter accedant: Deumque Optimum Maximum, per Unigenitum Filium ejus, ac per merita Beatissimae Virginis Mariae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum, juxta Nostram, Ecclesiaeque mentem, enixis precibus orent pro ejusdem Sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et totius Christiani Populi tranquillitate et salute: in eumque finem alia, tum voluntaria, tum sibi in locum Visitationis quatuor Basilicarum Urbis ab Ecclesiasticis Superioribus, ut infra, injungenda Religionis Pietatis aut Charitatis opera, devote peragant, et exequantur.

In locum visitationis Basilicarum Urbis alia opera ab Ecclesiasticis Superioribus respective injungi mandat.

§. 6. Nos enim Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, per praesentes committimus, et demandamus, ut Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius expressis Puellis sive Mulieribus, tam sibi, quam Nobis et Sedi Apostolicae immediate subjectis, in eorum Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis existentibus, Anachoretis quoque et Eremitis, Carceratis, et morbo, seniove affectis, eorum jurisdictioni respective subjectis, atque etiam ab illa exempti, quatenus Saeculares Personae, aut extra Claustra forsan cum debitis licentiis Regulares existant; Regularibus autem Praelatis, et Superioribus, et subditis sibi Monialibus, et si quae sint Oblatae, aut Tertiariae ipsorum regimini subjectae, et ab Ordinariorum ju-

risdictione exemptae, earumque Novitiis, aliisque in earumdem Monasteriis, et Communitatibus, ut supra, degentibus extra Urbem, nec non Religiosis Anachoretis, sive Eremitis, aliisque Religiosis in Carceribus Claustralibus detentis, sive infirmis, et senibus septuagenario majoribus, congrua Religionis, pietatis, aut charitatis, opera aequabili disciplinae, et indulgentiae moderatione servata, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios, designare et praescribere non omittant, quae illi, et illae, loco visitationum quatuor Basilicarum, et Ecclesiarum intra et extra Urbis Muros, a Nobis pro consequendo hujus Anni Sancti Jubilaeo praescriptarum, juxta singulorum statum, conditionem, et valetudinem, ac loci, et temporis rationes, respective exequi et implere possint ac debeant; et quorum implementum Nos in earumdem Visitationum locum, ad effectum ipsius Jubilaei consequendi, auctoritate Apostolica, commutando subrogamus. Pro Monialibus autem, Oblatis, et Tertiariis quibuscumque hujus Almae Urbis, earumque Novitiis, necnon Puellis, atque Mulieribus tam in praedictarum Monasteriis et Communitatibus, quam in Conservatoriis ipsius Urbis degentibus, et pro Carceratis in ejusdem Urbis Carceribus, volumus, ut ad Dilectum Filium Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem nostrum in ipsa Urbe, ejusque districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, ejusve Vicesgerentem dumtaxat, hujusmodi operum designationem, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios, facere, omnino spectet, atque pertineat.

Urbe tam e solo diuali Vicario, aut esgerente ngenda ernit.

§. 7. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, et praedictorum Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex concessa Nobis, licet immerentibus, suprema ligandi atque solvendi potestate, omnibus et singulis praefatis Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis, sive Mulieribus in Monasteriis, ac Religiosis, piisque Communitatibus viventibus, Anachoretis, Eremitis, nec non utriusque sexus Captivis, et in carcere, sive in custodia detentis, atque infirmis, et senibus, vere poenitentibus, et intra praesens Jubilaei Annum rite confessis, ac Sacra Communione refectis, Deumque Optimum Maximum, ut supra dictum est, orantibus, aliaque sibi in locum Visitationis praedictae injungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus, atque etiamsi, eorumdem operum executione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, veniam, et remissionem, etiam duabus vicibus intra ipsius Anni Sancti decursum, si omnia praemissa opera injuncta iteraverint, per eorum singulos consequendam, non secus ac ipsi, et eorum quilibet, praemissa in hac Alma Urbe exequentes, et quatuor Basilicas ejusdem Urbis, pro quibus visitandi Jubilaeum ipsum et Indulgentia per Nos concessa fuit, eodem Jubilaei Anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur, et consequi possent, tenore praesentium, ac de Apostolicae liberalitatis amplitudine, concedimus et elargimur.

Indulgentiam plenariam concedendam sibus conquendam.

§. 8. Eisdemque Monialibus, earumque Novitiis, ut, ad effectum praesentium, et pro prima vice dumtaxat, Confessarios Presbyteros saeculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, a Locorum respective Ordinariis ad audiendas Monialium Confessiones approbatos quoscumque, caeteris aut supradictis Anachoretis, Eremitis, nec non Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis et Mulieribus in Monasteriis, et Religiosis, ac Piis Communitatibus, seu Conservatoriis conviventibus, et Christifidelibus captivitate, carceratione, aut custodia, infirmitate, aut senectute impeditis, tam Laicis quam Ecclesiasticis saecularibus, et cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, ut effectum hujusmodi, et pro prima pariter vice dumtaxat, Confessarios Presbyteros saeculares, sive cujusvis etiam diversi Ordinis Regulares, et ab Ordinariis similiter, in quorum Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis Confessiones hujusmodi excipiendae erunt, ad Personarum saecularium Confessiones audiendas approbatos quoscumque, eligere valeant; utpote Confessarii sic electi, illorum Confessionibus diligenter auditis, eos, et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, et delictis, quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla die Coenae Domini legi solita, contentis, absolvere, injuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque juxta Canonicas sanctiones, rectaeque disciplinae regulas injungendis, ac praesertim, quoad illos in carceribus detentos, quorum Crimina-

Facultatem dat eligendi Confessarios pro absolutione in casibus etiam in Bulla Coenae reservatis.

Quid observandum a Confessariis edicit.

les Causae nondum conclusae sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur, Judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire; quodque hoc animi proposito carentes, absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno, susciperent; si autem cum hujusmodi veritatis fatendae proposito, aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam a Confessario obtinuerint, ipsis in foro interno utilis sane et salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas poenas evitandas prodesse poterit; utque praeterea Confessarii a Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis, et Mulieribus supradictis ad praemissum effectum electi, iisdem Monialibus, intra Monasteria Clausurae legibus subjecta solemniter Professis, Vota quaecumque post Professionem emissa, et cum earum observantia Regulari compatibilia, dispensando commutare; Oblatis vero, Tertiariis, et tam istarum, quam praedictorum Monasteriorum Novitiis, caeterisque Puellis, sive Mulieribus saecularibus in eisdem Monasteriis, et Oblatarum, aut Tertiariarum Domibus, et Communitatibus, nec non in Conservatoriis quibuslibet, Educationis, Convictus, aliave causa et ratione, cum debitis licentiis commorantibus, omnia et quaecumque Vota, exceptis illis, quae Nobis et Apostolicae Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare, easque omnes et singulas, facta commutatione hujusmodi, ab emissorum Votorum, etiam juratorum, observantia absolvere possint, et valeant, dicta auctoritate Apostolica, et earumdem tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus, et indulgemus.

Monialibus, Oblatis, Tertiariis etc. vota simplicia commutari dispensando permittit.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus Nostris super Indictione Jubilaei praesentis Anni in hac Alma Urbe, et super suspensione Indulgentiarum, et Facultatum eodem Jubilaei Anno vertente, nec non Praedecessorum Nostrorum de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, Ordinationibus, et Reservationibus, etiam in eadem Bulla Coenae contentis, nec non quorumcumque etiam Mendicantium, et Militarium Ordinum, Congregationum, Societatum, et Institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus cavetur expresse, quod alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti hujusmodi Professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes, et pro hac vice, et ad praemissorum effectum dumtaxat, plenissime derogamus, caeteris què contrariis quibuscumque.

Hortatur Episcopos ad condendas Facultates absolvendi a casibus eisdem reservatis.

§. 10. Caeterum Venerabiles Fratres Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios hortamur, ut, Nostrae et Apostolicae Sedis benignitatis exemplo permoti, Confessariis et praemissis omnibus ad earumdem praesentium effectum respective eligendis, Facultatem absolvendi eosdem a casibus eisdem Ordinariis respective reservatis, impertiri non recusent.

Transumptis fidem haberi decernit.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrae declarationis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. die 17. Decembris 1749.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnat. Dominicae MDCCXLIX., XVII. Kalendas Januarii Pontificatus Nostri Anno X.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 22. Decembris dicti Anni.

XIV.

REGULARES APOSTATÆ

Ad suos Ordines cum poenarum condonatione revocantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

ordium.

Pastoris aeterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, paternae charitatis Nostrae partes esse reputamus, ut Oves, quas Sathanae versutia a caulis Domini abduxit, ad easdem opportunis rationibus reducere, et ne in perpetuum pereant, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

usae praeis Conolutionis.

§. 1. Itaque in praesenti Anno Jubilaei, Anno scilicet remissionis et gratiae, quem ad totius Catholicae Ecclesiae consolationem atque aedificationem, apertis, atque largiter prolatis spiritualium gratiarum dispensationi Nostrae divinitus creditarum thesauris, indiximus, et benedicente Domino, maximo cum animi Nostri gaudio celebramus, pietatis Nostrae viscera erga Regulares professionis suae desertores aperire, eosque ad Christi Ovile, suos videlicet cujusque Ordines, extra quos, Luporum rapacium insidiis, atque periculis expositi, misere vagantur, quantum Divina benignitas largiri dignabitur, ut ad salutarem vitae normam, quam amplexi fuerant, velut postliminio reversi, vota sua Domino reddere studeant, revocare cupientes, ac fel. rec. Urbani VIII., Clementis X., Innocentii XII., et Benedicti XIII. Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, qui Annis Jubilaei tunc instantibus, seu currentibus, ejusmodi Regularium desertorum reductioni provide consuluerunt, vestigiis inhaerentes, Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, misericorditer indulgemus, ac statuimus, et decernimus, ut Regulares Apostatae et Fugitivi, cujuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, Societatis, et Instituti etiam necessario exprimendi, qui citra Montes intra quatuor, ultra Montes vero intra octo menses, a publicatione earumdem praesentium Literarum inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierint, tunc poenarum omnium ipsis propter Apostasiam hujusmodi inflictarum, vel infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur; ita tamen, ut debeant a suo quisque respective Superiore humiliter petere absolutionem, et coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; et viceversa Superior benigne illos teneatur ab hujusmodi poenis absolvere, et paterna charitate complecti; cui propterea, ad effectum praemissum dumtaxat, quatenus opus sit, omnem facultatem necessariam dicta auctoritate harum serie impertimur.

Conceditur postatis inra certum emus reeuntibus ondonatio nocentium.

Quid redeuntes efficere debeant.

§. 2. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, et Institutorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stilis, et usibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis etiam Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis hujusmodi, illorumque Generalibus, et aliis Superioribus, ac Personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu proprio, et de Apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum in genere, vel in specie concessis, et quantiscumque vicibus iteratis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, praesentibus pro plane et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae cum derogatoriis.

§. 3. Ut autem eaedem praesentes Literae omnibus facilius innotescant, volumus illarum

Mandatur publicatio harum Literarum.

exempla ad dilectos Filios Nostros et Apostolicae Sedis Nuntios, ac Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiarum Praelatos, et Locorum Ordinarios transmitti, qui illas quantocitius publicare studeant. Ipsarum vero praesentium Literarum Transumptis, seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eamdem omnino fidem in judicio, et extra illud ubicumque locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrorum indulti, statuti, decreti, concessionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pont. Anno X. die 12. Januarii 1750.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo, pridie Idus Januarii Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 19. Januarii 1750.

XXV. AD CLAUDENDAS PORTAS SANCTAS

In exitu Anni Jubilaei deputantur tres Cardinales de Latere Legati in Consistorio Secreto Feria 2. die 7. Decembris 1750.

Venerabiles Fratres.

In Consistorio secreto habito feria secunda die prima Decembris Anni mox elapsi, Vobis annuntiavimus, Nos in pervigilio Natalis Domini Portam Sanctam Basilicae Vaticanae esse reclusuros, prout, Deo adjuvante, reclusimus. In eodem Consistorio elegimus Nostros a Latere Legatos Cardinalem Thomam Rufum, Episcopum Ostiensem, et Veliternum, Sacri Collegii Decanum, ut nomine Nostro aperiret Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli: Cardinalem Nerium de Corsinis Diaconum S. Eustachii, et Archipresbyterum Basilicae Lateranensis, ut nomine Nostro dictae Basilicae Portam Sanctam recluderet; denique Cardinalem Hieronymum Columnam Diaconum S. Angeli in Foro Piscium, et Liberianae Basilicae Archipresbyterum, ut nomine Nostro Portam Sanctam praedictae Basilicae aperiret. Aperuerunt, et Plenariam Indulgentiam Populo, qui praesens aderat, simul cum Apostolica Benedictione, auctoritate Nostra elargiti sunt. In Pervigilio imminentis Festivitatis Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, more solito, claudemus Portam Sanctam Basilicae Vaticanae. Nunc autem eosdem Cardinales, quos deputavimus de Latere Legatos, ut Portas Sanctas Basilicarum Sancti Pauli, Sancti Joannis in Laterano, et Sanctae Mariae Majoris nomine Nostro aperirent, eligimus, et deputamus in Cardinales de Latere Legatos, ut nomine Nostro unusquisque Portam Sanctam, quam aperuit, claudat; unicuique eorum auctoritatem attribuentes elargiendi populo praesenti Plenariam Indulgentiam una cum Apostolica Benedictione. Et quemadmodum ipsos in accessu ad aperitionem Portarum Sanctarum dispensavimus ab Equitatus solemni pompa, qua ex Vaticano Cardinales de Latere Legati proficisci solebant, et concessimus, ut unusquisque ad suam Basilicam se conferret ex propriis Ædibus curru devectus, suoque nobili comitatu stipatus; hoc ipsum ut fiat, etiam nunc indulgemus, cum in imminenti Pervigilio Nativitatis Domini ad sibi designatam Basilicam unusquisque accessurus est, Portam Sanctam clausurus.

Cum autem praedictus Reverendissimus Cardinalis Rufus Decanus, ob valetudinis incommodum, excusationem ab injuncto munere obtinuisset; Sanctitas Sua sequentem Syngraphan ad Reverendissimum D. Petrum Aloysium Episcopum Albanensem S. R. E. Cardinalem Carafa nuncupatum conscribi mandavit.

Dalla Segreteria di Stato li 16. Dicembre 1750.

Essendosi degnata la Santità di Nostro Signore di dispensare il Protettore della Congrega-

zione Cassinense di fare la Funzione di chiudere la Porta Santa nella Basilica di San Paolo in vece dell' Eminentissimo Signore Cardinal Decano, che si è preventivamente scusato, mi ha in seguito sua Beatitudine coll' Oracolo della viva voce ordinato di significare a Vostra Eminenza, di averla prescelta a fare la suddetta Funzione; accordandole perciò il Titolo di Legato a Latere colle Facoltà di chiudere l'accennata Porta Santa, e di benedire il Popolo con l' Indulgenza Plenaria in forma di Giubbileo. Tanto eseguisco, e resto baciando all' Eminenza Vostra umilmente le mani.

D. V. E.

Umiliss. Devotiss. Servo
S. Cardinale Valenti.

XVI. EXTENSIO

Universalis Jubilaei in Urbe celebrati Anno Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo, ad universum Catholicum Orbem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus praesentes Literas inspecturis, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

...mium. ...ontificis ...lium de ...oratione ...laei in ...e cum ...no Re... ...nis fru... ...nequuta.

Benedictus Deus, Pater misericordiarum, Deus totius consolationis, qui dedit Nobis elapsum Jubilaei Annum, secundum desideria cordis Nostri, per omnia felicem, faustumque transigere. Repleti sumus consolatione, superabundavimus gaudio, dum toto hujus Anni decursu, Dilectorum in Christo Nostrorum Ecclesiaeque Filiorum fidem, religionem, pietatemque perspeximus. Vidimus confluentes ad hanc Urbem Nostram innumeros ex omni lingua, et populo, et natione, ex omni ordine, aetate, ac sexu, Christifideles, qui ipso suo adventu, et propriae fidei fervorem, et amplitudinem Regni Dei testabantur. Eosdem vidimus ad sacra ejusdem Urbis Templa certatim accurrentes, in spiritu contrito et humiliato, animarum suarum expiationi consulere, et sicut olivarum novellas in circuitu Mensae Domini, vivifica Christianae unitatis, et pacis Sacramenta percipere: Tum etiam impigro studio, et religiosa frequentia, ab una ad alteram saepe procedentes Ecclesiam; nunc in Constantiniana Lateranensi Basilica, SALVATORIS Nostri Clementiam, per merita ipsius Beati PRÆCURSORIS, ejusdemque Dilecti DISCIPULI ET EVANGELISTÆ exorantes; nunc in Liberiana Æde in Exquiliis, gloriosae Virginis DEI GENITRICIS opem atque praesidium implorantes; nunc Sacram APOSTOLORUM PRINCIPIS Confessionem in Vaticano; nunc via Ostiensi DOCTORIS GENTIUM Martyrium osculantes, uberibusque lacrymis perfundentes, pro Ecclesiae Catholicae pace, et exaltatione, cunctorumque credentium incolumitate, et salute, unanimes ferventesque preces effundere. Quo spirituali gaudio auribus Nostris audivimus ejusdem Urbis vias, et fora, areas, et colles, piis precationibus, suavibus canticis, ac Divini Nominis laudibus personare! Quoties commota sunt paterna viscera nostra, dum confertissimos vidimus Fidelium greges, Nostris pedibus circumfusos, in persona humilitatis Nostrae, Vicariam Christi potestatem venerari, ac Beati Petri Apostolatum, cujus Dignitas in indigno haerede non deficit, effusis filialis obsequii significationibus prosequi! His populorum flagrantibus studiis Sacrorum praeluxerunt exempla Pastorum, qui ad honorandam de more memoriam ejusdem Beatissimi Ecclesiae Principis, hoc Anno potissime frequentes se contulerunt, et quorum Nos splendida corona stipati, sacros Conventus maxima cum dignitate, universaeque Fraternitatis aedificatione, celebravimus. Quid vero dicemus de Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque Curiae Nostrae Proceribus, qui piorum operum assiduitate caeteris praeeuntes, simulque Christianae humilitatis exercitationibus infra quoscumque, licet abjectae sortis, Fratres sese dimittentes, Christi bonus odor facti sunt universae Civitati, et omnibus, qui fuerunt in ea? Quid demum de totius dilectissimae Urbis Cleri, ac Populi devotione narrabimus, cujus pietatis exempla, cujus charitatis officia erga advenas et peregrinos, hoc Anno praesertim largiter ac sedulo impensa, in universo mundo annuncianda fore non dubitamus? Benedicti Filii Nostri, Romanae Urbis Cives et Incolae, qui fecerunt hanc mise-

ricordiam cum Fratribus suis. Nos autem confitebimur Domino, quoniam benignus est, quoniam consolationes ejus laetificaverunt animam Nostram.

Causae extensionis Jubilaei ad universum Catholicum Orbem.

§. 1. Sed praeterea magna a Nobis spes jure ac merito concepta est, eumdem clementissimum Dominum, imploratam votis Nostris misericordiam suam Nobis ostensurum; idque demum Ecclesiae suae largiturum fore, quod tam concordibus studiosisque obsecrationibus a se postulari concessit: ut scilicet Ecclesiam ipsam Catholicam, et Regnum Filii sui, per totum terrarum Orbem, et sanctitate, et amplitudine exaltet; ut cunctis Mundum purget erroribus, ut inter Christianos Principes concordiam, et pacem confirmet; universamque Christi sui plebem ab omni mundana adversitate defendens, ad aeternae salutis portum dirigat, atque perducat. Quod ut ab eodem Deo Optimo Maximo fidentius petere audeamus, de praedictorum Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, decrevimus, Universos Christifideles, qui ubique locorum et gentium unius Fidei communione Nobis junguntur, in hujusmodi votorum societatem adscire, apertoque largius Indulgentiarum Thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore, ut dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per poenitentiam eluendo, se comparabunt, ac pio devotionis affectu ferventes, debitaeque erga Sedem Apostolicam observantiae specimen in hoc ipso praeseferentes, injuncta pietatis et religionis opera exercebunt; et singuli in semetipsis id, quod pro aliis postulabunt, obtineant; et quas pro Fratribus preces supplicationesque offerent, eidem bonorum omnium largitori, innocentiae et charitatis suae merito commendent.

Indulgentia plenaria conceditur implentibus operathic designata, et injuncta.

§. 2. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, in quacumque Mundi parte existentibus, et in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus, etiam iis, qui forsan elapso Anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem Jubilaeum a Nobis concessum adepti sunt, vere poenitentibus, et confessis, et sacra Communione refectis, qui intra sex menses, a die publicationis praesentium in qualibet Dioecesi faciendae computandis, Ecclesiam ipsius Cathedralem, seu Majorem, aliasque tres ejusdem Civitatis, aut Loci, sive in illius Suburbiis existentes, ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, aliisve de ipsorum mandato, designandas, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei, usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, devote visitaverint, ibique pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, Haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et Christiani populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam ejusdem Anni Jubilaei omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, et veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor Basilicas, seu Ecclesias, intra et extra Urbem pro consequendo Jubilaeo hujusmodi a Nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent, et alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus, et impertimur.

Indulta pro Personis quocumque modo impeditis aliisque, arbitrio Episcoporum.

§. 3. Navigantes vero, et iter agentes, ut, si post elapsos menses hujusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis, et visitata totidem vicibus Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, seu stationis hujusmodi, eamdem Indulgentiam consequi possint, et valeant: Nec non praedictis Locorum Ordinariis, ut cum Monialibus, Oblatis, aliisque Puellis, aut Mulieribus, sive in Monasteriorum Clausura, sive in aliis Religiosis, aut piis Domibus, et Communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quoque, et Eremitis, ac aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis Personis, Saecularibus, vel Regularibus, in Carcere, aut Captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint, super praescriptis hujusmodi visitationibus tantummodo; cum Pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione hujusmodi dispensare, ac illis omnibus et singulis, sive per se ipsos, sive per eorum, earumque Regulares Praelatos, aut Superiores, vel per prudentes Confessarios, alia pietatis, charitatis, aut re-

ligionis opera, in locum visitationum hujusmodi, seu respective in locum Sacramentalis Communionis praedictae, ab ipsis adimplenda praescribere; atque etiam Capitulis, Congregationibus tam Saecularium, quam Regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, Ecclesias hujusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum, pro suo prudenti arbitrio, reducere possint ac valeant, earumdem tenore praesentium, concedimus pariter, et indulgemus.

Facultates electionis Confessarii et praemissionis votorum commutationibus

§. 4. Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis, ut sibi, ad hunc effectum, Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario Loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum; caeteris autem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Saecularibus, et cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad eumdem effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Saecularem, quam cujusvis etiam diversi Ordinis, et Instituti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis Confessiones hujusmodi excipiendae erunt, ad personarum Saecularium Confessiones audiendas approbatum, qui intra dictum semestris spatium, illas, et illos, qui scilicet praesens Jubilaeum consequi sincere, et serio statuerint, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice, et in foro conscientiae dumtaxat, ab Excommunicationis, Suspensionis, et aliis Ecclesiasticis Sententiis et Censuris, a jure, vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis, etiam Ordinariis Locorum, ac Nobis, et Sedi Apostolicae, etiam in Bulla die Coenae Domini legi solita, seu per alias quascumque Apostolicas Constitutiones quomodocumque reservatis, et a Sacris Canonibus fulminatis; nec non ab omnibus peccatis, et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac Nobis, et sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, injuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de jure injungendis, absolvere; nec non Vota quaecumque, etiam jurata, ac Sedi Apostolicae reservata (Castitatis, Religionis, et Obligatoriis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praejudicio tertii, semper exceptis; nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare; et cum Poenitentibus hujusmodi in Sacris Ordinibus constitutis, etiam Regularibus, super occulta Irregularitate ad exercitium eorundem Ordinum, et ad superiorum assecutionem, ob Censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possint et valeant, eadem auctoritate, et Apostolicae benignitatis amplitudine, concedimus et indulgemus.

Declarationes circa praemissas facultates.

§. 5. Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia Irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam ulli Confessario facultatem absolvendi Complicem in quolibet inhonesto contra sextum Praeceptum peccato; aut Complici, Confessarium hujusmodi ad effectum praesentium eligendi licentiam impertiri; ut jam in aliis Nostris Literis incipien. *Sacramentum Poenitentiae*, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno Primo editis, generaliter declaratum fuit; neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice Ecclesiastico, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Aliae declarationes.

§. 6. Caeterum, si qui post inchoatum, hujus Jubilaei consequendi animo, praescriptorum operum implementum, morte praeventi, praefinitum Visitationum numerum complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac Sacra Communione refectos, praedictae Indulgentiae et remis-

sionis participes perinde fieri volumus, ac si praedictas Ecclesias diebus praescriptis reipsa visitassent. Si qui autem, post obtentas, vigore praesentium, absolutiones a censuris, aut Votorum commutationes, seu dispensationes praedictas, serium illud, ac sincerum, ad id alias requisitum, propositum ejusdem Jubilaei lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint, nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes, et dispensationes ab ipsis cum praedicta dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus, ac declaramus.

Adhortatio ad Episcopos.

§. 7. Ut autem hujus consilii Nostri, quod pro totius Populi Christiani salute, et sanctificatione suscepimus, optatum consequamur effectum, maxima, post Deum, fiducia Nobis reposita est in Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiae Dei Antistitum cooperatione et sedulitate. Itaque omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ordinarios Locorum Praelatos, sive Ordinariam localem jurisdictionem, in defectum Episcoporum et Praelatorum hujusmodi, legitime exercentes, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes, per nomen Domini Nostri, et Pastorum Principis JESU CHRISTI, et per Charitatem Ecclesiae ipsius Sponsae hortamur, rogamus, atque etiam Apostolica auctoritate ipsis injungimus, ut simul ac praesentium Literarum exempla ad eorum manus pervenerint, non solum easdem solemniter publicare, et in reliquis sibi superius injunctis exequi non praetermittant; verum etiam omni studio adnitantur, ut Fideles sub eorum regimine constituti, oblatam sibi occasionem reformationis, reconciliationis, et sanctificationis cum gaudio suscipiant; ac se Apostolicae Sedis favoribus et gratiis dignos exhibentes, has ipsas in uberrimum animarum suarum, Ecclesiaeque universae fructum convertant. Quid jam ab ipsorum Antistitum zelo, in praeparandis ad Universalis Jubilaei acquisitionem subjectis sibi plebibus, praestari optaverimus, dudum eisdem per Apostolica scripta ex hac Sede directa significavimus. Quid vero Nos ipsi in hac Urbe nostra in eundem finem praestiterimus, ad eorum notitiam perlatum fuisse putamus. Quo demum pietatis fructu, quo religionis exemplo, in hac ipsa Urbe, benedicente Domino, celebrata fuerit ipsius Jubilaei solemnitas, nullum Terrae angulum latere arbitramur. Merito igitur ab iisdem Ecclesiarum Pastoribus expectamus, et petimus, ut attendentes ad Petram, ex qua excisi sunt, suam cum Romana Ecclesia unitatem, et communicationem in hoc etiam ostendere gestiant, ut singuli in suis Civitatibus, et dioecesibus id efficere curent, quod ipsa Ecclesiarum Mater, pro totius Catholicae Societatis profectu et incremento, pro Christiani Populi emendatione et salute, expetit, quod eadem Romana Ecclesia illustribus exemplis commonstrat et docet. Omnes itaque Pastoralis solicitudinis curas in id impendant, ut commissos sibi Populos, in ejusdem disciplinae puritate, Christianaeque pietatis fervore concordes exhibeant, unusque per omnes Catholicas Ecclesias bonorum operum splendor appareat; ut omnium Fidelium consentientibus precibus exoratus Omnipotens Pater, Ecclesiam suam miseratione continuata emundet, defendat, amplificet; Supremos Principes, qui ejus ordinatione in sublimitate sunt, coelestibus benedictionibus cumulet; universosque credentes, per viam pacis, et per mandatorum suorum semitas, ad aeternam salutem, quam Nobis Unigenitus ipsius Filius promeruit, gratiae suae munere perducat. Tunc demum gaudium nostrum plenum erit, ipsique Ecclesiarum Pastores de profectu Sanctarum Ovium una nobiscum exultatione gaudebunt.

Item ad Catholicos Principes.

§. 8. Charissimos denique in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, ac Reges, et Principes omnes Catholicos, quorum plerique pro hujus Jubilaei ad eorum Regna, atque Dominia extensione suum Nobis desiderium significarunt, quum satis intelligere non dubitemus, ex hoc salutari opere in eorum Ditionibus exequendo, cum piae conversationis augmento, sincerae erga ipsos obedientiae studium, in populis eorum Ditioni subjectis magis magisque firmatum iri, Divinaeque propitiationis auxilium, ad ipsorum Dominantium, eorumque Principatuum prosperitatem et pacem, efficacius implorari; idcirco eosdem omnes et singulos fidentius hortamur atque rogamus, ut omnia adjumenta et auxilia praestent dictis Ecclesiarum Praelatis, ad hoc ut pium hujusmodi opus aptissimis mediis promovere, et ad optatum finem perducere valeant.

§. 9. Praesentes quoque Literas per omnia validas, et efficaces existere, suosque plenarios effectus, ubicumque per dictos Ordinarios Ecclesiarum Praesules publicatae, et executioni mandatae fuerint, sortiri et obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus, in hujusmodi locis commorantibus, sive ad illa postmodum ex navigatione, et itinere se recipientibus, plenissime suffragari volumus, atque decernimus; non obstantibus de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis, editis Constitutionibus, Ordinationibus, et generalibus, seu specialibus absolutionum, seu relaxationum, ac dispensationum reservationibus, etiam in praedicta Bullae Coenae contentis; necnon quorumcumque, etiam Mendicantium, et Militarium Ordinum, Congregationum, Societatum, et Institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis, quoque, Indultis, et Literis Apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti hujusmodi Professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice, et ad praemissorum effectum dumtaxat, plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium Transumptis, sive Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus, adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae extensionis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo, Octavo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo. Dat. die 25. Decembris 1750.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 1. *Januarii* 1751.

CIRCA IMMUNITATEM XXVII.

Localem nonnulla dubia declarantur post Constitutiones Benedicti XIII. et Clementis XII. excitata, aliaque opportuna statuuntur, et praecipiuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Officii Nostri ratio non eam modo solicitudinem Nobis imponit, ut Sacrorum Canonum Leges, et Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium, aut perplexum occurrit, exactissime servari, et impleri curemus; sed id etiam a Nobis exposcit, ut exorientem circa aliquas ex illis dubiorum segetem, quae earum debitae executioni multis modis officere dignoscitur, opportunis editis declarationibus, aut definitionibus, amputare ac removere studeamus. Exordium.

§. 1. Sane fel. record. Praedecessor Noster Gregorius Papa XIV. providam Juris Canonici sanctionem prae oculis habens, qua scilicet, sub *Tit. De homicidio voluntario, vel casuali* Rom. Pont. reos homicidii proditorii, praemeditati, atque etiam in rixa

volontarie commissi, ab Immunitatis beneficio exclauserunt.

cap. 1. innovatum fuit vetus praeceptum Legis a Deo in Exodo latae: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur;* per suam Anno Incarnationis Dominicae MDXCI. nono Kalendas Junii editam Constitutionem, quae incipit: *Cum alias*, iis, qui proditorie proximum suum occidissent, ad Ecclesias, locaque Sacra, et Religiosa confugientibus, Ecclesiasticam Immunitatem minime suffragari decrevit. Tum vero piae memoriae Praedecessor quoque Noster, ac Dignitatis Nostrae amplificator Benedictus Papa XIII. Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXV. sexto Idus Junii, edita Constitutione, quae incipit: *Ex quo divina*, non eos tantum, qui proditorie, ut praefertur, homicidium patrassent, verum etiam interficientes proximum suum animo praemeditato ac deliberato, ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio exclusit et repulit. Demum san. mem. proximus Decessor Noster Clemens Papa XII. in sua Constitutione, quae incipit: *In suprema Justitiae solio*, Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXIV. Kalendis Januarii edita, eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis praedictae beneficio minime gaudere voluit atque decrevit.

Alia quoque delicta eodem beneficio non gaudere decreverunt, et plures declarationes ediderunt.

§. 2. Insuper iidem proxime memorati Praedecessores Benedictus, et Clemens, ad ea, quae in jure Canonico, et in Gregoriana Constitutione recensebantur, nonnulla alia delicta addiderunt, quae, si qui commisissent, eos a praedicto beneficio asyli, et confugii apud Ecclesias, ac Loca Sacra et Religiosa, exclusos fore statuerunt, variasque a Doctoribus, ac dicti Juris, et Constitutionum Apostolicarum Interpretibus, de Immunitate locali agentibus, excitatas quaestiones et controversias, declarando ac definiendo sustulerunt; ut ex eorumdem Constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex una e Nostris Institutionibus, quam olim dum Archiepiscopalem Bononiensem Ecclesiam praesentes moderabamur, pro illius Populi curae Nostrae concrediti instructione, edidimus, quaeque impressa extat *Tomo II.* Editionis Italicae *num.* XXI., in Latina vero Editione *num.* LXI.

Reos a loco immuni ex trahi permiserunt ex indiciis ad capturam, et Curiae saecularis Officialibus tradi ex indiciis ad torturam sufficientibus.

§. 3. Ad hoc autem, ut Curia aliqua Ecclesiastica, in casu alicujus ex delictis exceptis hujusmodi, ad Extractionem Delinquentis e loco immuni procedere, eumque ad suos Carceres transferre posset, quum praefatus Benedictus Praedecessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate, ac personae recitatae, ea suppeterent indicia, quae ad capturam decernendam sufficientia reputari solent; ut vero extractum hujusmodi Ministris, et Officialibus Curiae saecularis tradere et consignare valeret, ea decrevisset indicia ex processu informativo adversus extractum ipsum confecto resultare debere, quae juxta regulas Juris, vocantur *ultra torturam;* alter deinde Praedecessor Clem. XII. ampliando declaravit, ut quoties Ecclesiastico Judici, ex indiciis, non quidem ultra torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extractum commisso constaret, posset idem extractum hujusmodi Curiae saeculari tradere et consignare. Caeterum iidem Praedecessores nec auctoritatem Ecclesiasticam ullo pacto per praemissa imminui, nec inde ullam Justitiae laedendae occasionem captari posse voluerunt. Siquidem extractiones Delinquentium hujusmodi e loco immuni nunquam sine auctoritate Episcopi, et interventu Personae Ecclesiasticae ab ipso Episcopo deputandae, fieri posse statuerunt; nec unquam extractos ipsos, praedictis etiam concurrentibus indiciis, Curiae saecularis Officialibus tradi et consignari, nisi ea lege, sub gravissimarum censurarum poenis servanda, ut Ecclesiae, seu Loco immuni restituerentur, quatenus in progressu Causae iidem extracti indicia hujusmodi purgarent atque diluerent.

Extractionem tamen auctoritate Ecclesiastica semper fieri voluerunt; traditionem vero sub conditionibus Justitiae conservandae idoneis.

§. 4. Cum autem ea, quae per Clementem Praedecessorem praedictum, Juris communis, et Gregorianae, ac Benedictinae Constitutionum sanctionibus addita fuerunt, ultra fines temporalis Dominii Apostolicae Sedis minime extenderentur, visum est Nobis, eadem ad alias quoque Regiones, quarum Supremi Principes id postulassent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tum quae Ann. MDCCXLI. cum Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo utriusque Siciliae Rege illustri, tum quae Anno sequenti MDCCXLII. cum alio pariter Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Emanuele Illustri quoque Sardiniae Rege sancita fuerunt, praemissas, aliasque in Clementis Literis praefatis contentas dispositiones, in eorumdem Regum Dominiis locum habere concessimus; mox etiam ad alia Principum id expeten-

Leges, pro S. R. E. Dominiis hac de re editae, ad nonnullorum Principum ditiones extensae fuerunt.

tium dominia, peculiaribus respective editis Literis, quarum exemplum videre est in *Tomo primo Bullarii Nostri Constitut. LXXXVIII.*, quae incipit: *Alias felicis*, extendimus et ampliavimus.

a tamen a adhuc rcanda ersunt.

§. 5. Verum, quum tot ista per Praedecessores Nostros praedictos, ac per Nos ipsos adhibita studia, non omnes quaestiones, quae in Tribunalibus excitari solent, tam super qualitatibus homicidiorum, quae pro exceptis haberi debeant, quam super modo exequendi praefatas Constitutiones in variis homicidiorum hujusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, de medio tollere, seu penitus antevertere valuerint; id adhuc oneris Nobis relictum esse judicavimus, ut constitutas in hoc rerum genere agendi regulas, ad quas saepissime tam Ecclesiasticorum, quam Saecularium Judicum acta expendere et exigere necesse est, nequaquam ultra difficultatibus et dubiis involuntas remanere pateremur. Itaque, omnibus mature pensatis, auditisque nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, aliorumque gravium Virorum, Jurisque Canonici peritorum, et in criminalibus judiciis versatorum consiliis, motu proprio, ac de Apostolicae, qua fungimur, auctoritatis plenitudine, Nostram et Praedecessorum Nostrorum mentem in hunc, qui sequitur, modum declarare, et quaedam etiam ex integro, ut infra, statuere decrevimus.

Circa per sas in di- tas Consti- tionibus Comprehen-

§. 6. Ac primum quidem, cum in memorata Gregorii Praedecessoris Constitutione, quae incipit: *Cum alias*, dum ea delicta enumerantur, quae ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio exclusa censeri debent, de Laicis delinquentibus dumtaxat mentio habeatur, deque his etiam tantummodo loquutus fuerit alter Praedecessor Benedictus in supracitata Constitutione, quae incipit: *Ex quo Divina*; placuit laudato Praedecessori Clementi XII. hujusmodi Constitutiones per suam, quae incipit: *In supremo Justitiae solio*, ad Ecclesiasticos etiam cujuscumque gradus, et ordinis, homicidium animo praemeditato ac deliberato patrantes, extendere et ampliare, itaut nec ipsi, in hujusmodi casu, Ecclesiastica Immunitate juvari possint; dummodo tamen commissi per eos homicidii Causa ab eorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei reperti fuerint, citra poenam sanguinis, ad praescriptum Sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione.

Comprehensi declaratur Regulares.

§. 7. Cum autem dubitatum fuerit, an sub hac Clementis Praedecessoris ampliatione et extensione Regularium quoque Ordinum Professores, et Alumni comprehendantur; Nos, ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decernimus et declaramus, omnes et singulos cujuscumque Ordinis, Congregationis, Militiae, et Instituti Regulares, tam in ipsis expresse Professos, quam illis quomodolibet adscriptos, cujuscumque gradus et conditionis extiterint, etiamsi ex ipsorum Ordinum Privilegio, seu alias, quaelibet expressa et individua mentio de ipsis, eorumque Ordinibus, ad hoc ut sub praesentis, aut praemissarum Constitutionum censura comprehendantur, habenda foret, si qui unquam, quod Deus avertat, homicidium animo praemeditato ac deliberato patraverint, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticae, juxta formam earundem Constitutionum Benedicti, et Clementis, exclusos fore, et censeri.

Item Mulieres.

§. 8. Et quoniam praedictus Clemens Praedecessor speciali Decreto edito die 5. Octobris anni MDCCXXXVI. expresse declaravit, Mulieres etiam, quae aliquod delictum ejusmodi commisissent, quod inter excepta, et ab Immunitatis localis beneficio exclusa, juxta praemissa, haberi debeat, pari jure hac in re cum Viris censeri, et sub dispositione ipsius Literarum incipiens: *In supremo Justitiae solio*, aeque in omnibus comprehendi debere; Nos hujus nostrae Constitutionis tenore declarationem praedictam approbamus et confirmamus, eique inviolabilis legis, juxta quam in occurrentibus casibus judicari omnino debeat, plenarium robur adjicimus: Decernentes similiter, ac declarantes, sub ejusdem Clementis, nostraeque hujus Constitutionis dispositione, etiam Milites in omnibus et per omnia comprehensos esse, nec ullum militare privilegium, hac in parte, ipsis suffragari posse, aut debere.

Et Milites.

II. Circa homicidium baculo aut saxo commissum.

§. 9. Praeterea quum in praefata Clementis Decessoris Constitutione ab Immunitatis praedictae beneficio excludantur omnes et singuli tam Laici, quam Ecclesiastici inquisiti, et processati, vel in contumaciam banniti; et condemnati, *ex causa et occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, dum-*

modo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem; saepe disputari contingit, an is, qui non casu, vel ex propriae defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit baculo, aut saxo; quae scilicet vel arma non sunt, vel si ita appellari possent, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent; ab Immunitatis localis beneficio exclusus haberi debeat. Nos igitur super hujusmodi dubio definiendo decernimus, quemcumque Homicidam sive Virum, sive Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum Saecularem, aut cujusvis Ordinis Regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occiderit, Ecclesiastici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, et nocendi animo ac voluntate prodiisse. Quae quidem definitio nostra conformis est Divinae Legi, quae habetur in Libro Numerorum *cap.* 35., ubi, designatis Civitatibus refugii pro iis, qui sanguinem proximi nolentes effudissent, ita subjungitur: *Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. Propinquus occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut, cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit; cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit: quod si fortuito, et absque odio et inimicitiis, quidquam horum fecerit, et hoc, audiente populo, fuerit comprobatum, atque inter percussorem, et propinquum sanguinis quaestio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in Urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos Magnus, qui Oleo Sancto unctus est, moriatur.*

Quod decernitur a beneficio Immunitatis exceptum, dummodo voluntarie, etiam in rixa commissum fuerit.

III. Circa eos, qui proximum vulnerarunt ad mortem.

§. 10. Accidit autem in homicidiis, id quod in aliis delictis exceptis locum non habet, ut qui percussus, aut ictus fuerit, non statim moriatur, sed plerumque per aliquot horas, aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad Ecclesiam, aliumve locum immunem confugiens, asyli jure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quamdiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de saucii vita solicite explorare non desinit, si eum diutius victurum intelligit, a capto asylo nequaquam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnoscit, arrepta fuga, Magistratuum diligentiam praevertens, tempestive sibi consulit, meritasque poenas evadit. Quod quum ab iis, qui justitiae administrandae propositi sunt, Nobis expositum fuerit persaepe evenire, et quidem non sine magna publicae tranquillitatis pernicie, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex hujusmodi evasionis fiducia concipiunt; iidemque postularint, hujusmodi malum opportunis providentiae nostrae remediis submoveri.

Hi etiam e loco immuni extrahi jubentur, restituendi tamen, si mors non sequatur intra tempus a Lege praefinitum.

§. 11. Ideo Nos, de praedictorum Fratrum nostrorum, aliorumque prudentium consilio, per praesentes decernimus, ac mandamus, ut percussore ad Ecclesiam, aliumve Sacrum aut Religiosum locum confugiente, si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitae periculum* adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni, servatis servandis, extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiae omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, et quidem sub iisdem poenis, quibus in memoratis Benedicti, et Clementis Literis ii subjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Episcoporum privativum jus in praemissis asseritur.

§. 12. Quod vero in citata Gregorii Praedecessoris Constitutione circa facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis statutum fuit; ut scilicet ea ad solos Episcopos, aliosque Episcopis superiores Praelatos pertineat, non vero ad alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut Nullius Dioecesis; ita ut, occurrente casu in loco exempto, et Nullius Dioecesis, tunc negotium hujusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur, id quod ab alio quoque Praedecessore Benedicto in superius allegata ipsius Constitutione confirmatum fuit; id ipsum Nos quidem praesentium Literarum tenore approbamus, et confirmamus. Sed quoniam nonnullae ad Nos quaerelae super hoc delatae fuerunt, quod quaedam Curiae Ecclesiasticae pro parte Officialium Curiae Saecularis requisitae, extractionem delinquentium in casibus exceptis hujusmodi diutius quam par est,

protrahere consueverunt; Nos ipsis Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiarum Praesulibus, enixe studioseque suademus, et respective mandamus, ut omnem querelarum occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, et quoties de delinquentibus in casibus exceptis hujusmodi agatur, ad opportuna indicia adversus eos colligenda animum intendere non recusent; siquc ea, quae juxta praemissa requiruntur, re vera suppetere agnoscant, eorumdem delinquentium extractionem e loco immuni quamprimum decernant, ut vel in Episcopalibus Carceribus nomine Ecclesiae detineantur, vel etiam ad Curiae Laicalis Carceres ejusdem Ecclesiae nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim Ecclesiastici zeli officium in eo statuendum est, ut justitiae cursus per Apostolicas Constitutiones praescriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum in Ecclesiae immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum, et personarum juribus asserendis, et sustinendis, quum ea, contra sacrarum legum praescriptum infringi, ac violari contingat. Quum tamen hujusmodi moras tunc maxime intervenire putemus, quum praefata delicta excepta non in Civitatibus, sed per Dioeceses, in locis a Curiae Ecclesiasticae residentia remotis, perpetrantur; idcirco Nos per easdem praesentes praedictis Episcopis, aliisque superioribus Praelatis facultatem concedimus et impertimur, ut, quoties in hujusmodi casibus pro parte Curiae Laicalis requisiti fuerint, Vicariis suis Foraneis, sive etiam aliis personis Ecclesiasticis ad id per ipsos Antistites deputandis, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria juridice colligant; ut his nimirum inspectis iidem Antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant.

§. 13. Et quidem haec omnia, quae per praesentes hucusque declaravimus, definivimus, atque statuimus, tam in hac Urbe nostra, et in Bononien., Ferrarien., Beneventana, aliisque omnibus Civitatibus, Terris, et Locis, Nobis, et Sanctae Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectis, etiam specialem, et individuam mentionem requirentibus, eorumque Curiis Ecclesiasticis, et Saecularibus, etiam Baronalibus, quam etiam in aliis Regnis, Provinciis, atque Ditionibus, ad quas dictae Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, sive peculiaribus concessionibus, ut supra, sive per viam *concordati* extensae, et ampliatae fuerunt (quatenus nimirum congrue dignoscantur cum eisdem Concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus,) locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis Ditionum, Regnorum, Locorumque hujusmodi tam Ecclesiasticarum, quam Saecularium Curiarum Judicibus, Magistratibus, Officialibus, et Ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, per omnia observari volumus, atque decernimus.

Confirmantur poenae statutae adversus violatores Immunitatis, et Jurisdictionis Ecclesiasticae.

§. 14. Illud etiam, quod in praeallegatis Nostrorum Praedecessorum Constitutionibus, sub gravissimarum poenarum interminatione, districte vetitum fuit, ne scilicet Curiae Saeculares, eorumque Magistratus, Judices, et Officiales quicumque, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticae auctoritatis interventu, capere, extrahere, aut incarcerare; neve ad declarandum, crimina a praedictis admissa esse de exceptis in eorumdem Praedecessorum Constitutionibus (quum id ad solos, ut praefertur, Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant seu praesumant; Nos quoque iisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, et innovamus; atque ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, inviolabiliter etiam perpetuo observari praecipimus; contrafacientes quoque, et transgressores, easdem omnes poenas, quae in praeallegatis Constitutionibus indictae sunt, omnino incurrere statuimus, atque sancimus: Decernentes, in numero transgressorum hujusmodi eos etiam esse et censeri, qui, in spretum Ecclesiasticae auctoritatis, et Canonicarum Sanctionum, praescripto ad Superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, et Loca immunia obsidere praesumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui Sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur, sive aliter, eosdem in Curiae Saecularis potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes et singulas poenas atque censuras adversus Ecclesiasticae immunitatis violatores, in jure, ac in praedictis Constitu-

Eorum numero habendos esse decernitur eos etiam, qui loca immunia obsidendo, aliisque artibus, confugientes in suam potestatem venire compellunt.

Hujusmodi artes pluries Canonicis censuris damnatae.

tionibus Apostolicis latas atque statutas, incurrere decernimus ac declaramus. Sane hujusmodi artes atque violentias aliis etiam retro temporibus intentari consuevisse non ignoramus; sed simul etiam ab Ecclesia damnatas semper atque proscriptas fuisse comperimus; idque satis demonstrant ea, quae in pluribus Provincialibus Conciliis, labentibus decimotertio, ac decimoquarto Ecclesiae saeculis, statuta leguntur; (*) ibi enim expositis Ecclesiarum circumsessionibus, interceptione alimentorum, aliisque artibus, quibus ii, qui ad Ecclesias confugerant, ad deditionem adigebantur, quicumque similia attentare praesumpserint, anathematis mucrone feriuntur. Et Nos igitur, qui Ecclesiae spiritum circa praemissa toties aperte declaratum, atque a Praedecessoribus Nostris constanter servatum, exuere neque possumus, neque volumus, eidem per omnia inhaerentes, decernimus, et declaramus, omnes, et singulos, qui sub Ecclesiasticae Immunitatis tutela degentibus, hujusmodi ratione vim inferre ausi fuerint, praeter alias poenas atque censuras adversus ejusdem Immunitatis violatores, ut praefertur, latas atque sancitas, sine alia declaratione incurrendas, omni beneficio ac privilegio Ecclesiastici confugii et asyli tam apud Ecclesias, et loca immunia ab ipsis sic violata, quam apud alias quascumque Ecclesias, et Loca Sacra, et Religiosa, indignos, atque privatos fore, et habendos esse, non secus ac alii omnes, *qui confugientibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, et abducunt;* quos scilicet laudatus Praedecessor Benedictus XIII. in sua allegata Constitutione, *non illius tantum Ecclesiae, quam violarint, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiae immunitate gaudere nequaquam posse aut debere* declaravit; et quorum Nos numero supradictos etiam jure et merito accensendos esse decernimus.

De his, qui delictum exceptum in una ditione patraruot, et ad locum immunem confugiunt in altera, ex qua, vigore mutuae consuetudinis, traderentur Curiae in loco delicti jurisdictionem habenti.

§. 15. Denique quum, sicut accepimus, inter temporalis Dominii Nostri, ac nonnullarum finitimarum Ditionum Curias, reciproca quaedam consuetudo inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex Ditionibus hujusmodi commiserint, et intra fines alterius se receperint, instante Curia illius Ditionis, in qua delictum commissum fuit, capiantur, eidemque Curiae tradantur; cumque, sicut etiam Nobis expositum fuit, hujusmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujusmodi, in Terris, ad quas confugerunt, sub Ecclesiae alicujus, vel alterius loci immunis tutela se receperint: Idcirco Nos, Ecclesiasticae Immunitatis rationes cum recta Justitiae administratione, et Reipublicae tranquillitate opportune copulare volentes, decernimus, et mandamus ut, si hujusmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quae in Apostolicis Constitutionibus praefatis excepta sunt, in temporali Romanae Ecclesiae dominio patraverint, indicia ad capturam requisita, ab Episcopo Dioecesano, seu respective viciniori illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur; eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum coepit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni praefatae locus esse debeat, extractionem delinquentis e loco immuni, auctoritate sua, et cum interventu personae Ecclesiasticae, fieri mandet. Eademque ratione, si in praefatis aliorum Principum Ditionibus, in quibus traditionis praedictae consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod, sive in vim Gregorianae, aut Benedictinae Constitutionis, sive ratione *Concordati* cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratae, pro excepto haberi debeat; volumus, et statuimus, ut Episcopus ille, ad quem, ratione loci delicti commissi, id perti-

Indicia contra hos cumulentur ab Episcopo, ad quem spectat, ratione loci delicti, et transmittantur alteri, ad quem pertinet extractionem decernere.

(*) Concilium Provinciale Lambethense hab. Anno 1261. tom. 11. part. 1. Labbeanae Collectionis Conciliorum col. 810. Concil. Exoniense Anni 1287. tom. 11. part. 2. dictae Collectionis col. 1281. tit. 15. Concil. Provinciale Nugarolíense Anni 1303. dicto tom. 1. part. 2. ejusdem Collectionis col. 1479. can. 6. Concil. Palentinum Anni 1322. dicto tom. 11. part. 2. praefatae Collectionis col. 1697. cap. 7. Concilium Vallisoletanum Anni 1322. tom. 3. Collectionis Conciliorum Hispaniarum Cardinalis de Aguirre pag. 364. tit. 18. num. 31. Concilia Marcianense, et Sylvanectense Anni 1326. supracitato tom. 11. part. 2. d. Collectionis Labbeanae col. 1751. tit. 11. et col. 1770. cap. 5. Concilium Vaurense Anni 1368. eodem tom. 11. part. 2. dictae Collect. col. 2012. tit. 93.

nere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eaque transmittat ad Episcopum Ditionis Ecclesiasticae, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit; ut hujus scilicet Antistitis auctoritate, aliisque servatis servandis, a confugii loco extrahi, ac si ita res feret, externae postulanti Curiae valeat consignari. Volumus tamen, in quolibet ex praemissis casibus, in quibus de delictis, ut supra, exceptis tantummodo agitur, praedictarum Benedicti, et Clementis Constitutionum, seu Concordatorum respective leges, atque tenores, inviolabiliter observari; tum scilicet in eo, ut delinquens Ecclesiae nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per Episcopos dumtaxat, privative quoad omnes alios etiam Ecclesiasticos Judices, ex indiciis, ut praefertur, ad torturam sufficientibus, declaretur, an delictum, de quo est quaestio, inter excepta connumerari debeat, nec ne; tum denique in eo, quod pertinet ad obligationem restituendi reum ad formam dictarum Constitutionum, quatenus is in progressu causae, indicia hujusmodi sibi adversantia purgaverit, atque diluerit.

§. 16. Ipsas demum praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque perpetuae firmitatis vim, et robur habere, suosque integros atque plenarios effectus, in locis atque Ditionibus praedictis, ac respective ubilibet locorum, et gentium, sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et quoquomodo pro tempore spectabit in futurum, etiam sub statutis poenis atque censuris per contravenientes ipso facto incurrendis, omnino servari; sicque, et non aliter, in praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Cardinalium hujusmodi Congregationes, et Apostolicae Sedis Nuncios, nec non Saeculares Curias, et Magistratus, etiam supremos, aliosve quoslibet, quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, et etiam speciali nota, et mentione dignos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere decernimus, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 17. Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet Apostolicis Constitutionibus, Regulis, et Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiasticarum, aut Saecularium legibus, edictis, stilis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et facultatibus, quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis, et quavis quantumcumque sublimi dignitate, et auctoritate fulgentibus, et ex quibusvis etiam gravibus, et urgentissimis causis, seu quibuscumque Regularium Ordinibus, etiam Mendicantium, et Militaribus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, seu Monachorum, aut Clericorum Regularium Congregationibus, Societatibus, et Institutis, etiam Societatis Jesu, aliisque quibusvis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibuscumque clausulis, et decretis, etiam motu, et potestatis plenitudine similibus, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, formas, et causas praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, atque etiam insertis, ac respective servatis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, praedictis motu, scientia, et potestatis plenitudine derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque: seu si aliquibus communiter, aut divisim ab hac eadem sit Sede indultum, quod nullo in casu, seu extra certos casus, ceterisque de causis, excommunicari, suspendi, aut interdici non possint, nisi per Literas ejusdem Sedis, facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 18. Ut autem praesentes Literae, et in eis contenta hujusmodi, ad omnium notitiam perducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, volumus easdem ad valvas Ecclesiae S. Joannis in Laterano, et Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis Innocentianae, aliisque locis solitis, et consuetis ejusdem Urbis, per Cursores nostros, ut moris est, publicari, earumque exempla affigi, sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter intimatae, et notificatae fuissent; earum quoque Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesia-

Earum publicatio vim personalis intimationis; Transumpto vero authographi fidem obtinent.

stica Dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in judicio, et extra illud ubique haberi, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, et ostenderentur.

Sanctio. §. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum declarationum, definitionum, ordinationum, confirmationum, prohibitionum, mandatorum, decretorum, et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 15. Martii 1750. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCL. Idibus Martii. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 6. Aprilis ejusdem anni.

XXVIII. PRO COPHTIS CATHOLICIS.

Indultum recipiendi Sacramentum Confirmationis a Presbytero Missionis Praefecto.

DECRETA.

Super dubiis alias propositis de coelibatu eorum, qui in infantili aetate ad Diaconatum promoti fuere; et de Dispensationibus super Matrimoniis initis post Ordines Sacros. Vide hujus Bullarii Tom. 1. num. 129.

Dilectis Filiis Fr. Jacobo a Cremisir Presbytero Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae Praefecto Missionis Apostolicae in Ægypto, caeterisque Missionis Cophtae Missionariis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Prima Instructio anno 1745 edita memoratur. Anno vertente reparatae salutis millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, Pontificatus autem Nostri quinto, tum ut partes Apostolici Nostri ministerii impleremus, tum etiam, ut praeclaram significationem paterni animi nostri, ac dilectionis, qua semper complexi sumus, complectimur, semperque complectemur inclytam Nationem Cophtam, praeberemus, auditis gravium ac prudentium hominum sententiis, nostris quoque laboribus, ac privato studio adjunctis, Pastoralem Instructionem super quibusdam, de quibus ambigebatur, ad eorum ritus, et mores spectantibus edidimus.

§. 1. Ea vero in Instructione, quae typis impressa fuit, nostroque Bullario inserta, actum est de Ritu Cophtorum, quo Sacramentum Confirmationis a simplici Sacerdote, statim post Baptismum confertur; agitur etiam de more ac consuetudine eorumdem, conferendi Ordinem Diaconatus pueris adhuc in infantili aetate existentibus. Quibus de rebus ea, quae consentanea erant, et opportuna, constituta sunt; nonnulla autem indefinita remanserunt; quia, priusquam de illis responsum a Nobis daretur, necessarium visum fuit plura, quae haud satis nota, et perspecta erant, exquirere, ut in eadem Instructione videre licet. Interea vero omnes curas ac diligentias adhibere non praetermisimus, ut eorum, quae adhuc deerant, cognitionem assequeremur. Collectis deinde omnibus, quoad fieri potuit, quae necessaria videbantur, *die* 12. *Martii anni currentis* 1750. nonnullos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, alios in Sacrae Theologiae facultate Magistros, alios autem in jure Canonico peritos, coram Nobis, rimatis antea per Nos omnibus et perpensis, congregari jussimus. In hac autem Congregatione, dubia, quae proponebantur, in duas Classes dispertita fuerunt: una eorum fuit, quibus neque adhuc ullum responsum praeberi poterat; altera vero eorum, quibus et tunc responderi poterat, et quae opportuna videbantur, decerni.

Dubia tunc in suspenso relicta.

Ex iis aliqua nequaquam definiri potuerunt.

§. 2. Inter dubia, quae indefinita remanserunt in nostra Pastorali Instructione *Anni*

1745. unum illud fuit: *An spes ulla affulgeat proximi reditus alicujus Episcopi ad sinceram cum Catholica Ecclesia unitatem.* Alterum vero: *An et quomodo tolli possit, et radicitus extirpari abusus conferendi Ordines ante legitimum tempus, et induci quod aetatem Ordinandorum observantia decretorum Conc. Trid. quam in casu simili, ad Catholicae Fidei praesidium, et disciplinae Ecclesiasticae augmentum, Gregorius XIII. plurimum commendavit Patriarchae Maronitarum.* Haec autem duo dubia in praedicta ultima Congregatione reposita fuerunt in eorum Classe, quibus neque adhuc responderi poterat, cum ex iis, quae novissime Nobis relata fuerunt, nulla proxima spes effulgeat, ut aliquis ex ejusdem Nationis Episcopis, ejuratis schismatis, ac haeresum erroribus, ad Catholicae Ecclesiae sinum revertatur.

I. Ministro rmenti rmatio- et quo ore sit reu-

§. 3. Similiter inter dubia, quae indefinita relicta fuerunt in superius laudata Instructione, reperitur illud: *An rebus in eo, in quo hodie sunt, statu manentibus, expediat tribui uni, vel pluribus Presbyteris facultatem extraordinariam administrandi Sacramentum Confirmationis: Cui, vel quibus dicta facultas tuto delegari possit, ut Sacro Chrismate praecipue liniantur filii orti a Parentibus Catholicis post haeresim ejuratam, et abluti Sacro Baptismate saltem a Sacerdote Latino.* Et illud quoque: *An in casu concessionis hujusmodi facultatis, expediat monere Sacerdotes, ne ea utantur administrando Confirmationem infantibus immediate post Baptismum (nisi casu necessitatis) sed in ea tantum aetate, quae Confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere.* Haec autem postrema duo dubia in ultima Congregatione posita fuerunt in Classe eorum, quibus responsum praeberi nunc potest.

Ejusdem erendi ultas con itur Præ- o Missio- durante essitate; modo firmandi mum æ- s annum gerint.

§. 4. Itaque eorum examine assumpto, auditisque Congregatorum sententiis, Decretum fieri placuit in hunc modum: *Sanctissimus consentaneum judicavit delegare Praefecto Missionum Ægypti facultatem extraordinariam conferendi, Chrismate tamen ab Episcopo benedicto, Sacramentum Confirmationis illis, qui a Sacerdotibus Latinis Baptismum acceperunt. Caveat autem Praefectus hujusmodi Sacramentum illis conferre, qui septimum aetatis annum nondum attigerint, nisi forte periculum mortis immineret, ne, ingravescente morbo, sine hoc Sacramento decedant. Denique Sanctitas Sua facultatem elargiri solum intelligit, donec necessitas id postulaverit, videlicet, donec aliquis Catholicus Episcopus in Ægypto habeatur.*

De hujus indul.i fundamentis, remissive.

§. 5. Hujusmodi Decretum etiam in praesenti a Nobis confirmatur: cum in omnibus, ac per omnia conveniens, ac consentaneum sit tum iis, quae exposita fuerunt in praecedenti nostra Instructione *anni* 1745. §. *quod attinet ad primum*; tum etiam iis, quae fuse a Nobis tractata sunt in nostro Opere *de Synodo Dioecesana* impresso *Anno* 1748. *l.* 7. ubi *c.* 7. actum est de consuetudine Presbyterorum Graecorum impertiendi Sacramentum Confirmationis statim post Baptismum, et de Episcopo, qui est Minister ordinarius hujus Sacramenti; *et c.* 8. de necessitate, quam habet Sacerdos Latinus, si a Summo Pontifice constituatur Minister extra ordinem Sacramenti Confirmationis, utendi Chrismate ab Episcopo benedicto; *et c.* 9. resumpta integra materia, exponitur, quousque se proferat tolerantia Apostolicae Sedis, et in quibus Graecorum Regionibus locum habere valeat vetus consuetudo, qua eorum Sacerdotes Fidelibus statim, ubi Sacro Lavacro abluti sunt, Sacramentum Confirmationis conferunt; adeo ut non aliud hic addere opus sit, quam Praefecto Missionum Ægypti eamdem a Nobis concedi facultatem, quae data est Guardiano Sancti Sepulchri, qui ex beneficentia, et gratia Sedis Apostolicae, durante ejus Officio, ubi Episcopi Latini in suis Dioecesibus residentes non adsunt, in Terrae Sanctae Locis Sacramentum confert Confirmationis; facultatem videlicet conferendi Sacramentum hujusmodi, Oleo, et Chrismate, etiam antiquis, si nova haberi non possint, per Catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis: quemadmodum quisque legere poterit in Nostra Constitutione, quae decima est in Tomo primo Nostri Bullarii. Quamvis enim, juxta ea, quae in Pontificali Romano praescripta sunt, singulis Annis Feria quinta in Coena Domini Sacrum Chrisma renovari debeat, neque liceat uti Chrismate Anno praecedenti consecrato; id tamen locum non habet, si aut Chrisma recipi nequeat, nisi ab Episcopo, qui a Communione Apostolicae Sedis separatus sit, aut etiam si aliquis Episcopus adsit in Communione Ecclesiae Catholicae degens, ea tamen sit locorum distantia, vel aliud intercedat impedimentum, ut ab eo novum Chrisma accipi nequeat; tunc quippe licere censetur uti vetere Chrismate ab Epi-

Declaratur d. Praefectum uti posse Chrismate, etiam antiquo, si novum ab Episcopo Cathol. benedictum habere nequeat.

scopo Catholico annis praecedentibus benedicto, sicut a Nobis late demonstratum est in Nostra Notificatione 14. *Tom. 4. Bonon. edit.* cum in ea Urbe degentes Archiepiscopi munere fungeremur.

De Ætate confirmandorum, regulae indicantur.

§. 6. Quod autem pertinet ad aetatem, qua Sacramentum Confirmationis dari debet, aut conferri permittitur etiam iis, qui adhuc per aetatem capaces non sunt probe, ac bene percipiendi vim, ac valorem Sacramenti, id, quod responsum est, apprime concordat cum iis, quae a Nobis collecta, et fuse exposita sunt in laudato Nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana l. 7. c. 10.*

II. De coelibatu eorum, qui ad Diaconatum infantes promoti sunt, et in eo adulti et coelibes ministrarunt.

§. 7. Prosequendo examen dubiorum, quae in Classe collocata sunt eorum, quibus tunc responderi poterat, illud ordine succedit: *An, si Diaconi ordinati in aetate puerili ministrent adulti in Ordine suscepto, et in statu coelibi, inferri possit, eas ante nuptias ratam Ordinationem habere; cum compertum sit teste P. Benart, eos a puero functionibus Ecclesiasticis assuescere, et in magno numero ordinari, ne aliquando desint, qui Ecclesiae ministeriis operam navent.* Cum igitur examen praescripti Dubii aggredi placuerit, post latum a quolibet ex Congregatis suffragium, pronunciatum est a Nobis Decretum in haec verba: *Diaconi in aetate puerili ordinati, licet ante decimum sextum aetatis annum ministraverint in Ordine suscepto, et in statu coelibi, tamen non censetur ante Nuptias Ordinationem ratam habuisse, eo quod nihil faciendi sint illi actus, quos in aetate puerili, et ante decimum sextum aetatis annum exercuerint.* Quod Decretum nunc pariter a Nobis confirmatur.

Decernitur, per haec ante annum aetatis XVI. peractae, neminem censeri Ordinationem ratam habuisse.

§. 8. Ut vero ea, quae decreta sunt, planius intelligantur, opus est aliquantum digredi; hac enim ratione procedendo, via munietur, ut ad propositum finem perveniamus.

Exemplum a Professione Regulari, quae vel est expressa, vel tacita.

§. 9. Nemo est, qui ignoret, duobus modis Religiosam Professionem fieri; vel, ut melius dicamus, duplicem esse Professionem Religiosam, unam expressam, alteram vero tacitam. Expressa fit, quum debitis servatis solemnitatibus, tria vota Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae conceptis verbis emittuntur, quae in Constitutionibus Ordinis, in quo quis se velle vivere profitetur, praescripta sunt: Tacita autem in eo posita est, cum quis ea exercet, et operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua Religione se obligare voluisse, etsi solemniter et expresse eam professus non fuerit.

Statuta per Conc. Trid. aetate annorum XVI. ad expressam Professionem valide emittendam, actus, per quos tacita inducitur, ante eam aetatem peracti, pro nihilo reputantur.

§. 10. Tacita Professio a Sacro Tridentino Concilio juxta communiorem sententiam sublata non est, ut late testantur Navarrus *Consil. 35. de Regul. num. 5.* Azorius *Instit. part. 1. lib. 12. cap. 4. qu. 6.* Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp. 37. n. 2.* Fagnanus *in cap. Perlatum de iis, quae vi etc. num. 46.* Sed cum in eodem Concilio decretum fuerit, nullas ac irritas esse Professiones, quae in quacumque Religione fiunt ante annum decimum sextum aetatis Profitentis, et antequam integer annus probationis expletus fuerit; hinc recte deducitur, etiamsi a Concilio tacita Professio sublata non sit, eam tamen locum non habere, si actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint post annum decimum sextum aetatis Profitentis, et postquam annus probationis completus est; ita ut a Concilio Tridentino magna ex parte temperata sit dispositio: *Cap. Is, qui de Regularibus, in sexto, et Clementina. 2. eodem Titulo, de Regularibus.*

Cum itaque dd. Diaconi, ex prioribus Decretis, eadem aetate interrogandi sint, an velint in Ordine perseverare, ejusque onera subire.

§. 11. Ad instar Conciliaris Dispositionis a Nobis constitutum est, ut Diaconi Cophti in infantili aetate ordinati, ubi ad annum decimum sextum aetatis suae pervenerint, a Praefecto Missionum interrogentur, num velint, necne perseverare in Ordine suscepto, et obligationes omnes Ordini annexas implere, ut inde statui possit, quid in futurum in reliqua eorum vita ab ipsis servandum sit, sicut quisque videre potest in pluries laudata Instructione Nostra *anni* 1745. Itaque quemadmodum stabilita per Concilium aetate anni decimisexti ad Professionem Regularem emittendam, tacita locum non habet, etiamsi ante praedictam aetatem actus illi expleantur, ex quibus secundum Canonicas dispositiones tacita professio indicitur, sed omnes illi nullo in numero, et pro nihilo habentur ad tacitam Professionem Regularem inducendam, nisi expleti fuerint post annum aetatis decimumsextum, et postquam anno probationis evoluto, expressa Professio emissa non est; ita constituto a Nobis anno aetatis decimosexto, quo, ut dictum est, Praefectus Missionum Diaconos in puerili aetate ordinatos interrogare debet, velint ne, an secus, perseverare in Ordine suscepto, et obligationibus Ordini conjunctis satisfacere, ex Ordinis exercitio ante annum decimumsextum eorum aetatis peracto nulla tacita ratiha-

Sequitur, ut per actus antea exercitos, nec ad perseverantiam, nec ad onera Ordini adnexa se valide obligasse censeantur.

bitio argui debet: cum ad summum hujusmodi actus tacitam ratihabitionem importare possint, si gesti fuerint post annum decimumsextum, eo casu, quo Praefectus Missionum anno decimosexto eorum aetatis ipsos interrogare, quemadmodum ab illo fieri debere saepius monitum est, neglexerit.

De Dispensationibus, quae postea contingunt super Matrimoniis contractis post Ordinem Sacrum.

§. 12. Remanet ultimum ex iis, quae Responso Nostro definiri posse diximus; illud autem est hujusmodi: *An plus commodi, et utilitatis, vel potius scandali et detrimenti allatura sit rei Catholicae dispensatio super Matrimonio inito post Ordines Sacros, librati in utramque partem omnium rationum, et circumstantiarum momenti.* Praemissa in praecedenti Instructione Ecclesiae Orientalis consuetudine retinendi cum Ordine Sacro uxorem, quae tamen ante Ordinis susceptionem accepta sit, atque indicata etiam controversia, an Matrimonium ab Orientalibus initum post Ordinem Sacrum irritum sit, an potius dumtaxat illicitum; transitus factus est ad aliam quaestionem: an rectum, probe factum, ac utile videretur, an potius scandalo esse posset, aliquem dispensare, qui uxorem post Ordinem Sacrum duxerit, ut eam retinere, ac simul Sacro Ordine perfungi, et sacra munia exercere possit, quia hujusmodi dispensationes interdum a Sede Apostolica concessae fuerunt. Cum autem, quae ad quaestionem definiendam necessaria videbantur, non satis nota, ac perspecta essent, placuit rem differre, et interim exquirere, quae opus erant, ut plenius de re tota instrueremur. Cum autem ad nostram cognitionem, quae expectabamus, relata sint; auditis Congregatorum suffragiis, in ea fuimus sententia, ut nemini facultas dispensandi concederetur, sed Sedi Apostolicae reservaretur; ut, cum casus contigerit, et dispensatio postuletur, mature expendantur, quae necesse est considerare, ut, vel concedatur, vel denegetur dispensatio, cum de re gravissima, ac magni momenti agatur. Decretum autem conditum est in haec verba: *Recurrant ad Apostolicam Sedem in casibus particularibus: in quibus, si ob graves causas Dispensatio super Matrimonio inito, post Ordines Sacros concedenda videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione consensus.*

Earum concedendarum facultas Apostolicae Sedi reservatur.

§. 13. Haud ignotum est, quanta difficultas occurrat, quoties super Matrimonio ex impedimento dirimenti nullo dispensatio conceditur solita conditione, ut inter Conjuges consensus renovetur: cum accidere possit, et nonnunquam contigerit, ut mulier haud contenta viro, vel vir uxorem fastidiens, ut se in libertatem vindicet, eorum alter, vel uterque, novum consensum praebere renuat. In Decreto mox relato haud mens nostra fuit, renovationem consensus excludere, cum Matrimonium extra dubitationem nullum est; sed, cum gravis illa controversia, ut dictum est, adhuc vigeat, an Matrimonium in Ecclesia Orientali post Ordinem Sacrum contractum, perinde nullum sit, ac in Ecclesia Occidentali, an potius sit solummodo illicitum; et cum hujusmodi controversia (exceptis Italo Graecis, quorum Matrimonia post Ordinem Sacrum inita, statutum est, nulla, et irrita esse, ut in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi Pastoralis* §. 7. *num.* 28. quae est quinquagesima septima in ordine Bullarii Nostri *Tom.* I.) quoad caeteros Orientales Graecos nullo adhuc Decreto Apostolico definita fuerit, licet Tribunalia hujus almae Urbis opinioni eorum adhaereant, qui haec Matrimonia nulla existimant; nihilominus satius visum est, ut adveniente casu concedendi dispensationem, conditio renovationis consensus non exprimatur. Decretum autem, de quo agitur, nunc etiam a Nobis solemniter confirmatur.

Si concedantur, decretum est, ne renovatio consensus exigatur.

Id enim prudenter omittendum visum est, dum nihil definitum habetur super nullitate hujusmodi Nuptiarum apud illas Nationes.

§. 14. Haec autem sunt, quae a Nobis constituta fuerunt, quaeque pro recta Cophorum disciplina, dirigendisque moribus opportunum esse duximus, ut huic nostrae secundae Instructioni insererentur. Hinc autem inclyta illa natio, quae etiam antiquis temporibus suae unionis cum Apostolica Sede, quae centrum est unitatis, illustria praebuit argumenta, satis intelligere poterit, quam eximio charitatis affectu eam in Domino prosequamur; eique interea, veluti dilectionis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die XIX. Junii MDCCL. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Dat die 19. Junii 1750.

PROPONITUR RATIO XXIX.

Secernendi Honorarios a veris Familiaribus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, et Praelatorum Romanae Curiae, ad omnes juris effectus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

In eminenti supremi Principatus celsitudine, Dei voluntate, constitutos, ea Nos, inter alias, cura solicitat, ut forensium litium et controversiarum germina, quantum fas est, succidamus, earumque potissimum, quae nec sine bonae fidei detrimento intentari, nec sine injustae vexationis damno, et immeriti dispendii periculo sustineri, neque demum sine publicae tranquillitatis perturbatione agitari consueverunt.

Honorariorum multiplex Romae numerus.

§. 1. Neminem latet, antiquam esse in hac Romana Urbe et Curia consuetudinem, ut plures, pluresque inter Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, nec non ipsius Curiae Praelatorum Familiares quoquo modo adnumerari contendant, eisque operam suam atque servitia, vel tanquam Aulici nobiles, aut studiorum Adjutores, sive Familiae Medici, aut Causarum, quas forte in Tribunalibus pendentes habeant, Solicitatores, Patroni, Advocati, vel, si ab Urbe recedant, tanquam negotiorum gestores, sive ad alia Officia eorum Personis ac Dignitatibus congruentia, sponte profiteantur, et exhibeant, nullius quidem stipendii aut mercedis conditione, sed eorum favoris, et gratiae sibi unice, ut ajunt, proposito praemio, quod tamen satis apparet a spe alicujus utilitatis ex eorumdem Patrocinio percipiendae sejunctum non esse.

Ex his aliqui, Patronis defunctis, pro veris Familiaribus haberi contenduot.

§. 2. Et quidem pluribus saepe contingit, ut hujusmodi spei fructus optatos consequantur; pluribus etiam contraria sors cadit. Verum tam ex his, quam ex illis non pauci deinde inveniuntur, qui, extincto Cardinale, vel Praelato, cui supradictum servitium praestiterunt, non dubitant ab haeredibus complurium annorum cumulata salaria petere; atque etiam allatis probationibus super hujusmodi servitio defunctis praestito, haeredes ipsos in jus et judicium vocare; unde hi, quum plerumque ignari sint conditionum, quibus auctores sui cum illis convenerant, ancipitis judicii difficultatibus incommodisque vexantur; quemadmodum Nobis, in Romana Curia ab ineunte aetate versatis, et in hujus quoque generis litibus non semel Judicis officio functis, certo deprehendere licuit.

Hujusmodi controversiae in Judicium deductae non facile definiuntur.

§. 3. Et illorum quidem actioni Romanae Urbis consuetudo adstipulatur, secundum quam salarium, licet non expresse conventum, cuilibet famulatum impendenti debetur. Quod si haeredes a praedictis conventi, ea exceptione se tueantur, quod et auctorum suorum mens fuerit, et adversarii ipsi in animo habuerint, ab hujusmodi consuetudine in eorum casu discedere; hinc statim ingredi necesse est immensam, implicitamque conjecturarum sylvam, quarum plures a dictis haeredibus colliguntur, ut ostendant tum auctorum suorum, tum eorum, qui ipsis famulati sunt, mutuum consensum fuisse, ut a praefata consuetudine recedetur. Contra vero plures aliae afferuntur ab iis, qui praeteriti servitii mercedem postulant, ut Judici persuadeant, mutuum hujusmodi consensum nunquam inter eos, eorumque defunctos Patronos intercessisse; atque ita multiplices diuturnaeque lites in Tribunalibus agitantur, diversoque exitu finiuntur, quemadmodum fert earum controversiarum natura, quarum decisio ex conjecturis potissimum pendet; dum ex his aliae unius Judicis intellectui magis validae apparent, alteri vero aliae majoris momenti videntur.

Honorariorum retinendorum consuetudo parum utilis.

§. 4. Ad haec incommoda praecavenda, quibus civilis societas non parum perturbatur, promptum ac tutum remedium id esset, ut praefati Cardinales, atque Praelati, nullius opera servitioque ullo modo uterentur, praeterquam eorum, quos justis menstruis diurnisque stipendiis remunerari statuerunt, exclusis aliis, qui licet ipsis gratuita obsequia ac servitia liberaliter polliceantur, nihilominus eos tam in vita, quam in morte, ac etiam post mortem multis modis vexare non omittunt. Nam et viventibus importuni sunt, dum novas quotidie rationes comminiscuntur, quibus praestitam illis operam, per eorum patrocinii favorem, compensari postulent; et morientibus molesti esse non verentur, tam instanter, quam audacter (ut aliquando Nobismetipsis videre contigit) petentes Ecclesiasticarum Pensionum, si quas iidem Cardinales atque Praelati transferre possunt, participes fieri; et, iis defunctis, plura controversiarum capita, etiam judicialiter, adversus haeredes, et reliquam familiam excitare solent, non solum pro consequendis retroacti temporis salariis, de quibus supra di-

ximus, sed etiam pro consueto quadraginta dierum proxime decurrendorum stipendio, pro vestibus ad luctum comparandis, ac pro virili portione capienda cum aliis Familiaribus, quibus Cardinales praedicti certam pecuniariam summam, pro rata, et pro qualitate servitii praestiti, inter eos dividendam, legare consueverunt. Sed quoniam nimis difficile fore cognoscimus eorum obsequia penitus rejicere, qui Procerum hujusmodi favorem et gratiam, cum eorum familiaritatis nomine, ambiunt; idcirco aliam rationem proponere decrevimus, qua servata, aeque certum publicae utilitatis et quietis fructum feliciter obventurum non dubitamus.

Mos confirmandi Rotulum veterum Familiarium commendatur.

§. 5. Quum scilicet ab antiquo tempore tam Cardinalibus, quam etiam Praelatis in more positum fuerit, familiarium suorum nomina Indiculo quodam, quem *Rotulum* vocant, propria ipsorum manu subscripto comprehendere, id etiam in posterum ab ipsis servetur; vel si ab eorum aliquo praetermissum fuerit, quam primum fiat; et hujusmodi Rotulo inscribantur omnes et singuli, quos propriis servitiis addictos retinent cum praestatione consueti salarii, illius nimirum, quod vel Romanae Aulae stylus fert, vel singulorum mos, eorumve Domus consuetudo definiit. Æquum est autem, ut salarium hujusmodi debitis temporibus unicuique Familiari solvatur. Quod si quis ex descriptis in praedicto Rotulo, vivente Domino, stipendia non acceperit, integrum ipsi erit post illius mortem actionem contra ejus haereditatem promovere, dummodo intra annum a die obitus ipsius Domini computandum, eam judicialiter intentet; sciatque se nonnisi duorum annorum stipendia, defuncto Domino, petere posse; qua de re extat felicis recordationis Praedecessoris Nostri Pauli Papae III. Constitutio, quae incipit: *Sicut Nobis*, eaque jam pridem a recolendae memoriae Sancto Pio Papa V. in sua, cujus initium est: *Cupientes*, innovata et confirmata; quam Nos ipsi, praesentium tenore, et pari Apostolica auctoritate similiter confirmamus et innovamus. Praeterea iisdem Familiaribus sub consueti salarii conditione in Familiam adscitis, et in Rotulo praefato descriptis, reliqua omnia iisdem competentia jura salva et integra esse volumus, tam pro vestibus atris, certique temporis stipendio post Dominorum mortem fruendo, quam pro rata portione capienda inter alios Familiares certae pecuniarum summae legato conjunctim remuneratos.

Horum jura asseruntur, et leges de ipsis latae confirmantur

§. 6. Hi autem, qui non mercede conducti, sed honoris tantum causa, Cardinalibus, atque Praelatis servitia praestare consentiunt; vel in eodem Rotulo, cum expressa Honorariorum denominatione describantur, vel in alium Indicem a Patronis similiter subscribendum seorsim referantur; sciantque se cum hujusmodi distinctione descriptos, tam de jure, quam hujus Nostrae Constitutionis vigore, nihil in posterum ex defuncti Patroni bonis petere, aut consequi posse, sive per viam actionis, sive compensationis, aut retentionis, quantumvis diuturna, magnique momenti servitia eidem praestiterint, et quamvis ille nihil vivens in eorum utilitatem egisset, vel etiam agendo, nihil forte pro ipsis obtinuisset. Praeterea nullam iisdem competere volumus actionem pro quadragenorum dierum, ut ajunt, stipendio, sive pro atris vestibus, aut pro consequenda portione cujusque summae inter alios Familiares mercede conductos, ut supra, dividendae; sed praeter honorem, quem ex Defuncti Familiaritate consequuti sunt, aliasque utilitates, si quas illius gratia et auctoritate jam perceperunt, nil aliud ipsis sperandum relinquimus, quam quod vel Defunctus ipse, grati animi ergo, eisdem nominatim testamento legaverit; vel Patroni haeredes, sine praejudicio aliorum Familiarium, qui consueti salarii conditione illi ministrarunt, ac sine diminutione earum rerum, quas his praeservatas fore decrevimus, eisdem Honorariis sponte largiri voluerint.

Honorariorum quoque nomina, si Rotulo distincte inscribantur, nulla ipsis actio relinquetur.

§. 7. Videant itaque quicumque Magnatuum praedictorum favorem, gratuitam operam ipsis exhibendo, aucupantur, qua lege et conditione deinceps in eorumdem Honorariorum Familiarum numerum cooptabuntur, suasque rationes subducant, perpensa praesentis Constitutionis dispositione; quam quidem ab ipsius publicationis die vim legis habere statuimus; sed nullo modo extendi volumus ad casus antea definitos sive in favorem Familiarium Honorariorum hujusmodi, sive adversus eos, circa quos praecedentia judicata omnino attendi et servari debere decernimus.

Praesentium Literarum Lex futuros casus respicit, nec afficit praeteritos.

§. 8. Caeterum Nos praedictis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque praemissis, hujusmodi consilium proponimus, tanquam equum et ad eorum utilitatem, et quietem, Nostro, aliorumque in re-

Ejusdem Legis favor volentibus tantum proponitur; non secus ac beneficium Inventarii Haeredibus Episcopis etc.

[illegible] sar, ut per Inventarii similis confectionem, res [illegible]

[illegible]

§. [illegible]

§. 10. [illegible]

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat [illegible]

[illegible] Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum [illegible]

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem [illegible]

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

SUPER INSTITUTIONE, XXX.

[illegible]

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commissis Nobis [illegible] Proemium.

[illegible]

sunt, ad hujusmodi regimen et administrationem suae quoque dirigat considerationis intuitum, praedictisque legibus et regulis accurate perpensis, novoque semper confirmationis munimine roboratis, ea adjiciat, quae pro illarum executione magis magisque asserenda, vel etiam ad conditionem rerum, et temporum accomodanda, cum prudentium et expertorum Virorum consilio, expedire judicaverit.

Paulus Mensam ummulatam S. Spiritus in Urbe instituit.

§. 1. Cum itaque alias sanctae memoriae Praedecessor Noster Paulus Papa V. ad hoc ut Pupilli, Viduae, Pia Loca, et Curiales quicumque non minus tuto, quam sine sumptu proprias pecunias publica fide alicubi servandas deponere, illasque pro eorum opportunitatibus ad libitum repetere et recuperare possent, in Archi-Hospitali Sancti Spiritus in Saxia nuncupato de Urbe, Ordinis Canonicorum Regularium ejusdem Sancti Spiritus, sub Regula Sancti Augustini militantium, publicum Banchum Depositorum erexerit, et instituerit; ac pro pecunias in eodem deponentium securitate, omnia et singula bona dicti Archi-Hospitalis perpetuo obligata et hypotecata fore voluerit; hoc tamen, pro aliqua hujusmodi oneris, aliorumque eidem Archi-Hospitali incumbentium compensatione, concedens, ut licitum esset ipsius Archi-Hospitalis Praeceptori pro tempore existenti, et aliis illius Ministris, quibus hujusmodi Banchi administrationem injunxit, pecunias in eo deponendas, seu earum partem, in emptionem Locorum Montium non vacabilium (quae sane, quoties pecuniae hujusmodi restituendae forent, quantocitius vendi, sicque depositae summae, quibus debentur, restitui possent) convertere, et fructus ex eis interim provenientes percipere, ac in dicti Archi-Hospitalis usus et utilitatem impendere; complures praeterea leges et ordinationes pro faciliori et utiliori ejusdem Banchi regimine provide excogitavit, ac suis Literis in forma Brevis expeditis constituit et sanxit, quarum Literarum tenor est, qui sequitur, videlicet:

Et pro Depositorum securitate bona Archi-Hospitalis S. Spiritus obligavit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor Literarum Pauli V.

A Pontificatus nostri primordio, clamores, quos a multis annis citra in hac Alma Urbe nostra a Viduis, Pupillis, Locis Piis, et Curialibus, qui eorum pecunias ob decoctionem Mercatorum, et publicorum Capsorum amiserunt, vel eas cum maxima jactura, et non sine ingentibus expensis, mediante discussione bonorum, recuperare nituntur, intelleximus, ita mentis nostrae dolores exitarunt, ut cum haec notabile damnum rei privatae, ac publicae attulerint et afferant, eis aliquod remedium dare cogitaverimus, et proinde in Archi-Hospitali nostro Sancti Spiritus in Saxia de eadem Urbe, quod bona stabilia magni valoris possidet, et in quo diversa pia opera in educandis infantibus expositis, ac curandis infirmis ibi recursum habentibus, ac aliis quampluribus exercentur; in eo etiam hoc pium opus exerceri posset, publicum Banchum Depositorum pro commoditate ibidem sponte pecunias suas deponentium; ad hoc, ut mediante obligatione bonorum dicti Archi-Hospitalis pro dictis Depositis, indemnitati deponentium tute provideatur, erigere, et instituere duximus, dictoque negotio etiam diu pro indemnitate dicti Archi-Hospitalis cum dilecto filio Octavio Tassono illius moderno Praeceptore, ac aliis probis et expertis viris examinato, ipsi in eam, ut ex praemissis magna dicto Archi-Hospitali resultaret utilitas, descenderunt sententiam, si eidem Octavio Praeceptori partem dictarum pecuniarum, ut praefertur, deponendarum in emptionem Locorum Montium non vacabilium, quas semper, et illico pro commoditate suas pecunias repetendi in eventum illarum repetitionis, pecunia numerata deficiente, in promptu essent, et vendi possent, convertendi facultatem concederemus et auctoritatem. Nos igitur in supremo Militantis Ecclesiae solio Divina dispositione constituti, ad ea, per quae publicae, et privatae utilitati, dictaeque Urbis Curialium, et aliarum personarum indemnitati valeat salubriter provideri libenter intendentes: Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, in dicto Archi-Hospitali, et loco inibi, vel alibi, prout melius videbitur ad publicam commoditatem deputando, unum Banchum perpetuum Depositorum nuncupandum per Capserium, et alios illius Ministros, qui Ordinem Sancti Spiritus sub Regula Sancti Augustini, cujus dictum Archi-Hospitale existit, professi fuerint, regendum, et gubernandum, in quo omnes, et singulae pecuniarum summae, etiam cujusvis quantitatis existentes, ab eis deponere volentibus, gratis, et absque alia pecuniarum,

Causa erectionis Banchi.

Hospitale S. Spiritus diversa pia opera exercet.

Concessio facultatis aperiendi publicum Banchum.

In quo deposita fiant etiam

etiam minimae partis, a dictis personis pro hujusmodi depositis exactione deponantur, et tute conserventur, sine aliquo prejudicio Montis pietatis de Urbe, perpetuo erigimus, et instituimus. Illoque sic erecto, et instituto, ut illud, aliquo servato ordine, recte et feliciter ad quorumcumque satisfactionem administretur, quod de caetero perpetuis futuris temporibus in dicto Archi-Hospitali una capsa in Camera praedicti Octavii; et pro tempore existentis dicti Archi-Hospitalis Praeceptoris conservanda, in qua pecuniae praedicti Banchi reponantur, conficiatur, eaque tribus differentibus clavibus, quarum unam dictus Praeceptor, aliamque praedicti Archi-Hospitalis Domus Magister, et reliquam clavem hujusmodi dicti Banchi Thesaurarius, seu Capserius pro tempore existentes habeant, observetur: ac Praeceptor, necnon Magister Domus, ac Thesaurarius, seu Capserius praedicti, dictam capsam conjunctim, et non separatim ac de per se, aut unus absque alio, aperire, nec alter alteri clavem suam confidere, aut accommodare; minusve pecunias in dicto Bancho pro tempore existentes, aut etiam minimam illarum partem seu quantitatem, ad alios quantumvis necessarios, et utiles usus, quam in emptionem Locorum Montium non vacabilium hujusmodi convertere, aut super eis etiam pro urgentissimis ipsius Archi-Hospitalis necessitatibus, sub poena illorum nullitatis, aliquos contractus inire, aut conficere possint, nec debeant; ac perinde dictae pecuniae a pecuniis ex redditibus dicti Archi-Hospitalis provenientes, ne in alios, quam praedictos usus convertantur, aut invicem confundantur, separentur, et in dicta capsa, ad hoc, ut prompte pecuniae occurrentes eas dietim repetentium necessitatibus habeantur, quaedam, eaque conveniens pecuniarum quantitas semper, et continuo conservetur, et ob id bis mille scuta circiter in manibus dicti Thesaurarii, seu Capserii pro quotidianis minoribus solutionibus faciendis dumtaxat relinquantur, itaut dum aliqua major solutio facienda erit, id ad praedicti Praeceptoris, et Magistri Domus notitiam deveniat, semelque saltem in hebdomada, et saepius prout dicto Praeceptori videbitur, per Praeceptorem ac Magistrum Domus praedictos computa Depositorum tunc factorum, ad hoc, ut a praedicto Thesaurario seu Capserio pecuniae, si plures quam opus fuerit, habuerit, auferantur, et in capsa, ut supra, reponantur, aut ipsi aliae pecuniae, prout temporis exegerit necessitas, tribuantur, revideantur. Dictusque Praeceptor quolibet anno Nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, de emolumentis praemissorum occasione factis certiorare, et notificare teneatur, dictaeque capsae computa singulis saltem tribus mensibus, vel alia, prout etiam expediens videbitur dicto Praeceptori pro tempore existenti, ab universa dicti Archi Hospitalis Congregatione, quolibet hebdomada coram dicto Praeceptore cum interventu non solum principalium illius Officialium, verum etiam Procuratoris, ac Advocati, et Notari fieri solita, revideantur. Quodque ipsius Banchi Capserius pro tempore existens, ac Praeceptor, et Magister Domus, seu alii, Ministri, Cambia, Recambia, Incettas, Dittas, Cedulas, et nullum aliud genus negotiationis exercere, seu admittere possint, seu praedictus Thesaurarius, seu Capserius dicti Banchi merus Depositarius esse, nec de dictis pecuniis disponere, aut illas in alios usus, quam Locorum Montium emptionem et usus hujusmodi, convertere debeat: et libris, in quibus praedicta deposita describentur, eadem prorsus fides in judicio, et extra judicium adhibeatur: Quodque partitae ex dictis libris extractae, et a Praeceptore, ac Magistro Domus, nec non Thesaurario, seu Capserio praedictis, vel duobus ex ipsis subscriptae, in judicio, et extra fidem faciant; perinde, ac si parte citata, et cum decreto Judicis extractae fuissent, dictusque Thesaurarius, seu Capserius, et quicumque alii dicti Banchi Ministri, ad omnem dictorum deponentium, vel interesse habentium requisitionem, partitas ex dictis libris depositorum hujusmodi ad effectum exhibendi in judicio; et extra illud, pro creditorum suorum consequutione, vel alia opportuna probatione tradere, et extrahere: ac pro hujusmodi pecunias deponentium securitate quaecumque dicti Archi-Hospitalis immobilia, mobilia, ac semoventia bona in ampliori Camerae, et quacumque alia juris validâ forma obligata, et hypothecata sint, et intelligantur; illaque sic obligata, et hypothecata existant, dictique deponentes ad illa promptam et paratam executionem, ac si Instrumenta publica obligatione Camerali vallata essent, habere, et in eventum non restitutionis pecuniarum ab eis pro tempore depositarum, dictorum bonorum realem, corporalem, et actualem possessionem, seu quasi, absque vitio spolii, et attentatorum, ac alicujus Judicis, seu Curiae decreto, vel mandato, pro concurrenti pecuniarum eis tunc restituendarum quantitate; apprehendere, et apprehensam continuare, et retinere, illaque quibusvis personis sub quibuscum-

Deposita in Capsa tribus clavibus observata serventur.

Deposita in alios, quam permissos usus minime erogentur.

Deposita separatim serventur a redditibus Hospitalis.

Computa semel saltem in hebdomada revideantur.

Et quotannis Papa de statu Banchi certioretur.

Nullum genus negotiationis ibidem exerceatur.

Partitae a libris extractae fidem in judicio obtineant.

Bona omnis Archihospitalis pro Banchi securitate obligata sint.

que pactis, et conditionibus, et pretio sibi benevisi, locare, et arrendare, ac illorum fructus et emolumenta percipere, exigere, levare, dictaque bona vendere, et alienare, ac de eis libere disponere possint, et valeant. Quodque pecuniae in dicto Bancho pro tempore deponendae, quandiu in eo fuerint, a quoquam cujusvis crediti occasione sequestrari non possint, et quocumque sequestro non obstante, praedictus Capserius ad omnem etiam simplicem illorum, qui eas deposuerint, requisitionem, eis, etiam absque aliqua poena, et periculo iteratae solutionis, solvere, et restituere possit, et valeat, itidem perpetuo statuimus, et ordinamus. Et pro praemissorum inviolabili observatione dicti Archi Hospitalis Praeceptori, ac Magistro Domus, nec non ipsius Banchi Thesaurario, seu Capserio, aliisque illius Ministris, et personis, ac quibuscumque aliis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, quosque dictum negotium tangit, aut tangere poterit quomodolibet in futurum, ne, ultra alias poenas a jure communi inflictas, sub privatione quorumcumque beneficiorum et officiorum per eos pro tempore obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, ac etiam perpetuae infamiae, nec non excommunicationis majoris latae sententiae, a qua nonnisi a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, ac in mortis articulo, absolutionis beneficium consequi possint, ipso facto incurrenda poena, praemissis in totum, vel parte contradicere, aut ab eis, seu illorum aliquo quovis praetextu, causa, vel occasione recedere audeant, seu praesumant, sed ea, ad eorum singula inviolabiliter, et inconcusse observare, et adimplere, ac ab aliis, quantum in se erit, observari, et adimpleri mandent, et faciant, itidem perpetuo praecipimus, et mandamus. Dictique Archi-Hospitalis Praeceptori, et aliis illius Ministris praedictis, quod praedictas pecunias pro tempore, ut praefertur, deponendas, seu earum partem, in emptionem tot Locorum Montium non vacabilium, ad hoc, ut illarum restitutionis tempore adveniente, dicta loca quantocius vendi, dictaeque pecuniae, quibus debentur, restitui possint, convertere, et fructus ipsos interim ex eis provenientes percipere, exigere, et levare, ac in dicti Archi-Hospitalis usus, et utilitatem convertere, quodque pro felici, et salubri dicti Banchi, ac illius personarum, et rerum suarum regimine, et directione, quaecumque statuta, et ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, ac Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis non contraria condere, et quoties sibi opportunum videbitur, condita mutare, alterare, et declarare, ac pro eorum arbitrio edicta publicare, imprimi, et affigi facere, ac subscribere, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere, dicere, gerere, et exequi possint, et valeant, similiter perpetuo concedimus, et indulgemus. Decernentes praesentes, et desuper conficiendas literas, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu in jus, vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque juris, et facti, vel justitiae, aut gratiae remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus umquam posse, sed illas semper, et perpetuo validas, et efficaces fore, et esse, ac ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari debere, sicque ab omnibus, et singulis censeri, et ita per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane quicquid secus super praemissis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, nec non felicis recordationis Pauli Secundi, et aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, quatenus opus sit, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non etiam dictorum Archi-Hospitalis, et Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eisdem Archi-Hospitali, et Ordini, ejusque Praeceptori, ac Superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus,

Pecuniae in Bancho depositae sequestrari nequeant.

Poenae contra Praeceptores, et Ministros contrafacientes.

Facultates Praeceptoris, et Ministrorum in emptione Locorum Montium.

Et condendi Statuta.

Clausulae.

Derogatio contrariis.

caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Decembris 1606. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. Pontif. Pauli V. an. I. die 13. Dec. 1605.

§. 2. Quoniam vero deinceps eidem Paulo Praedecessori expositum fuit, quod in praefato Archi-Hospitali tot Fratres professi dicti Ordinis Sancti Spiritus, qui habiles essent ad exercendum totum negotium hujusmodi Banchi, minime aderant; quodque praeterea, ob prohibitionem in praeinsertis Literis appositam, ne negociatio per Cedulas ab ejusdem Banchi Ministris et Administratoribus ullo modo exerceri et admitti posset, a nonnullis dubitatum fuerat, an deposita per Cedulas et Literas accipere et reddere, aut pecunias in aliam personam seu Banchum, alia ratione, quam per actualem numerationem transferre liceret; hinc idem Praedecessor per alias Literas in simili forma Brevis sub datum diei 11. Junii anni MDCVII. tunc et pro tempore existenti dicti Archi-Hospitalis Praeceptori, ut ipse, tunc, et perpetuis futuris temporibus, Ministrorum Saecularium opera in ejusdem Banchi ministerio ad ejus arbitrium et nutum uti libere posset et valeret, licentiam concessit, et facultatem; Capsariis vero, aliisque Ministris ejusdem Banchi, pecunias Campsoribus, et aliis, juxta opportunitatem et commoditatem, per Literas et Cedulas solvere et transferre, seu girare, ut alii publici Campsores facere solent, licitum fore, absque tamen ulla negociatione, sed ad effectum solum, et occasione Deposita inibi facta accipiendi vel reddendi, aut Montium loca, prout in praeinsertis suis Literis permittitur, emendi, declaravit, et quatenus opus esset, opportunam etiam ad hoc eis licentiam, et facultatem impertitus fuit.

Idem Paulus V. per alias Literas postea permisit, ut Saecularium opera dictus Banchus administrari, et deposita per Cedulas transferri possent.

§. 3. Praeterea quum sanctae mem. Innocentio Papae XI. etiam Praedecessori Nostro, pro parte nunc existentium ipsius Banchi seu mensae Nummulariae Ministrorum, fuisset expositum, quod, quum bona omnia dicti Archi-Hospitalis, in illorum, qui inibi pecunias deponunt, favorem, ita ut praefertur, ex praemissarum Pauli Praedecessoris Literarum dispositione, efficaciter obligata essent, perinde ac si cum unoquoque eorum Cameralis obligatio intercessisset; e converso illi, qui Bancho praefato debitores supererant, non aequali vinculo erga eumdem Banchum obstricti censebantur: Ipse Innocentius Praedecessor per suas etiam Literas in simili forma Brevis sub die decima Maji Anni Millesimi sexcentesimi octogesimi tertii, statuit et ordinavit, omnes et singulos praefati Banchi ex quacumque causa debitores, tunc praesentes, et futuros, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis, ac etiamsi Ecclesiae, Monasteria, Conventus, Collegia, Hospitalia, Archi-Hospitalia, Confraternitates, Archi Confraternitates, et alia Loca Pia quaecumque, etiam specifica, et individua mentione, et expressione digna existerent, ad satisfaciendum eidem Bancho de eorum debitis respective efficaciter obligari, ac obligatos et obligata existere et fore, in omnibus, et per omnia, perinde ac si ab eorum singulis Cameralis obligatio ad favorem ipsius Banchi facta fuisset; prout in secundodictis Pauli, ac praefatis Innocentii Praedecessorum praedictorum Literis plenius respective continetur.

Innocentius XI. similibus Literis statuit, ut Banchi debitores obligatione Camerali obligati essent.

§. 4. Nos vero, qui praemissarum Legum et Ordinationum a Praedecessoribus Nostris provide editarum perpetuum implementum, ac ejusdem Mensae in publicam commoditatem institutae indemnitatem, et profectum summopere exoptamus; Motu Proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, tam praeinsertas Pauli, quam supramemoratas ejusdem Pauli, et Innocentii Praedecessorum praefatorum respective Literas, omniaque et singula in eis contenta et expressa, tenore praesentium Apostolica auctoritate confirmamus, approbamus, et innovamus, illisque novum inviolabilis Apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, ac omnes et singulos tam Juris, quam facti et solemnitatum defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; expresse declarantes, quod, quemadmodum ipsis, et signanter praeinsertis Literis, nunquam generaliter derogatum fuisse dignoscitur, nec etiam earum ignorantia (quum earumdem exemplar semper ad hunc diem in digniori parte Aulae ejusdem Mensae palam et publico aspectui expositum fuerit,) ab ullo unquam allegari po

Pontifex dictas Literas solemniter confirmat.

Declarans dictas Literas semper in observantia fuisse.

tuit; ita eaedem praeinsertae Literae semper hactenus in suo robore et efficacia, nec non in viridi observantia perstiterunt; exceptis tantum, ut accepimus, casibus in quibus de praeterito permissum fuit, per dictam Mensam necessitatibus et indigentiis Archi-Hospitalis praefati opem, et adjumentum praestari. Qua de re, si quae actiones et jura Mensae et Archi-Hospitali praefatis, ob praeinsertarum aliarumque praedictarum Literarum inobservantiam aliquo forsan in casu nulliter et de facto sequutam, seu admissam, juxta ipsarum Literarum formam et tenorem, contra alias Personas et Loca quaecumque, eorumque res et bona, competunt ac competere possunt, illis per confirmationem et innovationem hujusmodi nullo modo officere aut praejudicare intendimus, immo firmas et firma, ac in pleno robore et efficacia persevefare decernimus et statuimus.

Et ideo praeservat omnia Jura Banchi ex ea provenientia.

§. 5. Omnia quoque et singula in praeinsertis, et memoratis respective Literis contenta et expressa, ac per dictos Praedecessores Nostros volita, sancita, et ordinata perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, juxta tamen ulteriores mox subjiciendas ordinationes Nostras, observari volumus et jubemus. Nos enim, pro firmiori praemissorum subsistentia et executione, nonnulla adhuc addenda ac praesentium Literarum sanctione stabilienda censuimus; nimirum.

Et pro praemissorum exactiori observantia inserciptus addit ordinationes.

§. 6. Primo, cum in praeinsertis Literis cavetur expresse, quod Deposita integre ad Deponentium commodum asservari debeant, liceatque dumtaxat eorum partem in emptionem tot Locorum Montium non vacabilium convertere, ad hoc ut, illorum restitutione occurrente, dicta Loca quantocitius vendi, ac pecuniae ex ipsis redactae, quibus debentur, restitui possint; fructus vero interim ex iisdem provenientes, in Archi-Hospitalis beneficium impendi debeant; expressa quoque in eisdem Literis lege, et prohibitione imposita, ne ipsius Mensae, seu Banchi Ministri ex Depositorum pecuniis ullum aliud prorsus negociationis genus exercere, vel admittere, nec de dictis pecuniis in alios usus disponere queant; Nos ordinationem et prohibitionem hujusmodi innovantes, motu, scientia, et auctoritate similibus statuimus, atque decernimus, ut quatenus aliquid contra praemissas ordinationem et prohibitionem ullo umquam tempore admitti contingat, omnes et singulae poenae in praeinsertis Literis comminatae adversus contraventores locum omnino habeant, et plenariae executioni demandentur; atque etiam praesentium tenore expresse declarámus, inter poenas hujusmodi per generalitatem verborum inibi comminatas, hanc quoque de jure comprehendi, et comprehensam censeri debere, ut in eventum hujusmodi, tam pro tempore existens dicti Archi-Hospitalis Praeceptor Generalis, seu Commendatarius, quam dictae Mensae Capserius, Ratiocinator, aliique Ministri, ad quos spectat, et spectare potùit, seu poterit in futurum, ratione contraventionis hujusmodi, teneantur etiam de proprio ad restitutionem, et reintegrationem quantitatum pecuniarum contra ordinationem et prohibitionem hujusmodi impensarum; ac praeterea decernentes, quod quatenus praemissis, ex Nostra, vel Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum dispensatione (quem sane casum, nullo umquam tempore evenire votis omnibus exoptamus), ad hoc ut pecuniae in dicta Mensa depositae in alios, quam in praefatos usus erogentur, derogari contingat; in Chirographis, seu Schedulis manu tunc existentis Romani Pontificis signandis, seu in Literis Apostolicis desuper expediendis, specialis, expressa, et individua praesentis Constitutionis mentio fieri debeat; nec ipsi per clausulas generales, idem etiam per aequipollens importantes, aut per Decreta derogatoria, irritantia, universalia, et amplissima, valide derogatum sit et censeatur; sed post dictam mentionem, specialis etiam, expressa, et individua in Chirographis, seu Schedulis, aut Literis Apostolicis hujusmodi, fieri debeat praesentium derogatio; sine qua eadem Chirographa, Shedulae, et Literae Apostolicae, ad effectum praemissorum, nullius sint roboris, vel momenti, nec executionem habere possint.

Primo, quod omnes poenae inflictae locum habeant, et inter poenas sit, ut Ministri Banchi teneantur de proprio ad illius indemnitatem.

Quodque si aliter disponi contingat, quam in praesenti statuitur, expressa hujus Constit. fieri debeat derogatio.

§. 7. Secundo, cum juxta easdem praeinsertas Literas dicti Archi-Hospitalis Praeceptor quolibet Anno Romanum Pontificem pro tempore existentem de emolumentis ex hujusmodi Locorum Montium emptione factis certiorare et notificare teneatur; Nos hujusmodi praeceptum et ordinationem declarantes, et ampliantes, praesentium tenore, expresse volumus et mandamus, ut vertente Mense Januarii cujuslibet Anni, sicuti postremis elapsis Annis gestum fuit, generalis fiat collatio, seu

Secundo, quod singulis Annis generalis fiet computorum collatio, quae in Congreg. particulari revideatur, et postea Rom. Pont. praesentetur.

comparatio computorum dictae Mensae vulgo *Bilancio* nuncupata, in qua integer illius status oeconomicus, summa nimirum pecuniarum depositarum, investimenta Locorum Montium praedictorum, credita et debita cujusvis speciei, nec non quantitates fructuum Locorum Montium decursorum, et eorum usus ac applicatio in supra expressas causas, fideliter referantur; quodque dicta comparatio seu collatio legatur, examinetur, et revideatur a Congregatione pro tempore existentium ejusdem Archi-Hospitalis Praeceptoris, seu Commendatarii, et Magistri Domus, ac dictae Mensae Capserii, et Ratiocinatoris. Hujus autem relationis status Oeconomici, duo tantum exemplaria conficiantur, quae cum in eadem Congregatione a Capserio, et Ratiocinatore praefatis subscripta fuerint, eorum unum in ipsius Mensae Archivo asservari debebit, alterum vero a Praeceptore seu Commendatario praefato Nobis et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus exibendum erit; illudque postea, cum annotatione quod jam Romano Pontifici praesentatum fuit, in Archivo Domus Archi-Hospitalis praefati, ad hoc ut ad placitum ejusdem Pontificis ei denuo praesentari valeat, custodiendum erit. Utriusque autem Archivi praefati Archivistis et Custodibus praesentium tenore districte injungimus, ut dicta exemplaria secreta teneant, nec illa alicui communicent, nisi in necessitatis casu a pro tempore existente Praeceptore, seu Commendatario praefato approbando, sub poenis ab eodem Praeceptore, seu Commendatario ejus arbitrio imponendis.

Exemplaria dictarum collationum secreta serventur.

§. 8. Tertio, etsi in praeinsertis Literis disponatur, pecunias in dicta Mensa depositas in Capsa tribus Clavibus clausa reponi, et penes Capserium pro solutionibus quotidie occurrentibus, summam bis mille circiter scutorum relinqui debere; quia tamen experientia compertum est, ob depositorum et exactionum confluentiam, majorem apud ipsum requiri pecuniae summam; ideo, ut in ejusdem Mensae Capserii manibus, et penes ipsum major pecuniae numeratae summa relinquatur, arbitrio et prudentiae ejusdem Praeceptoris seu Commendatarii pro tempore existentis remittimus.

Tertio, quod in Capserii manibus arbitrio Praeceptoris majoribus mille scutorum pecuniae summa relinqui possit.

§. 9. Quarto, declaramus, et fructibus Locorum Montium praefatorum in dicti Archi-Hospitalis commodum convertendis, ante conversionem hujusmodi, detrahi debere, quemadmodum in usu est, omnia emolumenta Ministrorum, aliasque expensas pro ipsius Mensae manutentione occurrentes.

Quarto, e fructibus Locorum Montium, detrahi debeant emolumenta et expensae Banchi.

§. 10. Quinto, cum in praeinsertis Literis praecipiatur, duas super computis Mensae praefatae Congregationes identidem haberi, unam videlicet singulis Hebdomadis ad inspiciendum Depositorum statum, alteram vero singulis Trimestribus, ut plenius ipsius Mensae status, atque conditio perpendatur, et priori quidem ipsum Praeceptorem, nec non Magistrum Domus Archi-Hospitalis praefati, una cum Capserio Mensae seu Banchi hujusmodi, interesse, alteri vero non solum principales Archi-Hospitalis praefati Officiales, sed etiam ejusdem Procuratorem, Advocatum, et Notarium accedere: Nos, ut provida haec dispositio facilius, et felicius executioni demandetur, volumus, et mandamus, primam ex Congregationibus praefatis ad Praeceptoris seu Commendatarii praedicti arbitrium cogi debere, dummodo nunquam unius Mensis spatium decurrat, absque eo quod hujusmodi Congregatio habeatur. Tam vero in ista, quam in altera Congregationibus hujusmodi, interveniant semper praefati Praeceptor seu Commendatarius, et Magister Domus Sancti Spiritus, nec non Banchi Capserius, et Ratiocinator; reliqui vero superius nominati, Procurator, Advocatus, atque Notarius, quoties negotiorum, et casuum natura id exegerit, arbitrio Praeceptoris praedicti, interesse jubeantur.

Quinto, quod mensis non elabatur, quin ordinaria Congreg. habita fuerit, alia vero Congr. singulis trimestribus cogi debeat.

§. 11. Sexto, quum in iisdem praeinsertis Literis indultum fuerit praefati Archi-Hospitalis Praeceptori, aliisque illius Ministris, pro tempore existentibus, ut pro supradicti Banchi, ejusque Personarum et rerum regimine, et directione, quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, ac Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis non contraria, condere, et condita mutare, alterare, et declarare, prout ipsis opportunum videbitur, possint, et valeant; Nos facultatem hujusmodi praefatis Praeceptori, ac Ministris eatenus confirmamus, ac iterum praesentium Literarum serie concedimus, et indulgemus, dummodo nova decreta, ordinationes, et quaecumque aliae resolutiones hujusmodi, iisdem praeinsertis, et supramemoratis, Praedecessorum Nostrorum Literis, ac praesenti Constitutioni Nostrae non

Sexto, quod facultas condendi Statuta de iis intelligatur, quae praesenti Constit. non sint contraria.

contradicant, nec repugnent, illasve modificent; declarantes, sub nomine Ministrorum praedictorum intelligi debere praefatos Capserium, Ratiocinatorem, Domusque Magistrum, de quorum in Congregatione collectorum consilio opportunae capi debent resolutiones, cum interventu etiam Custodis Archivi Banchi praefati, qui in Libro ad id designato, resolutiones ipsas adnotare valeat, ac respective teneatur.

§. 12. Ac decernentes, easdem praesentes, et praeinsertas Pauli, ac ejusdem Pauli, et Innocentii Praedecessorum praefatorum supramemoratas Literas, ac omnia, et singula in eis respective contenta, etiam ex eo, quod quicumque quavis auctoritate, dignitate, ac etiam Cardinalatus honore fulgentes, et in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, aut Causae, propter quas ipsae praesentes, aliaeque superius praeinsertae et memoratae Literae respective emanarint, satis adductae, justificatae, aut approbatae non fuerint, nunquam de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, aut in jus, vel controversiam revocari posse; sed eas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

§. 13. Sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac quidquid contra praesentium formam et dispositionem in praemissis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, seu mandatum fuerit, irritum, nullum, et invalidum, ac nullius roboris, vel momenti ex nunc prout ex tunc, et e contra, fore et esse, dicta auctoritate etiam decernimus.

§. 14. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, omnibusque iis, quae Paulus, et Innocentius Praedecessores praefati in preinsertis, et supramemoratis eorum Literis voluerunt non obstare, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque quibuscumque.

§. 15. Volumus autem, et dicta auctoritate praecipimus, ut earumdem praesentium Exemplar Typis impressum in Aula dictae Mensae, necnon in Archivo praedicto publice appensum, et expositum retineri debeat; quodque ipsarum praesentium Transumptis, etiam, ut praefertur, impressis, manu pro tempore existentis dictae Domus Archivistae subscriptis, et ejusdem Archi-Hospitalis Sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent originaliter exhibitae, vel ostensae.

Exemplar hujus Const. in Aula Banchi, et in Archivo expositum retineatur.

Et illius Transumptis fides habeatur.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrae Confirmationis, approbationis, innovationis, roboris, adjectionis, statuti, declarationis, ampliationis, mandati, remissionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo, quinto Idus Augusti, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Dat. Pont. A. X. die 10. Aug. 1750.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

CANONICIS REGULARIBUS XXXI.

Praemonstratensibus conceditur ex integro Privilegium assequendi, et retinendi quascum-

que Parochiales Ecclesias, et Vicarias, tam Saeculares, quam Regulares absque Dispensatione Apostolica.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Oneroso Sacri Apostolatus Ministerio meritis licet imparibus Divina sic disponente Clementia Praesidentes, pia Regularium virorum vota soliciti pii Patris affectione prosequimur, ac Privilegia eis alias a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessa, denuo ex integro liberali indulgentia concedimus, ut ii in humilitatis spiritu in Regularibus locis Altissimo famulantes, sublatis quibuscumque dubiis, et dissono litium clamore, laudabilibus possint in Domino proficere incrementis.

Preces Pontifici oblatae. §. 1. Sane pro parte Dilecti Filii Nicolai Meyers moderni Procuratoris Generalis Canonicorum Regularium Praemonstratensis Ordinis, Laudunen. et aliarum Civitatum, vel Dioecesum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ordo praedictus, illiusque pro tempore existentes Canonici Regulares, inter quamplurima Privilegia a diversis Romanis Pontificibus, et signanter a felic. record. Urbano Papa IV. et Clemente Papa V. Praedecessoribus Nostris Ordini, et Canonicis Regularibus praedictis Apostolica auctoritate concessa, et subinde eadem Apostolica auctoritate confirmata, illo quidem in Literis Apostolicis ab eisdem Urbano, et Clemente Praedecessoribus respective emanatis contento gaudent Privilegio, nimirum, quod Canonici Regulares ejusdem Ordinis pro tempore existentes Parochiales Ecclesias, etiam Saeculares, ac Clericis, seu Presbyteris Saecularibus conferri, et assignari solitas, absque ulla dispensatione Apostolica consequi, et consequntas retinere libere, et licite possint, et valeant.

Controversia judicialis quam Ordo Praemonstr. perpessus est. §. 2. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ob collationem Parochialis Ecclesiae de Limbrich. Leodien. Dioeces. et respective provisionem de illa certo tunc expresso modo vacante Dilecto etiam Filio Melchiorri Werden Presbytero, ac Canonico Regulari dicti Ordinis expresse professo non diu a Nobis eadem Apostolica auctoritate factas, Curia Episcopalis Leodien. et pro illius parte Dilectus pariter Filius Promotor Fiscalis ejusdem Curiae Episcopalis, collationi et provisioni hujusmodi in Dataria Apostolica, eo sub praetextu, quod Canonici Regulares dicti Ordinis ad Parochiales Ecclesias obtinendas, prout juxta Constitutionem a Nobis novissime editam incipientem: *Quod inscrutabili*, Canonici Regulares Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen. ad Parochiales Ecclesias hujusmodi habendas incapaces sunt, etiam existerent incapaces, tunc se opposuerit, illasque impugnaverit, controversiam hujusmodi in eadem Dataria Apostolica, pro validitate collationis et provisionis in vim praedicti Privilegii in eisdem Urbani, et Clementis Praedecessorum praedictorum Literis contenti, licet absque dispensatione Apostolica factarum, sustinenda, opus fuit agitare.

Petitionis summa. §. 3. Idcirco Nicolaus praedictus ad tollenda quaecumque dubia, et objectiones, quae in futurum a quibuscumque Episcopalibus, Archiepiscopalibus, et Primatialibus, aliisque Ecclesiasticis Curiis, earumque respective Promotoribus Fiscalibus, seu Procuratoribus legitimis adversus Privilegium praedictum in dicti Urbani, et Clementis Praedecessorum praedictorum Literis, ut praefertur, contentum, excitari possint in futurum; nec non pro majori nunc, et pro tempore existentium ejusdem Ordinis Praemonstraten. Canonicorum Regularium, qui de Parochialibus Ecclesiis de caetero tam Apostolica, quam Ordinaria auctoritate erunt providendi, quiete et tranquillitate, plurimum cupiat sibi ac Canonoicis Regularibus in eodem Ordine Permonstraten. expresse professis nunc et pro tempore ubivis existentibus, per Nos, et Sedem Apostolicam ex integro ut infra benigne indulgeri. Quare pro parte dicti Nicolai Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ejusdem Ordinis Praemonstraten. illiusque Canonicorum Regularium, qui nunc in eo expresse professi sunt, et imposterum etiam in eo professionem expresse emittent, indemnitati in praemissis opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indultum ex integro conceditur. §. 4. Nos igitur, qui quarumcumque litium, et jurgiorum occasiones tollere sinceris desideramus affectibus, Nicolao praedicto, ac Canonicis Regularibus praedictis specialem gratiam facere volentes, eosdemque, et eorum

quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat conseq., harum serie absolventes et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Nicolao, ac Canonicis Regularibus, qui nunc in eodem Ordine Praemonstratensi, ut praefertur, expresse professi sunt, et imposterum etiam in eo professionem emittent, ut ipsi ex nunc, et perpetuis futuris temporibus, absque ulla oppositione, et contradictione, quascumque Parochiales Ecclesias, etiam Saeculares, illarumque perpetuas Vicarias Clericis, seu Presbyteris Saecularibus conferri, et assignari solitas, si tamen eis, et eorum cuilibet canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel alias assumantur ad illas, absque dispensatione Apostolica consequi, et in eis quavis auctoritate institui, illasque recipere, et quoad vixerint retinere libere, et licite possint, et valeant, Apostolica auctoritate praedicta, tenore earumdem praesentium, ex integro perpetuo concedimus, et indulgemus; ipsumque Nicolaum, nec non Canonicos Regulares dicti Ordinis Praemonstrat. nunc, et pro tempore existentes praedictos super praemissis a quibuscumque etiam Curiis Ecclesiasticis, seu earum Promotoribus Fiscalibus, vel Procuratoribus praedictis, quavis auctoritate, praetextu, colore, causa, vel ingenio molestari, inquietari, perturbari, aut impediri nullatenus umquam posse, sed Indulto per Nos concesso hujusmodi semper, et perpetuo pacifice frui, et gaudere.

Ejus perpetua firmitas asseritur.

§. 5. Ac easdem praesentes nullo umquam tempore ex quocumque capite, aut quovis occasione vel causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quopiam alio quantumvis substantiali, et inexcogitato, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus, vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvare posse, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et Sedem praedictam sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis quomodolibet pro tempore factis, et faciendis, ac concessis et concedendis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dictum Nicolaum modernum, ac pro tempore existentem Procuratorem Generalem, et eosdem Canonicos Regulares dicti Ordinis Praemonstraten. nunc, et pro tempore existentes quandocumque eligenda, concessas esse, et fore, easque, ac omnia, et singula praemissa semper, et perpetuo valida, et efficacia fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Nicolao, et Canonicis Regularibus dicti Ordinis Praemonstraten. nunc, et pro tempore existentibus praedictis, quorum favorem eadem praemissa respective concernunt, plenissime suffragari.

Decreta et Derogationes.

§. 6. Sicque, et non alias, per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios judicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis, editis vel edendis, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis Praemonstraten., etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Personis etiam speciali nota dignis, et necessario exprimendis, in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales

idem importatae mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio. §. 7. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in Judicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 1 Sept. 1750. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCL. Kalendis Septembris, Pontificatus Nostri Anno XI.

Loco ✠ Plumbi.

Expedita in Cancellaria Apostolica.

XXXII. INDULTUM CELEBRANDI

Missam in Altari Papali Basilicae S. Mariae Majoris die 30. Septembris anni 1750. post peractam a Pontifice ejusdem Altaris consecrationem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Nostro Antonio Xaverio Episcopo Praenestino S. R. E. Cardinali de Gentilibus nuncupato, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Magnitudo tuae devotionis, quam ad Nos et Romanam Ecclesiam geris, facit, ut ea, quae ad ipsius tuae devotionis augmentum cedere possunt, quantum Nobis cum Domino licet, favorabiliter concedamus. Ut igitur Tu in die Festo S. Hieronymi Confessoris, et Ecclesiae Doctoris, postquam Nos in Liberiana Basilica a Sancto Sixto Papa III. Praedecessore Nostro dedicata, Altare Papale in ea olim a Sancto Paschale Papa I. erectum, et consecratum, et successive a Clem. Papa III. novo superposito lapide, denuo pariter consecratum, nuper vero penitus dirutum, et a Nobis magnificentius restitutum, apposita prophyretica Urna in qua condita sunt Corpora SS. Martyrum Simplicii, Faustini, et Beatricis, una cum argentea Capsula cum ossibus unius humani Corporis, sed sine nomine, prout reperta ibidem fuerat, solemni ritu, in honorem Beatissimae Virginis Mariae, inclusis in ejusdem Altaris Mensa Reliquiis Sanctorum Stephani Protomartyris, et Laurentii Martyris, consecraverimus; habita prius allocutione coram adstantibus plerisque Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et Episcopis, ac enunciatae Basilicae Canonicis, inter quos ante Cardinalatus Dignitatem et Tu cooptatus fuisti, magnaque Populi frequentia, in praefato Papali Altari juxta Romani Pontificalis dispositionem, tanquam Nobis specialiter, loco Dilecti Filii Nostri Hieronymi S. Angeli in Foro Piscium Diaconi Cardinalis Columnae nuncupati praefatae Liberianae Basilicae Archipresbyteri, Delegatus, Missam celebrare possis, Fraternitati Tuae, pro hac vice dumtaxat, ipsa die, Missam ibidem, etiam in praesentia Nostra, celebrandi. Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac statutis, et consuetudinibus dictae Basilicae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, de gratia speciali, licentiam concedimus et indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, et Indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo se- Dat. die 17. Sept. 1750.

ptingentesimo quinquagesimo; decimo quinto Kalendas Octobris Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Allocutionem a Pontifice habitam ante Altaris Consecrationem, vide in Appendice.

XXIII. STATUITUR METHODUS

Servanda in Congregationibus Capitolinis super Causis Criminalibus Locorum Feudalium Populi Romani.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu Proprio.

ovidentia a Pon- e capta er legali esto Re- ationum nservato- Urbis, uper au- itate Li- rum, ne ab ipsis tuntur.

Benchè altre volte con Nostro special Rescritto firmato dal Nostro Uditore li 26. Novembre 1744. siasi in qualche parte provveduto alla buona Amministrazione della Giustizia nelle Cause de i Vassalli del Nostro Popolo Romano, ordinando, che tutte le Risoluzioni, che si fossero prese dalli Conservatori pro tempore della Nostra Città di Roma circa le Materie Criminali appartenenti alli quattro Luoghi di Magliano, Core, Vitorchiano, e Barbarano, si dovessero non solamente scrivere dal Fiscale di Campidoglio negli stessi Processi Originali, che si trasmettono dalli Governatori o Pretori di essi Luoghi, ma registrare ancora in un Libro a parte ben compatto, e rubricellato, da custodirsi, e conservarsi negli Atti Criminali di essi Conservatori; e che in oltre le Lettere da spedirsi per la esecuzione di dette Risoluzioni, si dovessero bensì comporre, e minutare dal suddetto Fiscale, ma però non dovessero firmarsi, e sottoscriversi, che da i soli Conservatori.

Novae ordinationes pro recta methodo Congregationum Criminalium.

§. 1. Volendo tuttavia in oggi provvedere con maggior pienezza, che la Giurisdizione sopra detti Luoghi, e Vassalli, quale, secondo la disposizione degli Statuti di Roma, appartiene a' soli Conservatori, non venga turbata, o preoccupata da altri, come non rare volte è avvenuto in passato, in pregiudizio di detto Nostro Magistrato, e de' medesimi Vassalli; perciò di Nostro Motu Proprio, certa scienza, e Pienezza della Nostra Suprema Potestà, avendo quì per espresso, e di parola inserto l'intero tenore de i suddetti Statuti, e Riformanze di Roma, e di qualunque Costituzione Rescritto, Breve, o Moto proprio, sì Nostro, che de' Romani Pontefici Nostri Predecessori, e di ogni altra cosa, della quale fosse bisogno per la validità ed esecuzione del presente fare qualunque sia, anche speciale, e specialissima menzione.

I. Vogliamo in primo luogo, ed ordiniamo, che dalli tre Conservatori, e Priore de' Capi Rioni pro tempore si debba tenere due volte almeno in ciascun Mese dopo la Congregazione Economica, oppure nel primo giorno susseguente non impedito, la Congregazione Criminale per li suddetti Luoghi, e Vassalli del Popolo Romano.

II. Che a questa Congregazione Criminale debbano intervenire il Fiscale, pro tempore di Campidoglio, e suo Sostituto Fiscale il Segretario, ed un Professore Criminale, da eleggersi, e rimuoversi ad arbitrio di essi Conservatori.

III. Che in essa Congregazione debbano leggersi dal Segretario li Ricordi, e Suppliche de' Vassalli, e parimente le Rappresentanze, le Lettere, e le Risposte de' Governatori Locali.

IV. Che similmente debba leggersi da esso Segretario qualunque altra Supplica, Ricorso, o Memoriale presentato nella Nostra Consulta, o nella Nostra Congregazione del Buon Governo, benchè sieno rimessi al Fiscale, o per informazione, o con altra qualsisia forma di Rescritto; come pure qualunque Ordine, o Lettera spedita da una, o l'altra di dette Congregazioni.

V. Che da essa Congregazione Criminale debbano prendersi quelle Risoluzioni, e farsi quei Decreti, e Rescritti, che converranno per giustizia, non solo per ultimazione, e final decisione di ciascuna Causa Criminale, ma anche per la retta tessitura, e per la legittima costruzione, et ordinatoria de' Processi.

VI. Che tutte le Risoluzioni, che si prenderanno, e tutti i Decreti, che si faranno, debbano immediatamente registrarsi dal suddetto Segretario in detto Libro particolare già da Noi ordinato con detto Nostro Rescritto delli 26. Novembre 1744. e volta per volta firmarsi, e sottoscriversi in esso Libro dalli Conservatori, e dal Fiscale.

VII. Che tutte le Lettere, che si spediranno alli Governatori, o Magistrati Locali, o in sequela di dette Risoluzioni, e Decreti, o in esecuzione degli Ordini della Consulta, o Buon Governo, anche per semplice informazione, debbano minutarsi, e comporsi dal Fiscale, ma scritte che sieno, debbano firmarsi, e sottoscriversi da i soli Conservatori, e senza la firma, e sottoscrizione di essi, non abbiano forza, e vigore alcuno.

VIII. E se mai seguisse qualche accidente, che ricercasse pronto, e subito provvedimento di modo, che non potesse aspettarsi il giorno della prossima Congregazione, che in tal caso, l' ordine, e provvedimento conveniente possa darsi dal più Anziano de' Conservatori, che si troverà in Roma, con Lettera da lui sottoscritta, ma però minutata, come sopra, dal Fiscale, e con il peso sì all' uno, che altro di riferire il tutto nella prima Congregazione, affinchè venendo da questa approvata la Risoluzione presa da detto più Anziano, si faccia immediatamente registrare, e sottoscrivere, come sopra, nel detto Libro particolare; e non essendo approvata, debba correggersi, e mutarsi, secondo la pluralità de' Voti.

IX. Che in questa Congregazione Criminale, così da Noi nuovamente istituita per il buon regolamento degli enunciati quattro Luoghi del Popolo Romano, li soli tre Conservatori pro tempore abbiano, e debbano avere il Voto decisivo; ed all' incontro il Priore de' Capi Rioni, il Fiscale, e suo Sostituto Fiscale, ed il Professore Criminale, che sarà assunto da detti Conservatori, non abbiano, nè debbano avere, che il solo, e semplice Voto consultivo.

X. E finalmente, che una copia della presente Cedola di Nostro Moto Proprio debba tenersi perpetuamente affissa, non solo nell' Offizio del Notaro Criminale di essi Conservatori in Campidoglio, ma ancora nelle Cancellarie di detti quattro Luoghi, affinchè non possa da veruno allegarsene ignoranza.

Procuratori Fisci et Camerae Capitolinae inhibetur quaelibet judicandi, et decernendi facultas.

§. 2. E perchè è giunto a Nostra Notizia, che il più volte nominato Fiscale, benchè ordinato, e costituito dallo Statuto di Roma per mero, e semplice Procuratore del Fisco, e della Camera Capitolina, e perciò anche ammesso alla partecipazione delle pene, siasi nondimeno fatto lecito di assumere alcune volte le parti, e figura di Giudice; perciò ordiniamo, e comandiamo, tanto al moderno, quanto agli altri Fiscali, che saranno pro tempore, che non ardiscano per l' avvenire di fare alcun Decreto, ancorchè interlocutorio, o proferire alcuna Sentenza, o dare alcuna citazione, eziandio sotto il titolo e nome alternativo de i Conservatori, o del Fiscale, in Causa veruna Civile, criminale, o mista, che, secondo la forma del prelodato Statuto, in qualunque modo appartenga al Foro di essi Conservatori, sotto pena della Nostra indignazione; nella quale vogliamo ancora che cada ipso facto il Notaro, se mai ardisse di ricevere negli Atti suoi, e molto più, se ardisse di leggere avanti il Fiscale somiglianti citazioni, essendo così mente, e volontà Nostra espressa.

Clausulae et derogationes opportunae.

§. 3. Volendo, e decretando, che il presente Nostro Moto proprio colla semplice Nostra sottoscrizione vaglia, ed abbia il suo pieno effetto, vigore, ed esecuzione, benchè non si registri in Camera, a tenore della Bolla di Pio Quarto Nostro Predecessore *de Registrandis*, bastandoci, che sia registrato nel solito Libro del Campidoglio dallo Scrittore del Nostro Popolo Romano, nè contro di esso possa mai da alcuno darsi di surrezione, orrezione, eccesso, o difetto della Nostra volontà, e così, e non altrimente debba giudicarsi, e definirsi da qualsivoglia Giudice, tanto Ordinario, che Delegato, dalla Congregazione da Noi deputata sopra gl' interessi della Nostra Camera Capitolina, e da qualunque altro si sia Giudice di qualsivoglia preeminenza, dal Reverendissimo Nostro Cardinal Camerlengo, e da qualsivoglia altro Tribunale, benchè Collegiale, e che fosse necessario da esprimersi, togliendo Noi a loro, ed a ciascuno di essi particolarmente con la Nostra Suprema Potestà, ogni e qualunque facoltà di poter giudicare, ed interpretare il contrario di quanto si dispone nel presente Nostro Moto proprio. Non ostante la regola della Nostra Cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche Nostre, e de' Som-

mi Pontefici Nostri Predecessori, la detta Bolla di Pio IV. *de Registrandis*, e qualsisiano Statuti, Regole, Usi, Stili, e Consuetudini, e qualunque si siano altre cose, che facessero, o in qualunque modo potessero fare in contrario; delle quali cose tutte, benchè contenesse-ro derogatorie di derogatorie, e fossero degne di speciale, ed individua menzione, avendo il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, a tutte, e singole le suddette cose, per questa volta solamente, e per l' effetto suddetto pienamente, ed ampliamente deroghiamo.

ut. die 5. ec. 1750. Dato dal Nostro Palazzo Apostolico del Quirinale, questo dì 5. Dec. 1750.

BENEDICTUS PP. XIV.

XXIV

DE JUBILÆI EXTENSIONE

Ad Universum Catholicum Orbem.

Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Jubilaeum in Urbe rebato ordine, et magna Fidelium frequentia ac laetitia celebratum.

Celebrationem Magni Jubilaei in hac Alma Urbe, Domino adjuvante, complevimus, clausa per Nos ipsos juxta antiquam consuetudinem Porta Sancta Basilicae Principis Apostolorum in Vaticano, quam ipsi quoque initio Anni Sancti solemni ritu aperuimus; quemadmodum aliarum Basilicarum Portae, nimirum Sancti Pauli Via Ostiensi, Sancti Joannis in Laterano, et Sanctae Mariae Majoris, de mandato nostro, per S. R. E. Cardinales Legatos ad id per Nos deputatos, apertae, et clausae fuerunt. Multae vero, justaeque sunt Nobis causae, cur et Nobiscum animo laetemur, et maximas Omnipotenti Deo bonorum omnium datori gratias rependamus, dum quae hac occasione in votis habuimus, impleta, quaeque fieri mandavimus, diligentissime perfecta fuerunt. Jussimus opportuno tempore Vias per universam Ditionem nostram peregre advenientium commodo sterni, et complanari, idque accurate ac in tempore peractum fuit. Mandavimus rerum omnium, quae ad victum pertinent, magnam copiam, tum in cunctis Ditionis praedictae locis, tum maxime in Urbe comparari, quo scilicet ii, qui pro Jubilaei assecutione iter facerent, quosque propterea in Urbe commorari oporteret, necessaria quaeque suis usibus invenirent pro justo pretio; contra quam evenire solet, ubi pro frequentia hominum extra ordinem confluentium, opportuna cibaria ante coacta non fuerint; et hoc etiam mandatum Nostrum diligenter curatum fuit. Cum autem anno superiore, antequam Jubilaeum aperiretur, omnibus, ad quos pertinebat, studiose commendatum per Nos fuerit, ut Ecclesiae Urbis restaurarentur, earumque nitori, atque ornatui, quantum fieri posset, ac Divini cultus ratio posceret, consuleretur; non satis explicare possumus, quam cumulate Nobis hac in parte satisfactum fuerit, quantaque animi nostri laetitia decorem Domus Dei undique fulgere conspexerimus. Jam vero invitationi nostrae, qua universos Christifideles ubique Terrarum constitutos, ad veneranda Sanctorum Apostolorum limina, et lucrandum Indulgentiae Thesaurum excitavimus, incredibilis respondit confluentium multitudo, qui huc advenerunt ex remotissimis etiam Regionibus, ex Armenia, Syria, Ægypto, aliisque; ita ut longe superarit hominum concursum, qui pluribus aliis Jubilaei Anni fuisse memoratur, quemque Nos ipsi duobus proxime praecedentibus hujusmodi annis in Urbe vidimus. Ut autem peregrinantes non solum in Terris Dominio Nostro subjectis, sed etiam in aliorum Principum, et Rerumpublicarum Ditionibus, benigne susciperentur, atque ita exciperentur, ut renovata dici possent antiqua charitatis exempla, ob quae Peregrinationes ad sacra Apostolorum limina ad hunc diem adeo celebrantur, quum Nos hortationes Nostras quaquaversum praemittere non omiserimus, nihil Nobis hac etiam in re desiderandum superfuit. Praeterea Venerabiles Fratres omnium Ecclesiarum Antistites per Apostolica scripta hortati fuimus, ut Fideles eorum regimini subjectos, qui Romanum iter ea occasione susciperent, sedulo instructos esse curarent; tum de sacri Jubilaei natura, et utilitate, tum de recta illius assequenda ratione; hoc autem ab ipsis studiose impletum fuisse, ex eo cognoscere licuit, quod nunquam alias Sanctarum Basilicarum

visitationes tam magna frequentia, tamque perspicuis devotionis ac pietatis argumentis, quemadmodum elapso anno, peractas fuisse perhibetur: Porro innumeri fere Fideles, ut ex Poenitentiariorum relatione accepimus, generalibus peccatorum confessionibus, cum magna sincerae poenitentiae et compunctionis significatione, animas suas expiare studuerunt; alii autem magno numero, haeresi, quam profitebantur, rite et ex animo ejurata, ad Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae gremium feliciter redierunt.

Piorum operum exempla in ipsa Urbe conspicua.

§. 1. Neque vero Romana pietas externorum pietate remissior apparuit. Cum enim et approquinquante Anno Sancto, et eo etiam vertente, sacras Missiones in Plateis, et Ecclesiis Urbis fieri jusserimus, incredibile est, quam magno concursu, et quam pia affectione Populus Romanus ad Praedicationem Verbi Dei animum intenderit. Atque hinc potissimum praeclara illa prodierunt poenitentiae, et religionis exempla, quae omnium ordinum Cives in peragendis piis Anni Sancti exercitationibus certatim ediderunt. Sane illi, quos, tanquam lucernas super candelabrum positas, majori bonorum operum luce splendere decebat, ita votis Nostris, et expectationi responderunt, ut maximam ex eorum pietate consolationem, plenumque gaudium Nos percepisse gloriemur. Etenim, Venerabiles Fratres, Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, ac Episcopos, et Curiae nostrae Praesules, aliosque Urbis Proceres, ac Nobiles utriusque sexus, tum sacris Missionum praedictarum exercitiis assidue adstantes oculis nostris conspeximus; tum toto Anni Sancti decursu partim vidimus, partim audivimus, praescriptas Ecclesiarum Visitationes devote peragere, Peregrinorum Mensis humiliter ministrare, eorum pedes in publicis Hospitiis abluere, eosdemque interim non minus verbo, quam exemplo docere; publicis Ecclesiae Functionibus assidue interesse; pauperum indigentias largis eleemosynis sublevare; sustentare suis facultatibus Locorum Piorum impensam, cui aliter pares esse non potuissent hujusmodi Locorum census, dum munus suum esse reputant, infinitae Peregrinorum multitudini domicilium, cubilia, mensas, munifica liberalitate praebere. Quae omnia quum in conspectu totius fere Catholici Orbis peracta fuerint, conticescere sane cogent homines impudentissimos, qui ab Ecclesiae communione alieni, calumniari ausi sunt, Jubilaei in Urbe celebrationem nil aliud, quam scandalorum cumulum, et ad pecunias colligendas inventum, dici debere.

Pontifex opportune consulunt personis legitime impeditis, ne ad Urbem accederent, durante Anno Sancto.

§. 2. Jam vero sub ipsum Anni Sancti initium, Nos Praedecessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, edita Constitutione, quae incipit: *Paterna charitas (vide supra num. XXIII. pag.* 195.), non modo Monialibus, Anachoretis, Eremitis, atque in carcere, seu in captivitate detentis, sed etiam iis, qui propter corporis infirmitatem ad Urbem accedere prohiberentur, concessimus, ut Sacra Indulgentia, aliisque favoribus universali Jubilaeo adnexis, extra Urbem compotes fieri possent, subrogatis in locum Visitationum Basilicarum ipsius Urbis, piis aliis operibus, eorum Praesulum, et Superiorum prudenti arbitrio praescribendis. Quod vero spectat ad eos, quibus neque Clausurae lex, neque corporis infirmitas impedimento esset ad Romanum iter suscipiendum, non una fuisse dignoscitur Apostolicae Sedis disciplina, in concedenda nimirum illis, aut deneganda facultate consequendi extra Urbem, Anno Sancto labente, Indulgentiam, aliosque favores Jubilaeo adnexos; etiamsi ageretur de sublimioribus Personis, quarum par est peculiarem rationem haberi. Sane de Praedecessore Nostro Clemente Papa VI. legitur, quod ad concedendam Hugoni Regi Cypri Indulgentiam Anni Sancti, qui tum Romae celebrabatur, adduci non potuit, quamvis ille ardenter eam expeteret, seque ab itinere Romam versus ineundo publicis quibusdam necessariis negotiis impeditum assereret: *Licet enim* (inquit) *alii plures Principes, sicut Tu, etiam id devote petierint, Venerabiles Fratres Nostri attendentes, quod Indulgentia ipsa, sicut pro ipsarum animarum salute, sic pro honore Sanctorum ac veneratione concessa est, consentire quod daretur alicui, nisi easdem Basilicas et Ecclesias visitarint, nullatenus voluerunt.* Contra vero alter Praedecessor Noster Bonifacius Papa IX. Anni Sancti tempore concessit piis et Catholicis Principibus, Richardo Angliae, et Joanni Lusitaniae Regibus, ut Jubilaei Indulgentiam extra Urbem assequi possent, facta eorum Confessariis facultate praescribendis ipsis alia opera pia, quae loco itineris ad Urbem, et visitationis Basilicarum ipsius Urbis, implere deberent. Invenimus etiam Sixtum Papam IV. Nostrum similiter Praedecessorem, dum Jubilaeum Ro-

mae celebraret, indulsisse Regi, et Reginae Castellae, ac Legionis, eorumque Consanguineis, Ducibus, et Baronibus, ut etiamsi Romam ad Sacras Basilicas invisendas non accederent, aliis quibusdam piis operibus adimpletis, Jubilaei Indulgentiam consequi valerent. Neque dissimiles sunt concessiones, quas a Praedecessore quoque Nostro Julio Papa III. Annum Sanctum pariter celebrante, favore Caroli V. Romanorum Imperatoris, ejusque Filii Philippi tunc Hispaniarum Principis nuncupati, aliorumque Principum, prodiisse cognovimus. Itaque Nos horum Pontificum proxime memoratorum vestigiis insistentes, minime recusavimus, postulantibus Charissimis in Christo Filiis Nostris Catholicis Regibus, aliisque Principibus, qui non valetudinis, aut aetatis vitio, sed aliis publicis de causis impediti essent, quo minus Romam accederent, indulgere, ut per alia pia et salutaria opera, in locum hujusmodi itineris, et accessus, ipsis opportune praescripta, ad consequendam, etiam Anno Sancto vertente, sacri Jubilaei Indulgentiam, sese disponere possent.

ipso An- Sancto, recusa- Romani tifices laeum pleraque extra em ex- ere.

§. 3. Quemadmodum vero in hujusmodi Indultorum concessione, ut ex hucusque dictis apparet, Nos a Praedecessorum Nostrorum usu et disciplina minime recessimus, atque etiam in hujusmodi disciplinae varietate mitiorem magisque benignam partem elegimus; ita nunc eandem agendi rationem servare in animo habemus, dum, expleto Anni Sancti cursu, Jubilaei Indulgentiam atque favores ad alias Catholici Orbis partes, in omnium Christifidelium utilitatem, etiam eorum, qui dicto Anno Romam non accesserunt, extendere et ampliare intendimus. Porro laudatus Praedecessor Noster Sixtus PP. IV., quum advertisset Anno Jubilaei MCDLXXV. a se celebrato, propter bellorum suspiciones, et male tuta itinera, non magnum in Urbe fuisse confluentium numerum; ut animarum Christifidelium, dissitarum praecipue Nationum, saluti consuleret, statuit, et indulsit, ut qui sequenti anno, a Kalendis Maji usque ad ipsius anni finem, Bononiam se contulissent, ibique quatuor ab ipso Pontifice designatas Ecclesias visitassent, eandem Jubilaei Indulgentiam consequi possent, quae anno praecedenti Romam accedentibus concessa fuerat; quapropter miram Peregrinorum multitudinem ex omni Orbis parte Bononiam ea occasione confluxisse, memoriae proditum est. Alterius quoque supra memorati Pontificis Gregorii XIII. extant Apostolicae Literae, quibus post celebratum Anno MDLXXV. in Urbe Jubilaeum, ad preces S. Caroli Borromaei tunc Archiepiscopi Mediolanensis, idem Jubilaeum ad Civitatem et Populum Mediolanensem extendit, ejusdem Sanctissimi Praesulis arbitrio relinquens, ut ipsius Jubilaei lucrandi modum, et tempus, necnon Ecclesias, quae in eum finem visitari deberent, pro sua prudentia statueret; id quod ab eo cum magna populi aedificatione praestitum fuisse, Ecclesiae Mediolanensis Acta, et Scriptores de vita ejusdem S. Caroli agentes fuse testantur. Sed et praefatus Clemens VI., quem supra narravimus alienum fuisse a concedenda Jubilaei Indulgentia, durante Anno Sancto, his qui ad Urbem non accessissent, transacto Anno Sancto MCCCL., Fratribus Ordinis S. Augustini, qui in proxime sequenti Festo Pentecostes, pro celebrando sui Ordinis Capitulo Generali Basileae convenerant, eandem Indulgentiam concessit, quam singuli eorum praecedenti anno Romam venientes consequi potuissent. Similes quoque Jubilaei extensiones favore quarundam Personarum, sive Communitatum, post Annum Sanctum MCD. a Praedecessore Nostro Bonifacio Papa IX. concessae leguntur. De generalibus vero concessionibus, per quas, post Jubilaei celebrationem Romae peractam, ejusdem beneficia ad universum Catholicum Orbem extensa fuerunt, plura extant exempla a Praedecessoribus Nostris, Alexandro VI., Gregorio XIII., Clemente VIII., aliisque etiam a Nostra aetate minus remotis, Urbano VIII., Innocentio X., Clemente X., Nobis relicta.

Pontifex generalem extensionem concedere opportunum duxit.

§. 4. Quibus Nos permoti, similem generalem concessionem favore omnium Christifidelium ubique Terrarum existentium promulgare decrevimus. Cum autem id, anteactis temporibus, hac ratione plerumque fieri consueverit, ut scilicet unicuique Episcopo pro hujusmodi extensione supplicanti, concederentur Apostolicae Literae in forma Brevis, quibus ad ipsius postulantis Civitatem atque Dioecesim dumtaxat extendebatur Jubilaeum Anni Sancti; cumque proinde facile eveniret, ut aliqui aut rerum imperiti, aut de hoc non cogitantes, hujusmodi Literarum expeditionem negligerent, quamvis illae omnibus, sine ullo prorsus sumptu, expediri consueverint, ideoque plures Civitates, atque Dioeceses, tanti

spiritualis beneficii expertes remanerent; Nos quidem satius esse judicavimus, unica generali Constitutione, Indulgentiam Jubilaei universalis, cum aliis Privilegiis, atque favoribus in ipsa Constitutione indicatis, ad omnem, qua late patet, Ecclesiam extendere; quo et communis fiat omnibus rite expetentibus hujusmodi Thesauri acquirendi facultas, et Vobis, Venerabiles fratres, seu vestris in Urbe negotiorum gestoribus, nulla supersit cura pro peculiarium, quas supra diximus, Literarum expeditione.

Indicatur Literae, in quibus de omnibus, quae ad Jubilaeum pertinent, aliquid mandatum, aut definitum fuit.

§. 5. Plures sane Constitutiones, seu Literae Apostolicae a Nobis editae sunt, occasione Jubilaei Anni Sancti. Prima Constitutio, quae incipit: *Peregrinantes, (ut supra num.* XVII. *pag.* 108.), omnibus Catholicae Ecclesiae Filiis directa, Indictionem continet ipsius Universalis Jubilaei, elapso nuper Anno Sancto MDCCL. in Urbe celebrandi. In altera, cujus initium est: *Cum nos Nuper, (ut super num.* XVIII. *pag.* 113.) Praedecessorum Nostrorum morem sequuti, declaravimus, quae Indulgentiae, quaeque Facultates, eodem Anno Sancto, suspensae remanerent, et quae in suo vigore perseverarent. Deinde Epistolam Encyclicam direximus ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, cujus prima verba sunt: *Apostolica Constitutio, (ut supra num.* XIX. *pag.* 118.); atque in ea egimus de his, per quae unusquisque ad consequendam Sacri Jubilaei Indulgentiam se comparare deberet. Mox aliam edidimus Constitutionem, quae incipit: *Convocatis, (ut supra num.* XX. *pag.* 152.) in qua distincte a Nobis expositae fuerunt Facultates, quas pro anni Sancti decursu concedere intendebamus, tum Poenitentiariis in Basilicis, et Ecclesiis Urbis constituendis, tum etiam Confessariis a S. R. E. Cardinale Nostro in Urbe Vicario deputandis; quo facto plures confusiones in hoc rerum genere alias exortae, in antecessum sublatae fuerunt. Addita quoque ibidem sunt monita quaedam a praedictis omnibus pro recto usu Facultatum sibi concessarum observanda. Post haec, quum in evolvendis, non sine diuturno atque oneroso labore, Operibus Theologorum, qui *Morales* vocantur, innumeras deprehendissemus controversias, quae ab iis varie agitantur, tum circa usum Facultatum, quae Poenitentiariis in Urbe deputatis pro Anno Sancto conceduntur; tum circa rationem et modum Indulgentiae consequendae; et quidem in earum tractatione advertissemus diversas omnino vias per hujusmodi Scriptores insisti; operae pretium duximus aliam Epistolam exarare, dictis Poenitentiariis per Urbem constitutis, et Confessariis a Cardinale Vicario deputatis inscriptam, quae Italico sermone prodiit, incipiens: *Fra le fatiche, (ut supra num.* XXI. *pag.* 160.), quaeque nunc forsan in Latinum conversa est. In ea ostendimus, plerasque difficultates, quae aliis temporibus excitatae fuerant, et praevisas a Nobis, et simul, per opportuna verba in Nostris Constitutionibus ad eum diem promulgatis apposita, resolutas fuisse; cumque ageretur de rebus a voluntate Nostra unice pendentibus, eam quidem aperte declarare non omisimus, omnesque dubitandi causas submovere, indicatis etiam rationum momentis, quibus singula a Nobis statuta innitebantur. Illud quoque animo occurrit, quod etiam a Praedecessoribus Nostris provide cogitatum fuisse animadvertimus, complures fore, qui pro Jubilaeo assequendo, in ipsius Anni Sancti decursu, libenter ad Urbem venturi essent, nisi illis suscepti status ratio, aliudve incluctabile impedimentum, hanc peregrinationem prohiberet; cujusmodi sunt Moniales, Oblatae, aliaeque Virgines, ac Mulieres in Monasteriis, et Religiosis Domibus vitam degentes; item Anachoretae, Eremitae, Infirmi, senioque affecti, atque in carcere, seu in captivitate detenti; Quibus omnibus, ne piorum votorum fraudarentur effectu, opportune provisum a Nobis fuit per aliam Nostram superius citatam Constitutionem, cujus initium est: *Paterna charitas, (ut supra num.* XXIII. *pag.* 195.)

De novissima Constitutione super extensione Jubilaei edicta.

§. 6. Denique quum id solummodo superesset, ut nempe Jubilaeum Anni Sancti in Urbe nuper propositum, elapso jam Anno a Nativitate Domini MDCCL., quo supra diximus, indictum fuerat, ad reliquos omnes Christifideles, etiam qui ad Urbem praeterito Anno minime accessissent, nec de suarum Regionum finibus egressuri essent, ex Apostolicae liberalitatis abundantia extenderetur; Id nunc a Nobis praestitum est per Nostram Constitutionem nuperrime editam, quae incipit: *Benedictus Deus, (ut supra num. praecedenti pag.* 201.), cui etiam hanc Nostram Encyclicam Literam ad Vos, Venerabiles Fratres, directam adjungere opportunum judicavimus.

Quaenam in ipsa contineatur.

§. 7. In hac igitur Constitutione statuun-

tur opera injuncta, quae unusquisque pro Indulgentiae consecutione exequi debet; praefinitur tempus, intra quod hujusmodi opera sunt adimplenda; enunciantur Facultates, quae Confessariis tribuuntur, ad hoc ut Fideles peccata sua in sacramentali Confessione ipsis aperientes, a censuris, et ab omnibus peccatis et excessibus, quantumvis gravibus et enormibus, etiam Locorum Ordinariis, aut Sedi Apostolicae reservatis, in foro conscientiae absolvere possint. Ordinariorum arbitrio et prudentiae permittitur, pro personis suarum Dioecesum, quae ab exequendis injunctis operibus impeditae fuerint, et ex aliis justis causis, opportunas eorum commutationes, aut reductiones concedere.

Quomodo ex Praecedentibus Constitutionibus solvi possint quaestiones circa excipiendae.

§. 8. Denique id Nobis curae fuit, ut dum eamdem Jubilaei gratiam, quae Christifidelibus in Urbe praesentibus praeterito Anno concessa fuerat, pro aliquibus ineuntis Anni mensibus, qui in Bulla indicantur, ad universum Catholicum Orbem extendimus, maximam servaremus similitudinem, quantum rerum natura ferebat, tam in operum injunctorum praescriptione, quam in concessione Facultatum, quibus Confessarii uti poterunt; ita ut illa quidem, quae dicta fuerunt in praefata Epistola Encyclica, quae incipit: *Apostolica Constitutio*, de sacramentalis Confessionis et Communionis necessitate, deque dispositionibus, quae ad ea Sacramenta digne ac fructuose percipienda afferri debent; item ea, quae leguntur in Bulla incipiente: *Convocatis*, et in alia Epistola, cujus initium est: *Fra le fatiche*, circa modum visitandi Ecclesias, et circa preces in hujusmodi visitationibus Deo offerendas pro Jubilaei tunc Romae indicti acquisitione, eadem omnia in praesenti ejusdem Jubilaei extensione locum habere censenda sint. Cum vero Facultates, quae Poenitentiariis pro Anno Sancto Romae deputatis indulgeri solent, nunquam generaliter concedi consueverint, etiam Jubilaei tempore, Confessariis extra Urbem constitutis; in hac sane Constitutione, quae incipit: *Benedictus Deus*, Confessariis extra Urbem concessae sunt ampliores illae Facultates, quas propositi finis ratio expetere visa est, et Apostolicae Sedis consuetudo tulit. In quarum tamen intelligentia et usu, si quod ullibi dubium oriri contingat, consuli poterunt eaedem Literae Nostrae: *Convocatis*, aliaeque Italicae: *Fra le fatiche*; in quibus omnia ad hujusmodi dubiorum solutionem facientia reperiuntur. Licet enim in hac Bulla: *Benedictus Deus*, non omnia repetita sint, quantum ad Facultates pertinet, quaecumque in duabus praedictis Literis continentur; nihil tamen in hac novissima Constitutione continetur, de quo in eisdem Literis sermo habitus non fuerit.

De Confessario vigore hujus Jubilaei eligendo.

§. 9. Porro in pluries memorata Constitutione: *Convocatis*, data fuerat Poenitentiariis per Ecclesias Urbis constitutis Facultas absolvendi etiam Regulares ex iis Ordinibus, in quibus viget prohibitio, ne aliis, quam proprii Ordinis Sacerdotibus approbatis, peccata sua confiteantur. In alia autem Constitutione: *Paterna charitas*, per quam Indultum fuit Monialibus, Oblatis, Tertiariis, Anachoretis, aliisque impeditis, ut Jubilaeum, ipso etiam Anno Sancto, extra Urbem consequi possent; praedictis Monialibus, earumque Novitiis facultatem concessimus eligendi sibi, ad Sacramentalem Confessionem pro dicti Jubilaei consecutione peragendam, Presbyteros Confessarios quoscumque, sive Saeculares, sive Regulares, sed tamen *a Locorum Ordinariis ad audiendas Monialium Confessiones approbatos*; reliquis autem Oblatis, Tertiariis, aliisque Mulieribus in Monasteriis, seu in Religiosis et Piis Domibus vitam degentibus, necnon Carceratis, caeterisque impeditis personis, tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Saecularibus, aut quorumcumque Ordinum Regularibus, etiam specifica mentione et expressione dignis, indulsimus, ut ad eumdem effectum sibi eligere possent quemcumque Confessarium Saecularem, aut cujuslibet etiam diversi Ordinis Regularem, qui tamen approbatus esset ad audiendas personarum saecularium Confessiones ab Ordinariis, *in quorum Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis, Confessiones hujusmodi excipiendae essent*. Id etiam confirmatum voluimus in hac recenti Constitutione, per quam Jubilaeum Anni Sancti ad alias Catholici Orbis partes extendimus, ut videre licet in §. *Insuper*, ubi Monialibus, earumque Novitiis facultas indulgetur eligendi *Confessarium quemcumque, ad excipiendas Monialium Confessiones, ab actuali Ordinario loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum*; aliis vero Christifidelibus tam Laicis, quam Ecclesiasticis Saecularibus, vel cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus,

permittitur, ut ad supradictum effectum eligere possint *quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Saecularem, quam cujusvis etiam diversi Ordinis et Instituti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis, Confessiones hujusmodi excipiendae erunt, ad personarum saecularium Confessiones audiendas approbatum*: Deinde vero in §. *Praesentes*, contrariis quibuscumque Legibus, Constitutionibus, et Consuetudinibus derogatur, ac nominatim iis, quibus vetitum sit, ne quorundam Ordinum Regulares extra proprium Ordinem sacramentaliter confiteri possint.

Opinionibus circa Confessarii electionem alias reprobatis locus relictus non est.

§. 10. Eruditioni autem vestrae, venerabiles Fratres, ignotae non erunt innumerae controversiae, quae inter Morales Theologos agitantur, tum circa Confessarium, quem quilibet eligere potest Jubilaei tempore, ubi hujusmodi electio permittitur in Literis, quibus Jubilaeum ipsum conceditur; tum etiam circa Ordinarium Loci, cujus approbatio necessaria est, ut aliquis in Confessarium tunc eligi valeat. Aliqui enim putarunt eligi posse Confessarium, etiam qui ab Ordinario Poenitentis dumtaxat ad audiendas Confessiones approbatus fuerit. Alii non dubitarunt asserere, Apostolica adesse Privilegia quibusdam Personis concessa, quorum vigore Privilegiati hujusmodi, dummodo semel approbati fuerint ab aliquo Ordinario Praesule, licet non Ordinario illius Loci, in quo Confessiones excipiendae sunt, nihilominus ubique in Confessarios eligi possint. Alii subtilius disputantes, dixerunt, derivandam quidem esse approbationem ab Ordinario Loci, in quo Confessiones excipiuntur; sed sufficere illam, quam Sacerdos aliquando habuerit ab eo Praesule, qui Ordinariam jurisdictionem in hujusmodi loco obtinuerit; licet non amplius idem ei loco praesit, vel quia morte sublatus fuerit, vel quia ad alterius Ecclesiae regimen, auctoritate Apostolica, translatus sit. Hujusmodi ratiocinationum commenta ad varias hujus S. R. E. Cardinalium Congregationes non semel delata, saepe etiam reprobata fuerunt; nec omiserunt ipsi Romani Pontifices in suis Apostolicis Constitutionibus, eadem contrariis Decretis configere, ut videre est in Bulla rec. mem. Praedecessoris Nostri Clementis Papae X., quae incipit: *Superna*, et in alia fel. record. Innocentii Papae XIII. incipiente: *Apostolici Ministeri*, necnon in Nostra, cujus initium est: *Apostolica Indulta*, in Bullario Nostro impressa *Tom. I. num. C.* Et quidem in dictis Praedecessorum Constitutionibus apposita fuit derogatio contrariis quibuscumque Privilegiis, licet post Tridentinum Concilium forsan concessis; in Nostra vero hujusmodi derogatio extensa fuit ad alia quaelibet Privilegia, etiam a dictis Praedecessoribus, et a Nobis ipsis ibidem non nominatim expressa. Quoniam vero in praemissis nulla mentio facta fuit de Universali Jubilaeo, de quo tunc minime agebatur; ne forte hujusmodi reprobatae sententiae iterum in medium proferrentur, hac occasione, qua forsan contendi posset, eas maxime congruere ampliori Ecclesiae liberalitati, qua, dum toto Terrarum Orbe ab ipsius Filiis celebratur universale Jubilaeum, nonnisi post vigintiquinque Annos recurrens, Spirituales Thesauros aperit, et Poenitentibus largiter applicari desiderat; ideo in hac recenti Constitutione Nostra, quae incipit *Benedictus Deus*, ejusmodi verba inseruimus, per quae omnes contrariae, et reprobatae opiniones, etiam praesentis Jubilaei tempore exclusae remanent; quae quidem verba, occasione alterius Jubilaei sive universalis, sive particularis adhibita, eundem effectum similiter sunt habitura.

Quinam Confessarius hac occasione a Monialibus eligi possit.

§. 11. Cum autem Nos in hac novissima Constitutione agendo de Confessariis, quos Moniales, earumque Novitiae eligere poterunt facultatem eisdem concesserimus eligendi *Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario Loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum*, quae verba superius etiam in hisce Literis recitata fuerunt; quaesitum est ab aliquibus, an liceat Monialibus hac occasione in Confessarium eligere ejusmodi presbyterum, quem Ordinarius, non quidem peculiariter pro earum Monasterio, sed pro aliquo alio approbaverit. Super quo Nos animadvertentes, quod si Monialibus necesse esset Confessarium pro earum dumtaxat Monasterio approbatum eligere, frustraneum fere remaneret Privilegium hoc tempore eisdem concessum; facile adducti sumus, ut declararemus, licere Monialibus, earumque Novitiis, in hoc praesenti Jubilaeo, ad effectum ejusdem Jubilaei consequendi, Confessarium eligere, ab actuali Ordinario Loci, etiam pro alio Monasterio, vel *pro Monialibus*

in genere approbatum, nec unquam ob demerita expresse reprobatum; quum Nos non magis ab opinionibus laxis, quam ab iis, quae nimium et intolerabilem rigorem inducunt, alienos Nos esse profiteamur.

ubilaei ce- ratio per oeceses ita Episcopis ocuranda, in soli- m anima- m fructum lat.

§. 12. Et haec quidem Vobis, Venerabiles Fratres, hac nostra Encyclica Epistola exponere opportunum duximus. Reliqua vero a singulis vestrum, in propria cujusque Civitate, ac Dioecesi sunt peragenda. Curandum scilicet est ab unoquoque vestrum, assiduisque precibus, et hortationibus adnitendum, ut Populus regimini vestro commissus, ad peccata sua sincero corde, plenaque voluntate detestanda adducatur, ac per sacramentalem Confessionem rite ac pie peractam, ad consequendum Jubilaei fructum sese disponat. Sane si Indictio Jubilaei ita fiet per Dioeceses, ut nullis antea publicis precibus divinae opis auxilium exoretur, ut neque Pastoris voce, neque scripto ad poenitentiam Populus excitetur; si, praeviis opportunis institutionibus, Christiana plebs non edocebitur, qua ratione fructuosam peccatorum Confessionem peragere debeat, nec de Confessionis generalis utilitate, atque etiam certis in casibus de illius necessitate, admonebitur; si denique Sacerdotes Confessarii competentem animarum vulneribus medicinam afferre non satagent; valde veremur, quod sine lacrymis scribere aut cogitare non possumus, ne Jubilaei celebratio inani specie animos detineat, at nihil solidi fructus reipsa in Populis operetur. Nos equidem, dum pro certo confidimus, complures peccatores in iniquitatibus antea demersos, elapsi anni Sancti decursu, per infinitam Dei nostri misericordiam, e coeno emersisse, plurimosque Fideles Sacri Jubilaei fructum percepisse, hoc simul persuasum habemus, id maxime referendum esse Coelesti illi divinae lucis radio, quo permoti fuimus, tum ad excitandum singulorum Episcoporum zelum, ut in suis quique Dioecesibus eos, qui Romanum iter aggressuri erant, praedictis mediis ad Jubilaei perceptionem praepararent; tum etiam ad agendum in Urbe ea omnia, quae et anno praecedenti, et ipso Anno Sancto Jubilaei egimus, et per alios fieri curavimus, ut opportunis instructionibus, et admonitionibus ad veram poenitentiam disponerentur omnes, et ad eam peragendam excitarentur.

Exemplum S. Caroli orromaei.

§. 13. Neque vero alicui vestrum, Venerabiles Fratres, in mentem veniat, satis jam muneri suo se fecisse, dum superiore anno publicas preces fieri curavit, atque institutiones, catecheses, et conciones habuit, seu haberi jussit, ad instructionem eorum, qui Romam ad Jubilaeum consequendum venturi erant; itaut minime necesse sit rursus ea omnia nunc peragere, quum ad ipsam Civitatem suam, atque Dioecesim, ejusdem Jubilaei beneficium extenditur. Non ita se gessit S. Carolus Borromaeus, Episcoporum exemplar, et splendidissimum lumen, qui quum antea Populum suum ad sacram peregrinationem ad Urbem suscipiendam sermonibus, instructionibus, et concionibus praeparasset, ac vehementer hortatus esset; cum etiam Romam ipse venisset, atque hic praeclara illa pietatis, et religionis exempla edidisset, quibus dumtaxat inspectis, multi peccatores ad poenitentiam statim conversi sunt; ad suam postmodum Ecclesiam reversus, obtentaque, ut supra diximus, a Gregorio Papa XIII. post Annum Sanctum, extensione Jubilaei pro sua Mediolanensi Dioecesi, minime contentus fuit his, quae pro disponendis subditis suis ad Romam iter suscipiendum, et ad Jubilaei fructum, per implementum operum injunctorum in Urbe, consequendum, praestiterat; sed, quum dictam extensionem publicaturus esset, eodem, quo antea, religionis zelo incensus, publicas denuo preces indixit, conciones ad Populum habuit, evulgavitque instructiones plenas doctrinae, ac pietatis, quae in Actis Ecclesiae Mediolanensis habentur; denique nihil eorum omisit, quaecumque utilia, aut necessaria putavit, ut Populum suum ad poenitentiam adduceret, eumque ad percipiendum Jubilaei fructum disponeret.

Magni aestimanda est Jubilaei consequendi opportunitas.

§. 14. Non levis momenti res nunc agitur, Venerabiles Fratres. Ecclesiae Thesaurus reseratur, Plenariae Indulgentiae assequendae via cunctis Fidelibus aperitur, simulque amplissimae remittendorum criminum Facultates Sacramenti Poenitentiae Ministris tribuuntur. Et quamvis haec beneficia, quae initio nonnisi centesimo quoque anno generaliter concedi solebant, modo post singulos vigintinquinque annos concedantur; longe tamen plures, ut fert humana conditio, erunt, quibus aetas non sufficiet, ut eorum compotes iterum fieri possint, quam qui post alios vigintinquinque annos adhuc superstites, ad ea consequenda aspirare valeant. Opera injuncta ejusmodi sunt, ut ne laxioribus quidem, et mollioribus, nimis aspera

et gravia videri possint; praesertim si cogitabunt, duobus circiter saeculis ante Pontificatum Bonifacii VIII., a quo Jubilaeum Anni Sancti formam accepit, Plenariam hujusmodi Indulgentiam obtinere cupientibus, injungi consuevisse, ut in Palaestinam, pro ea regione ab Infidelium manibus recuperanda pugnaturi sese conferrent: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniae adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni poenitentia reputetur*. Verba sunt Praedecessoris Nostri Urbani Papae II. in Concilio Claromontano anno MXCVI. habito. Super quibus verbis Venerabilis Servus Dei, Joseph Maria Cardinalis Thomasius, quem in hac potissimum materia libenter citamus, quum olim eidem clarissimo Viro Collegae fuerimus in Officio Consultoris Congregationis Cardinalium Indulgentiis propositae, ita scriptum reliquit: *Hanc Plenariam Indulgentiam, in qua opus injunctum gravissimum erat sumptibus, incommodis, laboriosissimis itineribus, et imminentibus vitae periculis, ut potius videri possit commutatio poenitentiae, quam hujus absoluta relaxatio etc. hanc, inquam, Plenariam Indulgentiam pro Terra Sancta, alii postea Summi Pontifices semper confirmarunt. Nec alia mihi occurrit Indulgentia Plenaria usque ad exordium decimiquarti Saeculi, in quo Bonifacius VIII. illam elargitus est pro anno Jubilaei MCCC.:* Haec doctus ille, piusque Cardinalis in quodam Opusculo manuscripto, quod brevi forsan in lucem prodibit, inter alia ejus Opera, quorum accuratissima Editio hoc tempore adornatur.

§. 15. Haec omnia in mentem vobis revocare opportunum duximus, ut zelum vestrum excitaremus, ne quid intentatum relinquatis, quo adduci valeant Populi vestrae curae, fideique concrediti, ad sinceram poenitentiam, ad perfectam peccatorum Confessionem, veramque emendationem vitae, atque ita ad consequendam in Patriis Regionibus Plenariam Jubilaei Indulgentiam, licet elapso Anno ad Urbem quacumque de causa non accesserint, sese disponant. Huic denique Epistolae nimis jam in longum productae finem imponimus, rogantes vos et obsecrantes in Domino Jesu, ut saepe cogitetis, quem locum vobis dederit Coelestis Militiae Imperator in magna illa Legione, quam ipse ad extirpandos de Mundo errores, universosque gloriae suae hostes debellandos, ad stabiliendum justitiae, et veritatis Regnum, et ad salvandas Animas, comparavit atque instruxit. Mementote, praeclaras semper ab hac Legione victorias, Dei Omnipotentis auxilio, reportatas fuisse quoties illius Duces, ac Milites constanti animo, ac strenua Ecclesiastici pectoris virtute dimicarunt. Galliarum quondam Regiones per unum Hilarium ab Arianorum contagione liberatae fuerunt. Eorumdem erroribus Hispaniae per annos prope trecentos miserandum in modum involutae, per Leandrum et Isidorum ex iis tandem emerserunt. Augustinus in Africa Manichaeorum, Donatistarum, Pelagianorum conatus repressit, ac fregit. Ambrosius Italiam pestifera Haeresum labe afflatam praeservavit. Athanasius, Basilius, Gregorius Catholicam Religionem in Ægypto, et in Oriente, unde Haeretici magno numero exorti universum Orbem corrumpere moliebantur, suis laboribus, periculis, scriptis conservarunt. Chrysostomus Graeciam, et Asiam a perfidiae sordibus repurgavit. Utque ad recentiora descendamus exempla, videte quanta praestiterit in Indiis Turribus, quanta in Regionibus Nostris Carolus Borromaeus, et Franciscus Salesius, quantum per eos, aliosque Sacerdotali virtute praeditos Viros, Catholicae Fidei puritas, Ecclesiasticae Disciplinae nitor, Christianaeque pietatis studia, incrementum acceperint. Horum intuentes exempla, sectamini virtutes, et Pastoralis solicitudinis zelum in vobis exprimite, oblatamque vobis occasionem, ad salvandas a perditione Animas, ad reformandos Populi mores, ad piorum operum consuetudines inducendas aptissimam, libenter arripite.

Quanta Deus in Ecclesia per Episcopos praestari concesserit.

§. 16. Hoc credite, Veneralibes Fratres, magnam esse apud Christianos Populos vim Religionis Divinae, ardoremque pietatis in cordibus Fidelium Spiritus Sancti virtute diffusum, si Sacerdotum opera congruis foveatur alimentis, et opportunis temporibus excitetur, in magnas charitatis flammas erumpere. Id probe intellexerunt, Deo inspirante, plerique Catholici Reges, ac Principes, qui pia Subditorum suorum desideria animo complectentes, demissas Nobis preces pro hujus Jubilaei extensione ad Ditionum suarum Provincias exhiberi mandarunt. Quorum voluntati quum Nos, collaudata eorum eximia pietate, plenissimo affectu obsecundare non distulerimus, vestrum est, Venerabiles Fratres, eorum studiis simul,

Pontifex Catholicorum Regum pia studia commendat et coadjuvari optat.

ac Nostris, Ecclesiaeque votis, operam vestram adjungere: et hoc potissimum tempore, dum pro eorumdem Christianorum Principum prosperitate et salute unusquisque vestrum publicas Ecclesiae vestrae preces Omnipotenti Deo offeretis, Gregis vestri sanctificationem, semper quidem curae vestrae concreditam, nunc autem peculiaribus quoque eorum solicitudinibus vobis commendatam, vestris praedicationibus, exemplis, laboribus promovere. Nos autem, in praeclari operis adjumentum, vobis, Venerabiles Fratres, Coelestis auxilii gratiam, Christianisque plebibus regimini vestro subjectis pacem Dei precamur; vobisque, et illis Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, die prima Januarii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno XI.

ae I. Jan. 751. Pont. nno XI.

XXV*

CONFIRMATIONIS

Sacramentum Infirmis in Archi-Hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe degentibus, conferri possit a Praeceptore, seu Commendatario in Episcopali dignitate constituto, vel, ipso, aut Priore mandante, ab alio quocumque Catholico Antistite, nullius alterius obtenta licentia.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Infantes in Hospitali S. Spiritus exositi confirmari possunt a quocumque Cath. Antistite, de mandato Praeceptoris, seu Commendatarii, ex Indulto Nicolai PP. IV.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Magister Octavius Bufalini Praeceptor, seu Commendatarius Archi-Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, quod alias fel. rec. Nicolaus PP. IV. Praedecessor Noster per quasdam suas sub Plumbo, Sexto Nonas Martii, Anno ejus Tertio, expeditas Literas concessit, et indulsit, ut Magister, seu Praeceptor, aut Commendatarius, ac Fratres, seu Canonici dicti Archi-Hospitalis pro tempore existentes, utriusque sexus Infantes in illo expositos, et pro tempore exponendos, de Sacro Fonte renatos, per quemcumque, quem maluerint, Catholicum Antistitem gratiam et communionem hujus Apostolicae Sanctae Sedis habentem, confirmari facere valerent, et alias prout in dictis Literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur.

Simile Indultum Petitur pro Infirmis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, interdum accidere soleat, ut inter tot Infirmos, qui ad memoratum Archi-Hospitale, ut ex eorum morbis, aliisve corporis infirmitatibus mederi possint, accedunt, aliquis magno cum vitae periculo inveniatur, qui in provecta etiam aetate constitutus sacra Confirmatione minime inauguratus existat, itaut illam, omni dilatione postposita, etiam intempestive conferre necesse sit, ac propterea dictus Magister Octavius Praeceptor, seu Commendatarius, ut hujusmodi necessitati consulere valeat, indultum praedictum favore infantium expositorum, sicut praemittitur, concessum, etiam ad Infirmos per Nos extendi plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex annuit, ut de mandato Praeceptoris vel Prioris, nullius alterius obtenta licentia, confirmari possint a quocumque Cath. Antistite.

§. 2. Nos igitur ipsum Octavium Praeceptorem, seu Commendatarium specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab Homine quavis occasione, vel causa latis, quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Octavio moderno, nec non pro tempore existenti Praeceptori, seu Commendatario, vel Priori Archi-Hospitalis praedicti, ut ipsi, vel aliquis eorum, Infirmis ad illud pro tempore accedentibus, si sacra Confirmatione inaugurati non fuerint, illam, si necessitas id postulaverit, a quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis praedictae habente, nulla etiam a quocumque obtenta licentia, Sacram Confirmationem conferri facere; si Praeceptorem vero, seu Commendatarium in Episcopali Dignitate constitutum esse contingat, illam per seipsum conferre, libere, et licite, possit, et valeat, respective facultatem, et auctoritatem, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Vel ab ipso Praeceptore in Episcopali dignitate constituto.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros

Clausulae.

effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Jan. 1751.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno XI.

D. Card. Passioneus.

XXXVI.

DAMNATIO

Et prohibitio Libri, cui Titulus: *Lettres avec ces mots latins: Ne repugnate vestro bono etc. Senec. de constantia Sap. c. 19, a Londres* 1750. et Libelli inscripti: *La voix du Sage, et du Peuple. A Amsterdam chez le Sincere. MDCCL.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Liber et Libellus intus enunciati in Congreg. S. Offic. examinati damnantur, et legi ac retineri prohibentur, sub poena excommunic. Pont. reservatae

Cum, sicut accepimus, in lucem prodierint Liber quidam Gallico Idiomate editus, cui titulus: *Lettres avec ces mots latins: Ne repugnate vestro bono etc. Senec. de constantia Sap. c. 19. a Londres* 1750. et Libellus inscriptus: *La voix du Sage, et du Peuple. A Amsterdam chez le Sincere. MDCCL.* et Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generales Inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputati, audita Libri, Libellique hujusmodi censura sibi relata, illos, tanquam continentes Doctrinam, ac propositiones respective falsas, erroneas, temerarias, scandalosas, Ecclesiasticis juribus injuriosas, de Schismate, ac de Haeresi suspectas, et alias a Sede praedicta damnatas, respective, prohibendos, et condemnandos esse censuerint; hinc est, quod Nos, creditum Nobis a Domino Pastoralis curae, et vigilantiae munus, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio, ac etiam Motu Proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, supradictos Librum, et Libellum, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressos, aut in posterum, quod absit, imprimendos, tenore praesentium damnamus, et reprobamus, ac legi, et retineri prohibemus, ipsorumque Libri, ac Libelli impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum, et omnibus singulis Christifidelibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere queat, omnino interdicimus: Volentes, et auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque Librum, Libellumque praedictos penes se habuerint, illos, statim atque praesentes Literae eis innotuerint, Locorum Ordinariis, vel Haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita, illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eaedem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praefata decernimus, illas ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae de Urbe, per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent; ipsarum autem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae.

Praesentium publicationis effectus, et exemplorum auctoritas.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Janua-

Dat. die 25. Jan. 1751.

rii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passionеus.

Publicata die 27. ejusdem Mensis, et anni.

XXVII. DE PERTINENTIA

Causarum de damno dato tam in prima quam in ulterioribus Instantiis; et intra quod tempus eaedem introducendae, finiendae, quibusque legibus dijudicandae sint: Item de integra praestatione poenarum Communitatibus Ditionis Ecclesiasticae debitarum; ac Judicum, Officialium, et Executorum emolumentis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. *Inveterata Reipublicae incommoda, quantum Nobis ex alto conceditur, idoneis rationibus emendare, ac submovere cupientes, quoties multiplices in uno aliquo rerum genere querelas populorum audimus; aut publicas, privatasque controversias eadem saepe de causa agitari intelligimus, ad ipsa rerum primordia penitus introspicienda, cognoscendasque Leges, quibus earum administratio continetur, opportunam diligentiam adhibere non recusamus, ut omnibus mature perpensis, totum illud Juris caput recte ordinatum et constitutum, nostris aeque, ac futuris temporibus exhibeamus.*

Causae praesentis Constitutionis efficiendae. *Hanc sane providentiam nuper a Nobis expetere visa sunt innumera litium et vexationum incommoda, quibus tam publica Communitatum Ditionis Nostrae Aeraria, eorumque Curatores, et Administratores; quam ipsas privatas Subditorum personas, propter Judicia de damno dato, frequenter subjacere comperimus: dum vel hujusmodi Causarum pertinentia disceptatur inter eos Judices; quibus, aut poenarum exactio, aut localis jurisdictio, aut personarum, praediorum, vel pecudum legitima quaedam defensio, ac privativa potestas est attributa; indeque levissimi saepe momenti quaestio magnum excitat, fovetque jurgiorum et controversiarum incendium: vel etiam, personalibus, atque realibus poenis, simulque pecuniariis multis, aliisque pensitationibus, ultra modum auctis, et cumulatis, nulloque termino hujusmodi actionibus atque Judiciis imposito, privatorum gravamina, sine publicae utilitatis augmento, in immensum crescere dignoscuntur. His omnibus de medio tollendis, ac respective intra aequitatis et justitiae limites coercendis, animum libenter adjicimus; auditisque Virorum juris peritia, et rerum usu praestantium sententiis, plura in rem opportuna remedia comparavimus, quae late exposita sunt in quadam Schedula Nostri Motus Proprii, superioribus diebus Chirographo Nostro subscripta, cujus tenorem hic per extensum subjicimus, videlicet:*

Pont. per Schedulam Motus proprii statuit, ut infra.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu Proprio etc.

Sixtus V. Camerae Apostolicae univit poenas damnorum datorum, cum deputatione, Commissarii, qui etiam Causas cognosceret. Altre volte Sisto Papa V. Nostro Predecessore, considerando, che le Comunità dello Stato Ecclesiastico, e loro Uffiziali, per diversi umani risguardi trascuravano di esigere le Pene de' Danni dati, benchè providamente imposte dagli Statuti, e Leggi municipali, oppure stabilite per lunga, e lodevole consuetudine; dismembrò da esse Comunità le Pene suddette, ed ogni Diritto di esigerle, ed avendole applicate alla Camera Apostolica, eresse di nuovo un Uffizio di Commissario Generale dei Danni dati, concedendo al medesimo non solo il Diritto, e la facoltà di esigere le dette Pene secondo la forma degli Statuti, e consuetudini di ciaschedun Luogo, contro qualunque persona di qualsivoglia stato, grado, o condizione, tanto Secolare, quanto Ecclesiastica; eccettuati solamente i Cardinali della Santa Romana Chiesa, gli Affidati nella Dogana del Patrimonio, ed altri pochi privilegiati secondo la forma de' loro respettivi Privilegj; ma ancora la Cognizione, e Giurisdizione di tutte le Cause attinenti ad essi Danni, come apparisce più largamente dalla di lui Costituzione pubblicata li 9. Aprile 1588. che incomincia: *Romani Pontificis*, e dalle Dichiarazioni, ed Ordini in essa inseriti.

§. 2. Lo sperimento, che si fece negli anni susseguenti di questo nuovo provvedimento, dimostrò, che il medesimo riusciva alli Popoli per diversi motivi di notabile aggravio; perloché Clem. VIII. altro Nostro Predecessore sotto il giorno 10. Maggio 1592. soppresse del tutto il riferito Uffizio di Commissario Generale, e

Clemens VIII. suppressit Officium dicti Commissarii, et poenas Communitatibus Status Pontificii applicavit.

per titolo veramente oneroso, cioè per l'annua risposta di scudi ventiseimila moneta, e di scudi quattrocent' ottanta d' oro, appropriò nuovamente alle Comunità dello Stato tutte le pene dei danni dati, insieme con gli Emolumenti degli Archivj, surrogando esse Comunità in luogo della Camera Apostolica, con tutt' i Privilegj conceduti da Sisto al suddetto Commissario Generale, come risulta da detta sua Costituzione, che incomincia: *Ad Summi Apostolatus*.

In Constitutione Clem. VIII. nihil statutum fuit de causarum cognitione, et ob id frequenter occurrunt controversiae.

§. 3. Ma perchè in essa Costituzione di Clemente nulla si espresse circa la Cognizione, e Giurisdizione delle Cause attinenti a' detti Danni, quindi è, che in progresso di tempo, ed ancor oggi, sono insorte, ed insorgono tutto dì questioni innumerabili, e specialmente, se la Causa appartenga al Foro Ecclesiastico, oppure al Foro Secolare; e nello stesso Foro Secolare, se appartenga al Governatore, e Giusdicente, oppure al Magistato del Luogo, con gran ritardo della Giustizia, pregiudizio delle Comunità, e disturbo de' Popoli. Lo che avendo Noi più volte considerato, e particolarmente in occasione di una Causa della Città di Alatri, che fu proposta nella Segnatura di Grazia da Noi tenuta li 12. Maggio del caduto anno 1750. Ci siamo similmente determinati di dare anche per queste Cause un certo fisso, e stabile regolamento; conciosiachè sebbene esse per lo più sono di lievissimo momento, nondimeno per essere oltre modo frequenti, turbano grandemente la quiete, e tranquillità pubblica, onde hanno giustamente meritato in ogni tempo, ed in ogni luogo, la cura, e provvidenza de' più saggi Legislatori.

Pont. ideo Motu Proprio statuit ut infra.

§. 4. Pertanto di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Apostolica Autorità, inerendo alle riferite Costituzioni de' detti Nostri Predecessori, ed alle risoluzioni altre volte prese nei Casi occorrenti dalla Nostra Congregazione dell' Immunità, e dall' altra de' Sgravj, e Buon Governo, in quelle parti però, che non sono contrarie, o difformi dal presente Nostro Moto proprio, confermiamo primieramente in favore delle Comunità del Nostro Stato l' appropriazione, ed applicazione di tutte, e singole Pene tanto imposte, che da imporsi, per causa di danni dati, dichiarando a quelle sottoposte tutte, e singole persone di qualsivoglia stato, grado, o condizione, tanto Secolari, come Ecclesiastiche, eccettuati solamente i Reverendissimi Cardinali, gli Affidati nelle Dogane del Patrimonio, e gli altri pochi eccettuati nella detta Costituzione di Sisto V. secondo la forma de' loro respettivi Privilegj, dichiarati, e riformati più volte nelle riforme di Urbano VIII., Innocenzio XI. e Innocenzio XII. parimente Nostri Predecessori, a' quali non intendiamo in verun modo di derogare.

I. Confirmat favore Communitatum applicationem poenarum Clem. VIII. factam.

II. Decernit quando cognitio causae spectet ad Forum Ecclesiasticum.

§. 5. Affinchè poi si sappia quando la Causa appartenga al Foro Ecclesiastico, e quando al Foro Secolare, vogliamo, ed ordiniamo, che quante volte verrà accusata, querelata, o denunziata di danno dato alcuna persona Ecclesiastica, oppur anche un Laico, quale sia vero Famigliare, o Ministro del Vescovo Diocesano, e non semplice Patentato, oppur sia Colono parziario, che viva per la maggior parte dell' anno de' beni e rendite della Mensa Vescovile, o che per altro titolo, e ragione sia, e debba essere esente, secondo la disposizione de' Sacri Canoni, e delle Costituzioni Apostoliche, dalla Giurisdizione del Foro Laicale; la cognizione di tal Causa, tanto in prima, che in ogni altra istanza, privativamente spetti al Foro Ecclesiastico; ancorchè gli Animali, colli quali è stato dato danno, sieno di Persona Laica, ed i beni danneggiati parimente appartengano a' Laici.

III. Et quando ad Forum Laicale.

§. 6. All' incontro essendo accusata, querelata, o denunziata di aver dato danno alcuna persona Laica, o anche un Chierico di Ordini Minori, quale secondo il Concilio di Trento, non goda il privilegio del Foro Ecclesiastico. Se il Danno sarà stato dato sulli beni dei Laici, e cogli Animali, parimente dei Laici, la cognizione della Causa dovrà appartenere privativamente tanto in prima, che in ogni altra istanza al Foro, e Giudice Laicale, ancorchè la Persona, come sopra querelata, o denunziata, sia Ministro, oppur Colono di alcuna Chiesa, Luogo Pio, o Persona Ecclesiastica, purchè non sia Colono del Vescovo, e sua Mensa, come si è detto di sopra.

IV. Quando vero causa sit mixti Fori, ac locus sit praeventioni.

§. 7. Ma se la Persona Laica colli proprj Animali, o di altri Laici, avrà dato danno nei beni di alcuna Chiesa, Luogo Pio, o Persona Ecclesiastica, la Causa sarà di Misto Foro, e dovrà in essa procedere quel Giudice o Ecclesiastico, o Laico, che avrà prevenuto. Volendo, e dichiarando, che, per tal effetto si attenda primieramente, com' è di ragione, la cat-

tura della Persona; in secondo luogo quella degli Animali, o del Pegno; in terzo luogo la querela, ed accusa del Danneggiato; ed in ultimo la denunzia del pubblico Ufficiale.

De casu nui dati Laico in nis Laibus cum malibus clesiastiium.

§. 8. Qualora poi il danno sarà stato dato da Persona Laica, e ne' beni de' Laici, ma però cogli Animali, di qualche Chiesa, Luogo Pio, o Persona Ecclesiastica; in tal caso, conciliando con opportuna distinzione le tante opinioni de' Dottori, e forse anche de' Tribunali, se sarà querelato, arrestato, o pignorato il solo Custode, e Pastore Laico, vogliamo, che la Causa appartenga privativamente al Foro Laicale; se saranno arrestati, ricondotti, o pignorati li soli Animali, vogliamo che la Causa privativamente spetti al Foro Ecclesiastico; ma se saranno unitamente arrestati, e pignorati il Custode Laico, insieme cogli Animali, o parte di essi, vogliamo, che sia in arbitrio, ed elezione di colui, che sarà stato danneggiato, lo esperimentare le sue ragioni o nel Foro Ecclesiastico, o nel Foro Secolare; con che però comparendo avanti il Giudice Laico, debbano da questo immediatamente dimettersi, e rilasciarsi gli Animali degli Ecclesiastici, senza pagamento alcuno nè per il Decreto, nè per il Mandato di rilasso, cosicchè resti solamente la Causa contro il Pastore Laico nel Foro Laicale; ed all' incontro comparendo il Danneggiato avanti il Giudice Ecclesiastico, debbano a disposizione di questo ritenersi bensì gli Animali, ovunque sieno stati ricondotti da principio; ma però rilasciarsi immediatamente, e senza pagamento alcuno il Pastore Laico, e che la Causa resti nel Foro Ecclesiastico sopra i soli Animali. Volendo, ed ordinando, che la prima comparsa del Danneggiato avanti l' uno, o l' altro Giudice, debba servire, e si abbia per sufficiente, e legittima dichiarazione della sua volontà, senza che possa più variare da un Foro all' altro.

VI. Quaenam Bona reputentur Ecclesiasticorum, et quae non.

§. 9. E perchè in avvenire non si abbia più a dubitare quando i beni danneggiati, o gli Animali, che hanno dato danno, sieno, o non sieno di Chiese, Luoghi Pii, o Persone Ecclesiastiche, per lo effetto, del quale si parla; vogliamo perciò, e dichiaramo, che per beni Ecclesiastici debbano intendersi solamente quelli, che si possiedono dalle Chiese, Luoghi Pii, o Persone Ecclesiastiche, non solo quanto al diretto, ma ancora quanto all' utile dominio, e che in oltre si coltivano a spese loro, oppure dai loro Coloni parziarj; e non già quelli, che ad essi spettano per solo titolo di proprietà, e dominio diretto, o che eziandio appartenendo loro quanto all' utile dominio, si ritengono, o si coltivano dai Laici a proprie spese, per contratto di Locazione, o a lungo, o a breve tempo, con pagarne alla Chiesa, Luogo Pio, e Persona Ecclesiastica o l' affitto in denaro, o anche in specie qualunque altra risposta, in fissa, ed invariabile quantità; giacchè i Danni, ancorchè studiosi, e manuali, non cadono, nè possono cadere se non sopra coloro, ai quali spettano i frutti naturali, o industriali della Terra, e non mai su i frutti civili, o sopra le risposte certe, ed invariabili, e molto meno sopra la proprietà o dominio diretto.

VII. Quaenam Animalia Ecclesiasticorum esse censeantur, quae autem Laicorum.

§. 10. Similmente, e per la stessa ragione ordiniamo, e dichiaramo, che per Animali di Chiese, Luoghi Pii, o Persone Ecclesiastiche si debbano intendere, e reputare solamente quelli, che ad essi appartengono per titolo di Dominio, e di possesso, e che da essi sono stati dati in mano dei Pastori Laici per semplice cura, governo, e custodia; ma non già quelli, che sebben loro appartengono, come sopra, sono però stati da essi trasferiti in mano di Persone Laiche o per contratto di Società, o per altro contratto, in virtù del quale il pericolo di essi Animali, o per tutti, o per una porzione di essi, sarà passato in Persone Laiche, o che saranno stati dati parimenti a' Laici in affitto pecunario unitamente con gli beni, o anche senza di essi. Imperciocchè siccome in questi casi vogliamo, che al risarcimento del danno, e al pagamento della pena resti soggetto il solo Laico nella sua persona, porzione, e beni, e che ne sia del tutto esente la Chiesa, Luogo Pio, o Persona Ecclesiastica; così resta ben chiaro, che la Causa deve privativamente spettare al Foro Laicale.

Quando causa spectat ad Gubernatorem localem vel ad Magistratum.

§. 11. Risolute così le Controversie di pertinenza, che sogliono insorgere tra il Foro Ecclesiastico, ed il Foro Laicale, e sulle quali sono uscite in altri tempi dalle dette due Congregazioni risoluzioni fra di loro diverse, e difformi, resta a decidersi l' altra subalterna, se, appartenendo la Causa al Foro Laicale, debba questa in prima istanza conoscersi dal Governatore, e Giusdicente, oppure dal Magistrato del Luogo. Ove dunque al Magistrato Locale nè in virtù di Statuto, nè in virtù di lunga, ed

inveterata consuetudine trovasi attribuito il diritto, e la potestà di conoscere le Cause de' danni dati appartenenti al Foro Secolare, dovranno queste spettare in prima istanza al Governatore, e Giusdicente del Luogo; ma dove trovasi stabilito per Legge municipale, o per lunga consuetudine, quale però sia pacifica, e non minore di anni quaranta, che il Magistrato Locale possa e debba conoscere le Cause de' danni dati, ordiniamo, e comandiamo, che tali Statuti, e consuetudini debbano intendersi, e si osservino solamente rispetto a que' danni, che si chiamano semplici, cioè dati dagli Animali per loro naturale ferocia, senza ingiuria, e senza colpa ne vera, nè presunta di alcun uomo. Ma non mai rispetto a que' danni, che si chiamano studiosi, cioè dati dagli Animali, non tanto per loro naturale ferocia, quanto per colpa, e negligenza degli uomini; e molto meno rispetto a' danni manuali, quali propriamente parlando, trascendono il semplice nome di danno, e passano in quello di Furto, o di altro delitto, benchè attesa la parvità della materia, e dell' offesa, non sia per lo più, che un delitto leggiero. Volendo Noi, che questi danni studiosi, e molto più se non sono manuali, appartengano sempre al solo Governatore, e Giusdicente, a cui appartengono le altre Cause Criminali, e non mai al Magistrato Locale; se pur questo per ispecial Privilegio Apostolico, o in virtù di Statuto confermato dalla Santa Sede in forma specifica, e nel quale si esprimano chiaramente anche i danni studiosi, o manuali, non godesse di tal giurisdizione.

Nullus Judex Ecclesiasticus, aut Secularis procedat in causis de damno dato, nisi intra priores octo dies denunciatum fuerit damnum.

§. 12. Chiunque però debba essere o Ecclesiastico o Secolare il Giudice, a cui apparterrà, come sopra di conoscere alcuna Causa di danno dato, dovrà sempre osservare le Regole seguenti. Primieramente dovrà costare al medesimo, che la Parte danneggiata, o per se stessa, o per mezzo de' suoi Ministri Custodi, o Serventi, dentro il termine *di otto giorni* continui dal giorno, che averà patito alcun danno, ne abbia esposto querela alla presenza di due Testimonj negli atti Criminali, oppure, che dentro il tempo, e negli atti medesimi, e similmente alla presenza di due Testimonj, ne sia stata fatta denunzia dal pubblico Uffiziale de' danni dati; altrimenti non sia lecito a veun Giudice, o Magistato, di molestare, ed inquietare alcuno, ma il danno si abbia per non fatto, oppure s' intenda *ipso jure* rimesso, e condonato, et ogni azione tanto rispetto alla persona danneggiata, quanto rispetto alla Comunità, e suo Affittuario, estinta, et abolita.

Quando, et qua Lege liceat procedere ad capturam Animalium damnum inferentium, aut pignus capere a Custode.

§. 13. Di più a ciascheduno, a cui verrà inferito alcun danno, sarà lecito di arrestare o tutti, o parte degli Animali, che troverà a far danno nel suo, ancorchè sieno di Ecclesiastici; o anche di prender qualche pegno sul Pastore, e Custode; purchè l' arresto si faccia, et il pegno si prenda, prima che il Pastore, e gli Animali sieno usciti dal fondo, ove hanno fatto il danno; e purchè in oltre gli Animali, o pure il pegno sieno da lui senza indugio condotti, e rilasciati in potere del Giudice insieme con la querela del danno. Ma se il Custode, o il Padrone degli Animali, o altro qualsivoglia, darà sicurtà idonea di stare a ragione, e di pagare quanto sarà giudicato tanto per il danno, come per la pena, dovrà dal Giudice, sia Ecclesiastico, o sia Secolare, ordinarsi immediatamente il rilascio degli Animali, o la restituzione del pegno, e molto più il rilascio del Pastore, in qualunque tempo questo fosse stato personalmente carcerato.

Data fidejussione, relaxentur Animalia, Pignora, et Personae.

Causae intra quadraginta dierum spatium finiantur, alias devolvantur ad Judicem Superiorem tanquam ex capite denegatae justitiae.

§. 14. Inoltre tanto il Giudice Ecclesiastico, quanto il Giudice Laico, dentro il termine *di quaranta giorni* continui dal giorno, che sarà stata esposta, come sopra, nella Cancelleria Criminale la querela, o denunzia di danno dato, dovrà aver finita, e decisa la lite, o con Decreto definitivo assolutorio, o colla spedizione del Mandato tanto per il danno, quanto per la pena: e non avendola finita e decisa dentro detto termine, vogliamo, che non possa più ingerirsi nella medesima, e che la Causa nello stato, e termini, ne' quali si troverà, s' intenda *ipso jure* devoluta al Giudice Superiore, e competente, in grado di appellazione, o di ricorso, a titolo e capo di giustizia denegata. Essendo Mente, e Volontà Nostra espressa, che queste Cause per lo più leggierissime, sieno spedite con tutta celerità; e nello stesso tempo, che si tolga l' abuso pur troppo frequente di molestare la gente con riassumere le querele già antiquate per anni, et anni indietro. Per lo che vogliamo ancora et ordiniamo, che tutte le querele, o denunzie di danni dati, che si troveranno esposte, e pendenti nel giorno della pubblicazione di questa nostra Cedola di Moto Proprio, si abbiano per cassate, et estinte, eccettuate solamente quelle, che saranno state date, et esposte dentro lo

Querelae, et Causae actu pendentes, quae ante tres menses inceptae fuerunt, et nondum terminatae, pro extinctis habeantur.

spazio di tre mesi avanti detta pubblicazione, nelle quali vogliamo, che si possa seguitare a procedere anche per altri quaranta giorni, e non più, come si è detto di sopra.

probatio-, et liqui-tione dam-rum, ac enarum positione, rventur atuta, et nsuetudi-s Locorum utroque oro.

§. 15. Quanto alla maniera di provare il danno sì in genere, che in specie, sua stima, e liquidazione, come pure rispetto alle pene, vogliamo, che si osservino anche dai Giudici Ecclesiastici, e nel Foro Ecclesiastico, gli Statuti, e le Consuetudini di ciascun Luogo. E giacchè in parecchie Diocesi dello Stato Ecclesiastico i Vescovi, ad altri Ordinarj, hanno trascurato di autorizzare con loro Editto i suddetti Statuti, e Consuetudini locali, come dovevano fare in esecuzione della Lettera Circolare spedita per ordine del Ven. Innocenzo XI. Nostro Predecessore li 6. Luglio 1680. Perciò volendo Noi omninamente provvedere, che le Comunità di detto Nostro Stato, alle quali, come si è detto, sono applicate le pene del danno dato per titolo veramente oneroso, non restino in questo loro provento pregiudicate, e defraudate, e che gli Ecclesiastici espressamente compresi nella Costituzione di Sisto V. non possano impunemente danneggiare i Beni altrui; ordiniamo, e dichiariamo colla Nostra autorità Apostolica, che debbano osservarsi i suddetti Statuti, e Consuetudini locali tanto rispetto alle prove, quanto alle pene, come se in essi fossero espressamente nominati gli Ecclesiastici, e come se fossero fatti, o autorizzati in questa parte con autorità Ecclesiastica.

oenae exi-ndae inte-e Commu-tati Loci lvantur.

§. 16. Per la medesima ragione, chiunque parimente sia il Giudice o Ecclesiastico, o Secolare, o di prima, o di ulteriore istanza, non dovrà mai appropriare a se stesso, o alli Ministri, ed Esecutori della sua Curia, le pene de' danni dati; ma dovrà farle pagare intieramente, e senza alcuna diminuzione, ancorchè sieno state accresciute per Editti particolari, nelle mani del Depositario della Comunità, oppure dell'Affittuario di esse pene; e solamente potrà esigere per se, suoi Ministri, et Esecutori, gli emolumenti del decreto, e dell'esecuzione, secondo però la Tassa Statutaria, che si osserva nelle Cause Civili, e non già secondo la Tassa, che si osserva nelle Cause Criminali; e purchè in oltre sia stato prima rifatto il danno alla Parte danneggiata, e pagata effettivamente la pena nelle mani del Depositario o Affittuario suddetto. Qual pena o Statutaria, o anche accresciuta in virtù di Editti particolari, vogliamo, che da niuno di qualunque autorità, ancorchè Cardinali Legati, Vice-Legati, o Presidi di Provincia, Vescovi, e Arcivescovi, e molto meno dai Governatori, o Magistrati Locali possa condonarsi, comporsi, o diminuirsi nè in tutto, nè in parte, neppur col consenso della Comunità. E facendosi altrimenti da alcun Giudice, o Ecclesiastico, o secolare, vogliamo, che oltre la restituzione, e perdita degli emolumenti percetti, incorra *ipso facto*, et anche per la prima contravenzione *nella pena di scudi cinquanta* in favore della Comunità, o suo Affittuario: dando facoltà al Magistrato del Luogo di ritenere, quanto al Governatore, in benefizio della Comunità, o suo Affittuario, la suddetta pena di scudi cinquanta sopra la mestrua provvisione di esso Governatore; e se sarà Giudice Ecclesiastico, d'implorare per tal effetto la mano forte, quando ne faccia bisogno, della Nostra Congregazione del Buon Governo.

uae Judex ro se, suis-ne Mini-aris exigere ossit.

oena con-onari, vel nnnui quant.

Appellationes et Recursus ad eos deferantur, ad quos aliae criminales causae in ulterioribus instantiis pertinent.

§. 17. Per ultimo non intendiamo colla presente di alterare, o mutare in alcuna Causa di danno dato il corso ordinario delle appellazioni, riclamazioni, e ricorsi a i Giudici superiori, e competenti, anzi vogliamo, che quello si osservi ancora in questa, come in ogni altra Causa Criminale, e come fu preservato in detta Costituzione di Sixto V., eccettuate le sole sportule, et emolumenti della Curia, rispetto alli quali si dovranno sempre reputare come Cause Civili, anche in grado di ricorso, e di ulteriore istanza.

Quoad sportulas, et emolumenta Curiae hujusmodi Causae pro civilibus habeantur.

Congregatio super Consult. Stat. Eccles. non se ingerat in causis simplicis damni dati.

§. 18. Ma perchè in questa parte sono insorte per lo passato, e forse pendono tuttavia alcune controversie di competenza tra la Nostra Congregazione della Consulta, e l'altra degli Sgravi, e Buon Governo; volendo perciò togliere affatto di mezzo ancor queste, decretiamo, e stabiliamo, che non sia lecito in avvenire alla detta Congregazione della Consulta, nè al suo Segretario, neppur di consenso delle Parti, ingerirsi, o intromettersi nè in prima, nè in altra ulteriore istanza, nelle Cause di danni dati, ancorchè studiosi, o manuali, se non quando solamente il danno sia talmente qualificato, che passi in nome di altro delitto, e di delitto tale, per il quale nei Bandi generali sia stata imposta la pena della Galera, o della Morte naturale.

Congregatio super Bono

§. 19. E quanto all'altra Congregazione

Regimine non se ingerat in causis particularibus, nec nisi pro interesse Communitatum, et pro praesentium executione.

degli Sgravj, e Buon Governo, e suo Segretario, vogliamo bensì, che le sia lecito nei casi occorrenti di dare quei provvedimenti, che stimerà più opportuni o per gli Affitti del provento del danno dato, o pel riparto della Quota, che deve per esso pagarsi in Camera, quando non vi sia chi voglia prenderlo in Affitto; ed in oltre, che nel caso poc' anzi espresso, che il Giudice del Luogo o Ecclesiastico, o Secolare, contro il Nostro divieto, ardisca di appropriarsi le pene, che spettano unicamente alla Comunità, o di farne grazia, o condonarle in tutto, o in parte, o di esigere per se, o suoi Ministri, et Esecutori, gli emolumenti del decreto, o della esecuzione, prima che sia stato risarcito il danno alla Parte danneggiata, et in oltre effettivamente pagata la pena nelle mani del Depositario della Comunità, o dell' Affittuario di tal Provento, possa detta Congregazione *manu Regia, more Camerali* costringere il Giudice, che avrà contravenuto, alla restituzione di tutto il percetto, ad al pagamento della detta pena di scudi cinquanta per volta in benefizio della Comunità; ma non mai, che possa assumere, neppur di consenso delle Parti, nè in prima, nè in altra ulteriore istanza, la cognizione di alcuna Causa particolare di danno dato, ancorchè questa si agitasse in nome della Comunità o suo Affittuario, e molto meno interloquire sopra la pertinenza più tosto ad uno, che ad un altro Giudice. Dichiarando Noi nullo, et irrito tutto ciò, che si facesse o dall' una, o dall' altra Congregazione contro la forma della presente Nostra Disposizione, per essere così Mente, e Volontà Nostra espressa.

Clausulae.

§. 20. Volendo, e decretando, che alla presente Nostra Cedola di Moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in Camera, e ne i suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezzione, orrezzione, nè di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, e giuridichi, anche di Jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnata, moderata, e rivocata, ridotta ad viam juris, o concedersi contro di essa l' aperizione Oris, o altro qualunque rimedio; e che così, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazioni anche de' Reverendissimi Cardinali, Legati a Latere, Vice Legati, Camerlengo di S. Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, o qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, et interpretare in contrario; Dichiarando Noi sin d' adesso preventivamente nullo, irrito, et invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione della presente Nostra Cedola di Moto proprio, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla semplice nostra sottoscrizione; benchè non vi siano state chiamate, sentite, o citate qualsisieno Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, Ecclesiastiche, e Luoghi Pii, che avessero, o pretendessero avere interesse, e che per comprenderle fosse bisogno di special menzione.

Derogatio contrariis.

§. 21. Non ostante la Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore *de Registrandis*, la regola della Nostra Cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostanti ancora tutti, e singoli Chirografi, Brevi, Ordinazioni, e Costituzioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra Potestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra Cedola di Moto proprio, ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo.

Data dal Nostro Palazzo di Monte Cavallo, questo dì 10. Gennaro 1751.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Pontifex praeinsertam Schedulam promulgat, et confirmat.

His itaque per Nos in praeinserta Nostri Motus proprii Schedula late expositis, ac respective ordinatis, et constitutis, tam Ecclesiasticae Immunitati, quam singulorum Judicum Jurisdictioni, ac privatorum simul indemnitati satis consultum esse, et fore confidimus, Ideoque praemissa omnia et singula, ut in eorum, ad quos

pertinet, notitiam deducantur, ac plene et exactissime perpetuo observentur, solemni forma promulgare volentes, eamdem Schedulam praesentibus Nostris Apostolicis Literis de verbo ad verbum insertam, omniaque et singula in eadem contenta et expressa, ac per ipsam, ut praefertur, sancita, volita, et ordinata, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, eorumdem praesentium tenore, iterum atque iterum confirmamus, et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, et quatenus opus esset, ea omnia et singula, juxta ipsius praeinsertae Schedulae tenorem et seriem, de novo et ex integro eadem auctoritate statuimus; volumus, et ordinamus per praesentes, eisdemque vim Legis omnino in singulis respective casibus observandae tribuimus.

Praemissorum executionem Judicibus et Tribunalibus demandat.

Mandamus propterea Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium tam super Status Ecclesiastici gravaminibus levandis et Bono Regimine, quam super Consultationibus negotiorum ejusdem Status, nec non super Ecclesiastica Immunitate tuenda, institutis Congregationibus; ac etiam Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis per Ecclesias, et Civitates temporalis Ditionis Nostrae constitutis; Dilectis quoque Filiis eorum Vicariis in spiritualibus Generalibus; aliisque omnibus et singulis Jusdicentibus, ut ipsi et eorum singuli intra attributae sibi Jurisdictionis limites respective consistentes, alienaque nullatenus turbantes, omnia in praeinserta Schedula expressa et contenta, ac in ea, ut praefertur, sancita, volita et ordinata, adamussim observent, et quatenus ad eos pertinet, respective faciant ab aliis exactissime observari.

Praesentium perpetuam firmitatem asserit.

Decernentes praeinsertam Schedulam, praesentesque Literas, etiam ex eo, quod omnes et singuli supradicti, et alii quicumque in praemissis jus aut interesse habentes, vel habere praetendentes, cujuscis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis, seu alias specifica et individua mentione, et expressione digni existant, eisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, aut ex alia quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, in controversiam revocari, seu adversus illas apertionis, oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari posse, sed semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et plenam executionem in singulis casibus obtinere debere.

Aliter judicari prohibet, et quod secus attentatum fuerit, infirmat.

Sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate et potestate, ac praeeminentia fungentes et functuros, praefatasque Congregationes, aliosque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, et Provinciarum Ditionis Nostrae praefatae Praesides, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

Non obstantibus omnibus iis, quae in praeinserta Schedula non obstare voluimus, nec non quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Locorum, et Tribunalium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, usibus, stylis, aliisque consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, aut exemptionibus, etiam cum Judicum Conservatorum deputatione, quibuslibet Personis, aut Locis etiam piis, communiter, seu divisim, in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, ac pluries approbatis, et innovatis; quibus omnibus, modo, forma, et tenore praemissis, ad effectum praesentium, illis alias in suo robore permansuris, amplissime et plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem tribuit.

Volumus autem, atque decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent, vel ostensae.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, statuti, ordinationis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 25. Januarii 1751. Anno XI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicae MDCCLI. octavo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 3. Februarii 1751.

XXXVIII. JEJUNIUM VIGILIÆ

S. Mathiae Apostoli Anno 1751. occurrentis ultima die carnisprivii, transferri posse permittitur in Sabbatum Sexagesimae.

Epistola Encyclica ad Archiepiscopos, et Episcopos per Ditionem Pontificiam constitutos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Confirmantur statuta ante triennium edita adversus abusus tempore Bacchanalium admitti solitos.

Prodiit jamdudum sub Dat. Kalendis Januarii Anni 1748. Epistola Nostra Encyclica ad omnes Archiepiscopos, et Episcopos Pontificiae temporalis Ditionis Nostrae conscripta, ut tribus gravissimis absurdis, quae Bacchanaliorum tempore communiter accidere dignoscebantur, opportuno remedio occurreremus. Horum primum erat, quod postrema nocte eorumdem Bacchanaliorum, choreae, vigiliae, ludi eo usque protrahebantur, ut initium sequentis diei, qui sanctae Quadragesimae primus est, in illis absumeretur; adeo ut non paucos ab hujusmodi ludis, vigiliis, saltationibus discedentes cernere esset, detracta quidem ab ore larva, sed tamen iisdem vestibus, quibus personati discurrerant, indutos, recta ad Ecclesias proficisci, ibique Divinis Mysteriis interesse, et sacros Cineres de more accipere; inde vero domum se referentes, totum plerumque mane primi Quadragesimae diei dormiendo transigere. Alterum erat, quod in aliquibus temporalis Pontificiae Ditionis locis sextis etiam feriis, atque iis quoque diebus, qui de praecepto Festi sunt, larva uti, et personatos homines vagari permitteretur. Tertium, quod in aliquot similiter praedictae Ditionis Nostrae locis, diebus Festis, tam de mane, quam pomeridianis horis, quibus Vespertina in Ecclesiis Officia celebrantur, et Christiana Catechesis habetur, Circulatoribus, aliisque id genus scurris copia fieret, ut in publicis plateis, et compitis ludicrum Populo spectaculum exhiberent. Pravis hisce consuetudinibus, et corruptelis cum in supradicta Epistola, quae *in Bullarii Nostri tomo 2. impressa est num. XLV.*, opportuna a Nobis remedia adhibita, et praescripta sint; non modo quidquid in eadem statuitur, ac decernitur, plene in praesentia confirmamus, sed Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus Legatis, nec non Gubernatoribus in Ecclesiastico Dominio existentibus, ac singulis, quoad propriam Dioecesim, Episcopis, ut exacte eadem observari curent, enixe studioseque mandamus.

Causa praesentis Epistolae conscribendae.

§. 1. At praeter hanc, alia accedit causa, cur alteras hasce Encyclicas Literas Fraternitatibus Vestris conscribendas putaverimus; eaque ad vertentem annum 1751. refertur, quo nempe in postremam Bacchanaliorum diem incidit Vigilia cum jejunio S. Mathiae Apostoli. Qua de re, ut singulis Ditionis Nostrae Praesulibus, quid actum fuerit, innotescat, quae hic sequuntur, duximus exponenda.

Plures Episcopi ad Pontificem recurrunt, proponentes hoc anno translationem Jejunii Vigiliae S. Mathiae.

§. 2. Praesens hic annus 1751. nondum inierat, quum ex variis partibus tam ab Italia remotis, quam etiam deinde ex locis quae intra Italiam sunt, redditae Nobis fuerunt Literae variorum Episcoporum, ac Praelatorum, qui advertentes, hoc anno Vigiliam cum jejunio Sancti Mathiae in postremum Bacchanaliorum diem incidere, Nobisque demonstrantes, nullo pacto evitari posse, quin hujusmodi jejunii scandalosae violationes, et publicae, et fortasse etiam communes futurae essent, cum satis superque notum sit, nullum Bacchanali licentiae, novissimo praesertim die, ac sequenti nocte, fraenum esse; hanc agendi rationem proponebant, ut hoc anno translatio fieret Vigiliae Sancti Mathiae, eaque in diem Sabbati praecedentem, qui hebdomadae Sexagesimae novissimus est, retraheretur. Hanc autem a se propositam rationem quorumdam

Auctorum opinione fulciebant, qui docent, esse hanc Episcopo in propria Dioecesi facultatem, ut gravi ac legitima causa intervenìente, tum jejunia, tum Festa de praecepto sua Ordinaria auctoritate ex uno ad alium diem transferat; et specialiter cum Vigilia Sancti Mathiae in postremum Bacchanaliorum diem incidat, ad evitanda scandala, quae ex publica violatione jejunii de praecepto oritura forent, licitum esse ipsis, praedicta sua Ordinaria auctoritate, eamdem Vigiliam ad praecedentem diem Sabbati transferre.

Pontifex noscit, non res esse rejiciendum casu.

§. 3. Propositas hujusmodi instantias negligere, aut dissimulare minime Nobis conveniens esse existimavimus, neque permittendum duximus, ut res libero cursu procederent, absque eo quod illarum moderamini aliquo modo prospiceretur; cum Nobis, pro iis, quae Bacchanaliorum tempore licenter nimis, atque intemperanter fieri compertum habemus, plene persuasum sit, si res, in quo statu sunt, relinquantur, nec aliqua opportuna pro iis ratio excogitetur, non modo praescriptum in Vigilia Sancti Mathiae jejunium neglectum iri, quod publice etiam fortasse eveniet; verum, cum delinquentibus poena infligenda erit, non nisi paucos infimae, ac miserae conditionis homines eamdem laturos, immunibus interim iis, qui opibus potentes sunt, vel quia non deerit ratio efficiendi, ut ea, quae ab ipsis admissa fuerint, ad eorum, qui praesunt, aures minime deferantur; vel etiam quia, licet illorum delicti notitia ad eos pervenerit, ea, quae prudentia earnis est, hos admonere non praetermittent, minime conveniens esse hujusmodi de causis cum Magnatibus saeculi in contentionem venire, eamque concordiam dirimere, quae pro bono rerum regimine tantopere necessaria est. Quamobrem haec, quam subjicimus, ratione responsum a Nobis fuit.

Probabilitas violationis jejunii.

§. 4. Primo, non inanem, sed probabilem esse timorem, quo, tum hoc anno jejunium cum Vigilia Sancti Mathiae in ultimum Bacchanaliorum diem incidat, futurum dubitabatur, ut idem jejunium neglectui haberetur.

Jejuniorum translationes fiunt, propter occurrentes majores solemnitates.

§. 5. Secundo autem, non insuetum, aut novum esse, quod, ubi legitima aliqua causa intercedat, Vigiliae seu jejunii ad aliquam praecedentem diem translatio fiat. Hujus rei exemplum habetur in Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, quae Vigilia, quoties in Feriam quintam incidat, qua solemnitas Corporis Christi celebratur, jejunium in praecedentem Feriam quartam anticipatur, secundum Constitutionem: *Cum evenire*, quae Pontificis Urbani VIII. 232. est, quin tamen in eadem Feria quarta ulla aut in Officio, aut in Missa, Vigiliae mentio fiat, juxta Decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quod a sanctae memoriae Clemente XI. approbatum fuit, et quod in ejusdem Bullario inter praedictae Congregationis Decreta nonum numeratur. Idem etiam fieri videmus in solemni festo illius Sancti, qui cujuslibet Civitatis, aut Dioecesis Patronus principalis habetur. Etenim, si in hujusmodi festum diem jejunium aliquod inciderit, illud ad praecedentem diem transfertur, quemadmodum apposite a Cardinali Cajetano animadvertitur *in sua summa, in verb. Jejunium., Quoad tertium* §. *De rationabili*, et sicut etiam Sanchez *lib.* 5. *Consilior. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 27., ac Leander *Oper. Moral. par.* 3. *tract.* 5. *disput.* 10. *quaest.* 39., aliorum, qui concordi sententia sunt, auctoritatem adducentes, prosequuntur.

Cur transferatur jejunium a die Dominico in Sabbatum praecedens.

§. 6. Ille a Nobis casus plane omissus est, quo, cum in secundam feriam incidat solemne aliquod festum, quod Vigiliam cum jejunio habeat, jejunium ad praecedens Sabbatum transfertur, secundum Textum Decretalis *in cap. Ex parte, de observantia jejuniorum*; cum notum Nobis sit, Ecclesiam Catholicam gravioribus, atque altioribus de causis jejunium die Dominico fidelibus interdixisse; ad refellendam videlicet, coarguendamque haeresim Manichaeorum, qui propter infensum animum, quem adversus Christi veram Resurrectionem habebant, in ipsius contemptum die Dominico jejunabant, quemadmodum a Sylvio *in* 2. 2. *D. Thomae quaest.* 147. *art.* 5. *q.* 8. apposite animadvertitur.

Jejuniorum probabiles, et publicas violationes per opportunam translationem praecavere, aequum videtur.

§. 7. Verum aliorum praedictorum casuum rationem habentes, illud tertio loco reputavimus, quod si jejunium ea de causa anticipabatur, ut dies festus, exclusa jejunii moestitia, congrua animorum exultatione celebraretur, multo potiori ratione anticipari jejunium poterat, ne idem magno cum scandalo publicae, ac pene communi irreverentiae exponeretur; eo magis quod, si rem ipsam penitus introspiciamus, non incongruum dici videretur, inte praefatos casus, ac nostrum, eamdem quasi rationem intercedere, cum fortasse in

ipsis jejunium non minus ad excludendam moestitiam anticipetur, quam propter timorem, ne in die publicae laetitiae ipsius jejunii observantia negligatur.

Aliqui putant id ab Episcopis fieri posse auctoritate Ordinaria.

§. 8. Propositis tribus considerationis capitibus quartum cum succederet, ut nimirum videretur, num, cum Sancti Mathiae jejunium in Sabbatum Sexagesimae anticipari vellet, fieri id ab Episcopis in propriis Dioecesibus posset, non requisita Pontificia Nostra auctoritate, sed eorum ordinariae dumtaxat potestatis jure. Qua de re duas esse Auctorum opiniones animadvertimus. Earum altera ordinariae Episcopi in propria Dioecesi Auctoritati facultatem omnem attribuit, dummodo gravis, ac legitima causa concurrat, cujusmodi esse arbitrantur evidens periculum publicae jejunii violationis, quae ultimo Bacchanaliorum die sane eveniret, si tali die jejunandum foret. Hujus sententiae sunt, Gobat *in sua Theologia Sacramentali tract.* 5. *cas.* 3. *sect.* 2. *in Appendice n.* 111. *et seq.* La Croix *in tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 1273. qui etiam *tom.* 2. *lib.* 6. *num.* 2083. idipsum rursus confirmat, et subdit, quod etiamsi anno 1694. a Congregatione Sacrorum Rituum decretum fuerit, jejunium in ultimum Bacchanaliorum Sabbatum minime esse anticipandum, quoties Vigilia Sancti Mathiae in eorumdem Bacchanaliorum postremum diem incidit, ut videre est in Decreto 92. in Bullario Innocentii XII. inserto, et relato a Salmanticensibus *in eorum Cursu Morali tom.* 6. *tract.* 23. *cap.* 2. *punct.* 5. *num.* 93. huic tamen praescripto tunc esse locus debeat, cum Episcopus jejunii anticipationem animarum saluti minime expedientem existimet; nunquam vero cum justae eidem causae sunt, ut illud anticipari jubeat.

Alii existimant id ipsis non licere absque auctoritate Apostolica.

§. 9. Altera autem sententia, quae anticipationi jejunii contraria est, non eam Episcopo potestatem esse contendit, ut in sua Dioecesi eamdem statuere valeat, etiam si Vigilia Sancti Mathiae in eum incidat diem, qui Bacchanaliorum postremus est. Ita magna vi contendunt, Theophilus Raynaudus *Heteroc. Spiritual. tom.* 15. *pag.* 273. *num.* 34. Meratus *ad Gavantum tom.* 2. *part.* 1. *sect.* 7. *cap.* 4. *sub num.* 23. §. *Si vigilia*, Cavalerius *ad Decreta Congregationis Sacrorum Rituum part.* 2. *tom.* 1. *pag.* 134. *et seq.*, Diana *in Edit. coord. tom.* 3. *tract.* 3. *quaest.* 88. *num.* 3., Leander *part.* 3. *disput.* 10. *quaest.* 42., Monacellus *in Formul. Legal. part.* 2. *tit.* 16. *formul.* 4. *num.* 12., Ferraris *in Bibliotheca Canonica tom.* 4. *in verb. Jejunium num.* 26.

Quod extra dubium est in casu de quo agitur; ob resistentiam Juris communis Ecclesiastici.

§. 10. Posteriorem hanc opinionem, non communiorem modo, sed et rationi magis consentaneam, ac meliori fundamento innixam esse, dubitandum profecto non est. Quidquid enim sit de rationibus, quae a praefatis Auctoribus ad suam confirmandam assertionem afferuntur, quibus sane adaequatum responsum dare haud difficile esset; si Vigilia cum jejunio pro Festo Sancti Mathiae ab Innocentio III. de praecepto constituta fuit *in cap. Ex parte, de Observantia Jejuniorum*, ubi nimirum ab eo Pontifice sopita fuit controversia, quam quidam excitaverant, qui neque Vigiliam, neque Jejunium in honorem Sancti Mathiae observandum esse contendebant, propterea quod licet ipse fuerit Apostolus, non tamen directe per Christi vocem vocatus sit; si ante Innocentium III. Pontifex Alexander III. interrogatus ab illis, qui jam tunc Vigiliam, cum jejunio pro Sancti Mathiae Festo observabant, quaenam per annum Bissextilem adhibenda regula foret, respondit Vigiliam semper eo die, qui Festum praecedit, celebrari debere, eo casu excepto, quo eadem in diem Dominicum incideret: *Festum Beati Mathiae juxta consuetudinem Ecclesiarum, Vigilia eatenus praecedat, ut nec pro bissexto nec quodlibet alio modo, inter se, et Solemnitatem, aliam diem admittat; in qua utique, nisi Vigilia venerit in Dominica die, jejunium celebretur;* ut legitur *in cap. Quaesivit* §. *Festum, de Verborum significatione*, quae Alexandri Decretalis tum in Appendice ad Concilium Tertium Lateranense *cap.* 22. *pag.* 1718. *tom.* 10. *Conciliorum* Collectionis Labbeanae, tum apud Martene *de Antiquis Ecclesiae Ritibus tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 31. *num.* 23. refertur; facili negotio intelligitur Auctoritatem Ordinariam minime posse Vigiliam Sancti Mathiae, etiamsi in ultimum Bacchanaliorum diem incidat, ad praecedens Sabbatum transferre; cum Ordinariae Auctoritati nulla sit potestas derogandi, aut dispensandi in iis, quae a Romanis Pontificibus, atque a Jure Canonico decreta sunt, quemadmodum a Nobis in Tractatu Nostro *de Synodo Dioecesana lib.* 7. *cap.* 30. demonstratum est.

Pontifex Episcopis petentibus concedit fa-

§. 11. Sic itaque a Nobis responsum fuit Episcopis, ac Praelatis, a quibus regati fuimus, num ipsi Vigiliam Sancti Mathiae ad

sultatem nsferendi : anno je- ium vigi- e S. Ma- ae in Sab- um Sexa- simae.

praecedens Sabbatum transferre possent; quibus tamen adjunximus, quod quum Pontificia Auctoritas Nostra eo pertingat, quo Ordinaria eorum Auctoritas pervenire nequit, Nos eisdem libenter licentiam et facultatem impertiebamur, ad hoc ut hoc anno Vigiliam cum jejunio Sancti Mathiae anticipare possent, eamdemque in Sabbato Sexagesimae celebrandam statuere; et sic illam ab eâ die, quae Sancti Mathiae Festum immediate praecedit, pro hac vice disjungere; cum satis superque persuasum Nobis sit, si eadem in ultimo Bacchanaliorum die celebrari deberet, Ecclesiastici praecepti transgressionem pene inevitabilem fore. Praeterquamquod penitus perspectum habemus, quantum Nobis onus incumbat, ut omnem Fratribus Nostris operam, atque adjutricem manum praestemus ad procul arcendas ab eorum Dioecesibus Dei offensiones.

tia disciplinae capita, tollendas nsgressionem et pec- orum oc- siones, mutantur.

§. 12. Notum unicuique est, ab Apostolorum usque temporibus in more fuisse, ut in Ecclesiis honesta illa convivia haberentur, quae Agapae dicebantur, quaeque a Tertulliano *in suo Apologetico cap.* 39. tam belle describuntur. Notum pariter est, illos, qui ab iis frequentandis se abstinebat, a Communione Fidelium segregari consuevisse. Quam etiam ob causam haereticorum Eustathianorum agendi ratio in Synodo Gangrensi *Can.* 11. damnata fuit. Notum tandem etiam est, propter abusus, quos in Agapis exoriri animadversum fuit, easdem tum a Concilio Laodiceno *Can.* 28., tum a Concilio III. Carthaginensi *Can.* 30. interdictas fuisse. Quisquis praedictam Ecclesiasticae disciplinae rationem ac methodum ea, qua par est, attentione secum reputando, animadvertet, eamdem minime dubitasse antiquam Apostolicam consuetudinem, propter ea, quae incommoda, et absurda eveniebant, omnino abrogare, non erit, cur quidquam mirari debeat, si ad eos praecavendos abusus, qui nulla ratione evitari possent, non ad perpetuum quidem tempus, sed pro unica tantum vice, in die jejunii variatio fiat, remanente tamen obligatione, ut idem jejunium in subrogata die adimpleatur. Aliis profecto, atque aliis compluribus uti potuissemus exemplis graviorum etiam derogationum circa Ecclesiastica praecepta inductarum, aut concessarum, quae in Ecclesiae Annalibus occurrunt: verum illud de Agapis, tamquam convenientius et huic proposito conjunctius selegimus, quoniam in eo, non secus ac in nostro casu, de praecavendis gulae excessibus agebatur.

Ecclesiasticis tamen Saecularibus et Regularibus commendat observationem jejunii, ipso die Vigiliae.

§. 13. Dum autem supradictis Episcopis, ac Praelatis respondimus, iisdem studiose mandavimus, ut Ecclesiasticos Saeculares, ac Regulares hortarentur, ne anticipatione jejunii uti vellent, sed ut ipso die Vigiliae S. Mathiae, ultimo vid. Bacchanaliorum die jejunarent, cum minime existimandum sit, eos in Bacchanalium intemperantiis immersos esse, sicut Laici homines ut plurimum sunt.

Praemissa omnia pro cunctis Ecclesiasticae Ditionis locis Episcoporum arbitrio permittit.

§. 14. Haec igitur per Nos responsa data sunt iis, qui scire cupientes, quaenam per hunc annum ratio circa ultimum Bacchanaliorum diem in quem Sancti Mathiae Vigilia incidit, adhibenda foret, rem ad Nos detulerunt. Nunc eadem omnia per Epistolam hanc Nostram Archiepiscopis, et Episcopis Temporalis Ditionis Nostrae nota facimus, ut si quis eorum metuat, ne in sua Civitate, vel Dioecesi, ultimo Bacchanaliorum die praeceptum jejunii violetur, eo uti remedio possit, quod a Nobis indicatum est, eodemque modo ac forma, quae desuper expressa fuit; qua quidem in re Nos illi amplam facultatem concedimus, et impertimur: sin autem id minime metuatur, hujusmodi res in suo naturali cursu relinquatur. Tuis interim, Venerabilis Frater, precibus Nos commendantes, Tibi, Gregique tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die xxx. Januarii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo. Dat. die 30 Jan. 1751.

Dilecto Filio Francisco Xaverio Gomez de Cervantes Presbytero, ac Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae Canonico. XXXIX

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam Benedictionem.

In specula supremae Dignitatis, Divina dispositione, meritis licet insufficientibus, constituti, inter multiplices rerum, negociorumque, quibus obruimur, curas, ad ea etiam ex debito Pastoralis Officii nobis commissi sollicite advigilare debemus, perque religiosas Personas Divinis mancipatas obsequiis in pace quietis

tranquillitate, ac regularis vitae, et Ecclesiasticae Disciplinae norma, coadjuvante Domino, perenniter conservari valeant, et quae his contraria esse noscuntur, per nostrae providentiae studium penitus evellantur, prout Personarum, rerum, et locorum qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum sicut alias accepimus in Ordine Hospitalari Charitatis sub Invocatione Sancti Hippolythi Martyris sub Regula Sancti Augustini in Civitate, et tota Provincia Mexicana, ut asseritur, canonice instituto, et fundato variae inordinationes, et scandala propter scelestos nonnullorum dicti Ordinis Alumnorum mores exorta essent, nos ex injuncto nobis divinitus Pastoralis Officii debito, scandala praedicta, quam celerrime removere, eumdemque Ordinem, et illius membra in pristinae Charitatis compagem restitui, et Ecclesiasticam, regularemque disciplinam, ubi benedicente Domino vigebat, firmius, constantiusque perseverare, ubi vero exciderat, opportunis rationibus reintegrare cupientes, per quasdam nostras in simili forma Brevis die XXIII. Januarii Anni MDCCXLIII. expeditas Literas, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, tunc in humanis agentem Archiepiscopum Mexican. Visitatorem Apostolicum, et Reformatorem ejusdem Ordinis Hospitalaris Sancti Hippolythi Martyris una cum uno, aut pluribus Sociis dicti, seu alterius Ordinis, vel Congregationis, aut Instituti ab hac Sancta Sede approbati, per dictum Archiepiscopum ad hujusmodi effectum pro suo arbitrio eligendo, seu eligendis, probatae vitae, ac versato, seu versatis circa Statuta, et mores Regulares primodicti Ordinis, quatenus sibi visum fuisset opportunum ad decennium tunc proximum constituimus, et deputavimus. Ipsique Archiepiscopo motu, scientia, et potestate similibus commisimus, et mandavimus, ut primodictum Ordinem, illiusque Superiores, Fratres, et Personas cujusvis status, gradus, qualitatis, conditionis, praeeminentiae, ac dignitatis existentes, nec non ipsius Ordinis Conventus, Ecclesias, Domos Regulares, Hospitalia, et alia loca, et Personas quaecumque ad eumdem Ordinem spectantia, et pertinentia, tam in capite, quam in membris visitaret, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus, et disciplinam diligenter inquireret, nec non evangelicae et Apostolicae Doctrinae, Sacrorumque Canonum, Sanctorumque Patrum traditionibus Regularibusque dicti Ordinis Institutis, Constitutionibus, et Ordinationibus Generalibus, Auctoritate Apostolica approbatis, confirmatisque inhaereudo, quacumque reformatione, mutatione, correctione, emendatione, revocatione, et renovatione indigere cognovisset, reformaret, mutaret, corrigeret, revocaret, renovaret, ac etiam de novo conderet, ac condita sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque praedicti Ordinis institutis praedictis non repugnantia confirmaret, abusus quoscumque tolleret, Regulares Institutiones, et Ecclesiasticam, Regularemque disciplinam, si fortasse excidissent, modis congruis restitueret, et reintegraret, dicti Concilii Tridentini decreta custodiri praeciperet, ac Superiores, Fratres, et Personas hujusmodi ad debitum, et honestum vitae modum revocaret, aliaque faceret, atque decerneret, quae pro majori Divini Cultus augmento, et Disciplinae Regularis propagatione, et observantia magis in Domino expedire arbitrasset, ac Superiores quoscumque quocumque nomine nuncupatos, si culpabiles juxta Sacrorum Canonum, Juris communis, et Ordinis praedicti Constitutionum Dispositiones reperiisset, illos ab eorum respective Officiis amoveret, aliosque magis idoneos, et Ordinationum hujusmodi observantes, eximiisque virtutibus praeditos, et ad Regularem Disciplinam observandam, et ad suum pristinum statum redigendam habiles esse existimasset, in illorum locum substitueret, et deputaret, ac quamcumque aliam Superiorum praedictorum electionem, si juxta sacros Canones, et Constitutiones hujusmodi minime peractam esse cognovisset, abrogaret, et aboleret; voluimus quoque, ut si contingeret dictum Archiepiscopum intra terminum praedictum, et antequam munus Visitatoris, et Reformatoris illi demandatum expleret, ab hac luce migrare; eo casu, et donec, ac quousque Archiepiscopus Mexican. de novo electus possessionem Metropolitanae Ecclesiae Mexican. suscepisset; tunc Vicarius Capitularis legitime deputatus munus praedictum cum omnibus facultatibus superius expressis susciperet, gereret, et exequeretur. Subinde cum sicut pariter accepimus, Dilecti Filii, Josephus Balbuena in sacro Presbyteratus Ordine constitutus, ac Philippus Barbera

Fratres expresse Professi memorati Ordinis ad hanc Almam Urbem nostram ea de Causa accessissent, in eaque tunc commorari pergerent, et quam primum ab eadem Urbe animo redeundi in istam Civitatem Mexican. discessuri essent, ac circa mores, et inordinationes Alumnorum dicti Ordinis versati existerent, eidem tunc in humanis agenti Archiepiscopo per alias nostras in pari itidem forma Brevis die prima Junii supra dicti Anni expeditas Literas commisimus, et mandavimus, ut in visitatione, et reformatione praedicti Ordinis per supradictas Literas ut praemittitur demandata, et per se illarum vigore peragenda, ut illam juxta Cor nostrum expleret, dictos Josephum et Philippum Fratres expresse professos hujusmodi Ordinis, sicut praemittitur, tamquam in moribus, et inordinationibus Alumnorum praedictorum, et status Ordinis praedicti Peritos, expertosque in Socios visitationis, et reformationis hujusmodi ejus arbitrio susciperet; deinde vero cum dicti Josephus, et Philippus perpendissent visitationem, reformationemque hujusmodi, a quam plurimis dicti Ordinis Professoribus, et praesertim ab illius Superioribus magna cum eorum animi molestia recepturam esse pro certo habebant, ac in eorum reditu ad Mexicum ingressus quorumcumque Conventuum dicti Ordinis eisdem Josepho, et Philippo praepediretur, ut vagari, et locum inter extraneos querere cogerentur; nos tunc existenti Archiepiscopo Mexican., seu Dilecto Filio Vicario Capitulari Ecclesiae Mexican., illius Sede Archiepiscopali vacante legitime deputato, per alias pariter nostras in eadem forma Brevis die xxxi. Augusti ejusdem Anni expeditas Literas itidem commisimus, et mandavimus, ut statim, atque memorati Josephus, et Philippus ad Civitatem Mexican. accessissent, eos per se ipsum, nulla a Superioribus dicti Ordinis petita licentia, in Conventu, seu Hospitali Spiritus Sancti ejusdem Ordinis collocare, et assignare valeret, ac in eo, durante visitatione, sicut praemittitur facienda, ipsi Josephus, et Philippus remanere, et permanere libere, ac licite possent, nec inde per quoscumque dicti Ordinis Superiores, dicto Archiepiscopo, seu Vicario Capitulari inconsulto, umquam amoveri deberent; et alias, prout in trinis nostris Literis praedictis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius dicitur, contineri. Cum autem sicut nuper accepimus tunc existens Archiepiscopus Mexican. praedictus morte praeventus visitationi, et reformationi hujusmodi initium dare minime potuerit, secuta interea Metropolitanae Ecclesiae Mexican. hujusmodi vacatione, Tu ob tua eximia merita, et peculiares virtutes quibus Personam tuam insignivit Altissimus, inter quas ea praecipue annumeratur, ut nominationem de tui persona ad Cathedralem Ecclesiam Sancti Joannis de Portu divite a Charissimo in Christo Filio nostro Ferdinando Hispaniarum Rege Catholico Tibi oblatam a te abdicaveras, a Dilectis Filiis Capitulo, et Canonicis ejusdem Metropolitanae Ecclesiae Mexican. in illius Vicarium Capitularem deputatus fueris, suscepto postmodum per te jurisdictionali dictae Ecclesiae regimine, vigere primodictarum nostrarum Literarum visitationem, et reformationem ejusdem Ordinis statim inchoaveris, ac illam per octodecim Mensium spatium summa prudentia, et non modico progressu laudabiliter peregeris. Postquam autem Venerabilis Frater Emanuel Archiepiscopus Mexican. Ecclesiae suae praedictae possessionem, ac illius regimen, et gubernium susceperit, Jurisdictio Tibi in praemissis delegata cessaverit, dictus vero Emanuel Archiepiscopus, sive quia de rebus ad primodictum Ordinem spectantibus satis adhuc se instructum minime agnoscat, sive quia Ecclesiae Mexican. Dioecesis per ducentas, et ultra illarum Partium Leucas extensa vix per unum Archiepiscopum gubernari possit, ita ut aliis curis incumbere nequeat, visitationem, et reformationem hujusmodi licet ipsi demandatam, et ab ipso concupitam hactenus minime assumpserit, nec assumere posse speret, illamque Tibi reliquerit; Hinc est, quod nos ne opus per Te magno labore susceptum, et maximo Ordinis praedicti fructu prosequutum in praeceps ruat, primodicti Ordinis visitationi, et reformationi quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, integritate, pietate, charitate, et Catholicae Religionis, Regularisque Disciplinae, et Observantiae zelo plurimum in Domino confisi, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum con-

sequendum, harum serie absolventes; et absolutum fore censentes; Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine paribus, Te Visitatorem Apostolicum, ac Reformatorem supradicti Ordinis Hospitalaris Sancti Hippolythi Martyris cum omnibus, et singulis facultatibus in primodictis nostris Literis expressis, et contentis, et tunc existenti Archiepiscopo Mexican. attributis, ad quinquennium tunc a die exhibitionis praesentium nostrarum Literarum computandum dumtaxat, constituimus, ac deputamus ea tamen lege, ut decreta, ac resolutiones in actu, et tempore visitationis per Te peragenda, a Te edenda, facienda, praescribenda, et publicanda, per dictum Emanuelem modernum, et pro tempore quinquennio praedicto durante existentem Archiepiscopum Mexican., ante illorum, et illarum executionem, approbari debeant; In eventu vero, quod Tu interea quinquennio praedicto durante ab hac luce decedas, vel demandatum Visitatoris, et Reformatoris hujusmodi munus dimiseris, dictus Emanuel modernus, ac pro tempore existens Archiepiscopus Mexican., eo casu alium in Dignitate Ecclesiastica constitutum eligat, et deputet, ac sic electus, et deputatus visitationem, et reformationem dicti Ordinis usque ad completum quinquennium cum supradictis facultatibus, et auctoritate explere pergat; et tam Tu, quam alia Persona ab ipso Archiepiscopo, sicut praemittitur, in supradictis casibus deputanda, dictos Josephum, et Philippum in Socios, et assistentes pro visitatione, et reformatione huiusmodi cum omnibus, et singulis exemptionibus, et praerogativis eisdem Joseplio, et Philippo per secundo, et tertio dictas nostras Literas concessis eligere, et deputare, ac confirmare tenearis, et teneatur. Praeterea attento, quod in deplorabili eo statu de praesenti reperitur Ordo praedictus, ut inter illius Professores minime de facili habiles reperiantur ii, qui ad Officia, et munera primodicti Ordinis assumi queant, Tibi, ac pro tempore quinquennio praedicto durante existenti Visitatori, et Reformatori ab Archiepiscopo praedicto, ut praemittitur, nominando, et eligendo, per praesentes motu, scientia, et potestate similibus injungimus, ut juxta datam Tibi a Domino prudentiam, Priorem Generalem, aliosque Superiores, et Officiales dicti Ordinis, durante visitatione, et reformatione hujusmodi, deputes, eligas, et nomines, ac in deputatione, electione, et nominatione praedictorum Prioris Generalis, aliorumque Superiorum, et Officialium, eos Alumnos, qui magis idoneos, eximiisque virtutibus praeditos, et ad Regularem Disciplinam ad sui pristinum statum redigendam habiles esse judicaveris, deputes, et promoveri cures, qui reformationem per Te peractam observent, et observari faciant; quamcumque aliam Prioris Generalis, Superiorum, et Officialium primodicti Ordinis electionem contra sacrorum Canonum, et Apostolicarum Ordinisque praedicti Constitutionum dispositionem antea peractam abroges, et aboleas; quoscumque delinquentes, tuisque monitis, et mandatis parere recusantes, et inobedientes, praemissis Canonicis monitionibus, eorum causa assumpta, si incorrigibiles fuerint, servatis servandis, a saepedicto Ordine expellere respective possis, et valeas, nos Tibi, seu alteri ab eodem Archiepiscopo, ut praemittitur, deputando quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad prosperum dicti Ordinis gubernium, et regimen pertinent, ut in eo Regularis Disciplinae observantia in dies collabens promoveatur, et confirmetur, faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, ac exequi mandandi facultatem motu, scientia, et potestate paribus tribuimus, et impertimur; mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, omnibus, et singulis Superioribus, Fratribus, et Personis Praedictis, ut Te, seu Personam ab eodem Archiepiscopo deputandam, tamquam Visitatorem Apostolicum, et eorum Reformatorem, a nobis sicut praemittitur, deputatum reverenter suscipiant, et recognoscant, ac Tibi, et illi in omnibus, et singulis praemissis prompte pareant, et obediant, ac obsequantur, ac tua salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem ut de iis, quae in visitatione, ac Reformatione hujusmodi occurrerint, sicut etiam de quibuscumque novis Constitutionibus, Statutis, et Decretis per Te, seu aliam Personam, ut praemittitur deputandam,

una cum dictis Josepho, et Philippo Sociis condendis, edendis et praescribendis, non retardata interea illorum, et illarum executione, nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, per Venerabilem Fratrem nostrum Antonium Xaverium Episcopum Praenestin. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Gentili nuncupatum modernum, seu pro tempore existentem ejusdem Ordinis apud nos, et Sedem Apostolicam Protectorem, instructum reddere teneatis, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis etiam Ordini, et Conventibus, Domibus, Hospitalibus, et Locis piis, illorumque Superioribus, Fratribus, et Personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibus, et aliis Decretis etiam motu, scientia, et plenitudine paribus concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et inserrerentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quinta Februarii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passionеus.

Loco ✠ Sigilli.

XL.

DE EXTRACTIONE

Reorum ad Sacrae Inquisitionis Officium spectantium a Locis immunibus, ad quae forte confugerint.

Epistola Encyclica ad Inquisitores contra Haereticam pravitatem deputatos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Capita quaedam Constitutionis circa Immunitatem localem nuper editae referuntur.

Elapso proxime Anno MDCCL. edita a Nobis fuit Apostolica Constitutio, data Idibus Martii, cujus initium est *Officii nostri*, quaeque agit de locali Ecclesiarum Immunitate. In ea Nos Decessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Gregorii XIV., Benedicti XIII., et Clementis XII. Constitutionibus inhaerentes, sublatis de medio quibusdam cavillationibus et subterfugiis, quibus earum executio impediebatur, decrevimus, atque statuimus, ut is, qui criminis excepti reus foret, si quando in immunem locum confugeret, extrahi ab eo deberet, quotiescumque indicia ad torturam sufficientia haberentur, quae delictum comprobarent; utque praeterea, extractio non nisi auctoritate Episcopi, et cum interventu personae Ecclesiasticae ab eodem Episcopo deputandae fieri deberet; ac demum, ut dum Curiae Saeculari traditio fieret, indicendae censurae essent, ab eadem incurrendae, nisi Extractus Ecclesiae restitueretur, quoties ab eodem in progressu Causae purgata fuissent indicia, ex quibus ipse patrati delicti reus arguebatur. Quia vero memorati Decessores Nostri decreverant, extractionem a loco immuni non nisi a solis Episcopis, aut a Praelatis, qui eisdem superiores essent, fieri debere, exclusis inferioribus, licet Ordinariis, *ac nullius Dioecesis*, et separatum Territorium habentibus, quo in casu extractio ad viciniorem Episcopum devolveretur; idem a Nobis pariter in citata Constitutione Nostra decretum fuit.

Dubium super extractione Reorum criminis Haeresis a locis immunibus, ad quae vel ante carcerationem vel a Carceribus elapsi vel ad poenam damnati, confugerint.

§. 1. Haereseos crimen, ut probe compertum habetis, exceptum crimen est, quique illius est reus, Asylo Ecclesiae minime gaudet, iis etiam inhaerendo, quae in Constitutione Gregorii XIV., qua Immunitatis localis regula ac norma praescribitur, decreta fuerunt. Cum autem in Congregatione Sanctae Inquisitionis Feria quinta die 28. Januarii vertentis anni 1751. coram Nobis de more habita, excitatum dubium fuisset, quae ratio servanda, et qui modus adhibendus esset, quoties reus Haereseos extrahendus esset ab Ecclesia, ad quam

confugisset, ne in carcerem duceretur, sive cum ex vinculis, quibus tenebatur, aut ex triremibus, aliove loco, ad quem relegationis, aut operis faciendi causa damnatus fuerat, fuga evasisset; Nobis, qui praecedenti anno memoratam Constitutionem condidimus, reservavimus, ut super hujusmodi re pronunciaremus; quod nunc per ea, quae subjicimus, praestare intendimus.

Distinguuntur casus.

§. 2. Aut agitur de Haereseos crimine, quae praecipua Tribunalis Sancti Officii inspectio est; aut de aliis exceptis criminibus, quae immunitate non gaudent; aut de aliis criminibus, quae minime excepta sunt, et quae immunitate gaudent, sed ideo ad id Tribunal pertinent, quod ab aliquo ex illis commissa sint, qui utpote ipsius Tribunalis jurisdictioni subjecti, judicium illius subire debent.

Haeretici, et Apostatae a Fide, immunitate locali non gaudent, et ab Inquisitoribus extrahendi sunt.

§. 3. Si de crimine Haereseos agitur, cum a Decessore Nostro Joanne XXI., qui XXII. dictus est, in sua Constitutione, cujus initium: *Ex parte vestra*, in Bullario Romano *Tom.* 1., jam decretum fuerit, quod Haeretici, aut de Haeresi suspecti, necnon Judaei, qui, cum ad Catholicam Fidem conversi fuerint, deinde in Apostasim incidunt, si ad Ecclesiam confugiunt, statim per Inquisitorem ab eadem extrahi debeant; minime quidem Nostra mens est, ut praedictae Constitutioni derogemus, imo eamdem observari volumus, eam tamen methodum adhibendo, ac servando, quam modo subjungimus: videlicet, quod Inquisitor, quoties hujusmodi reus ab Ecclesia extrahendus erit, omnem adhibeat curam, ut id majori, qua decet, erga Domum Dei reverentia contingat. Et quoniam fieri omnino nequit, ut ante extractionem, indicia, quae contra Reum habentur, Episcopo communicentur, cum Secreti lex id minime patiatur; et quoniam, ubi etiam id fieri posset, inutile id prorsus esset, cum notum sit, Sacrum Inquisitionis Tribunal ad capturam minime procedere, nisi semiplena delicti probatio praecesserit; non tamen illud omittat, ut vel ante, vel post capturam, Episcopum de ea certiorem faciat, tum propter reverentiam, quae illius Dignitati debetur, tum ut, quantum fas est, id, quod in Constitutionibus Gregorii, Benedicti, Clementis, ac Nostra decretum est, adimpleatur. Quod etiam ea de causa ita a Nobis decernitur, propterea, quod viderimus, olim in Congregatione Sancti Officii, quae coram Praedecessore nostro Urbano VIII. *Feria quinta* 10. *Junii* 1638. habita fuit, proposito casu, ac discusso dubio: *An reus de haeresi inquisitus, confugiens ad Ecclesiam, debeat extrahi ab Episcopo, vel Inquisitore:* Pontifex, *auditis votis, respondit, Reum posse extrahi ab Inquisitore, certiorato ante, vel post, Ordinario.*

Servata tamen reverentia sacris locis debita; et certiorato, vel ante, vel post Ordinario.

§. 4. Ubi autem de aliis criminibus exceptis agatur, quae tamen haereseos minime sint, ac multo magis si de iis agatur, quae inter excepta non recensentur, etiamsi ad Sacri Tribunalis cognitionem, vel quia ab aliquo ejusdem jurisdictioni subjecto commissa sint, vel alio quocumque nomine, pertineant; declaramus, eos, qui casuum minime exceptorum Rei sunt, Immunitate gaudere debere; quoties autem casuum exceptorum Rei, qui tamen Haereseos Rei non sint, ab Ecclesia extrahi debeant, ea omnia exacte observanda esse, tum quae in Constitutione Nostra, tum quae in aliis praecedentibus Constitutionibus decreta sunt, indicia nimirum, quae ad torturam sufficientia sint, Episcopo communicari debere, cum hic Secreti lex minime impedimento sit: praeterea extractionem nonnisi auctoritate Episcopi, et cum interventu Personae Ecclesiasticae ab eodem deputandae faciendam esse; aliaque omnia servanda, quae in dictis Constitutionibus leguntur.

Rei criminum non exceptorum, licet ad S. Officii Tribunal spectantium Immunitatis beneficio gaudere debent.

Exceptorum Rei a locis immunibus extrahendi sunt, servatis omnibus in novissima Constitutione praescriptis.

§. 5. Quae hactenus dicta fuerunt, eorum etiam respectu servanda sunt, qui ex carceribus, sive ex trireme, sive ex loco eorum relegationis effugiunt, et in Ecclesiae alicujus, vel loci immunis asylum sese recipiunt; si enim hi Rei, vel damnati propter Haereseos crimen sunt, eorum extractio ab Inquisitore facienda erit, ita tamen ut de ea, vel ante, vel post, Episcopus certior fiat; si vero Rei, aut damnati sint propter aliud delictum exceptum, non autem propter crimen Haereseos, sive pro alio delicto, quod minime exceptum sit; quoad primos, extractio fiat Episcopi auctoritate, et Ecclesiastica Persona interveniente, ab eodem Episcopo deputanda; quoad secundos autem, ii in Asylo, ad quod confugerunt, remanere sinantur, etiamsi ex triremibus cum catenis effugerint, dummodo a praedictarum triremium, aliorumve Justitiae Ministrorum manibus liberi essent, nisi forte Episcopus indultum a Sede Apostolica habeat, ut a triremibus fugitivos extrahere ab Ecclesiis possit, cum in hoc casu, ob fugitivum recuperandum,

Praemissa respective serventur etiam quoad eos, qui e carceribus, aut triremibus, vel e loco relegationis elapsi, ad Eccles. confugiunt.

Fugitivi e triremibus, extrahi nequeunt ab Ecclesiis, sine Indulto Apostolico.

ad eumdem recurrere liceat; vel etiam ad Apostolicam Sedem, si hujusmodi indulto Episcopus careat; cum ipsa Sancta Sedes in particularibus casibus, quoties id delictum exigat, nequaquam renuat Episcopis auctoritatem impertiri eos ab Ecclesiis extrahendi, qui e carceribus ac triremibus effugerint, licet criminis excepti minime Rei sint. Haec inquisitoribus, quae significaremus, habuimus, atque interim illorum singulis Apostolicam Benedictionem impertimur.

. die 20. . 1751. Datum Romae apud S. Mariam Majorem die xx. Februarii MDCCLI. Pontificatus Nostri anno Undecimo.

XLI. NOVA CONCESSIO

Et praefinitio Indulgentiarum pro Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci Assisiensis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani ntificis Indulgen- a concede- , et super ncessis du- a submove-

Ad Romanum Pontificem inexhausti Ecclesiae thesauri dispensatorem pertinet Indulgentiarum a Praedecessoribus suis, diversis temporibus, atque rationibus concessarum incertitudinem, ac dubia et controversias super iis excitatas atque vigentes, indeque ortas fidelium animarum perturbationes, suprema sua auctoritate, juxta probatam Apostolicae Sedis consuetudinem, et Sacri Tridentini Concilii mentem, per opportunas declarationes, certasque concessiones tollere ac removere, ut Ecclesiasticae pacis firmitati, simulque animarum saluti et profectui, ac providae earumdem Indulgentiarum distributioni consulatur.

Fratribus Sororibus ertii Ordi- is S. Fran- sci variae ndulgentiae irecte, et er commu- icationem um Ordini- us conces- ae fuere.

§. 1. Olim siquidem Romani Pontifices Praedecessores Nostri Tertium Ordinem Saecularem, de Poenitentia nuncupatum, Beati Francisci Assisiensis institutione, sub Regulis ab ipso praescriptis feliciter coalescentem, Apostolica benignitate complexi, ejusdemque Fratres atque Sorores specialibus favoribus, et spiritualibus gratiis ditare volentes, ut uberiora Religionis et Pietatis incrementa susciperent, praeter alias Indulgentias, ac peccatorum remissiones ipsis directe concessas, etiam generali communicatione in quibuslibet gratiis, privilegiis, et Indulgentiis, omnibus et singulis tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinibus Regularibus, eorumque personis quomodocumque a Sede Apostolica indulti, eorumque omnium et singulorum ad praedictos Fratres atque Sorores extensione, cumularunt.

Paulus V. Indulgentias Regularium reformavit.

§. 2. Quamquam vero felicis recordationis Praedecessor Noster Paulus Papa V., opus reformationis et moderationis Indulgentiarum a recolendae quoque memoriae Clemente Papa VIII. altero Praedecessore Nostro, tunc suo, feliciter inchoatum, pari cum diligentia et studio prosequutus, Apostolicis Literis, quarum initium est: *Romanus Pontifex* die vigesima tertia Maji Anni millesimi sexcentesimi sexti, in forma Brevis editis, omnes et singulas Indulgentias, et peccatorum remissiones praefatis Regularibus Ordinibus, eorumque personis, quocumque modo antea concessas, abrogaverit et revocaverit, easque, novis ex integro in ipsorum favorem indultis, ad modum et terminos in earumdem Literarum tenore expressos reduxerit; cum tamen praecedentibus annis a Congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, declaratio quaedam sequentis tenoris emanaverit, videlicet: *In generalis revocatione Indulgentiarum, quae in Brevi:* Romanus Pontifex *Pauli V. habetur, non comprehendi personas, quae substantialia Religionis vota non emittunt, intra, vel extra Claustra degentes;* eaque specialibus Literis in simili forma Brevis a Venerabilis memoriae Innocentio Papa XI. Praedecessore quoque Nostro die decima Octobris Anni Millesimi sexcentesimi octogesimi sexti confirmata fuerit; cumque etiam aliae prodierint Romanorum Pontificum Constitutiones, quibus Indulgentiae et Gratiae speciales tam praefato Tertio Ordini directe concessae, quam per communicationem cum Ordinibus Mendicantium, et non Mendicantium, ad eumdem extensae, confirmari videbantur; hinc factum est, ut super subsistentia Indulgentiarum, et Gratiarum hujusmodi, quae in duabus Literarum Apostolicarum collectionibus, Bullariis nuncupatis, per Rodericum, et per Confectium vulgatis, juxta antiquam earum intelligentiam descriptae leguntur, plures diversis in locis

Causae dubitandi super subsistentia Indulgentiarum Fratribus Tertii Ordinis concessarum.

quaestiones et controversiae inter Fratres ejusdem Ordinis agitari coeperint, atque etiam in judicium adduci; prout earumdem inconcussam firmitatem, vel respective abrogationem, aut etiam in pristinum statum redintegrationem, acrius sustineri, aut ex contraria parte in dubium contigit revocari.

Votum dictae Congregationis fuit, omnes Indulgentias abrogandas, aliasque de novo concedendas.

Plures ex praetensis Indulgentiis a Congregat. Indulgentiarum exclusae fuerunt.

§. 3. Et quidem praedicta Bullaria, pro eo, quod pertinet ad communicationem omnium Indulgentiarum singulis Ordinibus indultam, nequaquam attendenda esse, dictumque Tertium Ordinem ea tuto sequi non posse, jam in acerrimo partium conflictu decretum et definitum extitit a praedicta Cardinalium Congregatione, Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, die quinta Februarii Anni Millesimi septingentesimi trigesimi quarti. Quae etiam Anno sequenti, in ejusdem controversiae progressu, sub die quinta Octobris declaravit, per revocationem Pauli V. sublatas dici debere Indulgentias illas, quae Regularibus personis, ac praefato Tertio Ordini communes erant, seu promiscue antea concessae fuerant; necnon eas, quibus ejusdem Tertii Ordinis Fratres per viam communicationis, ante ipsam revocationem, fruebantur. De iis autem, quae ipsis tam antea, quam post directe concessae asserebantur, itemque de iis, quas, post saepedictam revocationem, per viam communicationis cum Ordinibus Regularibus, sive per extensionem, se obtinuisse contendebant, tam multa adhuc examinanda supererant, ut nonnisi post maturam discussionem singularem Literarum, et concessionum hujusmodi, judicari posse visum fuerit, an, et quae verae, legitimae, ac subsistentes, an vero aliquae revocatae, aut etiam falso praesumptae, vel per subreptionem, et obreptionem obtentae dici deberent.

De aliis diffuse examen, atque Judicium.

Folia impressa super Indulgentiis Fratrum Tertii Ordinis ad Congregationem Sac. Inquisitionis delata fuere.

§. 4. Cumque proinde multiplices adhuc incertitudines et confusiones hac in re adesse dignoscantur; novissime vero ad Congregationem Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum delata fuerint nonnulla Folia et Summaria Indulgentiarum ejusdem Tertii Ordinis, typis impressa ac late vulgata, in quibus complures referuntur Indulgentiae, quarum concessiones apocryphas esse, aut revocatas, aut incertas, et contra mentem Sedis Apostolicae perperam interpretatas agnitum fuit; ideoque eadem Cardinalium Inquisitorum Congregatio Nobis proposuerit, valde expedire pro praefatorum Fratrum et Sororum securitate ac beneficio, et ad confusiones, ac deordinationes ejusmodi penitus tollendas, ut, juxta id quod laudatus Praedecessor Paulus V. pro omnibus Ordinibus Regularium provide ac opportune praestitit, Nos etiam omnes et singulas Indulgentias et peccatorum remissiones praedicto Tertio Ordini Saeculari Sancti Francisci, sive directe, sive per communicationem, sive alio quovis modo hactenus concessas annullaremus, et revocaremus, et alias particulares eidem concederemus.

Pontifex itaque de novo infrascriptas Indulgentias fratribus, et Sororibus Tertii Ordinis concedit.

§. 5. Nos, matura super hoc consultatione praehabita, ac Fratribus, et Sororibus praefati Tertii Ordinis Saecularis de Poenitentia, sub cujuscumque Ordinis Regularis Sancti Francisci directione ac regimine, tam in cujuslibet hujusmodi Ordinis Conventibus, sive alios collegialiter, quam etiam in domibus privatis seorsim viventibus, spirituale solatium et juvamen afferre cupientes, Motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, infrascriptas Indulgentias et peccatorum remissiones de novo duximus concedendas.

In die ingressus plenariam.

§. 6. Omnibus igitur utriusque Sexus Christifidelibus, qui dictum Ordinem Saecularem Sancti Francisci, de Poenitentia nuncupatum imposterum ingredientur, die primo eorum, vel earum ingressus, si vere poenitentes et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam.

In quatuor Anni Festis etiam Plenariam.

§. 7. Nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus Fratribus, et Sororibus, vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in Festis Sancti Francisci Assisiensis Confessoris die 4. Octobris, et Sanctae Clarae Virginis, nec non Sancti Titularis eorum Ecclesiae, sive Oratorii, aut Cappellae, et in die Dedicationis Sanctae Mariae Angelorum secunda Augusti, a primis Vesperis usque ad occasum solis, suam Ecclesiam, vel Oratorium, aut Cappellam hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, singulis diebus, quibus id egerint, etiam Plenariam.

In mortis articulo etiam Plenariam.

§. 8. In cujuslibet vero mortis articulo, si pariter vere poenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere

nequiverint, saltem contriti, Sanctissimum JESU Nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et impertimur.

ndulgen- Statio- a Urbis.

§. 9. Item eisdem Fratribus, et Sororibus, qui suam Ecclesiam, vel Oratorium, vel Cappellam diebus Stationum, in Missali Romano descriptis, devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, ut easdem Indulgentias consequantur, quas praefatis diebus, visitantes Ecclesias Urbis et extra eam consequuntur, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent, concedimus pariter, et indulgemus.

n XVII. ni die- n VII. au- rum et to- em qua- genarum.

§. 10. Eisdem quoque vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, in Festis Impressionis Sacrorum Stigmatum ejusdem Sancti Francisci, nec non Sancti Ludovici Galliarum Regis, et Sanctae Elisabeth Reginae Portugalliae, et Sanctae Elisabeth Hungariae pariter Reginae, nec non Sanctae Margaritae de Cortona, atque in duodecim aliis Anni feriatis, vel Dominicis diebus per ipsosmet eligendis, ac a Superioribus Ordinis approbandis, ut supra visitantibus, et, ut praefertur, orantibus, quo die praefatorum id egerint, septem Annos, et totidiem Quadragenas.

o operibus s peragen- n centum erum.

§. 11. Quoties vero Missis, et aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Oratorio, vel Cappella hujusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Tertii Ordinis ubivis faciendis interfuerint, ac pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam, qui corpora Defunctorum, tam Fratrum, et Sororum hujusmodi, quam aliorum, ad sepulturam associaverint, aut quascumque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum, tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, seu alias quocumque, et quandocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel impediti, Campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem, et Salutationem eamdem pro necessitatibus Sanctae Matris Ecclesiae sive pro Animabus Defunctorum Fratrum, et Sororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes Praecepta Dei, et quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties, pro quolibet praedictorum operum exercitio, centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Omnes vero alias Indulgentias revocat.

§. 12. Caeterum, omnes et singulas Indulgentias, et peccatorum remissiones, Fratribus, et Sororibus Tertii Ordinis Sancti Francisci de Poenitentia, sub directione et regimine cujuslibet Ordinis Regularis ejusdem Sancti Francisci, tam in cujuslibet dicti Ordinis Conventibus, sive alias collegialiter, quam in Domibus privatis seorsim viventibus, tam directe, et immediate, quam promiscue, et aeque principaliter, sive alio quocumque modo per communicationem cum omnibus et singulis Ordinibus Regularibus Mendicantium, et non Mendicantium, tam vigore privilegiorum, et Literarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, ac Nos, et Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, et innovatas, praedictis motu, scientia, auctoritate, et tenore, revocamus, cassamus, annullamus, et abrogamus, et ad praesentium nostrarum Literarum praescriptum reducimus, et moderamur.

Clausulae.

§. 13. Praesentes autem Literas, et tam revocationem hujusmodi, quam concessiones superius expressas, etiamsi dicti Tertii Ordinis Fratres, aut Sorores, seu alii quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati aut auditi fuerint, nullo umquam tempore impugnari, seu de voluntatis Nostrae defectu, aut subreptionis, aliove quolibet vitio notari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve juris vel facti remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab iisdem Fratribus, atque Sororibus, aliisque, ad quos pertinet, in omnibus et per omnia observari, sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales Indulgentiis, et Sacris Reliquis praepositos, aliosque, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, de praemissis judicari, inter-

pretari, ac definiri debere decernimus; atque irritum et inane, si secus a quoquam cujuslibet auctoritatis praesidio scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandatum Ordinis super praemissorum observantia.

§. 14. Quocirca Venerabilibus Fratribus Ecclesiarum Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, nec non praedictis Apostolicae Sedis Nuntiis, et Sancti Officii Inquisitoribus, harum serie, et dicta auctoritate committimus et mandamus, ut nullas alias Indulgentias, seu peccatorum remissiones, praeter praemissas, per eosdem Fratres, atque Sorores seu alios quoscumque, tamquam praedicto Tertio Ordini Saeculari specialiter, et intuitu eorum Instituti competentes, vulgari, nunciari, aut proponi permittant; sed ipsarum praesentium tenorem per ipsos fideliter, ut par est, observari faciant; contumaces atque rebelles, si qui forte adversus eas venire praesumpserint, omnibus juris remediis, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariis.

§. 15. Non obstantibus praedictis Pauli V., et Innocentii XI., aliisque quibuslibet Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, ac ejusdem Tertii Ordinis Saecularis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis praefato Tertio Ordini, ejusque Domibus, Collegiis, Superioribus, et personis, atque etiam cuilibet Ordini Regulari Sancti Francisci, ejusque Superioribus, in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam post praedictam Pauli V. revocationem, concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro expressis habentes, pro praemissorum effectu dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transumptis.

§. 16. Volumus autem, ut praesentium Transumptis, etiam impressis, et manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides habeatur, quae praesentibus ipsis Originalibus Literis haberetur, si forent ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum concessionis, impertitionis, indulti, relaxationis, revocationis, moderationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pont. Anno XI. die 15. Martii 1751.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 29, Martii 1751.

ROSÆ AUREÆ DONUM XLII.

Metropolitanae Bononiensi Ecclesiae transmissum.

Pontificiae Epistolae munere ad Capitulum et Canonicos ejusdem Metropolitanae Ecclesiae conscriptae cumulatur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dies, et locus benedictionis Rosae aureae.

Quarta vertentis Quadragesimae Dominica, quae nuper praecessit, quaque festivus Introitus: *Laetare Hierusalem*, ab Ecclesia Sancta cantatur, Nos ex Praedecessorum nostrorum more, et instituto, solemnem Rosae aureae Be-

nedictionem in Aula Paramentorum nuncupata confecimus; quam quidem sacram ritus celebritatem in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem peragere Summis olim Pontificibus in more positum fuisse, ab hodierno etiam Abbate Besuzio *in ejusdem Basilicae Historia cap.* 20. demonstratur: sed quum hujusmodi caeremoniae in eadem Ecclesia habendae consuetudo per illud temporis spatium, quo Romani Pontifices Avenione Sedem habuerunt, intermissa fuisset, ex eo factum esse idem Auctor subjungit, ut, postquam Romam remigrarunt, eum Pontifices morem retinuerint, ut eamdem Benedictionem in Aula Paramentorum conficerent, non secus ac olim, quum Avenione essent, facere eisdem solemne fuerat.

Ejusdem Benedictionis ritus, et Rome solemnis celebratio.

§. 2. Et Nos igitur sacram hanc caeremoniam in memorata Paramentorum Aula peregimus; consuetae nimirum preces a Nobis recitatae fuerunt; tum Rosa aurea balsamo inuncta, contrito odorifero musco perfusa, thure adolita, et aqua benedicta a Nobis aspersa fuit; quae omnia in Libro Rituum Ecclesiasticorum sive Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae praescribuntur, cujus libri auctor Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus vulgo reputatur. Hoc solum discriminis in ea, quae a Nobis peracta est, caeremonia intercessit, quod, cum in memorato libro habeatur, Pontificem a Paramentorum Aula ad Cappellam procedentem, sinistra manu Rosam gestare, altera vero Populo benedicere: *Manu sinistra Rosam gestans, et dextera benedicens progreditur ad Cappellam:* Nos ab Aula quidem in Capellam processimus, Sacris Missae solemnibus interfuimus, et, ut super Altari Rosa collocaretur, effecimus; at vero dum iter ad Cappellam habuimus, minime illud servavimus, ut Rosam sinistra manu gestaremus, dextera vero benediceremus, sed eamdem Rosam uni ex Clericis Camerae Apostolicae, qui praeibant, gestandam commisimus. Quoniam cum ab aliquo tempore mos invaluerit, ut Rosa aurea post benedictionem super nobili ac magnifica basi constituatur, neminem, viribus quantumvis firmis, reperire est, qui sinistra manu valeat eamdem gestare, ac dextera benedicere, cum ad ipsam sustinendam ambarum manuum auxilio opus sit.

Rosam auream a Pont. dono dari ab antiquo usitatum.

§. 3. In eodem praeterea Caeremoniarum Ecclesiae Romanae libro, qui supra citatus est, subjungitur, Rosam auream interdum a Pontifice praesenti cuipiam Principi Viro dono dari, interdum autem ad absentem transmitti. Cum noster Pontifex Alexander V. *anno* 1410. Bononia transiret, ubi diem etiam supremum obiit, Rosae aureae Benedictionem in Ecclesia S. Petronii peregit, eamque Marchioni Nicolao Estensi, qui praesens ibidem aderat, dono dedit, quemadmodum Sigonius *in suo de Episcopis Bononiensibus libro*, Masinus *in Bononia perlustrata*, Alidosius in eo, quem conscripsit, libro *de Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, et Episcopis Bononiensibus*, et Celsus Falconi *in Monumentis Historicis Ecclesiae Bononiensis*, testantur.

Alexander B. Bononiae natus.

§. 4. Quod autem Alexandro V. *nostri* titulum adscripsimus, id ea de causa a Nobis factum est, ne ab ea traditione recederemus, qua fertur, hunc Pontificem, licet communi existimatione pro Cretensi haberetur, cum extremum vitae diem sibi adesse intelligeret, tunc demum dixisse, hoc sibi divinitus accidere, ut quo loco natalem diem sortitus esset, ibidem etiam vitae cursum absolveret; eaque occasione fassum esse, Bononiae se obscuris Parentibus ortum, Franciscani Minorum Ordinis habitum induisse, initium aetatis suae Cretam deductum, eaque de causa pro Cretensi vulgo reputatum esse. Super his autem tum Ghirardaccius *in Historiis Bononiae lib.* 3. *part.* 2. *pag.* 576., tum Sigonius *de Episcopis Bononiensibus lib.* 23. *ad annum* 1410. *tom.* 3. novae editionis *pag.* 462., et Masinus *in Bononia perlustrata ad diem* 3. *Maii pag.* 303. *et* 7. *Julii pag.* 373. *et in Cardinalibus Bononiensibus pag.* 14. *ad annum* 1405. videri possunt.

Ecclesia Bononiensis a Gregorio XIII. Rosae aureae munere decorata.

§. 5. Quo tempore Nos a felicis recordationis Praedecessore nostro Clemente Papa XI. in Advocatorum Sacri Consistorii Collegium adscripti fuimus, Carolus Chartarius, cujus nomen inter eruditos Viros satis notum est, Collegii ejusdem Decanus erat. Inter varia autem, quae supersunt Opera ab eodem Carolo conscripta, Opus extat, quod *de Rosa aurea* inscriptum est: in quo caeremoniae hujus originem investigavit, iis tamen monumentis innixus, quorum id temporis notitia habebatur. Illud autem eo in Opere praecipuum est, quod rite et exacte confectus Catalogus ibidem habetur summorum Principum, Regum, Reginarum, atque illustrium tum Virorum, tum Foeminarum, ac postremo etiam Ecclesiarum, ad quas a Summis Pontificibus Rosae aureae

munus transmissum est. Inter alias vero Ecclesias, quibus praedictum donum impertitum esse memoratur, Metropolitana nostra S. Petroni Ecclesia descripta deprehenditur. Hoc autem munus a recolendae memoriae Concive nostro Gregorio PP. XIII. ad eamdem Ecclesiam transmissum fuit; cujus rei gratia idem Pont. Praesulem Vincentium Bolognettum intimum Cubicularium suum Bononiam ablegavit, qui Rosae aureae munus eo tempore detulit, atque exhibuit, quo bon. mem. Cardinalis Gabriel Palaeottus semper cum laude memorandus, Ecclesiae illius Archiepiscopatum gerebat. Haec autem Rosa ea ipsa est, quae etiam hoc tempore quarta Dominica Quadragesimae in Metropolitana illius Ecclesiae Ara principe exponitur, dum Divinorum Officiorum ac Missarum solemnia celebrantur. Quae autem per hujusmodi occasionem acta Bononiae sint, ea, tum *in Historia* Vizzani, tum *in Monumentis Historicis* Faleoni, et Masini, in Instructionibus, quae Praesuli Bolognetto praescriptae fuerunt, ac postremo in Allocutione, quae hujus celebritatis occasione, a Cardinali Gabriele Palaeotto habita fuit, videre est; quae monumenta a Chartario collecta, et *in memorato suo Opere pag.* 116. *et seq.* edita sunt.

Pontifex hoc exemplum sequutus simile donum eidem Ecclesiae transmittit per Cubicularium suum Nobilem Bononien.

§. 6. Et Nos igitur, quamvis egregio Civi nostro Gregorio Papae XIII. dignitate quidem pares, at meritis inferiores Nos esse ingenue agnoscamus, illius tamen exemplo, ad alia amoris ac devotionis nostrae argumenta, quae erga Metropolitanam Ecclesiam Nostram, ac dilectam Patriam huc usque exhibuimus, Rosae etiam munus adjungere decrevimus. Quapropter Rosam auream, quae ut supra diximus, proxime elapsa Dominica quarta Quadragesimae a Nobis benedicta fuit, Metropolitanae Bononiensi Ecclesiae Nostrae dono transmittimus; ad eamque deferendam Dilectum Filium Paulum Zani Nobilem Concivem, atque intimum Cubicularium Nostrum deligimus. Pro iis autem, quae hac occasione agenda erunt, consuetae eidem Instructiones praescribentur. Cum vero Nos Bononiae Archiepiscopatum adhuc retineamus, resque nostras videamus in eo statu positas, ut (quod grave admodum Nobis est) Ecclesiam, ac Patriam Nostram amplius jam invisendi spes Nobis sublata sit; ea hic indicare supervacuum existimamus, quae hujusmodi occasione per Nos facta fuissent, si Nobis istic idem Archiepiscopi munus gerentibus, Rosae aureae munus a Pontifice Bononiam transmissum fuisset. Neque illud etiam a Nobis postulatur, ut ea omnia fiant, quae Gregorii XIII. tempore facta fuerunt, cum praeteritorum, ac praesentium temporum conditio diversa sit, neque cum eo, qui tunc erat, hodiernus rerum status conferri possit. Quod igitur satis esse ducimus, adeo ut amplius eo quidquam fieri neque exoptemus, neque probaturi simus, illud est; primum, ut hujusmodi celebritas Festo die Sancti Petri Apostoli, qui Metropolitanae Ecclesiae Nostrae Titularis est, peragatur, quo die, intervenientibus Urbis Magistratibus, solemnem Cappellam haberi in more positum est; praeterea, ut Rosa aurea a Nobis dono missa, quotannis Dominica quarta Quadragesimae, quo tempore Divinorum Officiorum ac Missarum solemnia peraguntur, in Ara Ecclesiae maxima exponatur una cum ea, quae a Pontefice Gregorio XIII. donata fuit, dummodo tamen Rosae illius status talis sit, ut exponi possit; nisi enim memoria Nos fallit, aurea Gregorii Rosa minus bene se habere Nobis videtur; quod si ita foret, illud opportune faciendum existimaremus, quod in Sanctuario Lauretano, aliisque Ecclesiis fieri consuevit. Theophilus Raynaudus *tom.* 10. *suorum Operum*, in Tractatu *de Rosa Mediana a Pontifice consecrata*, *ad pag.* 411. Ecclesiarum Elenchum contexit, ad quas a Summis Pontificibus Rosae aureae munus transmissum fuit; ille autem, qui apud Chartarium habetur, magis exacte confectus est; cum hic Apostolici Tabularii Arcis S. Angeli, cujus praefecturam gerebat, monumenta in promptu habuerit, Vaticana Basilica, cujus inter Canonicos Nos olim fuisse gloriamur, a quinque Summis Pontificibus Rosae aureae munere donata fuit. Idem autem munus Basilica Lateranensis bis, a duobus videlicet Summis Pontificibus, obtinuit: ita pariter in Sanctuario Lauretano, duorum item Pontificum, Gregorii XIII. et Clementis VIII. dono impertitae geminae aureae Rosae visuntur; harum tamen prima non amplius exponitur, neque a loco, ubi sita est, removetur, ne forte, cum a vetustate male habeat, eamdem conteri, aut comminui contingat; qua etiam, fortasse de causa in nuper memoratis Basilicis Dominica Quarta Quadragesimae super Altari unica tantum Rosa, ea nempe, quae novissime donata fuit, exponitur.

Ejusdem Rosae excipiendae, et exponendae diem, et formam praescribit.

...m, quo Pontifi- Rosam ...eam be- ...licebant, ...nonem de habere ...sueverant

§. 7. *In Musaei Italici tomo secundo* a Mabillonio inserti reperiuntur Romani Ordines, quos illi datum est, in itinere, quod per Italiam habuit, eoque potissimum tempore, quo Romae moratus fuit, Virorum in sacris materiis peritorum ope, colligere. In undecimo autem Ordine, qui Benedicti Canonici S. Petri est, quemque ante *annum* 1143. conscriptum fuisse ex eo patet, quod Cardinali Guidoni de Castello ab Auctore dedicatum fuit, qui Cardinalis praedicto anno Pontifex factus, et Caelestini II. nomine appellatus fuit; atque in aliis Ordinibus subsequentibus, qui ad inferiora pertinent tempora, de Rosa aurea mentio facta deprehenditur. Tam autem in illo, qui memorati Canonici Romani Opus est, quam in altero Cardinalis Jacobi Cajetani, qui Pontificis Bonifacii VIII. nepos fuit, atque etiam in alio Petri Amelii, qui Sacrista fuit Urbani V., illud fuisse moris adjungitur, ut Romanus Pontifex, Rosae aureae occasione, de eadem aurea Rosa sermonem haberet. Sane inter Magni Predecessoris Nostri Innocentii III. Opera Sermo reperitur, quem ipse per hanc occasionem in Basilica S. Crucis in Hierusalem pronunciavit. Nos quidem praeterita Dominica quarta Quadragesimae solemnem Benedictionis Rosae aureae caeremoniam peregimus, sed nullum eadem occasione Sermonem habuimus; tum quia id a Praedecessoribus nostris, his temporibus, quae Nobis proximiora sunt, minime factum fuisse novimus, tum quia in Sacrarum Caeremoniarum libro, qui Christophoro Marcello tribuitur, et Leonis X. tempore conscriptus fuit, quo scilicet hodierno tempore utimur, de hujuscemodi Sermone nullum omnino adest verbum; ac demum quia Dominica quarta Quadragesimae non est ex iis festis diebus, in quibus Romanus Pontifex solemni Pontificali ritu celebrare solet; sine Pontificali autem Missa ut plurimum minime locus Sermoni est; quemadmodum in supracitato decimo quinto Ordine Romano Petri Amelii *cap.* 47. videre est: *Id certo nota, quod quandocumque Romanus Pontifex facit Sermonem, debet etiam Missam celebrare.* Neque vero hujusmodi Sermonem in hac, quam conscribimus, Epistola habere Nobis in animo est; illud tantummodo propositum habemus, ut aliqua, tum circa Auctorem Rosae, tum circa ipsius significationem, atque ejusdem etiam Benedictionis Auctorem, leviter attingamus; quod quidem non solum praetermissi Sermonis quodammodo locum tenere poterit, verum etiam aliquid valebit ad commendandam excellentiam istius muneris, quod Metropolitanae Bononiensi Ecclesiae Nostrae transmittimus.

De eodem ...gumento ...ontifex in ...ac Epistola ...ribit.

Origo Rosae aureae ab aliquibus tribuitur S. Leoni IX., qui monasterio cuidam imposuit censum duarum unciarum auri, in Rosam impendeo.

§. 8. Ut autem illa praetermittamus, quae circa ejusdem antiquitatem dicenda minime deessent, sed, si hic afferrentur, nostri temporis Eruditis obsoleta et supervacua jure videri possent; Magnum Pontificem Sanctum Leonem IX. hujusmodi Rosae aureae anno Christi MXLIX. auctorem haberi, dicemus. Nobiles Pontificis hujus Progenitores S. Crucis Monasterium in ea Regione, quae nunc Alsatia dicitur, fundaverant; cumque jus super eodem Monasterio in personam ipsius Pontificis recidisset, placuit ipsi, exemptionem Monasterio concedere, illudque Sanctae Sedi immediate subjicere; eidem vero onus imposuit, ut quotannis, aliquot diebus ante Dominicam quartam Quadragesimae, vel auream Rosam, vel duas auri uncias, Pontifici mitteret; cujus quidem census solutio subsequentibus etiam temporibus adimpleta fuisse dignoscitur; siquidem relata habetur in libro Censuum Cenci Camerarii, quod Opus sub saeculi duodecimi finem conscriptum fuit, atque a Muratorio *in suo tom.* 5. *Antiquitatum Italicarum dissert.* 69. *pag.* 880. etsi minus integre typis editum; cujus tamen integrum Auctographum in Tabulario Arcis S. Angeli asservatur, ejusdem vero exemplar exacte ac fideliter descriptum penes Nos habemus, quod a dilecto Filio Magistro Antonio Casalio Camerae Apostolicae Praeside dono accepimus; quum is illius dominium acquisierit ex haereditate ac successione celebris, atque eruditi Viri quondam Johannis Baptistae Casalii gentilis sui.

Ita censet P. Calmet, cujus sententiae Pontifex non subscribit.

§. 9. Augustinus Calmet *in sua Historia Ecclesiastica, et Civili Lotharingiae tomo* 1. *lib.* 19. *pag.* 1040., postquam de fundatione Monasterii Sanctae Crucis in Alsatia, ac de tributo per S. Pontificem Leonem IX. eidem imposito, ea omnia retulit, quae nuper exposita a Nobis sunt, ita subdit: *Talis est origo Rosae aureae, quam etiam hodie Pontifex benedicit quarta Dominica Quadragesimae, quae dicitur* Laetare, *et quam alicui ex Principibus, in amoris atque aestimationis pignus dono mittit.* Nos vero licet hujusce Auctoris doctrinam et literarios labores probe compertos habeamus; minime tamen

adduci possumus, ut praedictae illius opinioni subscribamus. Illud enim libenter admittimus, S. Leonem PP. IX. Monasterio S. Crucis praefatum tributum imposuisse, ex eoque probari, Rosam auream illius aetate in usu fuisse; at ex eo nequaquam probari posse judicamus, eumdem Pontificem ritus Rosae aureae Auctorem fuisse, quin immo ex eo ipso arguimus hujusmodi ritum aliquanto prius institutum fuisse.

Referuntur verba Privilegii Sancti Leonis IX.

§. 10. Porro idem Calmet *part. 2. sui tom. 1. nuper citati*, ad asserendam veritatem rerum, quae ab ipso enarrantur, authentica affert testimonia, Privilegium scilicet S. Leonis IX., cujus quidem ea, quae subjicimus verba, ad rem nostram vel maxime faciunt: *Pro donatione igitur libertatis istius, o Crux*, quod videlicet Monasterium Titulo Sanctae Crucis insignitum esset, *ipso Sole nitidior, cunctisque creatis pretiosior, Petro Apostolo ipso tuo Monasterio concessa, pro salute animae meae, meorumque parentum ibidem in Christo tuo Domino Nostro dormientium, penso annuatim constituto tempore nostrae Apostolicae Sedi ab Abbatissa ipsius loci solvendam, Rosam videlicet auream penso duarum Romanarum unciarum, aut factam sicut fieri solet, aut tantumdem ad faciendam, tempore Quadragesimae mittendam octavo die antequam a Nobis, et Successoribus nostris consuete portari in quarta Dominica, praecedente videlicet die Dominico, cum cantatur Introitus: Oculi mei semper ad Dominum.*

Aliqua ex adductis verbis indicant majorem antiquitatem hujus Ritus.

§. 11. Hic autem consideranda sunt tum verba illa: *Aut factam sicut fieri solet;* tum alia etiam, quae paulo post subsequuntur: *Consuete portari in quarta Dominica;* videndum, an ulla ratione fieri possit, ut ritus Rosae aureae Sancto Leoni IX. tamquam primo Auctori adscribatur. Sane quidem ex praedictis verbis arguitur, hujuscemodi ritum praecedenti tempore introductum extitisse, Sanctum vero Leonem illum fuisse ostenditur, qui onus impensae in auream Rosam faciendae Monasterio suo imposuit; verum nullatenus iisdem verbis probatur, eumdem Pontificem ritus illius Institutorem fuisse, quemadmodum nuper dictum est. Etenim, si revera talis fuisset, aliquid amplius relatis verbis addidisset; causas nimirum exposuisset, atque rationes, quibus ad eumdem ritum constituendum inductus esset; diem vero, quo solemnis ea caeremonia quotannis peragenda foret, ibidem ipse designasset, non tamquam antea praestitutum proposuisset, ut ab eo factum fuisse deprehenditur. Siquidem hujusmodi caeremoniae diem pro jampridem constituto habens, hoc solum mandat, ut pensum a Monasterio solvendum, octo diebus ante Dominicam *Laetare* in Urbe sit, videlicet die Dominico, in quem cadit Introitus: *Oculi mei semper ad Dominum;* qui nempe Dominica tertia Quadragesimae in Missa legitur.

Ea verba conatur quispiam pertrahere in sensum Calmetio, sibique placitum.

§. 12. Nostras hujuscemodi animadversiones cum Nos aliquid egregiis Academicis nostris, ex his, qui singulis feriis secundis coram Nobis convenire assolent, et valde accurate de sacris rebus et antiquitatibus disserere, communicavimus, aequi bonique exceptae, et approbatae (licet non ab omnibus) fuerunt. Quare, cum aliquis ex ipsis in Academico conventu, *die* 6. *Maji* 1748. habito, multa cum eruditione, ut illius mos est, Patris Calmeti partes tuendas susceperit, illa quidem verba: *Rosam factam sicut fieri solet:* ita interpretatus est, quasi non infectam, sed elaboratam ac perfectam Rosam designarent; aliis vero verbis: *Consuete portari in quarta Dominica:* ea indicari censuit, quae Pontifex et per se ipsum facere constituisset, et per Successores suos fieri cuperet, quoniam ante praedicta verba alia haec habentur: *a Nobis, et Successoribus nostris;* adeo ut verus verborum sensus esset debeat, ac sit, quod scilicet S. Leo onus illud Abbatissae imponeret, ut eadem sive Rosam ex auro confectam et elaboratam, sive duas auri uncias Romam mitteie deberet, propterea quod quarta Quadragesimae Dominica, tum ipse Rosam eamdem manu gestare vellet, tum ita in posterum a Successoribus suis fieri exoptaret; atque hinc recte concludi, Pontificem illum Ritus hujusmodi auctorem fuisse.

Sed frustra.

§. 13. Omnino negari nequit, interpretationem hanc, et acutam, et ingenio illius dignam esse, qui eam in medium produxit: Verum Nos minime adduci potuimus, aut possumus, ut eamdem admittamus. Non inficiamur, per verba illa: *aut facta*, designari quidem Rosam, quae elaborata, et confecta sit; verum alia, quae subsequuntur, verba: *sicut fieri solet*, aliquid amplius innuunt, nimirum, quod Rosa illa non confecta solum esse deberet, verum ea forma, et opere opificio elaborata, cujusmodi ad illud tempus Rosae aureae perfectae fuerant. Nec diffitemur, hanc Pontificis voluntatem fuisse, ut Rosa sive Monasterio transmissa, sive ex duabus auri unciis

ab eodem solutis conflata, non minus a se, quam a Successoribus suis manu gestari deberet; verum, cum ibidem vox *consuete* interponatur, quae non futurum, sed praeteritum tantummodo tempus designandi vim habet; satis inde manifestum fit, Pontifici in animo fuisse hoc dicere, idque revera dixisse, quod cum Praedecessores sui Dominica quarta Quadragesimae Rosam auream manu gestare consuevissent, ipse eam gestare decreverat, quae a suo Monasterio in posterum transmittenda esset, idemque per successores suos fieri statuebat.

Auctores, i ex ipsis his majo- m Ritus ntiquitatem ducunt. onicus.

§. 14. Michael Leonicus, qui Pauli V. tempore insignis Pontificiae Cappellae Caeremoniarum Magister fuit, ingentem manuscriptorum suorum copiam reliquit, quae, partim in Tabularia Arcis S. Angeli, partim in Vaticana Bibliotheca asservantur. Is autem in quodam ex hujusmodi anecdotis, quod a Carthario in suo Opere jam allegato *pag.* 10. refertur, postquam Privilegii Leonis IX, superius citati mentionem fecit, ita subdit: *Hujusmodi Monumentum sexcentorum annorum antiquitatem indicat; sed majorem etiam ex ipso arguere licet. Nullum hoc vetustius vidi*. Pagius *in Breviario Romanorum Pontificum tom.* 2. *in vita Urbani II. ad n.* 56. ei opinioni adhaerere videbatur, ut Urbanum ipsum ritus hujusce auctorem faceret, qui *anno* 1088. Pontifex factus fuit, viderat enim *in tomo* 10. *Spicilegii* fragmentum Andegavensis Historiae, in quo legitur, Pontificem hunc, cum Turonem venisset Dominica quarta Quadragesimae Rosam auream manu gestasse, eamque Fulconi Comiti Andegavensi dono dedisse; praeterea animadverterat, nullam a Martene *in suo tractatu de Divinis Officiis cap.* 19. *num.* 17. pro Rosa aurea vetustius praedicto Urbano II. monumentum afferri. Verum, cum aliqua facti Leonis IX. notitia ad eumdem pervenisset summa ingenuitate sententiam mutavit, quemadmodum *in citata vita Urbani II. num.* 56. deprehenditur: *Si ergo haec admittatur narratio, hic ritus multo antiquior est, quam credideram; sed tamen non multo ante S. Leonem IX. introductus*. Inter doctos Viros, qui edendis in lucem Operibus hodie sibi famam acquirunt, dilectus Filius Joseph Catalanus Presbyter merito recensendus est. Is praeter alia volumina Typis edita, Tomum unum super Opere Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae, quod, ut supra diximus,

Pagi.

atalanus.

Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi tribuitur, non ita pridem vulgavit, Nobisque inscripsit. Ibi autem *lib.* 1. *tit.* 7. *cap.* 3. *de Benedictione Rosae* §. 1. *num.* 3. *et seq.* sententiae illi adhaeret, quod Rosae aureae ritus ante Pontificatum S. Leonis IX. institutus jam esset.

Rosae aureae Ritus antiquior est Pontificatu S. Leonis IX. sed prima ejus origo ignoratur.

§. 15. Quare, ut primum quaestionis caput, quod ad ritus hujusce auctorem attinet, concludamus, ritum ipsum valde vetustum quidem, atque a multis ante saeculis introductum fuisse dicemus, ac S. Leonem IX. de eodem, tamquam de ritu pridem in more posito, mentionem facere, certam autem notitiam de vero, ac preciso institutionis illius tempore nequaquam haberi: at nullo pacto ferendam esse haeterodoxi Philippi Mornay assertionem *in suo Mysterio iniquitatis ad paq.* 1006., ubi, dum Urbanum V. Rosam auream Joannae Reginae Siciliae dono dedisse refert, eumdem Urbanum ritus hujusce auctorem fuisse affirmat; etenim, etiamsi ex aequitate admittatur, Leonis IX. monumentum eidem ignotum fuisse; non excusandus tamen est, quod vel dissimulaverit, vel ignoraverit, ante Urbanum V. Rosam auream ab Eugenio III. ad Alphonsum Hispaniae Regem; ab Alexandro III. ad Francorum Regem dono missam fuisse, eumdemque Pontificem cum Venetiis esset, Reipublicae illius Ducem eodem munere decorasse; Innocentium pariter III. ante Urbani V. tempora bis super Rosa aurea Sermonem habuisse. Haec quidem facta extra omnem controversiae aleam sunt. Quapropter jure ac merito Hospinianus, licet heterodoxus, *in suo Opere de Festis*, Mornay assertionem rejecit; eademque strenue impugnatur a Gretsero *tom.* 5. *suorum Operum lib.* 2. *de Benedictionibus cap.* 40. *pag.* 269. *et seq. et tom.* 7. *in examine Mysterii Plesseani a caput* 60. *pag.* 365.

Philippi Mornay error notatur.

Officia Ecclesiastica Dominicae IV. in Quadragesima laetitiam undique praeferunt.

§. 16. Sequitur jam, ut de iis, quae ad ritus hujusce significationem pertinent, dicamus. Quia tamen ad id, necesse est, ut aliqua prius circa Dominicam quartam Quadragesimae, in qua a Romano Pontifice Rosae aureae Benedictio peragitur, indicemus; de hac idcirco pauca praemittimus. Diem hanc, Dominicam laetitiae appellari, atque esse, primum omnium sciendum est, proindeque ea recurrente, in Introitu Missae leguntur illa verba Isaiae: *Laetare Hierusalem, et conventum facite omnes, qui diligitis eam; gaudete cum laetitia,*

qui in tristitia fuistis, ut exultetis, et satiemini ab uberibus consolationis vestrae: quibus verbis Israelitici Populi laetitia designatur, qua tunc perfusus fuit, quum Dominus Deus, diuturnae illius captivitatis miseratione commotus, eum a Babylonica servitute liberavit; quae etiam verba ad Sanctae Ecclesiae, et Christi Fidelium laetitiam exprimendam accommodatissima sunt, eo quod in praesentia non amplius sub Hebraeorum, ac Gentilium persecutionibus gemat, ut primis temporibus miserrime opprimebatur; juxta id quod a sacris Expositoribus super eodem Textu observatur. Evangelium autem, quod in Missa ejusdem Dominicae quartae legitur, laetitiae item plenum est, quum scilicet in eo prodigiosa panum, ac piscium multiplicatio enarratur, quibus refectae, ac saturatae sunt turbae, quae, ut Christum praedicantem audirent, trans mare Galileae in Tiberiade confluxerant, quaeque tam magno prodigio commotae, Christum sibi Regem facere constituerant; quo factum est, ut is inde aufugeret, ac sese absconderet. Jam vero quod in hujus diei solemni Missa ministrantes Dalmaticis indutos conspicimus, ex iisdem etiam sacris vestibus, quae signa laetitiae sunt, Ecclesiae gaudium agnoscimus. Extat *in tom.* 24. Bibliothecae Maximae Patrum editionis Lugdunensis *pag.* 1405. sermo quidam numero XIV. notatus, cujus Petrus Blesensis auctor esse existimatur, quique super hac Dominica IV. Quadragesimae conscriptus est. In ipso autem mirari se indicat Auctor, quid sibi velit insueta haec Ecclesiae laetitia, quum maxime Dominica haec Quadragesimae sit, aliamque diem Dominicam, quae Passionis dicitur, proxime praecedat. Verum, quum is varias laetitiae hujusce causas assignet, quae maxime ad rem nostram facit, ea est, quae ab Innocentio III. affertur in eo Sermone, de quo superius dictum fuit, ubi ait, idcirco voluisse Ecclesiam in quarta hac Dominica Fideles ad spiritualem laetitiam excitare, ut eos in poenitentiis, ac jejuniis Quadragesimalibus laborantes aliqua ratione sublevaret: *Ne ergo Fidelis Populus propter asperitatem Quadragesimalis abstinentiae sub continuo labore deficeret, in hac mediana Dominica quoddam recreationis solatium interponitur, ut anxietas temperata levius sufferatur. Hodiernum enim Officium totum est plenum laetitia, totum exultatione refertum, totum gaudio cumulatum.* Haec eadem ratio tum a Durando *in suo Rationali Divinorum Officiorum*, tum a Casali *de veteribus Christianorum ritibus cap.* 81., a Rocca *in suo Tractatu de Rosa aurea*, ac demum a Quarto *in Tractatu de Benedictionibus in particulari sect.* 2. fuse illustratur.

§. 17. Cum tanta igitur hujusce diei spiritualis laetitia sit, pie ac sapienter a Romanis Pontificibus excogitatum est, ut Rosae aureae ritum introducerent, quam balsamo injungi, et musco etiam adspergi mos est. Verba autem Orationis, quae a Romano Pontifice, dum Rosam auream benedicit, recitantur, haec sunt: *Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut hanc Rosam odore, visuque gratissimam, quam hodierna die in signum spiritualis laetitiae manibus gestamus, benedicere, et sanctificare tua pietate digneris.* Et quidem per Florem Jesus Christus Redemptor noster denotatur: *Flos iste Christum Regem exprimit ac designat, qui de ipso loquitur dicens: Ego Flos campi, et lilium convallium;* per aurum vero, eumdem Regem Regum, et Dominum Dominantium fuisse innuitur, quod etiam significavit aurum illud, quod ipsi a Magis oblatum fuit: *Aurum namque Regem non immerito dicitur denotare, cum ad hoc designandum a Magis figuraliter oblatum fuerit Salvatori, ut per hoc Rex Regum, et Dominus Dominantium monstraretur;* denique odor gloriosae Resurrectionis ejusdem triumphum praemonstrat, quae mundi totius fuit, atque est, spiritualis laetitia: *Odor autem hujus floris, Resurrectionis ejus gloriam praefigurat etc. sane anfractus, et climata omnium scelerum foeditate concreta tantus odor Dominicae Resurrectionis aspersit, ut nulla pars Orbis alienam se ab odore isto sentiat, vel expertem, sed omnes se gaudeant odore hoc suavissimo spirituales nequitias in coelestibus jam vicisse.* Ita magnus Praedecessor noster Alexander III. ad Ludovicum VII. Francorum Regem scripsit, cum Rosam auream eidem dono mitteret; cujus Epistola *tom.* 10. Labbeanae Collectionis Conciliorum Editionis Parisiensis *pag.* 1360. refertur; ubi Cassartius *in Notis* animadvertit, ante Alexandrum III. a Pontifice Eugenio III. idem dictum fuisse in Epistola, quam ad Alphonsum Hispaniae Regem, auream Rosam ipsi mittens, conscripsit; quae Epistola *eodem tomo pag.* 1094. habetur: *Rosam auream, quam in signum Passionis, et Resurrectionis Jesu Christi Domini Nostri Dominica, qua cantatur: Laetare Hierusalem, singulis*

Huic laetitiae consona est Benedictio, et gestatio Rosae aureae.

Alia mysteria hujus Ritus indicantur.

annis Romanus Pontifex portare consuevit, Serenitati tuae per Venerabilem Fratrem nostrum P. Segoviensem Episcopum providimus transmittendam. Qua in re illud etiam hic animadvertere opportunum est, in Rosae aureae ritu id moris antiquitus fuisse, ut aurum ipsum rubro colore tingeretur ad Christi Passionem distinctius denotandam, quemadmodum ex citata Alexandri III. Epistola deducitur: *Rubor autem, quo aurum coloratum est, et suffusum, Passionem significat Redemptoris, de quo utique scriptum est: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Et iterum: Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

In Benedictione Rosae aureae prescribitur, ac praeter muscum, balsamum, adhibetur aqua benedicta, et incensum.

§. 18. Illud postremo observandum restat, quod pertinet ad Rosae aureae Benedictionem. Haec autem in praecitato Opere de Sacris Caeremoniis Marcelli nomine inscripto exacte descripta habetur, ubi *lib.* 1. *ad tit. de Benedictione Rosae*, et indicatam superius Orationem refert, quae in benedicenda Rosa adhibetur, et exponit, Rosam ipsam balsamo inungi, ac muscum contritum super eamdem imponi; qui muscus in Ecclesia Graeca etiam hodie in usu est, cum sit una ex illis speciebus, ex quibus sacra Unctio, sive Chrisma conficitur, quemadmodum in Euchologio Graecorum *pag.* 508. tum apud Goar *super eodem Euchologio pag.* 516., et apud Isaac Haberti *in Pontificali Graecorum pag.* 699., *et pag.* 714. videre est; super haec omnia demum aquam benedictam aspergi, atque incensum adoleri subjungit; quae etiam ab eodem *lib.* 2. *cap.* 37. referuntur.

Non ejusdem aetatis est Benedictio Rosae aureae, ac ipsius institutio.

§. 19. Permulti sunt, qui falso existimant, institutionem ritus Rosae aureae, atque ipsius benedictionem uno, eodemque tempore ortum habuisse. Quod quidem nulla ratione sustineri posse ex eo patet, quod in Romanis Ordinibus, qui a praedicto Joanne Mabillonio *tom.* 2. *Musaei Italici* editi sunt, quorum aliqui ante, alii post decimum tertium seculum conscripti fuerunt, de Rosa quidem aurea de balsamo, et musco sermo sit; verum nulla omnino mentio de Benedictione in ipsis habeatur. Edmundus Martene *in supracitato cap.* 19. *num.* 17. Pontificem Innocentium IV., qui *anno* 1243. ad Summum Pontificatum evectus fuit, Benedictionis hujusce auctorem facit, ea nixus ratione, quod in ejusdem Pontificis Vita verba haec legantur: *Primus Rosam auream solemni caeremonia, ac ritu benedixit, eamque Canonicis Sancti Justi hospitibus suis Lugduni dono dedit.* Verum Pagius *in Breviario Romanorum Pontificum tom.* 3. *in Vita Innocentii IV. ad n.* 28. de fide Auctoris illius Vitae vehementer dubitat, cum in Ordine Romano Petri Amelii, qui Sacrista fuit Urbani V. *anno* 1362. in Pontificem electi, nulla Benedictionis mentio facta reperiatur.

Hujusmodi Benedictio circa Seculum XV. probabiliter invecta.

§. 20. Quare verisimile admodum est, Benedictionis ritum subsequentis Seculi initio fuisse introductum. Extat Pontificis Julii II. Epistola *in Tomo* 13. Conciliorum editionis superius citatae, quam ille ad Gulielmum Cantuariensem Episcopum conscribit, dum eidem Rosam auream Henrico VIII. Angliae Regi dono exhibendam transmitteret, qui Rex deplorabilis postea schismatis auctor fuit: *Mittimus nunc ad eum Rosam auream Sancto Chrismate delibutam, et odorifero musco aspersam, nostrisque manibus de more Romanorum Pontificum benedictam.* Leonis X. etiam Breve apud Cartharium habetur, quod ab eodem Pontifice ad Saxoniae Ducem cum Rosae aureae munere missum fuit. *Sacratissimam auream Rosam quarta Dominica Sanctae Quadragesimae a Nobis Chrismate Sancto delibutam, odoriferoque musco aspersam, cum Benedictione Apostolica, ut vetus est consuetudo, aliisque Sacris adhibitis Caeremoniis consecratam.* Quibus quidem verbis, cum claram ab hisce Pontificibus, expressamque Benedictionis Rosae, sicut ea hodie peragi solet, mentionem fieri, ac de eadem tamquam de veteri consuetudine ipsos loqui deprehendamus, non incongruum videtur statuere, ejusdem Benedictionis usum tempore nuper indicato introductum fuisse, ab aliquo scilicet Pontificum Seculi illius, quod Julii II., ac Leonis X. tempora antecessit; ad quam instituendam ea de causa adducti sunt, ut ipsa Sacra Caeremonia sanctior adhuc, atque augustior redderetur: *Omnis Creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per Verbum Dei, et Orationem:* verba sunt Apostoli *in prima ad Timotheum cap.* 4., quibus verbis nostri Theologi utuntur, ut omnem quidem Creaturam et bonam, et mundam esse comprobent. Quemadmodum vero, si fieri posset ut aliqua immunda foret, ea signo Crucis, et Oratione sanctificari posset; multo potiori ratione aliae res bonae eodem signo Crucis, Oratione, ac Benedictione meliores possunt, et sanctiores evadere. Qua

de re Cardinalem Bellarminum *de Cultu Sanctorum lib. 3. cap. 7. in tom. 2. suarum Controversiarum* videre est. Iisdem etiam vestigiis insistens praedictus Joseph Catalanus *loco citato* §. 3. *num.* 1. balsamum quidem, et muscum Ritus Rosae aureae institutioni coaeva esse indicat; verum Benedictionem, in qua et preces adhibentur, et aquae benedictae aspersio fit, atque incensum adoletur, recentiorem esse affirmat, atque ad illud tempus referendam, quod a Nobis paulo pridem indicatum est.

Quo animi affecto mittatur a Pontifice munus, quoque sit excipiendum.

§. 21. Haec igitur, Dilecti Filii, sunt quae Nos in hac Epistola nostra exponere Vobis opportunum existimavimus, non quidem, ut eruditionem ostentaremus, sed ut muneris hujus, quod Vobis mittimus, praestantia magis innotesceret. Etenim, ut Praedecessoris Nostri Pontificis Callisti III. verbis utimur: *Non muneris aestimanda est quantitas, sed altioris significationis qualitas interpretanda*, ut habetur in Epistola, quam is ad Carolum Galliarum Regem conscripsit, cum Rosae aureae munus ad eumdem transmisit, quaeque a Raynaldo in Annalibus *ad annum Christi* 1457. *num.* 52. refertur. Idem etiam Vos munus, (ut cum Callisto ipso pergamus) tanquam sinceri affectus Nostri pignus, ac monumentum habete: *En igitur accipe pignus, ac monumentum nostri amoris;* et adjungit; *Rosam hanc laetissimo corde suscipe; nec te auri fulgor, sed contemplatio Divinae significationis teneat.* Postquam vero indicata superius hujusce ritus mysteria exposuit, ita concludit: *Utinam Divinus odor penetret in tuos sensus, Charissime Fili.* Hos itaque Callisti Praedecessoris Nostri pios, et plenos amoris erga Galliarum Regem sensus Nos adoptamus, ac pro nostris hic ponimus, dum Rosam auream a Nobis benedictam ad Vos transmittimus, ac dum postremo Vobis, et reliquis dilectis Filiis Concivibus Nostris, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die 24. Martii 1751.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XXIV. Martii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

XLII*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA P. XIV.

LITERÆ APOSTOLICÆ

Quibus providetur optimo regimini et tranquillitati conventuum recessus Fratrum Minorum de Observantia Reformatorum nuncupatorum Provinciae Romanae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Quas Apostolicae Nostrae sollicitudinis auctoritatisque curas et partes ad retinendam propagandamque regularem disciplinam omnibus Religiosorum Virorum Ordinibus et Institutis libenter conferimus, decet Nos tanto libentius et alacrius pro dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum adhibere; quanto laetiori animo in Domino gratulamur, propriis oculis intuentes, ejusdem Ordinis Alumnos in hoc maxime consilia, studia et labores suos collocare, ut in unaquaque Provincia Conventus habere valeant, in quae tamquam severioris Observantiae Domicilia, Recessus nuncupata, sese recipiant Fratres illi, qui in ardua Religiosae austeritatis ac perfectionis palaestra sese magis exercere exoptant.

Inter caeteros autem hujusmodi Recessus ubique institutos et commendatos, ii certe, qui in hac Provincia, Romana dicta, excitati erectique reperiuntur, magna cum laude celebrantur; quippe quorum religiosi Fratres et ad perfectam sui instituti rationem, et ad aeternam Christifidelium salutem procurandam, iis tam praeclaris Christianae pietatis, industriae, caritatis zelique argumentis incumbunt, ut jure a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris proficua eorumdem Recessuum institutio non solum comprobari et confirmari, sed etiam commendari meruerit. Alexander enim PP. VII. fel. rec. Praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis Literas die trigesima mensis Augusti anno MDCLXII. datas, quaedam praecipua Statuta pro Recessu sub invocatione Sanctae Mariae Gratiarum de Ponticello confirmavit; atque insimul alios ejusmodi Recessus fundandi facultatem tribuit. Quae quidem Statuta per alias in pari forma Brevis Literas die vigesima mensis Aprilis anno MDCLXXXII. itidem datas ven. mem. Innocentius PP. XI. Praedecessor similiter Noster, ad Recessus sub invocatione S. Bonaventurae hujus Almae Urbis, S. Angeli in Montorio, et SS. Martyrum Cosmae et Damiani de Vicovaro, sub iisdem modo et forma omnino servanda, extendere

voluit; addiditque facultatem, ut Adolescentes quoque Novitios admittere et vestire possent. Porro harum Apostolicarum Literarum vigore factum fuit, ut novae Constitutiones seu nova Statuta conderentur, quae primum a quondam Petro Marino Generali totius Ordinis Minorum Ministro die septima mensis Februarii anno MDCLXXXV., deinde consequenter die octava mensis Junii ejusdem anni a clar. mem. Alderano, dum in humanis ageret, S. R. E. Cardinali Cybo nuncupato Episcopo Portuensi, et dicti Ordinis apud Apostolicam Sedem Protectore, approbata fuerunt. Praeterea fel. rec. Innocentius PP. XII. itidem Praedecessor Noster per alias in simili forma Brevis Literas die duodecima mensis Septembris anno MDCXCV. expeditas, Apostolica auctoritate approbavit confirmavitque methodum Regulamque, juxta quam omnino, et non aliter, deinceps tam Superiores pro tempore eligi, quam Familiae, ut dicitur, uniuscujusque Conventus formari deberent. Insuper fel. rec. Clemens PP. XI. Noster itidem Praedecessor, tum Conventum sub invocatione S. Petri de Pofi, tum Conventum Sanctae Mariae in Vallecorsa, Recessibus Provinciae Romanae hujusmodi, per plures alias suas in simili forma Brevis Literas, univit et incorporavit.

Nos autem, qui laudabile institutum memoratorum Recessuum semper plurimi fecimus, magnoque in pretio habemus, ejusque spiritualem, praesertim dicti Conventus S. Bonaventurae de Urbe, progressum, utilitatem, et commodum augere et provehere ex animo cupimus, Nostra etiam supremae potestatis et providentiae documenta hac in parte desiderari non patimur. Eapropter, postquam omnia et singula, quae tam in enunciatis Apostolicis Literis, quam in memoratis Constitutionibus et Statutis dicti Recessus continentur, serio expendimus, consiliumque et suffragium dilecti filii Fratris Raphaelis de Lugagnano ejusdem Ordinis Minorum Generalis apud Sanctam Sedem Commissarii requisivimus, in eam sententiam devenimus, ut nonnulla ad majorem Divini honoris cultum, dictique Recessus tranquillitatem et incrementum profutura per hasce Nostras in forma Brevis Literas perpetuo valituras decernere, statuere, et praecipere satageremus, quemadmodum tenore earumdem praesentium Apostolica auctoritate decernimus, statuimus, atque praecipimus.

Primum itaque, tenore et auctoritate paribus, praedictas quidem Apostolicas in forma Brevis Literas, et Recessus Constitutiones ac Statuta, in iis omnibus et singulis, quae a Nobis infra decernendis, statuendis, et praecipiendis non adversantur, iterum quatenus opus sit, confirmamus, et inviolabili Apostolicae firmitatis robore munimus.

Deinde vero decernimus, volumus, et mandamus, ut Discretorium Conventus sive Recessus S. Bonaventurae de Urbe juxta illud, quod in Capite VII. earumdem Constitutionum et Statutorum continetur, deinceps constare debeat ex quinque Fratribus Discretis, scilicet Guardiano, Vicario, et aliis tribus Discretis. Porro Guardianus dicti Conventus S. Bonaventurae, quippe qui Director est omnium et singulorum Conventuum Recessus ejusmodi, non eligatur, nisi Religiosus Frater, qui pietate, prudentia, ac zelo insignis, saltem munere Guardiani in uno ex aliis Recessus Conventibus semel laudabiliter functus fuerit. Vicarius itidem is eligi dumtaxat possit, qui Discreti officium in quolibet recessus Conventu exercuerit. Caeterum reliqui tres Discreti sint Fratres ejusdem S. Bonaventurae Conventus antiquiores, dummodo ea idoneitate praediti reperiantur, quae juxta Decreta Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praepositae die secunda mensis Maji, et die vigesima septima mensis Septembris anno MDCCXXVII. edita, in ipsis Fratribus requiritur. Idoneus vero Frater ille semper censendus et reputandus est, qui nullis corporis assiduis incommodis laborans, alias in quovis Conventu Recessus, vel Guardiani vel Discreti ministerium obiverit. Ne autem Discreti hujusmodi in suo quisque officio perpetui permaneant, Nos Decretum dictae Congregationis Cardinalium quoad hanc quoque partem confirmantes, Triennalem tamen ab unoquoque Officio vacationem, sive immunitatem in eodem Congregationis Decreto praescriptam, ad unius dumtaxat anni spatium reducimus et statuimus; cum experientia apertissime constet, non levem, propter triennalem vacationem et immunitatem hujusmodi, habita paucioris Fratrum unamquamque Familiam Recessus componentium numeri ratione, interdum inordinationem confusionemque oboriri. Quod si vero Discreti officium, sive per legiti-

mum cessum sive decessum, sive per quamcumque rationabilem justamque causam, vacare contigerit, ad illud obeundum adimplendumque substituatur Frater quilibet antiquior et idoneus, quemadmodum supra de idoneitate decrevimus.

Quoniam autem ita comparatum esse novimus, omnia et singula provido sapientique consilio ordinata, statuta, et praescripta, nunquam pro votis ad regularis disciplinae observantiam, nunquam ad mutuam fraternae caritatis vicissitudinem, nunquam ad debitam Superioribus obedientiam fore redundatura, nisi Fratres ipsi, qui, Saecularibus curis negotiis et desideriis contemptis, Religionem, ut Deo vocanti ex animo obedire et famulari valeant, ingressi fuerunt, pro viribus vocationi, qua vocati sunt, correspondere contendant; et christianae perfectioni, quam unam in Religiosis Recessibus facilius consequi posse existimarunt omnem operam studiumque impendant; Ea propter omnes et singulos Recessus Fratres tam praesentes, quam futuros, Paterna Charitate et Pontificia auctoritate monemus et hortamur, ut suscepti propositi conditionisque suae memores, per praescriptam unicuique voluntatis propriae demissionem abnegationemque, semper ad majorem Divini honoris cultum, aeternamque animarum suarum salutem, atque Ordinis Sui decus et incrementum, meliora charismata aemulari adnitantur. Nec a Spiritu Sathanae malo adduci patiantur, ut munera, dignitates, et honores quaerant, quorum causa oportunum ad seditiones concitandas, inordinationes inducendas, odia conflanda, et dissidia commovenda, etiam sub zeli obtentu et colore, occasionem interdum nonnulli nanciscuntur. Sed potius omnes invicem humilitatem insinuantes, et induentes, sicut Electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, humilitatem, modestiam, patientiam, super omnia haec caritatem, quod est vinculum perfectionis, Statuta et Constitutiones Ordinis sui integerrime servare studeant. Etsi autem, pro spectatis Recessum hujusmodi religiosis virtutibus, facile Nobis persuademus, eorumdem Recessuum Fratres nullis egere stimulis, ut idem sapientes, pacem invicem habeant, et Deus pacis sit cum ipsis; tamen moderno et pro tempore existenti Guardiano et Discretorio saepedicti Recessus S. Bonaventurae districte injungimus et mandamus, ut assidue et diligenter advigilare non omittant, quo omnes et singuli quorumvis Conventuum Recessus Fratres, quocumque gradu vel praerogativa praecipui, ad exactam suarum Constitutionum et Statutorum observantiam rite sancteque adimplendam incumbant.

Verum, cum aliquando fieri possit (quod dolentes dicimus), ut inter tot Religiosos Fratres Christianae pietatis, et regularis perfectionis splendore insignes, aliqui fortasse reperiantur spiritu ambitionis pleni, indociles, et perfectioni Seraphici Instituti parum sese accomodantes; volumus et mandamus, ut Guardianus, et Discretorium pro tempore existens Recessus S. Bonaventurae, post salutaria fraternae caritatis exhibita argumenta, saepius addita monita, justasque poenas sumptas, animadvertens illos adhuc desperatae emendationis esse, ad eorum Provincialem remittant. Quod si habitum professionemque regularem in aliquo Conventu Recessus emiserint, ad Provincialem Romanae Provinciae amandent, qui sine obstaculo illos admittere, et in aliquo Provinciae Conventu collocare debeat. Si tamen Provincialis in hoc minime acquieverit, Guardianus et Discretorium Recessus S. Bonaventurae ad Ministrum sive Commissarium pro tempore Generalem totius Ordinis Minorum recurrat, ut facta dimissio suum sortiatur effectum. Porro Fratre quolibet Recessus quomodolibet per Guardianum et Discretorium dimisso de sua dimissione conquerente et reclamante, Provincialis Provinciae Romanae, ad quem remissus fuerit, causam dimissionis cognoscat; quam si justam agnoverit, suo etiam suffragio confirmet; si vero secus senserit, Guardianus, et Discretorium S. Bonaventurae ad Ministrum vel Commissarium pro tempore Generalem dicti Ordinis recursum habeat, a cujus definitiva Sententia, sine strepitu et forma judicii secundum Deum ferenda, lis et controversia decidatur; neque ab eadem Sententia reclamandi locus Partibus amplius relinquatur.

Caeterum antedicta omnia et singula Apostolicae providentiae, caritatis, auctoritatisque praecepta, pro majori Recessuum hujusmodi utilitate, tranquillitate, pace, concordia, incremento edita, quo firmius subsistant, et serventur exactius, neque in oblivionem eant, neque a quocumque Fratre Recessuum hujusmodi, sive Presbytero sive Laico, ignorentur, volumus et mandamus, ut eadem in Italicam

Linguam versa, et Constitutionibus, sive Statutis, sive Regulis Recessus adjecta, sub iisdem modo et forma ac tempore, quibus Constitutiones et Statuta ac Regulae legi solent, omnino legantur.

Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, et non aliter, in praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam perlaudati Ordinis Minorum apud eamdem Sanctam Sedem Protectorem, et quascumque eorumdem Cardinalium Congregationes, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac praesertim enunciatis Alexandri, utriusque Innocentii, et Clementis Praedecessorum praefatorum Literis, necnon Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, dictorumque Recessuum, et Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu et sigillo Guardiani pro tempore existentis saepememorati Recessus S. Bonaventurae de Urbe munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCCLI. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Cajetanus Amatus.

LATINI RITUS XLIII.

Presbyteris in Russia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus Lapideis Altaribus seu Tabulis consecratis, et Calicibus aureis sive argenteis, Missarum Sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensiis, et cum Calicibus e stanno celebrare.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Imposito Nobis Apostolicae servitutis officio convenit, universae Christi Familiae toto Terrarum Orbe diffusae necessitatibus animum diligenter intendere, maxime vero fidelium Ecclesiae Ministrorum in remotis Regionibus pro animarum salute laborantium preces benigne suscipere, eorumque opportuno levamini, ac spirituali consolationi, etiam per congruae dispensationis Indulta, prout rerum, locorum, et temporum rationes, ac veneranda majorum nostrorum exempla suadent, consulere, et providere.

Missionariorum preces delatae ad Congreg. de Propaganda Fide. §. 1. Sane dudum Dilecti Filii Presbyteri Latini Ritus Apostolicas Missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum exponi curarunt, quod quum in tota Russia, ac potissimum in Montibus Pokuciae, in Podolia, in vastissimis Ukrainae Regionibus, et in universa fere Russia, Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum Unitorum Ecclesiae, rarissimae vero Latini Ritus; cumque ipsi pro Missarum celebratione Lapideas Sacratas Tabulas, et Calices aureos, vel argenteos, per longa et difficilia itinera, sine gravi incommodo, et sine periculo confringendi easdem Tabulas, et Calices, secum deferre non valeant; idcirco, nisi

facultas ipsis concederetur celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium super dictorum Ruthenorum Antimensiis, ut vocant et Calices eorumdem e stanno, ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab ejusdem Sacrificii celebratione plerumque abstinere: multique praeterea Latini Ritus Fideles, qui ab Ecclesiis ejusdem Ritus longe degunt, Sacerdotis Latini praesentia, a quo Sacra Mysteria peragantur, eisque distribuantur, omnino carebunt; prout reipsa saepe, gravissimo cum animarum detrimento, per plures annos carere dignoscuntur. Proindeque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur hujusmodi facultas, Sacrosanctum nempe Missae Sacrificium, etiam sine Lapidea Sacrata Tabula, celebrandi super Antimensiis Ruthenorum Unitorum, atque in Missarum celebratione, eorumdem Ruthenorum stanneos Calices adhibendi.

Remittuntur ad Congr. S. Officii, ibique examinantur.

§. 2. Cum autem hujusmodi Missionariorum preces, a dicta Cardinalium Congregatione Propagandae Fidei negotiis praeposita alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium adversus Haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum, examini et judicio, de more, remissae fuerint; et consequenter de iis actum fuerit in Consessu coram Nobis habito die XXII. Januarii elapsi Anni MDCCL.; Nos tunc, ut ad generale Rescriptum super his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi jussimus; ac praeterea Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in Curia praesens aderat, quique et antea diu in Polonici Regni Ditionibus, atque in Ecclesiasticis Catholicorum Latinorum, Graecorumque Unitorum negotiis, Apostolicae Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat; et deinde ad easdem Regiones, et ad eosdem labores laudabiliter prosequendos, non obstantibus itinerum difficultatibus expensisque, redire non dubitavit, mandavimus, ut Nos super expositorum veritate instructos redderet, suamque Nobis sententiam super hujusmodi postulatis, tam voce, quam scripto, aperiret. Nunc vero, exhibitis Nobis praecedentium Decretorum monumentis, iisque per Nos accurate perpensis; atque omnibus, quae in dictis precibus narrata fuerant, praefati Episcopi Zenopolitani testimonio comprobatis; quum is praeterea Nobis retulerit, complures esse in iis Regionibus Presbyteros Latini Ritus, et quidem Deum timentes, qui in supradictis necessitatibus constituti, minime dubitant super Antimensiis Graecorum Unitorum absque Lapidea Tabula Missarum Sacra facere; ejusdemque consilium fuerit, quod sicuti Graecorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis Antimensiis relictis, Missarum Sacrificia offerunt super Lapideis Latinorum Tabulis; ita, ad constitutam feliciter Unionem magis, magisque stabiliendam non parum conduceret, Latinis Presbyteris liberam facultatem concedere, ut, ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum Lapidea Altaris Tabula, Missas celebrare valeant super eorumdem Graecorum Unitorum Antimensiis; his omnibus attente perpensis, in hanc denique sententiam devenimus, ut praedictis Sacerdotibus Latini Ritus in Russia Polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus Lapideis Tabulis de more consecratis, et Calicibus aureis, sive argenteis, Missarum Sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensiis, et cum Calicibus e stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiae scrupulo, celebrare.

Exquiritur Testimonium et Votum Episcopi Zenopol. tunc in Curia praesentis, quem Pont. laudat.

Is Expositorum veritatem testatur, et Precibus annuendum suadet.

Pontifex annuit.

§. 3. Porro, quod attinet ad Calices stanneos, omissis iis, quae repeti possent ex priorum Ecclesiae saeculorum memoria, quum scilicet et lignei, et vitrei Calices in Altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a Nobis est in tractatu *de Sacrificio Missae sess.* 1. §. 26. *et seq. Latinae Editionis Patavinae:* nullum generale Decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit hujusmodi Calicibus e stanno confectis in Missa uti, si Ecclesiarum, vel Sacerdotum paupertas tanta sit, ut majoris pretii vasa comparari nequeant; quin immo *in Can. Ut Calix, de Consecrat. distinct.* 1. haec expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat.* Et quidem ad comprobandam asserendamque hujusmodi Ecclesiae Indulgentiam plura leguntur apud Sanctum Thomam 3. *part. quaest.* 83. *art.* 3. *ad sextum*, aliosque Scriptores de hoc disciplinae capite agentes: Quart. *ad Rubricas Missalis part.* 2. *tit.* 1. *sect.* 1. *dub.* 1. §. *Colligitur*, Pasqualig. *de Sacrificio Novae Legis tom.* 2. *quaest.* 764. *et quaest.* 765., Biss. *Hierurgia Sacra in verb. Calix* §. 1.

Calices stannei nulla Ecclesiae lege prohibiti sunt; immo certis in casibus expresse permissi.

§. 4. Quod vero spectat ad alteram optati Indulti partem, satis quidem constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse Incruentum Missae Sacrificium, nisi super Altari, quod vel totum rite consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum Lapidem, et qui *Tabula Altaris* nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto Tractatu *de Sacrificio Missae cit. sect.* 1. §. 2. *et seq.* In Graeca autem Ecclesia hujusmodi Sacrati Lapides minime sunt in usu; sed ibi a pluribus jam saeculis in more positum est, ut, ubi Altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapideae hujusmodi Tabulae, super Altaris Mensa aptetur Linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiae reconditae sunt, quodque vocatur *Antimension*, et super ipso Sacra Mysteria conficiantur; ut apud Auctores de Rebus Liturgicis tractantes videre licet, Goar. *in notis ad Eucholog. Graecor. pag.* 521. *Venetae Editionis*, Christianus Lupus *in Synodos General. et Provincial. in dissert. de S. Leonis IX. actis cap.* 13. *Bruxellen. Editionis part.* 3. Renaudot *in Collectione Liturgicarum Orientat. tom.* 1. *pag.* 182. *Edit. Parisiens.*, Magri *in notitia vocabulor. Ecclesiasticor. in verba, Antimensia*, Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 20. §. 2. ejusque Commentator Robert. Sala *tom.* 2. *pag.* 70. *num.* 4. *Taurinen. Editionis.*

§. 5. Quum vero nunquam Ecclesiae Latinae mens fuerit, ut Graecorum Ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas esset, nec non eorumdem apud Graecos Fideles observantiae prospexerit; nunquam proinde Missarum celebrationem, quae super hujusmodi Antimensiis a Graecis Catholicis fit, improbavit; sed eam, et quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter Italo-Graecos, permitti expresse declaravit; ut videre licet tum in Institutione per fel. rec. Praedecessorem nostrum Clementem Papam VIII. edita, tum in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi Pastoralis, Bullarii nostri tom.* 1. *Constit.* 57. §. 6. *num.* 17.

§. 6. Quum vero in iis Regionibus, in quibus Italo-Graeci sunt, Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius, quam alterius Ritus Ecclesiae adsint, ita ut absque ullo impedimento, et sine gravi incommodo unusquisque Presbyter proprii Ritus Ecclesiam adire valeat; nulla sane causa est, ob quam Latinis earum partium Presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiae Latinae disciplinam, sine sacrata Altaris lapidea Tabula Missas celebrare, easque super Graecorum Antimensiis offerre; quod ipsis proinde in citata nostra Constitutione vetitum fuit, *eodem* §. 6. *num.* 19.

§. 7. Sed aliter se res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Ecclesiis Latini Ritus longe degentes, quum Sacratas Lapideas Tabulas per longa itinera sine gravi incommodo, et sine periculo eas confringendi, secum deferre nequeant, vel Missae celebrationem penitus omittere, et sic Latinos Fideles sine Sacrificio proprii Ritus, et sine Mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Graecorum Antimensiis peragere compelluntur. In hujusmodi rerum circumstantiis, Apostolicae Sedis provida indulgentia jamdudum enituit; quum scilicet anno MDCII. ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis praedictae Cardinalium Inquisitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Praedecessore Nostro Clemente Papa VIII. approbante, rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici, in Ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus, et Vestibus Sacris eorumdem Catholicorum uti, et Missam celebrare possint, in casu necessitatis, ac etiam solum devotionis causa, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et e contra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum, Altaribus, et Calicibus, ac Vestibus Sacris uti, et Missam celebrare valeant, Ritu tamen Latino. Et praedicta, serventur secluso omni scandalo, et de licentia Praelatorum, et Rectorum ipsarum Ecclesiarum.*

§. 8. Nos igitur, praemissae necessitatis intuitu, atque etiam hujusmodi Decreti consideratione adducti, praesentium literarum tenore, atque ex certa scientia, et Apostolicae auctoritatis plenitudine, salvis praefati Clementis VIII., nostrisque super Ritibus Italo-Graecorum editis Constitutionibus, et Ordinationibus, non modo relatum superius Decretum approbamus, et confirmamus; verum etiam praefatis omnibus Missionariis, aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc et pro tempore commorantibus, ut ipsi, et eorum quilibet, in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus Lapideis Altarium Tabulis rite

Peculiares tamen necessitates Locorum de quibus agitur, dispensationem concedendam suadent.

Similis Indulti exemplum datum est an. 1602. pro Dioecesi Vilnensi.

Pontifex Indultum illud confirmat, et reliquis Presbyteris Latinis in Russia Polonica degentibus indulget juxta petita.

consecratis, super Sacris eorumdem Ruthenorum Antimensiis Missarum Sacrificia celebrare, atque etiam, ut supra dictum est, in hujusmodi celebratione eorumdem Calicibus stanneis uti libere, et licite possint, et valeant, concedimus, et indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu Generalium, aut Provincialium, vel Synodalium Conciliorum contrariis Constitutionibus, et Ordinationibus, sive Locorum, Personarum, aut Ordinum Statutis, ritibus, Usibus, et Consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 9. Volumus autem, sicut in praemisso Decreto expresse cautum reperitur, ut dicti Missionarii, et Sacerdotes Latini, etiam quum eos, vigore praesentis concessionis, super Ruthenorum Unitorum Antimensiis Missam celebrare contigerit, Latino semper Ritu eadem celebrare teneantur; firma nimirum, et in suo robore permanente Apostolica Constitutione a fel. rec. Praedecessore quoque Nostro Sancto Pio Papa V. edita, quae incipit: *Providentia Romani Pontificis, constit. 12. tom. 2. Bullar. Rom. Edition. Luxemburg.*, per quam omnes facultates, et Indulta, tam Graecis, ut Missas, et Divina Officia Latino ritu celebrare possent, quam etiam Latinis concessa, ut eadem Graeco Ritu peragere valerent, revocata, atque perpetuo sublata fuerunt; quamque Nos etiam earumdem praesentium tenore, quatenus opus sit, dictaque auctoritate, confirmamus, et innovamus.

Proprium tamen Ritum ab unoquoque Sacerdote servandum decernit juxta Constitut. S. Pii V.

§. 10. Volumus insuper, ut iidem praesenti Indulto celebrandi super Graecorum Antimensiis, in praedictorum Ruthenorum Ecclesiis dumtaxat (quemadmodum etiam in praemisso Decreto legitur) uti, et gaudere possint; si vero eosdem in aliqua Latina Ecclesia, seu in domesticis Latinorum Oratoriis, quae forsan auctoritate Apostolica in hujusmodi Latinorum privatis Domibus, cum licentia celebrari faciendi, quae adhuc vigeat, erecta fuerint, Sacrosanctum Sacrificium offerre contigerit, illud vel super Altari consecrato, vel super lapidea pariter consecrata Tabula, quae etiam *Altare portatile* appellatur, non autem super Antimensiis hujusmodi, celebrare omnino debeant.

Nec hujusmodi Indulto locum esse vult in Ecclesiis, aut Oratoriis Latinis.

§. 11. Volumus denique, ut praesentium literarum exempla, etiam impressa, publici Notarii subscriptione, et Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae Sigillo munita, eamdem omnino, ac ipsae praesentes, ubicumque opus fuerit, fidem, et auctoritatem obtineant.

Transumptis fidem haberi jubet.

§. 12. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae Concessionis, Indulti, Statuti, Decreti, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini MDCCLI. IV. Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Dat. die 29. Martii 1751.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

GRÆCI RITUS XLIV.

Observantia, et Linguae Graecae studium Monachis Ordinis Sancti Basilii injungitur, et commendatur.

Dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, et Vocalibus Ordinis Sancti Basilii Magni ad Capitulum Generale convocatis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi persuasum habemus, praeclari Ordinis vestri in Catholica Ecclesia celeberrimi rationes, et instituta, quae ad Generalia Comitia vos acciverunt, vos etiam, Dilecti Filii, satis admonere, qua cura, qua solertia, qua charitate, quo zelo omnia Religionis vestrae negotia peragenda sint; ad singularem tamen nostram erga eumdem Ordinem vestrum benevolentiam vobis commonstrandam, facere non

Prooemium.

possumus, quin Comitiorum vestrorum studia ad confirmandam adaugendamque regularem disciplinam paternis monitis excitemus.

...batis Generalis ele...onem, ...que in Capitulo sta...nda, in ...dinis uti...tem ce...e Pont. ...pit.

§. 1. Ac primum quidem, Dilecti Filii, a vobis exposcimus, et vehementer vos hortamur, ut communibus animis unum Deum prae oculis habentes, eum laudatissimo Ordini vestro Abbatem Generalem praeficere satagatis, qui inter caeteros Abbates, ad quos spectat, prudentia, doctrina, atque emeritis religiosae vitae stipendiis praecellens, regularem observantiam exemplis accendat, charitate foveat, auctoritate tueatur. Deinde vero providentiam, zelumque vestrum requirimus, ut, sicubi fortasse observantiae ardor intepuerit, aut degeneres a pristina religione mores irrepserint, salutaribus statutis emendare studeatis.

...aeci Ri... obser...ntiam in ...dine S. ...silii cu...diendam ...adet.

§. 2. Quoniam autem inter illustria Ordinis vestri decora illud omni procul dubio maximopere commendatur, quod Catholicus Graecae Ecclesiae Ritus, post tot, tamque varias ejusdem Ecclesiae Graecae ab haereticis, et schismaticis perturbatae vices, ad haec usque tempora in eo servatur; oportet, ut omnem operam, studiumque impendatis, quo idem Graecus Ritus, et juxta Apostolicae Sedis praecepta, atque in Generalibus Capitulis, et Diaetis Ordinis vestri decreta, deinceps integrius custodiatur. Eapropter Nos, quibus maxime cordi est, ut exacta ejusdem Graeci Ritus custodia in Monasteriis pro Ritu Graeco constitutis stabilis perseveret, vobis, Dilecti Filii, Apostolica auctoritate nostra injungimus, et mandamus, ut omnia et singula hujusmodi decreta ad annum usque millesimum septingentesimum quadragesimum secundum edita, iterum in Capitulo Generali quamprimum per vos celebrando renovetis, confirmetis, et omnino servanda districte praecipiatis. Quin immo vos certiores esse cupimus, Pontificiae solicitudini nostrae pergratum, jucundumque futurum, si in saepedicto Capitulo Generali novas quoque, consentaneasque eidem Graeco Ritui magis magisque stabiliendo, provehendoque, Ordinationes Constitutionesque praescripseritis.

...atuta jam...idem su...r hoc edi... integrari ...audat.

...t nova op...ortune con...titut.

Abbates, Priores, et Magistros Monasterio...rum Graeci Ritus nulla ...atione exi...mi posse sta...tuita cele...

§. 3. Praeterea, ut paterni animi nostri sensus hac super re Vobis testatiores sint, volumus itidem, atque praecipimus, ut Abbates Monasteriorum Graeci Ritus, etiamsi Muneribus, et Officiis, vel Procuratoris Generalis vel Visitatoris, vel Definitoris Generalis fungantur, ad Missam tamen Ritu Graeco celebrandam teneantur, sub severioribus Ecclesiasticis poenis, et censuris, etiam privationis munerum, et Officiorum, et privationis vocis activae, et passivae; quemadmodum in Diaeta in in hac alma Urbe nostra anno MDCLVIII. habita praescriptum, ordinatumque fuit. Eidem pariter obligationi Missam Ritu Greco celebrandi, et poenis, ac censuris obnoxios esse declaramus, et mandamus Priores, et Magistros memoratorum Ritus Graeci Monasteriorum; cum una, aut duae Missae, quae Latino Ritu juxta Apostolicas Constitutiones in ipsis Ritus Graeci Monasteriis, in quibus sex vel plures Monachi reperiuntur, celebrari possunt, per Monachos simplices, ut dicitur, non graduatos celebrari debeant.

...bratione Missae sub eodem Ritu, et a poenis adversus contrafacientes inflictis.

§. 4. Denique volumus, et mandamus, ut omnia, et singula Decreta, et Statuta tam in antecedentibus Capitulis Generalibus, et Diaetis pro stabilitate, et firmitate Graeci Ritus condita, et ordinata, quam ea insimul, quae in Capitulo mox celebrando pro dicti Ritus Graeci manutentione fieri, et praescribi contigerit, post Capituli hujusmodi celebrationem ad Nos deferantur, ut, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolica auctoritate nostra approbemus, et confirmemus, et inviolabili Apostolicae firmitatis patrocinio muniamus.

Decreta super his edita, et edenda ad se deferri praecipit, Apostolica auctoritate confirmanda.

§. 5. Porro facile Nobis persuademus, Vos probe intellecturos ex iis, quae ad custodiendum, confirmandumque in Ordine vestro Graecum Ritum praescripta sunt, opus esse, ut Graecae Linguae peritiam, non illam quidem levem, et extimam, sed illam vero perfectam, et omnibus numeris absolutam, ad sanas, candidasque Auctorum sententias callendas necessariam, ediscatis, et comparetis; ac proinde, ut in hujusmodi studium Graeci idiomatis pro viribus incumbatis, etiam atque etiam Vos adhortamur, et incitamus.

Linguae Graecae studium enixe commendat.

§. 6. Interim ad prosperi successus, et coelestis praesidii auspicium Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, studiosae nostrae erga Vos voluntatis pignus, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. April. MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Dat. die 20. April. 1751.

Cajetanus Amatus.

XLV. BASILICÆ LATERANENSIS

Indulgentiae confirmantur: Illae vero, quae Ecclesiis ipsius Filiabus, seu ipsi aggregatis, hactenus communicatae fuerunt, suspenduntur; et interim eisdem aliae Indulgentiae, et gratiae spirituales conceduntur, seu respective communicari permittuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Assiduae solicitudinis debitum Nobis una cum Universae Ecclesiae regimine impositum agnoscentes, in id potissimum vigilantiae nostrae studia conferimus, ut quae salubriter a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus constituta sunt, ab omnibus, praesertim in Alma Urbe nostra, et ab iis, quorum specialis cura Nobis imminet, observentur, et impleantur, prout Ecclesiasticae disciplinae integritati, ac personarum, rerumque rationibus convenire in Domino judicamus.

Clemens VIII. opportunas leges praescripsit in Aggregationibus, et Indulgentiarum communicationibus observandas. §. 1. Dudum siquidem, postquam. fel. record. Praedecessor Noster Clemens Papa VIII. die VII. Septembris Anno MDCIV., providam ediderat Constitutionem, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica*, per quam, ad tollendas pravas quasdam consuetudines, quae irrepserant in usu facultatum a Sede Apostolica concessarum nonnullis Regularium Ordinibus, ac Saecularium Christifidelium Archiconfraternitatibus, et Congregationibus, tam in Urbe praedicta, quam in aliis Christiani Orbis partibus institutis, erigendi videlicet, instituendi, ac etiam sibi aggregandi Confraternitates, et Congregationes, eisque communicandi Privilegia, Indulgentias, Facultates, aliasque spirituales Gratias, et Indulta sibi respective concessa, facultates praedictas moderando, opportunas leges, certamque formam, et modum in hujusmodi erectionibus, institutionibus, seu aggregationibus, et respective communicationibus observanda praescripserat, aliaque decreverat, et constituerat, quae in ejusdem Clementis Literis praedictis in forma Brevis expeditis latius continentur.

Paulus V. intelligit, Capitulum Lateranense alia forma uti in erectionibus, et subjectionibus Ecclesiarum etc. §. 2. Quum procedentibus annis recolendae quoque memoriae Praedecessor Noster Paulus Papa V. accepisset, Basilicae Lateranensis Capitulum et Canonicos, diversas ubique constitutas Ecclesias, vel Cappellas, seu Altaria, vel Oratoria, eidem Basilicae submittere, subjicere, annectere, incorporare, ac in Basilicae praedictae membra recipere solere, ejusdemque non minus, quam aliis Ecclesiis, Cappellis, altaribus, seu Oratoriis, et Piis Locis in solo Lateranensi aedificatis, et constructis, varias Indulgentias, Facultates, aliasque spirituales Gratias, Indulta, et Privilegia concedere, dictae Constitutionis a Clemente VIII. editae forma, propterea quod ejusdem Basilicae jura et Privilegia sub illius dispositione minime comprehensa esse contenderent, non servata.

Clementinae Constitutionis leges ad illud expresse extendit. §. 3. Hinc idem Paulus Praedecessor, volens hujusmodi Clementis Constitutionem ab ejusdem Lateranensis Ecclesiae Capitulo et Canonicis, non secus ac ab aliis quibuscumque jus et facultatem communicandi Indulgentias habentibus, illisque utentibus, sine discrimine, ut par erat, observari, peculiaribus editis Literis sub Annulo Piscatori die XXIII. Novembris Anni MDCX., ipsam praedictam Clementis Constitutionem, cum omnibus ejus clausulis, et Decretis, ad praedictae Basilicae Capitulum et Canonicos, ad effectum videlicet, ut nullas exinde in posterum Indulgentias, nisi ejusdem Constitutionis forma servata, et Apostolica dumtaxat auctoritate, communicare possent, expresse extendit; et ab ipsis, perinde ac si eorum expressa mentio in dictis Clementis Literis facta fuisset, perpetuis futuris temporibus, sub poenis in eisdem Literis contentis, inviolabiliter observari praecepit; volens nihilominus, ut Indulgentiae, peccatorum remissiones, gratiae, et privilegia per dictum Capitulum et Canonicos, ad eum diem, vigore Indultorum eis a Sede Apostolica concessorum, hujusmodi Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, et Locis Piis concessa, et communicata, in suo robore permanerent.

Salvis tamen Indulgentiis eo usque communicatis in vim Indultorum Apostolicorum.

Ob deperdita Indultorum monumenta, nihil innovatur in renovationibus communicationum. §. 4. Quum tamen hujusmodi Indultorum frequens quidem in Literis Apostolicis mentio, et confirmatio appareret; sed de eorumdem vero tenore, ob temporum antiquitatem, et varias a dicta Lateranensi Ecclesia, ejusque Capitulo passas vicissitudines, certa scientia minime haberetur; proindeque plenaria dictarum Clementis VIII., et Pauli V. Literarum

executio praevium altioris indaginis judicium requirere videretur; hinc factum est, ut, et veterum concessionum, sive communicationum hujusmodi renovationes a praedictis Capitulo et Canonicis fieri perrexerint juxta formam ab ipsis antiquitus usitatam; et quum deinceps piarum personarum, sive Universitatum preces eisdem pro novis Ecclesiarum, Altarium, aliorumque Locorum Piorum erectionibus, seu submissionibus, et incorporationibus oblatae fuerunt, simul etiam a Romanis pro tempore Pontificibus licentia impetrari consueverit, ut Indulgentiarum communicatio ab ipsis pro ea vice, non obstantibus Clementis, et Pauli Praedecessorum praefatorum Constitutionibus hujusmodi, juxta eamdem veterem formam concedi posset.

Et novae communicationes, pendente Indulgentiarum Indagine, sub antiqua forma concedi pergunt.

§. 5. Sed quum in hujusmodi communicationis forma, et in subscripto Indulgentiarum Summario, praeter alia praefati Clementis VIII. Constitutioni parum consentanea, illud etiam animadversum fuerit, quod scilicet complures Indulgentiae speciales, quae ex justa Romanorum Pontificum erga praefatam Lateranensem Basilicam liberalitate, ob ejus praecellentem in Universo Catholico Orbe Dignitatem, ipsi Basilicae concessae fuerunt, ad omnes extenderentur Ecclesias, Cappellas, Altaria, Oratoria, et Loca Pia eidem quoquo modo subjecta, et incorporata, contra praesumptam ipsorum concedentium mentem, et contra probatam Apostolicae Sedis in Indulgentiarum dispensatione disciplinam; adeo ut nonnulli etiam Episcopi, pro commissa sibi a Concilio Tridentino adversus irregulares Indulgentiarum promulgationes inspectione, et vigilantia, officii sui debitum reputaverint earum publicationi se opponere; indeque plures ortae fuerint lites, et controversiae, quae Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Indulgentiis, et Sacris Reliquiis praepositae zelum excitarunt, ut, opportuna tandem ratione, et Apostolica auctoritate, hujusmodi deordinationibus remedium afferri debere judicaret.

Ne hac veteri forma aliqua inveniuntur, quae controversiis causam praebent, et a Congregatione Indulgentiarum corrigenda judicantur.

§. 6. Nos, omnibus visis, atque perpensis, quae coram dicta Cardinalium Congregatione, praefatis Capitulo et Canonicis pluries auditis, agitata fuerunt, quum nondum in clara luce positum conspexerimus, an, et quae facultas eisdem Capitulo, et Canonicis circa Indulgentiarum hujusmodi communicationem, et extensionem ad Ecclesias, et alia Loca Pia, quae inter Basilicae praedictae membra connumerantur, a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessa fuerit; ad memoratas lites, et controversias interea sedandas, aliasque opportune praecavendas, utque dictorum Capituli et Canonicorum, nec non Rectorum, Administratorum, ac Officialium dictarum Ecclesiarum, aliorumque Piorum Locorum hujusmodi, et respective Ordinariorum Locorum, et quorumcumque Christifidelium quieti, et securitati, ac spiritualibus profectibus paterne consulamus, Motu proprio, et certa scientia, infrascriptas Leges, et Ordinationes circa praemissa, praesentium Literarum tenore, et Apostolica auctoritate duximus statuendas.

Pontifex temporaneum remedium excogitat.

§. 7. In primis videlicet, omnes, et singulas Indulgentias, et peccatorum, seu poenarum remissiones, et relaxationes, aliasque gratias spirituales tam pro vivis, quam pro defunctis, dictae Basilicae Lateranensi a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessas, quae jamdudum, ipsis Romanis Pontificibus scientibus, et consentientibus, publice in eadem Basilica proponi consueverunt, etiamsi de illarum primaeva concessione certa monumenta nunc non appareant, praedictis Motu, scientia, tenore, et auctoritate approbamus, et confirmamus, eidemque Basilicae, perinde ac si per praesentes ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradictione competere declaramus, atque decernimus.

Indulgentias Basilicae, et in ea proponi solitas, praeservat, et confirmat.

§. 8. Quo vero ad eas Indulgentias, et remissiones, seu relaxationes hujusmodi, quae a praedictis Capitulo et Canonicis hactenus quibuslibet Ecclesiis, Altaribus, Cappellis, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis ejusdem Basilicae membris, eidemque subjectis, et incorporatis, ubicumque existentibus, quorumlibet Indultorum, Privilegiorum, aut Facultatum vigore, sive generaliter, et ad instar, sive specialiter, et nominaliter, et nominatim communicatae fuerunt, sive etiam ex directa Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum concessione ad illas, et illa extensae dici possent, quaecumque illae sint, Nos eas omnes et singulas, simili Motu, auctoritate, et tenore, interim suspendimus, et tamdiu effectu carere volumus, et decernimus, donec, prolatis authenticis Indultorum, Privilegiorum, et facultatum hujusmodi monumentis, de certa praedictorum Romanorum

Eas vero, quae aliis Ecclesiis a Capitulo hactenus communicatae, vel extensae fuerunt, suspendit usque ad exitum judicii.

Pontificum Praedecessorum Nostrorum voluntate, et concessione, quoad communicationes, et extensiones hujusmodi, Nobis, vel Successoribus Nostris, seu dictae Congregationi constiterit.

Interim iisdem ecclesiis aliis ipse directe concedit.

§. 9. Interea tamen, easdem Ecclesias, Altaria, Cappellas, Oratoria, Confraternitates, et Loca Pia dictae Basilicae membra, hactenus erecta, seu eidem subjecta, et incorporata, ubicumque existentia, Nos infrascriptarum Indulgentiarum, et gratiarum spiritualium, quae usque ad statutum suspensionis praedictae terminum valiturae sint, muneribus ditare decrevimus.

In quinque solemnitatibus per annum Plenariam.

§. 10. Omnibus nimirum utriusque sexus Christifidelibus, qui illas, et illa in Ascensionis Domini Nostri JESU CHRISTI, Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, S. Joannis Evangelistae, et Dedicationis ejusdem Lateranensis Basilicae diebus Festis, vere poenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti, a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi, devote visitaverint, ibique pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, et Christianorum Principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus praedictis, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et impertimur.

In octo Festis Sanctorum Apostolorum septem annos, et totidem quadragenas.

§. 11. Iis vero, qui in reliquis Sanctorum Apostolorum Festis, nimirum Andreae, Jacobi, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, ac Mathiae, vere poenitentes, et confessi praemissa peregerint, septem Annos, et totidem Quadragenas.

In diebus Adventus, et Quadragesimae quatuor annos, et totidem quadragenas.

§. 12. Qui autem illas, et illa a Dominica prima Adventus, usque ad Festum Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, et a Feria IV. Cinerum usque ad Festum Resurrectionis Dominicae, vere poenitentes, et cum proposito saltem confitendi, visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, singulis diebus, quibus id egerint, quatuor Annos, et totidem Quadragenas; in reliquis autem singulis Anni diebus, centum dies de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

In reliquis diebus per annum, centum dies.

Ac demum Indulgentias Stationales in diebus Stationum

§. 13. Denique ut ii, qui in diebus Stationum ejusdem Ecclesiae Lateranensis in Missali Romano descriptis, videlicet Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum, Feria V. in Coena Domini, Sabbatho Sancto, Sabbatho in Albis, Feria III. Rogationum, et Sabbatho in Vigilia Pentecostes, aliquam ex dictis Ecclesiis, aliisque superius expressis, cum dicto poenitentiae affectu, et confessionis proposito visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, Indulgentias stationales, quas visitantes dictam Ecclesiam Lateranensem iisdem diebus consequuntur, ipsi quoque, perinde ac si eamdem Ecclesiam personaliter visitarent, consequi possint, et valeant, similiter concedimus, et indulgemus. ipsius Basilicae.

Suspensionem, et concessionem hujusmodi per Ecclesias nunciari mandat.

§. 14. Quocirca Dilectis Filiis Capitulo et Canonicis praedictae Ecclesiae Nostrae Lateranensis per praesentes injungimus et mandamus, ut omnes et singulos dictarum Ecclesiarum, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, Confraternitatum, et Locorum Piorum ubique existentium respective Rectores, sive Administratores, aut Officiales, sive Ministros, de suspensione hujusmodi, simulque de praemissarum Indulgentiarum et Gratiarum interea, ut praefertur, duratura concessione, per Nos factis, quamprimum instructos reddant per eorum Literas missivas, cum adjunctis praesentium Nostrarum Literarum Transumptis, seu Exemplis; quibus, etiamsi Typis descripta fuerint, eorumdem sigilli impressione, ac Secretarii subscriptione munitis, eamdem omnino fidem, quae ipsis praesentibus haberetur, ubique habendam fore decernimus; ad hoc ut ipsi Rectores, Administratores, Officiales, atque Ministri dictas Indulgentias et gratias spirituales, servatis omnibus ex Concilii Tridentini, et ex praedicti Clementis VIII. aliorumque Romanorum Pontificum praescripto in Indulgentiarum promulgatione, atque etiam in Eleemosynarum perceptione, earumque erogatione servandis, promulgare, et proponere valeant. Praesentium exemplis auctoritatem tribuit.

Durante suspensione, praemissas tantummodo Indulgentias a Capitulo in renovationibus exprimi jubet.

§. 15. Iisdemque Capitulo et Canonicis mandamus pariter, et injungimus, ut renovationum Literas, quas deinde favore hujusmodi Ecclesiarum, Altarium, aliorumque praemissorum, durante suspensione hujusmodi, expedient, ita reforment, ac moderentur, ut Indulgentias dumtaxat superius a Nobis concessas, et quidem expresse, ac nominatim, facultate sibi per praesentes a Nobis impertita, nec ullas alias quomodocumque, eadem suspensione durante, illis communicent.

Novas Ecclesiarum etc. erectiones, et receptiones ad formam Constitutionis Clementinae, et praesentium Literarum, sciendas decernit.

§. 16. In novis autem aliarum Ecclesiarum, Cappellarum, Altarium, Oratoriorum, Confraternitatum, aliorumque Piorum Locorum erectionibus, incorporationibus, et receptionibus, quas in posterum ab ipsis Capitulo et Canonicis fieri contingat, volumus, atque praecipimus, ut, juxta memoratam superius Pauli V. declarationem, praeter alia in hujusmodi actibus observanda, providas quoque Leges circa Indulgentiarum communicationes a praefato Clemente VIII. Praedecessore in dicta ipsius Constitutione, quae incipit: *Quaecumque*, latas, atque sancitas, juxta sequentem modum, omnino observent; ut scilicet in singulis Civitatibus, Oppidis, vel Locis, unam dumtaxat ex hujusmodi Ecclesiis, seu Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis quomodocumque nuncupatis, dictarum Indulgentiarum communicationis munere ditare possint, dummodo Ecclesia, aut Oratorium ipsis subjectum, seu illa Ecclesia, in qua Cappella, vel Altare praedictum exstiterit, Regularium, aut Monalium non sit, nec Ecclesia, Cappella, Altare, Oratorium, Pius Locus, aut Confraternitas hujusmodi ulli alteri Ecclesiae, aut ulli Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, et Congregationi, a qua Indulgentiarum communicationem, seu participationem obtineat, aggregata sit, aut subjecta; et dummodo ejusdem Ecclesiae, Cappellae, Altaris, seu Oratorii celebritas, vel Confraternitatis, aut Loci Pii institutum, et Christianae pietatis, et Charitatis officia, quae exercere consuevit, Ordinarii Loci Testimonialibus Literis apud eos commendentur. Facultatem tamen indulgendi, prout alias in certis casibus ab Apostolica Sede benigne indulgeri consuevit, ut in una, eademque Civitate, aut Oppido, duabus Ecclesiis, seu Cappellis vel Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis, ubi speciales id circumstantiae suadeant, hujusmodi Indulgentiarum communicatio a dictis Capitulo et Canonicis concedi possit, praedictae Cardinalium Congregationi per praesentes tribuimus, et impertimur.

Hisque praemissae dumtaxat Indulgentias, durante suspensione, communicandi, ser. ser. republicandas.

§. 17. Porro hujusmodi Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, et Locis Piis, supra expressae Indulgentiae, et gratiae spirituales tantum, et non aliae, suspensione hujusmodi durante, a dictis Capitulo, et Canonicis, et quidem nominatim, facultate sibi per praesentes a Nobis impertita, aliisque servatis, quae in dicta Clementis Praedecessoris constitutione, praesertim circa gratiam Literarum expeditionem, atque in Decretis a dicta Congregatione die VI. Martii Anni MDCVIII. et die X. Aprilis Anni MDCCXX. editis, statuta sunt, communicari valeant. Ab illarum vero, eorumque Rectoribus, Administratoribus, Officialibus, et Ministris, in earumdem Indulgentiarum publicatione, nec non eleemosynarum receptione, et erogatione, aliae similiter Leges, in Tridentini Concilii Decretis, et in supradictis Clementis VIII. Literis, aliisque Romanorum Pontificum, et Apostolicae Sedis Constitutionibus, atque Decretis praescriptae, sub poenis ibidem adversus transgressores respective statutis, inviolabiliter serventur, et impleantur.

Clausulae salutares.

§. 18. Praesentes autem Literae, atque omnia, et singula in ipsis contenta, atque statuta, etiam ex eo, quod Capitulum et Canonici praedicti, aliique, in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati, aut super singulis praemissis forsan auditi fuerint, aliave qualibet de causa; nullatenus impugnari, seu de voluntatis nostrae, aliove quovis defectu redargui possint; sed a praedictis omnibus, et aliis quibuscumque, ad quos pertinet, seu pro tempore pertinebit in posterum, in omnibus, et per omnia observentur, et respective iis, quorum favorem concernunt, seu concernent in futurum, plenissime suffragentur. Sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores, et Apostolicae Sedis Nuntios, seu nostros, ejusdemque Sedis, etiam de Latere Legatos, aliosque S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, in praemissis judicari debeat, et interpretari. Nos enim his omnibus, et singulis aliter judicandi, et interpretandi facultatem interdicimus, et abrogamus per praesentes, atque etiam irritum, et inane decernimus, si quid secus circa praemissa per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter fieri, vel attentari, aut respective judicari, et interpretari contigerit.

Derogationes generales, et speciales.

§. 19. Non obstantibus praemissis Clementis VIII. et Pauli V. quatenus praesentes iisdem per omnia conformes non inveniantur, nec non fel. rec. Sixti Papae V. quarum initium est: *Si cunctas*, atque etiam de jure quae-

sito non tollendo, de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, dictaeque Congregationis die XI. Junii Anni MDCLXXIX. ac XXVII. Maii MDCCXXXII. et XXIII. Februarii MDCCXXXIV. editis Decretis, et Resolutionibus; Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis dictae Basilicae, illiusque Archipresbytero, Capitulo, et Canonicis forsan concessis, atque etiam pluries confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, et inserirentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis, et formas pro observatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum, harum serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio. §. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum declarationis, suspensionis, concessionis, impertitionis, relaxationis, indulti, mandati, statuti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 6. Maii 1751. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLI. pridie Nonas Maii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 2. Junii ejusdem Anni.

SPICARUM COLLECTIO XLVI.

Post messem Pauperibus non impedienda per totam Ditionem Ecclesiasticam decernitur, additis poenis, opportunisque legibus et conditionibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Ex commisso Nobis Apostolicae solicitudinis munere libenter ea omnia prosequimur, quae Nostrorum Subditorum commodum, atque utilitatem respiciunt; sed ad ea potissimum animum Nostrum intendimus, per quae Pauperum necessitatibus, et miserorum indigentiis consulitur.

Pauperum causa jam pridem Pontificem ad scribendum excitavit. §. 1. Alias siquidem, nempe sub die 22. Maii anni 1742. Pauperum querelis excitati, Epistolam Encyclicam dedimus ad Ven. Fratres Nostros Archiepiscopos, et Episcopos Ecclesiasticae Nostrae Ditionis, quae postea Bullarii Nostri Tomo primo inserta, ordine quinquagesima sexta est, in qua pauperum causam, hoc est causam Dei, eis commendantes, praecepimus, ut omnem adhiberent diligentiam, ne, messe facta, pauperes, et egeni praediorum aditu ad colligendas Spicas, vel in terra relictas, vel a Messoribus praeteritas, arcerentur; injungentes insuper, ut in iis locis, ubi hujusmodi consuetudo Spicarum collectionem permittendi recepta esset, omnino retineretur; ubi vero non adhuc esset, omni studio introduci curaretur, quemadmodum ex ipsius Epistolae serie cognosci potest.

Agnita exhortationum inutilitate, ad praecipiendum denique adducitur. §. 2. Epistolae autem Nostrae quibusdam in Locis plene obtemperatum est, in aliis vero ejus executio adhuc desideratur, ob aliquorum animi duritiem, qui nullo, aut modico miseriarum proximi sui sensu tanguntur, aut ob difficultates, quae in illius executione enatae sunt; siquidem intelleximus, plures timuisse, ne, si liber pauperibus ingressus ad colligendas in praediis Spicas, quae post messem supersunt, permitteretur, aliquod inde damnum substantiis suis, quod prorsus nolumus, oriretur. Itaque necesse duximus, novas ordinationes, novasque regulas praescribere; nolentes, quantum in Nobis est, in re tanti momen-

ti, scilicet in ferenda ope miseris, atque egenis sublevandis, qui si minus in extrema, certe in gravi auxilii necessitate versantur, nostras partes desiderari, et Nos debitores Deo constituere.

aque lege ata, ut alibi um factum st, jubet in tatu Eccle- ae Pauperi- us liberum picilegium ermitti.

§. 3. Nostro igitur consilio, nostrique animi desiderio inhaerentes, cum nuper a Nobis cognitum, atque intellectum fuerit in quibusdam Principatibus, ac Dominiis lege lata juberi, et praecipi, ut liber pauperibus in praedia relinquatur aditus ad legendas, quae post messem reliquae sunt, Spicas, easque ad proprias domos ferendas; hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, Motu proprio, ex certa scientia, ac plenitudine potestatis, volumus, praecipimus, jubemus, ac mandamus, ut exordiendo a proxima futura frumentorum messe, atque ita deinceps in futurum, in universo Statu, Nobis, et Sedi Apostolicae mediate, aut immediate in temporalibus subjecto, messe facta, a Dominis praediorum liberum omnino Spicilegium pauperibus permittatur, ita ut sine ullo impedimento Spicas, vel solo dispersas, vel a Messoribus praeteritas legere, easque familiis suis domum importare possint. Indigna enim, atque indecens prorsus Nobis visa res est, ut in aliis Dominiis hujusmodi subsidio, et solatio pauperum constitutis legibus consulatur; in nostro autem Ecclesiastico Temporali Statu id ipsum nulla lege, nulloque edicto demandetur; eo magis quod mitiori ratione a Nobis adhibita, multis in locis nihil profecimus. Et haec quidem est provisionis Nostrae, ratio, quam ineundam esse putavimus contra eos, qui sola animi duritie, et avaritia non ferenda, in sublevandis pauperibus contumaces se praebuerunt.

Aratorum amen inde- mnitati con- ulit.

§. 4. Sed quoniam, sicut superius innuimus, alii reperti sunt, qui induci nequiverunt, ut liberum pauperibus aditum ad sua praedia post messem sinerent, veriti, ne aliquod ex hac re detrimentum contra nostram voluntatem facultatibus suis crearetur; Nos, nonnullis Artis Agrariae peritis in consilium adhibitis, has sequentes regulas, quarum observatione omnis damni timor excluditur, statuendas esse censuimus.

Ingredi praedia non liceat, donec manipuli in nubilarium translati non fuerint.

§. 5. Prima autem est, ut nemini ingredi liceat praedia, seu praediorum regiones, vulgo *quarti*, ubi segetes metuntur, neque cuiquam aditus ad ea liber sit nisi posteaquam manipulorum acervi, vulgo *le casole*, e solo sublati, et in nubilarium, Italice *il barcone*, translati fuerint. Id autem, hanc ob causam fiat, ne abusus ille contingat, ut Messores, data opera, e manibus suis dilabi sinant Spicas, ab iis, qui pene eos sequentur, colligendas; aut pauperes non contenti Spicis in solum fortuito delapsis, aut a Messoribus praeteritis, ad eas auferendas ex ipsis manipulorum acervis manus porrigere audeant.

Post translationem liceat per decem dies spicas relictas colligere. Nec interim pecora in agros immittentur.

§. 6. Altera regula est, ut manipulorum acervis e praedio, aut *quarto*, ubi messum est, ablatis, translatisque in nubilarium, liber pauperibus pateat ingressus per decem dies ad Spicas legendas in solo relictas; quo temporis spatio neque domini, neque alii, qui ab ipsis Spicas emerunt, pauperibus Spicilegium prohibere possint, neque in praedia regiones, seu *quarti*, in quibus messis facta est, boves, sues, aliaque hujusmodi animalia ad pascendum immittere.

Elapis 10. diebus, emptores Spicas utantur jure suo, juxta pacta convenia. Quae reducuntur ad formam praesentis Constitutionis.

§. 7. Tertia autem est, ut, decem diebus elapsis, liceat dominis, seu Spicae emptoribus, in praedia, regiones, seu *quarti*, ea animalia, quae voluerint, inducere, juxta eorum pacta conventa; de quibus id insuper statuimus, ut tam ea, quae ante hanc nostram Constitutionem, quam illa, quae post ejus publicationem fient, salva semper libertate pauperibus concessa colligendi per decem dierum spatium Spicas, facta intelligi, atque ita observari debeant.

Ab hac lege nullius latifundia exempta decernuntur.

§. 8. Hac autem praesenti nostra Constitutione, quae ad universum Statum Nobis, et Sedi Apostolicae tam mediate, quam immediate in temporalibus subjectum spectat, motu, scientia, et potestate simili volumus, et decernimus, ut comprehendantur latifundia, possessiones, praedia, regiones, seu *quarti*, et quaecumque Terrae, in quibus seritur, et colligitur frumentum, sive ad Cameram Nostram Apostolicam pertineant, sive ad quamcumque Ecclesiam, Monasterium, Abbatiam, Religionem, Congregationem, institutum, Hospitale, etiam si sint bona, seu Commendae Militum S. Joannis Hierosolymitani, Religiosorum Societatis JESU, Monachorum Cassinen. Cardinalium S. R. E., Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, Monasteriorum Monialium, et cujuscumque alterius personae, quae speciali mentione indigeret; ita etiam cujuscumque Personae Secularis quavis dignitate, et privilegio suffultae; vo-

lentes, ut ab hujusmodi nostra Dispositione minimè eximantur, immo ut prorsus comprehensae censeantur etiam Communitates, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Equites, et quaecumque aliae personae, quavis bonorum praerogativa, et dignitatum gradu praeeminentes.

Commissio Superioribus Ecclesiasticis, et Laicalibus pro praesentium executione, cum facultatibus.

§. 9. Mandamus insuper modernis, et pro tempore existentibus Archiepiscopis, et Episcopis, ac Locorum Ordinariis temporalis Ditionis nostrae; item modernis etiam, et pro tempore existentibus S. R. E. Cardinalibus Provinciarum Legatis, Praesidibus, Vice Legatis, Civitatum, Oppidorum, et Locorum Gubernatoribus, et Praesidi Annonae, quoad ea loca, quae ejus jurisdictioni subsunt, ut praeceptum, mandatum, ordinationem, voluntatemque nostram hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit in futurum, in suis respective Dioecesibus, Provinciis, Civitatibus, et Locis perpetuo observari mandent, et faciant; dantes propterea, et elargientes iisdem Archiepiscopis, et Episcopis, ac Legatis, Praesidibus, Vice Legatis, et Gubernatoribus, nec non Annonae Praesidi, cumulativum jus praesentes nostras Literas exequendi, et transgressores quoslibet poena scutorum triginta monetae per eos Manu Regia exigenda omnino coercendi, puniendique. Ad quem effectum declaramus totidem censeri debere contraventionis delicta commissa fuisse, poenasque incursas, quot sunt latifundia, possessiones, praedia, regiones, seu *quarti*, ex quibus Pauperes exclusi fuerint. Ut vero praedicti voluntatis Nostrae Exècutores in exigendis poenis, iisque, detractis expensis necessariis, inter Pauperes Locorum distribuendis, omnem quoad possunt diligentiam adhibeant, conscientiam eorum oneramus; monentes, ut sedulo curent, ne Pontificiam indignationem Nostram incurrant, seque reos subtracti Pauperibus subsidii ante Tribunal Dei constituant.

Poena scutorum XXX. pro singulis transgressionibus exigenda.

Derogatio contrariis Statutis et Privilegiis.

§. 10. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus etiam Apostolicis, si quae essent, ac Statutis, et Legibus etiam municipalibus, ac usibus, stilis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, seu indultis quibusvis Ecclesiis, Locis Piis, et praedictis Ordinibus, et Societati, etiam ex titulo oneroso concessis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi tales forent, quod sub generali expressione non comprehenderentur, sed de illis specifica, et individua mentio habenda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum Fides.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Constitutionis, Ordinationis, Praecepti, Statuti, Decreti, Prohibitionis, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 17. Maji 1751.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, sexto decimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 28. ejusdem anni.

NONNULLÆ SOCIETATES XLVII.

Seu Conventicula *de Liberi Muratori*, seu *des Francs Macons*, vel aliter nuncupata, iterum damnantur, et prohibentur: cum invocatione brachii, et auxilii Secularium Principum, et Potestatum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Confirmatio Apostolica Vigentibus etiam Legibus quandoque adjicitur.

Providas Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Leges, atque Sanctiones, non solum eas, quarum vigorem, vel temporum lapsu, vel hominum neglectu labefactari, aut extingui posse veremur, sed eas etiam, quae recentem vim, plenumque obtinent robur, justis gravibusque id exigentibus causis, novo auctoritatis Nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus.

Clemens XII. Societatis (de' Liberi Muratori) damnavit, et prohibuit sub censuris Sedi Apostolicae reservatis.

§. 1. Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Clemens Papa XII. per suas Apostolicas Literas Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXVIII. IV. Kalend. Maji Pontificatus sui anno VIII. datas, et universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est: *In eminenti;* nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Conventicula, seu Aggregationes, vulgo *de' Liberi Muratori*, seu *des Francs Macons*, vel aliter nuncupatas, in quibusdam Regionibus tunc late diffusas, atque in dies invalescentes, perpetuo damnavit, atque prohibuit, praecipiens, omnibus, et singulis Christifidelibus, sub poena excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel praesumere hujusmodi Societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, et alias prout in eisdem Literis latius, et uberius continetur, quarum tenor talis est; videlicet:

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christifidelibus salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Tenor Literarum Clem. XII.

§. 2. *In eminenti Apostolatus Specula, meritis licet imparibus, Divina disponente Clementia constituti, juxta creditum Nobis Pastoralis providentiae debitum jugi (quantum ex alto conceditur) solicitudinis studio iis intendimus, per quae erroribus, vitiisque aditu intercluso, Orthodoxae Religionis potissimum servetur integritas, atque ab universo Catholico Orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.*

Novarum Societatum indoles; et occultum Institutum.

Sane vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuit, longe, lateque progredi, atque in dies invalescere nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula, vulgo De' Liberi Muratori, *seu* Francs Macons, *aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cujuscumque Religionis, et Sectae Homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque, ac impervio foedere, secundum Leges, et Statuta sibi condita, invicem consociantur; quaeque simul clam operantur, tum districto jurejurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium poenarum exageratione, inviolabili silentio obtegere adstringuntur.*

Eaedem a Saeculi Potestatibus merito damnatae.

Verum, cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem; hinc Societates, seu Conventicula praedicta vehementem adeo Fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem Aggregationibus nomen dare, apud prudentes et probos idem omnino sit, ac pravitatis et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut in plurimis Regionibus memoratae Societates per Saeculi Potestates, tanquam Regnorum securitati adversantes, proscriptae ac provide eliminatae jampridem exiterint.

Nunc autem Apostolica auctoritate damnantur, et prohibentur.

Nos itaque animo volventes gravissima damna, quae ut plurimum ex hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis, nedum temporalis Reipublicae tranquillitati, verum etiam Spirituali Animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum Civilibus, tum Canonicis minime cohaerere sanctionibus; cum Divino eloquio doceamur, diu noctuque, more servi fidelis, et prudentis Dominicae Familiae praepositi, vigilandum esse, ne hujusmodi Hominum genus, veluti fures, domum perfodiant, atque instar vulpium Vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis; ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de justis, ac rationabilibus Causis Nobis notis, easdem Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula De' Liberi Muratori, *seu* Francs Macons, *aut alio quocumque nomine appellata, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Car-*

dinalium consilio, ac etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, damnanda, et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout praesenti Nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus et prohibemus.

Praeceptum omnibus Christifidelibus, ne quis eisdem inest, foveat, eisque se adscribet.

Quocirca omnibus, et singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, et praeeminentiae, sive Laicis, sive Clericis, tam Saecularibus, quam Regularibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, districte, et in virtute Sanctae Obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat, vel praesumat praedictas Societates De' Liberi Muratori, *seu* Francs Macons, *aut alias nuncupatas, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, seu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, vel indirecte, per se, vel per alios quoquo modo praestare, necnon alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent, ac foveant; sed omnino ab iisdem Societatibus, Coetibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poena Excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo, per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.*

Sub poena Excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici servatae.

Commissio Ordinariis, et Inquisitoribus pro executione praesentium; cum facultatibus etc.

Volumus insuper, et mandamus, ut tam Episcopi, et Praelati Superiores, aliique Locorum Ordinarii, quam Haereticae pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores, adversus transgressores, cujuscumque sint status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae, procedant, et inquirant, eosque tanquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant, atque coerceant; iis enim, et eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac condignis poenis coercendi, et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus, et impertimur.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanc. Mariam Majorem An. Incarnationis Dominicae MDCCXXXVIII. IV. Kalendas Maji, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Falsa assertio cessationis censurarum in praeinsertis Literis latarum.

§. 3. Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere, ac vulgo jactare non dubitaverint, dictam excommunicationis poenam a Praedecessore Nostro, ut praefertur, impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa praeinserta Constitutio a Nobis confirmata non fuerit; quasi vero pro Apostolicarum Constitutionum a Praedecessore editarum subsistentia, Pontificis Successoris expressa confirmatio requiratur.

Consilium datum Pontifici eadem Literas confirmandi.

§. 4. Cumque etiam a nonnullis piis, ac Deum timentibus viris Nobis insinuatum fuerit, ad omnia calumniantium subterfugia tollenda, declarandamque animi nostri cum ejusdem Praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem, magnopere expediens fore, ut ejusdem Praedecessoris Constitutioni novum Confirmationis nostrae suffragium adjungeremus.

Perspicua argumenta a Pontifice jam edita pro subsistentia earumdem censurarum.

§. 5. Nos, licet hucusque, dum pluribus Christifidelibus de violatis ejusdem Constitutionis Legibus vere poenitentibus, atque dolentibus, seque a damnatis hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis omnino recessuros, et nunquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus, absolutionem ab incursa excommunicatione, tum antea saepe, tum maxime elapso Jubilaei anno benigne concessimus; seu dum facultatem Poenitentiariis a Nobis deputatis communicavimus, ut hujusmodi poenitentibus, qui ad ipsos confugerent, eamdem absolutionem nostro nomine et auctoritate impertiri valerent; dum etiam solicito vigilantiae studio instare non praetermisimus, ut a competentibus Judicibus, et

Tribunalibus, adversus ejusdem Constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa sepe praestitum fuit; non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia, et indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi nostri sensus, ac firma et deliberata voluntas, quoad censurae per dictum Clementem Praedecessorem, ut praefertur, impositae vigorem et subsistentiam, satis aperte inferri debuerant; siquae autem contraria de Nobis opinio circumferretur, Nos eam securi contemnere possemus, causamque nostram, justo Dei Omnipotentis judicio relinquere, ea verba usurpantes, quae olim inter sacras actiones recitatas fuisse constat: *Praesta, quaesumus, Domine, ut mentium reprobarum non curemus obloquium, sed eadem pravitate calcata exoramus, ut nec terreri nos lacerationibus patiaris injustis, nec captiosis adulationibus implicari, sed potius amare quod praecipis*, ut habet antiquum Missale, quod S. Gelasio Praedecessori Nostro tribuitur, et a Venerabili Servo Dei Josepho Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, quae inscribitur: *Contra obloquentes*.

Nihilominus praeinsertas Literas in forma specifica confirmat per praesentes.

§. 6. Ne tamen aliquid per Nos improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, atque os obstruere, audito prius nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem Praedecessoris Nostri Constitutionem praesentibus, ut supra, de verbo ad verbum insertam, in forma specifica, quae omnium amplissima, et efficacissima habetur, confirmare decrevimus; prout eam ex certa scientia, et apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine, earumdem praesentium Literarum tenore in omnibus, et per omnia perinde ac si nostris motu proprio, auctoritate, ac nomine primum edita fuisset, confirmamus, roboramus, et innovamus, ac perpetuam vim, et efficaciam habere volumus, et decernimus.

Causas damnandi, et prohibendi hujusmodi Societates enumerat et approbat.

§. 7. Porro inter gravissimas praefatae prohibitionis, et damnationis causas in praeinserta Constitutione enunciatas, una est, quod in hujusmodi Societatibus, et Conventiculis, cujuscumque Religionis, ac Sectae homines invicem consociantur; qua ex re satis patet, quam magna pernicies Catholicae Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum, et impervium secreti foedus, quo occultantur ea, quae in hujusmodi Conventiculis fiunt; quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Caecilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimium diversa protulit: *Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt*. Tertia est jusjurandum quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt; quasi liceat alicui, cujuslibet promissionis, aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus, omnia fateri teneatur, quaecumque exquiruntur ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi Conventibus fiat, quod sit contra Religionis, aut Reipublicae statum, et Leges. Quarta est, quod hujusmodi Societates non minus Civilibus, quam Canonicis Sanctionibus adversari dignoscuntur; quum scilicet Jure Civili omnia Collegia, et Sodalitia praeter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in Pandectarum libro XLVII. Tit. 22. *de Collegiis, ac corporibus illicitis;* et in celebri epistola C. Plinii Caecilii secundi, quae est XCVII. libri X. in qua ait, edicto suo, secundum Imperatoris mandata, vetitum fuisse, ne Hetaeriae essent, idest ne Societates, et Conventus sine Principis auctoritate iniri, et haberi possent. Quinta est, quod jam in pluribus Regionibus memoratae Societates, et Aggregationes Saecularium Principum Legibus proscriptae atque eliminatae fuerant. Ultima demum, quod apud prudentes, et probos viros eaedem Societates, et Aggregationes male audirent, eorumque judicio, quicumque eisdem nomina darent, pravitatis, et perversionis notam incurrerent.

Invocatio auxilii brachii saecularis Ecclesiasticis Superioribus in prioribus Literis demandata.

§. 8. Denique idem Praedecessor in praeinserta Constitutione Episcopos, et Superiores Praelatos, aliosque Locorum Ordinarios excitat, ut pro illius executione, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare non praetermittant.

Pontifex ipse Supremam Principum, et Saecularium Potestatum opem invocat, et requirit.

§. 9. Quae omnia, et singula non solum a Nobis approbantur, et confirmantur, eisdemque Ecclesiasticis Superioribus respective commendantur, et injunguntur; verum etiam Nos ipsi, pro Apostolicae solicitudinis officio, praesentibus Nostris Literis, Catholicorum Principum, omniumque Saecularium Potestatum opem, auxiliumque ad praemissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus; quum ipsi Supremi Principes, et Potestates electi sint a Deo defensores Fidei, Ecclesiaeque protecto-

res; ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut Apostolicis Constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda observantia praestetur; quod iis in memoriam revocarunt Trid. Synodi Patres *Sess.* 25. *Cap.* 20. multoque antea egregie declaraverat Imperator Carolus Magnus, suorum Capitularium *Tit.* 1. *Cap.* 2. ubi, post demandatam omnibus sibi subditis Ecclesiasticarum Sanctionum observantiam, haec addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis ditionum suarum Praesidibus et Ministris injungens, ut omnes, et singulos ad debitam obedientiam Ecclesiae Legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque poenas adversus eos indixit, qui hoc praestare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes, eisque inobedientes fuerint inventi, sciant, se nec in nostro Imperio honores retinere, licet etiam Filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris societatem, aut communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate poenas luent.*

Fides Transumptis habenda.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis Originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 13. Maji 1751.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini MDCCLI. XV. Kal. Aprilis Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 28. ejusdem Mensis, et Anni.

DE TOLLENDIS ABUSIBUS XLVIII.

Ab Oratoriis privatis, quae sunt in domibus Laicorum.

Epistola Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Regni Poloniae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Controversiae circa Oratoria privata vigentes, et Polonorum Praesulum vota Pontificias declarationes exposcunt.

Magno cum animi Nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in Dioecesibus vestris controversias ac molesta dissidia, propter Oratoria privata, insurrexisse; quibus praecidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed et in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certae vobis regulae indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati Oratorii Privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum Ordinationes vestrae Pontificia auctoritate nostra munitae fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum majus semper eisdem honoris, atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae hujuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea Sanctae Sedis Decreta vel dissimulant, vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur; Nihilominus, cum Nos Venerabiles Personas Vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per Encyclicam hanc Epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorumdem Decessorum nostrorum, tum nostram hac super re mentem, sensusque aperiemus: quibus quidem, praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid majoris ponderis inest, materiae ipsius nomine, quae eorum objectum est, quaeque in quaestione versatur; cum omnis hujus-

Eas, licet minus necessarias, edere intendit Pontifex, quae majus auctoritatis pondus habeant.

modi res ab Apostolicis Privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo jure Summis Pontificibus reservata est, cumque eamdem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet; adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in Encyclica hac Epistola nostra continentur, ordinabitur, et statuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit; cujus rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitatem, et auctoritatem Fraternitatibus Vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum praesentium Literarum tenore Vobis ad hujusmodi effectum concedimus, et impertimur.

Oratoria privata in Episcoporum aedibus extructa jam usque a prioribus Ecclesiae saeculis.

§. 1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat Sacella, quae in Episcopalibus Palatiis vestris habetis, pro Missa vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam sacra Functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit, obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta Sacellorum exempla indicabimus, quae Episcopi in proprio Episcopio a publicis Ecclesiis distincta, ac separata habebant, in quibus Sanctum Missae Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum est S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius *in Homilia* 37. *super Evangelia* narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, *in Oratorio Episcopi sui Missas fecit*, tam ut propriae, quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Johannis Eleemosynarii Episcopi Alexandrini, qui, sicut in Actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui, Missa nondum peracta discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam Ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in Sanctam Ecclesiam, nam poteram mihimet facere Missas in Episcopio.* Praedictum exemplum legere est apud Thomassinum *de veteri, ac nova Ecclesiae disciplina part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 6. Alia exempla in Opere *de Oratoriis privatis* inscripto *cap.* 6. collecta reperiuntur (quod opus novissime a Johanne Baptista Gattico Canonico Lateranensi Romae in lucem editum est) per quae Episcoporum jus circa Sacella in propriis Episcopalibus Palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

Concilium Tridentinum de aliis Oratoriis privatis decernens, nihil detrahit Sacellis Episcoporum.

§. 2. Huic quidem juri Sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo *Sess.* 22. *de observandis, et evitandis in celebratione Missae*, propter multa quae parum decenter fieri identidem contingebat, Episcopis praecepit, ne Saecularibus, ac Regularibus Missam celebrare permitterent *privatis in domibus*, et extra Ecclesias, aut Oratoria publica, quae Divino cultui destinata essent; quod nullam cum Cappellis, quae in Episcopalibus Palatiis sunt, rationem habet, quum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, in aliquot ejusdem Resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas Nos in nostro *de Sacrificio Missae* Tractatu retulimus *Sess.* 2. §. 45. *et seq. Latinae Edit. Patavinae;* Nos enim, tunc etiam cum *in minoribus* constituti, opus aliquod inscriberemus, illud praecipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae Curiae Tribunalium Sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis Oraculis auctoritatis robur accedit.

Sed nihil etiam statuit de eorum facultatibus extra Aedes Episcopales, et extra Diœcesim.

§. 3. Illud tantummodo de hujusmodi Episcoporum Privilegio dici poterat, quod, cum idem ad Sacella, quae in Episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum Visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel Missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas Ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel Missam celebrari facere, vel ipsi eamdem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

Privilegium Altaris viatici ubique erigendi Episcopis concessum a Bonifacio VIII.

§. 4. Verum recol. mem. Praedecessor Noster Bonifacius Papa VIII. in Decretali sua: *Quoniam Episcopi, de Privilegiis, in Sexto*, male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam Dioecesim Altari portatili, seu viatico uterentur: *Praesenti Constitutione indulgemus iisdem, ut Altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permit-*

titur celebrare, vel audire Divina. Dignum animadversione verbum est, *Ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra Dioecesim sita sunt, comprehendit.

Eo uti possunt etiam sine licentia Ordinarii Localis, et post Concilii Tridentini, et Pauli V. decreta.

§. 5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congregationis Concilii Resolutiones merentur, cum ad Quaesitum eidem propositum, num videlicet Episcopus, qui extra propriam Dioecesim est, ad utendum Privilegio Altaris Viatici, petere ejus rei veniam ab Episcopo Locali teneatur; minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII. Privilegium fuisset; quoniam illius Pontificis aetate antiquum Jus in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum Quaesitum propositum fuisset: num Privilegio per Bonifacium VIII. Episcopis concesso, vel Tridentinum Concilium, vel Pontificis Pauli V. Decretum, de quo pariter mox dicetur, praejudicium ullum attulissent; nihil pariter Privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in Concilio, quam in citato Decreto, sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorumdem dignitatis, atque characteris propria sunt. Praedictae Resolutiones a Nobis referuntur in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae* latinae editionis Patavinae *Sect.* 2. §. 42., nec non in Commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas *tom.* 4. *super Constitutione* 2. *Urbani V. num.* 15. *et seq.* et a Gattico in recenti ejusdem Tractatu *de Oratoriis domesticis in tit. de usu Altaris portatilis cap.* 12. *num.* 1. *et seq.*

Non tamen extra domum propriae habitationis, sive in sua, sive in alicoa Dioecesi.

§. 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus praejudicium Privilegiis afferre, quam abusum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus Privilegii Altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, et quod post Concilium Tridentinum, ac Paulinum Decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra Dioecesim, ad Laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi Missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Missae, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium Privilegium ostentarent, vel ut Laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non praetermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictioni subjectis contigisset. In Codicibus Actorum, seu Regestis Congregationis praedictae *lib.* 48. *Decretorum fol.* 471. Resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis Praedecessore nostro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703. sequens Decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: *Episcopi etiam in aliena Dioecesi extra Domum propriae habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut per plures e suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolant;* ad remedium gradus fit: *Ad abusus hujusmodi eliminandos etc. Sanctissimus Dominus Noster etc. expresse declarat, Episcopis, et his majoribus Praelatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque sub praetextu Privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere.*

Sed si in aliena domo revera moram traxerint, etiam hospitii, et itineris causa possunt.

§. 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, nunquam autem ut recto Privilegii usui quidquam detraheretur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla, et effraenata, cuipiam praebere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti Privilegio Altaris portatilis, tum cum vel Dioecesim visitant, vel iter faciunt, aut alia justa de causa extra residentiam sunt, atque in Laicorum domibus morantur; illato de hujusmodi re sermone in Congregationibus, quae sub Innocentio XIII., immediato Clementis ejusdem Successore, habitae fuerunt, quarum Nos tunc *in minoribus* existentes, a Secretis fuimus, opportunum factu judicatum est, ut ea, quam mox subjicimus, Declaratio fieret, quae postea inserta fuit in ejusdem Innocentii Literis

incipientibus: *Apostolici Ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono Ecclesiasticae disciplinae regimine condidit, quasque etiam ejusdem Successor Benedictus XIII. *in forma specifica* confirmavit, et ut in omnibus locis pro regula, ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter ejusdem Concilii decreta retulit Tit. XV. Cap. III. in quo quidem Concilio Nos quoque ad Sacrorum Canonum Interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: *Declaramus, quod, cum in praedicto Decreto*, de Clementis XI. Decreto sermo est, *statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi forte, occasione Visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram ideirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis.*

Praemissarum Regularum usus.

§. 8. Optimum factu judicavimus in Encyclica hac Epistola Nostra exponere Vobis haec, quae ad Fraternitates Vestras praecipue pertinent, nimirum quantum Vobis concessum est quoad Sacella, seu Cappellas, quae in Episcopalibus Palatiis vestris sunt; quantum item Vobis in alienis domibus, et extra vestram Dioecesim facere permissum est; causas etiam Concessionum, ac Privilegiorum indicavimus, necnon eorumdem abusus, atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut Vos discrimen agnoscatis, quod intercedit inter Cappellas Episcopalium Ædium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi, et commodo vestro, quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata Oratoria in domibus Laicorum, sive intra, sive extra Dioecesim vestram, in quibus aliquando Vobis, pro praecipuo fine hujusmodi commodi, et consolationis vestrae, Privilegio Altaris erigendi, ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum Vos contra abusus privatorum Oratoriorum in domibus Laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi, atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propositum, quae in Domibus Laicorum sunt, gradum facientes, aliqua praemittemus.

De Oratoriis privatis in domibus Laicorum extant monumenta, tum primis, tum posterioribus Ecclesiae Saeculis.

§. 9. Primum quidem est, privatorum Oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, Apostolos Sacra Mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus *in suis notis ad Canones Trullanos* apposite animadvertit. Alterum autem, privata Oratoria in domibus Laicorum, subsequentibus etiam saeculis fuisse, cum persecutiones jam cessassent; cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius *tom. 1. Musaei Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quae recitanda erat in Missa, quae celebratur *in domo cujuslibet*; nec ad hujusmodi quidem assumptum aliae deficiunt probationes, quas Nos in Tractatu nostro *de Sacrificio Missae sect. 1.* §. 10. cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis hujusmodi Oratoriis privatis in domibus Laicorum, seu potius facultatibus Missam in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Justiniani Novella 58. dicemus, in qua, ne in domesticis Oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil praeterea de Novellis 4. et 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit, asserens, adeo tunc privata Oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missae celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quae proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quae in dicto Tractatu *de Sacrificio Missae loco superius citato* a Nobis allata fuerunt.

De iis abrogandis saepe cogitatum.

Ad eorum erectionem et usum Episcoporum licentia semper requisita fuit.

§. 10. Quartum, quod licet fere semper in Laicorum domibus privatorum Oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebrabatur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit: ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.* Verba sunt *Can. Missarum, de Consecrat. dist.*

1. Haec autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut Oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Graecorum non nisi unicum Altare erat, et postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon *in Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo censebatur Sacerdoti licentia celebrandi Missam in privatis Laicorum Oratoriis, quoties super Mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

Sed haec facultas a Concilio Tridentino Episcopis adempta est, ideoque ad solum Romanum Pontificem devoluta.

§. 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum, post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, opera Cardinalis Osii, et Nuntii Commendonii, in magno Conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Concilii Historia per Cardinalem Pallavicinum conscripta *lib.* 24. *cap.* 13. videre est) *in sess.* 22. in Decreto *de observandis, et evitandis in celebratione Missae*, sequenti modo statutum, et ordinatum fuerit: *Neve patiantur*, de Episcopis sermo est, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, et visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Saecularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi*, cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni, et consuetudini, *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque;* ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum Oratoriorum privatorum in domibus Laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quae ab ipsis daretur celebrandi Missam in Oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde praedictum Jus ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiae temporum, et Oratoriorum privatorum in Laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque hujusmodi semper fuit Conciliaris Textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa ejusdem interpres; quaeque etiam a fel. record. Praedecessore Nostro Paulo Papa V. in Epistola Encyclica anno 1515. ad omnes Episcopos expedita, approbata fuit; quae quidem Epistola tum apud varios Auctores, tum etiam *in citato Tractatu nostro de Sacrificio Missae sect.* 2. §. 42. impressa reperitur. Et in ea quidem alia quaecumque Verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga Missae Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti praebebat. Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii Decreto, unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.*

Providae Leges a S. Sede praescriptae pro Oratorior. privat. erectione, et usu.

§. 12. Postquam Jus concedendi Oratoria in privatis Laicorum domibus Sedi Apostolicae reservatum fuit, dici vix potest quantum curae, ac diligentiae adhibitum sit pro recto ejusdem moderamine. Qua de re in Archivo Congregationis Concilii, cujus olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad majores Dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Haec tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis Literarum in forma Brevis, quae conceduntur, colligere licet: Oratorium scilicet, parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, et apte compositum sit, et num aliquid eorum, quae necessaria sunt, in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, et quod licentia hujusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur; et quod haec Missa celebretur a Sacerdote vel Saeculari, vel Regulari, dummodo Saecularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat a suo Regulari Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniae, et Ascensionis Domini, Annunciationis, et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Titularis Ecclesiae Loci: Exprimuntur personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato Orato-

rio Missa celebrari possit; aliae item, quae, dum supradictis praesentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, et Ecclesiastico praecepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine Parochialium jurium praejudicio fieri debere.

Ampliores concessiones, quoad numerum Missarum, hiesque, et horas, quibus celebrari valeant.

§. 13. Atque haec sunt, quae in consuetis privatorum Oratoriorum Brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit Brevia, quae extraordinaria sunt: ut quum exempli gratia, justis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in Rubricis praefixus est; vel etiam in diebus exceptis; et alia hujuscemodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum Oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controversiae exortae sint; Apostolica Sedes per hujusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non praetermisit.

Ad peculiares quaestiones decreta edita.

§. 14. In ordinariis Brevibus, ut plurimum duobus Conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem praesentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut Vir, aut Uxor Missae intersunt, si consanguinei, et affines, qui in eadem domo habitant, praesentes pariter adsint, Ecclesiastico praecepto diebus Festis satisfaciant; id tanquam tutum, ac Brevis literae cohaerens habitum est. Summa autem difficultatis eo sempr rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter Conjugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo jubente in privato Oratorio Missa celebrari; et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, et affines, eamdem audientes Festo die, Ecclesiastico praecepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divisae de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii *die* 3. *Decembris* 1740. in causa, cujus inscriptio erat *Marsicen. Oratorii*, propositum, ac discussum esset: decisum fuit, non posse in privato Oratorio Missam celebrari, nisi Indultariorum praesentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, Viri, vel Uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum *in tom.* 9. Resolutionum Concilii *anni* 1740. *ad pag.* 89. *et seq.* videre est.

I. Indultariorum praesentia requiritur pro celebratione Missae in Orat. priv.

Indultarii distinctius secernuntur ab iis, quibus solummodo conceditur, ut Missam ibi audiendo, satisfaciant Praecepto.

§. 15. Cum autem Decreti hujusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos *sub die* 7. *Jan.* 1741. confirmatum fuit; ac praeterea demandatum, ut in hujusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam, ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato Oratorio Missam celebrari facere possint, quae Missa pro filiis, consanguineis, et affinibus valeat, majoris claritatis gratia, subjecta clausula adjungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, et affines praedicti unicam dictam Missam, vobis quidem praesentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Ut autem, quae Indultariae personae sint, facile agnosci posset, sine quarum praesentia Missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, praecepto satisfacit; adjunximus, ut pro Indultariis personis illae haberentur, quae in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatae forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

Indultarii censentur ii, quibus inscriptae sunt Literae Apostolicae.

Nisi aliter in corpore Brevis dispositive statuatur.

§. 16. Nos ab hujusmodi norma minime recedimus: verum quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua praesente, conceditur, ut Missa celebrari possit, et quod alii affines, consanguinei, vel familiares eamdem audientes, praecepto satisfaciant, etiamsi praedicta persona in Fronte Brevis minime nominetur; hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato Oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex Indultariis personis adsistit, quae in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse Missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum praesens adsit, quae in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatur, dummodo illa praesens sit, cui in Brevis corpore nominatim et expresse facultas tribuitur, ut possit in privato Oratorio tum cum ipsa adsistat, facere ut Missa celebretur.

Exemplum ejus rei affertur.

§. 17. Atque ut res exemplo magis pateat: Datur Viro et Uxori facultas faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem Vir superstitem habet Matrem; haec vero in Fronte, seu Inscriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque Mater eamdem Missam celebrari facere possit, et valeat; id sufficiens est, ut sola Ma-

tris praesentia adhibita, Missa in Oratorio celebrari possit, etiamsi Mater in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominata non sit. Quae hactenus dicta sunt, in hujusmodi generis Brevibus indicantur; verum curae Nobis erit, ut in posterum felicius etiam, et sine ulla confusione exprimantur.

2. Si permittatur celebratio Missae diebus excipi solitis in Nativitate Domini celebrari poterunt tres Missae.

§. 18. In consuetis sive ordinariis Brevibus, solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet Sacerdote Missae celebrantur. Interdum illi, qui in privati Oratorii Breve habet, extraornarium Breve conceditur, in quo eidem, valetudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in hujusmodi Brevibus de unica tantum Missa sermo sit; orta difficultas fuit: num possent die Natalitio a Sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres Missae celebrari, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilii ejusdem a Secretis eramus peculiarem Dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, *sub die* 13. *Januarii anni* 1725. resolutum a Congregatione fuit, quod a Sacerdote tres Missae celebrari possent, quemadmodum *tom.* 3. Thesauri Resolutionum *pag.* 109. *et seq.*, *et pag.* 116. videre est.

3. Baptismus, extra casum necessitatis, ministrari nequit in Oratoriis privatis, praeterquam Filiis Regum, ac Principum.

§. 19. Reliquum est, ut de Sacris Functionibus dicatur, quae in iis Oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad Baptismatis Sacramentum attinet, jam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V. decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, praeterquam in Ecclesiis, in quibus Sacri hujus Lavacri Fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de Regum, vel Principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica *de Baptismo*, *et ejus effectu*, videre est.

4. Nec Poenitentiae Sacramentum, extra casus a Jure permissos, non obstantibus Privilegiis Regularium.

§. 20. Quod autem Sacramentum Poenitentiae respicit, jam in Rituali Romano sub Titulo *de Sacr. Poenitentiae*, cum de Sacerdote sermo fit, qui Confessiones audit, statutum fuit: *In Ecclesia, non autem in privatis aedibus, Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco praestare.* Rituale a Pontifice Paulo V. confirmatum fuit. Et magnus Ecclesiasticae disciplinae Instaurator Sanctus Carolus Borromaeus tum in Instructione Sacramenti Poenitentiae, tum in Monitis ad Confessarios, atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio, id inculcare non praetermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiae Mediolanensis, editionis Civitatis ejusdem *part.* 1. *pag.* 11. *part.* 4. *pag.* 520. *eadem part.* 4. *pag.* 761., *et pag.* 773. videre est; *pag.* autem 775. Superioribus Regularium inculcat, ut id a Subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a praedictis Confessariis Regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique Confessiones Fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontificis Clementis X. Bulla: *Superna:* nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontifex declaravit, *nullam facultatem* (in praedicta Constitutione sua) *fuisse tributam Regularibus audiendi Confessiones Sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cujusvis Ordinis etc. Sacramentum Poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a Jure permissos.* Quod decretum cum Praesulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in Appendice ad Synodum Fulginatensem, quae a bon. mem. Josaphat Baptistelli Civitatis ejusdem Episcopo anno 1722. celebrata fuit.

5. Communio Paschalis in Ecclesia Parochiali sumenda est.

§. 21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quae ab unoquoque Catholico Paschatis tempore recipienda est, ex praescripto tum Decreti Concilii Lateranensis *in Cap. Omnis utriusque sexus, de poenitentiis, et remissionibus*, tum Concilii Tridentini *sess.* 13. *cap.* 8. *can.* 10., nemo est, qui ignoret, praeceptum hoc in propria Parochiali Ecclesia adimplendum esse, aut in alia Ecclesia cum proprii Episcopi, vel Parochi licentia, secundum varias Dioecesum consuetudines. Porro fel. record. Praedecessor Noster Paulus Papa IV. Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut Sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum Ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a sanctae memoriae altero Praedecessore Pio Papa V. *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

Regularibus vetitum, in die Paschatis S. Eucharistiam distribuere in eorum Ecclesiis non Parochialibus.

Non tamen id vetitum aliis diebus intra terminum Paschale, sal-

§. 22. Verum quia, secundum praecedentem Eugenii IV. Constitutionem, Paschale tempus, intra quod Communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum ini-

impleto praeceptio Paschali Ecclesia.

tium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret intra praescriptum eorumdem dierum terminum Sacram Eucharistiam Fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere; resolutum fuit: die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam Paschali praecepto in propria Parochiali Ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis diebus Fideles in eorum Ecclesiis Sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria Parochiali Ecclesia Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii Decreta sunt quibusdam in Causis, Senonensi videlicet, Burdegalensi, et Mechliniensi, quae a Nobis in nostro *de Synodo Dioecesana* Tractatu *lib.* 7. *cap.* 42. *num.* 3. relata sunt.

In Oratoriis privatis, extra Communionem Paschalem debit S. Eucharistiam sumere, si Episcopi licentia accedat.

§. 23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in Sacro Tridentino Concilio *sess.* 22. *cap.* 6. *de Sacrificio Missae*, quae subjicimus verba legantur: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quod ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret*, non defuit qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missae praesentes adsunt; neque ad hoc praestandum ullo particulari Indulto opus sit. Super hujusmodi quaestionis capite Nos *in nostra Institut.* 34. §. 3. disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiae resideremus, Ecclesiae illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem institutiones cum Italico Sermone edidissemus, postea Romae latine redditae, atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subjunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum Oratorium domi habet, dum Missae in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanae etiam consuetudini, sive praxi, cohaerens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato Oratorio recipi Communio posset ab iis, qui in eodem Missae intersunt, quam vel Saecularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, nisi vel nostram, vel Generalis Vicarii nostri licentiam obtinuisset.

Rectus disciplinae ordo postulat, ut hac in re Episcoporum statuta observentur.

§. 24. Neque etiam in praesens voluntas Nobis, aut ratio est, cur ab hoc Systemate recedamus. Siquidem, cum Nos in magna illa controversia, super Communione illis distribuenda, qui Missae praesentes cum sint, eamdem petunt, quae aliquot ab hinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter Sanctae Missae celebrationem Communionem recipiunt; Ecclesiasticos quoque Pastores excitavissemus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui ejusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, ejusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, Sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missae interfuit, minime distribui; eo magis quod, juxta praesentis temporis disciplinam libera eidem facultas pateat, ut eamdem alio loco, atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris praecepto obedientia praestari deberet; cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad Altaris Sacramentum recipiendum; quemadmodum in Literis nostris, quarum initium est: *Certiores effecti*, et quae in Bullario nostro *tom.* 1. *num.* 64. leguntur, videre est.

Praemissorum Decretorum expositio omnem ignorantiae excusationem de medio tollit.

§. 25. Atque haec sunt, Venerabiles Fratres, quaecumque in Encyclica hac Epistola nostra Vobis exponere opportunum existimavimus, a quo quidem satis intelligetis, quod legendis et considerandis Apostolicis Literis concessionum Oratorii, Decessorum nostrorum Decretis, harum Congregationum Resolutionibus, quae a Nobis, etiam in praesentia confirmata sunt, nullus amplius litibus, et controversiis locus reliquus sit. Verum quia Vos illud fortasse Nobis responsuros arbitramur, optime quidem haec omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod quaecumque decreta atque ordinata sunt, minime observantur; ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta Brevium lectione, et consideratione, aut ex ignoratione Decretorum, et Pontificiarum resolutionum, originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi

erimus; idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet aetate nostra, et multis ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in Encyclicam hanc Epistolam nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inserere non detrectavimus.

Eadem in Dioecesanis Synodis, et Episcoporum Edictis publicanda sunt.

§. 26. Quod si Vos etiam id praestare curabitis, ut in Dioecesanis Synodis vestris, in vestris item Edictis, quae a Vobis pro bono Dioecesis vestrae regimine publicantur, Pontificiorum Decretorum, ac Resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis; duplex inde bonum extabit, ut et vivam in Vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis, atque ab aliis aut ignorantiam expellatis, aut eamdem, utpote crassam deinceps atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt, atque in presentia tenent nostri Italiae Episcopi, qui aut Pontificiorum Decretorum, quae super privatis Oratoriis condita sunt, Summam in Synodis suis inseruerunt, aut in Appendice ad ipsas Synodos eadem Decreta *per extensum* adjunxerunt, quemadmodum in Synodo *anno* 1724. a bon. mem. Cardinali de Via Arimini habita, in altera *anno* 1726. celebrata a bon. mem. Cardinali Pignatelli Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quae *anno* 1736. habita fuit a Ven. Fratre nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

Indultariis etiam demonstranda, cum intermissione amissionis Privilegii.

§. 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea presentibus diebus contingere scandala, que nunquam preteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus, ea, quae hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacrae leges ad privata Oratoria pertinentes a Sacerdotibus violantur, propter praesidium, quo nituntur, Magnatum Saeculi, apud quos Cappellani munere inserviunt; idem nono etiam Saeculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis, de eadem re queratur in suo Tractatu *de Privilegio et jure Sacerdotii cap.* 22. Non tamen idcirco vobis Sacerdotalis constantia, atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum Natio est; et, si quando aliquis abusus in privatis ejusdem Oratoriis contingat, cum id Magnati, cujus in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo, et ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur; sperare est, ipsum omne suum inobedienti Cappellano praesidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur; praesto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra Cappellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit; pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad Encyclicam hanc Epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

Et contra Cappellanos inobedientes procedendum etiam per censuras.

Exempti quoque præmissa observare tenentur.

§. 28. At enim inconvenientia a Privilegiatis, et Exemptis proficisci vos fortasse dicturos praevidemus, nimirum a Regularibus, de quibus in praedicto recursu ad hanc Sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia, nec exemptiones esse, quae impedire possint, quominus abusus exterminentur.

Regularium Privilegia hac in re sublata sunt a Concilio Tridentino, omnisque facultas Episcopis tributa, ut eos arctare possint ad observantiam Decretorum super hoc editorum.

§. 29. Habebant sine dubio Regulares privilegium Altaris viatici, et ut super eodem Altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum in Decretali Honorii III. *in Cap. In his, de privilegiis*, videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut Missam possent celebrare etiam in domibus laicorum, sive super Altari viatico, sive super Altari fixo, etiamsi laicus privilegium Oratorii privati minime haberet; propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum Sacrum Tridentinum Concilium in citata *sess.* 22. in Decreto jam citato *de observandis, et evitandis in celebratione Missae*, Episcopis praecepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus Missae celebrentur *a Saecularibus, aut a Regularibus quibuscumque*, eisdemque dedisset facultatem procedendi, tanquam Apostolicae Sedis Delegatos, contra refractarios: *Ut Delegati Sedis Apostolicae*; atque omnibus privilegiis, exemptionibus, et consuetudinibus contrariis, cujuscumque generis essent, derogasset: *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque;* hinc necessario consequitur, Sacrum Concilium Tridentinum tam praecedentibus Altaris viatici privilegiis dero-

gasse, quam facultati Missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum, tanquam Sedis Apostolicae Delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium, vel exemptionem, quae obstet, quaeque impediat, quo minus abusus tollantur.

Privilegia in corpore Juris clausa, etiam sine speciali mentione, Trid. Synodo abrogata.

§. 30. Nihil autem valet ea, quae a quibusdam promovetur, assertio, videlicet, Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud *in corpore Juris* inclusum sit; etenim Sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit quae *in corpore Juris* inculsa sunt nulla etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adjecta ad contraria privilegia derogatione; quemadmodum celebris Praesul Fagnanus *in cap. Nonnulli num. 42., et seq. sub tit. a Rescriptis* ample demonstrat.

Altaris viatici Indultum pro locorum necessitatibus tantum conceditur.

§. 31. Quod si forte quis hoc umquam objiceret concessum saepe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum Concilium, Altaris viatici usum concedi; Fraternitatibus vestris notum esse debet, hujusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi Ecclesiae non sunt, aut si sunt, talis Haereticorum potentia est, ut in easdem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint. Uno verbo praecise necessitati providetur; quod quidem, ut optime perspicitis; ab eo, de quo agimus, casu, plane diversum est.

Tenor Privilegii Fratribus Praedicatoribus concessi pro locis, in quibus Ecclesiae desunt, et Haeretici Catholicos opprimunt.

§. 32. Gregorii XIII. Decessoris nostri privilegium legite, quod *anno* 1580. Fratribus Ordinis Praedicatorum Provinciae Polonicae concessit, quod Bullarii Religiosae illius Familiae *tom.* 7. *pag.* 192. insertum est: *In quibusdam Civitatibus, Oppidis, et locis Provinciae Poloniae tanta haereticorum potentia, et impietas existit, ut Catholicos impune opprimant, nec iisdem Catholicis Missas in Ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi, ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Praedicatorum Provinciae Poloniae Priori Provinciali, ut licentiam, et facultatem dictis Professoribus Altaria portatilia habendi cum debitis reverentia, et honore, super quibus in domibus Nobilium Civium, et Incolarum Civitatum, Oppidorum, et locorum dictae Provinciae, in quibus vel Ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum potentia, et impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus, et honestis, per se ipsos Missas in praesentia Personarum Catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus.*

Decretum Clementis XI. de Privilegiis Regularium, de usu Oratoriorum Privatorum, de facultatibus Episcoporum diserte statuit.

§. 33. Legite item jam superius citatum Clementis XI. Decretum, quod, majoris etiam commoditatis vestrae gratia, hic annexum vobis transmittimus; etiamsi, tum cum illud conditum fuit, praeter publicationem ejusdem Romae factam, ad Ordinarios per loca, tam intra, quam extra Italiam, transmissum fuisse, sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus, et animadversionibus Nos idem roborandum suscipiamus, (quod quidem facere Nobis in proclivi esset, cum praestantiorum, inter Pontificii Juris peritos, Auctorum assertiones ubique in promptu sint,) manifeste cognoscere poteritis, subsistant necne amplius portatilis Altaris privilegia, quae Regularibus concessa fuerunt, et num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum Regularibus sit, secundam in privato Oratorio cuipiam concesso Missam celebrare, cum prima jam celebrata est, nec pro secunda hujusmodi Missa peculiare Indultum adest. Cognoscetis, num in praedictis privatis Oratoriis licitum eisdem sit, vel ante Auroram, vel post Meridiem, Missam celebrare; num celebrare eamdem possint diebus iis, qui in Indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino hujusce rei necessitas sit, illud Nos in praesentia Decretum confirmamus, ac Fraternitatum vestrarum curae committimus, ut pro exacta ejusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurrere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quae ab ipsa Apostolica Sede contra hujusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

Regularibus non licet, contradicente Episcopo, exorcizare, etiam in propriis Ecclesiis, et Coenobiis.

§. 34. In eo, qui ad Nos factus est, recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet, sine licentia vestra, Regulares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in Synodis vestris, aut in vestris

Edictis decretum fuerit, ne ullus Sacerdos, vel Saecularis, vel Regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sive intra, sive extra Coenobium, quin prius a vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod praestari debet, quodque ab Episcopis praestari solet, quemadmodum apud Clericatum *de Sacramento Ordinis decis.* 19. *num.* 42., ubi Episcopales Synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus, postquam a vobis, tam in hac materia, quam in alia Oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, praestitum fuerit, vestra nihilominus praecepta violabuntur, ac poenae a vobis impositae et inflictae negligentur; nequaquam certe Nos Officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem nostram in favorem vestrum interponamus; cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut Episcoporum, qui Fratres nostri sunt, jura sarta tecta serventur. Interim tam Fraternitatibus vestris, quam Populis curae vestrae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. die 2. Junii 1751. Datum ex Arce Gandulphi die 2. Junii 1751. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

DECRETUM

Felicis recordationis Clementis PP. XI. circa celebrationem in Oratoriis privatis emanatum 15. Decembris 1703.

Nonnulli Episcopi, et complures Regulares, sub praetextu privilegiorum, ea sibi licere putant, quae prohibita sunt; siquidem Episcopi etiam in aliena Dioecesi, extra domum propriae habitationis, in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium personarum privatis Oratoriis, quae certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indultum, vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, et post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Dioecesanas, aut etiam Decreta Sacrae Congregationis Concilii, celebrari prohibetur, aut quae in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quo minus in illis celebrari possit; aut etiam altari portatili uti non verentur, in Sacrarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem, ad abusus hujusmodi eliminandos, et ad instaurandam venerationem tremendo Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus Noster, ex unanimi Voto S. R. E. Cardin. Concilii Trid. Interpretum, inhaerendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat: Episcopis et his majoribus Praelatis, etiam Cardinalatus Dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quoquo titulo, nullo modo licere, extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quae per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus, praedictis Regularibus, et Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in praefatis Oratoriis celebrare non licere, ubi jam unica Missa, quae in Indulto conceditur, fuerit celebrata; super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de ea se optime informare; atque illa etiam in casibus praemissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius, et declarando in omnibus casibus, personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus praecepto Ecclesiae satisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in Cap. In his, de privil. *ac per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac demandandum, prout praesentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares procedant, etiam tanquam Sedis Apostolicae Delegati, ad poenas praescriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto* sess. 22. cap. unico,

usque ad Censuras latae Sententiae; tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset: et ita Sanctitas Sua declarat, et servari mandat etc.

XLIX.

DE HIS, QUÆ VETITA SUNT

Hebraeis habitantibus in iisdem Civitatibus, et Locis, in quibus habitant Christiani.

Epistola Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Regni Poloniae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Polonae Nationis zelus pro Catholicae Religionis puritate semper enituit.

A quo primum supremae Dei bonitati conplacitum est, ut Sanctae Catholicae Religionis nostrae primordia in Poloniae Regno constituerentur, quod circa decimi saeculi finem sub Praedecessore nostro Leone VIII., Ducis Mieceslai, et Conjugis Dambrovvkae Christianae opera, contigisse, apud Dlugoss Annalium vestrorum Scriptorem *lib.* 2. *pag.* 94. literis consignatum est; ab eo usque tempore pia semper ac devota Polonorum Natio adeo constans in suscepto Sanctae Religionis proposito perstitit, adeo ab omni Sectarum genere abhorruit, ut, licet illae nihil intentatum reliquerint, ut in Regnum istud introductae suam ibidem sedem statuerent, atque in eodem suorum errorum, haeresum, vel pravarum opinionum semina dispergerent, eo fortius Polonorum constantia se se illarum conatibus opposuerit, et luculentiora magis fidelitatis suae praebuerit testimonia.

Complures ex Polonia Sancti, et Beati.

§. 1. Sane; quod ad propositum hoc nostrum aptissimum, et per se multo maximum habendum est, non modo gloriosa illa Martyrum, Confessorum, Virginum, Virorum sanctitatis fama insignium, quibus in Poloniae Regno nasci, enutriri, et mori contigit, memoria est, quae in sacris Ecclesiae Fastis recensetur; sed et complurium ibidem Conciliorum, ac Synodorum celebratio, quae feliciter ad exitum perducta sunt, et quibus magna

Concilia adversus haereses, et libertatem conscientiae habita.

cum gloria de Lutheranis victoria reportata est, qui omnes rationes ac vias experti sunt, ut sibi aditum, receptumque in idem Regnum pararent. Jam vero tum magnum Petrocoviense Concilium, quod sub Magno Praedecessore, et Concive nostro Gregorio XIII., Praesule Lipomano Episcopo Veronensi, et Nuntio Apostolico eidem praesidente, celebratum fuit, in quo tanta cum Dei gloria libertas conscientiae, quae in Regnum illud aditum, ac domicilium quaerebat, proscripta fuit, tum demum amplum illud Synodalium Constitutionum Provinciae Gnesnensis volumen, in quo ea omnia literis consignata sunt, quae a Polonis Episcopis utiliter, et sapienter acta, ac provisa fuerunt, ut in Populis regimini eorum commissis Christiana Religio adversus Judicam perfidiam illibata servaretur, licet temporum conditio ferat, ut iisdem Urbibus, atque Oppidis, tum Christiani, tum etiam Judaei contineantur, haec quidem luculentissime, atque evidentissime comprobant, quantam, quod ante dictum est, Polonorum Natio ex eo sibi laudem comparaverit, quod Sanctam Religionem a Majoribus suis ante tot saecula susceptam sartam semper studuerit tectamque servare.

Provida Leges editae ad comprimendam Judaeorum licentiam.

§. 2. Cum multa eorum capita sint, de quibus dudum mentionem fecimus, de nullo, praeter quam de novissimo, merito est, quod conqueri debeamus: adeo ut vel cum fletu illud exclamare cogamur: *Mutatus est color optimus.* Sane tum ex iis, quae per graves, ac fide dignas Personas, Polonicarum rerum peritas Nobis fuerunt exposita, tum ex querelis eorum, qui in Regno sunt, quique zelo ducti, ad Nos, atque ad hanc Sanctam Sedem recursum habuerunt, notum Nobis factum est, adeo isthic Judaeorum numerum multiplicatum esse, ut aliquot Loca, Civitates, atque Oppida, quae, ut ex ruinis constat, muro ante probe circummunita erant, quaeque, ex antiquis Tabulis, sive Regestis, magno Incolarum Christianorum numero frequentata fuisse apparet, diruta modo, situ, et squallore foeda, ac magno Judaeorum quidem numero referta, Christianorum autem quasi plane destituta reperiantur. Praeterea esse aliquot in eodem Regno Paraecias, quarum Populus cum non leviter diminutus sit, ac proinde redditus earum minor effectus, prope jam in eo sint, ut ab eorum Parochis deserantur. Ad haec omnem

Hi tamen paulatim obtinuerunt, ut pluribus in rebus supra Incolas Fideles se erigerent.

Utique utiliores per Poloniam negotiationes et procurationes ad se pertraherent.

utiliorum mercium negotiationem, qualis liquorum, atque etiam vini est, ab eisdem Judaeis teneri, ipsos ad exercendam publicorum reddituum procurationem admitti, conductas insuper ab eisdem Cauponas, Praedia, Pagos, Possessionem haberi, per quae in miseros Christianos homines, qui in rustica arte censentur, herilem potestatem nacti, non modo eos immiti, et inhumano imperio ad labores, atque opera duriter exercent, atque ad immanium onerum vecturas compellunt; sed poenas etiam imponunt, quibus ad verbera quoque, et plagas in corpore ferendas coguntur. Quo fit, ut illi infelices ab auctoritate hominis Judaei, tanquam subditi de nutu, et potestate Domini, dependeant. Qui licet in hisce poenis infligendis Christiani Administri opera uti teneantur, penes quem facultas eosdem puniendi sit; cum tamen hic Viri Judaei, qui Dominus est, mandata exequi necesse habeat, eidem ne ab officio removeatur, tyrannica illius imperia adimplenda sunt.

Ac etiam durioris imperii et jurisdictionis speciem ibidem in Christianos exercerent.

Item Christianorum famultatu uti conspiciuntur.

§. 3. Praeter publicas autem procurationes, quae, ut modo diximus, a Judaeis habentur; Cauponarum, Pagorum, praediorum conductiones, a quarum rerum exercitio tot ac tanta in Christianos homines praejudicia dimanant; alia insuper accedunt absurda, quae si rite expendantur, iis, quae exposita fuere, majus damnum, ac perniciem afferre possunt. Quod enim gravissimum censendum est, ipsi Judaei in Magnatum domos ad domesticae, sive oeconomicae rei gerendae munus, quod Magisterii Domus nomine venit, admissi, in unius domus tanquam contubernio cum Christianis versantes, imperii specimen super eosdem assidue praeferunt, atque ostentant. Jam vero in Urbibus, et Locis, non modo Judaeos Christianis passim permixtos cernere est, sed illud absurdi adjungitur, quod iidem Christianos utriusque sexus etiam pro famulis servitio suo addictos domi retinere minime vereantur. Porro autem ipsi Judaei cum exercendis mercaturis potissimum occupentur, postquam ea via grandem pecuniae summam confecerunt, nimio usurarum excessu Christianorum census, ac patrimonia penitus exhauriunt: ac licet ipsi etiam a Christianis hominibus cum gravi, et immodico foenore pecunias cum suarum Synagogarum fidejussione mutuentur, facile cuique attendenti patet, id ea causa ab eisdem fieri, ut copia nummorum a Christianis habita, eaque in mercaturis faciendis occupata, non solum ex ea tantum lucri faciant, quantum pacto foenori solvendo satis sit, simulque proprias ea ratione facultates amplificent; sed ut eodem tempore, quot sui creditores sunt, tot suarum Synagogarum, ac suo ipsius Patronis habeant.

Usuras in Christianos exercent, vel contra per earum pensitationem, eos sibi addictos retinent.

§. 4. Celebris ille Monachus Radulphus, immodico olim ductus zelo, adeo contra Judaeos exarsit, ut saeculo duodecimo, quo vixit, Galliam, Germaniamque percurrerit, et contra eosdem Judaeos, utpote Sanctae Religionis nostrae hostes, concionando, Christianos inflammaverit, ut ipsos ad internecionem delerent; quae causa fuit, ut tam magnus Judaeorum numerus interficeretur. Quidnam vero eum, si hodie in vivis ageret, facturum, aut ducturum putandum est, si, quae in praesentia in Polonia contingunt, fieri videret? Nimio huic, et furenti Radulphi zelo magnus ille S. Bernardus sese opposuit, atque in Epistola sua 363., quam ad Clerum, et Populum Galliae Orientalis dedit, ita scriptum reliquit: *Non sunt persequendi Judaei, non sunt trucidandi, sed nec effugandi quidem. Interrogate eos Divinas paginas. Novi quid in Psalmo legitur prophetatum de Judaeis: Deus ostendit mihi, inquit Ecclesia, super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur Populi mei. Vivi quidem apices nobis sunt repraesentantes Dominicam Passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes Regiones, ut dum justas tanti facinoris poenas luunt, testes sint nostrae Redemptionis.* In Epistola autem 365. ad Henricum Archiepiscopum Moguntinum ita ab eodem scriptum est: *Nonne copiosius triumphat Ecclesia de Judaeis per singulos dies, vel convincens, vel convertens eos, quam si semel et simul consumeret eos in ore gladii? Numquid incassum constituta est illa universalis Oratio Ecclesiae, quae offertur pro perfidis Judaeis a Solis ortu, usque ad occasum, ut Deus, et Dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis a suis tenebris eruantur; Nisi enim eos, qui increduli sunt, crediturus speraret, superfluum, et vanum videretur orare pro eis.*

Judaei persequendi non sunt, aut trucidandi; neque concesso legum praesidio spoliandi.

§. 5. Contra Radulphum item Petrus Cluniacensis Abbas ad Ludovicum Francorum Regem dum scripsit, eumdem quidem hortatus est, ne Judaeorum excidium fieri permitteret; verum eodem tempore ipsum excitavit, ut pro excessibus eorum in illos animadverteret, eos-

Indicantur justi limites, quibus coerceri debet eorum tolerantia.

Ne fraudibus, aut usuris fideles opprimant.

que bonis iis expoliaret, quae vel a Christianis abstulissent, vel per usuras accumulassent, atque eorum pretium in Sanctae Religionis usum, utilitatemque converteret, quemadmodum in Annalibus Venerabilis Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 1146. videre est. Nos quidem in hac re non minus, quam in omnibus aliis, eamdem agendi normam suscipimus, quam Venerabiles Decessores nostri Romani Pontifices tenuerunt, Alexander III., gravibus propositis poenis, Christianis interdixit, ne continuum apud Judaeos servitium, aut famulatum susciperent: *Ne Judaeorum servitio se assidue pro aliqua mercede exponant;* cujus rei ratio hisce, quae sequuntur, verbis ab eodem exponitur: *Quia Judaeorum mores, et nostri in nullo concordant, et ipsi* (scilicet Judaei) *de facili ob continuam conversationem, et assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem et perfidiam simplicium animos inclinarent;* quemadmodum in Decretali, *Ad haec, de Judaeis,* legitur. Innocentius III. postquam narravit, quod a Christianis intra Urbes eorum Judaei reciperentur, hujusmodi receptionis methodum et conditionem talem esse debere admonet, ne ipsi maleficium pro beneficio rependant: *Qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam, juxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio, et ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.* Idemque Pontifex asserens conveniens esse, Judaeos Christianis, non autem hos illis inservire, addit: *Ne filii Liberae filiis famulentur Ancillae, sed tanquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, et illos servos effecit;* quae verba in Decretali sua, *Etsi Judaeos* reperiuntur. In illa item: *Cum sit nimis,* sub eodem Titulo *de Judaeis, et Saracenis,* ne Judaei in publicis Officiis adhibeantur, interdicit: *Prohibentes, ne Judaei in publicis Officiis praeferantur, cum sub tali praetextu Christianis plurimum sint infensi.* Innocentius etiam IV. dum ad Sanctum Ludovicum Francorum Regem scriberet, cui Judaeos e Regni sui finibus expellere in animo erat, consilium hujusmodi approbat, quoniam ipsi minime illa observarent, quae respectu ipsorum a Sede Apostolica praescripta essent: *Nos ad animarum salutem totis affectibus adspirantes, expellendi praedictos Judaeos vel per Te, vel per alios, praesertim cum statuta contra eos a Sede praedicta edita, sicut accepimus, non observent, plenam Tibi, auctoritate praesentium, concedimus facultatem;* quemadmodum apud Raynaldum *ad annum Christi* 1253. *num.* 34. videre est.

Ne Christianos in famulatu habeant.

Ne officia publica cum imperio in Christianos exerceant.

Utque omnia statuta observent circa ipsos edita.

§. 6. Si autem quaeratur, quaenam res illae sint, quae Judaeis intra easdem Urbes, in quibus Christiani habitant, degentibus ab Apostolica Sede interdicuntur; ea ipsa omnia omnino esse dicemus, quae hodie in Poloniae Regno agendi facultas eisdem permittitur, et quae superius a Nobis exposita sunt. Ad hujusce rei veritatem manifesto deprehendendam non multa quidem librorum lectione opus fuerit. Titulum Decretalium *de Judaeis, et Saracenis,* percurrere satis est; Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, Nicolai IV., Pauli IV., S. Pii V., Gregorii XIII., et Clementis VIII. Constitutiones in promptu sunt, atque in Bullario Romano habentur. Vos autem, Venerabiles Fratres, ut eadem illa clarissime perspiciatis, ne ipsam quidem lectionis curam suscipere opus habetis. Omnia in Decessorum vestrorum Synodis statuta, atque praescripta vobis occurrunt; cum ipsi quidem minime praetermiserint in suis Constitutionibus ea omnia inserere, quae, quod ad praesentem materiam attinet, a Romanis Pontificibus sancita, atque ordinata fuerunt.

Haec prostant in Jure Canonico, et in Pontificum Constitutionibus.

Ac etiam in Decretis Synodalibus Ecclesiarum Poloniae.

§. 7. Summa autem difficultatis in eo sita est, quod Synodalium Sanctionum vel memoria excidit, vel executio negligitur. Vobis itaque, Venerabiles Fratres, onus incumbit, ut easdem renovetis. Vestri hoc officii ratio exposcit, ut earumdem executioni sedulo insistatis. In hoc autem ab Ecclesiasticis hominibus, sicut par, et aequum est, initium facite, quos in recta agendi ratione viam aliis commonstrare, et exemplo caeteris praelucere opus est. In Dei enim miseratione Nos sperare juvat, bonum Ecclesiasticorum hominum exemplum aberrantes Laicos in rectam semitam reducturum. Quae quidem a vobis eo facilius, ac fidentius praecipi, et mandari poterunt, quod, (prout certis atque idoneis auctoribus allatum est) vestra neque bona, neque jura per vos Judaeis locari, nullum cum eisdem mutuas pecunias dandi, atque accipiendi negotium intercedere, unoque verbo ab omni cum eisdem commercio liberos omnino Vos, atque immunes esse Nobis innotuit.

Horum observantiam Episcopi procurare debent, et ab Ecclesiasticis primum exigere

Contraventiones hac re utpote casus atrociores et graviores, censuris et reservationibus subjici possunt.

§. 8. Ratio, ac methodus a Sacris Canonibus ad debitam a contumacibus obedientiam exigendam praescripta, ea est, ut in maximi momenti causis, cujusmodi praesentes sunt, Censurae adhibeantur, et ut inter casus reservatos illi etiam adjungendi sint, a quibus discrimen Religioni, atque exitium imminere provideatur. Probe notum vobis est, Sacrum Tridentinum Concilium jurisdictionis vestrae firmitati consuluisse, tum cum vobismetipsis jus reservandi casus asseruit; neque eos ad publica tantum crimina restrinxit, verum etiam *ad atrociora et graviora*, dummodo mere interna non sint, extendit, atque ampliavit. Compluries autem ab hujusce Almae Urbis nostrae Congregationibus in variis Decretis, et Encyclicis Epistolis decisum, ac pronunciatum fuit, atrociores inter, atque graviores casus, eos recenseri debere, ad quos procliviores homines sunt, et qui conjunctam Ecclesiasticae Disciplinae, sive salutis animarum, quae Episcopali curae commissae sunt, perniciem habent; quemadmodum a Nobis in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana lib. 5. cap. 5. per totum*, fuse ostensum est.

Apostolicae auctoritatis praesidia promittuntur etiam contra exemptos.

§. 9. Ad hanc autem rem nihil per vos auxilii a Nobis desiderari patiemur, ac pro expediendis difficultatibus, in quas procul dubio incideretis, si vobis contra eos Ecclesiasticos procedendum esset, qui a jurisdictione vestra exempti sunt, Nos Venerabili Fratri Archiepiscopo Nicaeno nostro isthic Nuntio opportuna pro eodem negotio mandata praescribimus, ut ab eodem, juxta facultates sibi traditas necessaria praestentur. Illud simul pro certo vobis pollicemur, Nos, tum cum opportunitas feret, enixe atque omni efficacia de hac re cum illis etiam agere non praetermissuros, opportuna quorum auctoritate ac potentia adjuncta, effici potest, ut a Nobilis Poloniae Regno hujusmodi labes, atque ignominia auferatur. Vos autem, Venerabiles Fratres, a Deo primum, qui bonorum omnium auctor est, ferventiori cordis affectu opem exposcite. Ab eodem Nobis etiam, atque huic Apostolicae Sedi auxilium precibus vestris implorate; et dum omni vos charitatis plenitudine complectimur, Fraternitatibus vestris, et Gregibus curae vestrae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Cum invocatione auxilii Saecularis Potestatis.

Dat. die 14. Junii 1751.

Datum ex Arce Gandulphi die 14. Junii 1751. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

AQUILEIENSIS L.

Patriarchatus et Sedis perpetua suppressio et extinctio; necnon Erectio duorum Archiepiscopatuum, *Utinensis*, et *Goritiensis*, cum aliis opportunis dispositionibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontifex ex pastoralis solicitudinis officio Aquilejensis Ecclesiae statum componere cupit.

Injuncta Nobis a Supremo Pastorum Principe, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, Ecclesiarum omnium solicitudo, Nos usque a primis Pontificatus nostri annis adduxit, ut gravissimum Aquilejensis Patriarchatus negotium a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus jam pridem susceptum, et a pluribus eorum diu multumque agitatum prosequeremur; nil aliud Nobis in nostrae tractationis initio, progressu, fineque proponentes, quam id, quod iisdem quoque Praedecessoribus nostris propositum semper fuisse non dubitamus; ut scilicet Aquilejensis Ecclesiae status ita disponeretur, prout optimo regimini animarum eidem subjectarum, et libero spiritualis gubernii exercitio magis congruere, et opportunum fore dignosceretur.

Temperamenta capta pro meliori Animarum regimine, donec de firmo remedio inter Partes conveniret.

§. 1. Hunc unice scopum prae oculis habentes, superioribus annis certam quamdam Ecclesiastici regiminis formam in ulteriori Aquilejensis Dioecesis parte interea observandam statuimus; sperantes gradum hinc factum iri, ad firmum, stabilemque rerum ordinem, per quem vigentes perturbationes perpetuo tollerentur, ibidem feliciter constituendum; quemadmodum colligere licet ex nostris Literis Apostolicis incipientibus: *Omnium Ecclesiarum*, quas die XXIX. Novembris anni MDCCXLIX., et ex iis, quarum initium est: *Postquam per alias*, quasque die XXVII. Junii anni MDCCL. in forma Brevis edidimus; quibus nimirum, temporaneum urgentibus necessitatibus remedium aptantes, decrevimus, illud tamdiu duraturum fore, *donec aliqua ratio communi Partium consensu, nostraque, aut Successorum nostrorum approbatione, iniri valeret, per quam animarum Fedelium necessitatibus consuleretur.*

§. 2. Verum scientes, omne datum opti-

mum, et omne donum perfectum ab Omnipotente Deo petendum, et expectandum esse, nunquam omisimus in toto gravissimae causae decursu, Divinam Majestatem, interpositis etiam aliorum orationibus, enixe exorare, ut inter perturbationum procellas, et multiplicium difficultatum scopulos, trepidantem consilii nostri navim in portum Nobis optatum, ad afferenda nimirum animabus Christi Sanguine redemptis necessaria salutis aeternae subsidia, afflante Spiritus sui aura, deducere dignaretur.

§. 3. Invocantes Nos exaudivit misericors Dominus, dumque maximarum tribulationum, et amaritudinum fluctibus jactaremur, misit ex alto adjutorium suum, factaque tranquillitate, Nos uberi consolationum suarum dulcedine recreavit. Ipse etenim, in cujus manu sunt Regum corda, uno eodemque tempore Charissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris in Romanorum Imperatricem Electae animum inclinavit: ut de proponendo stabili remedio pro Aquilejensibus rebus perpetuo componendis cogitaret, simulque effecit, ut Dilecti Filii Nobiles Viri Dux et Respublica Venetiarum concordi studio id ipsum optarent. Cujus rei indubium testimonium Nobis praebuerunt Epistolae ad Nos conscriptae tum a praedicta Maria Theresia Regina in Imperatricem Electa sub die XVII. Martii currentis anni MDCCLI., quas Nobis exhibuit Dilectus Filius noster Marius hujus S. R. E. Presbyter Cardinalis Millinus nuncupatus, tum a praefato Venetiarum Duce sub die XXXI. ejusdem mensis, et anni, quas dilectus quoque Filius noster Carolus ejusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Rezzonicus etiam nuncupatus Nobis exhibuit.

Supremi Principes concordi studio inter se conveniunt.

§. 4. Qui sane Marius, et Carolus Cardinales die VI. Aprilis ad audientiam nostram una simul se conferentes, memoratis respective Literis Nobis redditis, non solum flagrantia utriusque Partis desideria, ut hujusmodi perpetuo ac stabili remedio Aquilejensis Patriarchatus negotium terminaretur, unanimi Nobis voce repraesentarunt; sed etiam singillatim ea Nobis exposuerunt, de quibus Partes ipsae olim dissentientes, nostris invitationibus, et hortationibus obsecundantes, diligentibus tractatibus et colloquiis habitis, convenerunt; cujus Conventionis exempla in scriptis redacta Nobis relinquentes, earumdem Partium nomine Nobis humiliter supplicarunt, ut illi, pro rerum conventarum subsistentia et observantia, approbationis nostrae robur adjicere, necnon pro earumdem rerum executione, Apostolicae auctoritatis nostrae plenitudinem interponere dignaremur. Articuli autem conventionis inter praedictas Partes initae, qui earumdem mandato subscripti, et respective ab ipsis approbati, et ratificati fuerunt, sunt tenoris sequentis, videlicet.

Conventionis approbationem, et rerum conventarum executionem a Pontifice requirunt.

Articuli Conventionis

§. 5. *Cum Sacra Caesarea Regiaque Hungariae Bohemiaeque Majestas Serenissimam Venetam Rempublicam sincero et singulari prorsus affectu prosequantur, ac proinde de illibata cum eadem servanda amicitia, bona vicinitate, ac unione, quam maxime sit studiosa, neque minus praefata Serenissima Respublica hac ipsam amicitiam, bonam vicinitatem, ac unionem pari studio excolere satagat; hinc est, quod tam ex una, quam ex altera parte enixo studio eo fuerit allaboratum, ut quae per aliquot saecula hucusque substiterat, circa Aquilejensem Patriarchatum controversia, amica ac utrinque aeque decora via penitus ac radicitus terminetur.*

Quem in finem, ad opus tam salutare tractandum ac peragendum, Sacra Caesarea Regiaque Hungariae et Bohemiae Majestas Virum Illustrissimum ac Excellentissimum Dominum Corficium Sacri Romani Imperii Comitem ab Ulfeld, suum Consiliarium Status actualem intimum, nec non Aulae et Status Cancellarium, Supremum Supellectili Argenteae Regni Bohemiae Haereditarium Praefectum, Dominum Dynastiarum Hostascov, Prodliz, Ottaslavvitz, et Zultsch etc. Aurei Velleris Equitem.

Serenissima vero Veneta Respublica suum in Aula Caesarea commorantem Oratorem Ordinarium Illustrissimum et Excellentissimum Nobilem Dominum Andream Tronum Equitem etc. plena facultate muniverint; qui, collatis prius inter se colloquiis, de sequentibus conditionibus convenerunt.

ART. I. *Sacra Caesarea Regiaque Majestas tum Sanctitati Suae, tum Serenissimae Venetae Reipublicae, optionem relinquit, num loco abolendi prorsus Aquilejensis Patriarchatus, duo Episcopatus, aut Archiepiscopatus, unus ex parte Imperii, et alter ex parte Ditionum praefatae Reipublicae Subditarum, institui velint; quorum primus Goritiensis, alter Utinensis in posterum nuncupabitur; ea tamen sub conditione, ut*

inter eamdem, et Serenissimam Venetam Rempublicam, quoad hanc novam institutionem et erectionem, perfecta aequalitas observetur, et uterque seu Episcopus, seu Archiepiscopus, iisdem prorsus gaudeat facultatibus.

Art. II. *Ne dubium ullum superesse queat, quid sub omnimoda Aquilejensis Patriarchatus abolitione, juxta mentem contrahentium Partium, praevio Sanctitatis Suae in id ipsum consensu, intelligatur; disertim inter easdem conventum est, sub hac ipsa denominatione non saltem ipsius Patriarchatus abolitionem, sed et abolitionem inde dependentium, Tituli, Dignitatum, Canonicatum, et Beneficiorum intelligi debere, ita quidem, ut nullus in posterum seu Canonicus, seu annexa quadam Aquilejensi, qua Patriarchali, Ecclesiae dignitate praeditus, se talem nuncupare audeat, sed qui ex parte Imperii sunt, Goritienses, et qui ex parte Venetae Reipublicae sunt, Utinenses in posterum nuncupentur.*

Art. III. *Sacra Cesarea Regiaque Majestas consentit, ut Eminentissimus Dominus Cardinalis Delfinus, quamdiu vixerit, Nomen, Titulum, et Honores Patriarchae retineat; eo tamen pacto, ut ex consensu hocce suo, Augustae Domus suae, aut Sacri Romani Imperii juribus, prout illa ante praesentis concordiae Articulos comparata fuerunt, nullum vel minimum praejudicium illatum, nec quicquam in ditionibus suis praefato Eminentissimo Domino Cardinali concessum censeri queat.*

Art. IV. *Mortuo autem eodem, Nomen quoque et Titulus Patriarchae iis in Terris, quae Aquilejensi quondam Ecclesiae suberant, cessare omnino debebit.*

Art. V. *Sacra Caesarea Regiaque Majestas pro se suisque Haeredibus et Successoribus, et Serenissima Veneta Respublica sese quam validissime aequali tam ex una quam ex altera parte ratione obstringunt, quod nullis unquam futuris temporibus, ultra supra memoratas concordiae Leges, multo minus contra easdem, in iis, quae Aquilejensem quondam Patriarchatum quocumque demum modo, seu directe, seu indirecte concernunt, quicquam a Sancta Sede Pontificia expetere, aut si oblatum fuerit, accipere, sed unice praesentis concordiae Legibus stare velint.*

Art. VI. *Sacra Caesarea Regiaque Majestas pro se, suisque Haeredibus, et Successoribus, quo fieri potest meliore et firmiore modo, quae jam in antecessum suo nomine totius declarata fuerant, denuo confirmat: nempe quod numquam ipsi in mentem venerit, sub colore, praetextu, aut ex causa eorum, quae circa Aquilejensem Patriarchatum ventilata hucusque fuerunt, vel unicam terrae palmam de territorio, quod Serenissimae Venetae Reipublicae subest, sibi aut in praesens, aut in posterum arrogare; renuntiando disertim iis, quae inde desumi possent, titulis aut praetensionibus quibuscumque.*

Art. VII. *Pro tollenda omni dissidiorum ansa, redditus, qui ad Aquilejensem Ecclesiam hactenus spectarunt, ita separentur, ut qui ex terris Austriacis proveniunt, constituendo ibidem novo Episcopo, aut Archiepiscopo, eique subjectis Canonicis; illi vero, qui ex Veneto territorio promanant, Utinensi Episcopo, aut Archiepiscopo, et ibidem degentibus Canonicis ex asse cedant. Et si quae adhuc supersunt alia rerum capita ad Aquilejensem Patriarchatum sese referentia, de iis ex aequo et bono inter Sacram Caesaream Regiamque Majestatem, et Serenissimam Venetam Rempublicam, ad instar eorum, quae quoad limites observata hucusque fuerunt, quo citius, eo melius amica pariter via terminentur.*

Art. VIII. *Siquae hinc inde, durante controversia, speciatim ex Aquilejensi Ecclesia ablata fuerint, bona fide quantocyus restituantur, et super iis ad sensum praecedentis Articuli ex aequo et bono omnia terminentur.*

Art. IX. *Ad normam praesentis conventionis, tam ex parte Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis, quam ex parte Serenissimae Venetae Reipublicae, apud Sanctitatem Suam usitato et decente modo instabitur, ut quemadmodum Eadem pronam se jam in antecessum, et propensam declaravit, erectioni duorum Episcopatuum, seu Archiepiscopatuum iisdem utriunque facultatibus munitorum benigne annuere; ita Sanctitas Sua ultimum tam salutari scopo, communi ac concorde studio utrinque promovendo, complementum quantocyus dare velit.*

Conventio communi plausu excipitur.

§. 6. Sane, si ex communi plausu, quo hujus conventionis inter praefatos Supremos Dominantes feliciter initae, necnon singulorum Capitum in ipsa Conventione contentorum notitia, tam citra, quam ultra Montes, a Viris cordatis, et publicae tranquillitatis, rectique rerum Ordinis amatoribus excepta fuit, de illa et illis judicandum simpliciter Nobis fuisse putavissemus; nil ultra laboris aut diligentiae Nobis, aut illis, quorum consiliis utimur, in eorumdem examine adhibendum fuisset.

Illiusque executionem implores et graves causae tradent.

§. 7. Sed quoniam nihil omittendum Nobis esse judicavimus, quod ad approbationem nostram consideratius, atque consultius interponendam conducere valeret; quum ad memoriam nostram revocaverimus tam ea, quae in Ecclesiasticis Annalibus habentur circa Patriarchatus Aquilejensis exordia, gravissimasque perturbationes, quibus Ecclesia Dei propterea vexata fuit; quam quae in historiis secularibus relata sunt, de multiplicibus dissensionibus, cruentisque bellis, quae inter Christianos Principes, ejusdem Patriarchatus occasione, frequenter arserunt; cujusmodi periculis verendum erat, ne eorumdem Christianorum Principum pax et concordia, donec Patriarchatus ipse subsisteret, perpetuo exposita remaneret; ipsius quoque Civitatis Aquilejensis praesentem statum prae oculis habentes, et miseram conditionem, ad quam a tanto jam tempore redacta esse dignoscitur, ut in multorum Patriarcharum serie nullus inveniatur, qui in ipsa resederit; nec ullum in posterum in ea mansurum fore credendum esset. Considerantes praeterea, quibus cautelis plurium saeculorum spatio ab Apostolica Sede procedi opus fuerit in ejusdem Patriarchatus collatione et provisione, ad evitandas offensiones, ac dissensionum, bellorumque tumultus, qui inter Supremos Principes ea occasione accendi potuissent: Quoque jamdudum Pastoralem solicitudinem nostram magis angebat, perpensis spiritualibus necessitatibus tot millium animarum, amplissimam partem Aquilejensis Dioecesis ultramodo extensae incolentium, et a Veneto Dominio dissitarum, quarum regimen jamdudum, ob inextricabiles rerum secularium difficultates, haud feliciter procedebat: Qua de re quum plures recursus a Patriarchis pro tempore ad hanc Apostolicam Sedem facti fuerint, dum statum Ecclesiae suae eidem Apostolicae Sedi statutis temporibus de more referrent; cumque piorum atque prudentium Virorum, gravissimas dictarum animarum calamitates deplorantium, relationes et querelae, tum ad Praedecessores nostros Romanos Pontifices, tum ad Nos ipsos saepe pervenerint; animo occurrebat, quam frustra iidem Praedecessores nostri, Pontificiae solicitudinis officia ad hujusmodi calamitates sublevandas pluries interposuerint; quot etiam ad hunc diem inutiliter excogitata fuerint remedia, quae vel optatam executionem, vel speratum fructum nequaquam obtinere, vel plenam recti ordinis reintegrationem producere non potuerunt, vel denique temporaneam dumtaxat attulerunt utilitatem, quum scilicet ideo excogitata fuerint et adhibita, ut viam sternerent ad firmum tandem et stabile remedium memoratis deordinationibus perpetuo tollendis inveniendum.

Itaque Pontifex eam laudat et approbat, ac secundum illam statuere decernit.

§. 8. His omnibus matura consideratione pensatis, iisdemque conventionis Capitibus attente perpensis, implorato saepius Divini Luminis adjutorio, ac requisitis, auditisque super his nonullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sententiis, de eorum consilio et assensu, postulationibus hujusmodi pro parte dictae Charissimae in Christo Filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris, in Romanorum Imperatricem Electae, necnon Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis et Reipublicae Venetiarum, Nobis, ut praefertur, exhibitis, in omnibus et per omnia plenissime annuentes; non modo praeinserta omnia et singula Conventionis capita, utpote ad publicum bonum, et felix animarum regimen tendentia, praesentium Literarum tenore laudamus et approbamus; verum etiam per easdem praesentes ad ea exequenda et statuenda, quae pertinent ad omnimodam, atque perpetuam suppressionem Patriarchatus Aquilejensis, necnon ad erectionem duorum Archiepiscopatuum aequalibus omnino juribus, praeeminentiis, ac prarogativis praeditorum, relicto, ut infra, Dilecto Filio nostro Danieli S. R. E. Presbytero Cardinali Delfino nuncupato, dum vixerit, Patriarchae Titulo, procedere volentes; aliorum vero Capitum inter praefatas partes, ut supra dictum est, conventorum, ac respective a Nobis approbatorum executionem, per alias nostras Apostolicas Literas implendam, statuendamque reservantes.

Aquilejense Patriarchatum, et Sedem, Capitulum etc. supprimit et extinguit.

§. 9. De Apostolicae potestatis nostrae plenitudine, qua Nobis datum est, justis concurrentibus causis, Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, et Episcopales erigere, transferre, supprimere, et extinguere, earumque Dioeceses dividere ac separare, prout in Domino expedire noverimus; Motu proprio, et certa scientia, ac praesentium Leterarum tenore, in dicta Aquilejensi Civitate et Ecclesia, Patriarchalem Cathedram, Dignitatem, et Sedem, Titulum, ac denominationem, atque

omne Patriarchale, Metropoliticum, et Dioecesanum jus eidem Ecclesiae ac Sedi hactenus adnexum, necnon ipsius Ecclesiae Capitulum, Dignitates, Canonicatus, atque Praebendas; itaut deinceps Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut Cathedralis Ecclesia Aquilejensis, illiusque Capitulum minime existat, nec ullus Aquilejensis Patriarcha, Archiepiscopus, aut Episcopus, vel illius Ecclesiae Dignitas, aut Canonicus denominari possit, penitus, omnino, ac perpetuo supprimimus et extinguimus.

Utinensem Archiepiscopatum erigit eique Dioecesim, et Suffraganeos assignat.

§. 10. Ut autem animabus Christifidelium in locis hactenus Aquilejensis Patriarchatus per Nos, ut praefertur, suppressi et extincti spirituali jurisdictioni subjectis, quaeque in temporalibus tam Venetae Reipublicae, quam Austriacae Familiae supremo parent dominio, degentium, Ecclesiastici regiminis subsidia non desint; simili motu, scientia, et potestatis plenitudine, per easdem praesentes, ex nunc in Civitate Utinensi unam Archiepiscopalem Cathedram et Sedem, Archiepiscopatum Utinensem nuncupandam, cum omnibus, et singulis juribus, etiam Metropolitico, caeterisque praeeminentiis et praerogativis, aliis Archiepiscopalibus Ecclesiis de jure, usu, ac consuetudine competentibus, perpetuo erigimus et constituimus; cui quidem Archiepiscopatui, pro peculiari ejus Dioecesi, totum illum Regionis tractum, qui temporali Reipublicae Venetae dominio subjectus est, et hactenus a pro tempore existente Patriarcha Ecclesiae Patriarchalis Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, Dioecesano jure obtinebatur, et pacifice regebatur, tribuimus et assignamus, necnon in Suffraganeos eos omnes, et singulos Episcopos, quorum Cathedrales Ecclesiae in praefatae Reipublicae Venetae dominio consistunt, quique ad hunc diem eisdem Patriarchatui Aquilejensi per Nos, ut praefertur, suppresso et extincto subjecti fuerunt, subjicimus atque supponimus; prout latius, atque distinctius per alias nostras Apostolicas Literas super erectione hujusmodi Utinensis Ecclesiae Archiepiscopalis, aequalibus, ut praefertur, juribus et praerogativis cum infrascripta Goritiensi Archiepiscopali pariter Ecclesia insigniendae peculiariter expediendas, statuetur, et explicabitur.

Goritiensem pariter Archiepiscopatum erigit eique Dioecesim et Suffraganeos attribuit.

§. 11. Simili quoque modo ex nunc in Civitate Goritiensi alteram Archiepiscopalem Cathedram et Sedem, Archiepiscopatum Goritiensem nuncupandam, cum omnibus et singulis praedictis juribus, etiam Metropolitico, caeterisque praeeminentiis et praerogativis, aliis Archiepiscopalibus Ecclesiis de jure, usu, ac consuetudine competentibus, earumdem praesentium tenore, dictisque motu, scientia, et potestatis plenitudine, perpetuo pariter erigimus et constituimus; cui etiam Archiepiscopatui, pro ejus peculiari Dioecesi, alteram Patriarchalis hactenus Ecclesiae Aquilejensis, per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, Dioecesis partem, quae Austriacorum Principum dominio subest, quaeque novissimis temporibus per Vicarium Apostolicum Episcopali charactere praedictum, a Nobis ad tempus, et ad nostrum, ac Sedis Apostolicae beneplacitum inibi constitutum, in spiritualibus gubernata fuit, tribuimus et assignamus; ita ut, statim ac novae Archiepiscopali Goritiensi Ecclesiae hujusmodi, Apostolica auctoritate, futurus illis Archiepiscopus praeficietur, praedicti Apostolici Vicarii gubernium, necnon omnes et singulae providentiae et ordinationes, sive a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive a Nobis ipsis, pro animarum regimine in dicta Aquilejensi quondam Dioecesis parte Austriacae Ditioni subjecta, captae, editae, atque statutae, exinde in posterum pro sublatis, irritis, abrogatisque eo ipso habeantur; eidemque Goritiensi Archiepiscopatui in suffraganeos, eos omnes et singulos Episcopos, quorum Ecclesiae Cathedrales in temporali Austriaca Ditione consistunt, quique ad hunc diem Patriarchali Ecclesiae Aquilejensi per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, simili jure subjectae fuerunt, supponimus, atque subjicimus; prout etiam in aliis nostris Apostolicis Literis super erectione hujusmodi Goritiensis Ecclesiae Archiepiscopalis, aequalibus pariter juribus et praerogativis cum supradicta Utinensi Archiepiscopali Ecclesia insigniendae, peculiariter expediendis, plenius atque distinctius statuemus, et explicabimus.

Vicarii Apostolici regimen aliasque providentias, post Archiepiscopatus provisionem cessare decernit.

Jus nominandi ad praedictas Ecclesias Austriacis Principibus, ac Venetae Reipublicae respectivae tribuit.

§. 12. Et quoniam illustria Religionis, ac Pietatis argumenta, quae in tractatione hujus gravissimi negotii, ex quo Ecclesia Dei tot perturbationes, et anxietates aliquot jam Saeculorum decursu sustinuit, necnon in superius relata conventione inter praedictas Partes provide inita, et a Nobis per praesentes approbata, ex parte tam dictae Mariae Theresiae Re-

ginae in Imperatricem Electae, quam praedictorum Ducis et Reipublicae Venetiarum edita fuerunt, maximum utilitatis fructum eidem Ecclesiae Dei in praesenti attulerunt, atque etiam in posterum allatura fore prospicimus; idcirco Nos, motu, scientia, et potestate paribus, ipsarum tenore praesentium, praedictae Mariae Theresiae Reginae in Imperatricem Electae, ejusque successoribus in perpetuum, ad praefatum Goritiensem Archiepiscopatum per Nos, ut praefertur erectum, tam pro prima hac vice, quam quoties perpetuis futuris temporibus ipsum vacare contigerit, jus nominandi Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti Personam idoneam, per Nos, et successores nostros ad eumdem Archiepiscopatum Goritiensem pro tempore promovendam, eique praeficiendam; necnon praedictis Duci et Reipublicae Venetiarum, ad alium Utinensem Archiepiscopatum, etiam per Nos, ut praefertur erectum, quoties per liberam praefati Danielis cardinalis dimissionem, sive per ejus decessum, ac etiam deinceps alio quovis modo, perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, simile jus nominandi Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti Personam idoneam, etiam per Nos, et Romanos Pontifices successores nostros pro tempore ad eumdem Archiepiscopatum Utinensem promovendam, eique praeficiendam, etiam perpetuo respective concedimus, et impertimur; prout per alias quoque Literas in forma Brevis super utriusque juris nominandi hujusmodi concessione peculiariter respective expediendas id ipsum statuemus, ac indulgebimus.

Patriarchae titulum a moderno card. Delfino retineri concedit.

§. 13. Praefato autem Dilecto Filio nostro Danieli Presbytero Card. Delfino nuncupato, ob personalium ipsius meritorum magnitudinem, ut, non obstante Patriarchatus Aquilejensis suppressione et extinctione, per Nos, ut praefertur, factis, ipse nihilominus, quoad vixerit, absolutum et simplicem Patriarchae Titulum et denominationem retinere, et gerere possit et valeat; ita tamen ut ejusdem in dicto Archiepiscopatu Utinensi Successores, non alio, quam Utinensium Archiepiscoporum Titulo denominari possint aut debeant, earumdem praesentium tenore concedimus et indulgemus.

In Civitate Aquilejensi, suppressa Parochialita-

§. 14. Aquilejensis porro Civitas magnitudine quondam et populi frequentia insignis, quantum ab antiquo splendore prolapsa, quamque ad deteriorem conditionem redacta sit, omnibus notum est atque compertum. Illius autem Incolarum Cura Parochialis inter duas Ecclesias divisa est, ab eisque dependet; quarum una est ipsa, quae hactenus Patriarchalis etiam extitit, Ecclesia, in honorem Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae, seu forsan Nativitatis ejusdem Beatae Mariae Virginis, Omnipotenti Deo dicata, cujus quidem Animarum Parochianorum cura per ipsius Ecclesiae Sacristam pro tempore existentem exerceri consuevit; altera vero est Parochialis Ecclesia S. Joannis in foro, seu in Platea nuncupata, cujus Rector, seu Presbyter Curatus, a Communitate, et Hominibus dictae Civitatis, ut, accepimus, eligi, nominari, ac Ordinario Loci praesentari solitus, erga Parochianos Ecclesiae hujusmodi jura Parochialia exercet. Quum itaque Civitas Aquilejesis sub temporali Austriacorum Principum ditione constituta sit; ideoque illius spirituale regimen, juxta praemissa, ad futurum Goritiensem Archiepiscopum pertinere, idemque futurus Archiepiscopus, Ordinario, et Dioecesano jure, suam plenam jurisdictionem in eadem Civitate exercere debeat; Ne quid umquam libero hujusmodi jurisdictionis exercitio officere valeat, Nos in primodicta Ecclesia, cujus Patriarchalem qualitatem, nec non Cathedralitatis, aliaque praedicta jura jam suppressimus et extinximus, omnem etiam Parochialitatem, illiusque Curam Parochialem, harum quoque serie supprimimus et extinguimus; ac illius sic suppressae et extinctae animarum Parochianorum curam, ad dictam Parochialem Ecclesiam S. Joannis in Foro, seu in Platea nuncupatam transferimus, illique subjicimus, et cum omnibus et singulis Parochialibus juribus respective applicamus, appropriamus, et cum ea incorporamus: ita ut illius Rector, seu Parochus, omnium animarum Christifidelium tam suae hactenus Parochiae, quam etiam alteri, in praefata Patriarchali olim Ecclesia ad hunc diem existenti subjectorum, curam et regimen gerat, idemque, una cum omnibus suis Parochianis, hoc est, cum universo Aquilejensis Civitatis populo, praedicti futuri Goritiensis Archiepiscopi Ordinario juri subjectus existat.

te Ecclesiae olim Patriarchalis, unam dumtaxat Animarum Curam fore statuit.

Eamdem Ecclesiam a cujuscumque Ordinarii jurisdictione

§. 15. Cum vero Apostolica haec Sancta Sedes insignioribus quibusdam Basilicis, libertatis, et exemptionis, ac immediatae eidem

exemptam, Sedi Apostolicae perpetuo subjicit.

Apostolicae Sedi subjectionis privilegia impertiri consueverit; Nos dictam Aquilejensem quondam Patriarchalem Ecclesiam Pontificiae liberalitatis muneribus decorare volentes, dicta potestatis plenitudine, eamdem a futuri, et pro tempore existentis Archiepiscopi Goritiensis, et cujuscumque alterius Archiepiscopi, seu Episcopi jurisdictione, in omnibus, et per omnia per easdem praesentes eximimus et liberamus, ac perpetuis futuris temporibus exemptam, immunem et liberam, Nobisque, et Successoribus nostris Romanis Pontificibus, et huic Apostolicae Sedi immediate subjectam esse et fore decernimus. Ne autem ob nimiam praedictae Civitatis Aquilejensis a Romana Urbe, et Curia distantiam, ipsa Basilica praedicta necessariae assistentiae praesidio careat; Apostolico Delegato in dicta Civitate constituto, cui ab aliquot retro saeculis Monialium Monasterii Aquilejensis gubernium, apostolica auctoritate, et independenter ab Ordinarii jurisdictione commissum dignoscitur, ejusque futuris Successoribus, quos quidem in posterum semper ex personis eorumdem Austriacorum principum subditis eligendos fore statuimus, et nostras, et Apostolicae Sedis vices committimus ac demandamus, ut ipse nunc existens Delegatus, ejusque Successores hujusmodi, tanquam Apostolici ad hoc etiam Delegati, nostroque, et ejusdem Apostolicae Sedis nomine, et auctoritate, cum debita a Nobis, et successoribus nostris dependentia, dictam Aquilejensem Basilicam olim Patriarchalem, ab Archiepiscopi Goritiensis, et alterius cujuscumque Archiepiscopi, sive Episcopi jurisdictione exemptam, Nobisque, et Apostolicae Sedi, ut praefertur, immediate subjectam, studeant salubriter regere, feliciter gubernare, et provide conservare.

Apostolicum Delegatum ad illius curam deputat.

Praemissorum omnium firmitati consulit per opportunas clausulas et Decreta.

§. 16. Praesentes autem Literas, et in eis contenta, et statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo, jus aut interesse habentes, vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, praeeminentiae, et Ecclesiasticae, vel Mundanae Dignitatis sint, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint: seu, quod aliqui ex ipsis ad ea minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis auditi fuerint: aut ex alia qualibet, etiam laesionis, vel alias juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato et substantiali; sive etiam ex eo, quod in praemissis, solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda, minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non satis adductae, verificatae, ac justificatae fuerint; notari, impugnari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel justitiae remedium impetrari posse; sed tamquam ex Pontificiae providentiae Officio, et Motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine Nostris, factas et emanatas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; omnibusque etiam et singulis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et prorsus inane esse et fore, pari auctoritate volumus, atque decernimus.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 17. Non obstantibus, de jure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad Partes, vocatis, quorum interest, aliisque nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis; necnon dictae Ecclesiae olim Patriarchalis, per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, erectione et fundatione: Omnibusque et singulis Apostolicis, ac in Synodalibus quoque, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus: Nec non ejusdem Ecclesiae olim Patriarchalis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque Indultis, Concessionibus, et Donationibus eidem Ecclesiae, ut praefertur, suppressae et extinctae, aut quibuscumque personis, quacumque Ecclesiastica, aut Mun-

dana dignitate fulgentibus, quamtumvis specifica et individua mentione dignis, etiam Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, et aliorum Supremorum Principum auctoritate, et liberalitate, seu ad alicujus ex supra expressis instantiam, intuitum, et contemplationem, sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam Motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu Consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, et emanatis, et longissimi, ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi, exercitis, atque praescriptis; Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, et formis, specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, ex certa scientia, motuque, et potestatis plenitudine paribus, derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem habere jubet.

§. 18. Volumus etiam, ut ipsarum praesentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prosus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, suppressionis, extinctionis, duplicis erectionis, constitutionis, concessionis, impertitionis, exemptionis, liberationis, subjectionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 2. Julii 1751.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, pridie nonas Julii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

† Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

† *Ego Thomas Episcopus Ostiensis Cardinalis Rufus Decanus S. R. E. Vice-Cancellarius.*
† *Ego Annibal Episcopus Portuen. Card. S. Clementis Albanus.*
† *Ego Petrus Aloysius Episcopus Albanen. Cardinalis Carafa.*
† *Ego Antonius Xaverius Episcopus Praenestin. Card. Gentili.*
† *Ego Raynerius Episcopus Sabinen Cardinalis de Ilcio.*
† *Ego Joannes Antonius Episcopus Tusculanus Card. Guadagni.*
†
†
†
†
† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*
† *Ego Franciscus Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*
† *Ego Dominicus Tit. SS. Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Riviera.*
†
† *Ego Pompejus Tit. S. Eusebii Presbyter Card. Aldovrandus.*
† *Ego Joseph Tit. S. Pudentianae Presbyter Card. Spinellus.*
†
†
† *Ego Carolus Tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presbyter Card. Rezzonicus.*
† *Ego Dominicus Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*
† *Ego Silvius Tit. S. Callisti Presbyter Card. Valenti S. R. E. Camerarius.*
† *Ego Carolus Tit. S. Anastasiae Presbyter Card. Sacripantes.*
†
† *Ego Joachim Tit. S. Caeciliae Presbyter Cardinalis Portocarrero.*
† *Ego Camillus Tit. SS. Joannis, et Pauli Presbyter Card. Paulutius.*
† *Ego Carolus Albertus Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*
†
† *Ego Jacobus Tit. S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Card. Oddi.*
†
†

† *Ego Franciscus Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. Riccius.*

† *Ego Antonius Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Card. Rufus.*

† *Ego Philippus Maria Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. de Montibus.*

† *Ego D. Fortunatus Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburinus.*

† *Ego D. Joachim Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besutius, Major Poenitentiarius.*

† *Ego Joannes Baptista Tit. S. Honuphrii Presbiter Card. Mesmerus.*

† *Ego Marius Tit. S. Marcelli Presbyter Card. Millinus.*

† *Ego Henricus Tit. S. Mariae in Porticus Presbyter Card. Dux Eboracensis.*

† *Ego Alexander S. Mariae in Via-Lata Diaconus Card. Albanus.*

† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Cardin. Corsinus.*

† *Ego Hieronimus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*

† *Ego Prosper S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna de Sciarra.*

† *Ego Alexander S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tenarius.*

† *Ego Hieronymus S. Adriani Diaconus Card. Bardi.*

† *Ego Dominicus SS. Viti, et Modesti Diaconus Card. Ursinus.*

† *D. Card. Passionei.*

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 17. ejusdem Mensis, et Anni.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS
ET DOMINI NOSTRI DOMINI

L.*

BENEDICTI PAPÆ XIV.

LITERÆ APOSTOLICÆ

Ad supplicationem Clericorum Regularium Societatis Jesu Assistentiae Hispanae concessae super Confirmatione et ampliatione Indulgentiarum a S. M. Gregorio PP. XV. concessarum pro Clericis dictae Societatis, aliisque una cum eis cooperantibus, in docendo, ac pro addiscentibus Doctrinam Christianam in Hispaniarum et Indiarum Regnis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nuper fecit dilectus filius Josephus de Lara Clericus Regularis expresse professus Societatis Jesu, ac Assistentiae Hispanae in Alma Urbe nostra Procurator, quod aliás felic. recor. Gregorius PP. XV. Praedecessor Noster, ad supplicationem tunc in humanis agentis Mutii Vitelleschi praedictae Societatis Praepositi Generalis, per quasdam suas in simili forma Brevis die XXVII. Septembris MDCXXII. expeditas Literas; Omnibus et singulis ejusdem Societatis Clericis, aliisque universis Christifidelibus ubivis Locorum existentibus, ac cum eisdem Clericis in infrascriptis cooperantibus, qui de Superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum Loco-

rum, Pueros, et Adultos quoscumque Doctrinam Christianam juxta Decreta Sacri Concilii Tridentini docere, aut eidem, dum docetur, interesse consuevissent, si vere poenitentes et confessi Sanctissimo Eucharistiae Sacramento die festo ab eisdem Ordinariis in Ecclesiis, in quibus Doctrina Christiana docetur, semel in anno designando refecti fuissent, Plenariam: Nec non ipsis, qui vere etiam poenitentes, et confessi dictum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent, aut id facere non valentes, animo contrito Nomen JESU, saltem corde, in mortis articulo invocassent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concessit: Praeterea eisdem, qui pariter vere poenitentes, et confessi, semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent, septem annos, et totidem quadragenas: Qui vero in causa fuissent ut Pueri, Famuli, aut aliae personae ad Doctrinam Christianam accedant, ducentos dies: Et qui diebus Stationum ejusdem Urbis hanc Doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuissent, aut etiam illi, qui ad eamdem discendam accessissent, easdem Indulgentias consequerentur, quas consequi possent, et valerent, si Ecclesias Stationum ejusdem Urbis personaliter visitassent: Easdem etiam Indulgentias Visitatores Scholarum Doctrinae hujusmodi, qui ex commisso sibi Officio visitarent illas Scholas, quas illo die visitare possent, consequerentur, si peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent: Insuper eisdem, qui diebus feriatis hanc Doctrinam Christianam, aut publice, aut privatim, ut praefertur, explanassent, centum dies: Nec non omnibus, et singulis Praeceptoribus, qui diebus festis Discipulos suos ad Doctrinam Christianam duxissent, eosque illam docuissent, septem annos; et qui diebus feriatis in propriis Scholis eamdem Doctrinam explicassent, centum dies: Praedictis etiam Clericis, qui in Ecclesiis, seu Oratoriis, ubi Doctrina Christiana docetur, Verbum Dei praedicassent, aut Collationes fecissent, licet illo die non intervenissent in aliqua Schola docendi causa, septem annos: Omnibus autem, et singulis Patribus, et Matribus familias, qui in suis Domibus, liberis, famulis et familiaribus utriusque Sexus Doctrinam Christianam explanassent, qualibet vice id egissent centum dies: Item iis, qui per Civitates, Terras, et alia Loca Viros, Mulieres, aut Pueros ad discendam eamdem Doctrinam Christianam docendi causa circumivissent, septem annos, ac etiam qui extra Civitates ad illam, ut praefertur, docendam per Castra, et Villa, exivissent, decem Annos: Omnibus et singulis Christifidelibus, qui per mediam horam Doctrinae praedictae, aut discendi, aut docendi causa studuissent, aut eidem Doctrinae interessent, centum dies: Eisdem etiam, qui Doctrinam praedictam docere consuevissent, si Infirmos visitassent, quoties id fecissent, ducentos dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit, et alias, prout in dictis Literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem Expositio subjungebat, dictusque Josephus Procurator asserebat quamplurimi Philosophiae et Sacrae Theologiae Magistri, aliique dictae Societatis Alumni in Sacro Presbyteratus Ordine constituti, in Hispaniarum Regnis, ac Indiarum Partibus Charissimo in Christo filio Nostro Ferdinando earumdem Hispaniarum Regi Catholico subjectis, existentes, dum tempus ipsis vacat, per aliqua Loca excurrunt, ut Sacris Missionibus per tres, quatuor, aut plures dies, prout Oppidorum necessitas exigit, vel propria in Collegiis, Seminariis, Residentiis, aut Domibus dictae Societatis Officia, et munera eis demandata sibi permittunt, operam dare possint, non raro accidere solet, ut cum in die festo in propriis Societatis praedictae domibus esse debeant, ut in illo ministeriis sibi commissis, vel in sequenti die Scholis vacent, hinc est, quod non possint excipere Confessiones in Locis, in quibus Sacras Missiones hujusmodi faciunt, quae in majori copia ultimo Missionis die sunt, et quibus aliquando non est Confessariorum copia, praesertim aliquibus in locis, ubi solus Parochus est Confessarius, ac etiam ut aliqui Sacerdotes, qui tenentur Sacrum facere in alia Ecclesia, quam ubi Doctrina Christiana explicata est, eaque de causa Plenariam Indulgentiam semel in Anno ab ipso Gregorio concessam sumentibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum die festo ab Ordinario designando in Ecclesia, in qua Doctrina Christiana docetur, lucrari non valeant, ac proinde dictus Jose-

phus Missionariorum hujusmodi spirituali consolationi per Nos providere, et ut infra indulgere plurimum desideret. Nos piis ejusdem Josephi Procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradictas omnes Indulgentias, ac peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes a memorato Gregorio Praedecessore omnibus, et singulis Personis Doctrinam Christianam hujusmodi docentibus, et discentibus concessas, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac quatenus opus sit omnibus, et singulis praedictis praemissa in dictis Literis contenta peragentibus, de novo auctoritate praefata concedimus. Praeterea eisdem Ordinariis, in Hispaniarum Regnis, et Indiarum partibus existentes, ut ipsi, si opportunum esse existimaverint, accedente etiam eorumdem Missionariorum consensu, et necessitas id postulaverit, Diem festum hujusmodi ab illis designandum ad effectum consequendi Plenariam Indulgentiam per memoratum Gregorium Praedecessorem concessam, sumentibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia, in qua Doctrina Christiana docetur, etiam in Diem feriatum commutare possint, quam quidem Indulgentiam tam Regulares dictae Societatis, quam Sacculares Presbyteri cum illis cooperantes, qui alibi quam in Ecclesia, in qua explicata est Doctrina Christiana Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare tenentur, consequi et lucrari valeant, quamvis eodem die etiam feriato ab Ordinario, sicut praemittitur, designato in Ecclesia ubi Doctrina Christiana hujusmodi explicata est, minime celebrent, vel Sacram Communionem non sumant: Firma in reliquis remanente dictarum Literarum Gregorii Praedecessoris dispositione; Auctoritate praedicta indulgemus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Gregorius Praedecessor in suis Literis praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque: Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus etiam, ut praesentium earumdem Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii subscriptis, et Sigillo Praepositi Generalis dictae Societatis pro tempore existentium, vel alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis Praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die VII. Augusti MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno XI.

D. Card. Passionei.

Loco ✠ Signi Annuli Piscatoris:

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI L.**

BENEDICTI PAPÆ XIV.

DECRETUM

In Causa Gebennen. Beatificationis, et Canonizationis Ven. Servae Dei Jo. Franciscae Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctae Mariae nuncupatarum Fundatricis editum die XXI. Aug. MDCCLI.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Quamvis Venerabilis Dei Famula Joanna Francisca Fremiot de Chantal die decima tertia Decembris anni Domini millesimi sexcentesimi quadragesimi primi ex hac vita migraverit, et quidem cum magna Sanctitatis fama, ut cuilibet agnoscere licet ex his, quae scriptis testata reliquerunt graves illius temporis Auctores, qui etiam lato calamo describunt effusas honoris significationes erga ipsius demortuae Corpus exhibitas, dum paulo post illius obitum, ab Oppido *Moulins* nuncupato, Annecium religiosa pompa translatum fuit; nihilominus juridicae inquisitiones de ejusdem Virtutibus, ac Miraculis, neque tunc, neque multis annis deinceps, ab Ordinariis Locorum institutae fuerunt; tum quia multo facilius est inveniri, qui ea quae facienda sunt, edicant, quam qui re ipsa manum operi admoveant; tum etiam quia obstare putabatur Decretum felicis recordationis Praedecessoris nostri Urbani Papae VIII. non ita pridem vulgatum, quo vetitum fuit, ne ante quinquagesimum annum ab obitu Servorum Dei, in Causis eorum Beatificationis, et Canonizationis procederetur. Ejus autem Decreti verba sunt, quae sequuntur » *Sanctitas Sua expresse prohibuit Sacrae Rituum Congregationi, ne deinceps procedat in Causis Servorum Dei ad effectum Cano-*

nizationis, seu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius. Cujus quidem Decreti vi, erronea apud plerosque invaluit opinio, minime licere, ante praedicti temporis lapsum, legitimas probationes colligere, et Processus instruere super Martyrio, aut Virtutibus, vel Miraculis eorum, qui cum Sanctitatis fama defuncti erant; quum tamen Pontifici eam legem ferenti nil aliud propositum fuerit, quam ut prohiberet, ne Dubia super approbatione Martyrii, Virtutum, aut Miraculorum ante id temporis in Congregatione Sacrorum Rituum proponerentur; salvo semper jure, et facultate eorum, ad quos pertinet, ut quandocumque expediens esse videretur, Processus Ordinarios, atque etiam Apostolicos super iisdem compilari curarent. Alioquin satis patet, eo tempore elapso, nullam fere spem reliquam fore habendi Testes *de visu*, qui in hujusmodi Processibus, sive Ordinariis, sive Apostolicis deponerent; et vix fieri posse, ut necessaria copia suppeteret Testium *de Auditu a Videntibus*. Qua de re Nos ipsi latius egimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. II. cap. ultimo*.

Dilato itaque, ob supradictum fere communem errorem, Ordinarii Processu super Virtutibus, et Miraculis Venerabilis Servae Dei Johannae Franciscae usque ad annum Domini millesimum septingentesimum decimumquintum; protracta quoque fuit, ob alias necessarias dilationes, usque ad mensem Julii anni millesimi septingentesimi deciminoni propositio consueti Dubii in Congregatione Sacrorum Rituum, super introductione Causae illius Beatificationis, et Canonizationis; nimirum, *an signanda esset, nec ne, Commissio introductionis ejusdem Causae;* qua nempe Commissione per Romanum Pontificem signata, tunc demum ad Apostolicorum Processuum confectionem proceditur.

At vero, quum primum illatus est sermo de hujusmodi instantia a Postulatoribus proponenda, Nos, qui tunc in minoribus constituti Promotoris Fidei munere fungebamur, palam profiteri non omisimus, quod quum ageretur de Causa, non quidem per viam *Cultus immemorabilis*, aut alterius casus in Urbani VIII. Decretis excepti, sed per aliam *non cultus* appellatam, quae ordinaria via est, procedente; cumque in Congregatione Sacrorum Rituum vigens observaretur praxis, et consuetudo, nulla licet canonica lege, aut Pontificio Decreto praescripta, ut in hujusmodi Causis per viam *non cultus* procedentibus, Martyrii, aut Virtutum probatio per Testes *de visu* perfici deberet; ideo Causa isthaec perpetuo silentio damnari periclitabatur, et magnopere verendum erat, ne illius introductioni per Signaturam Commissionis denegaretur assensus. Quum enim in Processu auctoritate Ordinaria confecto, propterea quod compilatus fuerat post annos septuaginta quatuor a die obitus Servae Dei, ne unus quidem oculatus Testis de illius virtutibus adesset, nemini sperandum supererat, hujusmodi Testes deinceps repertum iri, qui in Processibus Apostolicis, post signatam Introductionis Commissionem conficiendis, ad deponendum de visu et propria observatione super iisdem Virtutibus idonei forent.

Sed contra haec, bonae memoriae Thomas Cardinalis Ferrarius, qui inter alios S. R. E. Cardinales praedictae Sac. Rituum Congregationi adscriptos summa doctrinae, et prudentiae laude Sententiam dicere solebat, quique praeclara monumenta, quibus Causa Venerabilis Servae Dei fulciebatur, jam tunc accurate perlegerat, ipsiusque Causae merita sapienti consideratione pensaverat; optime reponebat, nulla expressa lege cautum reperiri, quod in Causis procedentibus per viam *non cultus*, si quando Processuum confectio, non quidem dolo, aut fraude, sed casu aliquo, vel alia justa de Causa, nimis dilata fuerit, Martyrium, aut virtutes satis probari non possint per Testes *de auditu a Videntibus*, ubi praesertim eorum dictis adminiculum praebeant Virorum pietate insignium, et gravium ejusdem aevi Scriptorum relationes. Et quidem hanc Causam, de qua agebatur, hujusmodi ratione ad felicem exitum deducendam aliquando fore augurabatur, utpote quam illius generis monumentis, quae in Processibus Apostolicis compulsari juridice poterant, mirum in modum instructam conspiciebat. Quare se minime dubitaturum edicebat, pro ejusdem Causae introductione, et pro Signatura Commissionis, suffragium ferre. Tanti Viri Sententia eam vim habuit etiam post illius mortem, ut quum ad formalem discussionem Dubii in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione deventum fuit, non obstantibus praemissis, quae a Nobis, et voce, et scripto deducta fuerunt, plerique Cardinales praefatae Congregationi in-

tervenientes in eam ipsam Sententiam descenderint; ipseque tunc existens Praedecessor noster Clemens Papa XI. nunquam sine laude recolendus, et in hoc etiam rerum genere apprime versatus (cui Nos omnia, pro Promotoris officio, retulimus, eamdem supremae judicio suo comprobaverit; et Commissionem Introductionis Causae die decima nona praedicti mensis Julii anni Millesimi septingentesimi decimi noni sua manu signaverit; ut jam a Nobis relatum est in dicto Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. III. cap.* 3.

Post haec, subsequentium annorum decursu, quaecumque ad Causae progressum necessaria fuerunt, instituta sunt judicia, ac prodierunt Decreta; tum scilicet pro examine, et approbatione Operum, et Epistolarum a Venerabili Dei Famula, conscriptarum; tum super observantia Decretorum Apostolicae Sedis, quibus praematurus Servorum Dei Cultus prohibetur; tum denique super validitate Processuum, Ordinaria pridem auctoritate, mox etiam Apostolica delegatione confectorum. Cum autem omnium gravissimum Causae Dubium, nimirum de ipsius Servae Dei Virtutibus, anno demum millesimo septingentesimo trigesimo septimo, longo videlicet intervallo post dictum annum millesimum septingentesimum decimum nonum elapso, examinandum proponeretur; antiqua rursus excitata fuit difficultas ex eo desumpta, quod Testes *de visu* super Virtutibus non adessent, quodque sine illis in hujusmodi Causa, quae per viam *non cultus* procederet, virtutes ipsae approbari non possent. Verum reassumptis omnibus, quae jam pridem super hoc agitata fuerant, iisque tum in Sacrorum Rituum Congregatione perpensis, tum etiam felicis recordationis Decessori nostro Clementi Papae XII. expositis, sub die vigesima Februarii ejusdem anni millesimi septingentesimi trigesimi septimi, ipsius Pontificis Decretum prodiit, quo demandatum est, ut hujusmodi difficultatibus nihil obstantibus, ad ulteriora in Causa procederetur; prout etiam a Nobis in dicto Opere *de Canonizat. Sanctorum lib. III. cap.* 3. refertur.

Deinde vero, dum super ipsis Virtutibus judicium agitaretur, nonnulla adversus Dei Famulam objecta fuerunt, quae antea similiter et objecta, et refutata fuerant in Causa Sancti Vincentii a Paulo, qui conscientiae, ac spiritus ipsius Venerabilis Joannae Franciscae moderator extiterat. Hinc Nos ad Supremi Apostolatus apicem interea, licet immerentes, evecti, Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum die secunda Septembris anni millesimi septingentesimi quadragesimi primi coram Nobis haberi voluimus; atque ibi tota re diligenter discussa, mox paucis interjectis diebus, judicium nostrum protulimus, concordibus Suffragantium sententiis conforme; decernentes nimirum, propositas objectiones nequaquam obstare, quominus ad ulteriora procederetur in discussione Virtutum Venerabilis Servae Dei. Et quidem in earum examine, posthabitis omnino difficultatibus jam superatis, videndum fore dumtaxat, an aliquid aliud esset, quod earumdem Virtutum fulgorem posset obscurare. Decretum hoc Nostrum die decima ejusdem mensis, et anni emanatum, in nova Editione praedicti Operis de Canonizatione Sanctorum Patavii deinceps adornata, relatum legitur *lib. II. cap. ult. num.* 12. Cujus Decreti vi, et ad illius normam, habitis jam Congregationibus antepraeparatoria, et praeparatoria, in Generali demum Sacrorum Rituum Congregatione, die quinta mensis Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi tertii coram Nobis habita, discussum fuit consuetum Dubium » *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate, ac Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque annexis, in gradu heroico, in casu, et ad effectum, de quo agitur.* » Porro Suffragantium sententiae approbationi Virtutum mirabiliter favebant; Nosque ipsi, visis jam antea Causae monumentis, necnon Postulatorum allegationibus, et animadversionibus Promotoris Fidei diligenter expensis, auditis etiam Partium Informationibus, et Consultorum suffragiis, quae ad nos scripto exarata afferri jussimus, ante Congregationem lectis, et ponderatis, earumdem Virtutum fulgorem plene probatum, demonstratumque censebamus. Dilata tamen judicii nostri declaratione, ut ad iterandum rerum omnium examen, et ad Divini luminis opem in tam gravi negocio, Nostris, aliorumque precibus implorandam, idoneum temporis spatium haberemus; nullam quidem haesitandi Causam invenimus quoad substantiam approbationis Virtutum Venerabilis Servae Dei; sed quoad formam Decreti desuper edendi, non nihil adhuc considerandum Nobis occurrit.

Prodierat siquidem die vigesima tertia Aprilis anni Millesimi septingentesimi quadragesimi primi Decretum nostrum super approbatione Virtutum heroicarum Venerabilis Servi Dei Francisci Caraccioli Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium *Minorum* nuncupatorum; cujus Virtutes non per Testes *de visu* probatae fuerant, sed per Testes *de auditu a Videntibus*, multiplicibus tamen adminiculis corroboratos: eaque occasione, eademque die aliud a Nobis promulgatum fuerat Decretum Generale, quo universae huic materiae certas leges, et opportunam normam praescripsimus; Statuentes, ut in Causis Servorum Dei procedentibus per viam *non cultus*, in quibus Martyrium, aut Virtutes probarentur dumtaxat per Testes *de auditu a Videntibus*; necessariis tamen qualitatibus, et validis adminiculis suffultos; et concurrentibus aliis circumstantiis in ipso Decreto enunciatis; in his, inquam, Causis procedi quidem posset usque ad formalem hujusmodi Servorum Dei Beatificationem, non obstante deficientia probationis directae; Sed ad hunc effectum non duo tantum Miracula approbata sufficerent, prout generalis lex, et consuetudo ferebat; verum quatuor omnino Miracula, et quidem per Testes de visu plene probata requirerentur, ut videre est in enunciatis Decretis, tam generali, quam particulari, quae etiam in dicta Patavina Editione Operis nostri relata sunt *lib. III. cap.* 3. *num.* 25. *et seqq.* Non deerant tamen qui Nobis insinuarent, concedi posse in hoc casu, ut, approbatis Virtutibus Venerabilis Joannae Franciscae, duo tantum Miracula sufficerent pro decernenda ipsius Beatificatione, licet Virtutum probatio innixa fuisset dictis Testium *de auditu a Videntibus*, junctis tamen gravium ejusdem aetatis Auctorum testimoniis. Quum enim inter hujusmodi Auctores connumerentur Sancti Franciscus Salesius, et Vincentius a Paulo; In Decretis autem Urbani VIII. a novarum legum rigore exceptae fuerint Causae Servorum Dei, qui non solum *per immemorabilem temporis cursum*, sed etiam *per Patrum, Virorumque sanctorum scripta* colerentur; dubitandum minime dicebant, quin praefati Franciscus Salesius, et Vincentius a Paulo, etiamsi non inter Ecclesiae Patres, at certe *in Virorum Sanctorum* numero recenserentur. Verum Nos scientes quam arduum sit, de casu a praedictis Decretis excepto *per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta*, judicium instituere, propter multiplices difficultates a Nobis indicatas *lib. II. de Canonizat. Sanctor. cap.* 19. *num.* 5. *et seqq.*; Et quod caput est, animavertentes hanc Causam per viam *non Cultus* introductam, et eo usque promotam fuisse; in dubium minime revocandum censuimus, quin sub praefati Decreti Generalis censura comprehenderetur; et quin propterea quatuor Miraculorum probatione opus esset, ut ad Servae Dei Beatificationem procedi posset. Quare in Decreto, quod super illius Virtutum approbatione die trigesima prima ejusdem mensis Martii anni Millesimi septingentesimi quadragesimi tertii edidimus, sequentibus verbis usi sumus « *Virtutes praedictas ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem Miraculorum in casu, et ad effectum etc. Sed cum ex Testibus de Auditu, multiformiter licet adminiculatis, fuerint probatae; ut quod Virtutum probationi defuit, Miraculorum eas confirmantium probatione suppleatur, ad Servae Dei Beatificationem non ante deveniendum esse, quam Miracula omnino quatuor probentur ex Testibus de Visu, atque approbentur, juxta formam Decreti Generalis hac de re xxiii. Aprilis MDCCXLI. editi.* » Et hoc etiam Decretum impressum legitur in dicta Editione Patavina Operis de Canonizatione Sanctor. *lib. IV. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 1.

Absoluto judicio super Virtutibus; quum procedendum esset ad aliud super Miraculis ejusdem Venerabilis Servae Dei interventione patratis, horum examen Consultoribus Sacrorum Rituum propositum fuit primo in Congregatione antepraeparatoria die vigesima sexta Januarii Millesimi septingentesimi quadragesimi quinti; deinde in alia Praeparatoria huncupata die sexta Decembris anni Millesimi septingentesimi quadragesimi sexti; mox etiam in altera ejusdem generis, quae ad majorem rei dilucidationem, praeter morem habita fuit die undecima Junii anni Millesimi septingentesimi quadragesimi octavi; ac denique tam ipsis Consultoribus, quam etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus dictae Congregationi praepositis suffragium ferentibus, in Generali Conventu coram Nobis habito die decimatertia elapsi mensis Julii currentis anni Millesimi septingentesimi quinquagesimi primi propositum fuit consuetum Dubium « *An, et de quibus Miraculis constet in casu, et ad effectum, de quo agitur.*

Ex pluribus autem Miraculis, quae pro examine, et approbatione a Postulatoribus exhibita, quaeque in dictis prioribus Congregationibus discussa fuerant; quatuor selectae sunt Sanationes, quas etiam Periti ad scribendum pro veritate deputati, praevio juramento, quo professi sunt, se vere ita credere, et judicare, quemadmodum scribendo asseruissent, pro Miraculosis agnoscere non dubitarunt; quae quidem sic se habuerunt.

Gabriella Angelica Morel, quae postea fuit Monialis Professa Ordinis Visitationis in Oppido de Avalon Dioecesis Augustudonensis, a nativitate ad decimum quintum aetatis annum, quo miraculose convaluit, habuit coxendicem, femur, tibiam, ac pedem dexterum, sinistris semipalmo breviora; ac toto corpore in eamdem dexteram partem inflexo, deformi, ac constanti claudicatione, omnium intuentium oculis exposita, semper laboravit. Hinc vetitum erat eidem Moniali etiam ad modicum tempus in genua procumbere, nisi dextero genu subjiceretur pulvinar, vel aliquod id genus additamenti: minusque fas erat erectae progredi, nisi dextero calceo assutus esset altior calcaneus, qui talum extolleret, ac sineret apicem digitorum terram attingere: Praeterea dextera tibia siccior quam altera, visa est, nutritioni, et calori minus obnoxia. Et quia res erat de Morbo a nativitate contracto, nemo fuit, qui medelam eidem propulsando exquisierit, vel adhibuerit. Insederat animo infelicis Puellae decimum quintum annum jam agentis anxia sollicitudo vestiendi habitum Religiosum; sed rejecta a Monialibus Ursulinis Dioecesis Lingoniensis, juro reformidabat, ne impar religiosis muneribus obeundis rejici etiam posset a Monialibus Visitationis praedicti Oppidi de Avalon, apud quas versabatur. Verum erecto in Venerabilem Servam Dei Joannam Franciscam animo, novendialem supplicationem in illius honorem instituit. Hinc singulis diebus tanta ipsi fit valetudinis accessio, ut quarto die genuflectere potuerit, et Sacra Synaxi refici, librato corpore super utroque genu ad aequalitatem conformato; et demum in nono, et ultimo Supplicationis die experta sit tibiam, ac pedem dexterum longitudine, robore, crassitie, calore, ac sensu, tibiae sinistrae omnino parem; ac remota omni claudicatione, potita sit libero prorsus membrorum usu, perfectaque gradiendi facultate.

Secunda Sanatio ea est Elisabethae Dronier de la Perouse Monialis Professae ejusdem Ordinis Visitationis in Oppido de Saint Amour Dioecesis Lugdunensis: Ab octavo aetatis anno exilis Puella non uno est conflictata morbo, sed fere oppressa malorum acervo. Alvi fluxus, dolores stomachi, rheumatismus, assidua febris, tussis violenta Infirmam primum debilitarunt. Adultam vero, et Religiosis votis obstrictam febris acerbior vexare caepit, et vomitus adeo frequens, ut non solum cibum, et potum, sed vivum ejecerit quandoque sanguinem, et una sinistri lateris costula visa sit elevari. Postquam diu varia adhibita fuere remedia pro Medicorum ingenio, ab his tandem relicta, in lecto ad tres menses semimortua decubuit, tanto virium dispendio, ut non solum supina, immobilis, ac insomnis jaceret, sed Ægram vox ipsa penitus defecerit. Morti tamen proxima Servam Dei Joannam de Chantal invocat, et ad novem dies Supplicationem instituit, in quorum ultimo, post Sacram communionem, eliminata in instanti tot malorum congerie, restitutis confirmatisque viribus, sana e lecto prosilit, vestes induit, privatim, ac publice Benefactrici suae gratias agit, communi accumbit Mensae, ac munus quodcumque Religionis, etsi grave et difficile, constanti valetudine exercet.

Tertia Sanatio fuit ea Clarae de Rubeis Puellae Romanae. Viva adhuc Matre, quae Phtysi consumpta interiit, Filia, quae diu noctuque in illius erat contubernio, id genus morbi contraxit. Ægram angebant lenta, et continua febris, dolores capitis, nausea stomachi, tardi anhelitus, difficultas decumbendi supra dexterum latus, tussis assidua, ac permolesta, qua excreti erant sputi flavi, et purulenti, vivo identidem sanguine immixti, ac vomicae putres, quibus Puella suffocari posse videbatur. Auctam in diem tabem confirmabant vox deperdita, perennis, ac gelidus expressus sudor, totius corporis macies, dejectae, fractaeque adeo vires, ut Parochus, qui illam omnibus munierat Ecclesiae Sacramentis, non solum crederet brevi morituram, sed mortuam aliquando putaverit, nisi ori accensam candelam admovisset. Interim Puella a novem mensibus omni Medicorum ope destituta, ac proximo efferenda funere, Venerabilem Servam Dei invocat, proposita sibi novem, ut assolet dierum Supplicatione. A tertio, vel quarto,

ad nonum diem, omnis vis morbi depellitur: Cessat febris, tussis, sudor, vigiliae, purulentae excretiones; redditur ori color, stomacho cibus, corpori universo adeo vires restaurantur, ut domo egressa in omnium conspectum sanata prodierit.

Quarta contigit Eugeniae Trochon Moniali Professae praedicti Ordinis Visitationis in Civitate Salmuriensi Dioecesis Andegavensis. Tertio ab expleta pubertate anno aegrotavit levi quotidiana febri, et tussi convulsiva; confirmata mox aetate laboravit diro adsmate, intercepta adeo respirandi facultate, ut adigi ad mortem videretur, nisi creberrima venae sectio, pluries etiam uno die facta, per octo fere annos, opem languenti attulisset. In irritum cessere adhibita remedia, sed praecipue vomitiones emético medicamine excitatae, ob quas in deterius lapsa est valetudo. Pravus quippe humor sinistram corporis partem insedit, indeque gravis orta paralysis, quae pluribus mensibus perseverans, tandem brachio, ac cruri omnem motum ademit, multum etiam imminuto eorumdem membrorum sensu. Quadragenos, ut minimum in hoc pessimo statu Monialis exegit dies, nullo adhibito medicae artis praesidio, tantaque erat nervorum solutio, ut Moniales de uno ad alterum illam efferentes locum, alligato funiculo pendentem tibiam attraherent. In gravi adeo aerumna Monialis constituta, Venerabilis Servae Dei per novem dies praesidium invocat. Ultima labente die, sana in instanti assurgit, graditur, genuflectit, et quaecumque vitae munia diu intermissa exsequitur.

Antequam vero ad praefatam Congregationem Generalem Nos conferremus, quemadodum Nobis in more positum est, omnia probationum monumenta, et tam Postulatorum, quam Promotoris Fidei scripta, nec non Peritorum consultationes perpendimus, verbales quoque Partium Informationes excepimus, et Consultorum suffragia scripto concepta perlegimus. In ipsa demum Congregatione dictorum S. R. E. Cardinalium sententias super praemissis Sanationibus audivimus. Et quamvis ex omni Suffragantium numero tot inventi fuerint, qui singulas earum inter Omnipotentiae Dei Miracula reponerent, quot satis esse putantur pro illarum approbatione; Nos tamen judicii nostri declarationem adhuc suspendendam existimavimus, ut interim a Patre Luminum opem suppliciter imploraremus, ad veritatem securius dignoscendam; utque novis diligentiis adhibitis, accuratissimam rerum discussionem eo usque habitam cumularemus.

Porro in Opere nostro *de Canonizatione Sanctorum*, (quod quidem Opus jam saepe huc adduximus, atque etiam inferius citaturi sumus, propterea quod in ejus compilatione praecipua Nobis cura fuit, de omnibus, quae ad Servorum Dei Beatificationem, ac Beatorum Canonizationem pertinent, Apostolicae Sedis sensum, et praxim Congregationis Sacrorum Rituum probatissimis Auctorum sententiis innixam referre;) in eo, inquam, Opere *lib. IV. part. 1. cap. 8.* demonstratum est, Sanationem, quae miraculo adscribenda sit, a gravi morbo, et cujus saltem valde difficilis habeatur curatio, omnino esse oportere; neque levem, aut facilis curationis aegritudinem, aptum, et sufficiens Miraculi subjectum censeri posse. Hinc nonnihil dubitandum Nobis videbatur de quarta ex relatis Sanationibus pro Miraculo approbanda; quoniam paralysis, de qua ibi agebatur, quadraginta tantum diebus ante Sanationem obtentam, in gradu completo perstitisse dicebatur.

Praeterea, juxta ea, quae ibidem a Nobis firmata sunt, nec ipsa quidem morbi gravitas pro subjecto Miraculi sufficit, nisi aliae quaedam requisitae circumstantiae adsint, inter quas ea connumeratur, ut Sanatio, in instanti contingat, et corporis vires propter aegritudinem deperditae in instanti pariter recuperentur; non exclusa tamen instantaneitate morali, quae tunc etiam adesse dicitur, quum morbi depulsio, et virium redintegratio, intra paucorum aliquot dierum spatium evenerunt; dummodo constet, naturae atque artis vires, eo temporis spatio, eoque modo, integram hujusmodi Sanationem operari non potuisse, quo tempore, quoque modo, ad alicujus Servi Dei invocationem obtenta fuit. Videatur hac de re praedicti Operis nostri *lib. IV, part. 1. cap. 8. num. 17.* Hinc autem aliae Nobis oriebantur difficultates circa primam, et tertiam ex adductis Sanationibus, quae praefixo quidem novendialium precum intervallo vertente, sed pluribus gradatim diebus, evenisse arguebantur.

Ut igitur in tam gravi causa, remoto quocumque erroris periculo, quantum, cum Dei auxilio, humana obtinere potest industria, ju-

dicium nostrum proferre valeremus; praedictos duos Peritos, qui jam pro veritate scribentes, quatuor relatas Sanationes per Miraculum sequutas fuisse existimarunt, iterum interrogari mandavimus, an, habita prae oculis ea regula, quod leves morbi idoneum Miraculi subjectum constituere nequeunt, morbum illum, qui exhibetur in quarta ex adductis Sanationibus, prout in Processu describitur, satis gravem, ad effectum, de quo agitur, et valde difficilis curationis fuisse judicarent. Item, an, sepositis conjecturis, et ratiocinationibus ex arte Physica desumptis, quibus eorum Consultationes super Sanationibus primo, et tertio loco propositis, abundabant; et perpensa simpliciter morborum indole, quae sensuum judicio percipitur, eorumque duratione, nec non attenta remediorum carentia in priori casu, eorumque in altero inutilitate; easdem Sanationes revera censerent Naturae vires omnino excedere, etiamsi illae, non in instanti Mathematico, sed Morali, aliquot nempe dierum spatio, perfectae fuerint. Neque vero responsum ab eis verbo tenus reddi voluimus; sed dato ipsis opportuno temporis spatio, ut rem mature considerarent, mandavimus, ut judicium suum scripto conceptum Nobis exhiberent. Praeterea, quum probe compertam habeamus Archiatri Nostri peritiam, ab ipso, tum in diuturno maximeque probato exercitio publice docendi Physicas facultates in Universitate Nostra Bononiensi, tum etiam felici et plusquam quadragenaria difficilium quorumcumque morborum curatione, acquisitam; huic etiam exactam quatuor Sanationum descriptionem tradidimus expendendam; ipsum vero nihil de aliorum Peritorum judicio rescire voluimus; jussimusque, ut sententiam quoque suam in scriptum redigeret. Cumque et illi, et iste, omnibus rerum circumstantiis accurate perpensis, in eam convenerint sententiam, quod quatuor sanationes praefatae, si minus quoad substantiam, at saltem quoad modum, et tempus, quo perfectae fuerunt, Naturae vires excesserint; Nos, omnibus rite pensatis, et invocato iterum Divini luminis praesidio, nil ultra dubitandum censuimus de illarum approbatione. Itaque praesentis Decreti tenore, easdem quatuor sanationes approbamus, et publicari permittimus, ac respective mandamus, tamquam Miracula *Tertii generis*, juxta Doctrinam Angelici Doctoris Sancti Thomae *Part.* 1. *quaest.* 105. *art.* 8., *et Lib. III. contra Gentiles cap.* 101., quam Theologi, et Canonistae communiter sequuntur, et Congregatio Sacrorum Rituum quotidie sequitur, ut videre est in saepe citato Opere Nostro *Lib.* 4. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 6. *et seq.*

Quod autem ad Servorum Dei Beatificationem, et Beatorum Canonizationem, admittantur, et satis esse reputentur Miracula *Tertii generis*, auctoritatibus et exemplis confirmatum a Nobis est in eodem Opere *Lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 1., *et cap.* 32. *num.* 3. nec non *dicto lib. IV. par.* 1. *cap.* 6. *num.* 5.

Quo tempore autem Miracula praedicta a Postulatoribus proposita in Congregatione Sacrorum Rituum examini subjiciebantur, allatae sunt Nobis Literae Venerabilis Fratris Episcopi Aurelianensis, quibus aliud Omnipotentiae Dei Miraculum, intercessione ejusdem Servae Dei Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, in persona Dilectae Filiae Susannae Bienfait Monialis Professae in Monasterio Visitationis Sanctae Mariae Civitatis Aurelianensis nuper editum asserebat; super quo idem Episcopus juridicum Processum efformaverat; vocatis nempe ad examen, tum ipsa Moniale pridem infirma, tum Medicis atque Chirurgis, qui ejus curationi institerant, tum aliis Monasterii Monialibus, quae omnibus rebus praesentes interfuerant; quem quidem Processum ad Nos missurum se esse pollicebatur, ac deinde reipsa nostris oculis authentice subjicendum curavit.

Facti species in Processu exposita, et ab ejusmodi juratis Testibus repraesentata, nec non eorum unanimi judicio pro Miraculo habita, talis est: Susanna Bienfait Monialis Professa Ordinis Visitationis Beatissimae Virginis Mariae, ad triennium laboraverat tumore schirroso in parte dextera circa jecur, extrinsecus tanta mole compacto, ut pugni magnitudinem excederet, nonoque ante sanationem mense, cum in sinistrum quoque latus progredi coepisset, acerbissimus doloris sensus, e leni etiam contactu excitatus, aegram maxime exagitabat. Accesserunt capitis dolores, noctes insomnes, nausea cibi, frequens vomitus, viscerumque cruciatus. Cumulum auxit malorum, confirmata paralysis; ob quam crura, amisso prorsus sensu ac motu, tanto rigebant frigore, ut fomenta aquae ebullientis illis admota torpedinem non minuerent, nec

ullum sensum excitarent. Crus praeterea dexterum atrophia laborans, siccum erat et aridum, nec aliam intuenti speciem exhibebat, quam ossis sola cute contecti. Saevientibus in diem morbis, abstinuit aegra per duos menses a quocumque remedio: Sed invocato Servae Dei praesidio, oblatisque eidem novem dierum precibus, ultima labente die, integrae valetudini fuit in instanti miraculose restituta: Abscessit enim capitis dolor, viscerumque cruciatus, soluta fuit crurium paralysis, et crus, quod atrophia laborabat, carnosius momento temporis effectum est; recuperatisque momento temporis viribus, aegra illico ea omnia adimplevit, quae caeterae Moniales, quae nullo morbo laboraverant, aut laborabant, juxta suum Institutum, et modum vivendi, peragebant. Nulla de continuatione recuperatae sanitatis excitata est controversia; cum ad eam prorsus eliminandam, Episcopus post decem et septem Menses a recuperata sanitate, Sororem viderit perfecte valentem, et Moniales interrogatae, de optimae valetudinis constitutione testatae sint.

In hujusmodi facto, necessaria omnia Miraculi extrema concurrunt, quae ex concordibus Testium dictis, iisque, ut supra innuimus, jurisjurandi religione confirmatis, eruuntur. Ideoque si naturalem fidem sequamur, atque etiam (quatenus res in abstracto considerentur) si probationem certo modo juridicam quaeramus, nihil desiderandum videtur eorum, ex quibus Miraculi veritas comprobari solet: Veruntamen alia quaedam res est, quae totius Processus validitatem infirmat, eumque tali nullitatis vitio inficit, ut, si ad legum rigorem procederetur, nulla de ipso ratio haberi deberet.

Habent nimirum Episcopi, aliique Locorum Odinarii, liberam facultatem condendi Processus super Miraculis, quae a Deo patrantur eorum Sanctorum interventione, qui in Canonem relati, ab universa Ecclesia coluntur; Eisdemque similiter licitum est hujusmodi Processus conficere in Causis Servorum Dei, qui nondum ad Beatificationis aut Canonizationis honorem evecti sunt; dummodo in eorum Causis Apostolica Sedes manum non apposuerit, ad effectum Beatificationis aut Canonizationis eisdem Dei Servis respective decernendae. Jam vero, dum constructus fuit Processus, de quo agitur, multoque antea tempore, a Romano Pontifice signata fuerat Commissio in Causa Beatificationis Venerabilis Servae Dei Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, in qua sane Commissionis Signatura consistit appositio manus Apostolicae Sedis: Ideoque nulli amplius Ordinariorum licebat jure proprio in hujusmodi Causa se ingerere, ac super Servae Dei Virtutibus aut Miraculis Processus construere; si quos autem ab ipsis sic fieri contingeret, hi et ad Beatificationem seu Canonizationem inutiles reputantur, et nulli ac irriti jure censentur, propter Decretum irritans, quod semper in appositione manus Superioris, virtualiter saltem, continetur. Has juris regulas Nos ipsi latius expendimus, et Canonicis Sanctionibus, Concilii Tridentini Decretis, ac Romanorum Pontificum Constitutionibus atque Rescriptis inhaerentes, solide confirmavimus in citato opere de Canonizatione Sanctorum *Liber II. cap.* 1., *eodemque Lib. II. cap.* 35. *num.* 12., nec non *Lib. IV. par.* 2. *cap. ult.*

Verum, quum Processus iste a Venerabili Fratre Episcopo Aurelianensi non quidem in spretum, sed potius in obsequium ejusdem Apostolicae Sedis constructus ex praemissis appareat; atque praeterea in illius compilatione, quaecumque a jure communi praescripta sunt, exacte servata fuisse dignoscantur; Nos ad sanationem hujusmodi nullitatis, ex eo provenientis, quod Apostolica Sedes jam pridem in Causa manus apposuerat, libenti animo adducti sumus; eamque, de Apostolicae potestatis plenitudine, et praesentis Decreti vigore, pro hac vice, nequaquam obstare decernimus; sed illa de medio sublata, Processum ipsum pro valido ad infrascriptum effectum, habere non recusamus. In quo Nobis suffragantur Praedecessorum Nostrorum exempla, qui, justis exigentibus Causis, simili auctoritate usi sunt, tam in hujus generis, quam in aliis quoque Processuum nullitatibus sanandis, ut videre est in dicto Opere de Canonizatione Sanctorum *Lib. II. cap.* 53. *num.* 8., ubi exemplum attulimus Sanctae memoriae Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII., qui simile vitium in Processibus Causarum Sancti Turribii, et Sanctae Julianae de Falconeriis justis de causis sanavit; item eodem *Lib. II. cap.* 5. *num.* 12., *et cap.* 38. *num.* 14., ubi narrantur, quae per eumdem Pontificem gesta sunt in Causa Sanctae Agnetis de Monte Politiano; et alibi.

Praedicto autem Aurelianensi Processu sic,

ut praefertur, sanato, ac Testium, et Peritorum in eo examinatorum depositionibus diligenter inspectis, quum in sanatione Sororis Susannae Bienfait, de qua ibi agitur, omnes requisitas circumstantias adesse conspexerimus, quas pro vero Miraculo constituendo necessarias esse ostendimus in saepedicto Opere nostro *Lib. IV. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 2., *et seq.* audito etiam Dilecto Filio Promotore Fidei, ejusque judicio in scriptis accepto, eamdem sanationem tamquam Miraculum *Tertii generis* approbamus; veruntamen Miraculum ipsum *supra numerum* dumtaxat approbatum censeri debere decernimus, et declaramus. Ideo autem de hoc Miraculo rationem haberi volumus dumtaxat *supra numerum*, ne forte hujus exempli auctoritate aliquando praesumi contingat, ad alicujus Servi Dei Beatificationem, aut Beati Canonizationem procedi posse dependenter ab approbatione Miraculorum, quorum Processus sola Ordinariorum auctoritate constructi fuerint, quamvis Processus ipsi Apostolica deinceps auctoritate sanati, et revaliditati fuerint; contra ea, quae in praefato Opere Nostro docuimus *Lib. II. cap.* 6. *num.* 9. Caeterum hujusmodi approbatio Miraculorum *supra numerum* in Causis Beatificationis aut Canonizationis, minime nova est, aut inusitata; ubi nempe agatur de Miraculis plene probatis, quibus tamen aliquid obstet, quo minus eorum ratio haberi valeat ad ipsum Beatificationis, vel Canonizationis effectum. Hujusmodi approbationis exemplum datum est in Causa Sancti Stanislai Kostkae a Nobis relatum *lib. I. de Canoniz. cap.* 26. *num.* 8. Quum enim, ad hoc ut transitus fiat ab alicujus Servi Dei Beatificatione ad ipsius Canonizationem, necesse sit duo saltem Miracula *post indultam Servo Dei venerationem* sequuta, Apostolicae Sedis judicio comprobari; inter Miracula, quae ad obtinendam praedicti Beati Stanislai Canonizationem afferebantur, praeter duo post indultam ipsi venerationem sequuta, unum etiam examinandum proponebatur, quod ante illius Beatificationem contigerat, et cujus proinde nulla ratio habita fuit in Congregationibus, in quibus hujusmodi Miracula discussa fuerunt. Verum Sanctae Memoriae Praedecessor Noster Clemens Papa XI., quum illius etiam Miraculi probationes matura consideratione expendisset, omniaque illius extrema satis probata comperisset; audito etiam lectoque judicio nostro, quod, tunc Promotoris Fidei munere fungentes, et voce, et scripto eidem aperire jussi sumus; die decima tertia Novembris Anni millesimi septingentesimi decimi quarti, eodem Decreto, quo alia Miracula approbavit post indultam Beato venerationem sequuta, illud etiam, quod ante concessionem cultus evenerat, approbavit *supra numerum;* ut ex integro Decreti tenore, quem loco superius citato inseruimus, colligere licet.

Nunc demum, approbatis per Nos, ut praefertur, quatuor Miraculis ad Beatificationem Servae Dei necessariis in casu, de quo agitur, et quinto praeterea *supra numerum;* id reliquum fuisset, ut Generali Rituum Congregatione iterum coram Nobis coacta, proponi juberemus Dubium » *An stante approbatione quatuor Miraculorum, tuto procedi possit ad Servae Dei Beatificationem.* Sed quum agatur de Causa, cujus articuli omnes jam pridem accuratissime discussi sunt, et in qua super potioribus Virtutum, et Miraculorum Dubiis binae Congregationes ultra consuetum numerum habitae fuerunt; aequum censemus, ejusdem praesentis Decreti tenore jam nunc edicere ac declarare, quod, stante approbatione Virtutum Venerabilis Servae Dei Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctae Mariae nuncupatarum Fundatricis, in gradu heroico, nec non Miraculorum a Deo ipsius intercessione editorum, ut supra, ad ejusdem Servae Dei Beatificationem quandocumque procedi possit et valeat. Hujusmodi aequitatis exempla Nobis reliquerunt Venerabiles Praedecessores Nostri Romani Pontifices; quorum vestigiis insistentes, Nos ipsi in Causa Beati Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium de Somascha, praefato Dubio ex dispensatione Nostra in Congregatione Generali nequaquam proposito, ad illius Beatificationem procedi posse pronunciavimus. Decretum Nostrum die quinta Augusti Anni Millesimi septingentesimi quadragesimi septimi ea de re promulgatum quamprimum inseretur Tomo VI. Operis Nostri de Canonizatione Sanctorum, Editionis Romanae, quae nunc summa diligentia procuratur.

Quod itaque Christiani Populi vota, quod Catholicorum Regum, et Principum assiduae postulationes, et Venerabilium Ecclesiae Pastorum preces ab Apostolica Sede jamdiu expetunt, ad meritos tandem Beatificationis ho-

flores opportuno tempore evehatur Venerabilis haec Dei Famula, Religiosissimi Monialium Ordinis Parens, Christianae perfectionis in conjugali statu, in viduitatis solitudine, in Religionis Sanctimonia, in Fundationis et Praesidentiae sollicitudine, exemplar; cujus Virtutes in quolibet ex his quatuor vitae generibus, unicuique statui propriae, in gradu heroico aeque emicuerunt; cui magnus perfectionis Magister Sanctus Franciscus Salesius, post diuturnae conversationis ejusque conscientiae regiminis experimentum, tantae Sanctitatis testimonium dare non dubitavit, ut in quadam Epistola die tertia Aprilis anni Millesimi sexcentesimi undecimi conscripta (in Editione Parisiensi Anni MDCLXIX. pag. 1478.) scriptum reliquerit, eamdem a Deo talem reddendam fore, quales extiterunt Sancta Paula, Sancta Angela, Sancta Catharina Januensis. Quod si in promovenda Sancti Francisci Salesii Canonizatione Venerabilis Joanna Francisca tantum olim operae laborisque impendit; ut videre est in ipsius vitae historia a quondam Episcopo Aniciensi, cognomine *Maupas du Tour*, diligenter conscripta *pag.* 360. *cap.* 17., *et pag.* 381. *cap.* 19.; aequum erat ipsius Servae Dei Beatificationem magnopere adjuvari hac ipsa Sanctissimi Episcopi praedictione; quam quidem eventu comprobatam fuisse, cum alia ostendunt de heroicis illius virtutibus juridice collecta testimonia, tum maxime illa, quae ex pluribus aliis locis Operum ejusdem Sancti Francisci desumpta fuerunt, quibusque concinunt Sancti Vincentii a Paulo gravissimae attestationes; quarum sane haud minorem rationem haberi convenit, quam olim in Causa Beatificationis et Canonizationis Sanctae Catharinae Fliscae Adurniae, vulgo *de Janua* nuncupatae, magni aestimata sunt illustria laudum praeconia, quibus eamdem prosequutus est ipse Sanctus Franciscus de Sales; ut relatum habetur in saepedicto Opere Nostro *de Canonizatione Sanctorum in Editione Patavina Lib. II. cap.* 24. *n.* 37.

Porro in hujus Decreti extensione, plura, quam mos est, de omnibus quae ad Causam pertinent verba fecimus; propterea quod, absente ab Urbe Dilecto Filio Nostro Petro hujus S. R. E. Presbytero Cardinale *de Tencin* nuncupato, qui Archiepiscopali Lugdunensi Ecclesiae ex concessione et dispensatione Apostolica praecest, quique totius Ordinis Monialium Visitationis Sanctae Mariae Protector, simulque hujus Causae Relator deputatus existit, quum Nosmetipsi illius vices hac in re praestandas sustinendasque susceperimus, hinc officii nostri erat *Factum Concordatum*, quod vocant, in quo tota hujus Causae series exponeretur, exarare, et publicare. Quod quum antea expletum a Nobis non fuerit; nunc ea omnia, quae in hujusmodi *Facto Concordato* narranda fuerant, praesenti Decreto complectenda censuimus. Reliqua vero, quae a Cardinale Causae Ponente facienda erant, per Dilectum Filium Nostrum Prosperum S. R. E. Diaconum Cardinalem *Columna de Sciarra* nuncupatum, ex nostra delegatione, diligenter studioseque praestita fuerunt.

Hoc autem Decretum a Nobis dictatum, nostroque Chirographo subscriptum, hac die vigesima prima Augusti, illius diei Anniversaria, qua, Divinae voluntati obsequentes, Pontificiae Dignitatis insignia suscepimus, quaeque olim praefatus Sanctus Franciscus Salesius Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo in hujus vitae lucem editus fuit, (ut testatur bonae memoriae Carolus Augustus de Sales illius Fratris Filius in ejusdem vita *lib.* 1. *pag.* 2.), post celebratum Sacrosanctum Missae Sacrificium, Dilecto Filio Congregationis Sacrorum Rituum Secretario tradimus, in Actis ejusdem Congregationis asservandum; una cum novissimis Consultationibus, quas a praefatis Peritis *pro veritate* exarari mandavimus super quatuor Miraculis ad Beatificationis effectum approbatis, ut supra; item cum authentico Processu ab Episcopo Aurelianensi confecto super quinto Miraculo *supra numerum* a Nobis, ut praefertur, approbato; et cum Promotoris Fidei super hoc in scriptis requisita Sententia; Quae omnia cum caeteris Causae monumentis conjungi, et ad perennem rerum memoriam ibidem servari mandamus.

Datum apud Sanctam Mariam Majorem, hac die vigesima prima Augusti Anni Domini Millesimi septingentesimi quinquagesimi primi, ineunte Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

LI. ECCLESIÆ PAROCHIALES

Aliaque Officia ad animarum curam spectantia, in Indiis Occidentalibus Hispaniarum Regi subjectis, etiam secularibus Clericis seu Presbyteris conferri posse, conceditur, contrariis non obstantibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Instantia Regis Catholici.

Cum nuper Charissimus in Christo Filius noster Ferdinandus Hispaniarum Rex Catholicus, per Dilectum Filium nostrum Joachimum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Portocarrero nuncupatum, ad sua, suorumque Regnorum negotia apud Nos, et apostolicam Sedem gerenda specialiter deputatum, et voce et scripto Nobis repraesentari curaverit, opportuna aliqua Apostolicae auctoritatis nostrae providentia opus esse in Indiis Occidentalibus ipsius Regis Dominio subjectis, super hoc, quod in iis Regionibus Parochiae, Doctrinae, aliaque Munia et Officia ad animarum curam pertinentia, per Regulares dumtaxat obtinentur, et administrantur, in vim quarumdam Literarum Apostolicarum a recolendae memoriae Praedecessore nostro S. Pio Papa die XXIV. Martii Anni MDLXII. editarum, et incipientium: *Exponi nobis;* quibus aliorum etiam Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum confirmationes accesserunt; ex quo fit, ut universus Clerus Secularis illarum Partium, quantumvis a multo jam tempore, et numero frequens, et moribus, atque doctrina conspicuus esse dignoscatur, ab iisdem Parochiis, Doctrinis, caeterisque Officiis, atque muneribus animarum curam concernentibus, omnino exclusus remaneat; qua quidem de re quum Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi et Episcopi per easdem Indiarum Regiones constituti, non semel apud ipsum Ferdinandum Regem conquesti fuerint; idcirco ipse, pro sua prudentia, magnopere expediens in Domino fore judicaret, ut quamvis etiam eorumdem Antistitum votis, et Secularis Cleri rationibus, obstarent Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, Nos, hodierni temporis circumstantias perpendendo ab illis longe diversas, quibus hujusmodi provisiones emanarunt, eisdemque Constitutionibus derogando, praedictis Archiepiscopis et Episcopis liberam facultatem concederemus, ut dictas Parochias, Doctrinas, aliaque munia, et Officia ad animarum curam spectantia, Regularibus Personis hucusque conferri solita, in posterum etiam Secularibus Clericis, seu Presbyteris conferre libere et licite possent: Nos, omnibus mature perpensis, quum Regiam hanc petitionem non modo Sacris Canonibus, sed etiam praedicti Sancti Pii Pontificis menti, et dictorum Praedecessorum nostrorum, ac Sedis Apostolicae Institutis conformem agnoverimus; hanc rem ejusmodi esse gaudemus, ut liceat Nobis ea verba usurpare, quibus olim Magnus Praedecessor noster Innocentius Papa III. Castellae Regem est alloquutus: *Cum personam tuam, inter Christianissimos Reges, et Catholicos Principes, speciali dilectionis praerogativa in Domino amplexemur, preces ac petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus, et ad ea gratulanter intendimus, quae Serenitati Regiae novimus complacere,* ut videre est in ipsis Pontificis Epistolarum *Regest. XIII. lib. I. Epist. IV.*

Soli Regulares in Indiis Occid. animarum curam exercent, ex Privilegiis Apostolicis.

Pontifex in eamdem sententiam descendit.

§. 1. Sane, quemadmodum negari nequit, ex veterum Canonum lege, Monachos et Regulares Ecclesiarum Parochialium regiminis capaces fuisse; de quo diserte pronunciat Innocentius III. in sua Decretali: *Quod Dei timorem. Tit. de Statu Monachor.* per haec verba: *Et per antiquos Canones, etiam Monahi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent praedicationis Officium, quod privilegium est, exercere:* ita certum nunc est, ex recentiori Canonica Disciplina, interdictum esse Regularibus Parochialem curam assumere sine dispensatione Apostolica; quae dispensatio a Romano Pontifice non aliter concedi solet, quam si pro ea instet Episcopus; ab Episcopo autem solicitanda non est nisi Ecclesiae necessitas, aut utilitas id suadeat: Qua de re Rescriptum adest Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, relatum a celeberrimo Scriptore Fagnano *in Commentar. ad cit. cap. Quod Dei timorem. num. 17. de Statu Monachor.* in haec verba conceptum. *Cum fuerit requisitum, an Regularis possit praefici curae animarum ab Episcopo, sine dispensatione Apostolica; Sacra Congregatio Concilii censuit, non posse, nisi acce-*

Regulares veteri jure animarum curae capaces erant.

Clerus Secularis doctrina et numero auctus, non amplius ab ea excludendus videtur.

Sed nunc dispensatione ad id opus habent.

Episcopi idem sentiunt cum Rege Catholico.

Non concedenda, nisi ad instantiam Episcopi.

dente dispensatione; quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo, pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae. In eamdem sententiam deinceps alia complura Decreta prodierunt a Summis Pontificibus confirmata. Quibus inter se collatis, nostroque diuturno studio et labore diligenter ponderatis, ad definiendam veterem controversiam super capacitate Canonicorum, Regularium *Lateranensium, et Sanctissimi Salvatoris* nuncupatorum, ad obtinenda Beneficia Curata, et Residentialia, Apostolicam Constitutionem septimo Idus Julii Anno Domini MDCCXLV. edidimus, incipientem: *Quod inscrutabili*, quae in Bullario nostro impressa est, *Tom. I. num. CXXXV.*, atque etiam, una cum Dissertatione super hoc a Nobis exarata, inserta fuit a diligentissimis Editoribus *in Commentariis Joannis Baptistae Rigantii ad Regulas Cancellariae Apostolicae:* In qua nempe Constitutione decretum fuit, praedictos Canonicos, utque veros Regulares, Apostolica Dispensatione indigere, ut hujusmodi Beneficia assequantur; tametsi *a Sanctorum Monachorum consortio non sejuncti, regulae inserviant laxiori;* ut de ipsis loquitur praedictus Innocentius Praedecessor, in citato *cap. Quod Dei timorem, de Statu Monachor.*

id decre- m de Ca- nicis Re- aribus, t laxiori ulae in- vientibus.

§. 2. Ab hac norma minime recessisse putandus est laudatus Praedecessor Sanctus Pius V., dum, per suas allegatas Literas: *Exponi Nobis*, Religiosos Viros ad Parochias assequendas in partibus Indiarum Maris Oceani, aliaque Parochialia munia exercenda, habiles reddidit; sed hanc suam concessionem ea ratione constabilivit, quod scilicet ipsi Regulares eo usque in dictis partibus Officio Parochi functi fuerant; additis sequentibus verbis; *propter Presbyterorum defectum.* Quibus nimirum verbis satis ostenditur, hujusmodi Literarum dispositionem locum habere dumtaxat, ubi desint, nec haberi possint Presbyteri Seculares ad animarum curam exercendam idonei, juxta declarationem editam a felicis recordationis Praedecessore nostro Innocentio Papa X. per Literas Apostolicas datas die XV. Maji Anni MDCXLVII., et in Bullario Romano Relatas *Tomo V.* inter ejus Pontificis Constitutiones *n. XXXII.*; quarum initium est: *Cum sicut accepimus;* ubi de hac ipsa Plana Constitutione loquendo, statuit *illam non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum.*

rivilegium ncti Pii V. defectum esbytero- m conces- m fuit.

oque defe- s perma- nte, vim am retine- censen- um est.

§. 3. Haec olim per Nos ipsos, dum in minoribus constituti, Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretarii munere fungebamur, latius deducta fuerunt, occasione propositionis cujusdam Causae *Mexicanae*, quae diebus quarta Julii, et octava Augusti Anni MDCCXXII. in eadem Congregatione discussa fuit, ut videre est in *Tomo 11. Thesauri Resolutionum dictae Congregationis Concilii.* Et quamvis ad instantiam tunc existentis Archiepiscopi Mexicani, contendentis liberam sibi fieri facultatem, ut Parochiales Ecclesias, atque Doctrinas, quas Regulares privativo jure sibi vindicabant, conferre posset etiam Presbyteris Secularibus, quos magno numero, et requisitis qualitatibus praeditos in sua Dioecesi adesse asserebat, nihil tunc definitive rescriptum fuerit: Nihilominus hanc generaliter sententiam ab ipsa Congregatione admissam, receptamque meminimus, ac pro certo testamur; quod nempe deficientibus tantummodo Presbyteris Secularibus, praedicta Plana Constitutio locum habere deberet. Ideo autem nullum in ea Causa Decretum tunc editum fuit, quia, quum praedicta Plana Constitutio ad instantiam Regis Catholici primum emanaverit, et omnes Indiarum Occidentalium Regiones comprehendat; nihil prudenter decerni posse visum fuit, nisi et Decreta desuper edenda ad Catholicorum Regum notitiam deducerentur, et non solum quid Mexicanae Dioecesi, sed etiam quid aliis Indiarum Ecclesiis, atque Dioecesibus contingeret, et magis opportunum foret, certis relationibus innotesceret.

Instantia ex parte Episcoporum alias proposita, cui sine Rescripto dimissa fuerit.

§. 4. Quare, quum hodie ex parte ipsius Regis Catholici opportuna super hoc providentia requiratur; hanc vero Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Ordinariorum dictarum Regionum preces vehementer exposcant; Cumque hujusmodi preces, et Canonicis sanctionibus consentaneae, et ipsius Sancti Pii Praedecessoris menti minime adversantes, et hujus demum Apostolicae Sedis sensui institutoque conformes esse dignoscantur; cum denique aequum non sit, ut ejusmodi Privilegium, quod eo tempore concessum fuit, quum in Indiis Occidentalibus Presbyterorum Secularium copia non aderat, his etiam temporibus parem vim habeat, dum Cleri Secularis numerus satis amplus ibidem existit, pluresque Sacerdotes Seculares ad animarum curam ido-

Eidem annuendum nunc plura suadent.

nei, caeterisque optimis dotibus instructi reperiuntur: Idcirco Nos, praedicti Charissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici instantiae libenter annuentes, ac etiam motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Literarum tenore, praedictis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis Dilectis Filiis, in Indiis Occidentalibus constitutis, permittimus et concedimus, ut non obstantibus praemissis Sancti Pii V. Praedecessoris Literis, aliisque in earum confirmationem ab hac eadem Apostolica Sede emanatis, (quibus etiam, quatenus opus sit, earumdem praesentium serie, ac dictis motu, scientia, et potestatis plenitudine derogamus,) Seculares Clericos, seu Presbyteros quoscumque, quos scilicet, praevio examine, juxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos et habiles repererint, ad Parochias, Doctrinas, et alia quaecumque munia et Officia ad animarum curam pertinentia, prout ipsis opportunum in Domino visum fuerit, admittere et assumere, eisque etiam Parochiales Ecclesias hujusmodi, aliaque Ecclesiastica perpetua Beneficia, quibus animarum cura imminet, in Titulum conferre, dictosque Presbyteros, seu Clericos, de illis providere possint et valeant; ad quem effectum Nos ipsis necessarias omnes et opportunas facultates concedimus et impertimur.

Episcopis et Locorum Ordinariis permittitur, ut Beneficia et Officia Curata Secularibus Clericis, seu Presbyteris conferre possint, contrariis non obstantibus.

§. 5. Quia vero ex hac concessione nostra minime sequetur, quin Regulares praedicti plures adhuc Parochias, atque Doctrinas, in Indiarum Occidentalium Regionibus, et in praesens retinere, et in posterum adipisci valeant; aliunde autem Nobis relatum est, nonnullos hujusmodi Regulares animarum curam exercentes contendere, se Episcopis, et Ordinariis Locorum, *in officio officiando* dumtaxat, ut ipsis loquuntur, subjectos esse; Ideo Nos ad quarumcumque inordinationum pericula avertenda, rectaeque disciplinae leges asserendas intenti, dicimus et declaramus, hujusmodi Regulares curam animarum gerentes, in iis quidem, quae concernunt eorum Regularis Instituti observantiam, Episcopo nullatenus subjectos esse, sed a suis Superioribus Regularibus quoad haec privative dependere; In his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae animarum, vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent, Nos ipsarum praesentium tenore declaramus, eosdem Regulares etiam Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis subjectos esse; ideoque ab eisdem Episcopis, et Ordinariis, eorumque Visitatoribus, aeque ac a suis Regularibus Superioribus, in his omnibus corrigi possunt, siquidem impossibile non est, ut alicujus ex ipsis vitae ratio talis esse dignoscatur, quae cum animarum regimine minime convenlat, et Fidelibus Parochiae subditis, spirituale detrimentum et scandalum pariat. Hoc idem, Canonicis Sanctionibus, et Concilii Tridentini Decretis inhaerentes, jamdudum statuimus atque decrevimus, per nostras sub Plumbo Literas datas duodecimo Kal. Decembris Anni MDCCXLIV., quarum initium est: *Firmandis atque asserendis*, et impressae sunt in Bullario nostro *Tom. I. num. CIX.*, quae, cum ad Indias etiam Occidentales se extendant, ibidem quoque executioni mandari debent, et inviolabiliter observari: Quod idem decernimus de duabus Regulis in eadem Constitutione nostra, ex Apostolicae Sedis Decretorum auctoritate, constitutis; quarum una est, quod in omnibus rebus, in quibus Regulares animarum curae praepositi Episcoporum simul, et Regularium Praelatorum jurisdictioni cumulative subsunt, si aliter ab uno, aliter ab alio Superiore judicari contingat, Episcopi judicium Regularis Superioris judicio semper praeferri debet: Altera vero est, quod, quum Regulares nonnisi cum amovibilitatis qualitate animarum curam exercere valeant, tam Episcopus, quam Regularis Praelatus, quoties ita in Domino expedire judicaverint, Regularem Parochum ab hujusmodi cura valent removere; ita ut neque Regularis Superior compelli possit hujusmodi remotionis causas Episcopo significare; neque Episcopus ad similem remotionem procedens, Regulari Praelato notas facere teneatur causas, quibus ad id adductus fuerit.

Regulares in hujusmodi Officiis perseverantes, vel ad ea deinceps assumendi, Canonicam subjectionem Ordinariis praestare debent.

Ad formam Literarum, quas vide supra Tom. I. num. 109

§. 6. Quoniam vero fieri alicubi potest, maxime autem in novis Populorum ad Fidem reductionibus, ut Regulares Parochos mutare, etiam cum Seculares Sacerdotes non desint, minime expediat; Idcirco Nos eorumdem Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Praesulum, prudentiam admonemus, ut in hujusmodi circumstantiis, et ubicumque res optime constitutas invenerint, nec ullam eas immutandi necessitatem revera adesse compererint, ab innovationibus abstineant; et tam hoc jure,

Ordinarii quomodo praesenti concessione uti debeant.

quod ipsis competere asseruimus, quam ea facultate, quam Nos eisdem per has nostras Literas impertiti sumus, ita utantur, quemadmodum aequitatis ratio, et animarum utilitas, ad quam unice respicere debemus, requirent, ac suadebunt, super quo Nos eorumdem Episcoporum, et Ordinariorum Praesulum, conscientiam oneramus.

Ordinariorum examen approbatio necessaria in cujuslibet deputatione ad animarum curam.

§. 7. Denique ne quis umquam, aut ullibi, cujuslibet Ordinis, aut Instituti Regularis, ad animarum curam exercendam, sine praevio examine et approbatione Episcopi, seu Ordinarii Localis, assumi possit, earumdem praesentium serie statuimus, atque decernimus; prout alias statutum, decretumque per Nos fuit, tam in praecitatis nostris Literis, quam in aliis quinto Kalendas Martii Anni ab Incarnatione Domini MDCCXLV. editis, et in Bullarii Nostri *Tomo II. num. I.* impressis, quarum initium est: *Quamvis ad confirmandum*; quaeque et iisdem Sacrorum Canonum, ac Tridentinae Synodi, necnon Provincialium et Synodalium Conciliorum in ipsismet Indiarum Regionibus habitorum sanctionibus innixae sunt, et tam ad Occidentales, quam ad Orientales Indias se protendunt, ac utrobique inviolabilis legis vim obtinere debent.

Clausulae salutares, et decreta opportuna.

§. 8. Praesentes quoque Literas, et in eis contenta quaecumque, nulla umquam ex causa, colore, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis jus vel interesse habentes, aut habere praetendentes, cujusvis status, aut Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, satis adductae, probatae, aut verificatae fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut consensus interesse habentium, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam et judicium vocari, etiam ad effectum obtinendae aperitionis oris, aut rerestitutionis in integrum, adduci posse; sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari, atque etiam ab omnibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit in posterum, inviolabiliter observari, volumus et decernimus: sicque, et non aliter, in praemissis judicari et censeri per quoscumque Ordinarios et Delegatos Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E Cardinales, eorumque Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Legatos, seu Nuntios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes et functuros; sublata eis, et eorum cuilibet, aliter judicandi et interpretandi facultate; ac etiam irritum et inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium judicari et decerni, seu scienter, vel ignoranter attentari contigerit.

Derogationes speciales, et generales.

§. 9. Non obstantibus praedictis Sancti Pii Papae V., aliisque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum in eorumdem confirmationem, etiam in forma specifica, editis Literis, nostraque et Cancellariae Apostolicae Regula de non tollendo jure quaesito, aliisque Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus aut specialibus Constitutionibus et Ordinationibus; necnon quarumcumque Ecclesiarum, seu Ordinum, congregationum, et Institutorum, etiam specialiter exprimendorum, quantumvis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus, et Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut sub quibusvis formis, et verborum tenoribus, seu clausulis, et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere vel in specie, etiam motu proprio, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, aut ad Regum aliorumque supremorum Principum instantiam, vel peculiarium quorumcumque meritorum intuitu, aliove titulo, etiam oneroso, quibuscumque Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, etiam Societatis JESU, vel Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet, in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis; Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro expressis, insertis, ac specificatis habentes, pari motu, et Apostolicae, auctoritatis plenitudine, ad praemissorum effectum, plenissime derogamus, eaque respective, quatenus praesentibus adversantur, de medio tollimus et abolemus per praesentes. Quarum transumptis, Exemplorum Vides.

seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eamdem fidem ubique Locorum et gentium in Judicio et extra haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio. §. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae permissionis, concessionis, facultatum impertitionis, declarationis, innovationis, admonitionis, derogationum, decretorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 8. Novembris 1761. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, sexto Idus Novembris, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

LII. BEATIFICATIO.

B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Ordinis Monialium a Visitatione Sanctae Mariae nuncupatarum Fundatricis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dei providentia corruptis seculi moribus eximiam plurium electorum suorum sanctitatem opponit. CUM sexto decimo salutis nostrae turbulentissimo seculo tot per universam Europam, tamque nefaria haeresum monstra longe, lateque omni impetu irruerent, et grassarentur; moerentis Ecclesiae lacrymas, et opprobrium Populi sui ut Pater misericordiarum abstergeret, fecit in bona voluntate sua, ut, cum abundaverit delictum, superabundaret et gratia. Per illa enim tempora, dum omnia maximis errorum, seditionum, et discordiarum fluctibus, et procellis jactabantur; ne contra summum angularem lapidem Portae inferi praevalerent, in brachio extento suscitavit quamplurimos Electorum suorum, qui eximiis, clarissimisque virtutibus Orbi Terrae illucescerent, et per illustria veteris disciplinae exempla, in quibus Christianae legis partes omnes exprimerentur, nova Sanctitatis germina procrearent, quorum ope, et auctoritate, Fidelium pietate aucta, et Perduellium conatibus fractis atque compressis, inclinatis Ecclesiae rebus opportunum adhiberetur auxilium, Sponsaeque suae acerbissimi luctus tanto in discrimine allevarentur.

BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ virtutes praefulgent. §. 1. Beneficentissimae hujus Providentiae praecipuum specimen, etiam in sexu fragili Pater Omnipotens, qui infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat, ostendere dignatus est, dum in Famulam suam JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL divitias bonitatis et gratiae suae uberrime effudit. Haec enim nobilissimis orta Parentibus, ea potissimum tempestate in lucem prodiit, iisque in locis prope versata est, in quibus transfugarum finitimorum immanis rabies et furens audacia in Catholicam Fidem magis efferata videbatur; nihilominus JOANNA FRANCISCA a Deo sibi in haereditatem electa, benedictionibus dulcedinis praeventa, et luminosissima charitate efficaciter ditata, vel a primis temporibus contra Mundi, et Diaboli nequitias nomen Domini exaltavit, et per omnes aetates, variasque vitae vicissitudines, adeo crevit in gratia et scientia Dei, ut Sanctus Franciscus Salesius spirituum probatione longe clarissimus pronunciare non dubitaverit, eo sanctitatis et virtutis processisse Ancillam CHRISTI, ut pro ratione et modo gratiarum, quibus a Deo erat locupletata, nemini umquam assurgere altius liceret. Et sane, quae tum in virginitate, tum Viro conjuncta, egregia summae perfectionis indicia praebuerat, in solitudine demum, ac viduitate posita, tanta spiritus alacritate arctissimum sanctitatis iter arripuit, et in via mandatorum cucurrit, ut prae caeteris Divinis Charismatibus, arduum illud emiserit Votum, semper faciendi quidquid

perfectius, Deoque gratius et acceptius fore intelligeret.

Ordo Monialium Visitationis. S. Mariae ab ea instituitur.

§. 2. Hinc novas in corde suo ascensiones disponens, eodem Sancto Francisco Salesio optimo duce et auctore, novum instituit Sanctimonialium Ordinem a Visitatione Sanctae Mariae nuncupatarum, quas alte jactis omnium virtutum fundamentis, Castitatis, et Fidei hostibus impudentissimis, velut aciem ordinatam in conspectu inimicorum fortiter opposuit; ut, dum illi summa vi, impetuque contenderent, quo Religiosum Christiani coelibatus propositum funditus everterent, et poenitentiae saluberrimas leges penitus abrogarent, nova integritatis et innocentiae prole, Deo afflante et incrementum praebente, Ecclesiam foecundaret.

S. Francisci Salesii disciplinae constanter adhaeret.

§. 3. Quapropter praestantissimae huic Viduae satis convenire arbitrandum est, quod de Sanctis Olympiade, et Paulla veterum sacrarum rerum literis tradita monumenta testantur. Quemadmodum enim Chrysostomo, et Hieronymo, sapientissimis et Sanctissimis Viris, nobilissimae hujusmodi Foeminae ad Fidei praesidium, et pietatis fructum et aemulationem instituendae adhaeserunt, sic Sancto Francisco Salesio augendae et confirmandae Religionis studiosissimo, JOANNA FRANCISCA precibus, vigiliis, et laboribus praesto fuit. Quidquid enim longo studio, et diuturna meditatione in Dei cultum, et Proximorum salutem complecti poterat, hoc illa libavit, didicit, atque perfecit. Facta igitur spectaculum Mundo, Angelis, et Hominibus, quae, dum viveret, magnum sibi nomen comparaverat, postquam cessit e vita, singularem Sanctitatis famam undequaque est consecuta, universique hominum coetus, qui Sancti Francisci Salesii doctrinam admirabantur, probatissimam hanc Viduam benedicentes benedicebant.

Ejus Causae series inquitur.

§. 4. Verum, cum inani quorumdam opinione, diutius quam par erat, ordinarii processus dilati essent, hinc quamplurimae difficultates subortae sunt, quae Famulae Dei Beatificationi maxime obsistebant, quaeque ipsius caussam per plures annos sunt remoratae, ut in nostro Decreto, quod die XXI. Augusti proxime elapsi emisimus, latius apparet; nihilominus Divina tandem ope, quae contra faciebant, accuratissime enodatis, Famulae Dei Virtutes in gradu heroico, et quatuor Miracula a Deo ipsius intercessione edita, in Sacrorum Rituum Congregatione pluries proposita, tum Cardinalium, tum Consultorum Suffragiis approbata fuerunt.

Beatae nomen et honores eidem deferri, conceditur.

§. 5. Nos itaque, communibus, et peculiaribus Christianorum Principum, Episcoporum, Capitulorum, Civitatum, ac Sanctimonialium a Visitatione Beatae Mariae nuncupatarum precibus et votis annuentes, necnon de memoratorum Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Apostolica, tenore praesentium indulgemus, ut eadem Serva Dei JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL imposterum BEATÆ nomine nuncupetur, ejusque Corpus, et Reliquiae venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendae) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de ea sub ritu Duplici recitetur Officium, et Missa celebretur nec Virginis, nec Martyris singulis annis, juxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani die vigesima prima Augusti. Porro recitationem Officii, ac Missae celebratione hujusmodi fieri concedimus in locis tantum infrascriptis, in Civitatem Divione, in qua dicta Serva Dei ortum habuit, ac in Oppido Molinis, in quo efflavit Animam, necnon in Oppido Anecii, in quo ejus Corpus humatum remansit, ac in singulis Monasteriis Monialium dicti Ordinis, et quantum ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno, a datis hisce Literis inchoando, in Ecclesiis Locorum, ac Monasteriorum praedictorum, solemnia Beatificationis ejusdem, cum Officio, et Missa sub ritu Duplici Majori, die ab Ordinariis constituta, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint ejusmodi solemnia, pro qua re diem XXI. mensis Novembris currentis assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de, et super non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Beatificationis solemnis.

Fides habenda Transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii supradictae Congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo Praefecti seu Pro-Praefecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. die 13. Nov. 1751.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Novembris MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passionеus.

LIII.

CONGREGATIONI FABRICÆ

Basilicae Principis Apostolorum de Urbe novus Cardinalis Praefectus deputatur, et Congregatio Particularis super rebus oeconomicis ejusque Fabricae instituitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium ex cura Pontificum in extruenda, et conservanda Vaticana Basilica.

Quanta curarum et expensarum mole praedecessores nostri Romani Pontifices, alii quidem ad reaedificandam B. Petri Basilicam, alii vero ad eam perficiendam atque ornandam, alii demum ad eamdem conservandam opportuneque restaurandam incubuerint, universus novit Terrarum Orbis, quem hujusce augusti et pulcherrimi templi, ac religiosae eorumdem Pontificum magnificentiae fama pervasit. Ad quae omnia in Dei honorem, ac Beatissimi Apostolorum Principis venerationem agenda, ac perficienda, necesse ipsis fuit, tam pro exactione reddituum ac proventuum in opus Fabricae ejusdem Basilicae assignatorum, quam pro fideli ac provida eorumdem erogatione in ipsum opus, ad quod unice destinati sunt, pari diligentia ac studio advigilare. Et Nos quidem hoc toto Pontificatus nostri decursu minime passi sumus nostram in his operam studiumque desiderari; probe noscentes, hujusmodi onus non solum cum Romani Pontificis munere, quod pro virium nostrarum modulo gerimus, conjunctum esse, verum etiam ad Nosmetipsos peculiari ratione pertinere, qui quum olim in eadem Vaticana Basilica Canonicatum et Praebendam per annos XIV. obtinuerimus, ad Nos transferre possumus verba illa, quae magnus quondam praedecessor noster Innocentius Papa III. de se scripsit, videlicet: *Inter caeteras Ecclesias per universum Orbem diffusas, Basilicam Principis Apostolorum, utpote Sedem Nostram, specialius diligere ac honorare tenemur; sicut qui olim in ipsa Canonici Beneficium assecuti, nunc de filio in patrem ejus, Divina sumus miseratione promoti.*

Pontifex simile studium prosequutus est.

Clem. VII., qui Basilicae Fabricam magnopere promovit, Colleg. LX. Virorum super eadem Fabrica instituit.

§. 1. Sane quum rec: mem: praedecessor noster Julius Papa II. ingens hoc opus Vaticani Templi reaedificandi magno animo conceptum vix aggredi potuerit, ejusque successoribus Leoni X., et Hadriano VI., ob temporum difficultates, parum adjumenti licuerit ad id conferre; satis constat, Pontifici Clementi VII. datum fuisse, ut et primus omnium inceptum opus magnopere promoveret, et quae ad ipsam Fabricae constructionem, atque etiam ampliationem et conservationem, in posterum necessaria forent, certa ratione procuranda et administranda constitueret; quam ob rem Collegium unum LX. Virorum Curialium, ex omnibus Nationibus electorum, instituit ac deputavit, illudque, ac personas eidem adscriptas, quum a quorumvis, etiam Cardinalis ejusdem Basilicae Archipresbyteri, jurisdictione ac superioritate, in his, quae Fabricam ipsam concernerent, exemisset, sibi dumtaxat et Apostolicae Sedi immediate subjecit; prout in dicti Clement. Literis incipientibus: *Admonet Nos*, Datis apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicae MDXXIII., pridie Idus Novembris, latius et plenius continetur.

Clemens VIII. Congregationem Fabricae ex S. R. E. Cardinalibus, et Praelatis compositam erexit.

§. 2. Hoc autem Collegium eo usque forsan permansit, donec opportunum fuit, ac aedificii moles ad designatam initio formam et amplitudinem perducta est. Verum, immutatis rerum circumstantiis, felicis recordationis Praedecessor noster Clemens Papa VIII. (ut ab iis, qui Romanae Curiae res optime callebant, assertum invenimus) in hujusmodi extincti Collegii locum, peculiarem Congregationem Fabricae Sancti Petri nuncupatam instituit, in qua praeter Cardinalem Praefectum, certosque Curiae Praelatos et Officiales, nimirum Auditorem Generalem Causarum Camerae Apostolicae, necnon Thesaurarium pariter Generalem ejusdem Camerae, atque Palatii Apostolici Praefectum, et Auditorem Decanum Causarum ejusdem Palatii Apostolici, ac unum ex Clericis Praesidentibus dictae Camerae, et Judicem Ordinarium ipsius Fabricae, ac ejusdem Fabricae OEconomum Generalem, qui etiam hujusmodi Congregationis Secretarius existit, necnon ipsius Fabricae Advocatum, quibus in hujusmodi Congregatione locum et suffragium perpetuo attribuit,

plures quoque alios S. R. E. Cardinales, ejusdémque Curiae Praelatos, arbitrio Romani pro tempore Pontificis eligendos similem locum atque suffragium respective habere voluit et decrevit; dictorum vero OEconomi, ac Judicis deputationem pro tempore, sibi et Successoribus Romanis Pontificibus reservavit.

§. 3. Quamvis autem supradictus Praedecessor noster Clemens VII. primodictum Collegium LX. Deputatorum Fabricae S. Petri, a jurisdictione et superioritate Archipresbyteri Basilicae Vaticanae, ut etiam innuimus, nominatim exemptum esse et fore decreverit; Quum tamen alter deinde praedecessor noster Sixtus Papa V. hujusmodi jus et superioritatem in ipsum Deputatorum Collegium bo: mem: Evangelistae Cardinali Pallottae nuncupato Archiepiscopo Consentino, et dictae Basilicae Archipresbytero concesserit; ut videre est in ipsius Literis incipientibus: *Cum ex debito*, Datis apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDXC., quarto nonas Martii, ejusdem Pontificatus Anno V., ubi legitur: *Nihilominus valde expedit, ut Tu Fabricae praedictae tua auctoritate, consilio, et laudabili studio incumbas*; ideoque prosequitur: *Te, quamdiu vixeris, et Archipresbyteratum praedictum obtinueris, Fabricae, et ejus Collegii praedicti Protectorem et Superiorem auctoritate Apostolica tenore praesentium committimus et deputamus*: Cumque idipsum deinceps usque ad haec nostra tempora factum fuerit, etiam postquam Collegio dictorum LX. Deputatorum, a Clemente VIII., ut praefertur, subrogata fuit Congregatio ex pluribus S. R. E. Cardinalibus, ac Romanae Curiae Praelatis composita, ilaut iidem semper hujusmodi Congregationis et Fabricae praedictae Praefecti constituti fuerint, qui Vaticanae Basilicae Archipresbyteratum pro tempore obtinuerunt; quemadmodum ex rerum gestarum monumentis nostro jussu conquisitis recognitum est, atque etiam animadversum fuit ab iis, qui citatas Sixti V. Literas in Bullario Basilicae Vaticanae editas diligentibus Notis illustrarunt, quorum haec verba sunt: *Exemplo tamen Sixti V. quotquot illum secuti sunt Romani Pontifices Collegii Rev. Fabricae Praefecturam in Cardinales Archipresbyteros contulere;* Hinc est quod quum bon: mem: Annibal dum viveret S. R. E. Cardinalis Albanus nuncupatus, qui dictae Basilicae Vaticanae Archipresbyteratum in Commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione Apostolica obtinebat, simulque Praefectus Fabricae et Congregationis praedictae existebat, superiori mense Octobris ex hac vita migraverit, Nosque nuper dictum Archipresbyteratum Dilecto Filio nostro Henrico Benedicto Mariae Clementi ejusdem S. R. E. Presbytero Cardinali Duci Eboracensi nuncupato, quoad vixerit obtinendum, Apostolica auctoritate per Literas Apostolicas commendaverimus, nunc eumdem Henricum Benedictum Mariam Clementem Cardinalem Fabricae praedictae, et Congregationis ejusdem Fabricae Praefectum, quamdiu etiam vixerit, et Archipresbyteratus praedicti Commendam obtinuerit, cum omnibus juribus et honoribus hujusmodi Praefecturae adnexis, quibus dictus Annibal, dum viveret, gravisus fuit, eadem Apostolica auctoritate, ac praesentium Literarum tenore, constituimus et deputamus.

Sixtus V. Archipresbytero Basilicae Collegium LX. Virorum subjecerat.

Exinde omnes Archipresbyteri Basilicae simul fuerunt Congregationis Fabricae Praefecti.

Ideo Pontifex, qui Archipresbyteratum Basilicae Cardinali Duci Eboracensi commendavit, eumdem ita Congregationis Fabricae Praefectum constituit.

§. 4. Porro duplicis generis negotia sunt, circa quae hujusmodi Congregatio Fabricae primodicto LX. Deputatorum Collegio jamdudum, ut praefertur, subrogata versatur. Alia siquidem judicialem respiciunt cursum causarum et litium, in quibus ipsius Fabricae Judex Ordinarius sententiam tulit, aut definitive decrevit, quoties pars in priori instantia succumbens, adversus sententiam aut decretum definitivum hujusmodi reclamat; circa quae nihil invenimus, quod nova aliqua ordinatione indigeret. Quare illud idem in Causis contentiosis hujusmodi a Generali Congregatione Fabricae praedictae praestandum erit in posterum, quod superioribus temporibus ab ipsa praestari consuevit. Sed quia nonnunquam evenisse accepimus, ut hujusmodi Congregatio Generalis per integrum aliquot annorum decursum coacta non fuerit; volumus et decernimus, ut a praedicto Cardinali Praefecto, per Nos, ut praefertur, deputato, ejusque successoribus in futurum, duabus saltem vicibus in singulos annos hujusmodi Congregatio Generalis convocetur, atque in ea videatur, et prout juris erit, rescribatur in Causis ad ipsius jurisdictionem spectantibus; servatis tamen legibus alias per Nos, in confirmationem Decretorum per praedecessores nostros Romanos Pontifices, eorumve auctoritate editorum, statutis et promulgatis per nostras Literas, quarum initium est: *Romanae Curiae*, datas apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Domi-

Congregationem Generalem Fabricae super Causis contentiosis, bis quolibet Anno haberi mandat.

nicae MDCCXLIV. duodecimo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno V.

Quoad Oeconomicam Fabricae regimen, veterem morem et agendi methodum innovari statuit.

§. 5. Alterius vero generis negotia, quae spectant ad Oeconomicum ipsius Fabricae regimen, visa sunt providentiae nostrae curas requirere. Quum enim satis appareat, hujusmodi res in Congregatione Generali commode ac diligenter, ut par est, tractari non posse; ac propterea aliquo ab hinc tempore usus inoleverit, ut vel a Cardinali Praefecto, vel ab Oeconomo praedictae Fabricae, cum Pontifice immediate ageretur de expensis etiam majoris momenti, et ingentes pecuniarum summas requirentibus, quae pro ipsius Basilicae necessitatibus, aut ornamentis faciendae occurrerent; contra quam antiquitus fieri consueverat, dum graviora hujusmodi negotia, antequam ad Pontificem deferrentur, ab ipso prius Cardinali Praefecto, una cum aliis aliquot Cardinalibus atque Ministris, ex his, qui in generali praedicta Congregatione locum habent, diligenter ac mature discutiebantur; antiquiorem hujusmodi consuetudinem in posterum observari volumus; idque non solum Oeconomicis ipsius Fabricae rationibus proficuum, verum etiam ad reprimendas magna ex parte censuras et oblocutiones, quibus plerumque notari contingit eos sumptus, qui pro Vaticani Templi conservatione, aut ornatu fiunt, opportunum fore confidimus.

Ideo Congregationem particularem ex quatuor S. R. E. Cardinalibus instituit.

§. 6. Itaque ad hujusmodi oeconomica Fabricae S. Petri negotia cognoscenda ac dirigenda, Congregationem Particularem ex uno Cardinali Praefecto, ac tribus aliis S. R. E. Cardinalibus supradictae Congregationis Generalis, et ex ea selectis, compositam erigimus et deputamus; Hujus autem Congregationis Particularis Praefectum eumdem esse volumus, quem superius, ipsarum praesentium tenore, primodictae Congregationis Generalis, ipsiusque Fabricae Praefectum constituimus; eidemque Congregationi Particulari infrascriptos tres alios Dilectos pariter Filios nostros, videlicet Silvium Tituli S. Callisti Presbyterum Cardinalem Valenti, et Hieronymum S. Angeli in Foro Piscium Diaconum Cardinalem Columna, quam, licet is, pro munere Praefecti Palatii nostri Apostolici, tum ante, tum post suam ad Cardinalatus assumptionem, in dicta Generali Congregatione Fabricae sessionem habuerit, nihilominus, quatenus opus sit, inter Cardinales eidem Congregationi Generali Praepositos, per easdem praesentes accensemus, ac Prosperum S. Georgii in Velabro Diaconum Cardinalem Columna de Sciarra, respective nuncupatos, de quorum idoneitate et experientia in ejus generis rebus, quae hujusmodi Congregationis Particularis a Nobis per praesentes erectae cognitioni et directioni committimus, ac demandamus, Nobis plene constat, etiam per praesentes adscribimus, eos ad supradicta oeconomica negotia in eadem Congregatione communiter consultanda et tractanda, cum pleno suffragii jure, eligimus et deputamus.

Huic Congregationi Oeconomum et Judicem Fabricae interesse jubet.

§. 7. Hujus autem Congregationis Particularis Secretarium cum voto consultivo eligimus pariter et deputamus dilectum Filium Magistrum Franciscum de Abbatibus Oliverium, qui etiam ejusdem Fabricae OEnonomus Generalis, dictaeque Congregationis Generalis Secretarius existit; ac praeterea eidem Congregationi Particulari cum consultivo similiter voto interesse volumus Dilectum quoque Filium Magistrum Ludovicum de Constantio saepedictae Fabricae Judicem Ordinarium; decernentes, utriusque eorum in OEconomi ac Secretarii, et Judicis Officiis respective successores, in hujusmodi Congregatione Particulari futuris temporibus similem locum et voti jus obtinere debere.

Facultates hujus Congregationis designat.

§. 8. Volumus autem, ut a praedicto et pro tempore existente Cardinali Praefecto, una cum dictae Fabricae OEconomo, occurrentes sumptus pro sartis tectis, aliisque Vaticanae Basilicae opportunitatibus, quingentorum scutorum monetae currentis summam non excedentes, etiam sine hujusmodi Congregationis Particularis, aut Romani pro tempore Pontificis assensu, fieri possint; Ubi vero opus faciendum hujusmodi quingentorum scutorum summam excedere dignoscatur, nihil ab ipsis fieri volumus sine praedictae Congregationis Particularis examine; in qua videlicet consultandum erit tum super propositi operis necessitate aut congruentia, tum super executionis modo et conditionis, aliisque omnibus, quae ad ipsius operis perfectionem, et ad oeconomicas Fabricae rationes opportune advertenda videbuntur. Omnia vero ad Romanum pro tempore Pontificem, sive a Cardinali Praefecto, sive a Secretario referri debebunt; non sine indicatione differentiae ac numeri suffragiorum, atque etiam rationum, quas unusquisque ad

confirmandam sententiam suam attulit: ut is nimirum, omnibus cognitis atque perpensis, resolutionem in Congregatione captam, nisi aliter ipsi videatur, approbare et confirmare, ejusque executionis incessanter promovendae ac provide dirigendae curam uni vel alteri ex quatuor Cardinalibus, sive ex duobus Praelatis dictam peculiarem Congregationem constituentibus, pro suo arbitrio, demandare valeat.

Computa generalia eorum exhiberi mandat singulis quatuor Mensibus.

§. 9. Huic ipsi Congregationi Particulari rationes, et computa generalia Fabricae, eorumque summaria, singulis quatuor Mensibus exhibenda statuimus et mandamus: ut eadem Congregatio, habito prae oculis universo statu oeconomico ipsius Fabricae, de propositis sumptibus opportuna consilia capere possit. Dumque Cardinales et Praelati ad consultandum convenient, quod quatuor saltem vicibus in anno fieri debebit, ad Aulae limen adstare volumus ipsius Fabricae Ratiocinatorem, et Architectos, atque Pictorem operibus tesselatis praepositum, necnon ipsius Fabricae promptuarii Custodem, vulgo *Fattor Generale* nuncupatum, ut praesto sint ad omnia, quae ipsa Congregatio ab iis requirenda, vel iisdem demandanda judicabit.

Interim visitationem status activi et passivi haberi libet, ut relatio Pont. fiat.

§. 10. Denique, quum Nobis omnia comperta esse nequeant, quaecumque ad rectum oeconomicum regimen ejusdem Fabricae opportuna forsan existant, volumus etiam, ac praesentium Literarum tenore decernimus et mandamus, ut a praedicto Cardinali Praefecto, una cum tribus praefatis aliis Cardinalibus, ac duobus Praelatis praedictae Congregationi Particulari per Nos adscriptis, cum primum fieri poterit, non intermisso interim cursu Congregationum Generalium, et Particularium a Nobis etiam superius praescripto, accurata instituatur et peragatur visitatio ipsius Fabricae, ejusque status oeconomici activi et passivi, conditisque Decretis, quae ipsis opportuna videbuntur, eorum relatio ad Nos fiat; Nos enim quaecumque ab ipsis rite statuta et ordinata noverimus, Apostolica confirmatione roborare, atque Auctoritatis nostrae praesidio juvare parati sumus; certam habentes fiduciam, nihil ab ipsis decernendum fore, quod consentaneum non sit menti ac proposito nostro, rectae nimirum atque fideli administrationi redditumum ac proventuum ipsius Fabricae, eorumque opportunae erogationi, resecatis abusibus, si qui forte elapsi temporis decursu circa haec invecti fuisse dignoscantur, certisque rationibus constitutis, per quas optimo rerum ordini in futurum etiam consulatur.

Clausulae etiam derogatoriae contrariis.

§. 11. Atque ita et non aliter in praemissis omnibus agendum et procedendum decernimus et statuimus; Non obstantibus contrariis forsan Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus, seu ejusdem Fabricae et Congregationis Generalis erectione, satutis, usibus, stilis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum constitutionis, deputationis, erectionis, electionis, adscriptionis, mandatorum, voluntatum, ac decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLI. decimo septimo Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Dat. die 15. Nov. 1751.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 28. ejusdem Mensis, et Anni.

AVIÆ NEOPHYTÆ LIV.

Asseritur jus offerendi ad Baptismum infantes Judaeos ex Filio praemortuo Nepotes.

Epistola ad R. P. Petrum Hieronymum Guglielmi Congregationis S. Officii Assessorem.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pontifex aliis docuit, quinam Jus

Probe te meminisse arbitramur, Nos in Epistola nostra *die* 28. *Mensis Februarii Anni* 1747.

Habeant offerendi infantes ad Baptismum.

ad Venerabilem Fratrem Vicarii Urbis Vicesgerentem, Tarsensem tunc temporis Archiepiscopum, nunc autem Constantinopolitanum Patriarcham, conscripta, quae typis excusa, deinde in secundum Bullarii nostri Tomum inserta fuit, definiisse, patrem, qui ex Judaica perfidia ad Christianam Fidem conversus sit, posse filium suum infantem vel impuberem, Judaea Matre licet dissentiente, Sanctae Religioni nostrae initiandum offerre; Matri etiam Christi Fidem amplexae hanc eamdem potestatem inesse, quantumvis Pater in Judaismo perseverans contradicat; praeterea hujusmodi offerendi jus ad Tutores pertransire; illiusque paternum quoque Avum participem esse, qui, secundum opinionem, quae Tribunalium decretis pluries rata habita, et confirmata est, Nepotem infantem vel impuberem Sanctae Religioni Christianae valide offert, etiamsi vel Pater, vel Mater, aut etiam utrique in Judaismo permanentes contradicant. Qua quidem de re omnia in eadem Epistola nostra plene discussa et comprobata reperiuntur. Verum quia nulla ibidem Paternae Aviae facta mentio est, num videlicet haec Nepotem infantem, vel impuberem, Parentibus etiam illius, ac Tutoribus contradicentibus, Sanctae Religioni nostrae offerendi jus haberet; eventus nuperrime contigit, qui de hac quoque re Nobis agendi occasionem praeberet. Judaeus etenim cum decesserit, ac filios duos uxoremque gravidam reliquerit, eamdemque uxorem tutricem constituerit, aliis etiam Judaeis tutoribus, tam filiorum, qui nati, quam qui nascituri essent, nominatis; superstes Avia paterna erat, Christianam Fidem jamdudum amplexa, quae Sanctae Religioni nepotes offerre volebat, et cujus pio proposito ac studio tam patrui, quam paternae amitae, Judaei scilicet prius defuncti fratres, et sorores, qui antea pariter Sanctum Baptismum receperant, adhaerebant. Cum itaque controverti coeptum sit, num hujusmodi oblatio acceptari possit ac debeat, ea in praesens quaestio necessario instituenda est, quae in altera Epistola plane praetermissa fuit; exacteque discutiendum, num Avia nepotes offerendi potestatem habeat, et num ea oblatio acceptanda, quamvis tam Mater tutrix, quam alii tutores Judaei contradicant. Hoc controversiae caput argumentum erit praesentis Epistolae nostrae, quam Tibi, Dilecte Fili, directam volumus, quoniam in Sanctissimae Inquisitionis Tribunali, in quo Assessoris Officium laudabiliter sustines, eadem res inter Consultores primum, tum inter Cardinales coram Nobis examinata est, omnibus ante perlectis, quae a Viris expertissimis pro utraque parte scripto deducta fuerunt.

Nunc definiendum, an Avia Neophyta Nepotes infantes valide offerat, dissentiente Matre, et Tutoribus Judaeis.

§. 2. In hujus autem quaestionis examine occurrit statim Nobis difficultas hujusmodi. Nemini quod suum non sit, licite offerendi potestas est; neque eam oblationem, si fiat, recipere ullo modo licet; non igitur ea oblatio recipienda est, per quam infans in Judaismo natus Sanctae Religioni initiandus offertur, nisi ab eo fiat, qui eam in ipsum auctoritatem habeat, quae patria potestas appellatur. Quare cum paterna Avia in filios filii sui patria potestate minime praedita sit, primo statim intuitu visum est Nobis legitime inferri posse, neque illi potestatem esse Nepotes infantes aut impuberes licite offerendi, neque oblationem ab ea factam licite acceptari posse, praesertim cum Mater tutrix contradicat, eique assentiantur Tutores eidem matri a Genitore adjuncti.

Dubitatur praecipue propter defectum patriae potestatis.

§. 3. Neminem sane, nisi Ecclesiasticae Historiae admodum imperitum, ignorare arbitramur, per plura saecula eam in Ecclesia disciplinam viguisse, qua Genitores proprios filios impuberes non modo Ecclesiasticae vitae, adeoque Clericali statui, sed etiam Monasticae disciplinae offerebant; quibus proinde filiis, etiam cum ad eam pervenerant aetatem, in qua bonum a malo discernendi facultas est, interdictum erat ab ea vitae conditione resilire, cui adhuc infantes vel impuberes a Parentibus destinati fuerant; hujusmodi autem disciplinae moderationem paucis ab hinc saeculis inductam esse.

Parentes olim filios impuberes tam in Clerum, quam in statum Regularem adscribendos offerebant.

§. 4. Et quidem, quod ad eam spectat oblationem, qua infantes in Clerum recipiendi, ac Tonsura, et Lectoratu initiandi offerebantur, complura videre licet apud Morinum *de Sacris Ordinationibus part.* 3. *exercit.* 5. *de Tonsura Clericor. cap.* 3., apud Martene *de antiquis Ecclesiae ritibus tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 3., Bosquetum *in Notis ad Epistolam Innocentii III.* 136. *lib.* 1. *regesto* 14. *pag.* 151., Nuperrime vero aureus annulus repertus est, quem, ut ejus capacitas indicat, pro duorum, aut trium mensium infante confectum fuisse oportet. In eo aliquot literae impressae erant, quibus infantem illum *Levitam* esse innuebatur; quod tamen non ita intelligendum est, ut

Monumenta de Clericis factis ex oblatione parentum.

illum Diaconum fuisse credamus, verum tantummodo in Clerum cooptatum fuisse, quemadmodum a viro erudito Patre Baldino in suis notis ad Anastasium Bibliothecarium *tom.* 4. ad Vitam Sancti Eugenii Papae *ad pag.* 61. *et seqq.* valde apposite demonstratur.

Item de Monachis.

§. 5. De illa autem oblatione, per quam pueri Monasterio dicabantur, inter caeteros Pater Mabillonius *in sua Praefatione ad saeculum sextum Benedictinum num.* 36. quamplurima edisserit; item Muratorius *tom.* 5. *Antiquitatum Italiae medii aevi dissertatione* 65. *col.* 380. *et seqq.* Alia, quae ad hujusmodi rem pertinent monumenta a Gratiano *ad Causam* 20. *quaest.* 1. collecta habentur. Idem autem antiquo etiam Concilii Toletani adagio comprobatur, quod a Clemente III. in Decretali sua: *Cum Virum, de Regularibus*, pariter usurpatum invenitur, quod scilicet *Monachum aut paterna devotio, aut propria facit professio.* Dartis *in Commentariis ad Decretum Gratiani part.* 2. *Caus.* 20. *quaest.* 1. omnia, quae ibi continentur, ita in compendium redigit: *Olim pater poterat filium suum impuberem Monasterio delegare et tradere, nec liberum illi reverti ad saeculum.* Si quis autem super hujusmodi re plenius omnia cognoscere cupiat, consulere poterit Calmetum *super cap.* 59. *Regulae Sancti Benedicti*, et Haeftenum *in part.* 2. *Disquisitionum Monasticarum lib.* 4. *tract.* 2. *disquis.* 5.

Quo tempore, et quatenus huic disciplinae modum imposuerit.

§. 6. Disciplina hujusmodi ad usque Coelestinum III. permansit, qui Pontifex eidem moderamine adhibito, decrevit, puerum Monasterio oblatum, cum ad discretionis annos pervenerit, interrogari debere, num illi remanendi, an abeundi voluntas sit; eumque, quoties abeundi animum habeat, nullatenus ad remanendum cogi debere. Ita in Decretali ipsius *in Cap. Cum simus, de Regularibus*, videre est, cum qua Innocentius III. *lib.* 15. *epist.* 116. ad Episcopum Lugdunensem conscripta etiam concordat. Coelestinum III. disciplinae illi modum imposuisse dictum a Nobis est; eo quod non omnino ac penitus eamdem sustulerit aut abrogaverit; quin immo hodiernis etiam temporibus, quoties non obstent peculiares Regularium Ordinum, sive Institutorum Constitutiones, de quibus agit Fagnanus *in Cap. Cum Virum, de Regularibus*, aut recentiores Pontificiae Constitutiones, quae certam aetatem praestituunt pro illis, quibus intra Monasterii septa pernoctandum sit: quod spectat ad Jus Canonicum Decretalium nequaquam vetita est (salva semper Concilii Tridentini observantia quantum ad aetatem, ac tempus Tyrocinii, et Professionis) ea oblatio, quae filii impuberes Monasticae vitae offeruntur. Ex hujusmodi autem oblatione tres effectus existunt; primo, quod filius impubes a Religione recipi potest; deinde quod parenti patria uti potestate, ut eumdem ad saecularem statum revocet, amplius integrum non est; denique quod etiamsi filio impuberi ante pubertatis annos Religiosa Claustra deserere minime permissum est, quod ipsi tamen facere licet, ubi eam attigerit aetatem, in qua potestatem habet ut de seipso disponat; potest nihilominus Religio proprio jure uti, ut etiam ante pubertatis annos eumdem dimittat, dummodo in eo recipiendo ea se obligatione non obstrinxerit, ut usque ad dictum tempus eumdem retineret, quemadmodum valde apposite Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 13. edisserit. Eadem de sponsalibus dicenda, quae pro filiis impuberibus ab eorum parentibus fiunt. Secundum veterum Canonum praescriptum, filii, etiam postquam ad puberem aetatem pervenerant, ea servare tenebantur, quemadmodum colligitur ex Decretali, quae Pontifici Hormisdae attribuitur, et quae *in cap. Tua Fraternitas sub tit. de Desponsatione impuberum* refertur: *Potest autem filium nondum adultum (voluntas cujus discerni non potest) pater, cui vult, matrimonio tradere; et postquam filius pervenerit ad perfectam aetatem, omnino debet hoc adimplere.* Verum Pontifex Bonifacius VIII. in sua Decretali, cujus initium: *Infantes*, et quae in titulo *de Dispositione impuberum lib.* 6. unica est, antiquas Canonicas dispositiones moderatus est, statuitque, impuberes postquam ad pubertatem pervenerint, nequaquam obligari ad ea adimplenda sponsalia, quae a parentibus eorum facta sint, nisi eadem, postquam puberes evaserint, aliqua ratione approbent: *Nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo, vel facto ipsorum, liquido appareat, eosdem in eadem voluntate, factos majores septennio, perdurare.*

Idem jus fere obtinet in Sponsalibus impuberum.

Jus praedictarum oblationum in patria potestate laudatur.

§. 7. Tam antiquis autem, quam hodiernis temporibus non defuere, qui disciplinam illam auderent improbare, secundum quam, ut dictum paulo ante est, impuberi filio Monasticae vitae a parentibus oblato, amplius illam deserere interdictum erat. Rhabanus in libro ad Ludovicum Imperatorem conscripto invehitur

in eos, a quibus id affirmabatur, contenditque, eos id asserere, quod sit *contra superiorum saeculorum sententiam, immo etiam contra Conciliorum, et Pontificum decreta*. Idem argumentum hac nostra aetate a Joanne Petro Gibert. *tom.* 2. *sui Corporis Juris Canonici tit.* 23. *de Ecclesia ad sect.* 4. pertractatum est. Hanc eamdem causam Ugo Menardus *cap.* 66. *Concord. Reg.* agendam suscipit, statuendo jus illud, per quod filiorum ad Monasticam vitam oblatio fit, in effroenata patria potestate fundatum esse: *Dico hoc jus esse a naturali potestate, quam habent parentes in liberos, qui possunt eos etiam vendere necessitatis causa; ergo etiam devotionis causa Deo offerre in perpetuum ejus obsequium, tam pro salute sua, quam liberorum; modo id fiat pura intentione, et devotione*. Quae quidem ratio admitti posse videtur, dummodo veteri illi patriae potestati non innitatur, adeo effroenatae, ut ejus vigore licitum esset patri non modo filium venumdare, sed etiam occidere, si ita ei collibuisset, quemadmodum apud Sigonium *de Jure antiquo Civium Romanorum ad cap.* 10. videre est; sed alteri potius mitiori patriae potestati, quam Romani adoptarunt, postquam a Graecis, cum bonarum artium disciplina, morum etiam humanitatem et cultum didicerunt, quae potestas restricta fuit ad moderatam in filios coercitionem, reservata Magistratibus severiori, quando ea opus foret, et ad omnimodam dispositionem status filiorum, et vitae generis, atque conditionis, quam usque ad exitum servare, et profiteri deberent. His eisdem limitibus definita fuit apud Judaeos patria potestas super filios ac filias, cum *cap.* 11. *lib. Judicum* legatur, Jephte votum Domino vovisse, si eidem datum esset superare filios Ammon, quicumque primus de Domo ipsius egrediens sibi redeunti occurrisset, cum se holocaustum Domino oblaturum; cum autem prima eidem occurrisset unigenita ipsius filia, votum adimplere non omisisse, atque eam Deo immolasse. Sane inter sacros Interpretes disputatio et controversia est, num Jephte, hujusmodi votum faciendo, et adimplendo, peccatum commiserit, necne. S. Thomas *in* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. *ad secundum* considerans, Jephte in Epistola ad Hebraeos *cap.* 11. in Sanctorum Catalogo poni, probabile esse ait, Jephte peccati sui poenitentiam egisse: *Probabile est, eum poenituisse de facto iniquo*. Eisdem vestigiis insistit Suarez *tom.* 2. *de Religione ad lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 12. *Factum illud contra legem naturalem erat, et contra legem scriptam Exodi* 20. *de non interficiendo innocente, quae procedit, et obligat etiam titulo Religionis, et voti, quia pater non est dominus vitae filiae, ut illam vovere, aut sacrificare possit*. Atque hisce quidem comprobatum videmus, patriae auctoritati ac potestati apud Judaeos jus vitae, et necis supra filios nequaquam adnexum fuisse. Alii porro sunt, qui Jephte a peccato excusant, vel quod eumdem Spiritus Sancti instinctu, qui praecepto aequipolleat, votum fecisse, atque adimplevisse dicant (quod nihil facit ad rem, de qua hic agitur); vel quod is filiae suae non naturalem mortem, sed civilem dederit, eamdem ab hominum commercio segregatam Deo consecrando, ac perpetuae virginitati destinando. Quidquid sit de hac opinione, Nos eam in medio relinquimus, utpote quam communi Patrum, et Interpretum sententia improbari videamus, quemadmodum tum in Dissertatione Calmeti super hac materia, tum in Suarez *loco citato*, tum docte admodum in Sylvio *in Commentariis supra* 2. 2. *quaest.* 88. *art.* 2. *conclus.* 7. videre est. Verum ex eadem ipsa opinione comprobare posse videmur, etiam apud Hebraeos liberam fuisse patri facultatem, ut filium certae vivendi rationi destinaret, in qua eidem usque ad vitae finem permanendum foret; cum neminem deprehenderimus, qui ideo opinioni illi refragetur, propterea quod pater apud Judaeos talem auctoritatem minime haberet; sed quod illiusmodi interpretatio literali Divinae Scripturae sensui contraria videatur.

Patria potestas justis limitibus definita apud Hebraeos viguisse probatur. Factum Jephte, quomodo accipiatur, hoc indicat.

§. 8. Jus igitur filios impuberes Claustro sive Monasterio offerendi, vel cum obligatione perpetuo ibi manendi, vel cum facultate abeundi, si, cum ad pubertatem pervenerint, oblationem de se factam minime confirment, patriae potestati, atque auctoritati innixum est, quemadmodum apposite a S. Thoma *in quolibet* 4. *quaest.* 12. *art.* 33. §. *Primo ergo* indicatur: *Pueri ante annos pubertatis ex naturali jure sunt sub cura parentum, propter hoc quod patiuntur discretionis defectum, secundum quem possint bene regere seipsos; ideo in hac aetate possunt quidem Religioni tradi, si a parentibus offerantur, et erit rata traditio, praecipue si, cum ad annos pubertatis pervenerint, ratam habuerint paternam oblationem*. Huic disserendi rationi praedecessoris quoque nostri Clementis

Oblatio ad Monasterium fieri debet ab eo, in quo residet patria potestas, aut eius exercitium.

IV. Decretalis Epistola cohaeret, *die* 27. *Aprilis* 1267. Viterbii data, et Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, et Guardianis Praedicatorum, Minorum, Cisterciensium, et Praemonstratensium de Montepessulano, et illius suburbiis directa; quae inter ejusdem Pontificis Epistolas 452. numeratur *tom.* 2. *Thesauri Anecdotorum* a Martene collecti *col.* 459. Nihil sane pro recto moderamine rerum tam bene, atque utiliter potest esse provisum, quod tractu temporis malitia hominum pervertere conetur. Perlatum ad dicti Pontificis aures est, eum tunc temporis abusum invaluisse, ut oblationes impuberum ad Monasteria, a quacumque persona fierent, promiscue acceptarentur, idque privati commodi, et emolumenti gratia, ut scilicet Monasteria bonis illis potirentur, quae ad impuberem oblatum spectabant. Apostolicus Pontificis zelus tam gravi incommodo obviam ire non praetermisit, edixitque, ut impuberes nequaquam reciperentur, nisi oblatio a patre, et matre fieret, aut a tutoribus, qui in iis, quae pertinent ad pupillorum curam aut dispositionem, in jus paternum succedunt: *Absque voluntate parentum, et tutorum suorum.* Ab hoc etiam proposito non aliena ea quaestio est, quae a Pontificii Juris peritis discutitur, utrum scilicet, si filius a patre sine consensu matris, vel si a matre sine patris consensu offeratur, talis oblatio legitima sit, atque acceptari possit: in qua quaestione, quamquam sunt, qui neutram harum oblationum legitimam esse contendunt, ex legalis adagii vi, quod *in re communi melior est conditio prohibentis;* magis tamen probanda est ea opinio, quae paterno juri omnimode favet, cum in patre, non autem in matre, patria potestas resideat; quemadmodum videre est apud Cardinalem de Turrecremata *in Commentariis super Can. Addidistis num.* 2., 20. *quaest.* 1. Quod si quis illud objiceret, Annam Elcanae uxorem obtulisse Deo in Templo inter manus Sacerdotis Heli Samuelem filium suum, postquam ablactatus fuit, eo quod de ipso ita Domino spopondisset: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitae ejus*, quemadmodum *in lib.* 1. *Regum cap.* 1. habetur; facile esset respondere, id quidem ab Anna, sed cum Elcanae viri sui ac respective patris consensu factum fuisse, juxta id, quod a Tostato *ad quaest.* 22. pluribus comprobatur: *si autem sola fuisset in voto, non tenuisset;* quod etiam Calmetus confirmat.

Ideo ab Auctoribus praecipua Patris ratio habetur; matris vero vix ulla.

§. 9. Quorsum nostra haec omnis pertineat ratiocinatio, minime tibi obscurum esse potest; cum enim ex ea colligi possit, legitimam impuberum oblationem patriae potestatis sequelam esse, cumque paterna avia ea potestate minime praedita sit, jus offerendi nepotem ex filio nunquam ad eam pertinere potest; si autem id paternae aviae, cum de nepote ad Claustrum, sive Monasterium offerendo agitur, interdictum est; potiori ratione interdictum illi esse debebit hujusmodi nepotem ad Baptismum offerre; etenim, secundum recentiorem disciplinam, ut supra dictum est, impubes, qui Monasticae vitae oblatus est, cum ad pubertatem pervenerit, Religiosum Institutum deferendi libertatem habet; sed infanti aut impuberi Judaeo ad Baptismum oblato, et baptizato, in Christiana Fide permanendum omnino est, et, si cum ad pubertatem pervenerit, contra facere praesumat, Canonicis poenis punietur, secundum Bonifacii VIII. Decretalem, cujus initium *Contra*, sub titulo *de haereticis in sexto*. Verum quia hujusmodi argumentationi illud valide opponendum occurrit, permultum scilicet discriminis inter Claustrum, ac Baptismum intercedere, cum sine priori aeterna salus obtineri possit, quae sine altero neutiquam sperari potest; de Baptismo dispiciendum Nobis hoc loco est, ac demonstrandum, omnia, quaecumque dicta sunt de oblatione ad Monasterium, habere locum, etiam cum agitur de oblatione ad Baptismum.

Hinc Avia ab eo jure exclusa multo minus videri posset nepotes ad Baptismum valide obtulisse.

§. 10. Res haec, de qua quaerimus, tam a Theologis, quam a Pontificii Juris peritis pertractatur, quinam videlicet sint, qui filios infantes, vel impuberes Christianae Religioni, et Sancto Baptismati offerendi jus habeant. Primo igitur loco, hujusmodi jus penes parentes esse affirmant, sive ii Neophyti sint, sive etiam Ethnici, vel Judaei; dummodo si tales sint, fide bona ab eis oblatio hujusmodi fiat, et infantes baptizati apud Christianos remaneant, neque illis, propter perversionis periculum, restituantur, quemadmodum a Nobis in supracitata Epistola ad Urbis Vices-Gerentem conscripta plurimis probatum est. Concordat S. Thomae doctrina *in quodlibet* 2. *art.* 7., *in* 2. 2. *quaest.* 10. *art.* 12., *et in* 3. *part. quaest.* 68. *art.* 10., ubi docet, infantes Infidelium sine parentum consensu nequaquam baptizari posse; eaque doctrina et ab aliis communiter recepta, et cum aliorum Tribunalium Ecclesia-

Infidelium filii infantes invitis parentibus baptizari non debent.

sticorum, tum etiam Supremae hujus Inquisitionis sententiis atque judicis roborata et confirmata est, ut etiam a Nobis in eadem Epistola desuper citata *num. 4. et seq.* demonstratum est.

Pater filios baptizandos offerre potest, etiamsi mater dissentiat.

§. 11. Secundo loco iidem Auctores docent, quoties maritus Christifidem amplectatur, uxore in Judaismo remanente, si haec oblationi communis prolis ad Baptismum repugnet, jus offerendi penes solum patrem remanere, cum non in matris, sed in patris potestate, secundum civiles leges, filius sit; quam rationem etiam Pontifex Greg. IX. adduxit in celebri sua Decretali: *Ex literis, de conversione Infidelium: Cum autem filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam etc. respondemus, patri eumdem puerum assignandum.*

Idem definitum est de avo paterno, qui nepotis habet in potestate.

§. 12. Tertio loco, cum, Gregorio XIII. summum Pontificatum tenente, controversia exorta fuisset, utrum paternus avus, qui Christianam Religionem amplexus, nepotem ex filio, dissentiente matre Judaea, baptizandum offerre volebat, id faciendi jus haberet; responsum, decretumque est, avum, matre etiam dissentiente, offerre posse, adeoque oblationem illam admittendam esse, quemadmodum admissa fuit. Quae a Nobis in citata Epistola nostra *num.* 17. relata et comprobata habentur. Hujus quoque rei mentionem factam a Sylvio *in tom. 4. super 3. part. S. Thom. qu. 68. art. 10. conclus.* 6. deprehendere licet, cujus verba hujusmodi sunt: *Gregorius XIII. dicitur statuisse, ut parvulus, quem avus paternus baptizari volebat, baptizaretur, invita matre Judaea, quae defuncto patri superstes erat; quia scilicet avus tanquam pater curam Nepotum habet.* Neque vero desunt judiciales sententiae a Tribunalibus prolatae, quae a Nobis *loco citato* indicatae sunt, per quas avo jus offerendi nepotes permittitur, non solum si, defuncto patre, mater repugnet, verum etiamsi utrique parentes superstites contradicerent; idque propter eam rationem, quod leges non tantum filium, sed et filii filium patriae potestati subjiciunt: *Qui igitur ex te et uxore tua nascitur, in tua potestate est: item qui ex filio tuo et uxore ejus nascitur, idest nepos tuus et neptis, aeque in tua sunt potestate, et pronepos et proneptis, et deinceps caeteri*, ut habetur in Institutionibus Imperialibus, et *in l. 4. de his, qui sui, vel alieni juris;* et qui in familia nascitur, illius capiti, qui avus paternus est, subjectus remanet; filius vero, qui avi potestati subjectus est, alios in potestate habere non potest, quemadmodum *l. 5. eodem titulo* prosequitur.

Tutores etiam jus habent assentiendi, et dissentiendi quoad baptismum pupilli.

§. 13. Quarto loco Auctores praedicti jus offerendi tutoribus attribuunt, sub quorum cura infantes et impuberes vivunt, cum pro eo, quod pertinet ad illorum educationem, patria potestas in ipsos transfusa sit; quare quemadmodum de jure non licet, ut supra dictum est, infantes infidelium sine parentum consensu baptizare; ita neque sine tutorum consensu eosdem baptizandos offerre permissum est, ut etiam in citata Epistola nostra §. 14. habetur; quod tamen a *Soto in 4. sententiarum distinct. 5. quaest. unica art. 10. in 2. conclus. ad §. Addit* non libenter admittitur, cujus hic verba subjicimus: *Addit idem Paludanus, idem esse de puero utroque orbato parente, qui, renuentibus tutoribus, non est baptizandus: sed arbitror, non esse tam atrocem injuriam, ac si parentes contradicerent.*

Hebraeorum infantes in mortis periculo constituti, aut a parentibus abjecti, possunt a quocumque baptizari.

§. 14. Omittimus hic verba facere de eo casu, quum scilicet Judaei filius in extremo mortis discrimine constitutus sit, quo nempe casu, repugnantibus etiam parentibus, a quolibet ad Baptismum offerri, et baptismalibus aquis ablui potest; idque ratione modici damni, quod ad parentes inde provenit, gravissimi autem aeternique praejudicii, quod in prolem redundaret, nisi salutari lavacro regeneraretur, ut in citata Epistola nostra *ad num.* 8. disseruimus. Nec etiam hic agendum censemus de altero casu, si forte videlicet evenerit, ut Judaei filius a patre relictus ac destitutus sit; quem, invitis etiam parentibus, baptizandum offerre cuilibet permissum est, eo quod ipsi, propter destitutionem ejusmodi, patria potestate ceciderint, juxta responsum praedecessoris nostri Gregorii IX. *in cap. 1. de infantibus, et languidis expositis*, ubi ita legitur: *Si a patre, vel ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus:* cum iis, quae insuper a Nobis in citata Epistola *num.* 9. deducta reperiuntur.

Domini filios servorum infidelium ad Baptismum valide offerunt.

§. 15. Ex Auctorum sententia, nequaquam denegatum Dominis jus est offerendi filios mancipiorum suorum infidelium ad sacrum Baptismatis fontem; qua de re licet S. Thomas expresse verba non fecerit; cum tamen idem *citatis locis* docuerit, filios eorum, qui apud Christianos Principes servitutem civilem serviunt,

invitis parentibus, baptizari non posse, satis quidem dixisse putandus est, ut inferre liceat, ejusdem doctrinam esse, quod filii servorum, qui servi sint servitute poenali, possint a dominis ad Baptismum offerri; quemadmodum apposite a Sylvio *loco citato ad conclus.* 7. animadversum fuit, atque ante eum a Suarez. *tom.* 3. *super* 3. *part. S. Thomae q.* 68. *art.* 10. *disput.* 25. *sect.* 5. §. *Dico secundo* indicatum fuerat. Porro Judaei Christianorum servi sunt, sed civili servitute, ut docet S. Thomas; et licet Innocentius III. *in cap. Etsi Judaeos, de Judaeis*, de eisdem affirmet, quod eos *propria culpa submisit perpetuae servituti*, cum tamen idem Pontifex subjungat, quod *pietas Christiana eos receptat, et substinet cohabitationem illorum*, satis indicat, se Judaeorum servitutem civilem innuere voluisse; quod etiam Vasquez *tom.* 2. *super* 3. *part. S. Thomae, qu.* 68. *art.* 10. *disput.* 154. *cap.* 5. *in fine* probe animadvertit. Servi autem servitute poenali Turcarum filii sunt, bello capti, non autem filii Christianorum; nam in bellis, quae Christianos inter geruntur, Juris Gentium rigor in eo dumtaxat, quod spectat ad res, non autem in eo, quod ad homines attinet, observatur; neque homines bello capti capientium servi fiunt, licet hostium res in hostis dominium transeant, qui eisdem potitur; ita in monumentis a Vinnio collectis *tom.* 1. *suarum Institutionum Civilium lib.* 1. *tit.* 3. *pag.* 35. novissimae editionis Venetae habetur. Neque vero juri illi, per quod domino licet filios servi sui, qui servitute poenali servus sit, ad Baptismum offerre, patria genitoris potestas ullo modo officit: *Nam qui serviliter domino subjicitur, est in potestate domini, tam ratione sui, quam aliarum personarum sibi conjunctarum, puta uxoris, aut filiorum, nec amplius in res suas dominium retinet; quin et potest a domino divendi. Loquimur hic de servitute proprie dicta, vi cujus dominus potestatem habet vendendi servum, ut fit apud Turcas:* hisce verbis Hon. Tournely *in suis Praelectionibus Theologicis de Sacramento Baptismi* edisserit, *p.* 328. editionis Parisiensis *Anni* 1727.

Hebraei servitutem civilem serviunt apud Christianos, non vero Poenalem.

Hinc tantum subjecti sunt infideles in bello capti, non autem Christiani.

§. 16. Probe intelligimus, dilecte Fili, nonnullos ex praecedentibus Epistolae hujus Paragraphis praetermitti per Nos potuisse, alterius Epistolae nostrae ad Urbis Vices-Gerentem conscriptae, lectionem tibi proponendo, in qua ea omnia, quae in praemissis Paragraphis summatim indicavimus, exposita plenissime sunt; verum ita faciendum existimavimus, tum majoris ordinis et claritatis gratia, tum ut uno aspectu legentibus tria exhiberentur: Primum quidem, quod jus ad Baptismum offerendi ex patria potestate, tamquam ex origine, consequatur; alterum, quod cum avia paterna patriae potestatis expers sit, non ita facile sustineri posse videatur, eamdem habere jus offerendi nepotem, dum maxime Judaea mater tutrix, aliique pariter tutores dissentiant; postremum autem, quod sicut ob patriae potestatis defectum avia nequaquam jus habet nepotem ad Monasterium offerendi, ita ex ejusdem patriae potestatis defectu, ne illud quidem jus habere potest, ut eumdem offerat baptizandum.

Summa difficultatis capita, quae exprimuntur.

§. 17. Atque haec ea difficultas est, quae Nos non modo aliquandiu haerentes atque suspensos tenuit, verum etiam in eam partem proclives, ut paternae aviae oblationem repudiaremus. Verum cum deinde animadversum a Nobis sit, fieri aliquando posse, ut etiam extra circumstantias paulo ante indicatas, vel scilicet infantis in extremo mortis discrimine positi, vel ejusdem a parentibus deserti ac destituti, vel denique poenalis servitutis, liceat infantem et impuberem Judaeos baptizandos offerri ab eo, qui patriam super ipsos potestatem minime habeat; id tandem Nobis persuasum remansit, quod, licet jus offerendi competat unicuique patriam potestatem habenti (quod argumentis desuper adductis satis comprobatum est); non tamen omnino alteri cuicumque, qui patriam potestatem non habeat, praeclusa remanet via, quo minus oblationem hujusmodi in aliquo peculiari casu facere possit.

Ex iis tamen non eviuctur, jus offerendi unice provenire a patria potestate.

§. 18. Gregorius IX., sicut antea memoratum est, *in citato cap. Ex literis, de conversione infidelium*, decrevit, quod cum pater ad Christianam Fidem conversus esset, mater autem in Judaismo remansisset, filius patri assignari deberet, non autem penes matrem relinqui, propterea quod in illo, non vero in hac, patria potestas sita esset; idque eo vel magis, quod ita Sanctae Religionis favor exigeret: *Cum autem filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, et non matris etc. in favorem maxime Fidei Christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Cum autem ibi nulla a Gregorio mentio habeatur de altero casu, cum scilicet mater ad Christi fi-

Praelatio a jure concessa oblationi patris contra voluntatem matris.

Extensa est communiter favore matris offerentis invito patre.

dem conversa foret, pater vero in Judaismo permaneret; non tamen ea res ab Auctoribus praetermissa est, iique omnes, debere tunc filium apud matrem remanere, atque huic jus ad Baptismum offerendi competere affirmant, licet ipsa potestate patria nequaquam praedita sit; idque tanta concordia inter se, ut omni diligentia adhibita, neminem Nobis reperire contigerit, a quo contrarium asseratur. Cardinalis Ostiensis *in Commentariis super memorata Decretali: Ex literis, num.* 13. usque eo progreditur, ut Pontificem Gregorium dicat in Decretali sua minus plene rem explicuisse: *Potuisset ergo Dominus Gregorius hanc materiam plenius, brevius, et planius expedire, ut sic dixisset: si quis duorum conjugum infidelium ad fidem conversus fuerit, in infidelitate alio remanente, liberi infantes converso adjudicentur.* Quod quidem Cardinalis Ostiensis dictum, tum ab Abbate *in Commentariis super eamdem Decretalem ad num.* 6., tum a Petro de Ancharano *ad num.* 17., aliisque compluribus celebratur. Nobis vero, quod a Cardinali Ostiensi nimis fidenter dictum est, minime probari potest; sed duo hic dicenda occurrunt: primum, quod cum ibi ageretur de patre ad Christianam Fidem converso, et matre in infidelitate remanente, eaque res ad Pontificis Judicium

Legis ratio, idest favor Fidei utrique casu aptatur.

delata fuisset, non aliae Gregorii partes erant, quam ut ad rem propositam responderet; alterum quod, cum ipse pro ratione definitionis suae favorem Fidei adduxerit, jure ac merito responsum ab Auctoribus est, quod a Gregorio in casu patris ad Christi Fidem conversi, matre in Judaismo remanente, dictum fuerat, id ipsum in casu etiam matris conversae, et patris in Judaica perfidia haerentis, locum habere debere, cum in utraque facti specie idem Religionis favor ita suadeat; idque eo vel magis quod in Concilio Toletano IV., quod *anno* 633. sub S. Isidoro celebratum fuit *ad Can.* 63. in Collectione Conciliorum Hispaniae Cardinalis de Aguirre *tom.* 2. *pag.* 489. expresse statutum decretumque reperitur, filium quidem sequi debere matris Religionem, quoties ipsa ex Judaea, patre Judaeo remanente, Christiana facta sit; contra vero patris Religioni adhaerere debere, si matre in Judaismo remanente, pater ad Christianam Fidem transierit: *Filii, qui ex talibus nati existunt*, idest ex matrimonio inter eas personas, quarum altera in Judaismo permanserit, altera autem Christianam deinceps Religionem amplexa fuerit, *Fidem ac conditionem matris sequantur, quae jam in Christianam translata est Fidem; similiter et ii, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, et fidelibus viris, Christianam sequantur Religionem, non Judaicam superstitionem.*

Favor Fidei junctus legitimo juri cujusvis generis praevalet etiam juribus patriae potestatis.

§. 19. En igitur casum, quo, in Religionis favorem, oblatio ad Baptismum admittitur, etiamsi ab illo facta sit, qui patriae potestatis expers est; etenim patria potestas, ut dictum superius est, in patre, non autem in matre consistit: En, inquam casum, ubi posita in altera trutinae lance tum patria naturali potestate, quam pater filium generando acquirit, tum etiam illa, quae eidem tanto amplitudine a Jure Civili attributa est, ex altera vero parte posita dumtaxat aliquali illa potestate, quam mater ex naturae lege in filii generatione acquirit sine alio quopiam Juris Civilis praesidio, haec trutinae pars alteri praevalet, propter illud ponderis, quod ex favore Religionis eidem accedit. Porro haec ratio ab antiquis peritissimis Decretalium interpretibus et rite aestimata, et magni, ut par erat, momenti habita est; nam Pontifex Innocentius IV. *in suis Observationibus in citatam Decretalem: Ex literis*, scribit, quod tam ubi judicium patris pro Baptismo filii matris voluntati praefertur, quam ubi matris oblatio patris dissensui praevalet, ratio, quae contraria omnia exsuperat, in favore Fidei posita est; Antonius vero a Budrio *super idem cap. Ex literis, num.* 7. eo usque progreditur, ut vehementiori quadam emphasi dicat, quod cum Judaea mater ad Christianam Fidem conversa filium ad Baptismum offert, dissentiente patre, qui in Judaismo remansit, dici ob favorem Fidei potest, quod mulier vir evaserit, et ex matre pater effecta sit.

Potestas offerendi filios ad vitam Regularem etiam in matre residet.

§. 20. Quoniam vero, dum superius de filii ad Monasterium oblatione a Nobis dictum fuit, tanquam plausu dignam reputavimus eam opinionem, quod parva aut nulla ratio habenda esset consensus matris, sed totum ex patris consensu, qui patriam potestatem habet, dependere deberet; ex quo deduximus, idem respectu oblationis ad Baptismum dicendum esse; illud hoc loco subdere necesse habemus, quod praedictae opinionis plausu nequaquam obstante, communior sententia est, jus ad Monasterium offerendi penes parentes esse,

idque non minus a patre quam a matre exerceri posse: *Si pater, vel mater, filium, filiamque intra septa Monasterii in infantiae annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis, postquam ad pubertatis annos devenerint, egredi, et matrimonio copulari; hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluntatis froena relaxentur:* verba sunt S. Gregorii in Epistola ad Bonifacium, quae *in Can. Addidistis* 20. *quaest.* 1. relata habentur; et in Textus hujus sequelam Gibertus *in Corpore Juris Canonici tom.* 2. *tit.* 23. *de Ecclesia sect.* 3. *regula* 14. ita scribit: *Offerendi filios potestas tam ad matrem, quam ad patrem pertinet.*

Casus Aviae offerentis distingui debet ab extranei cujusque temeritate.

§. 21. Feliciter Nobis patriae potestatis obstaculum superasse videmur, quod Nobis aliquam difficultatem ingerebat, in eoque superando ratione validissima nixos fuisse, quae in Religionis favore posita est; ingenue tamen omnino agnoscimus, aliquid praeterea adhuc desiderari, ut statuere possimus, oblationem ad Baptismum ab Avia factam, tam Judaea matre, quam Tutoribus Judaeis repugnantibus, licitam validamque esse, adeoque admittendam. Nam si in solo favore Fidei omnia posita ac fundata essent, exinde consequeretur, ut a quacumque persona, licet extranea, fieret oblatio infantis Judaei ad Baptismum, parentibus licet ipsius reluctantibus, eadem admittenda esset; contra quam docet Sanctus Thomas, quem caeteri Theologi communiter sequuntur, Infantes ex infidelibus natos, sine parentum consensu minime baptizandos esse; atque illud etiam fortasse eveniret, ut Christianorum cuilibet permissum in posterum videretur, in Hebraeorum Vicum penetrare, atque alicujus Judaei infantem, utroque parente invito, vel ibidem baptizare, vel foras asportando baptizandum offerre, quod hodierno tempore non solum improbatur, sed etiam a Tribunalibus Ecclesiasticis vindicatur.

Avia, sub appellatione Parentum comprehenditur.

§. 22. Verum, si casus hic, qui in quaestione versatur, una cum adjunctis circumstantiis consideretur, haud facile quidem demonstrari poterit, ex eo quod aviae oblatio admittatur, vel communem laedi Theologorum sententiam, quam supra exposuimus, vel violentiis aut dolis aditum aperiri ad Hebraeorum infantes, invitis eorum parentibus, Baptismati offerendos, aut re ipsa baptizandos; tum quia communis Theologorum sententia nihil aliud docet, nisi quod minime licet infantes infidelium, *invitis parentibus*, baptizare; cumque iidem nequaquam ulterius procedant ad explicandum, quinam illi sint, qui sub appellatione parentum veniant, locum excipit legalis dispositio, quae docet, *sub appellatione parentum* aviam comprehendi; quam ad rem verba Textus in promptu sunt *in L. Appellatione ff. de verbor. significat. Appellatione parentum non tantum pater, sed etiam avus, et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater; et avia, et proavia:* tum quia hoc ipso in casu non improvisa aliqua vis, aut impetus intercedit, nec talis oblatio fit a persona penitus extranea, cum paterna avia sit, quae ad Christi Fidem conversa nepotem ad Baptismum sponte offerat; ac praeter id, quod jam dictum est, videlicet *appellatione parentum* paternam quoque aviam comprehendi, observandum etiam occurrit, quod Romanis legibus a tutela mulieres omnes excludebantur: *Tutelam administrare virile munus est, et ultra sexum foemineae infirmitatis tale officium est,* quemadmodum legitur *in Leg. Tutelam Cod. quando mulier tutelae officio fungi potest.* Quum tamen deinde rigorem hujusmodi mitigari placuisset, et mulieres etiam ad tutelam exercendam idoneas declarari; id ad solam aviam, solamque matrem restrictum fuit, ut *in Authorit. Matri et Aviae*, eodem titulo, videre est; quod quidem signum evidens, immo argumentum satis clarum est, paternam aviam minime extraneam dicendam esse, etiam in eo, quod pertinet ad nepotum seu filiorum filii sui educationem; maxime vero ubi, velut in praesenti casu, cum avia ipsa consentiunt patrui; quorum quidem in Judaica lege tanta ratio habetur, ut matri in proprii filii successione praeferantur, quemadmodum *in c.* 27. *libri Numerorum* praescriptum habetur, ac super ipso observant expositores Tostatus *q.* 33. Calmetus *ad vers.* 11. et du Hamel *ad vers.* 9.

Et ad nepotum tutelam admittitur, exclusis ab hoc officio, praeter matrem, aliis mulieribus.

Duplex objectum contra haec insurgens.

§. 23. Hic vero novimus dictum iri, aviam ad legitimam nepotis tutelam habile quidem redditam esse, verum secundo loco, idest post matrem; ac praetera locum non esse loquendi de Tutoribus legitimis, quoties, ut in re praesenti accidit, testamentarii adsunt a patre dati. Verumtamen utrique responsionis parti non deest, quod denuo reponi possit. Verum quidem est, secundum jam citatam authenticam

Legis ordo matrem aviae in tutela praefert.

Matri et Aviae, in tutela legitima matrem aviae praeferri: *Matri et Aviae secundum ordinem tutelam subire permittimus;* quo loco Glossa ad verba *secundum ordinem* notat: *Cum primo Mater, secundo Avia admittatur;* at saltem extra controversiam non est, et valde incertum videtur, utrum praelatio matris respectu aviae, matri competat quando ipsa Judaea sit; cum complures, iique graves Auctores doceant, matrem in tutela filii aviae preferendam esse, cum ipsa Christiana est, non autem cum Judaea. Etenim Authentica *Matri et Aviae* desumpta est ex Novella 118. *de haeredibus ab intestato venientibus*. In hac Novella Legislator ordinem successionum constituit; ac deinde ad tutelarum ordinem gradum faciens, parem hunc successionum ordini fore statuit, ideoque matri praelationem in tutelis supra aviam tribuit: Ad extremum autem totam suam dispositionem iterum complectens, verbis hujusmodi eamdem concludit: *Haec autem omnia, quae de successione sancimus, obtinere in iis volumus, qui Catholicae Fidei sunt*. Ex quo plausu dignum et probabile argumentum illis suppeditatur, qui contendunt ac docent, in tutela legitima minime matri supra aviam praelationem deberi, cum mater Judaea est, sed tutelam Christianae aviae deferendam esse, quod ita favor exigat Religionis; cujus quidem ratio a Legislatore habita est in re minoris momenti; cum statuerit, quod licet mater filiam dotare teneatur, quando pater id faciendi de suo facultatem non habet, id tamen a matre omnino praestandum sit, etiamsi patri divitiae suppetant, quoties hic Christianus, et proles Christiana sit, mater vero in infidelitate, aut in Judaismo remanserit; quemadmodum, Legum Civilium dispositiones referendo, pluribus ostendunt Bossius *de Dote ad cap.* 5. §. 2. *num.* 26. *et seq.* et Cardinalis de Luca *de Dote discurs.* 142. *num.* 54.

Hic tamen ordo ratione infidelitatis immutatur in variis casibus.

Tutores testamentarii legitimos a tutela repellunt.

Sed et illi suspicionis exceptione repelluntur.

§. 24. Non inficiamur item, quod minime dubium est, legitimis Tutoribus nequaquam locum esse, ubi Testamentarii adsunt; verum illud videndum restat, num id admittendum sit, quando Testamentarii suspecti sunt, cum secundum Romanas leges, Testamentariis etiam suspicionis exceptio detur, ipsaeque Leges in Urbe quidem Praetori, in Provinciis autem Praesidibus onus injunxerint, suspectos tutores removendi, et in eorum locum alios non suspectos substituendi, ut in Institutionibus Justiniani, et in titulo Codicis: *de suspectis tutoribus vel curatoribus*, videri potest. Pontifex Gregorius IX. in controversia, quae per ipsum soluta fuit in pluries laudato *c. Ex literis, de conversione infidelium*, utrum videlicet filius apud Judaeam matrem remanere, an Christiano patri tradi deberet, supradictam legum dispositionem prae oculis habuit, ut ex subjectis ejusdem verbis colligitur: *Non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitae insidientur illius;* et contra Judaeam matrem pronunciavit, propter periculum perversionis: *Materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime Fidei Christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Hoc autem responsioni illi fundamentum praebet, non loquendum scilicet de Tutoribus legitimis, ubi Testamentarii adsunt, si Testamentarii ab exceptione immunes sint; secus vero quando iidem exceptionem patiuntur praejudicii, damnique notabilis, quod pupillo afferrent, cum Religionis offensa; quemadmodum omnino contingeret, si nunc Christianae aviae oblatio rejiceretur, ne jus impediretur eorum Judaeorum, qui Tutores Testamentarii existunt.

Nil obstat, quod hujus rei exempla non adsint.

§. 25. Nonnullos fortasse audieris dicentes, quod si oblatio aviae admittatur, res fiet, quae antea nunquam facta fuisse memoretur. Hoc idem Nobis objectum fuit; sed nihil plane ea res Nos commovit, cum ne casus quidem ullus allatus fuerit, quo aviae oblatio repudiata sit. Cum autem res, quae in quaestionem cadit, non quidem tantummodo ratione dispicienda, sed quoquo modo executioni mandanda sit, et positiva necessitas adsit de ipsa in alterutram partem decernendi; nullus relictus locus est illius negligendae, aut in aliud tempus differendae; sed videndum omnino est, quid secundum justitiam fieri oporteat. Idem plane contigit Gregorii XIII. tempore, quum scilicet ipse decrevit, ut Avi ad Christi Fidem conversi oblatio reciperetur, etiamsi mater dissentiret, quemadmodum a Nobis plane expositum fuit in alia Epistola nostra ad Urbis Vices-Gerentem conscripta; et relatum habetur, ut supra innuimus, apud Sylvium, cui nunc adjungimus Valentiam *tom.* 4. *Commentariorum Theologicorum disput.* 4. *qu.* 3. *punct.* 3. §. *Quarto dico:* Etenim ne tunc quidem ante ejusmodi sententiam a Pontifice prolatam

Exemplum Avi in pariis circumstantiis.

contigerat, ut oblatio avi, dissentiente matre recepta, umquam fuisset. Ergo et sententia illa nova extitit, et tamen executioni demandata, et cum plausu excepta fuit: Eademque dici potest aditum iis aperuisse, qui in praesentia ad recipiendam aviae oblationem propensi sunt, quum pari jure censeri debeant avus et avia in eo, quod pertinet ad curam non minus filii, quam filiorum ipsius, cum haec a familia sua per matrimonium in viri familiam translata, primas in hac partes una cum illo obtinuerit. Et quoniam avi mentione redeunte, objectum illud iterum redit, patriam potestatem penes eumdem, non autem penes aviam residere; non mirum videri debet, si et Nos responsione illa denuo occurramus, videlicet favorem Religionis id praestare, ut patriae potestatis defectus illi non officiat, qui alio caeteroquin legitime titulo infantis oblationem facit; ad ea autem, quae supra dicta sunt de communi opinione, qua mater filium, dissentiente patre, valide ac licite baptizandum offert, etiamsi patria potestas in patre non autem in matre sita sit, non injucundum fore arbitramur, si id adjungimus, quod ad rem hanc scribit Vasquez *tom.* 2. *super* 3. *part. S. Thomae quaest.* 68. *art.* 10. *disput.* 155. *cap.* 3. *num.* 35. *Licet Jure Civili soli patri concessa sit patria potestas in filium, quod attinet ad aliquos effectus in ipso Jure peculiares, nempe ut pater usumfructum habeat in bonis filii, non autem mater, et ut suus haeres dicatur, ac proinde jure (ut dicunt) suitatis gaudeat, quod respectu matris non conceditur; tamen, quod spectat ad retinendum filium in suo consortio, et societate, ut illum nutriat, aequale videtur jus matris cum jure patris; ac proinde si alter consentiat, etiamsi sit mater, quia nimirum videtur ex consortio filii cum altero, nempe cum patre, ei damnum spirituale sequi, ratione commodi spiritualis, quod filio ex separatione provenit, consensus illius repugnantiae alterius praevalere debet.*

Hujus patriae potestati aequivalet favor Religionis in avia nactus alterius legitimo titulo.

Jus naturale matris in filiorum educatione non undequaque insuperabile ostenditur.

§. 26. Nisi Nos memoria fallit, nihil aliud modo reliquum est, quam ut quaestioni illi respondeamus, quomodo scilicet fieri possit, ut mater, quae super educatione filii infantis jus habet ab ipsa natura derivatum, quod ideo naturale Jus appellatur, eo jure privari possit ab avia, quae aliam auctoritatem in nepotem habere nequit, quam quae ipsi a Jure Civili tribuitur. In quo illud forsan satis esset respondere, praecipuum fundamentum illius praeponderantiae, quae Aviae facto tribuitur, in Religionis favore situm esse; quod autem hic quaeritur, jam antea quaesitum fuisse in altero casu, quum scilicet Gregorius XIII. Avi factum dissensui matris praevalere debere judicavit; nec ullam de hujusmodi quaesito rationem habitam fuisse. Sed ut ad propositae interrogationis nodum proprius accedamus, quaerimus, utrum filii mancipiorum et eorum, qui pleno jure servi sunt, dissentientibus eorum parentibus, baptizari possint; Et quidem si, secundum communem opinionem responsum dandum sit, respondendum erit, posse. Iterum igitur quaerimus, num hujusmodi parentibus faveret, nec ne, jus naturale pro educatione filiorum suorum infantium; neque responderi posse arbitramur, eosdem naturali eorum jure in proprios filios caruisse. Quaerimus denique, quomodo filii praedicti baptizari possint sine consensu parentum, pro quibus stat jus naturale, quod immutabile dicitur: Verum, ut hujusmodi interrogationi responsum dari possit, ad Theologos recurrendum est. Respondent ipsi, jus patrum in filios infantes, pro eo, quod ad educationem pertinet, naturale dici posse duplici ratione; vel scilicet quia a natura originem habeat, vel quia lex naturae jubeat, ut nemo alius eorum educationi, exclusis parentibus, se immiscere possit. Admittunt Theologi, jus illud primo sensu naturale esse, non autem secundo; ideoque concludunt, quod cum dominium mancipii seu servi, ejusque filiorum, jure gentium in Dominum transferantur, potest Dominus filios infantes a parentibus separare, eosque baptizandos jubere, etiamsi parentes dissentiant. Ita edisserit Sylvius *tom.* 4. *sup.* 3. *part. S. Thomae quaest.* 68. *art.* 10. *conclus.* 7., et ante eum satis solide Suarez *tom.* 3. *super* 3. *parte S. Thomae quaest.* 68. *art.* 10. *disput.* 25. *sect.* 4. §. *Quocirca*. Jam vero nihil praeter jus et fas postulare Nobis videmur, dum contendimus, quod quemadmodum naturae jus non laeditur, ubi, repugnantibus parentibus, captivorum filiis Baptismus confertur, ita neque idem naturae jus violari dicatur, quoties, nulla vi adhibita, ac patente persona, quae id faciendi jus habeat, infans Hebraeus, dissentiente matre, aut sacro Fonte abluitur, aut baptizandus offertur; sicut enim pro primo casu militat Jus Gentium, ita pro altero favor Religionis,

Exemplum de parentibus in servitute poenali constitutis.

Aliud est jus a natura originem dicens, aliud lex naturae aliquid praecipiens, aut vetans.

Jus a natura tributum, quod a jure gentium superatur, multo magis cedere debet favori Religionis, et animarum saluti.

cujus vis eam Nobis obligationem imponit, ut eamdem promoveamus, quantum, seclusa cujuslibet injuria, Nobis facere permissum est; veluti in praesentia continget, si oblatio Hebraeis infantis, quae ab Avia sponte fit, recipiatur.

Permissa omnia simul juncta oblationem acceptandam suadent.

§. 27. Habes igitur, dilecte Fili, eas omnes rationes, quibus adducti sumus, ut eam, de qua quaestio est, oblationem recipiendam judicaremus, quemadmodum recipiendam judicamus; quae rationes et causae, sive per se singulae considerentur, sive, ut in casibus practicis fieri consuevit, conjunctim accipiantur, magni procul dubio ponderis, atque momenti sunt. Quod si in re dubia in favorem Fidei pronunciandum esse constans regula est, quisnam erit, qui, perpensis tot propositis rationibus, materiam hanc saltem pro dubia habendam, adeoque in favorem aviae, quod idem est in casu, ac in favorem Religionis, decernendum non existimet? Novimus, dilectos Filios Sanctae Inquisitionis Consultores, tum sacrae Theologiae, tum Canonici Juris peritos, quorum suffragia validis rationibus innixa perlegimus, pro avia communiter censuisse. His concordes audivimus in Congregatione coram Nobis habita Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sententias pro admittenda aviae oblatione. Quare tam sapientibus consiliis inhaerendo, huic Epistolae nostrae finem imponimus, oblationem aviae recipiendam esse decernentes, tibique impertientes Apostolicam Benedictionem.

Aut saltem probant rem dubiam esse, et ob id ipsum favore Religionis pronunciari debere.

In hanc sententiam Consultores S. Officii, tum Cardinales Inquisitores Generales convenerunt.

Pontifex jubet oblationem Aviae acceptari.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XV. Decemb. MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Dat die 15. Dec. 1751.

LIV.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIV.

LITTERAE APOSTOLICAE IN FORMA BREVIS

In quibus statuitur, ut Religiosi Reformati S. Francisci in Conventu de Varatojo, Ministro Generali immediate subjecto in proximo Capitulo, si in Guardianum et Definitores eligantur, nullum possint allegare privilegium Apostolicum, neque aliam quamcumque causam privationis vocis passivae, nisi dictum privilegium, vel causa prius recognita sit et approbata a moderno Guardiano, et Definitorio ejusdem Conventus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Guardianus, et Definitores Conventus de Varatojo nuncupat. in Lusitania Missionariorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupat. dilecto Filio moderno, et pro tempore existenti Ministro Generali dicti Ordinis immediate subjecti, quod Conventus hujusmodi triginta dumtaxat Fratres in Sacro Presbyteratus Ordine constitutos de praesenti numerat, quorum aliqui propter eorum infirmitates, aliaque impedimenta privationem vocis activae, et passivae, seu exemptionem ab officiis, et muneribus dicti Conventus a Nobis, seu a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et Consultationibus Episcoporum et Regularium Praeposita, seu in Portugalliae et Algarbiorum Regnis Nostro, et Sedis Apostolicae Nuncio reportarunt, ac propterea dicti Exponentes verentur, ne in Capitulo dicti Conventus proxime habendo ad Guardiani, et Definitoris respective munera eligantur ii, qui vere, et actualiter sui Corporis infirmitatibus laborant, aut impedimentis ita detineantur, ut munera sibi demandata non sine detrimento Regularis Observantiae, quae in dicto Conventu, benedicente Domino, viget, expleant, nec alii in locum illorum subrogari possint, quippe qui ob eorum humilitatem vel aliam causam privationem, exemptionemque hujusmodi reportarunt; Nobis propterea exponentes praedicti humiliter supplicare fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequen. harum serie absolventes, et abso-

lutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in Capitulo dicti Conventus proxime habendo nullus ex illius Alumnis ab exercitio muneris, seu Officii sibi demandati exemptus intelligatur, ac intelligi debeat sub praetextu obtentae prius privationis vocis activae, et passivae, ac exemptionis ab Officiis, nisi prius per Exponentes praedictos, juxta datam sibi a Domino prudentiam recognita, examinata, et approbata fuerit concessa facultas memoratae exemptionis, seu privationis, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus, et declaramus, ita tamen, ut si contingat ab eisdem Exponentibus exemptionem, privationemque hujusmodi nullam declarari super recognitione illarum eorum conscientiam oneramus, Alumni praedicti, quorum facultas exemptionis, et privationis praedictae nulla, irrita, et inanis declarata fuerit, munera sibi demandata in virtute Sanctae Obedientiae ac sub indignationis Nostrae suscipere, gerere, et exercere, ac rite explere teneantur. Decernentes easdem praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Conventus, et Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Januarii MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passioneus.

Dilecto Filio Aloysio seu Ludovico Laghi Ordinis Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Priori Generali. LIV.**

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Debitum Pastoralis Officii, quo Catholicae Ecclesiae regimini Divina dispensatione praesidemus salubriter, exequi adjuvante Domino jugiter satagentes Christifidelium, qui e fluctibus Saeculi in portum vitae Religiosae confugerunt, statui feliciter dirigendo peculiarem curam adhibemus, illisque de idoneis Superioribus, et Ministris, quorum opera in Charitatis, et Religiosae tranquillitatis amoenitate prospere gubernentur, interdum providere studemus, sicut locorum, temporum, et personarum qualitatibus mature consideratis, ad majorem Dei gloriam, et Religionis incrementum, felicemque progressum expedire in Domino arbitramur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnullae animorum simultates, dissentiones, partiumque studia, quae Religiosam quietem, et Regularem observantiam conturbare solent, pluribus ab hinc annis inter Priores, et Fratres pro tempore existentes Conventuum Oppidorum, Civitatum, nuncupat. Nolabilis, et Vallettae Insulae Meliten. ex una, et Priores Provinciales pro tempore itidem existentes Provinciae Siculae Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo, cujus jurisdictioni supradicti duo Conventus de praesenti subjecti existunt, vigere pergant, ac timendum sit in posterum etiam perdurare: hinc est, quod nos dissidiis, dissentionibus, et partium studiis hujusmodi opportune consulere, eaque sedare cupientes, ac de Tua fide, prudentia, integritate, vigilantia, et Religionis zelo plurimum in Domino confisi, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequen. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes Motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Tibi per praesentes injungimus,

praecipimus, et mandamus, ut supradictos duos Conventus Oppidi Civitatis nuncupat. Nolabilis, et Oppidi Civitatis itidem nuncupat. Vallettae dictae Insulae Melitensis a Provincia Sicula dicti Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo dependentes, illorumque Priores, et Fratres nunc, et pro tempore existentes, nec non bona quaecumque, tam mobilia, quam immobilia, ac semoventia ad illos spectantia, et quomodolibet pertinentia a memorata Provincia Sicula, et illius moderni, et pro tempore existentis Prioris Provincialis jurisdictione, et dependentia, omnino, et perpetuo separes, dismembres, dijungas, dividas, et eximas, ac Conventus praedictos sic per Te vigore praesentium a Provincia praedicta, et ab illius Prioris Provincialis jurisdictione, et dependentia separatos, dismembratos, disjunctos, divisos, et exemptos omnimode Tuae, et pro tempore existentium Priorum Generalium memorati Ordinis perpetuo itidem subjicias, et supponas, ac dictorum duorum Conventuum Priores nunc, et pro tempore existentes, Definitores Generales dicti Ordinis declarandi, illisque votum, sive suffragium in quibusvis Capitulis Generalibus dicti Ordinis pro tempore habendis, aliasque praeeminentias, et praerogativas, ac privilegia, quibus alii dicti Ordinis Definitores Generales gaudent, potiuntur, et fruuntur, concedendi, plenam, liberam, et omnimodam facultatem, et auctoritatem tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Ac insuper motu, scientia, et potestate similibus in virtute sanctae Obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis moderno, et pro tempore existenti Priori Provinciali Provinciae Siculae hujusmodi praecipimus, ne in supradictis duobus Conventibus, ac in illorum Prioribus, Fratribus, aliisque Personis, ac in illis existentibus, et ab eis dependentibus, postquam per Te a Provincia praedicta divisi, disjuncti, separati, et exempti fuerint, ullum jus, ullamque jurisdictionem, et actionem habere, et exercere audeat, seu praesumat. Decernentes praesentes literas, etsi ex eo quod Prior Provincialis hujusmodi, et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, specificatae, et justificatae, fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, pia, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam cum enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, et nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac individuam expressionem requiren., defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu sese juvare ullo modo posse: sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quavis praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Provinciae, et Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, Ordini, et Provinciae hujusmodi, illorumque respective Superioribus, et Personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac

alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenoris hujusmodi ac si de verbo ad verbum; nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

D. Card. Passioneus.

LV. SAC. CONGREG. RITUUM

Decreta super modo utendi Indulto Pontificalium Capitulo et Canonicis Ecclesiae Archiepiscopalis Urbinaten. olim a Sede Apostolica concesso, approbantur, et confirmantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In Throno justitiae super omnes Gentes Divina dispositione collocati, ad ea potissimum, quae ab Ecclesiarum Praesulibus pro extirpandis in Ecclesia Dei exortis abusibus, utiliorique commissi Gregis gubernio, provida ratione prius ordinata, et postea a Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Almae Urbis congregationibus, quae vocis nostrae organa sunt, decreta fuerunt, solicitudinis, et vigilantiae nostrae curas libenter convertimus; Illaque, dum Divino cultui, Pastoralique dignitati prodesse comperimus, Apostolicae nostrae confirmationis robore communimus, prout arbitramur in Domino salubiter expedire.

Indultum a Benedicto XIII. Urbinaten. Capitulo, et Canonicis concessum.

§. 1. Sane pro parte Venerabilis Fratris nostri Antonii Guglielmi moderni Archiepiscopi Urbinaten. exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod alias, et postquam fel. rec. Benedictus Papa XIII. Praedecessor noster, per suas Literas Apostolicas, tunc existentibus Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Urbinatensis ac Dignitates in ea obtinentibus, ut ipsi tam in Civitate, quam in Dioecesi Urbinatensis, absente, vel praesente Archiepiscopo, sive interveniente Legationis Urbinatensis S. R. E. praefatae Cardinali Legato de Latere, in Missis, Vesperis, ac Laudibus solemniter decantandis, ac etiam in Processionibus, Benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, et Fontis Baptismalis, ac in reliquis Ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur Paramenta, Mitra, aliisque Indumentis, et Paramentis tantum ad instar Abbatum usum Mitrae habentium, uti libere, et licite possent, et valerent, Apostolica auctoritate perpetuo concesserat, et indulserat; eisque, ut in eorum Armis, et Insigniis Mitram apponi facere, et addere etiam valerent, licentiam, et facultatem dicta Apostolica auctoritate tribuerat, et impartitus fuerat; bon. mem. Thomas Maria Marelli, dum viveret, primum Archiepiscopus Urbinaten. et deinde Imolen. Episcopus tempore, quo ipse dictae Ecclesiae Urbinaten. praesidebat, modum, et tenorem dictarum literarum, tam in illarum interpretatione, quam in decernenda earum executione, praetereundo, easdem literas, plura, licet in eis non expressa, continere, et comprehendere declaravit in gravissimum dignitatis Archiepiscopalis praejudicium.

Ejus Indulti intelligentia ultra debitos fines extenditur:

§. 2. Quapropter, ubi primum dictus Antonius Archiepiscopus praefatae Ecclesiae Urbinaten. certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutae, eadem Apostolica auctoritate in Archiepiscopum praefectus fuit, sublatis prius per eum nonnullis abusibus in celebratione Divinorum Officiorum inventis, animum suum ad alios abusus, qui respiciebant usum Pontificalium, aliarumque praerogativarum exercitium, quas tunc existentes Capitulum, et Canonici dictae Ecclesiae, ac Dignitates in ea obtinentes sibi indebite arrogaverant, removendos convertit. Idcirco dilecto Filio moderno dictae Ecclesiae Praeposito significavit,

Lis, et controversia inter modernum Archiepiscopum, et Capitulum agitata coram Congr. Sacr. Rit.

quod ad judicium Congregationis ejusdem S. R. E. Cardinalium super Ritibus Ecclesiasticis praepositorum deferri poterat, quaenam praerogativae dilectis quoque Filiis Capitulo, et Canonicis dictae Ecclesiae, ac Dignitates in ea obtinentibus praedictis, vigore dicti Indulti, competerent. Sed perspiciens ipse Antonius Archiepiscopus, quod Capitulum, et Canonici ejusdem Ecclesiae, ac Dignitates in ea obtinentes praefati, moras nectendo, nil aliud cupiebant, quam in possessione praetensarum praerogativarum se confovere, censuit, pro muneris sui debito, ac Archiepiscopalis Dignitatis defensione, singula controversiarum Capita, in infrascriptis 13. Dubiis disposita, et inter partes concordata, ac a dilecto similiter Filio nostro Prospero Sancti Georgii ad Velum aureum ejusdem S. R. E. Diacono Cardinali Columna de Sciarra nuncupato, in controversia hujusmodi Ponente, subscripta, eidem Congregationi proponere.

Dubia in Congregat. proposita.

§. 3. Quorum Dubiorum tenor est, qui sequitur, videlicet.

Primo: *An Dignitates, et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Urbinaten. uti possint Anulo, Cruce pectorali cum gemmis, Caligis, Sandaliis, et Chyrothecis, praesertim auro ornatis, in casu etc.*

II. *An eaedem Dignitates, et Canonici Pontificaliter celebrantes uti queant Faldistorio, et quatenus negative, quomodo sedere debeant?*

III. *An Faldistorium debeat esse coopertum oloserico coloris currentis, seu simplici panno?*

IV. *An uti valeant Palmatoria, seu Bugia in Pontificalibus, et an in Missis lectis, seu privatis?*

V. *An liceat eisdem in Missa Pontificali Populum salutare, dicendo:* Pax vobis, *loco dicendi:* Dominus vobiscum?

VI. *An post Missas, Vesperas, aut Matutinum in Pontificalibus celebratum, possint ipsi solemnem dare Benedictionem, dicendo:* Sit nomen Domini benedictum; *seu potius simplicem Benedictionem tantum post Missam, dicendo:* Benedicat vos Omnipotens Deus *cum unico, seu cum trino signo Crucis?*

VII. *An Dignitates, et Canonici in Missis, aut Vesperis in Pontificalibus celebratis, benedicendo populum cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, dare possint trinam Benedictionem, vel unicam tantum dare debeant?*

VIII. *An eaedem Dignitates, et Canonici induti Mitra, aliisque Paramentis ad instar Abbatum, etiamsi Missas, aut Vesperas in Pontificalibus non celebraverint, dare possint trinam Benedictionem?*

IX. *An possint Pontificaliter celebrare Missas in Ecclesiis Monialium absque consensu Archiepiscopi?*

X. *An in vestitionibus, et velationibus Monialium factis de commissione Archiepiscopi, uti possint Mitra?*

XI. *An in Metropolitana Ecclesia uti possint Mitra, et Pontificaliter celebrare, in Missis Defunctorum?*

XII. *An in Insigniis, et Armis suae Familiae, appositis, vel apponendis in Paramentis sacris, aliisque rebus Ecclesiam concernentibus, loco Mitrae, vel una cum ipsa, Pileum apponere valeant?*

XIII. *An dictae Dignitates, et Canonici in Processionibus Sanctissimi Corporis Christi incedere possint capite Mitra cooperto?*

Rescripta super singulis praemissis dubiis edita.

§. 4. *Et Sacra eadem Congregatio, utraque Parte scripto et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem praedicti Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit.*

Ad Primum: *Affirmative juxta modum: modus est, quod in Missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis Indumentis auro non ornatis, nec non anulo cum unica gemma, et Cruce pectorali sine gemmis, et amplius.*

Ad II. *Negative, et sedere debeant in scamno cooperto tapete, vel panno currentis coloris, et amplius.*

Ad III. *Provisum in secundo, et amplius.*

Ad IV. *Negative et amplius.*

Ad V. *Negative, et amplius.*

Ad VI. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, cum unico signo, et amplius.*

Ad VII. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, cum unica tantum, et amplius.*

Ad VIII. *Negative, et amplius.*

Ad IX. *Negative, et amplius.*

Ad X. *Negative, et amplius.*

Ad XI. *Negative, et amplius.*

Ad XII. *Affirmative quoad Mitram tantum, et amplius.*

Ad XIII. *Negative, et amplius.*

Et ita decrevit, ac servari mandavit die 29. Januarii 1752.

M. Marefuscus Sac. Rituum Cong. Secretarius.

rchiepisco-
is supplicat
o confir-
ation
postolica.

§. 5. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ea, quae Sedis Apostolicae munimine roborantur, firmius subsistant, et exactius ab omnibus observari soleant; propterea quae dictus Antonius Archiepiscopus, ne adversus decretum, et mandatum ab eadem Congregatione super praemissis, ut praefertur, edita, quidquam umquam sub quovis praetextu a modernis, et pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis dictae Ecclesiae, ac Dignitates in ea obtinentibus, opponi, seu illa impugnari, aut eis contradici queat, plurimum cupiat, decretum, et mandatum hujusmodi, pro majori illorum validitate, et subsistentia, ac inviolabili observantia, per Nos, et Sedem Apostolicam praefatam perpetuo, ut infra, opportune approbari, et confirmari: quare pro parte praedicti Antonii Archiepiscopi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ei in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex
raemissa
pprobat et
onfirmat, ac
erpetuo ser-
ari mandat.

§. 6. Nos igitur, qui dignum et rationi consonum arbitramur, honestis votis, et petitionibus hujusmodi annuere, et abusus praedictos, potius a vanitate, quam a pietate Ministrorum introductos, removere sinceris desideramus affectibus, eidem Antonio Archiepiscopo specialem gratiam facere volentes, illiusque zelum, et pietatem debitis laudibus commendantes, ipsumque a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum, et mandatum hujusmodi ab eadem Congregatione super praemissis, ut praefertur edita, tanquam Dignitatis Archiepiscopalis respicientia, ac ad abusus in Ecclesia Dei removendos tendentia, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, iisque perpetuae, inviolabilis, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, illaque a praefatis modernis, et pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis dictae Ecclesiae, ac Dignitates in ea obtinentibus, aliisque omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter, et inviolabiliter observari, et adimpleri, nec ab illorum observantia, et adimplemento hujusmodi ullo umquam tempore resiliri, aut recedi debere.

Clausulae pro perpetuo praesentium Literarum vigore.

§. 7. Easdemque praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, ac nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in jus, vel controversiam vocari; nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per Nos, et Sedem Apostolicam praedictam sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam Motu proprio factis, et faciendis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per praefatum Antonium Archiepiscopum, et successores suos dictae Ecclesiae Urbinaten. Praesules pro tempore existentes, quandocumque eligendos, concessas fore, et esse, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere.

Aliter judicari prohibetur.

§. 8. Sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praefatae S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, judicari, et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Contrariis derogatur.

§. 9. Non obstantibus quibusvis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, dictae Ecclesiae Urbinaten. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, et expressa mentio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc

servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, necnon opportune, et valide, ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio. §. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, decreti, et derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 28. Febr. 1752. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLII. tertio Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

I. C. Travagli.

X

I. Miliatus.

I. Smachers.

Loco ✠ Plumbi.

L. Eugenius.

LVI. INDULGENTIARUM

Nova concessio, pro personis Saecularibus utriusque Sexus, tam Tertio Ordini S. Franciscì de Paula adscriptis, quam Chordigeris ejusdem Sancti Funiculum benedictum deferentibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Inexhausti Ecclesiae Thesauri administrationem et dispensationem, Dei voluntate Nobis commissam, summa, qua decet, fide, ac diligentia gerere satagentes, dubia quaeque, et incertitudines circa Indulgentias, et spirituales Gratias a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, piis maxime Personarum coetibus concessas, ne Christifidelium animi nutantes in incerta ferantur, ac ob id eorum languescat charitas et fides, declarare, ac etiam quandoque novis ex integro factis concessionibus, de medio tollere non omisimus; et quoties id ipsum simile causae Nobis fideliter expositae suadere dignoscuntur, eamdem viam insistentes spiritualibus piorum Institutorum profectibus et Christifidelium devotioni consulere non recusamus.

Instantia facta Pontifici pro nova concessione Indulgentiarum Tertiariis S. Francisci de Paula, et illius Chordigeris. §. 1. Cum itaque dilectus Filius Julius Malmusius Presbyter Ordinis Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum expresse Professus, ejusdemque Ordinis modernus Procurator Generalis, seu Zelosus nuncupatus, Nobis nuper supplicaverit, ut Indulgentias, et peccatorum remissiones Personis utriusque sexus Saecularibus, tam *Tertiariis* nuncupatis, quam aliis Cingulum laneum dicti S. Francisci gerentibus, *Chordigeris* nuncupatis, competentes, quemadmodum Nos ipsi superiori anno ad praefiniendas Indulgentias Fratrum, et Sororum Tertii etiam Ordinis Saecularis S. Franciscì de Assisio nuncupati peculiaribus nostris Literis incipientibus: *Ad Romanum Pontificem:* sub datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno undecimo praestitimus, praefinire etiam et edicere dignaremur; Nos dicti Julii supplicationem non modo congruam, sed etiam necessariam quodammodo agnoscentes, ex quo videlicet Ven. Dei Famulus Innocentius Papa XI. Praedecessor noster in generali Decreto super Indulgentiis die VII. Martii Anni Domini MDCLXXVIII. per ipsum edito, inter apocryphas Indulgentias, nonnullas etiam recensendas judicavit, quae in aliquibus tunc impressis Foliis asserebantur iis concessae, qui Cingulum praedicti S. Francisci de Paula gerentes, *Chordigeri* dicuntur; ipsius Julii precibus annuentes, Tertiariorum tamen seorsim a Chordigeris hujusmodi ratione habita, circa Indulgentias, tam illis, quam hisce deinceps competituras, harum nostrarum Literarum tenore, ut infra, stabilire in Domino judicavimus.

Pontifex agnoscit hujus instantiae necessitatem, et precibus annuit, Tertiariorum a Chordigeris seorsim habita ratione.

De Regula Tertiariis a S. Francisco de Paula proposita. §. 2. Sane praeter Regulam Fratribus sui Ordinis, Minimis nuncupatis, nec non Monialibus, praestitutam, idem Sanctus Franciscus de Paula, exemplum forsan praedicti Sancti Francisci de Assisio prae oculis habens, aliam quoque utriusque sexus Saecularibus Personis, Tertiariis, ut praefertur, nuncupatis, aptatam edidit Regulam, ab Alexandro VI. et Julio II.

Romanis Pontificibus etiam Praedecessoribus nostris, ut accepimus, approbatam. Cui quidem Regulae, ac Tertio Ordini Sancti Francisci de Paula, omissis iis, quae de aliis illustribus Personis enarrantur, adscriptum olim et aggregatum fuisse novimus S. Franciscum Salesium Episcopum Genevensem, de quo haec habentur in ejus Vita per Augustum etiam Salesium illius ex Fratre Nepotem conscripta Lib. IX. pag. 405. *Cinctus est igitur in Monasterio Divi Andreae ab Antonio Biliaco Superiore, et in Fratrum numerum relatus etc. Deinceps cum ex Minimis aliquos inter eundum offenderet, Cingulum illud trahens ex perula: Videte, inquiebat, num ego Frater vester sim; atque re vera, non solo nomine, sum Minimus.*

Tertiariis utriusque sexus Saecularibus Indulgentias indulget, idest Plenariam in ingressu, et quater in anno, ac in mortis articulo.

§. 3. Hisce igitur utriusque sexus Saecularibus Personis praedictam Regulam S. Francisci de Paula pro Tertiariis conditam professuris, et in Tertium Ordinem hujusmodi ingressuris, die eorum et earum ingressus, si vere poenitentes, et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam; nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus ejusdem Tertii Ordinis Fratribus, et Sororibus, vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in Dedicationis S. Michaelis Archangeli, ac in ejusdem S. Francisci de Paula, et dicti S. Francisci Salesii, nec non Commemorationis Sanctorum Omnium die prima Novembris Festis diebus, a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi, Ecclesiam aliquam Ordinis Fratrum Minimorum praedictorum, vel in ejus defectum, in Civitate vel loco, ubi ipsi tunc degent, aliam quamcumque hujusmodi Civitatis vel loci Ecclesiam devote visitaverint, et inibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint; singulis praefatis diebus, quibus id egerint, etiam Plenariam; in cujuslibet vero eorum mortis articulo, si vere pariter poenitentes, et confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Sanctissimum JESU Nomen, ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et impertimur.

Et Indulgentias Stationum Urbis.

§. 4. Iisdemque tam in Civitatibus, et locis, ubi dictae Ecclesiae Fratrum Ordinis Minimorum existunt, quam alibi ubivis commorantibus, qui singulis Quadragesimalibus, et aliis Anni diebus, in quibus Stationes Ecclesiarum Urbis et extra illius muros sitarum occurrunt, prout in Missali Romano descriptae sunt, aliquam primodicti Ordinis, si ibi fuerit, alioquin aliam ejusdem Civitatis, vel loci, ubi eos pro tempore residere, vel morari contigerit, Ecclesiam devote visitaverint, et ut praefertur, oraverint, ut easdem Indulgentias consequantur, quas consequerentur, si iisdem Stationum temporibus et diebus, singulas Ecclesias dictae Urbis, et extra illius muros hujusmodi, pro iisdem Stationibus, et Indulgentiis consequendis destinatas, personaliter visitarent, concedimus, et indulgemus.

Ac in aliis 18. diebus 7. annorum etc.

§. 5. Ipsis quoque vere poenitentibus, et confessis, sacraque Communione refectis, qui in Festis Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, Resurrectionis Dominicae, et Pentecostes, ac Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae, Apparitionis S. Michaelis Archangeli, nec non Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, et Mathiae, aliquam Ecclesiam, ut supra, visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, quo die praefatorum id egerint, septem annos et totidem Quadragenas de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

De Chordigerorum institutione.

§. 6. Quo vero ad alios supradictos ejusdem S. Francisci de Paula *Chordigeros* nuncupatos, qui non quidem Regulam Tertii Ordinis ipsius Sancti Francisci profitentur, sed Cingulum, seu Funiculum laneum ab aliquo ex Fratribus primodicti Ordinis Professis, seu alio quocumque, ad id Superioribus Regularibus deputato, benedictum, sibique cinctum deferunt: Etsi de hac Institutione nullum extet authenticum monumentum, et pie solummodo credatur, praedictum Sanctum Fundatorem adhuc in humanis agentem, Personis utriusque sexus, devota ad eum affectione et obsequio recurrentibus, licet in praedicto Tertio Ordine nequaquam professis, Cingulum seu Funiculum laneum a se benedictum, ac illi similem, quem ipse deferebat, dare solitum fuisse; Certum porro est, subsequentibus temporibus pium hunc morem magis magisque invaluisse; Cumque Romani Pontifices praedecessores nostri hac de re edocti,

ac Ecclesiarum Praesules id ipsum in suis Civitatibus et Dioecesibus facilitari non ignorantes, nunquam piae huic Institutioni obsistendum, aut adversandum judicaverint; Nos sane nullum eidem obstaculum aut impedimentum afferre intendimus; sed ad omnem tollendam confusionis occasionem, quemadmodum iis, qui supradictum Tertium Ordinem S. Francisci de Paula profitentur, proprias Indulgentias harum serie impertiti fuimus; ita et alterius Instituti Personis, quae simpliciter Cingulum seu Funiculum praedictum deferunt, Chordigerique nuncupantur, ipsarum praesentium tenore, proprias quoque, ac certas ab ipsis lucrandas Indulgentias assignare decrevimus.

Eis proprias Indulgentias impertitur: videlicet Plenariam in actu susceptionis Cinguli et in Festo S. Francisci, ac in articulo mortis.

§. 7. Caeteris igitur utriusque sexus Christifidelibus, etiamsi Tertium Ordinem praedictum professi non fuerint, qui cingulum seu Funiculum laneum, quem vocant S. Francisci de Paula, a modernis et pro tempore existentibus Ordinis Minimorum Superioribus, vel ab alio Presbytero ejusdem Ordinis Professore, seu alio quocumque ab iisdem Superioribus deputato benedictum, et ab eis susceperint, ea die, qua vere poenitentes et confessi, ac Sacra Communione refecti, primo id egerint, Plenariam: Praeterea eisdem utriusque sexus Chordigeris vere quoque poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in Festo praedicti S. Francisci de Paula, a primis Vesperis usque ad occasum Solis, Ecclesiam aliquam Fratrum Ordinis Minimorum, vel in ejus defectum aliam quamcumque Civitatis vel Loci, ubi eos pro tempore degere contigerit, devote visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, etiam Plenariam: Item eisdem, dum in articulo mortis constituti, vere poenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Sanctissimum JESU Nomen corde, si ore non potuerint, devote invocaverint, itidem Plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et Indulgentiam concedimus et impertimur: Nec non, ut quisquis eorum et earum, praefatum Cingulum seu Funiculum benedictum deferens, semel in die, si in honorem Domini Nostri JESU CHRISTI, et Sanctorum Apostolorum ejus, pias, ut praefertur, preces effuderint, quo die id egerint, Centum dierum Indulgentiam consequatur, concedimus pariter et indulgemus.

Et pro aliquibus praecibus Centum dierum quotidianam.

§. 8. Deinde tam primodicti Tertii Ordinis, quam alterius pii Instituti praedicti Personis Saecularibus utriusque sexus, quoties ipsi, et quilibet eorum Missis et aliis Divinis Officiis in Ecclesiis celebrandis, et recitandis devote interfuerint, ac pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam, qui corpora Defunctorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum, tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, vel alias quocumque et quandocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel impediti, Campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem et Salutationem eamdem pro necessitatibus Sanctae Matris Ecclesiae, sive pro Animabus Defunctorum tam ejusdem Tertii Ordinis, quam Chordigerorum praefatorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; Toties pro quolibet praedictorum operum exercitio, sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Indulgentias item communiter Tertiariis et Chordigeris concedit, idest LX. dierum pro singulis operibus piis.

§. 9. Eisdemque non solum Tertiariis, sed etiam Chordigeris, ut omnes et singulas Indulgentias, et peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes hujusmodi, ab ipsis, ut praefertur, respective consequendas, etiam pro Animabus Christifidelium Defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

Omnes Indulgentias, ut supra, concessas applicari posse Animabus Purgatorii permittit.

§. 10. Caeterum alias omnes et singulas Indulgentias et peccatorum remissiones Personis utriusque sexus tam praedicto Tertio Ordini S. Francisci de Paula adscriptis, quam Chordigeris praefatis, sive directe et immediate, sive promiscue, aut alio quocumque modo, etiam per communicationem cum Minimorum praedictorum, et aliorum Mendicantium Fratrum Ordinibus, tam vigore Privilegiorum, et Literarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos, et Apostolicam Sedem hactenus

Revocat omnes alias Indulgentias Tertiariis et Chordigeris concessas.

concessas, confirmatas, approbatas, et innovatas, eisque hucusque competentes, seu per eos praetensas, earumdem praesentium tenore revocamus, cassamus, abolemus, annullamus, et abrogamus.

Clausulae. §. 11. Praesentes autem Literas, tam quoad concessiones superius factas, quam quoad revocationem, et abolitionem hujusmodi, etiamsi eidem Tertio Ordini S. Francisci de Paula adscripti, et Chordigeri praefati, seu alii quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati aut auditi fuerint, nullo umquam tempore impugnari, seu de voluntatis nostrae defectu, aut subreptionis, obreptionis, aliove quolibet vitio notari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve juris vel facti remedium impetrari posse: sed semper et perpetuo firmas et efficaces existere et fore, suosque, plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, quorum favorem concernunt, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et respective ab iis, ad quos pertinet, inviolabiliter observari; sicque, et non aliter, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositos, aliosque etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, de praemissis judicari, interpretari, ac definiri debere decernimus, atque irritum et inane si secus a quoquam cujuslibet auctoritatis praesidio scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Committitur Episcopis etc. ut pro praesentium observantia invigilent. §. 12. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ecclesiarum Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, nec non praedictae Apostolicae Sedis Nuntiis, et S. Officii Inquisitoribus, harum quoque serie, et dicta auctoritate committimus et mandamus, ut nullas alias Indulgentias, seu peccatorum remissiones, praeter praemissas, per quoscumque, tanquam praedicto Tertio Ordini S. Francisci de Paula, et Chordigeris hujusmodi, specialiter, et intuitu eorum Instituti, competentes, vulgari, nunciari, aut proponi permittant: Sed ipsarum praesentium tenorem per ipsos fideliter, ut par est, observari faciant; Et siqui forte contumaces, vel rebelles fuerint, aut quovis modo praesentibus contradixerint, omnibus juris remediis, appellatione postposita, compescant.

Derogatio contrariis. §. 13. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, ac ejusdem Tertii Ordinis S. Francisci de Paula, ac, si quae sit, praedictorum Chordigerorum, etiam, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis praedicto Tertio Ordini S. Francisci de Paula, et Personis ei adscriptis in contrarium praemissorum forsan concessis, confirmatis, et innovatis: Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transumptis. §. 14. Volumus autem, ut praesentium Transumptis etiam impressis, ac pro tempore existentis Procuratoris Generalis seu Zelosi dicti Ordinis, vel alicujus Notarii publici manu subscriptis, et alicujus Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae, vel pro tempore etiam existentis Correctoris Generalis ejusdem Ordinis sigillo munitis, eadem fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent ostensae.

Sanctio poenalis. §. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae concessionis, impertitionis, indulti, relaxationis, revocationis, abolitionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 28. Febr. 1752. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLII. tertio Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LVII. DE BONIS ECCLESIARUM,

Quae semel ab infidelibus occupata, deinde in Christianorum potestatem devenerunt.

Epistola ad Rev. P. Nicolaum Lercari Sac. Congregationis de Propaganda Fide Secretarium conscripta, occasione Postulatorum a R. P. Archiepiscopo Antibarensi eidem Congregationi propositorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Antibarensis Civitatis constitutio, et status civilis et Ecclesiasticus.

Urbem Antibarum, italice *Antivari*, eo nomine appellatam, propterea quod in ora illius regionis, quae nunc *Albania* dicitur, contra Barium Apuliae civitatem constituta sit, jamdudum, ut nosti, Othomanicae Dominationis jugum premit, ab anno scilicet 1571. ut testatur Reipublicae Venetae Senator Jacobus Diedo in nitida, quam nuper edidit, Historia ejusdem Reipublicae *tom.* 2. *lib.* 7. *pag.* 261. Neque Venetis datum est, illius possessionem recuperare, magno licet virtutis conatus, tum anno 1648. tum etiam anno 1717. in id incubuerint, ut idem Historicus prosequitur. De hac Urbe P. Daniel Farlatus *tom.* 1. *Illyrici Sacri, in Prolegomenis part.* 2. *cap.* 5. §. 3. *pag.* 150. ita scribit: *Antibarium Urbs priscis ignota, quod saeculis posterioribus condita fuit e regione Barii civitatis Apuliae, a qua denominata est, quasi contra Barium;* idemque Auctor subdit, Dioclea urbe in ruinis jacente, Archiepiscopalem illius titulum translatum fuisse Antibarum; et nomina Episcoporum suffraganeorum, qui novo Archiepiscopo assignati fuerunt, descripta legi in Bulla Alexandri Papae II.; Ut autem Sedes Archiepiscopalis in praefata civitate collocaretur, occasionem desumptam fuisse ex infortunio, quod accidit quatuor Episcopis, Antibarensi, Cattarensi, Olchiniensi, et Suacensi, qui, dum Spalatrum petebant, ut Provinciali Concilio interessent, naufragio perierunt; ut videre est *in laudatis Prolegomenis part.* 3, *sect.* 2. §. 5. *pag.* 308.

Dubia ab Archiepiscopo proposita.

§. 2. Venerabilis Frater hodiernus Archiepiscopus Antibarensis, pastoralis zeli laude magnopere commendandus, quum Diœcesim suam visitasset, et acta Visitationis ad Congregationem de Propaganda Fide misisset, super duobus sequentibus capitibus opportunum sibi lumen ab eadem praeberi, et adjumenta praestari postulavit. In primo capite exponit, Turcas Albanja potitos, magnam partem bonorum ad Ecclesias pertinentium occupasse, quorum nonnulla deinde Christifidelibus divendita, alia vero eisdem ad colendum tradita fuerunt. In secundo autem refert, nonnullos ex Christianis, domos habentes proximas Ecclesiis eversis, et praedia praediis Ecclesiarum contigua, areas et terras ad easdem Ecclesias olim pertinentes usurpasse. Quaerit propterea quomodo in his se gerere debeat; et an hujusmodi malis remedium ullum, et quodnam sit adhibendum; declarans se lumine sibi praestito usurum, ut opportunis documentis instruat Confessarios, qui ea vehementer exoptant; quum aliqui sint ex hujusmodi possessoribus, qui nihil pensi habeant, alii vero propriae conscientiae stimulos cohibere cupiant, atque a censuris absolvi, quas contra detinentes Ecclesiarum bona statutas et latas esse non ignorant. Addit praeterea Archiepiscopus, hoc idem, quod in praefata visitatione peragenda, in sua Dioecesi evenire comperit, in aliis quoque Albaniae Dioecesibus contingere; itaut, manibus magno operi admotis, tumultus, atque discordias suscitatum iri valde pertimescat.

De bonis Ecclesiarum, quae Christiani de manibus Infidelium acquiverunt.

De ea, quae Christiani ipsi occuparunt.

Congregationis de Propaganda Fide sententia et consilium.

§. 3. Utroque capite hujusmodi in Congregatione de Propaganda Fide mature discusso, existimavit ipsa, debere Archiepiscopum, accitis ad se Missionariis, Parochis, et Confessariis, eisdem injungere, ut poenitentibus demonstrent, non posse eos sine propriae conscientiae damno detinere bona, quae olim ad Ecclesias pertinentia, deinde a Turcis occupata, in eorum manus devenerunt, sive ea a Turcis ipsis emerint, sive tanquam derelicta sibi usurpaverint; ideoque necessarium omnino esse, ut aliquem legitimum titulum habeant, quo se in eorum bonorum possessione confovere possint; totamque difficultatem in novo hujusmodi legitimo titulo adinveniendo versari. Quamobrem ipsa Congregatio proposuit, ut possessores Archiepiscopum adire debeant, eique distinctam exhibere indicationem quantitatis, qualitatisque bonorum, quae ex antiquo Ecclesiarum censu ad eos ita pervenerunt. Ipsius autem Archiepiscopi aequitati et prudentiae permittendum, ut et Ecclesiarum utilitati, quantum fas est, providere,

et possessoribus novum legitimum titulum procurare studeat, eos admittendo ad novos contractus, puta, emphyteuticos, tenuissimis etiam canonibus impositis, juxta facultates, quae a Nobis praefato Archiepiscopo concedi poterant. Conclusit denique, hac facilitate dumtaxat erga illos agendum, qui invitati ad praemissa praestanda accesserint, contumacibus in propria perditione derelictis. Quum vero haec omnia a te, Dilecte Fili, juxta tui ministerii debitum, Nobis diligenter relata fuerint, et pro opportuna facultatum concessione supplicatum; Nos vero ad rem accurate inspiciendam et perpendendam nonnihil temporis sumpserimus; nunc tandem decrevimus sententiam nostram hac super re, quae magni momenti effectus parere potest, in scriptis redigere.

Ponit rem examinat, et in hac epistola pertractandam suscipit.

§. 4. Sane a nemine in dubium revocatur, quidquid in bello justo capitur, quod ad hostem pertinebat, in victoris dominium transire; mobilia scilicet in illius potestatem, qui primus ea occupaverit, immobilia vero in dominium supremi Principis, qui bellum intulit, ut sibi pro ipsius belli expensis satisfaciat, aliquando etiam, ut majores ad defensionem vires sumat, ac se a futuris eventibus tueatur. Sylvius *in* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *q.* 6. *conclus.* 6. *et conclus.* 7. Covarruvias *in* 2. *part. Relect. Regul. Possessor malae fidei* §. 11. *sub num.* 6. Similiter extra controversiam est, in bello injusto, totum id, quod capitur restituendum; quum occupatio hujusmodi nihil aliud sit, quam formalis rapina. Ita docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 66. *art.* 8. *ad primum;* en ejus verba: *Circa quaedam distinguendum est: quia si illi, qui depraedantur hostes, habeant bellum justum, ea, quae per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; et hoc non habet rationem rapinae; unde nec ad restitutionem tenentur etc. Si vero illi, qui praedam accipiunt, habeant bellum injustum, rapinam committunt, et ad restitutionem tenentur.* Illustria sunt exempla veterum Romanorum, qui quum injustitiam belli suscepti agnoverunt, quicquid abstulerant, prompte restituerunt, ac detrimenta, quaecumque victis et debellatis populis praeliando intulerant, summa fide repararunt. Haec in Livii Historiis occurrunt; ac duo hujusmodi exempla a Valerio Maximo referuntur, alterum quod pertinet ad Faliscos a Quinto Lutatio domitos, alterum ad Camarinos a Publio Claudio devictos, atque per varias Orbis plagas dispersos. *Cum Publius Claudius Camarinos ductu atque auspiciis suis captos animadvertebat; tamen quia parum liquida fide id gestum ab Imperatore videbatur,* (Senatus) *maxima cura conquisitos redemit, iisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit, et praedia restituit etc. justitiaeque promptissimo tenore effecit, ut exitio suo laetari possent, quia sic renati erant.*

Acquirendi rerum dominii titulus ex bello justo oritur.

Non iteni ex bello injusto.

§. 5. Hinc patet, quum bellum, quo Turcae Antibarum occuparunt, omni procul dubio fuerit injustum, quicquid ea occasione ab ipsis captum et occupatum fuit, sive mobile sive immobile fuerit, id eos injuste usurpasse, veramque in eo rapinam commisisse; quare omnis justitiae ratio postularet, ut ab ipsis cuncta restituerentur Christifidelibus, quos fortunis suis injuste spoliarunt, vel, illis vita functis, eorum haeredibus et successoribus. Sed hoc non est praesentis quaestionis subjectum; et si esset, frustra de eo ageretur, quod in perditis et desperatis rebus habendum est. Quaestionis cardo vertitur circa bona, quae Turcae Christianis vendiderunt, et nunc ab emptoribus detinentur; quaeriturque utrum, qui ea emerint, quique emptorum haeredes aut legitimi successores sunt, tuta conscientia retinere illa possint, an vero eadem legitimis dominis restituere teneantur; idque eo magis, quod agitur de bonis ad Ecclesias et Monasteria pertinentibus, quorum injusta detentio censurarum poena mulctatur; quodque, quum Ecclesiastici, non secus ac Peregrini, in bellis, minime sint partes Reipublicae nocentis, efflagitat ipsa ratio, ut nec illorum, nec istorum personae laedantur, neque bonis suis exturbentur, ut legitur in Decretali: *Innovamus, de Treuga et Pace;* ubi, necessitatis publicae causa, hoc ipsum Privilegium ad mercatores etiam et agricolas extenditur, ut optime ad citatum Textum perpendunt Repetentes. Quamquam autem id saepe saepius re ipsa non observetur: *Quos Canones rationabiles ac sanctos, quantum ad id, quod positivi juris pertinet, an abusus deleverit, nescio:* verba sunt Cardinalis Cajetani *in ejus Summa, verbo: Belli damna* §. 4. *de damnis;* illud tamen non obstat, quominus praedictorum Canonum ratio habenda sit, quoties de animarum directione in foro conscientiae agatur.

Christiani a Turcis injusto bello subacti, jus suum, licet inexercibile, retinuerunt supra bona sibi erepta adversus invasores.

Quaeritur an hujusmodi jus persequi possint Ecclesiae adversus Christianos, qui earum bona, a Turcis occupata, acquisiverunt.

Privilegia Ecclesiarum Peregrinorum, Colonorum, et Mercatorum in bellis.

Canonicarum Legum vigor in foro conscientiae.

§. 6. De Peregrinis, Clericis, et Ecclesiis, ad sensum laudatae Decretalis, loquitur Sylvius *loco citato conclus.* 5. *Spoliare peregrinos*

Praemissa auctoritatibus confirmantur.

et hospites, qui sunt in urbe hostili, non licet, nisi constet de ipsorum culpa, quia non sunt pars Reipublicae adversae: neque etiam licet spoliare Ecclesias, Monasteria, vel Ecclesiasticos, etiamsi ex causa rationabili data sit civitas praedae militum, quum neque ipsi vere sint pars populi hostilis.

§. 7. De extensione autem hujusmodi juris ad mercatores et agricolas, agit Laymann. *in Commentariis ad eamdem Decretalem*, ubi postquam illud statuit, quod Clerici et peregrini, membra non sunt Reipublicae nocentis, ideoque in bellis etiam, quae jure inferuntur, nec in persona, nec in rebus damnum pati aliquod debent, haec addit: *Quaedam vero personae non sunt pars Reipublicae nocentis, ut mercatores et agricolae; et his parcendum est propter publicam necessitatem, ne, commerciis et agricultura impeditis, majus incommodum afferatur.*

§. 8. Denique, quod licet Canonicae leges in praxi negligantur, earum tamen ratio necessario habenda sit, ad animas conscientiasque tuto dirigendas, recte sapienterque suo more disserit Covarruvias *in 2. part. Relect. Regul. Possessor malae fidei* §. 11. *sub n.* 8. §. *At hae leges.*

Decreta super Dubiis a P. Longobardo Tuneti Missionario transmissis anno 1630 quam auctoritatem habeant.

§. 9. Quaestionis statu sic constituto, ideoque ad intimam illius discussionem descendentes, necessarium ducimus in hac nostra Epistola inserere duo decreta anni 1630. jam typis edita in Operibus Peyrini *tom.* 3. *Priv. in addit c. 4. n.* 30 *et* 31. et Auctoribus caeteroquin, qui postea scripserunt, probe cognita, ut ex infra dicendis apparebit, licet fortasse accuratam totius rei notitiam non habuerint. Nam ea omnia tanquam Decreta Congregationis supremae Inquisitionis, et quidem a Pontifice Urbano VIII. approbata et confirmata, ediderunt. Verumtamen constat, Dubia, super quibus Decreta emanarunt, a P. Francisco Longobardo Ordinis Minimorum Tuneti Missionario transmissa fuisse ad Congregationem de Propaganda Fide, quae quum a suis Theologis diligenter ea examinari fecisset, consilium coepit eadem ad Congregationem Sancti Offici remittere. Haec autem insignium suorum Theologorum ope, quorum nomina in ipsius Tribunalis Actis recensentur, in novum illa deduxit examen. Quindecim porro fuerunt Dubia a Patre Longobardo transmissa; atque ad ea omnia tum Theologi Congregationis de Propaganda Fide, tum Consultores supremae Inquisitionis sua responsa ediderunt. Verum ex iisdem Dubiis aliqua relata fuerunt in Congregationibus habitis coram Pontifice Urb. VIII., ad quae Pontificium adhuc exstat responsum: Reliqua vero compertum minime est, an coram Pontifice proposita fuerint. Inter haec autem quintum illud et sextum numerantur, quae nimirum praesentem respiciunt controversiam: itaut error facti sit, id quod Auctores asserunt, responsa scilicet ad quintum et sextum Dubium Oraculo Pontificio confirmata fuisse; quum nihil aliud revera sint, quam responsa Theologorum Congregationis de Propaganda Fide, et Consultorum S. Officii, quae tamen suo robore non carent, quum a doctis Viris, et Sacrae Theologiae, Jurisque Canonici peritissimis emanaverint.

Dubium quintum a P. Longobardo propositum.

§. 10. Proposuit igitur Pater Franciscus Longobardus sequentem quaestionem ordine quintam: *Utrum Christiani liberi, qui hic* (idest Tuneti) *negotiandi gratia commorantur, et alii captivi, ementes a Pyratis infidelibus bona a fidelibus rapta, et in hac Urbe venum exposita, vel dono ea recipientes, ut hic ad proprios usus utantur, vel ad terras Christianorum lucri gratia transmittant, peccent mortaliter, et teneantur ad restitutionem.*

Responsum Theologorum Congregationis de Propaganda Fide

§. 11. Responsio Theologorum de Propaganda Fide fuit sequens: *Patres deputati existimarunt, bona Christianorum a Pyratis rapta, posse Fideles absque noxa mortali et onere restitutionis, emptione, venditione, aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere, ac in proprios usus convertere, non obstante, quod sint in bello injusto rapta.*

Dubium sextum.

§. 12. Sequitur sextus casus a P. Longobardo propositus: *Utrum antedicti, praesertim Mercatores liberi, non solum peccent ratione rei male acceptae, sed injustae acceptionis, tamquam rapientium receptatores, et consequenter teneantur in solidum ad restitutionem, non solum mercium emptarum, sed omnium praeterea damnorum Christianis illatorum. Ratio dubii est, quia, ut quidam asserunt, Pyratae inter depraedandum, aliqua rapiunt spe vendendi dictis captivis vel liberis Christianis, quae, hac spe sublata, non raperent, ut Infidelibus non necessaria, neque utilia. Hoc autem non semper accidit in rebus magni pretii, et ipsi Mercatores liberi principaliter hic morantur, ut emant merces loci; et praeterea eorum Incolatus multum videtur conferre ad miserorum captivorum redemptiones secretius,*

facilius, et vilius faciendas, praeter quotidianas eleemosynas, quibus non solum sublevant necessitates captivorum, sed etiam suppeditant ex magna parte Oratoriis, et Ministris Divini Cultus.

Responsum.

§. 13. Theologi de propaganda Fide ita responderunt: *A Patribus deputatis concordi voto decisum est, Fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad restitutionem bonorum raptorum per Pyratas Christianis, neque incurrere noxam peccati mortalis, etiamsi Pyratae bona illa subripiant spe lucri ex futura venditione eisdem Fidelibus facienda, alias non furaturi: licet peccare possint ex complacentia super furto rerum per Pyratas Christianis sublatarum.*

Praemissa Responsa probantur Consultoribus S. Officii.

§. 14. A Theologis de Propaganda Fide ad Consultores Sancti Officii translatum fuit Dubiorum examen; et hi quidem sententiam illorum approbaverunt et confirmarunt: Nonnulli tamen addiderunt, ad hoc ut emptores Christiani ab omni peccati nota immunes essent, necessarium fore, ut animum paratum haberent ad restitutionem emptarum rerum, si umquam verus earum Dominus compareret, easque redimere vellet, soluto pretio, quod emptor Turcis in emptione numeravit. *Aliqui tamen Qualificatores dixerunt, requiri animum restitutionis, accepto pretio dato, si dominus rerum occurrerit.* Neque hoc ad pacandas conscientias inoppurtunum, aut a ratione alienum est. Molina *in Opere de Justitia et Jure tom. 1. tract. 2. disput. 118. num. 15.* ita scribit: *Ad pacandas tamen conscientias illud est addendum, quando verisimile est illas*, idest merces, quas Christiani homines a Turcis aut Saracenis emerint, qui eas per vim occupaverant, *deventuras numquam esse in potestatem suorum dominorum, ut ordinarie evenit, licitum esse eas emere vili etiam pretio, eo animo, ut si proprius dominus comparuerit, illas accipiat pro eodem pretio, sin minus emptor illas sibi retineat. Quoniam verisimile est eam esse praesumptam dominorum voluntatem; et quoniam quodammodo essent irrationabiliter inviti, nisi id ita vellent. Atque ita respondi aliquibus Christianis captivis, qui in Africa emerunt vili pretio a Mauris aliqua de spoliis Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit.* Atque haec sententia communis dici potest, cui reliqui omnino suffragantur: Coninch *disput. 31. de bello dub. 7. num. 126.* Reginald. *tom. 2. lib. 21. cap. 8. sect. 4. num. 117.* Decastillus *lib. 2. tract. 1. disput. 10. num. 429.* Tanner *tom. 3. disput. 2. quaest. 6. num. 76. et 77.* Fragos. *de regim. Christianae Reip. tom. 3. part. 1. lib. 3. disput. 5. num. 16.* Castro Palaus *Oper. Moral. tom. 1. tract. 6. disput. 6. punct. 5. num. 27.* Bonacina *Oper. Moral. tom. 2. de restitutione in genere disput. 2. quaest. ult. punct. ult. §. 3. n. 23.* Diana *in Edit. Coord. tom. 7. tract. 7. resolut. 33. n. 8.* Eorum etiam aliqui, et praecipue Molina et Castro Palaus, addunt, id locum habere in sacris rebus mobilibus, puta Calicibus, aliisque sacris supellectilibus. De his enim fortius procedere censenda est superius indicata praesumptio; quod scilicet Christifidelibus, ad quos hujusmodi res ablatae pertinent, molestum non sit, aut saltem esse non debeat, illas in dominio potius aliorum Christianorum, quam Turcarum et Saracenorum existere.

Dummodo qui merces Christianorum de Pyratis emerint, parati sint eas dominis restituere, recepto pretio.

In eandem sententiam scripserunt Auctores, qui hic allegantur.

Ita suadente praesumpta dominorum voluntate.

Grotii doctrina eodem recidit.

§. 15. Hugo Grotius *in suo Tractatu de Jure belli ac pacis lib. 2. cap. 10. §. 9. num. 1.* hanc statuit regulam: *Rem alienam bona fide emptam, restituendam, nec posse erogatum pretium repeti;* ac imediate sequentem addit exceptionem: *Cui regulae haec addenda mihi videtur exceptio, nisi quatenus dominus rei suae possessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuit, ut puta, si res apud Pyratas fuerit; tunc enim deduci poterit, quantum dominus impensurus libenter fuerat. Ipsa enim facti possessio praesertim recuperatu difficilis, est aliquod aestimabile; et in hoc dominus post rem amissam censetur factus locupletior.* Et *in lib. 3. cap. 10. §. 6. num. 1.* postquam docuerat, quod qui detinet rem in bello injusto ab alio captam, eam restituere tenetur: *Qui damnum ipse non dedit, sed rem bello injusto captam ab alio penes se habet, tenetur eam reddere: quia cur alter ea carere debeat, nulla causa sub est naturaliter justa, non consensus ipsius, non malum meritum, non compensatio;* relatam paulo ante exceptionem resumit, et ita prosequitur *n. 2. Poterit tamen, si quid sumptus aut operae impendit is, qui rem tenet, deducere tantum, quantum domino valebat adipisci desperatam possessionem, secundum ea quae alibi explicata sunt. Quod si rei possessor culpae exors eam consumpserit, aut eliminaverit, non tenebitur, nisi in quantum censeri potest locupletior factus.* Jure Civili cautum est, ut, qui alienum servum, ab hostibus prius captum emerit, illius dominium acquirat, ea tamen lege,

De alieno servo ab hostibus capto, et vendito, quid cautum jure civili.

ut eum teneatur restituere antiquo domino, si hic pretium rependat, quod emptor, quamvis mancipii conditionem non ignoraret, pro illius emptione persolvit. Si autem hic eum alienum esse nescivit statuitur, domino comparenti ac pretium offerenti restituendum, dummodo infra trienni spatium comparuerit; quo tempore elapso, antiquus dominus jure redimendi cadit: ut colligitur *ex lege In bello* §. *Si quis servum ff. de captivis et postliminio reversis*, alteri conjungenda *L. Ab hostibus C. eodem tit.* Haec omnia comprobant, justum omnino esse id, quod Theologi S. Officii responsis Theologorum Congregationis de Propaganda Fide addiderunt; Eademque certiorem stabilioremque reddunt sententiam illorum, qui docent, pretium restituendum esse illi, qui numerata pecunia rem ab hostibus etiam in bello injusto captam sibi acquisivit. Quamquam enim Hugo Grotius, quod pertinet ad restitutionem pretii, cum aliis praeallegatis auctoribus non consentiat; quum tamen a domino tantum emptori reficiendum velit, quantum ipse ad rei amissae possessionem recuperandam aequo animo impendisset; si hujus aestimatio summae a Forensi Calculatore rectae ineatur, magnum profecto erit, nisi ad eam pecuniae quantitatem pertingat, quam emptor pro rei acquisitione persolvit.

Tanti fere interest rem amissam recuperare, quanti a praecone vendita est.

§. 16. Quae hactenus exposuimus, in rebus mobilibus tantummodo locum habent; ideoque tota disputationis difficultas nunc eo redacta est, ut videatur, an haec eadem, quae de mobilibus dicta sunt, immobilibus etiam rebus aptari possint; quandoquidem dubia, quae nunc examinantur, quaeque praesenti disquisitioni occasionem praebuerunt, mobilia bona non respiciunt, sed immobilia. Porro si aliqua differentia inter mobilia et immobilia intercederet, et ratio, quae pro illis valida reputatur, pro his aeque afferri non posset; vel si aliqua adesset legum dispositio, quae rerum immobilium dominis magis faveret, facile quisquam affirmare posset, quod, licet is, qui a Turcis res mobiles in bello captas mercatus fuerit, eas tuta conscientia detinere queat, modo animus ipsi sit ad restitutionem paratus, quotiescumque dominus comparuerit, et pecuniae impensae solutionem obtulerit; non idem tamen judicium de emptore immobilium ferre liceret.

An eadem circa immobilia procedant, in quaestionem revocatur.

§. 17. Diximus autem, ea, quae superius exposita sunt, locum sibi vindicare in solis mobilibus: Decreta enim anno 1630. edita, de mobilibus loquuntur; ac de mobilibus item disserunt supra recensiti Auctores. Innuimus etiam dubitari posse, an aliqua differentia juris intersit inter mobilia et immobilia bona: atque hujus differentiae ratio a Nobis nunc exponenda est. Fundamentum, quo innititur ea sententia, quod Christifideles tuta conscientia retinere possint bona mobilia, quae a Turcis emerunt, a Turcis autem in bello injusto aliis Christianis hominibus ablata fuerant, in praesumpta dominorum voluntate positum est, quae scilicet aut consentit, aut non dissentit omnino, ut praedicta eorum bona mobilia ab aliis Christifidelibus acquirantur. Etenim ex mobilibus nullus fructus percipitur; domini autem libentiore animo, aut minore certe molestia ferre debent, quod illa in Christianorum potestatem deveniant, potius quam in dominio Turcarum remaneant, a quibus facilius disperderentur; ut recte ponderat Molina *loco laudato*, atque etiam prosequitur Verjuys *in suo Pastorali. Missionarium tract. 4. art. 13. de Haereticis* §. *Probatur etiam ratione*. Quoniam vero haec ratio a praesumpta dominorum voluntate desumpta, ad immobilia, quae Christifideles emunt, extendi nequit, tum quia domini fructus amittunt, tum quia hujusmodi bonorum dispersionis timor non adest; hinc oritur indicata juris differentia, quae inter mobilium ac immobilium acquisitionem intercedit. Denique paulo ante significavimus, aliquid forsan reperiri posse legibus praescriptum, quod immobilibus, non item mobilibus faveat. Sane *in L. Si quis bello ff. de re militari* sequentia verba legere: *Si quid in bello captum est, in praeda est, non postliminio redit:* quibus verbis mobilia significantur, ut animadvertit Glossa. At vero *in L. Si captivus, eod. tit.* leguntur haec alia: *Expulsis hostibus ex agris, quos caeperant, constitit, dominia eorum agrorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut praedae loco cedere:* quae Doctoribus argumentum praebent asserendi, majori privilegio in bellis gaudere immobilia, quam mobilia bona. Haec enim post quam in militum manus devenerunt, licet deinde pax conficiatur, non amplius restituuntur; illa vero antiquis dominis, pace inita, illico redduntur: ut recte animadvertunt Molina *loc. cit.* §. 5. Covarruvias *part. 2. Relect. Regul. Possessor malae fidei* §. 11. *n.* 7. Diana *in Edit. coord.*

Decreta superius allegata de mobilibus tantum agunt.

Rationes ex quibus dominii voluntas de mobilibus praesumitur, ac immobilia extendi non possunt.

Bona immobilia postliminio recuperantur, non vero mobilia.

tom. 7. *tract.* 7. *resolut.* 33. *n.* 3. Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disput.* 5. *punct.* 4. *n.* 24. Quibus sic stantibus, conclusum superius a Nobis est, facile quempiam propugnare posse, ex rationibus adductis concedi quidem Christifidelibus, ut mobilia de Turcis empta, licet ab his in bello injusto occupata fuerint, tuta conscientia detineant, dummodo ea restituere domino parati sint, qui pretio oblato redimere illa velit; at id de emptore immobilium non aeque affirmari posse. Id autem nunc, Auctorum scita atque rationes ad trutinam revocando, demonstrandum aggredimur.

Unde videtur, immobilia a non iustis hostibus vendita, aut derelicta, tuto retineri non possit.

§. 18. Pater Leonardus Lessius obiit, antequam Decreta anni 1630. emanarent, scilicet anno 1623. In ejus Opere Theologico in S. Thomam, exhibentur resolutiones nonnullorum conscientiae casuum; in quorum sexto, verbo *Beneficium*, sequentem sibi proponit quaestionem ordine secundam: *An Catholici emere possint ab Haereticis bona Ecclesiastica?* atque ita respondet: *Non licet Catholicis emere bona Ecclesiarum vel Monasteriorum ab Haereticis occupata, et confiscata, nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolumentis et fructibus; qui inde obvenerunt: quia bona illa in specie sunt aliena, similiter fructus illorum.* Ex quibus sequitur, ut inferius ostendemus, emptorem ab Ecclesiis et Monasteriis, nunquam repetere posse pretium bonorum hujusmodi a se persolutum. Quum autem objiciendum sibi praevideret, quod bona illa, nisi emissent Catholici, remansissent penes haereticos, qui perciperent ex eis fructum; respondet id minime ad rem facere, quandoquidem haeretici quoque *ad restitutionem obligarentur*. Denique id Catholicis consilii praebet, ut cum bonorum dominis agentes, cum iis paciscantur, ac novos contractus ineant, quorum praesidio bonorum possessionem tuta conscientia retinere valeant.

Nec fundum retineri, nec fructus iure percipi scripsit Lessius.

§. 19. Post Decreta anni 1630. scripserunt sequentes Auctores de illis expressam facientes mentionem. Verjuys *loco cit.* a Lessii opinione recedit in eo, quod respicit restitutionem fructuum, sed cum eo sentit, quod ad fundi restitutionem pertinet, etiamsi dominus emptori solutum pretium non rependat; Rationem autem sic opinandi in praesupposita bona fide collocat, quae si vere adsit, possessorem a fructuum quidem, minime vero a fundi restitutione eximere potest. *Posse Catholicos bona fide possidentes Monasteria, domos, Templa, vel similia bona immobilia, illa tantisper sibi pacifice retinere, quamdiu a propriis dominis occupari non possunt; nec interea obligantur ad interesse, aut quidquam solvendum pro fructibus.* Arsnekinus *in sua Theologia tripartita tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 6. *quaest.* 10. quaerit, *An Catholici possint emere bona aliorum Catholicorum, injusto bello ab Haereticis occupata;* ac respondet, id fieri posse, I. si dominorum voluntas in eo consentiat; II. si Pontifex assensum praebeat, ad quod astruendum affert citata Decreta anno 1630. edita; III. si conventionibus inter Catholicos et Haereticos Principes initis cautum sit, ut Haeretici Catholicorum bona retinere possint, ac libere de illis disponere: quae omnia extra casum praesentis quaestionis versantur. Ibi autem religiosus Auctor procul dubio loquitur de bonis immobilibus; inter caeteras enim sententiae suae rationes, utilitatem perpendit et commodum Catholicae Fidei, cui magis prodesse asserit, quod bona penes Ortodoxos, quam in Haereticorum manibus existant: *et sane plures ob causas, multo conducibilius videtur, bona illa tali emptione in manus Catholicorum devolvi, qui tanto potentius possunt negotium Fidei protegere ac propagare, quam si ea penes haereticos perpetuo remanerent;* quae quidem ratiocinatio immobilibus convenit, non item mobilibus. Verum rationes illae ab Auctore indicatae, et a Nobis paulo ante relatae, nullius aut levis admodum roboris sunt. Etenim dum bona immobilia ad Catholicos olim pertinentia, illisque in bello injusto ablata, Orthodoxi ab Haereticis emunt, praesumpta dominorum voluntas adesse non potest, ut supra dictum est; Decreta vero anno 1630. edita, quae de mobilibus loquuntur, ad immobilia trahi nequeunt: Denique conventiones et concordata inter Catholicos Principes laicos et Heterodoxos inita super possessione ac detentione bonorum Ecclesiasticorum, ab Apostolica Sede improbantur; ut prolixe probat P. Schmalzgrueber *consiliorum tom.* 1. *consilio* 19. *qu.* 1. et hae sunt conventiones, ad quas alludit citatus Auctor. De hac materia loquitur etiam La Croix Presbyter Societatis JESU *in sua Theologia Morali tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 972., ac Decreta anni 1630. se probe nosse indicat: at quum nil aliud ipse faciat, quam ea referre, quae a supra laudatis Auctoribus dicta fuerunt, in neutram partem allegari aut proferri potest.

Alii percepționem fructuum detentori permittunt, donec dominus fundum repetere possit.

Alii de voluntate dominorum, et Summi Pontificis, ac de quarumdam conventionum vigore, plus aequo praesumunt.

P. a Breno de tota re praeclare disputat.

§. 20. Pater Carolus Franciscus a Breno Ord. Min. Strictioris Observantiae, *in suo Manuali Missionariorum Orientalium tom. 2. lib. 1. cap. 3. qu. 21.* hanc proponit quaestionem: *An bona Ecclesiastica ab Infidelibus redempta, restitui necessario debeant, vel saltem transactio adhiberi;* ac respondet, restituenda esse; tum quia Christianus, sciens bona illa Ecclesiae esse, alienam rem mala fide possideret; tum quia non potuit Infidelis raptor in emptorem Christianum transferre jus majus illo, quod ipsemet in bona divendita habebat: Ideoque, si venditor, propter rapinae vitium, nullum omnino jus habuit in rem violenter ablatam, occupatam, et postea divenditam; nil pariter juris in eamdem rem acquisivisse dicendus est, qui eam mercatus fuit: Tum denique, quia regula generalis est, quod etiam ille, qui furti ignarus a fure aliquid emit, in foro conscientiae ad restitutionem tenetur, simul ac verus legitimusque dominus occurrit. Invehit deinde in eos, qui quum ab Infidelibus aliquid ad Ecclesiam pertinens mercati sint, debiti sui partes implere se putant, si Parochos, ad quorum Ecclesias res emptae pertinent, ad convivia et coenas invitent. Non omittit Pater a Breno saepe memorata Decreta anno 1630. condita commemorare; sed ea pertinere censet tantummodo ad bona mobilia a piratis capta, ac inde Christianis divendita, quorum verus dominus sperari nequit, ut ad redimenda compareat. Denique sibi objicit, quod qui numerata pecunia ab Infidelibus emit Ecclesiae bona, rem eidem Ecclesiae utilem gesserit; ideoque non solum nullum exinde damnum pati, verum etiam aliquam, si fieri potest, utilitatem percipere debeat: Huic autem argumento respondet, emptores, qui rem ab Infidelibus redemerint, id emolumenti ex emptione capere, ut ab Ecclesia pretium repetant, aut ad aliquam cum ipsa compositionem deveniant: *Ementes bona Ecclesiae ab usurpatoribus Infidelibus, restituere quidem tenentur, quum sua bona illa non sint, sed accepto pretio, vel alia compositione cum Praelatis habita.* Verum quum Auctor ad aliam ex prima consequentem quaestionem gradum faciat, videlicet utrum emptor restituere bona teneatur, etiamsi Praesul nec pretium reddere, nec compositionem ullam facere velit, et hujusmodi quaestioni affirmative respondeat, videtur profecto id, quod antea affirmaverat, evertere, et non cohaerenter ratiocinari: *Si vero Praelatus quidquam ipsis redimentibus restituere nollet, aut transactionem, vel compositionem ullam facere, adhuc emptores, seu redimentes illi restituere omnino tenerentur, quum bona illa reipsa sint Ecclesiae, ac infortunio suo tribuere, quod emerint rem alienam, eo modo, quo discurrimus de ementibus a fure, quotiescumque ab ipso repetere pretium minime possint.*

Sed quae prius recte constituerat, deinde evertit.

§. 21. Quibus sane diximus Auctorem evertere id quod antea affirmaverat. Superius namque voluerat, emptorem a vero domino pretium recuperare: Nunc autem ipsius domini arbitrio permittens hujusmodi pretium reddere, aut non reddere, vult porro, rem ab emptore, etiam sine pretii recuperatione, restitui. Diximus etiam, eumdem non cohaerenter ratiocinari. Quum enim statuerit, immobilium dominium penes antiquum dominum semper remanere, nec umquam ad emptorem transisse, ex hoc satis aperte consequitur, non quidem rei pretium solvendum esse a legitimo domino, qui eam recuperare intendit; sed potius rem ipsam, sine ulla solutione, aut pretii restitutione, ab eo recuperandam esse, aliter enim rem suam emere cogeretur. Quod si aliquis responderet, id ab aequitate et justitia alienum non esse, quoniam juxta Decreta anni 1630. idem omnino contingit in mobilibus, quae sine solutione pretii a domino recuperari non possunt; respondetur, dominium mobilium, quamvis resolubile, in emptorem transire, qui deinde illa domino pretium offerenti restituere tenetur; id autem minime accidere emptori immobilium, quorum dominium remanet semper apud legitimum dominum. Rerum porro dominium a priore domino ad alterum non transfertur, nisi id aut lex jubeat, aut hominis voluntas praescribat. Emptores autem tam rerum mobilium, quam immobilium, pro eo quod ad legem attinet, aequali prorsus jure censentur. Nulla enim lege praescriptum est, ut dominium rerum sive mobilium, sive immobilium, a vero domino ad illum, qui eas ab invasoribus, ac raptoribus mercatus fuerit, transferatur. Sed differentia, quae inter mobilium, ac immobilium emptorem intercedit, ab hominis voluntate oritur; quia nimirum domini voluntas, ut supra dictum est, illi, non autem isti, favere praesumitur.

Illius ratiocinationis vitium detegitur.

Dominium mobilium in emptorem transferri censetur ex peculiari ratione, quae immobilibus non aptatur.

§. 22. Itaque Decretis anni 1630. nullo

Concluditur immobilia si-

ne repetitione pretii restituenda esse, cum omnibus fructibus.

modo contraire nobis videmur, si asseramus, satis fundatam esse opinionem illam, quae immobilium domino jus tribuit, ut sine ulla pretii restitutione recuperare valeat bona sua, cum omnibus fructibus inde perceptis, ab illo, qui numerata pecunia ea ipsa ab invasoribus emit. Id enim exigit natura belli injusti, in quo hujusmodi bona occupata fuerunt: Id expetit eorum Auctorum sententia, qui optima ratione docent, eum, qui furtivam rem se emere dubitat, aut suspicatur, non posse deinde a domino repetere pretium, quod furi numeravit: *Emptor malae fidei si sibi emit rem, quam vel sciebat, vel dubitabat, seu suspicabatur esse furtivam, non potest a domino illius rei repetere pretium, quod numeravit furi venditori, quoniam talis repetitionis nullum habet justum titulum:* verba sunt Sylvii *in* 2. 2. *Sancti Thomae quaest.* 62. *quaest.* 6. *art.* 6. *conclus.* 3. *pag.* 361. ultimae editionis Antuerpiae: Id exigit opinio communis eorum, qui docent, etiam illum, qui rem furto sublatam, bona fide, vel ab ipso fure, vel ab alio mercatus fuit, teneri eamdem domino reddere, nec solutum pretium ab eo repetere posse; ut videre est apud Sanchez in *Summa lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 2. et apud Bonacinam *tom.* 2. *de restitutione in genere*, *disput.* 1. *qu.* 2. *punct.* 1. *proposit.* 1. *n.* 4. Id ipsum deducitur ex regula, quam sequuntur majora Tribunalia: quorum videlicet auctoritate decernitur, bona immobilia Ecclesiarum ab Haereticis occupata, statim ac ab ipsorum manibus elapsa fuerint, ipso jure redire ad Ecclesias, ad quas pertinebant: uti videre est in Decisionibus *Herbipolen. Monasterii* 10. *Junii* 1707. *et* 17. *ejusdem mensis* coram bon. mem. Caffarellio, confirmatis *in decis.* 562. *n.* 1. *tom.* 5. coram bon. mem. Lancetta Decano. Ita praescribit famigeratus Textus Innocentii III. *in cap. Saepe, de restitutione spoliatorum.* Cum enim Jus Civile beneficium interdicti *Unde vi*, sive restitutionis, concessisset dumtaxat adversus illum, qui per vim alium de possessione dejecerat, et contra ejus haeredem universalem, ut habent *Lex* 1. §. *ult.*, *et Lex* 2. *ff. Unde vi;* minime vero contra illum, in cujus potestatem res furto ablata devenerat, ut patet ex *L.* 7. *ff. eod. tit.;* etiamsi, ille dum rem emit, furtivam eam esse non ignorasset; idque ea ratione, quod interdictum *Unde vi* directe propositum fuerat adversus eum, qui vim intulisset: *Unde tu illum vi dejecisti.* Magno illo

Purgationi spolii jure canonico subjicitur etiam successor particularis.

Pontifici parum tuta visa est haec Juris Civilis dispositio; ideoque decrevit, ut remedium Possessorii *Unde vi* locum etiam haberet adversus illum, qui spolium quidem non commiserat, sed rem, quam alienam ac furto sublata esse non ignorabat, a spoliatore mercatus fuerat: *non obstante Juris Civilis rigore, sancimus, ut si quis de caetero scienter rem talem acceperit, quum spoliatori quasi succedat in vitium etc., contra possessorem et hujusmodi spoliato per restitutionis beneficium succurratur;* Atque sequentem Decreti sui attulit rationem: *Eo quod multum intersit, quoad periculum animae, injuste detinere, aut invadere alienum.* Hoc denique postulat Canonici Juris Adagium, quod est in *in Can. Rapinam* 14. *quaest.* 5. ubi sic legitur: *Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut, cui est ablata, reddatur.*

Praemissa multo magis procedunt contra furtivos occupatores bonorum Eccles.

§. 23. Si autem ea, quae hactenus dicta sunt, locum habent in casu eorum, qui fundos ab injustis invasoribus occupatos emerunt; et hi quidem illos, nullo recepto pretio, restituere tenentur; quanam excusatione tueri se poterunt alii illi, qui, ut refert Archiepiscopus Antibarensis, agros et fundos ad Ecclesias et Monasteria spectantes, ipsi furtim invaserunt, et per occasionem adjacentiae aut vicinitatis usurparunt? Quomodo hi ab obligatione restitutionis, qua manifeste tenentur, se eximere poterunt? Leges Civiles usucapionem longi temporis in rebus furtivis, ob malae fidei vitium, nequaquam admittunt. Cum autem inter antiquos Prudentes orta esset quaestio, an furtum in solis rebus mobilibus, an vero etiam in rebus immobilibus locum haberet; cumque eorum valuisset opinio, qui asserebant, furtum de mobilibus tantummodo intelligendum esse; ulterius deinde progressi, in eo convenerunt, ut si quis, absque vi, licet mala fide, alicujus rei immobilis possessionem usurpasset, non ipse quidem posset hujusmodi rem usucapione suam facere, posset tamen alius, qui ab ipso rem illam bona fide accepisset; ut videre est *in L. furtum* 37. §. 1. *ac in L. sequ. ff. de Usucap.* atque in Institutionibus Justiniani *eodem titulo*. Sed neque hic substitit immoderata laxitas Auctorum Juris Civilis, qui, ad inducendum usucapionis jus, satis habuerunt, bonam fidem initio adeptae possessionis adfuisse; parum solliciti si mala fides deinde supervenisset; ut videre licet *in L.* 48. §. 1. *ff. de acquirendo rerum dominio, et in L.*

Nihil usucapi aut praescribi potest jure Canonico, ubi adsit malae fidei vitium in quacumque temporis parte.

unic. C. de usucap. At Sacri Ecclesiae Canones, nil aliud, quam aequitatem, animarumque salutem respicientes, tot inutiles subtilitates sustulerunt, statuentes, nullam praescriptionem induci, nisi bona fides et initium possessionis, et medium, et finem comitetur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis: quum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae:* Verba sunt Innocentii III. *in cap. ult. de praescriptionibus.* Haec autem bona fides in nemine sane eorum, de quibus nunc sermo est, admitti potest; quum incredibile sit, in toto assertae usucapionis decursu, nullam eis suppetiisse notitiam, quod bona occupata ad Ecclesiam pertinuerint.

Pro derelictis haberi nequeunt bona, quae ab Ecclesia, ob impotentiam, non recuperantur.

§. 24. Quod si praedicti possessores hoc saltem contenderent, se bona hujusmodi retinere posse tanquam a dominis, nimirum ab Ecclesiis et Monasteriis, derelicta, quo casu bona fiunt occupantis, juxta §. *penult. et ult. Institutionum de rerum divisione, et L. 1. et seq. ff. pro derelicto;* in magno quidem errore versarentur. Etenim inter bona derelicta numerari non possunt illa, quae dominus ob impotentiam non recuperat, ut accidit in casu nostro; sed illa dumtaxat, quae quis sponte deserit ac derelinquit, propterea quod eorum possessionem detinere nihili pendit: *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim dominus ejus esse desinit.* Quocirca derelictae nequaquam censentur res, quae a domino navis, ut naufragium effugiat, in mare projiciuntur; et si quis illas lucri causa recuperat, furtum committit: *Alia sane causa est earum rerum, quae in tempestate, levandae navis causa, ejiciuntur; hae enim dominorum permanent; quia palam est, eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.* Haec omnia verba sunt Textus Civilis in citatis duobus ultimis paragraphis Tituli Institut. *de rerum divisione.*

In casu, de quo agitur, cautissime procedendum.

§. 25. En tibi, Dil. Fili, quicquid in unum congerere Nobis datum est, ut quaestionibus ab Archiepiscopo Antibarensi propositis responderemus; quod quidem in summa, sententiae Congregationis de Propaganda Fide, quam Nobis retulisti, consentaneum dici potest; Verum non ideo Nobis plane satis factum esse profitemur. Innuit in suis literis Archiepiscopus, id quod Antibari accidit, in aliis quoque Albaniae Civitatibus contingere, ubi complures sunt Christiani, qui bona immobilia Ecclesiarum aut empta de Turcis, aut de facto occupata possident. Ulterius itaque progreditur prudens ille Praesul; cumque magnopere cupiat aliquam sibi viam patefieri ad pacandas conscientias, illasque a censuris, quibus propter injustam Ecclesiasticarum possessionum detentionem adstrictae sunt, absolvendas; nihilominus aeque vereri se ostendit, ne turbae excitentur, si hodiernis possessoribus, ut justitiae ratio postularet, injungeretur aut fundorum, aut fructuum, vel alicujus portionis eorum restitutio. Animadvertendum quoque est, Antibarum, aliasque Albaniae Civitates, de quibus nunc agitur, sub temporali Othomanica ditione consistere; unde minimum quod metuere possemus, aliqua exoriente perturbatione, id esset, ut prodiret decretum: *uti possidetis, ita possideatis*, quod ad pacandas conscientias nihili valeret; nisi etiam deterius aliquid in Christianorum, Sanctaeque nostrae Religionis perniciem contingeret. Hoc illud est, quod animum nostrum commovet, atque perturbat; nosque eo adducit, ut nisi nova, et certiora nobis suppeditentur indicia, ex quibus intelligamus, quid maxime in praedictis regionibus timeri posset, si huic negotio manus admoveantur, nihil nos statuere posse existimemus de instructionibus, aut facultatibus circa haec Antibarensi Archiepiscopo communicandis. Quod nunc tibi significare possumus, et de quo tibi mandamus, ut ipsam Congregationem certiorem facias, illud est, Nos ita animo esse comparatos, ut suprema, qua fungimur auctoritate, pro Generalis bonorum Ecclesiasticorum Administratoris officio, hujusmodi bonorum possessoribus perceptos fructus condonemus, eosque ad retinendam possessionem fundorum, quamvis injuste occupatorum et detentorum, idoneos reddamus; et ab incursis censuris absolvamus; ne forte Christianae Religionis eversionem intueri in illis regionibus, in quibus, licet sub Turcarum dominatione degentibus, eadem adhuc Deo

Pontifex, si ita res ferent, Apostolica auctoritate ad indulgendum uti non dubitabit.

miserante viget, neve Episcoporum ejectiones, aut innocuorum Christifidelium persecutiones, et vexationes audire cogamur; nobisque tot mala imputari, propterea quod auctoritatem illam in his interponere neglexerimus, quam nobis Deus *in aedificationem, et non in destructionem* largitus est, quaque Praedecessores nostri similibus in casibus uti non dubitarunt.

Facultates olim a Sede Apost. tributae Card. Polo super bonis Ecclesiarum Angliae.

§. 26. Quum tempore Mariae Angliae Reginae, bon. mem. Reginaldo Cardinali Polo gravissima demandata fuisset Provincia, Angliam ipsam Ecclesiae Romanae reconciliandi, Pontifex Julius III. in Brevi expedito *die* 8. *Martii* 1544. facultatem ei concessit, cum his, qui Ecclesiasticorum bonorum possessionem injuste occupaverant, quique ad Ecclesiae Romanae sinum redirent, concordandi et transigendi super fructibus male perceptis, et super mobilibus consumptis: *restitutis prius, si tibi expedire videbitur, immobilibus per eos indebite detentis;* uti videre est *in tom.* 4. Conciliorum magnae Britanniae. *pag.* 42. *col.* 2. At quia in rei executione fortasse compertum est, ejusmodi facultates nimis angustas esse, in alio Brevi expedito *die* 28. *Junii ejusdem anni*, praefato Cardinali plenam ac liberam largitus est potestatem *cum quibuscumque bonorum Ecclesiasticorum tam mobilium, quam immobilium in praefato Regno possessoribus, seu detentoribus, pro quibus ipsa Serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite detentis, arbitrio tuo, auctoritate nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi, et cum eis, ut praefata sine ullo scrupulo in posterum retinere possint, dispensandi; omnia et singula alia, quae in his et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, consulendi et faciendi; salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem haec Sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et praefatae Sedis beneplacito et confirmatione.* Breve hoc editum est *in citato tom.* 4. *pag.* 102. *et* 103. et in Annalibus Raynaldi *ad Annum Christi* 1544. *n.* 8. Praedictus vero Cardinalis, *ne novae inde turbae concitarentur, Ordinibus postulantibus, et urgentibus adactus est publico instrumento, Pontificis nomine et auctoritate, omnes de ejusmodi bonis et possessionibus, quoad poenas et censuras canonicas, in perpetum securos et absolutos declarare:* verba sunt Spondani *ad eumdem an.* 1554. *n.* 4. Hisque consentiunt Sanderus *de Schismate Anglicano l.* 2. *pag.* 349. *edit. Rom. an.* 1586. Davanzatus *in sua Historia Schismatis Anglicani* edita Florentiae *anno* 1628. *pag.* 91. qui omnes pariter conveniunt in celebranda praefati Cardinalis prudentia, qua difficillimum negotium, servata Ecclesiae dignitate, transegit.

Aliae dispensationes, ab eadem concessae in hac materia.

§. 27. P. Schmalzgrueber *in suo citato consilio* 15. *tom.* 2. casum perpendit haeretici Principis, qui Augustanam Confessionem deserens, Catholicam amplectitur Religionem; ac quaerit, quomodo gerere se debeat quoad bona Ecclesiastica, quae auctoritate pacis Westfaliae ab Ecclesia reprobatae possidet; et quidem *ejusdem consil. quaesit.* 2. *num.* 22. concludit, quod *vel restituere illa tenetur, vel ad ea retinenda Apostolicae Sedis dispensationem solicitare,* exemplum afferens Ducis Neoburgi Wolphangi Willhelmi, ac ejus filii Electoris Palatini Willhelmi; et asserens, quod erga conversos ad Fidem Catholicam *adeo benigna esse solet Sedes Apostolica, ut etiamsi justa sit causa, retentionem illorum,* idest immobilium Ecclesiae bonorum, *ipsis dispensative concedat.*

Quid Clem. XI. edixerit de bonis Ecclesiarum Saxoniae.

§. 28. Denique Praedecessor noster Clemens Papa XI. ad Augustum II. Poloniae Regem in Literis datis *die* 10. *Nov. an.* 1712. *in tom.* 2. *illius Brevium editorum pag.* 243. ut eum ad promovendam Fidei Catholicae propagationem in suis Saxoniae ditionibus excitaret, ita scripsit: *Certam reddimus Majestatem tuam, quod neque a te, neque a tuis Successoribus Catholicis, aut ab aliquo alio, qui sanctam ibi Religionem nostram amplexurus sit, Nos unquam illorum bonorum, quae per Saxoniam antiquitus ad Ecclesias pertinebant, restitutionem postulaturi sumus: quinimmo ad pacandas conscientias eorum, qui illa occupant, si haeresi ejurata, ad Catholicam Fidem redire constituant, nos ipsis praefata bona omnia in perpetuum condonabimus; idque ea ratione ac forma exequemur, ut ne a nostris quidem Successoribus in posterum quicquam adversus haec postulari queat.* Atque hoc promissum adimplens Clemens XII. in sua Constitutione, quae incipit *Sedes Apostolica, num.* 67. *in tomo* 13. *novi Bullarii Romae editi,* illis Saxoniae incolis, qui bona ad Ecclesias antiquitus pertinentia possidentes, haeresim aut ejurassent, aut ejuraturi forent, concessit, ut bona, quae possidebant, retinere, ac de illis, tanquam de rebus suis, disponere libere possent; omnesque praeterea fructus ex ipsis antea perceptos illis condonavit.

Quid Clem. XII super iisdem statuerit.

Quod ad errantes reducendos praestitum fuit, idipsum ad nutantes retinendos fieri potest.

§. 29. Allata haec exempla nostro sane casui per omnia nequaquam similia esse cognoscimus; ibi enim agebatur de impedimento removendo ab illis, qui Sanctae Romanae Ecclesiae gremium ingredi cupiebant; hic autem sermo est de hominibus, qui nostrarum partium sunt, quique Christiana et Catholica professione censentur. Verumtamen rationis fundamentum idem omnino in allatis exemplis, ac in nostra facti specie, Nobis esse videtur; ut scilicet suprema Apostolica auctoritas adhibenda sit in gravibus, publicis, ac urgentibus casibus, quibus per ordinariae auctoritatis usum satis provideri nequit. Eos vero, qui recedendi a Nobis tentatione solicitari possent, a praecipiti casu, quantum fas est, remorari, si non idem est, ac viam sternere illis, qui ad Nos accedere cupiunt, non multum sane ab eo differre Nobis videtur. Haec habebamus Tibi significanda: Tibique dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die 19. Mart. 1752.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die XIX. Martii MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

LVIII. DAMNATIO,

Et prohibitio cujusdam Folii continentis Theses, quas in Sorbona defendendas proposuit Joannes Martinus de Prades Sacerdos Moltalbanensis sub titulo: *Hierusalem Coelestis. Quaestio Theologica: Quis est ille, cujus in faciem Deus inspiravit spiraculum vitae? Gen.* 27.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Commissa Nobis a Salvatore Nostro JESU CHRISTO Gregis sui cura exigit, ut Animarum periculis, et detrimentis, quae ex pravae doctrinae conatibus ad labefactandam Christianam Fidem pertinentibus oriuntur, Pastorali solicitudine, quantum cum Domino possumus, occurramus.

Folii censura, damnatio, et prohibitio.

§. 1. Cum itaque, sicut ad aures nostras pervenit, in lucem prodierit Folium quoddam quamplures continens Theses, quas in Sorbona defendendas proposuit Joannes Martinus de Prades Sacerdos Moltalbanensis sub titulo: *Hierusalem Coelestis. Quaestio Theologica: Quis est ille, cujus in faciem Deus inspiravit spiraculum vitae? Gen.* 27. Nos Folium hujusmodi nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris examinandum commisimus; quorum censura audita atque perpensa, Folium praedictum tanquam continens propositiones respective falsas, piarum aurium offensivas, male sonantes, temerarias, erroneas, blasphemas, impias, haeresi proximas, haereticas, ac faventes Deistarum, ac Materialistarum erroribus, auctoritate Apostolica, tenore praesentium damnamus, et prohibemus: ita ut nemo deinceps, cujuscumque gradus, et conditionis existat, etiam speciali, et specialissima nota dignus, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, illud legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, seu praesumat; sed sub eadem poena quicumque illud habent, Locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus haereticae pravitatis, statim atque praesentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur; Hi vero exemplaria sibi sic tradita, illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Publicationis effectus, et fides habenda praesentium Transumptis.

§. 2. Ut autem eaedem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illorum ignorantiam allegare possit; Volumus, et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; Sic vero publicatas, omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, ac intimatae fuissent; et ipsarum praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in Judicio, quam extra illud ubique Locorum haberi, quae haberentur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae.

Dat. die 22. Mart. 1752.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Martii MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passionеus.

Publicat. eodem die, mense, et anno.

LIX. VATICANÆ BASILICÆ

Et illius Archipresbyteri, Capituli, et Cleri praecipua Privilegia et Jura recensentur, instaurantur, et Apostolica auctoritate confirmantur; Iisdemque nova Privilegia, et gratiae conceduntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Praecipua Romae laus ab Apostolorum Principe.

Ad honorandam memoriam Beatissimi Apostolorum Principis, cujus praedicatione Urbs haec ad Christi fidem conversa Martyrio consecrata, Sepulcro illustrata est, cujus patrocinio stabilitatem, cujus auctoritate in universa Ecclesia primatum obtinet, incenso jampridem animo ferebamur; non solum ob debitum gloriosissimo Ecclesiae Principi venerationis obsequium, quo permoti plurique Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ad tuendum augendumque Vaticanae Basilicae splendorem ac decus, ejusdemque jura et ornamenta amplificanda, operam auctoritatemque suam quadam veluti pietatis et munificentiae contentione, conferre certarunt; verum etiam peculiari devotionis nostrae studio impulsi, et jucundissima illius temporis recordatione, quo, inter ejusdem Basilicae Canonicos adscripti, coram Beati Apostoli Confessione, Omnipotenti Deo in Hymnis et Canticis Matutinum Vespertinumque Sacrificium labiorum nostrorum ineffabili affectu suavitatis obtulimus. Et quamvis hujusce animi nostri erga Beati Petri Apostoli honorem et cultum, ipsiusque Ecclesiae decorem atque utilitates magnopere propensi, plures atque perspicuas jam ediderimus significationes: quum tamen eas probe nosceremus cum amplissimis beneficiis a plerisque Praedecessoribus nostris in eamdem Basilicam effuse congestis, nullo modo esse comparandas, vehementer optabamus aliquam Nobis occasionem praeberi, qua Nobis liceret illustre aliquod amoris studiique nostri in ea statuere monumentum, suprema dignum auctoritate, quam inscrutabilis Dei providentia Nobis cum Apostolici culminis haereditate concessit: ut sicuti assidua quondam erga B. Apostolorum Principem ministerii nostri extiterunt obse-

Gratus Pontificis animus erga Basilicam D. Petri.

quia, ita, dum ad ipsius successionis fastigium, meritis licet imparibus, evecti sumus, collata Nobis potestas in ejusdem honorem aliqua saltem ex parte referretur: ipsiusque Ecclesia, quae olim officiosam filii pietatem in Nobis experta fuit, paternae nunc charitatis nostrae fructus in se derivari sentiret.

Jura et privilegia Basilicae memoria repetit et expendit.

§. 2. Itaque memoria repetentes, pro ea notitia, quam de Vaticanae Basilicae rebus, ex diuturna munerum ab ejus Capitulo Nobis injunctorum administratione, olim acquisivimus, complura ipsius jura et privilegia existere, diversis temporibus et titulis, jure meritoque ipsi tributa; quorum aliqua, ad ipsius Basilicae decus, clariori in luce collocanda, aliqua vero nonnunquam aliorum controversiis, frustra licet, impetita, novo tandem Apostolicae confirmationis robore constabilienda viderentur; Idcirco plerasque et illustriores ejusdem Basilicae praerogativas Nobis ob oculos repraesentari jussimus, earumque origine, usu, et possessione mature perpensis, necnon ipsarum cum justitia et Canonicis legibus consonantia penitus perspecta, plures ex illis, licet firmissimis titulis, et non interrupta possessione fundatas, hac nostra perpetuo valitura Constitutione expresse complecti; nonnullas vero, quas aliquando in dubium revocari contigerat, de Apostolicae potestatis plenitudine asserere et confirmare; alias demum Motu proprio, non ad alicujus oblatae Nobis petitionis instantiam, sed ex mera nostra liberalitate, et certa scientia, ac voluntate, eidem Basilicae, ejusque Archipresbytero, Capitulo, et Clero, ex integro tribuere, et concedere decrevimus, prout in Domino judicavimus salubriter expedire.

Ea partim auct. Apost. confirmaturus, partim concessurus ex integro.

Praeconia Basilicae a suis Praedecessoribus usurpata innituit.

§. 3. Et quoniam amplissima honoris praeconia, quibus complures ex Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Vaticanam Beati Petri Basilicam tanquam dilectam Sponsam, ac splendidissimam Apostolicae dignitatis Sedem, cumularunt, eorum Apostolicis literis, ac perennibus monumentis consignata reperiuntur; praecipua vero ipsius Basilicae jura, privilegia, atque statuta, quorum complexu ejusdem status, dignitas, et regimen consistit, plurium quoque Romanorum Pontificum cura et solicitudine jamdudum constituta et coordinata noscuntur; novissime vero a fel. rec. Decessore nostro Clemente Papa XI. per Apostolicas literas sub Annulo Piscatoris die V. Se-

ptembris Anno MDCCI. datas, in genere confirmata fuerunt; Nos quoque generaliter praedicta omnia jura, privilegia, exemptiones, praerogativas, gratias, et indulta quaecumque, memoratae Basilicae, ejusque Capitulo et Canonicis, a praefatis Praedecessoribus nostris quomodolibet concessa, et respective confirmata, consuetudines quoque, atque statuta, dummodo sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, neque posterioribus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, aut sacris Canonibus, vel Concilii Tridentini Decretis adversentur, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen auctoritate Archipresbyteri, et Capituli, in his, quae ab ipsorum arbitrio, et facultatibus pendere dignoscuntur; eademque jura, privilegia, gratias, et indulta hujusmodi semper firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et quandocumque spectabit perpetuis futuris temporibus, in omnibus et per omnia volumus suffragari.

Jura, privilegia, et consuetudines a Clem. XI. confirmata in genere, pari modo confirmat.

§. 4. Ac perpendentes cum recolendae mem. Praedecessoribus nostris Innocentio III. Gregorio IX. ac Innocentio VI. minime conveniens esse, ut in praedicta Vaticana Basilica, quae speciale Sedis Apostolicae membrum, ac Pontificiae dignitatis ornamentum et domicilium existit, *ullus omnino, praeter auctoritatem Romani Pontificis, aliquam sibi vindicet potestatem*, propterea ipsam Basilicam, ejusque Ædificia, ac Seminarium, nec non pro tempore existentes illius Capitulum et Canonicos Beneficiatos, Clericos, Ministros, et Seminarii praedicti Alumnos, aliasque personas ejusdem Basilicae servitio pro tempore addictas, durante servitio hujusmodi, et in his, quae ad praedictum servitium pertinent, ab omni et quacumque superioritate, obedientia, correctione, visitatione, gubernio, aut alia quavis spirituali jurisdictione tam ordinaria, quam delegata, cujuscumque Superioris, ac etiam pro tempore existentis nostri et Romanorum Pontificum Successorum nostrorum in Urbe ejusque Districtu Vicarii in spiritualibus Generalis auctoritate et tenore praedictis eximimus, et perpetuo exemptos esse et fore decernimus; Illosque sic exemptos, Nobisque et Sedi Apostolicae immediate subjectos, sub speciali nostra, et praedictorum Successorum nostrorum tutela et protectione recipimus, et immutabiliter constituimus.

Subjectionem Basilicae immediatam S. Sedi praecipue adstruit.

Una cum personis omnibus ejus servitio addictis.

§. 5. Jurisdictionem autem quoad praemissa in spiritualibus Ordinariam in eamdem Basilicam, ejusque Seminarium, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Alumnos, Ministros, aliosque omnes ipsi quomodolibet inservientes, una cum omnibus et singulis jurisdictionibus, potestatibus, et privilegiis, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, antelationibus, indultis, auctoritatibus, et facultatibus, quae alias per fel. rec. Paulum III., Pium IV., Sixtum V., Paulum etiam V., Urbanum VIII., Clementem IX., Clementem XI., et alios quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, bon. mem. Alexandro Cardinali Farnesio, et successive Evangelistae Cardinali Consentino, ac Scipioni Cardinali Burghesio, et Francisco Cardinali Barberino, ac Carolo Cardinali etiam Barberino, et Francisco Cardinali Nerlio, ac Hannibali Cardinali Albano Sancti Clementis, respective nuncupatis, dum viverent, dictae Vaticanae Basilicae Archipresbyteris, nuper vero per Nos ipsos dilecto Filio nostro Henrico Tituli Sanctae Mariae in Porticu nuncupatae, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali, Duci Eboracen. nuncupato, Archipresbyteratum ejusdem Basilicae ex concessione et dispensatione nostris in Commendam ad sui vitam obtinenti, ac eorum singulis, tanquam dictae Basilicae Archipresbyteris, et quoad Basilicam et Ecclesiam praedictam, etiam illorum personae intuitu, vel ad eorum vitam dumtaxat, in genere vel in specie concessa sunt, et concedi consueverunt; volumus in posterum ipsius Archipresbytero praedicto nunc existenti, ejusque in perpetuum in Archipresbyteratus dignitate Successoribus, tam per se ipsos, quam per suos respective Vicarios ab illis pro tempore deputandos, auctoritate Apostolica exercenda, praesentium literarum mansuro vigore competere; itaut futuri pro tempore Vaticanae Basilicae Archipresbyteri, vigore literarum Apostolicarum super concessione Commendae dicti Archipresbyteratus, seu illius collatione et provisione, expeditarum, statim post adeptam pacificam ejusdem Archipresbyteratus possessionem, hujusmodi spiritualem jurisdictionem, tanquam Archipresbyterali Dignitati perpetuo

Jurisdictionem spiritualem Archipresbytero antiquam confirmat.

Ac dignitati, non personae, adnexam vult in posterum.

adnexam, quoad praemissas res atque personas exercere; servata tamen forma Constitutionis piae mem. Innocentii Papae XII. etiam Praedecessoris nostri super suppressione, abolitione, et abrogatione Tribunalium et Judicum particularium Urbis, ac reductione privilegiorum, et eorumdem Tribunalium ad jus commune, sive ad Judices Ordinarios Romanae Curiae, editae de anno MDCXCII., quam Nos per aliam nostram Constitutionem xv. Kalendas Martii Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno II. datam expresse confirmavimus, atque innovavimus; eisdemque juribus, privilegiis, et facultatibus uti et frui libere et licite possint et valeant; absque eo quod alias peculiares literas, seu concessiones a Nobis aut a Successoribus nostris, super his petere et impetrare, seu desuper expedire teneantur.

Ordinationes ad quosvis Ordines minores et majores privative, et libere illi asserit pro omnibus Basilicae addictis.

§. 6. Proindeque, ut iidem Canonici, Beneficiati, Clerici, Alumni, et Ministri praedicti, ab eodem Archipresbytero, ejusque in Archipresbyteratus dignitate pro tempore Successoribus quibuscumque, quatenus Episcopali charactere praediti sint, vel de ipsorum licentia tantum, nec alias, a quocumque Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, per eum, eosque deputando, ad omnes, etiam sacros, et Presbyteratus Ordines promoveri, et tam ipse Archipresbyter, ejusque in Archipresbyteratus dignitate Successor, quam Antistites ab eo deputati, eosdem Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Alumnos, et Ministros, re ipsa actu inservientes, ut supra, absque nostra, vel Successorum nostrorum, aut nostri in Urbe, ejusque districtu Vicarii in Spiritualibus Generalis, vel cujusvis alterius, etiam eorum originis, Ordinarii licentia, dimissoriis, aut examine; Convictores vero Seminarii praedicti, accedentibus ipsorum respective Ordinariorum licentia, ac dimissorialibus literis, ad praemissos omnes Ordines, servatis de jure servandis, promovere licite possint ac debeant, praesentium tenore perpetuo concedimus et indulgemus.

Ac etiam pro Seminarii Convictoribus, accedente Ordinariorum licentia, et dimissoriis.

Examinatores e gremio Capituli deputandos de more constituit.

§. 7. Idcirco idem Archipresbyter, ejusque Successor Archipresbyteri praefati, ex ejusdem Capituli gremio tres aut plures pro tempore Examinatores, in Sacra Theologia, vel in Jure Canonico Magistros, sive Doctores, deputare possint, ac debeant, quorum munus sit, praedictos Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Alumnos, sive Convictores, ut supra, atque Ministros, ad quecumque, etiam Sacrum et Presbyteratus Ordinem promovendos, sive ordinandos, juxta Concilii Tridentini Decreta, examinare, atque probare, prout hactenus laudabiliter factum esse novimus, et Nos ipsi, dum ejusdem Basilicae Canonicatum obtinebamus, plures annos hujusmodi Examinatoris officium sustinuimus. Idemque pro tempore Archipresbyter possit cum praedictis Canonicis, Beneficiatis, Clericis, Alumnis, aliisque praedictae Basilicae Inservientibus, super observantia interstitiorum ad Ordines praedictos suscipiendos, justis de causis, dispensare; atque ipsis, in quolibet Ordine constitutis, ministrandi, celebrandique licentiam tam in praedicta Basilica, quam in quibuslibet aliis Saecularium, aut Regularium Ecclesiis in Urbe et extra Urbem, per Literas Dimissoriales, quam quidem tam ab ipsis Archipresbyteris, quam ab eorum pro tempore Vicariis confectas atque subscriptas, ubique admittendas fore decernimus, valeat impertiri.

Altarium Consecrationes, benedictiones, aliaque Pontificalia, Archipresb. et Capitulo confirmat.

§. 8. Item Consecrationes Altarium ejusdem Basilicae, nec non Ecclesiarum, quae inter ipsius Basilicae membra connumerantur, et Altarium in ipsis existentium, sacrorum quoque utensilium ac vestimentorum benedictiones, ab eisdem Archipresbyteris, sive ab eorum Vicariis Episcopis, aut aliis Antistibus, vel etiam, quoad ea, in quibus Sacra Olea non adhibentur, ab aliquo ex Canonicis praedictae Basilicae Presbytero, de ipsorum tamen Archipresbyterorum mandato et delegatione, fieri possint; ac demum tam Ordinationes praedictas, quam caetera Pontificalia munia sive functiones, ab eodem Archipresbytero nunc existente, ejusque in Archipresbyterali dignitate Successoribus quibuscumque, sive per se ipsos, sive per suos respective Vicarios, qui Episcopali charactere sint insigniti, ac etiam per alios Episcopos, Archiepiscopos, aut Patriarchas de gremio Capituli, vel, his deficientibus, etiam per alios extraneos Antistites quoscumque, de licentia tamen ipsius Archipresbyteri, in praefata Basilica tantum exerceri posse, perpetuo statuimus, atque decernimus. Quin etiam, vacante hujusmodi Archipresbyteratus dignitate, omnia Pontificalia munia hujusmodi, sive functionis, exceptis Ordinationibus praedictis, et excepta collatione Sacramenti Confirmationis, de quo inferius

Eadem, vacante Archipr., concedit Capitulo, praeter Ordinationes, et Confirmationes.

agemus, pro rerum et temporis oportunitate, de Capituli dumtaxat licentia, ab aliquo Antistite, ut praefertur, de ejusdem Capituli gremio, atque etiam ab extraneo, si ab Episcopo de ipsius Capituli gremio impleri nequeant, in eadem Basilica pariter exerceri posse concedimus: Innovantes insuper, et perpetuo confirmantes Praedecessorum nostrorum Innocentii VI., et Urbani V. Privilegium, quo eamdem Basilicam sanguinis aut seminis effusione forte violatam, a Canonico Altarista, seu antiquiori Canonico in Presbyteratus Ordine constituto, cum aqua tamen ab aliquo Antistite rite benedicta, reconciliari posse indulserunt.

Privil. reconciliat. Basilicae Altaristae et Canonico antiquiori asserit.

§. 9. Praesertim vero veterem observantiam, plurium Romanorum Pontificum, ac potissimum Joannis XIX., Benedicti IX., Innocenti III., et Gregorii IX., vigentibus ad hanc diem privilegiis et concessionibus inductam, ac perpetuo usu, et immemorabili consuetudine firmatam, qua in eadem Basilica singulis annis Feria V. in Coena Domini, tum sancta Infirmorum et Catechumenorum Olea, tum etiam Sacrum Chrisma, ab ipsius Archipresbytero, sive ejus pro tempore Vicario in Episcopali gradu constituto, vel ab alio Antistite, de Archipresbyteri praedicti licentia, rite confici, et benedici, pluribusque Ecclesiis Parochialibus, tam ejusdem Vaticanae Basilicae Filiabus, quam aliis quibusdam non Filiabus, distribui consuevit, auctoritate nostra confirmamus, et quatenus opus sit, praesentium tenore innovamus, et in perpetuum stabilimus; volentes, ut omnes et singuli Rectores vel Parochi sive Curati Ecclesiarum, tam videlicet earum, quas inter praedictae Basilicae filiales infra recensebimus, aliarumque, si quae sunt, aut in posterum Filiales existent, quam aliarum quomodolibet eidem Basilicae subjectarum, praesertim Sanctae Mariae in Transpontina nuncup., et tam Ecclesiae, quam Hospitalis S. Spiritus in Saxia, et caeterarum omnium, quae vel expressis Praedecessorum nostrorum legibus, vel recepta consuetudine ad id teneri dignoscuntur, hujusmodi sacrorum Oleorum confectioni in die Coenae Domini, nec non Benedictioni Fontis Baptisterii in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, singulis annis, ut praefertur, interesse, vel si ipsi legitimo impedimento detenti fuerint, alios respective Presbyteros ad ipsorum vices in hujusmodi sacris Functionibus decenter sustinendas, mittere; iidemque Rectores vel Parochi seu Curati Olea praedicta ab ipsa Basilica quotannis in sacros Ecclesiarum suarum usus asservanda atque utenda recipere, teneantur; et quatenus opus sit, opportunis praeceptis et poenis, arbitrio Archipresbyteri statuendis, adigantur. Neque vero propter hujusmodi praesentiam ab ipsis praestitam, vel propter praedictorum sacrorum Oleorum receptionem, ab ullo quomodolibet, sive judicialiter, sive extrajudicialiter molestari possint, vel ad aliam quamcumque Ecclesiam aut Basilicam pro hujusmodi praesentia praestanda accedere, aut praedicta sacra Olea ab alia qualibet recipere compellantur.

Vetustissimum jus conficiendi Chrismatis et SS. Oleor. confirmat in perpetuum.

Cum interventu Parochorum Ecclesiar. filial. et alias subjectar. Basilicae, per se, aut per substitutos.

§. 10. Huic porro juri sacrorum Oleorum et Chrismatis conficiendorum, consequens est, ut Sacramentum Confirmationis in ipsa Basilica, et ab illius pro tempore Archipresbytero, sive ab illius Vicario Episcopo, aut etiam de ipsius licentia, ab alio quolibet Antistite, ministrari et conferri possit. Quod quum eidem Archipresbytero ab antiquissimis temporibus licuisse constet, et quidem, quod attinet ad personas ejusdem Basilicae ministeriis addictas, illique actu inservientes, in contradictorio quoque judicio coram Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum habito, eidem Archipresbytero, sive per se, sive per alium ab ipso deputatum, indistincte licere definitum fuerit, cum subsequuta contradicentium acquiescentia; Nos hujusmodi Resolutionem sive Decretum a tunc existentibus Congregationis praedictae Cardinalibus die XV. Februarii anni MDCXLVIII. latum, et a fel. rec. Praedecessore nostro Innocentio Papa X. approbatum, mox etiam a recol. mem. Clemente Papa X. Praedecessore pariter nostro per Literas in forma Brevis die XXVIII. Junii anni MDCLXXV. editas iterum confirmatum, quatenus praedictam Archipresbyteri facultatem, admittit, auctoritate quoque nostra roboramus, et quoad praedictos Basilicae Vaticanae Ministros eidem actu ministrantes et inservientes, ejusdemque pro tempore Archipresbyteri jurisdictioni in spiritualibus subjectos, debitae executioni demandari, ac perpetuo inviolabiliter observari praecipimus. Quod vero spectat ad alias personas, quae neque sunt de ipsius Vaticanae Basilicae gremio, aut illius servitiis addictae, neque Archipresbyteri praedicti jurisdictioni subsunt, plenis-

Jus periode antiquum Confirmationis Sacr. conferendi ad examen revocat.

Ad Basilicae inservientes quod attinet, illud probat, et confirmat.

Pro reliquis Archipresbyteri jurisdictioni non subjectis, controver-

um fuisse, esse adhuc eclarat.

sime Nobis cognita atque perspecta est lis et controversia, quae diu agitata fuit, quaeque adhuc indecisa pendet, super jure conferendi Sacramentum Confirmationis personis hujusmodi in Vaticana Basilica. Ex quo siquidem rec. mem. Praedecessoris nostri Clementis Papae XI. beneficio in eadem Basilica Canonicatum et Praebendam adepti fuimus, quum ipsius Archivi praefectura Nobis a Capitulo demandata fuisset, id munus per annos quatuordecim, nimirum usque ad nostram promotionem ad Anconitanam Ecclesiam, retinuimus. Cumque propterea Nobis a praedicto Clemente XI. Praedecessore injunctum fuisset, ut quaecumque ad hujusmodi Confirmationis negotium coram diversis Judicibus vario eventu discussum pertinerent, in unum redacta, eidem consideranda exhiberemus, vel potius ea, quae olim ipsiusmet Pontificis tunc in minoribus ejusdem Basilicae Vicarii, deindeque Canonici, opera ac studio digesta et ordinata fuerant, eidem in memoriam revocaremus;

Causae momenta ejusque posteriorem exitum narrat.

Nos quidem omnibus investigatis atque collectis, totam ipsi exposuimus rationum summam, ob quas contendebatur licitum esse in Ecclesia S. Petri in Vaticano Sacramentum Confirmationis omnibus Civitatem Leoninam usque ad Septimianum incolentibus, idemque Sacramentum recipiendi causa ad ipsam Ecclesiam confluentibus conferre. Quarum rationum momenta, quum olim anno MDCXLI. Congregatio S. R. E. Cardinalium, ac Romanae Curiae Praelatorum ad cognoscendas causas in Apostolica Visitatione occurrentes deputatorum agnovisset, ac decreto edito comprobasset, hujusmodi Decretum ab Urbano Papa VIII. confirmatum fuerat per Literas in forma Brevis datas die XV. Januarii Anni MDCXLII. Et quamvis deinceps concessa adversus hasce Urbani literas aperitionis oris, causaque ad aliam Congregationem ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum delata, resolutio prodiisset, quae hujusmodi facultatem limitavit et coarctavit ad eas tantum personas, quae in ministeriis ipsius Basilicae, ut supra diximus, actu inservirent, atque haec pariter resolutio a Clemente Papa X. per speciales Literas in forma Brevis confirmata fuisset; nihilominus adversus has quoque literas aperitio oris concessa fuerat a venerabilis mem. Innocentio Papa XI. sub die XXIV. Junii anni

Ejusdem statum praesentem proponit

MDCLXXXV., cujus obtinendae in primis auctor extitit ipse Praedecessor Clemens XI., dum in eadem Vaticana Basilica, ut supra diximus, Vicarii munus exercens, Archipresbyteri et Capituli preces atque rationes eidem Innocentio XI., supplici Libello a se diserte exarato, porrexerat. Cum autem post haec, hujusmodi controversia, quae ad eamdem Congregationem Concilii Tridentini, rescripto ejusdem Innocentii XI. Praedecessoris remissa fuerat, usque ad ipsius Clementis XI. Pontificatum indecisa conquievisset, in animo quidem ipsi erat, pro sua sapientia et auctoritate, tunc eam dirimere, fineque debito terminare. Sed quoniam gravissimorum negociorum, quae supervenerunt, cura et solicitudine detentus, ipse id, quod optabat, praestare non potuit, integrum Nobis reliquit, aliquam hujusmodi controversiae in perpetuum extinguendae rationem excogitare. Quam quidem, matura deliberatione praehabita, praesentium tenore edicimus, et promulgamus, ac de Apostolicae potestatis plenitudine in posterum observari mandamus: In primis videlicet praedictam controversiam, litem, et causam, inter dilectos filios Capitulum et Canonicos S. Joannis in Laterano ex una, et Archipresbyterum, Capitulum, et Canonicos S. Petri in Vaticano Patriarchalium Urbis Basilicarum ex altera partibus, super jure et facultate conferendi Sacramentum Confirmationis in saepedicta Vaticana Basilica, coram praefata Congregatione Concilii Tridentini, vel in alio quovis Tribunali coram quocumque Judice, et in quacumque instantia pendentem, (cujus statum, merita, et alia quaecumque etiam de necessitate juris, vel facti omnino exprimenda, nec non utriusque Capituli et Ecclesiarum praedictarum jura, privilegia, indulta, concessiones, et literas Apostolicas, eorumque plenos et integros tenores, praesentibus pro sufficienter expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis haberi volumus) Motu, scientia, et potestatis plenitudine praefatis, harum serie ad Nos avocamus, penitusque et omnino supprimimus, perpetuumque desuper silentium praedictis partibus, aliisque quibuslibet in praemissis jus aliquod seu interesse habentibus, vel habere praetendentibus, imponimus, atque os occludimus.

Causam denique istam adhuc indecisam definire statuit.

Idcirco eam ad se avocat, perpetuo partibus silentio indicto.

§. 11. Volumus autem, Sacramentum Confirmationis in Lateranensi quidem Basilica per-

Provide disponit, ut in Lateranen.

Basilica Sacramen. Confirmationis administretur, omni tempore a Card. Vic. Urbis, aut Vices., seu per illum delegato.

petuis futuris temporibus de more administrari a Cardinali pro tempore Romani Pontificis in Urbe ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, vel ab ipsius Vicesgerente, aut ab alio Antistite, quem ipse Vicarius praedictus, pro suo arbitrio, ad id deputaverit, idque toties, quoties, quibusque temporibus, atque diebus ipsi Vicario opportunum videbitur. Sed insuper moderno et pro tempore existenti S. R. E. Cardinali Vaticanae Basilicae Archipresbytero, non tam ratione veterum titulorum, jurium, privilegiorum, atque consuetudinum, quae tamen Nobis plene cognita esse supra memoravimus, quam vigore novae hujus concessionis, quam motu proprio ipsi, ejusdemque in Archipresbyteratus dignitate Successoribus quibuscumque, de Apostolica liberalitate tribuimus, praesentium tenore perpetuo concedimus et indulgemus, ut singulis annis infra Octavam Natalitiae Solemnitatis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli principalium hujusce Almae Urbis Patronorum, singulis videlicet septem diebus dictam Solemnitatem immediate sequentibus, in praedicta Vaticana Basilica, per se ipsum, si ipse Episcopali gaudeat charactare, sin minus, vel etiam si ipse aliquo impedimento detineatur, per suum Vicarium Episcopum, aut per alium Antistitem de gremio Capituli, vel, his deficientibus, etiam per alium quemlibet Antistitem ab ipso deputandum, omnibus et singulis non solum Vaticanae Basilicae inservientibus, atque ipsius Archipresbyteri jurisdictioni, ut praefertur, subjectis, et non solum ex civitate Leonina nuncupata, aut ex Septimiano praedictis, sed etiam ex ceteris Urbis Regionibus quibuscumque, et alias undecumque in hunc finem confluentibus, Sacramentum Confirmations perpetuis futuris temporibus administrare et conferre libere et licite possit et valeat.

In Vaticana septem tantum diebus, Natale SS. Apostolorum Petri et Pauli subsequentibus a Card. Archipresb. aut per eum delegato, omnibus undique ex Urbe confluentibus.

Idque, tum ad augendum cultum SS. Apostolorum ad veteris disciplinae memoriam servandam.

§. 12. Qua in re non tam nostro erga praedictam Vaticanam Basilicam amori studioque indulgemus; nec eo tantum consilio ad id adducimur, quo Sanctorum Apostolorum cultum in hac Alma Urbe magis magisque augeri, eorumque Festivitatis Octavam in ipsa Urbe solemnis concelebrari cupientes, aliis nostris Apostolicis Literis pridie Kalendas Aprilis an. MDCCXLIII. datis plura praescripsimus per eos dies a singulis Romanae Curiae Ordinibus, et Cleri, Populique coetibus adimplenda; sed peculiari quadam ratione movemur, quam Nobis sacrae antiquitatis monumenta suppeditant; ut scilicet in ea Basilica, in qua et olim, ex praedictorum Romanorum Pontificum delegatione, Sacramentum Baptismi solemniter in Sabbato Sancto administratum fuisse constat, et nunc etiam, ex veteri approbataque consuetudine, de qua inferius verba faciemus, Baptismus idem omnibus indistincte, et quolibet anni tempore confertur; in eadem etiam Sacramentum Confirmationis, quod olim regeneratis statim post Baptismum conferebatur, aliquibus saltem anni diebus, omnibus pariter optantibus, ab ipsius Basilicae Archipresbytero, vel ab alio, ut praefertur, ab eo deputato, vigore specialis concessionis, et peculiaris privilegii eidem impertiti a Romano Pontifice, sub cujus immediata jurisdictione praedicta Basilica existit, administrari possit atque conferri. Huc accedit, quod sicuti gloriosissimi Apostoli Petrus et Joannes, in ipsis Ecclesiae nascentis exordiis, primi ab Apostolico Collegio adhuc Hierosolymis agente in finitimas Regiones ablegati fuerunt, ut per eorum ministerium, et manuum impositionem, novelli credentes acciperent Spiritum Sanctum, quemadmodum Liber Actuum testatur; ita maxime congruum Nobis visum est, ut in duabus Patriarchalibus Romanae Urbis Ecclesiis, quae in eorumdem Apostolorum honorem atque memoriam Omnipotenti Deo dicatae, caeteris Urbis et Orbis Ecclesiis dignitatis et gloriae praerogativa antecellunt, Coelestium Charismatum fontes ad perennem Ecclesiae edificationem Christifidelibus perpetuo paterent.

Attamen speciale id Privilegium esse declarat Rom. Pontif., sub cujus immediata jurisdict. est Basilica.

§. 13. Ut autem omnia, quae ad praedicti Sacramenti administrationem pertinent, rite recteque impleantur atque serventur, volumus atque praecipimus, ut in eadem Vaticana Basilica, et in loco ad id decenter aptato inter Altare Cathedrae S. Petri, ejusque Confessionem, vel alibi, pro rerum et temporis opportunitate, intra eamdem Ecclesiam, singulis praedictis diebus, horis antemeridianis, et ad populi commodum opportunis, Sacramentum Confirmationis administretur; praemissa semper in singulis diebus hujusmodi, ad instructionem Confirmandorum, apta et gravi oratione, per aliquem de clero Vaticano, quem praefatus Cardinalis pro tempore Archipresbyter ad id deputaverit, peragenda, super ipsius Sacramenti sanctitate atque praestantia. Et sicut hactenus regestum eorum, qui in ipsa Basili-

Ordinem ea occasione servandam praescribit.

ca confirmati fuerunt, ab Archivi Capitularis Custode servari consuevit; ita ab eodem in posterum authenticum omnium Confirmatorum hujusmodi Regestum in ipso Archivo diligenter retineatur, et asservetur; ex quo, ad petentium instantiam et opportunitatem, authentica pariter Testimonia, seu Fides, exttahi possint, atque uno verbo omnia et singula observentur, et impleantur, quae circa collationem et administrationem Sacramenti Confirmationis, providis Ecclesiae regulis praescripta reperiuntur.

Ex cunctis Urbis regionibus infantes baptizandos statuit in Basilica.

§. 14. Baptismi vero Sacramentum in eadem Vaticana Basilica non solum Infantibus intra peculiares ipsius Parochiae fines in lucem editis; sed, ut superius innuimus, aliis etiam quibuslibet, tam in Urbe, quam extra illam natis (quorum quidem plurimos, ob venerationem Beatissimi Apostolorum Principis, a piis parentibus ad ipsius Ecclesiam baptizandos deferri constat) libere et licite administrari, tum veteri omnium ferme saeculorum usu et obversantia receptum est; tum etiam in sacris Visitationibus, et praesertim in ea, quam anno MDCXXV. fel. rec. Urbanus Papa VIII. in dicta Basilica peregit, ac praeterea judiciali definitione Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die XV. Maji anni MDCC. edita, agnitum fuit, atque firmatum, et Nos demum hujus nostrae Constitutionis vigore id ipsum indubitanter atque perpetuo servari volumus, atque decernimus.

Aliorum Parochor. terriversationibus occurrit.

§. 15. At quoniam non ignoramus, nonnullos aliquando ex aliarum Urbis Ecclesiarum Parochis sive Curatis, vel de suorum jurium conservatione plus nimio solicitos, vel etiam contra praedicta Decreta pervicaciter obfirmatos, vetus hoc Vaticanae Basilicae, ejusque Capituli, et Parochi, sive perpetui Vicarii, jus, et juris hujusmodi exercitium, si non aperte impugnare, at saltem artificio eludere et impedire consuevisse; denegando scilicet propriis Parochianis ea Documenta, sive Schedulas de legitimis Infantium natalibus, quae eidem Vaticanae Basilicae Parocho exhiberi debent, aut Schedulas ipsas ejusmodi forma concipiendo, ut vel parentes ipsius prolis, absque proprio dedecore eas exhibere, vel Vaticanus Parochus easdem, absque injuria Basilicae, recipere non possent; aut demum aliis artibus, quibus ab religiosae hujusmodi voluntatis implemento praedictos respective Parochianos deterrendos esse prospicerent; adeo ut Nos ipsi, propter nonnullorum hujusmodi Parochorum culpam, necesse habuerimus, omnes in commune Urbis Parochos initio Pontificatus nostri apud Nos congregatos, gravibus verbis hac de re admonere, atque etiam Edictis per organum dilecti Filii nostri S. R. E. Cardinalis hodierni nostri in Urbe Vicarii publice propositis, coercere: Idcirco, ut omnes in posterum tergiversandi via cuilibet perpetuo sit praeclusa, statuimus atque decernimus, ut praedictarum Schedularum exempla sub certa et invariabili forma Typis imprimantur, eaque non solum aliarum Urbis Ecclesiarum Parochis distribuantur; sed etiam ab ipsius Vaticanae Basilicae Parocho, vel a Sacristiae Curatoribus, cuilibet petenti gratis concedantur; volentes, ut hujusmodi Schedulis impressis nihil a Parochis adscribi possit aut debeat, praeter Parentum nomina, et Prolis nativitatem, cum ipsorum Parochorum subscriptione, et impressione sigilli eorum Parochiae. Quod si hujusmodi Schedulis alia fortasse, praeter praemissa, ab iisdem Parochis adscribi, vel earum subscriptionem petentibus absque legitima causa denegari contigerit; volumus eosdem Parochos, singulis vicibus, quibus huic nostrae Ordinationi contraire praesumpserint, poenam quinque Ducatorum auri in auro, in subventionem piae Domus, et Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia erogandorum, irremissibiliter incurrere, et cum effectu persolvere, sublata cuilibet condonandi, vel aliter judicandi facultate. Si vero constiterit, eosdem Parochos aliis artibus adniti hanc spiritualem consolationem, et concessam libertatem suis Parochianis adimere, eosque ab hujusmodi erga beatum Apostolorum Principem devotionis actu revocare; gravioribus etiam poenis, et mulctis, a competentibus Judicibus, tam ex officio, quam ad recurrentium instantiam, volumus coerceri.

Schedulas typis impressas sub certa formula gratis dari Parochis jubens.

Poenam Pecuniariam inobedientibus graviorem dolose agentibus minatur.

§. 16. Caetera vero illustriora Privilegia, quae ad Vaticanae Basilicae dignitatem et decus pertinent, strictim attingendo asserere et confirmare volentes; decernimus in primis, ut solemnes Romanorum Pontificum Consecrationes, juxta vetustissimum Romanae Ecclesiae ritum, in Urbe, non alibi quam ad Altare Confessionis Beati Petri Apostoli; (super quo praeter Romanum Pontificem, nemini omnino li-

Privilegia vetera Basilicae recensens instaurat.

Ac primo Consecr. Rom. Pont. ad Altare S. Petri Apost. Principis.

cet, absque expressa ipsius Pontificis concessione, per literas Apostolicas singulis vicibus expedienda, incruentum Sacrificium offerre) sicut e contra ad praedictum Altare non aliae, quam hujusmodi Successorum nostrorum Consecrationes, sive Ordinationes, peragantur. Coronationes quoque eorumdem Pontificum Romanorum, dum scilicet Sacro Pallio ex Corpore Beati Petri desumpto decorantur, et tanquam Apostolicae ipsius potestatis Successores, publica omnium Ordinum adoratione coluntur, ad praedictum Altare, et in eadem respective Basilica de more celebrentur. Æquum est enim, ut ibi Sacerdotii Magni accipiant unctionem, et sacrae jurisdictionis insignia suscipiant, ubi Apostolorum Principis ossa quiescunt, *a quo*, ut Sancti Innocentii I. Praedecessoris nostri verbis utamur, *Episcopatus ipse et tota auctoritas nominis hujus emersit*. Qua etiam ratione factum esse non dubitamus, ut Venerabiles Praedecessores nostri Romani Pontifices, per continuam plurium saeculorum seriem, Sacros Christianis Plebibus Rectores Ecclesiisque Ministros daturi, Ordinationes statis anni temporibus apud Sanctum Petrum habere consueverint; quod et prisci Ecclesiae Romanae Rituales Libri, et disertissimi Sermones S. Leonis Papae I. pariter Praedecessoris nostri de Jejuniis quatuor Anni Temporum abunde testantur.

A quo Apostolicae auctoritatis origo petitur.

§. 17. Eademque de causa, a remotissimis usque temporibus, quorum initii memoria non extat, Sacra Pallia, quae a Romano Pontifice Patriarchis, et Archiepiscopis concedi solent, et per quorum traditionem (ut loquitur recolendae memoriae Praedecessor quoque noster Innocentius Papa III.) *Pontificalis Officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur*, in eadem dumtaxat Vaticana Basilica, sacris vigiliis praemissis, benedici, et prope Corpus Beati Petri Apostoli asservari consueverunt. In cujus Benedictionis exequendae ritibus, quum pro temporum conditione aliquas subinde variationes inductas fuisse animadverterimus; Nos, edita Constitutione, cujus initium est: *Rerum Ecclesiasticarum origines*, data pridie Idus Augusti An. Incar. Dominicae MDCCXLVIII., totius Caeremoniae ordinem, et formam, ac preces in ipsa Benedict. recitandas perpetuo statuentes, decrevimus. Pallia hujusmodi per Romanum pro tempore Pontificem quotannis in pervigilio Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Vespertinis Officiis in eadem Basilica celebratis, absente vero Pontifice, per S. R. E. Cardinalem, illius vice Officium hujusmodi in Pontificalibus celebrantem, benedici; eademque postmodum sacrata Pallia intra venerandam Apostolorum Principis Confessionem, prope sacrum illius Corpus, et non alibi, pretiosae Capsulae inclusa, quam nos etiam in hunc finem eidem Apostolorum Principi in obsequii nostri pignus obtulimus, perpetuo asservari. Quam quidem Constitutionem nostram, cum omnibus in ea contentis, praesentium quoque tenore confirmamus.

Vigilias, et Benedictionem S. Pallii, Archiepis.

Per Pont. aut Card. celebrantem faciendam.

§. 18. Similiter Unctiones, seu Benedictiones, et Coronationes Romanorum Imperatorum, et Catholicorum Regum et Reginarum, gloriam suam et honorem ad Aras supremi Regum Regis, et ad pedes Apostoli, Christiana pietate afferentium, in eadem Vaticana Basilica perfici debere statuimus. Hoc enim requirit et antiqua consuetudo innumeris actibus confirmata, et ipsa supremorum Principum et Christianorum Populorum religio; quae sane luculentissima quaeque erga Romanam Ecclesiam obsequii et devotionis argumenta, in venerationem potissimum Beatissimi Apostolorum Principis, edidisse dignoscitur. Huic factae sunt civitatum, atque ditionum cessiones et donationes, Regnorumque oblationes et subjectiones; quorum diplomata ac monumenta non semel super Altare Basilicae Vaticanae signata, vel intra Confessionem Beati Petri reposita fuerunt. In ejus Æde praestita sunt Romano Pontifici fidelitatis juramenta, et homagia; ibidem soluti census, atque recepti; vel, si eos injuste denegari contingeret, solemnium protestationum aliorumque legitimorum actuum vi repetiti. Huc denique semper ex omni Christiani Orbis regione fidelium peregrinationes, orationis aut voti causa, susceptae, nec defuerunt etiam ex sublimioribus ordinibus, qui, ex earum implemento, ad melioris vitae propositum conversi, reliquum aetatis suae tempus in Dei cultu transigere decreverint, suaeque mortalitatis exuvias apud Beatum Petrum sepeliendas relinquere.

Coronationes Imperatorum, et Regum.

Obsequia virorum Princip. in S. Petrum coacervantur.

§. 19. Quemadmodum vero eisdem Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, pro traditae ipsis orthodoxae fidei et canonicae disciplinae praecipua custodia, solemne olim fuit, coram Beati Petri Apostoli Confessione

Supremae jurisdict. actus ad S. Petri Altare exerciti.

publicas fidei suae professiones recitare, ac, sicubi oportuit, vitae quoque suae rationes Clero Populoque exponere; sic etiam, dum Apostolicae solicitudinis studio, omnium Ecclesiarum Pastores in recti dogmatis et unitatis Catholicae communione debitaeque subjectionis ordine continere semper curarunt, eosdem ad Limina Apostolorum statis temporibus evocare, et quoties ita res tulit, apud eamdem sacratissimam Confessionem, eorum libellos, vel incorruptae doctrinae testes, vel quibus objecta eis crimina depellerentur, aut errores damnarentur, ab ipsis excipere, in more habuerunt. Praeterea plerosque atque praecipuos supremae Apostolicae Jurisdictionis actus, sive in perditorum ac pervicacium condemnatione, tum singulis annis in die Caenae Domini, tum quoties peculiaris rerum necessitas id postulavit, sive in reconciliatione illustrium Personarum, quae ad Ecclesiae sinum, ejuratis errorum impietatibus, regredi meruerunt, seu denique in generalium Indulgentiarum, et potissimum in Magni Jubilaei publicatione, apud eamdem Basilicam exercere consueverunt.

Beatificat. Canonizat. sola Basilicae Vaticanae.

§. 20. Quocirca quum Nos dudum aliis nostris Apostolicis literis, quarum initium est: *Ad Sepulchrum Apostolorum*, IX. Kalendas Decembris anno Incarnat. Dominicae MDCCXLI. datis, ex justis ibidem expressis causis, statuerimus, ut Servorum et Ancillarum Dei Beatificationes, et Beatorum Canonizationes in posterum in eadem Vaticana Basilica, et non alibi, peragantur, non obstantibus quibuscumque contrariis exemplis, quae nullum praejudicium antiquo instituto et Vaticanae Basilicae praerogativae afferre decrevimus; id ipsum harum tenore confirmamus et innovamus, et inviolabiliter in posterum observari mandamus.

Locus ea occasione assignandus pro Capitulo, et Clero.

§. 21. Ac praeterea dilectos filios Canonicos et Clerum praedictae Vaticanae Basilicae, amplioris gratiae favore prosequi volentes, decernimus, ut quoties in eadem Basilica hujusmodi solemnes Canonizationes, juxta praemissa, celebrabuntur, quemadmodum in novissima Canonizatione quinque Sanctorum Anno Domini MDCCXLVI. die Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli per nos celebrata, de mandato nostro factum fuit; ita et in posterum semper peculiaris et certus locus in adornando sacrae functionis apparatu eisdem praeservetur, ex quo decenter et commode sacrae solemnitatis ritum spectare possint, indeque a nemine quavis auctoritate valeant amoveri.

Process. SS. Corporis Christi Sede Vac. ad S. Petrum facienda.

§. 22. Similiter alias nostras Apostolicas literas XIV. Kalendas Martii Anno ab Incarnatione Domini MDCCXLIV. Pontificatus nostri Anno V. editas, harum quoque serie confirmantes et innovantes, statuimus, ut si quando, Apostolica Sede vacante, solemnitatem Corporis Christi celebrari contingat, Processio generalis totius Cleri Urbis, cum interventu Officialium Romanae Curiae, quemadmodum vivente Romano Pontifice moris est, apud Basilicam Vaticanam celebretur, eo ritu, atque ordine, quem in praedictis nostris literis, aliaque Schedula eadem die manu nostra signata, distincte praescripsimus.

Ritus in Process. S. Marci antiquus servandus.

§. 23. Supplicationis quoque generalis die festo S. Marci Evangelistae ab universo Clero Urbis ad Vaticanam Basilicam quotannis haberi solitae, perpetuam observantiam, et ritus a Praedecessoribus nostris Alexandro IV. Eugenio IV. et Nicolao V. Romanis Pontificibus praescriptos, nec non Decreta condita a Congregatione Sacrorum Rituum super ejusdem celebratione, ac praesertim Decretum, super modo, quo alia Urbis Ecclesiarum Capitula Vaticanam Ecclesiam ea occasione ingredientia ab ejusdem Capitulo recipi debent, die XV. Aprilis Anni MDCVI. editum, et a felic. rec. Paulo Papa V. specialiter confirmatum, novo Apostolicae confirmationis nostrae munimine roboramus, ac perpetuis temporibus inconcusse servari praecipimus.

S. P. Q. R. oblatio Calicis pecuniae summa commutari permittitur.

§. 24. Oblationem praeterea unius Calicis cum octo Cereis facibus, quam Conservatores Camerae Almae Urbis nostrae singulis annis die festo eorumdem SS. Apostolorum, ipsius Almae Urbis Patronorum principalium, juxta Decreta in Consilio ejusdem Camerae condita, et a Praedecessoribus nostris approbata, saepedictae Basilicae dare et offerre consueverunt, in posterum quoque singulis annis ab iisdem Conservatoribus perpetuo dari volumus et offerri; itaut, ad normam literarum Apostolicarum fel. rec. Gregorii Papae XV. sub Annulo Piscatoris die XVII. Augusti Anni MDCXXI. expeditarum, praedictus Calix valoris sexaginta scutorum monetae esse debeat, iidemque Conservatores pecunias pro Calice dicti Valoris, et facibus Cereis hujusmodi necessarias, ex quibuslibet ejusdem Camerae Capitolinae redditibus, sive proventibus, desumere, prae-

sentium quoque literarum nostrarum vigore, possint et valeant. Permittentes ejusdem Vaticanae Basilicae Capitulo et Canonicis praedictis, quemadmodum alias a san. mem. Praedecessoribus nostris Clemente Papa XI. et Innocentio Papa XIII. per eorum literas Apostolicas in forma Brevis die X. Aprilis anni MDCCXIII. et die XVII. Julii MDCCXXIII. respective datas, ad decennium tantum respective valituras, indultum fuit, ut ipsi, vice et loco praedicti Calicis a memoratis Conservatoribus quotannis, ut praefertur, offerri soliti, illius pretium ab iisdem pro tempore Conservatoribus recipere valeant: ea tamen lege, ut pretium hujusmodi penes Montem Pietatis de Urbe illico deponatur, indeque amoveri nequeat, nisi ad effectum illud convertendi in emptionem tot sacrarum Supellectilium in Basilica praefata magis necessariarum, quibus Insignia Senatus Populique Romani apponi debeant; praesenti concessione perpetuum vigorem futuris temporibus habitura.

Decretum Alexandri VII. pro supellet. Sac. in B. et Canoniz. confirmat.

§. 25. Cumque recol. mem. Praedecessor Noster Alex. Papa VII. die XXVII. Septembris anni Domini MDCLIX. ad Divini cultus augmentum, et sacrarum Supellectilium in eadem Vaticana Basilica conservationem, providum Decretum ediderit, a Nobis alias in Opere de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione Tomo I. relatum, et in praefatis Apostolicis literis incipientibus: *Ad Sepulchra Apostolorum*, denuo confirmatum, quo certam contributionem, quingentorum scilicet scutorum auri in auro cujuslibet Servi Dei Beatificatione, et mille scutorum auri similium in cujuscumque Beati Canonizatione, ab hujusmodi Causarum Postulatoribus, favore Sacrarii ejusdem Basilicae persolvi mandavit in conficiendis, sive conservandis sacris Supellectilibus praedictis, et non aliter, omnino erogandam; Nos hujusmodi Decreti Chirographum, ejusque integrum tenorem praesentibus pro plene, et de verbo ad verbum insertum habentes, denuo auctoritate nostra approbamus et confirmamus, et, quatenus opus sit, quae ab ipso Alexandro Praedecessore decreta sunt, motu, scientia, et potestate simili rursus decernimus, et constituimus, et in futurum inviolabiliter observari mandamus.

Praedecessorum Decreta de ingressu et media

§. 26. Confirmamus pariter et innovamus aliorum Praedecessorum nostrorum, praesertim Sixti IV. Clementis VII. Pauli III. Clementis VIII. et Pauli V. Romanorum Pontificum Constitutiones, et Ordinationes, quibus certa portio a singulis Archipresbytero, et Canonicis, ac Beneficiatis, et Clericis Beneficiatis, in adeptione possessionis eorum respective Archipresbyteratus, et Canonicatuum, Praebendarum, et Beneficiorum, supradictae Sacristiae respective solvenda praescribitur, quemadmodum etiam integra medietas omnium fructuum et distributionum primi anni dictorum Archipresbyteratus, et Canonicatuum, ac Praebendarum, et Beneficiorum omnium, post adeptas illius et illorum respective possessiones, eidem Sacristiae applicari jubetur: quas quidem praestationes ad ejusdem Sacristiae impensas, quas ipsa quotidie pro dictis sacris Supellectilibus, aliisque ad divinum cultum pertinentibus subire debet, congrue sustinendas, et non aliter, erogari perpetuo volumus et jubemus.

annata Can. etc. pro eod. Sacrario instaurat.

S. Pii V Decretum de Cappellis et Oratoriis privatis, eorumque supellectili testamento non legandis etc. probat.

§. 27. Et quoniam recol. mem. Praedecessore pariter nostro S. Pio Papa V. per literas, quarum initium est: *Romani Pontificis*, datas apud S. Petrum ann. Incarnationis Dominicae MDLXVII. tertio Kalen. Sept. Pontificatus sui anno II. summa aequitatis et providentiae ratione generaliter statutum fuit, ut omnia et singula sacra ornamenta, paramenta, ac vasa, libri, et alia quaelibet ad usum et cultum Divinum in privatis Ædibus, Cappellis, et Oratoriis quorumcumque Ecclesias et Beneficia Ecclesiastica obtinentium destinata, quaecumque tempore eorum obitus, sive ex testamento, sive ab intestato relicta fuerint, ea neque sub quibusvis facultatibus testandi et disponendi de bonis ex Altari, vel alias quomodolibet per eos acquisitis, etiam per Romanos pro tempore Pontifices quomodocumque concessis et concedendis, comprehendantur, neque sub appellatione spoliorum veniant; sed ad singulas Ecclesias, quibus supradicti praefuerint, seu in quibus Beneficia Ecclesiastica obtinuerint, omnino spectent atque pertineant; eisdemque Ecclesiis post illorum obitum, etiamsi procul ab Ecclesiis ipsis decesserint, vel ad eas nunquam accesserint, iisque, et Beneficiis hujusmodi renunciaverint, eo ipso applicata et incorporata sint et esse censeantur; licet id nova confirmatione minime indigeat, quinimmo quoad Vaticanam Basilicam ejusque Sacrarium in viridi observantia esse dignoscatur; ne tamen in dubium umquam revocari valeat,

In Vatic. Basil. illud vigere testatur, et pro futuris temporib.

...ufirmat, in ...crarii ejus... ...n utilita... ...a.

Nos etiam praesentium tenore memoratam S. Pii Praedecessoris legem in omnibus, et per omnia confirmantes, statuimus atque decernimus, eamdem quoad Cappellas omnium et singulorum, qui in eadem Vaticana Basilica Canonicatus, aut Beneficiatus, seu Clericatus quandocumque obtinuerint, etiamsi eorum obitus tempore non amplius eadem obtineant, omnino observari debere; itaut, illis defunctis, liceat Capitulo et Canonicis ipsius Basilicae, illiusque Sacrario Praefectis, sacram hujusmodi Cappellarum suppellectilem, propria auctoritate libere apprehendere, dictaeque Ecclesiae et Sacristiae applicare et incorporare; nec ullae donationes, ac relicta, legata, testamenta, codicilli, et aliae ultimae voluntates, seu spolia, super his aliter facta, ullius roboris et momenti existant, aliisve Ecclesiis, locis, aut personis quibuscumque, in quorum favorem facta fuerint, ullatenus suffragentur, eisque jus aliquod in rebus hujusmodi, seu ad illas tribuere valeant; sed omnes et singuli hujusmodi sacras res quocumque nomine vel titulo pro tempore detinentes, ad illas Basilicae et Sacristiae praedictis realiter et cum effectu restituendum et consignandum omnino teneantur, et ad id per censuras et poenas, etiam furti et sacrilegii, ac alia opportuna juris et facti remedia cogi et compelli possint et debeant.

...lia Praede... ...ss. de non ...ienand. nec ...mmodand. ...crarii re... ...as innovat.

§. 28. Res autem ejusdem Sacristiae, atque Basilicae, videlicet sacra vasa, vestes sacras, imagines, jocalia, aliaque bona, non liceat Archipresbytero, Capitulo, aut alteri cuiquam quacumque dignitate fulgenti, alienare seu vendere, praeterquam ex causa commutationis in alia ad eumdem Divini cultus usum magis necessaria aut opportuna, vel etiam extra eamdem Basilicam commodare ad quemlibet usum, nisi Ecclesiarum Basilicae subditarum, aut quibuscumque personis, (iis tantummodo exceptis, quae de gremio Cleri Basilicae sunt, cum debita tamen circumspectione) cujuscumque dignitatis, etiamsi S. R. E. Cardinales existant, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, et suspensionis a portionibus, praeter refectionem omnium damnorum, quae ipsorum culpa Basilicae et Sacristiae praedictis obvenerint.

Ad Fabri... ...am quod ...ntinet, suam ...Constitut. ...supra edi... ...tam roborat.

§. 29. Quae vero pertinent ad conservationem et ornatum Fabricae ipsius Basilicae, quum ea seorsim administrentur a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum, eidem Fabricae praepositorum, cujus tamen Congregationis Praefectus, jam usque ab ipsius Congregationis erectione, idem semper dictae S. R. E. Cardinalis fuisse dignoscitur, qui ejusdem Basilicae Archipresbyteratum pro tempore obtinuit; Nos hic de illis agere praetermittemus, ad aliam Nos referentes Apostolicam Constitutionem, quam nuper, videlicet XVII. Kalendas Decembris elapsi anni ab Incarnatione Dominica MDCCLI. edidimus, et in qua, tum pro judiciali causarum cursu, tum pro oeconomica rerum ipsius Fabricae administratione, nonnulla praescripsimus, quae opportuna et utilia fore in Domino judicavimus.

Decreta vetera de Centenaria praescript. aliisque Basilicae privilegiis probat, et innovat.

§. 30. Ut autem saepedictae Basilicae jura, dominia, et proprietates, quantum fieri poterit, perpetuo illaesa permaneant, quod jam a pluribus aliis Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et praesertim ab Innocentio III., et Gregorio IX. in eorum literis anno MCCV. et MCCXXVIII. respective datis, generaliter cautum esse dignoscitur, ut scilicet, quemadmodum contra Romanam Ecclesiam, secundum Constitutiones Canonicas, et legitimas Sanctiones, nonnisi centenaria currit praescriptio, ita etiam Vaticanae Basilicae juribus, et possessionibus quibuscumque, minoris temporis praescriptio non officiat; idipsum Nos quoque praesentium tenore generaliter, et quoad omnia et singula praedictae Basilicae jura, dominia, proprietates, et possessiones, statuimus et innovamus. Confirmantes providas Sanctiones Praedecessorum pariter nostrorum Clementis Papae VII. in ipsius Chirographi Schedula ejusdem manu signata, et Sixti Papae V. in ipsius literis Apostolicis sub datum V. Kal. Octobris anno MDLXXXIX. latius expressas, quibus ejusdem Basilicae jura tam quoad hujusmodi praescriptiones, quam super probationum in controversis casibus conficiendarum onere, ipsiusque Basilicae librorum auctoritate, non obstantibus contrariis forsan municipalium statutorum, etiam Almae Urbis, vel juris etiam communis dispositionibus, clarius atque distinctius statuerunt.

Locationes etiam in emphyt. citra novenn. absque Apostolico beneplac. fieri permittit.

§. 31. Locationes vero domorum, possessionum, vinearum, casalium, aliorumque bonorum Mensae et Basilicae praedictae, quae locari solita sint, aut in emphyteusim concedi,

in casibus a jure permissis, et quoties id expedire censeatur, ab ipsius Basilicae Capitulo quandocumque, et absque alia Sedis Apostolicae licentia, pro justo pretio fieri, et respective renovari posse concedimus, etiam ad longum tempus ultra triennium, non tamen ultra novennium, et dummodo hujusmodi pretii, seu annuae responsionis solutio ultra sex menses anticipate non fiat, et servatis legibus, quae circa hujusmodi locationes plurium Praedecessorum nostrorum ordinationibus, praesertim vero in Apostolicis literis felicis memoriae Clementis Papae VIII. die XXII. Aprilis anni MDXCVI. emanatis praescriptae reperiuntur.

Privilegia Sixti V., et Urbani VIII. derogantia Statuta Urbis de relocationibus, instaurat.

§. 32. Inhaerentes quoque praecitatis Clementis Papae VIII., aliisque Urbani etiam VIII. die XXIV. Septembris anni MDCXXIX. expeditis literis, nec non antiquioribus Sixti Papae V. Kalendis Junii anno MDLXXXIX. datis, volumus atque decernimus, praedictum Capitulum atque Canonicos, nunquam, nulloque praetextu, aut actione etiam in jure fundata, cogi posse ad relocandum eisdem personis, aut priorum locatorum, vel emphyteutarum filiis aut descendentibus, sive pro eodem, sive pro alio etiam uberiori canone, censu, aut responsione, quoscumque fundos, domos, possessiones, vineas, casalia, aliaque bona ubicumque locorum et gentium, etiam in Alma Urbe, ejusque Districtu existentia, et sive ad Basilicam ipsam, ejusque Capituli Mensam, aut ad Sacristiam, sive ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Beneficia, Cappellas et Loca Pia eidem Basilicae annexa, subjecta, aut incorporata pertineant, quaeque, cum alias ad longum tempus locata fuerint, aut in emphyteusim legitime concessa, postmodum ad Basilicam ipsam, vel lapsu temporis, vel linea finita, vel alio quovis titulo, occasione, vel causa, devolvi contingat; sed ipsis Capitulo et Canonicis licitum esse praemissa omnia ubicumque sita, eorumque redditus et proventus, eidem Basilicae, ac eorum Mensae Capitulari, seu praedictis Sacristiae, vel Ecclesiis, aut Cappellis, aliisque superius expressis, respective unire, ammensare, et incorporare, vel etiam aliis quibuscumque pro convenienti pretio, seu canone, aut responsione, servatis alias de jure servandis, locare, arrendare, aut in emphyteusim concedere; non obstantibus, quatenus praesentibus adversentur, Almae Urbis praedictae, aliarumque civitatum, locorum, atque regionum, etiam confirmatione Apostolica, vel alia quacumque firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, et concessionibus Apostolicis quibuscumque, etiam necessario exprimendis, quibus in hac parte, inhaerentes praedictorum Praedecessorum vestigiis, expresse derogamus.

Et quidem pro quibuslibet bonis Basilicae ubicumque sitis, nulla Veterum Conductorum ratione habita.

Caducitates remitti posse concedit a Capitulo.

§. 33. Caducitates autem, sive devolutiones domuum, praediorum, vinearum, aliorumque bonorum ejusdem Vaticanae Basilicae, sive jam nunc ipsius favore, ob non solutos Canones, aliasve debitas praestationes intra statuti temporis spatium, seu ob non adimpleta onera praescripta, ob deteriorationem fundi, vel ob non factam directi dominii recognitionem, ac non petitam obtentamque debitis conventis temporibus renovationem, aliisve de causis hujusmodi, apertas et purificatas, sive in posterum quandocumque aperiendas et purificandas, etiamsi declaratae et acceptatae fuerint, dummodo actualis rei emphyteuticae possessio, praevio decreto Judicis, per Capitulum, ejusve nomine, apprehensa non fuerit, ab eodem Capitulo remitti et condonari posse concedimus, absque alio Sedis Apostolicae beneplacito: non alias tamen, quam juxta tenorem Constitutionis Clementis Papae VIII. Praedecessoris nostri praedicti sub die XXII. Aprilis anni Domini MDXCVI. editae, nimirum per expressum ipsius Capituli actum atque consensum; itaut per solam receptionem Canonum, patientiam, vel tolerantiam diuturnae possessionis, aut alias, quam per expressum actum atque consensum hujusmodi, nunquam eidem Capitulo praejudicium ullum inferri possit, aut illatum esse censeatur, quominus caducitates ipsas seu devolutiones quandocumque declarare valeat, et acceptare. Ubi vero semel declaratis et acceptatis hujusmodi caducitatibus, sive devolutionibus, ipsa actualis rei emphyteuticae possessio per Capitulum, ejusve nomine, ut supra, apprehensa fuerit, nolumus easdem caducitates, seu devolutiones ab eodem Capitulo, absque novo nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, non sine praevia cognitione evidentis ipsius Basilicae utilitatis concedendo, remitti aut condonari posse; nullasque et irritas fore decernimus hujusmodi remissiones et condonationes, si quas forte contra hujus nostrae ordinationis tenorem concedi contingat.

Modo actualem rei emphyteuticae possessionem non inierit.

Et id fiat per expressum Capituli actum et consensum.

Quaedam ca servi- am Chori portune spoait.

§. 34. Quia vero quaecumque ad honorum Ecclesiae conservationem, externumque ipsius decus pertinent, eo praecipue diriguntur, ut spiritualis Dei cultus, omniumque in eadem Ecclesia ministrantium fervor et assiduitas nutriatur et augeatur; ideo omnes et singulos Divinis servitiis in ea addictos hortamur atque monemus, ut debita assiduitate ac novo semper devotionis studio prescripta sibi munia implere non praetermittant; sacraque omnia officia in eadem, quo maxime decet, ordine, decore, ac reverentia peragentes (ut Praedecessorum nostrorum Eugenii III., Alexandri III., et Clementis etiam III. verbis utamur) *praedictam B. Petri Ecclesiam obsequio debito venerentur, ut Dei Fideles Apostolorum Limina devotione debita visitantes, locum ipsum in majori devotione et veneratione semper habeant.* Praeterea publicam erga augustissimum Eucharistiae Sacramentum venerationem et cultum augere cupientes, dum praesertim fidelium adorationi, divisis per singulas Urbis Ecclesias XL. horarum spatiis, exponitur, volumus, ut in Processionibus, quae pro hujusmodi expositione SS. Sacramenti in eadem Basilica tribus vicibus quolibet anno, totidem vero pro ejusdem repositione celebrantur, omnes in posterum Canonici, Beneficiati, et Clerici devote interesse debeant; ita ut absentes mulctentur amissione distributionum, ad modum unius servitii communis, vulgo *de Mense* nuncupati. Verum e contra eosdem in posterum absolvimus ab extraordinariis servitiis, quae hactenus tempore Adventus totidem fere diebus a singulis praestari consueverant, ita ut diebus ferialibus Adventus praedicti, praeter eos, qui secundum consuetam per annum hebdomadarum divisionem Choro interesse debent, nullus alius aut Missae Conventuali, aut Vesperis adesse compellatur; non obstantibus Decretis et Constitutionibus Apostolicis, ejusdemque Basilicae statutis et consuetudinibus, quibus in hac parte expresse derogamus.

Exposit, et erposit. SS. Sacr. pro 40. horis ter quotannis ult omnes interesse.

Ab extraordinario servitio Chori tempore Adventus eximit Capitulum, et Clerum.

§. 35. Reductiones autem onerum, Anniversariorum, et servitiorum communium, tam eam, quae olim anno MDLXXXIX. a fel. rec. Praedecessore nostro Sixto Papa V. per supracitatas ipsius literas Apostolicas incipientes: *Cum pro nostro*, ejusdem Vaticanae Basilicae Capitulo, et Clero concessa fuit, quam quae postmodum anno MDCCXXI. a Congregatione tunc existentium S. R. E. Card. Concilii Tridentini interpretationi et executioni auctoritate Apostolica praepositorum, quo tempore Nos ipsi ejusdem Congregationis Secretarii munere fungebamur, praevia matura eorumdem onerum cognitione, et discussione causarum pro hujusmodi reductione obtinenda deductarum, indulta fuit, praesentium quoque literarum serie, et auctoritate Apostolica, approbamus et confirmamus, cum omnibus conditionibus et legibus tam in dicta Sixti V. Constitutione, quam in Decreto praefatae Cardinalium Congregationis diei XX. Decembris anni praedicti, adjectis atque praescriptis. Ac etiam juxta Decretum alias an. MDCLXXXVI. ex Apostolica fel. rec. Innocentii Papae XI. Praedecessoris quoque nostri auctoritate, tunc existente ipsius Basilicae Archipresbytero, conditum, ejusdem Basilicae Capitulo et Clero facultatem concedimus et indulgemus, ut anniversarias Exequias pro Animabus quorumcumque Fidelium Defunctorum in dicta Basilica celebrandas, exceptis illis, quibus certa dies a Benefactoribus, seu Testatoribus sub poena caducitatis assignata reperitur, in Feriam II. cujuslibet hebdomadae per annum, seu in diem Sabbati in Quadragesima, quibus videlicet ordinaria Capitularis Congregatio haberi consuevit, anticipando transferre, et in diebus hujusmodi, etiamsi officium sub ritu duplici fiat, celebrare libere et licite possint, et valeant.

Reductiones onerum tam a Sixto V., quam a Sac. Con. Concil. 1721. concessas roborat, et confirmat.

Decretum Innoc. XI. de celebrandis Anniversariis in diebus Congregationibus Capitularibus assignatis, instaurat.

§. 36. Ne vero nova deinceps onera a Capitulo praedicto facile acceptentur, quibus idem supra vires iterum praegravari contingat, volumus atque decernimus, nulla in posterum hujusmodi Anniversariorum, aut Communium onera acceptari posse, aut debere, nisi in Capitulis, quibus praecedat intimatio per Schedulam ad unumquemque Canonicum transmittendam, in qua describatur res, de qua erit agendum; et nisi iisdem Capitulis viginti saltem Canonici intersint, quorum duae ex tribus partibus pro acceptatione suffragium ferant; ac demum acceptationes hujusmodi nullam vim habere statuimus, nisi ab ejusdem Basilicae pro tempore Archipresbytero approbentur; quemadmodum in Decreto a praedicta Congregatione Concilii anno MDCCXXI. edito, provide statutum reperitur.

De novis onerib. in posterum recipiendis decrevit.

§. 37. Indultum vero seu privilegium alias praefatis Canonicis, Beneficiatis, et Clericis, per fel. rec. Sixtum Papam IV. nostrum itidem

Indultum antiquum de Confessario eligendo cum facul-

tatibus etc. Capitulo et Clero innovat.

Praedecessorem concessum, et a recol. pariter mem. Clemente Papa VIII. in praecitatis ipsius literis die XX. Aprilis anni MDXCVI. datis expresse approbatum et confirmatum, iterum auctoritate nostra innovamus; atque concedimus, ut ipsi, et quilibet eorum, quemcumque Presbyterum Confessarium tam Saecularem, quam cujusvis Ordinis et Instituti Regularem, ex approbatis ab actualibus Ordinariis locorum, in quibus eorum Sacramentalibus Confessionibus hujusmodi auditis, et salutari poenitentia eisdem injuncta, aliisque de jure injungendis, ipsos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, seu inflictis, et per eos incursis, et quibus eosdem etiam auctoritate Apostolica illaqueari contingerit, etiamsi absolutio Nobis et Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, specialiter vel generaliter reservata existat, et a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, et quidem a contentis in literis die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vita, nec non in mortis articulo; in reliquis vero Nobis et Sedi Apostolicae quomodocumque reservatis semel in anno, in foro conscientiae tantum, et sine alicujus praejudicio, auctoritate Apostolica per has literas perpetuo tributa, valeat absolvere.

Usum Cappae concedit Capitulo et Clero in Ecclesiis Filiabus, et circa eas.

§. 38. Ut autem ejusdem Vaticanae Basilicae Capitulum et Clerus, etiam in his, quae ad ipsorum decus et ornamenta pertinent, nostram sibi liberalitatem sentiant adfuisse, concedimus et indulgemus, ut in posterum in omnibus Ecclesiasticis functionibus, quas intra Ecclesias ejusdem Basilicae filiales celebrari, atque etiam in Processionibus, quas circa hujusmodi Ecclesiarum ambitum fieri contigerit, consueto juxta temporum vices habitu Chorali uti possint et valeant, itaut aestivo tempore Canonici quidem Rocchettis et Superpelliceis, reliqui vero Superpelliceis dumtaxat amicti; hiemali autem tempore, consuetis juxta eorum Ordines Cappis respective induti, praedictis Functionibus et Processionibus assistere valeant et interesse. Utque praedictarum vestium, aliorumque consuetorum, etiam honoris, et Patriarchalis ejusdem Basilicae dignitatis Insignium delatio et usus, ex parte aliorum quorumcumque, etiam specialem mentionem et expressionem requirentium, eisdem Capitulo et Clero nullo umquam tempore, nulloque praetextu inhiberi, seu impugnari possint aut valeant, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo statuimus et decernimus. Praeterea ut praedicti Canonici, qui ex Apostolicis Praedecessorum nostrorum privilegiis et concessionibus, inter Romani Pontificis et Sedis Apostolicae Notarios, ac etiam Cappellanos et Familiares, ac continuos Commensales adlecti et connumerati esse dignoscuntur, sicut etiam ejusdem Basilicae Archipresbyteri Vicarius pro tempore existens, non solum intra Vaticanam Basilicam, ejusque Cappellas et Ecclesias ipsi subjectas, sed etiam in quibuslibet Urbis et extra Urbem, tam Saecularium, quam Regularium Ecclesiis Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrantes, Candelabrum capulo instructum, vulgo *Bugia*, et alias Palmatoria nuncupatum, adhibere possint, atque hujusmodi honor et assistentia eisdem a nemine denegari valeat aut impugnari, decernimus etiam, atque statuimus.

Bugiae usum Canonicis, ut Protonotariis permissum, et in Basilica consuetum, ad omnes Ecclesias intra et extra Urbem expresse extendit.

Alia consueta honoris insignia asserit.

§. 39. Denique jura, facultates et jurisdictiones Archipresbytero, Capitulo, et Canonicis dictae Basilicae competentia, circa Collationem Beneficiorum Ecclesiasticorum cujuscumque generis, cum cura et sine cura, nec non circa administrationem Ecclesiarum Parochialium, Monasteriorum, Prioratuum, Abbatiarum, aliarumque eidem Basilicae unitarum, sive subjectarum, asserere, confirmare, et respective declarare, atque ampliare decrevimus. Itaque collationem omnium et singulorum tam perpetuorum Beneficiorum simplicium, quae in praedicta Basilica existunt, et Beneficiatus, atque Clericatus Beneficiati appellantur, sive ea a Nicolao III., aut Bonifacio VIII., vel Sixto IV. Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, sive ab aliis quibuscumque, instituta, recta, atque fundata sint, quam aliorum a Monasteriis, Abbatiis, et Prioratibus inferius commemorandis dependentium, nec non et aliorum quorumlibet, quae hactenus Archipresbyter, et Capitulum conferre consueverunt; ac in eis instituendi, seu respective ad ea nominandi et praesentandi jura, quibus ad hunc diem gavisi sunt, eidem Archipresbytero, ejusque in Archipresbyteratu Successoribus, nec non praedictae Basilicae Capitulo, et Canonicis perpetuo competere volumus, atque decernimus. Veterem quoque

Jus conferendi omnia Beneficia Archipresb. et Canonicis confirmat.

Veterem consuetudinem tam circa quam exeditionum probat.

consuetudinem, tam circa divisionem Hebdomadarum, quibus idem Archipresbyter, ejusque Successores, et respective Capitulum et Canonici praedicti, eadem Beneficia pro tempore vacantia alternatim et per turnum conferre debebunt, quam circa formam expediendi literas hujusmodi Collationum et Provisionum, praesentium tenore approbamus et confirmamus, ac perpetuo observari volumus et jubemus; salvo tamen nostro et Datariae Apostolicae jure, quoad collationes eorum Beneficiorum, quae ex persona alicujus ea obtinentis, uni vel pluribus respective affectionibus et reservationibus Apostolicis obnoxia, quomodolibet vacare contingat.

Cura animarum adnexa Basilicae bellie Vicario perpetuo commissa ex S. Pii V. decreto.

§. 40. Animarum autem cura, quae olim in ipsa Vaticana Basilica ab uno ex illius Canonicis, cum aliquot Presbyterorum adjutorum auxilio, exercebatur, nunc et ab antiquo jam tempore ad unum Presbyterum, perpetuum in ea Vicarium, pertinere dignoscitur, ex provida institutione, ac lege Sancti Pii Papae V. Praedecessoris nostri, qui per suam Schedulam Motus proprii, apud Sanctum Petrum Nonis Novembris Pontificatus sui anno sexto propria manu signatam, inter alias perpetuas Vicarias in pluribus ibidem enunciatis almae Urbis Basilicis et Collegiatis, aliisque ejusdem Urbis Ecclesiis erectas et constitutas unam quoque hujusmodi Vicariam in ipsa Principis Apostolorum Basilicam erexit et instituit, ab uno Presbytero saeculari, perpetuo, ut praefertur, in ea Vicario administrandam; qui quidem Vicarius ad nominationem Capituli dictae Basilicae (quae nominatio fieret de aliquo ex approbatis a Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, praevio examine coram Examinatoribus ad id in ipsa Urbe deputatis) per eumdem Cardinalem Vicarium instituendus et deputandus, ac per ipsius Basilicae Archipresbyterum, seu ejusdem Vicarium, vel unum aut plures ipsiusmet Basilicae Canonicos, ut moris est, in possessionem inducendus et immittendus, Curam animarum eidem Basilicae incumbentem gerere, Ecclesiastica Sacramenta ibi ministrare, Missas celebrare, et alia Parochialia munera exercere deberet; eidemque non solum certam redditum portionem et summam, ab ipsius Basilicae Capitulo annuatim ipsi praestandam, sed alia quoque emolumenta, ratione exercitii Curae et administrationis Sacramentorum, ac Officiorum funeralium in Cadaverum dumtaxat humatione celebrandorum, per ipsum Vicarium propria auctoritate percipienda, et levanda, ac in suos usus, et utilitatem convertenda, pro congrua ipsius Vicarii sustentatione, perpetuo assignavit et applicavit, prout in dicta Schedula plenius continetur. Cum vero postmodum Anno Domini MDCXXII. orta controversia inter Capitulum ex una, et Vicarium Curatum dictae Basilicae ex altera partibus, super intelligentia memoratae Schedulae Motus proprii, eaque coram Congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum introducta et agitata, eadem Congregatio declaraverit, habitualem quidem Curam penes Capitulum, exercitium vero ejusdem Curae penes Vicarium residere; subindeque Capitulum, et Vicarius praedicti sub die 19. Decembris ejusdem anni ad certam honestam devenerint inter se concordiam seu transactionem, per acta Quintiliani Gargarii, dum viveret, Causarum Curiae Capitolii Notarii, quam quidem concordiam piae recordationis Urbanus Papa VIII. etiam Praedecessor noster per suas literas in forma Brevis datas die 19. Decembris sequentis anni 1623. Apostolica auctoritate purpetuo confirmavit et approbavit; Nos memoratam Congregationis Concilii declarationem, dictamque Concordiam, omniaque et singula in eis contenta et expressa, quo firmioris observantiae robur accipiant, Apostolica itidem auctoritate nostra, harum vigore perpetuo approbamus et confirmamus.

Habitualis tamen cura est penes Capitulum, exercitium ad Vicarium spectat ex Decret. Sac. Congr. Concil.

Decretum illud, et posterior concordia probatur et confirmatur.

Forma electionis Vicarii hujusmodi, ejusque emolumenta.

§. 41. Item reliqua jura eidem Capitulo et Canonicis competentia circa Parochiales Ecclesias saepedictae Basilicae Filiales, sive alias ipsi subjectas, et circa personas Animarum curam in ipsis exercentes, harum serie confirmata et perpetuo constabilita esse volumus; et praesertim, ut in Ecclesiis Sancti Lazari apud Montem Marium, et Sancti Angeli extra Portam Fabricae vulgo nuncupatam, quae dudum ob nimiam limitum Parochialium ipsius Basilicae extensionem extra Urbis Moenia, tanquam illius adjutrices constitutae fuerunt, proindeque ejusdem Basilicae Filiales esse dignoscuntur, Animarum cura per Vicarios Manuales, et ad nutum Capituli et Canonicorum praedictorum amovibiles, ab omni jurisdictione Parochi ipsius Basilicae, cui olim suberant, exemptos, per pro tempore existentem S. R. E. Cardinalem Romani Pontificis in Urbe, ejus-

Jus deputandi Vicarios ad nutum amovibiles in S. Lazari, et S. Angeli Eccl. asserit Capitulo.

que Districtu Vicarium in Spiritualibus Generalem prius approbandos, respective debeat exerceri. Item quoad Parochialem Ecclesiam Sancti Francisci in praedicto Monte Mario, Ordinis Fratrum Eremitarum Congregationis B. Petri de Pisis, cujus Parochiae districtum olim a praedicta Parochia Sancti Lazari, pro meliori Personarum in ea parte degentium spirituali regimine, a tunc existente Cardinali Urbis Vicario dismembratum fuisse constat, sub certis legibus et conditionibus, atque potissimum cum expressa praeservationis filialitatis et perpetuae subjectionis erga Vaticanam Basilicam praestandae, utque quicumque dictae Congregationis Professor pro tempore ad Animarum curam in eadem Ecclesia deputatus fuerit, debeat quamprimum coram Canonicis dictae Basilicae Capitulariter congregatis se sistere, Literasque suae deputationis exhibere; nunquam vero salarium aut congruam, etiam ratione sacrarum supellectilium, petere, aut praetendere possit; sed dictae Basilicae in Processionibus, et Fontis Baptismalis benedictionibus, Sacrorum Oleorum et Chrismatis consecratione, aliisque Functionibus, in quibus Ecclesiarum filialium Rectores communiter convenire solent, obsequium atque praesentiam praestare debeat; neque liceat illi Fontem Baptismalem umquam retinere, sed Fontem dictae Basilicae dumtaxat adire; ac demum singulis annis post Festum Paschatis Dominicae Resurrectionis de Animarum Parochianorum, deque ipsius Parochiae statu eidem Capitulo rationem personaliter reddere teneatur; prout in Instrumento per acta quondam nominati Abinantis, dum vixit, causarum dictae Curiae Capitolii Notarii sub die XXIX. Mensis Augusti anni MDCCVIII. rogato plenius continetur; Nos, ut praemissa omnia, aliaque forsan tunc constituta perpetuae firmitatis robur accipiant, earumdem praesentium vigore, et auctoritate Apostolica decernimus et constituimus.

Subjectio Parochialis Eccles. S. Francisci in Monte Mario eidem asseritur.

Absque onere ullius salarii, vel congruae.

§. 42. Similiter, ut in Parochiali Ecclesia Sancti Blasii, *della Pagnotta* vulgo nuncupati, quae olim Monasterium ejusdem Invocationis, Ordinis Sancti Benedicti, existebat, sed a recolendae memoriae Eugenio Papa IV. similiter Praedecessore nostro per suas Apostolicas Literas datas Florentiae Anno Domini MCCCCXXXIX. Kalendis Septembris, suppressum et extinctum, dictaeque Basilicae sub certis ibi expressis legibus perpetuo unitum et incorporatum fuit; nec non in Ecclesia etiam Parochiali S. Catharinae *de Rota* nuncupatae in Regione Arenulae de eadem Urbe, quam usque a XII. Ecclesiae saeculo eidem Vaticanae Basilicae subjectam, unitam, et incorporatam fuisse, ex Adriani IV. et Urbani III. aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Literis Apostolicis aperte dignoscitur; ac in quibus postmodum Sanctus Pius V. Praedecessor praedictus per supra enunciatam schedulam sui motus proprii, unam et alteram Vicarias perpetuas erexit et instituit; nominatio unius et alterius Vicariorum, ex numero tamen approbatorum, ut praefertur, a dicto Cardinali Urbis Vicario, ad Capitulum et Canonicos praedictos spectet, atque pertineat; cum onere tamen annuae praestationis, seu congruae, septuaginta videlicet pro S. Blasii, sexaginta vero scutorum monetae Romanae pro S. Catharinae Parochialium Ecclesiarum hujusmodi respective Vicariis pro tempore existentibus, alias eorum singulis a Capitulo et Canonicis praedictis, vigore publici Instrumenti per acta quondam Simonis Tegeroni, dum viveret, Romanae Curiae Notarii die xxx. Aprilis anni Domini MDLXXI. respective assignatae, eisdem Vicariis in terminis tunc statutis persolvendae, et ab eis, praeter emolumenta stolae, ratione exercitii curae animarum eisdem competentia, percipiendae, juxta praedictae schedulae, dictique Instrumenti formam, continentiam, et tenorem; perpetuo quoque statuimus, et mandamus. In Parochiali vero Ecclesia S. Jacobi, quae *a Scosciacavalli* vulgo nuncupatur, atque a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris eidem Principis Apostolorum Basilicae subjecta fuit, deputatio Rectoris ad nutum amovibilis pro exercitio Curae animarum illius Parochianorum, ab eisdem Capitulo et Canonicis per ipsorum Literas Patentes, ad nominationem tamen Archiconfraternitatis Sanctissimi Sacramenti in eadem Ecclesia Sancti Jacobi existentis, ejusdem vero approbatio quoad idoneitatem a Cardinali pro tempore Romani Pontificis in Urbe Vicario fieri debebunt. Cumque Nos alias, videlicet xviii. Kalendas Januarii anni MDCCXLVII. per nostras Apostolicas Literas sub Plumbo editas, ad consulendum indigentiae hujusmodi Vicarii pro exercitio curae animarum in dicta Ecclesia pro

Cum annuae praestationis et congruae onere perpetuo decernitur.

S. Blasii della Pagnotta, et S. Catharinae de Rota Parochial. Eccl. Vicar. a Capitulo eligendos.

S. Jacobi a Scosciacavalli Vicarios ad nutum amovibiles Literas suae deputationis a Capitul. impetrare tenetur.

tempore constituti, cujus emolumenta, redditus, et proventus nimis exiguos esse accepimus, viginti Loca Montium Cameralia non vacabilia, tunc dispositioni nostrae reservata, Ecclesiae praedictae concesserimus, quorum integri fructus Primicerio dictae Archiconfraternitatis Sanctissimi Sacramenti in eadem Ecclesia institutae, ex numero Canonicorum dictae Basilicae Vaticanae semper eligendo, pro tempore existenti, persolvi deberent, ad effectum, ut ipse eosdem fructus hujusmodi Vicario Curato pro tempore integre persolveret, seu persolvi faceret; Nos id praesentium quoque tenore perpetuo confirmamus et observari mandamus.

Cum assignatione fructuum 20. locorum Montium a S. D. N. et successorum.

§. 43. In eligendis autem praemissarum, aliarumque Ecclesiarum Rectoribus, Curatis, sive Vicariis tam perpetuis, quam ad nutum amovibilibus, quorum electio, nominatio, ac deputatio ad Capitulum et Canonicos praedictos pertinere dignoscitur, hanc in posterum formam inconcusse servari volumus, et praecipimus; ut plenum et generale Capitulum ad hujusmodi effectum intimetur per schedulas, octo saltem diebus ante ad singulos Canonicos transmittendas, in quibus non solum res, de qua agendum erit, sed etiam nomina concurrentium, cum eorumdem qualitatum et requisitorum, per Canonicos ad id deputatos recognitorum, indicatione exprimantur; ad hoc ut ii, qui in hujusmodi electionibus suffragium ferre debebunt, praedicta interim expendere, ac, sicuti negotii gravitas postulat, mature pensare valeant, suaque suffragia dirigere, prout ad optimum Ecclesiarum regimen, et animarum utilitatem in Domino judicaverint, salubriter expedire.

Ratio in praedictorum lectione servanda decernitur.

§. 44. Denique volumus atque jubemus, ut a praedictis Vicariis, et Presbyteris, curam animarum in praemissis Parochialibus Ecclesiis pro tempore exercentibus, aliisque Rectoribus Ecclesiarum ejusdem Vaticanae Basilicae filialium, eique subjectarum, quae nunc sunt, et infrascripta onera subire consueverunt, nec non earum, quae in posterum filiales existent, omnia et singula debitae subjectionis obsequia erga eamdem Basilicam, illiusque Capitulum et Canonicos, perpetuis futuris temporibus respective exhibeantur atque praestentur. Decernentes omnes, et singulos hujusmodi Vicarios, Presbyteros, atque Rectores, ad interessendum in dicta Basilica Sacrorum Oleorum et Chrismatis confectioni singulis annis Feria V. in Coena Domini, et Fontis Baptismalis benedictioni tum in Sabbato Sancto, tum in Perviglio Pentecostes, nec non occurrentibus Processionibus atque Functionibus; quemadmodum etiam ad recipiendum ab eadem Basilica Sacrum Infirmorum Oleum, omninino teneri, atque perpetuo obligatos esse et fore. In omnibus vero praedictis, aliisque Ecclesiis tam Parochialibus, quam non Parochialibus ejusdem Vaticanae Basilicae filialibus, sive alias de ejusdem Capituli proprietate existentibus, aut a praedicta Vaticana Basilica quomodolibet dependentibus, et tam in Urbe ejusque Districtu, quam alibi, et ubicumque regionum et gentium sitis, etiam ab Ordinariorum quorumlibet jurisdictione minime exemptis, nolumus a quocumque Episcopo, aliove Antistite, aut Ordinario loci, vel etiam a Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, quacumque ex causa, Divina Officia interdici posse, inconsulto Romano Pontifice, nisi quando generale fuerit Interdictum; confirmantes quoad hoc Innocentii III., et Gregorii IX., in praecitatis ipsorum Literis, aliorumque Praedecessorum nostrorum Indulta, et Privilegia, ac decernentes irritum et inane, si quid secus a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Subjectio eamdem Parochorum Basilicae et Capitulo declaratur, et innovatur.

Eaedem Parochiales, aliaeque omnes Ecclesiae filiales interdicto particulari subjici nequeunt, inconsulto Romano Pontifice.

§. 45. Ad haec, animo perpendentes, ex praeteritorum temporum monumentis constare, praedictae Vaticanae Basilicae Capitulum et Canonicos, Apostolicis procul dubio Indultis munitos, Indulgentias, ac peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes, aliasque spirituales gratias ex Apostolica Romanorum Pontificum liberalitate eidem Basilicae, videlicet eamdem visitantibus, ibique Divinam Majestatem orantibus, et venerantibus concessas, aliis quoque per Orbem Ecclesiis quoquo modo sibi unitis, aut subjectis, communicare, et ad eas extendere consuevisse; Nos hujusmodi facultatem, qua etiam Dilecti Filii, tam Capitulum et Canonici Sancti Joannis in Laterano, quam Capitulum etiam et Canonici Sanctae Mariae Majoris Patriarchalium Urbis Ecclesiarum ex Apostolicis Privilegiis actu vigentibus gaudere dignoscuntur, praedictorum quoque Vaticanae Basilicae Capituli et Canonicorum favore innovare, ac etiam ex integro praesentium tenore concedere, et elargiri decrevimus. Itaque motu proprio et ex certa

Consuetudo vetus Basilicae communicandi Indulgentias Eccl. Filial. instauratur.

Jus videlicet aggregandi Ecclesias, Cappellas etc. spiritualibus privilegiis Vat. Basilicae.

scientia eisdem Capitulo et Canonicis quascumque Ecclesias, Cappellas, Altaria, Oratoria, Confraternitates, Hospitalia, aliaque Pia Loca, tam erecta, quam erigenda, et tam in Locis ipsius Basilicae, ac eorumdem Capituli et Canonicorum, quam etiam in aliis Civitatibus et Locis quarumcumque Ordinariorum jurisdictioni subjectis existentia, ipsi Vaticanae Basilicae aggregandi, et ad spiritualium dumtaxat ejusdem Basilicae Privilegiorum societatem et communicationem admittendi et recipiendi, ita ut in vim hujusmodi aggregationis et receptionis, infrascriptarum Indulgentiarum et relaxationum Thesauri ad ipsas Ecclesias, Cappellas, Altaria, aliaque praemissa, ex nostra et Apostolicae Sedis auctoritate, ampliati et extensi censeantur, amplam et liberam facultatem, sub infrascriptis tamen conditionibus, et non alias, praesentium serie concedimus et impertimur. Volumus nimirum, ut in singulis Civitatibus, Oppidis, vel Locis, unam dumtaxat ex hujusmodi Ecclesiis, seu Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, Hospitalibus, aliisque Locis Piis quomodocumque nuncupatis, hujusmodi aggregationis et communicationis munere ditare possint; dummodo Ecclesia, aut Oratorium sic aggregandum, seu illa Ecclesia, in qua Cappella, vel Altare praedictum extiterit, etiamsi alias eorumdem Capituli et Canonicorum jurisdictioni subesse dignoscatur, Ecclesia Conventualis Regularium, aut Monialium non sit; nec Ecclesia, Cappella, Altare, Oratorium, Pius Locus, aut Confraternitas hujusmodi ulli alteri Ecclesiae, aut ulli Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, et Congregationi, a qua Indulgentiarum communicationem, seu participationem pro omnibus Christifidelibus Ecclesiam ipsam, seu Oratorium visitantibus obtineat, aggregata sit, aut subjecta, et dummodo Ordinarii Loci expressus ad id consensus accedat, ejusdemque Ordinarii testimonialibus Literis hujusmodi Ecclesiae, Cappellae, Altaris, seu Oratorii celebritas, vel Confraternitatis, aut Loci Pii institutum, et Christianae pietatis et charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eosdem Capitulum et Canonicos commendentur. Neque vero per hujusmodi aggregationes et receptiones, ullum omnino praejudicium, seu imminutio eorumdem Ordinariorum jurisdictioni irrogari, vel aliqua eisdem Ecclesiis, aut Locis Piis, aliisque praemissis exemptio, seu dictis Capitulo et Canonicis in easdem Ecclesias, vel Loca Pia, aliaque praemissa, seu in personas illarum illorumque regimini, administrationi, aut servitiis deputatas ullum omnino jurisdictionis, et auctoritatis genus acquiri, seu respective augeri censeatur. Facultatem tamen indulgendi, prout alias in certis casibus ab Apostolica Sede benigne indulgeri consuevit, ut in una, eademque Civitate, aut Oppido, duabus Ecclesiis, seu Cappellis, vel Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis, ubi speciales id circumstantiae suadeant, hujusmodi Indulgentiarum communicatio a dictis Capitulo et Canonicis concedi possit, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae per praesentes perpetuo tribuimus et impertimur.

S. Congr. Indulg. facultas tribuitur dispensandi super numero aggregationum.

Singulas tamen in singulis Civitatibus, Oppidis, et Locis.

Dummodo non sint Regulares, participesque aggregationis hujusmodi ex aliis Ecclesiis, quibus subjectae sint.

Nullum per id Ordinariis praejudicium inferri declaratur.

§. 46. Nos autem omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui hujusmodi Ecclesias, Cappellas, Oratoria, seu Altaria, eidem Vaticanae Basilicae servatis, ut supra, servandis, aggregata, in Epiphaniae Domini Nostri JESU CRHISTI, ac Dominicae Pentecostes, et Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Dedicationis ipsius Vaticanae Basilicae diebus Festis, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, nec non in una ex sextis feriis mensis Martii, vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti devote visitaverint, ibique pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, et Christianorum Principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus praedictis, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et impertimur. Iis vero, qui in Natalitiis Sanctorum Apostolorum, Andreae germani Fratris ejusdem Beati Petri, nec non Simonis et Judae, quorum corpora in dicta Vaticana Basilica requiescunt, et in utraque Cathedra, nec non in die Octava Natalis ejusdem Beati Petri, ac in Festo ipsius Vinculorum, item in Commemoratione Sancti Pauli Apostoli, et in ejusdem Conversione, ac in Festo Sancti Marci Evangelistae, necnon in reliquis sextis feriis mensis Martii, quibus nimirum ad sacra Dominicae Passionis monumenta, quae in dicta Basilica asservantur, pie veneranda totius Urbis devotio concurrit, vere poenitentes et confessi praemissa peregerint,

Dies enumerat queis Indulg. plenar. sic aggregatis largitur.

Item quibus septem annos, ac totidem quadragenas.

Ab Ascensione ad Kal. Aug. quotidianam quatuor annor. et tot. quadrag.

VII. Annos et totidem Quadragenas: Qui autem illas et illa a die Festo Ascensionis Domini Nostri JESU CHRISTI usque ad Kalendas Augusti, quo tempore ipsa Vaticana Basilica, in honorem SS. Martyrum, quorum corpora magno numero in ea condita sunt, assiduo Christifidelium concursu frequentatur, vere poenitentes, et cum proposito saltem confitendi, visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, singulis diebus, quibus id egerint, quatuor annos, et totidem Quadragenas; in reliquis autem singulis anni diebus, centum dies de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Caeteris anni diebus centum dier.

Similiter concedit Indulg. Stat. Basilicae.

§. 47. Denique ut ii, qui in diebus Stationum ejusdem Vaticanae Basilicae in Missali Romano descriptis, nimirum Dominica III. Adventus, omnibus Sabbatis quatuor Temporum, in Epiphania Domini, Dominica Quinquagesimae, Dominica Passionis, Feria II. Resurrectionis Domini, in Festo S. Marci Evangelistae, Feria IV. Rogationum, in Festo Ascensionis Domini Nostri JESU CHRISTI, ac Dominica Pentecostes, aliquam ex dictis Ecclesiis, seu Cappellis, aliisque superius expressis, cum dicto poenitentiae affectu, et confessionis proposito visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, Indulgentias Stationales, quas visitantes dictam Vaticanam Basilicam iisdem diebus consequuntur; qui vero duodecim vicibus in quolibet anno, totidem nempe diebus ab Ordinario loci semel tantum designandis, septem Altaria in qualibet ex dictis aggregatis Ecclesiis ab Ordinario similiter designanda, ut praefertur, dispositi, ac Deum orantes, visitaverint, easdem quoque Indulgentias, quae visitantibus septem designata Altaria in eadem Basilica existentia concessae sunt, ipsi quoque, perinde ac si Basilicam ipsam, seu respective Altaria hujusmodi in ea sita personaliter visitarent, consequi possint et valeant, similiter concedimus et indulgemus.

Nec non septem Altarium XII. vicibus in anno.

Praescribit Capitulo rationem praedictas Indulgentias communicandi.

§. 48. Volumus autem, ut hujusmodi Indulgentiae et gratiae spirituales dictis aggregatis seu aggregandis Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Hospitalibus, Confraternitatibus, et Locis Piis, ab iisdem Capitulo et Canonicis nominatim, et cum expressa mentione facultatis sibi per praesentes a Nobis impertitae, aliisque servatis, quae in Apostolica Constitutione felicis recordationis Praedecessoris nostri Clem. Papae VIII. die VII. Sept. anni Domini MDCIV. edita, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica*, praesertim circa gratuitam Literarum expeditionem, iisque etiam quae in Decretis a dicta Congregatione Indulgentiis, et Sacris Reliquiis praeposita die VI. Martii anni MDCVIII. et die X. Aprilis anni MDCCXX. editis statuta sunt, et non aliter, communicari possint et valeant. Ab illarum vero, eorumque Rectoribus, Administratoribus, Officialibus, et Ministris, in earumdem Indulgentiarum publicatione, necnon Eleemosynarum receptione, et erogatione, aliae similiter leges in Trid. Conc. Decretis, et in supradictis Clem. VIII. Literis, aliisque Romanorum Pontificum, et Apostolicae Sedis Constitut. atque Decr. praescriptae, sub poenis ibidem adversus transgressores respective statutis, inviolabiliter serventur, et impleantur.

Ratas habet et confirmat omnes Indulgentias Basilicae.

§. 49. Reliquas vero Indulgentias, et gratias spirituales, tam pro vivis, quam pro defunctis, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, aliisque ad id facultatem habentibus, ipsi Vaticanae Basilicae, ejusque Altaribus, et Cappellis, variis temporibus concessae fuerunt, et ibidem ad hunc diem proponi consueverunt; ac signanter quotidianam septem designatorum Altarium ejusdem Basilicae, necnon alteram etiam quotidianam septem ann. et totidem quadragenarum, a saepedicto Urb. VIII. Praedecessore per suas literas in forma Brevis die XV. Novem. anni MDCXXX. aliamque pariter quotidianam Plenariam a recol. mem. Decessore nostro Clem. Papa XII. per similes suas literas die XXII. Febr. an. MDCCXXXVIII. eamdem Basilicam devote visitantibus, ibique Divinam Majestatem venerantibus, et orantibus, sub certis modo et forma, concessas et elargitas, Nos earumdem praesentium tenore perpetuo approbamus, et confirmamus, ac etiam de novo sub eadem forma concedimus, et elargimur.

Jura Capituli in Monasteria, seu Abbatias unitas: Sancti Martini de Fara.

§. 50. Quod vero spectat ad praememorata Monasteria, Abbatias, sive Prioratus nuncupata, quae dudum a diversis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris eidem Basilicae unita, incorporata, atque subjecta fuerunt; postquam, ut accepimus, piae mem. Nicolaus Papa V. anno Domini MCDLIII. Monasterium, Abbatiam nuncupatum, S. Martini *de Valle*, seu *de Fara*, Ordinis S. Benedicti, nullius Dioecesis, Provinciae Theatin. olim commen-

dari solitum, praedictae Basilicae, seu illius Mensae Capitulari, cum dependentiis, annexis, et connexis suis universis, omnibusque Ecclesiis eidem Monasterio subjectis, perpetuo univerat, annexerat, et incorporaverat, ipsique Capitulum et Canonici Ordinariam et quasi Episcopalem jurisdictionem tam in Clerum, quam in Populum illius Territorii exercere consueverant, cum olim existens Archiepiscopus Theatin. tam Monasterium praedictum aliasque Ecclesias ab illo dependentes, quam etiam aliud Monasterium, Abbatiam quoque nuncupatum, S. Salvatoris *de Majella* ejusdem Provinciae Theatin. a recol. pariter mem. Julio Papa III. etiam nostro Praedecessore, anno Domini MDXLIX. praedictae Basilicae, seu illius Mensae Capitulari, similiter incorporatum et appropriatum, aliudque ipsius membrum Monasterium videlicet, Abbatiam pariter nuncupatum, S. Barbati *de Pollutro*, ejusdem Provinciae Theatin. quod piae mem. Gregorius Papa XIII. anno Dom. MDLXXXII. ejusdem Basilicae Sacrario univerat et incorporaverat, visitare contenderet, orta lite et causa inter praedictum Archiepiscopum ex una, et tunc existentes Capitulum et Canonicos ipsius Basilicae ex altera partibus, eaque in Causarum Palatii Apostolici Auditorio introducta, diuque agitata, sed adhuc indecisa pendente, Archiepiscopus, et Capitulum praedicti ad certam honestam inter se devenerunt concordiam, a praedicto Urbano Praedecessore anno MDCXXXVII. per suas Apostolicas literas, in forma specifica approbatam, per quam, inter alia, conventum, et declaratum fuit, dictum Monasterium S. Martini *de Valle*, seu *de Fara* nuncupatum, ac Terram, totumque, et integrum ejus Territorium, a Dioecesi Theatina penitus et omnino divisa, distincta, et separata, ac a quibuscumque visitationibus, correctionibus, superioritate, ac omnimoda jurisdictione pro tempore existentis Archiepiscopi Theatini, prorsus libera, exempta, et immunia esse et censeri debere, ipsumque Monasterium S. Martini cum ejus Territorio hujusmodi, nullius Dioecesis, praedictae Provinciae Theatinae, Sedique Apostolicae immediate subjectum existere, ac perpetuo fore; eisdem Capitulo et Canonicis in Monasterium praedictum, ejusque Territorium, Ecclesias, atque personas ipsi subjectas, plenam et totalem competere jurisdictionem temporalem, et spiritualem, Episcopalem, seu quasi, cum omnibus, et singulis praerogativis, privilegiis, et indultis, quae de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet, etiam cuicumque Monasterio, vel Ecclesiae, quae nullius sit Dioecesis, competunt, aut competere possunt, vel quae Romanis pro tempore Pontificibus et Sedi Apostolicae praedictae, eidem Basilicae et Capitulo concedere placuisset; adjectis nonnullis conditionibus ibidem latius expressis. At viceversa Capitulum et Canonici praedicti omnem et quamcumque jurisdictionem ipsis in aliud praefatum Monasterium Sancti Salvatoris *de Majella*, et quinque Parochiales Ecclesias in dicta Concordia nominatim enunciatas, et a Monasterio praedicto S. Salvatoris dependentes, illarumque Rectores, et Curatos, ac Vassallos, et homines Parochianos, quomodolibet competentem, seu per eos praetensam, eidem tunc existenti Archiepiscopo Theatino, ejusque Successoribus Archiepiscopis perpetuo concesserunt, et renunciarunt; reservata tamen sibi, suisque Successoribus, proprietate et directo dominio dictarum Parochialium Ecclesiarum, nec non ipsarum collatione; itaut quoties et quocumque modo aliquam ex ipsis vacare contingeret, illius collatio et provisio ad Capitulum Basilicae praedictae, approbatio vero personarum eisdem Parochialibus Ecclesiis praeficiendarum, quoad idoneitatem, ad Archiepiscopum Theatinum pro tempore existentem, absque tamen concursu, respective spectaret; verum durante vacatione alicujus ex praedictis Ecclesiis Parochialibus, Oeconomi deputatio ab Archiepiscopo, et ad ipsius arbitrium et electionem facienda esset; declaratio autem provisionis, seu mercedis OEconomo hujusmodi praestandae, a Capitulo praedicto dumtaxat fieri deberet; ac reservata pariter eisdem Capitulo et Canonicis libera collatione et provisione quorumcumque simplicium Beneficiorum, ratione utriusque praefati Monasterii, ad ipsius Capituli collationem alias pertinentium, quae pro tempore vacare contingeret. Praeterea sicuti conventum fuit, ut liceret Archiepiscopo Theatino, ejusque Successoribus Archiepiscopis, exigere a praedictis Ecclesiis, quarum jurisdictio ipsis cessa et renunciata fuerat, et ab earum Rectoribus, seu Vicariis, ea omnia, quae ratione Seminarii, vel alio quocumque titulo exigere consueverant; ita Capitulo et Canonicis praefatis expresse praeservatum fuit

S. Salvatoris de Majella.

S. Barbati de Pollutro.

Per Concordiam initam cum Arch. Theatino stabilita.

Ut nempe Abbatia S. Martini nullius dioecesis in plena Capit. Jurisdiction. existeret.

Et Abbatia S. Salvatoris de Majella ad Archiep. jurisdiction. spectaret.

Collatione quinque Paroch. Ecclesiar. cum approbat. Archiep. et simplicium omnium Beneficior. libera, reservata Capitulo.

Consuetar. Collectarum libera exactio ad Archiep. Canonum vero etc. ad Capitulum pertineret.

jus percipiendi et exigendi ab iisdem Ecclesiis, ex se, et absque ullo Archiepiscopi praedicti ministerio, sed manu regia, prout antea consueverant, omnes Canones, aliasque solitas et debitas praestationes; necnon easdem Ecclesias, quoties opus fuisset, visitandi, seu visitari faciendi per suos Commissarios. Ac demum omnia bona et res cujuscumque generis, etiam canones, seu livelli, et responsiones annuae, ad dictum Capitulum, ratione ejusdem Monasterii S. Salvatoris *de Majella*, ubique locorum in ipsa Dioecesi et Provincia Theatina, quomodolibet spectantia et pertinentia, illorumque possessio, dominium, et totalis administratio, cura, et gubernium, eisdem Capitulo et Canonicis reservata fuerunt; atque omnium et quorumcumque fructuum perceptio, libera, immunis, et perpetuo exempta ab ipso Archiepiscopo, et a quibuscumque taxis, contributionibus, et impositionibus tam ordinariis, quam extraordinariis, per Archiepiscopum aut Capitulum Theatinum, quocumque titulo, etiam Cathedratici, et Procurationis, vel alia quantumvis magis pia et favorabili causa, etiam privilegiata et privilegiatissima, quomodolibet et quandecumque imponendis, iisdem modo et forma, quibus praefatum Monasterium Sancti Martini, illiusque Territorium et bona, a praemissis omnibus exempta erant, et immunia; et alias prout in dicta Concordia, et Instrumento, seu scripturis publicis super illa confecto, vel confectis, memoratisque Urbani Praedecessoris praedicti Literis, plenius continetur. Quocirca Nos inviolabili Concordiae ejusmodi subsistentiae magis magisque consulere cupientes, ejusdemque Urbani Praedecessoris vestigiis inhaerentes, Concordiam ipsam novo Apostolicae nostrae approbationis, et confirmationis munimine roboramus; atque omnia et singula in illa, ut praefertur, conventa, pacta, et declarata, firma semper et illaesa omnino manere, ac plenarium et integrum effectum, executionem, et observantiam, perpetuis futuris temporibus, habere volumus et obtinere.

Hujusmodi Concordia Apostol. auctorit. in perpetuum confirmatur.

Item consuetudo Dimissoriales concedendi pro Ordinationibus in Abb. S. Martini.

§. 51. Insuper cum Capitulum, et Canonici praedicti, in antiqua et pacifica possessione, seu quasi, facultatis concedendi Dimissoriales literas personis eorum jurisdictioni, ratione dicti Monasterii S. Martini *de Fara*, subditis, sint et esse reperiantur, quamvis praeter antiquam hujusmodi possessionem, facultas praedicta nulli Apostolico privilegio expresse suffulta appareat; aequum proinde arbitrantes, ut ipsi a quibuscumque molestiis in posterum super hoc forsitan quandocumque, aut a quibuslibet inferendis penitus eximantur, dictaeque facultatis firmitati plenius et uberius consultum sit, eisdem Capitulo et Canonicis, ut ipsi subditis dicti Monasterii S. Martini *de Fara* nullius Dioecesis dictae Provinciae Theatin. literas Dimissoriales ad Clericalem Characterem et ad omnes etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines suscipiendos, prut hactenus consueverunt, etiam in posterum concedere libere et licite possint et valeant, dicta Apostolica auctoritate, tenore earumdem praesentium, perpetuo concedimus, et indulgemus.

Jura in alia quinque Monasteria, seu Abbatias.

§. 52. Alias itidem fel. rec. Pius Papa IV. similiter Praedecessor noster, intuitu, et in remunerationem subsidiorum, pro Sedis Apostolicae necessitatibus, a tunc existentibus Capitulo et Canonicis dictae Basilicae collatorum, per suas Apostolicas literas datas apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae MDLXIV. duodecimo Kal. Julii, alia quaedam Monasteria, Abbatias nuncupata, nempe S. Ruffilli Oppidi Forimpopilii, Ordinis S. Benedicti, tunc Brictinor. dioecesis, S. Martini in Montibus Congregationis Cistercien. ejusdem Ordinis, dioecesis Viterbien., ac S. Petri Licosati *de Camerota*; ac S. Nazarii *de Cuccaro*, ejusdem S. Benedicti seu alterius Ordinis, tunc etiam Policastren, et Caputaquen. respective dioecesum, nec non Prioratum S. Salvatoris in Ecclesia Monasterii S. Balbinae de Urbe, S. Augustini, seu alterius Ordinis, omnemque in ipsis statum, essentiam, ac dependentias, caeteraque vestigia et insignia Monastica et Regularia, Apostolica auctoritate perpetuo suppressit et extinxit, eorumque Ecclesias et loca ad statum saecularem redegit; nec non omnia, et singula sic suppressorum et extinctorum Monasteriorum, et Prioratus, eorumque annexorum, ac membrorum proprietates, possessiones, domos, aedificia, grancias, fructus, redditus, proventus, jura, jurisdictiones spirituales et temporales, vassallos et alios subditos, aliasque res et bona quaecumque, Mensae Capitulari Basilicae praedictae perpetuo applicavit, et appropriavit; itaut liceret ipsius Basilicae Capitulo et Canonicis, eorum omnium, et singulorum corporalem possessionem, seu propria auctoritate libere apprehen-

S. Ruffilli, S. Martini in Montibus, S. Petri Licosati, S. Nazarii, et S. Balbinae.

dere, et perpetuo retinere, ac hujusmodi fructus, redditus, et proventus in suos et dictae Mensae Capitularis usus et utilitatem convertere; nec non eorumdem suppressorum Monasteriorum et Prioratus Ecclesias, in spiritualibus et temporalibus regere et administrare; illisque, si id requirerent, per Cappellanum unum, seu plures, in divinis deservire; et quibus animarum cura immineret, illam per Vicarium, seu Vicarios idoneos, ad eorumdem Canonicorum et Capituli nutum ponendos et amovendos, exercere; aliaque onera illis forsan injuncta supportare; item omnia et singula Prioratus, Praeposituras, Dignitates, Officia, et Beneficia Ecclesiastica Saecularia, et Regularia, ad collationem, praesentationem, electionem, institutionem, confirmationem, et quamcumque aliam dispositionem Abbatum, et Prioris dictorum Monasteriorum, et Prioratus, communiter vel divisim quomodolibet pertinentia, quandocumque et quotiescumque illa deinceps vacare contigisset, etiam ad instar perpetuorum simplicium Beneficiorum Ecclesiasticorum, Beneficiatuum et Clericatuum nuncupatorum, in dicta Basilica existentium, personis idoneis saecularibus libere conferre, ipsasque personas ad illa praesentare, eligere, in eis instituere, electos confirmare, ac alias de illis plenarie disponere.

Cum jurisd. et Vicarior. ac Curat deputatione.

Ac Benefic. collatione et provisione.

§. 53. Praeterea Capitulum et Canonicos praedictos, quibus ejusmodi gratia ex causa onerosa concedebatur, a solutione annatae, et communium, ac quindenniorum, aliorumque jurium, Collegiis S. R. E. Cardinalium, et Officialium de annatis participantium, et Camerae Apostolicae, ratione dictorum Monasteriorum et Prioratus, vel fructuum, reddituum, et proventuum, sic ipsis, ut praefertur, applicatorum, quomodocumque debitorum; ac etiam a contributione subsidii charitativi, et triennalis, refectionis pontium, viarum, fluminum, aquaeductuum, fortalitiorum, et aliarum impositionum, et a supportatione quorumcumque Seminariorum, Clericorum, et decimarum, subsidiorum etiam charitativorum, et onerum tam ordinariorum, quam extraordinariorum, etiam per Sedem Apostolicam, pro defensione ejusdem Sedis, et quavis alia de causa, quatumvis urgentissima et necessaria, impositorum, et in futurum quomodolibet imponendorum, exemit et liberavit, ac perpetuo exemptos, liberos, et omnino immunes esse et fore, voluit et decrevit; etiamsi in impositionibus hujusmodi caveretur expresse, quod similes exemptiones nemini suffragarentur.

Exemptio ab Annatis, et quibuscumque aliis oneribus etiam futuris.

§. 54. Ipsasque hujusmodi suppressorum Monasteriorum et Prioratus Ecclesias, loca, res, et bona quaecumque a pro tempore existentium Brictinoren., Viterbien., Policastren., et Caputaquen. Episcoporum, et dictorum Ordinum Abbatum, ac aliorum Superiorum visitatione, correctione, jurisdictione, et quavis alia superioritate tam in spiritualibus, quam in temporalibus, pari auctoritate etiam perpetuo liberavit, absolvit, et exemit; aliaque disposuit, statuit et decrevit, prout latius et uberius in praedictis literis continetur.

Nec non ab Ordinarior. ac Superior. quorumlibet jurisdictione

§. 55. Cum autem post applicationem et appropriationem praedictas, Capitulum et Canonici Vaticanae Basilicae praefatae, tanquam separatum territorium habentes, in locis sibi per easdem applicationem et appropriationem subjectis, Ordinariam et quasi Episcopalem jurisdictionem omnimode et privative quoad Episcopos exercerent; cumque de anno Domini MDXCV. tunc existens Episcopus Policastren. jus visitandi praedictam Ecclesiam S. Petri Licosati, aliasque Parochiales Ecclesias ab ea dependentes, sibi in vim Decretorum Concilii Tridentini, ac tanquam Sedis Apostolicae Delegato, competere praetendisset; exhibitis pro parte Capituli et Canonicorum praedictorum memoratis literis Pii Papae IV. super hujusmodi unione, et incorporatione, Congregationi tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Interpretum, et rationum utrinque deductarum momentis per eosdem Cardinales mature perpensis, prodiit resolutio: *Non licere Episcopo Policastrensi dictas Parochiales Ecclesias, tanquam post Concilium Tridentinum unitas, visitare.*

Exemptio Monasterii S. Petri Licos. et subjectarum Eccles. ab Episc. Policastren. jurisdict. etiam delegata, in contradictorio judicio firmatur.

§. 56. Postmodum vero, nempe annum MDCLXXI., cum tunc etiam existens Episcopus Brictinorien. coram eadem Congregatione Cardinalium conquestus fuisset, se spolium suae Ordinariae jurisdictionis in oppido Foripompilii, et in terra Meldulae, eorumque Territoriis a praedicto suppresso Monasterio S. Ruffilli dependentibus, passum fuisse, ipsaque Congregatio Cardinalium eidem Episcopo Brictinorien. mandasset, ut jura sua, citatis Capitulo et Canonicis praedictis, deduceret; plura Dubia in dicta Congregatione Cardinalium sub

Item exemptio Monasterii S. Ruffilli, ejusque Territorii a jurisdict. Episc. Brictinor.

die XII. Martii anni MDCLXXII. proposita ac disputata fuere, ac inter alia: *An praedicti Capitulum et Canonici literas Dimissoriales Personis jurisdictionis ejusdem Monasterii concedere possent;* verum nulla decisiva resolutione tunc capta, ejusmodi causa et controversia plures annos siluit, donec eadem anno MDCCXIX. instaurata, nobismet ipsis tunc ejusdem Congregationis Secretarii munus obeuntibus, propositoque Dubio: *An, etiamsi constaret de Territorio separato, Capitulum et Canonici praedicti Dimissorias concedere possent;* eadem Cardinalium Congregatio die XXI. Januarii praedicti anni *Negative* respondit. Subinde vero ad idem dubium reproposito sub die XXIII. Augusti anni MDCCXX., rescripsit, quod *iidem Capitulum et Canonici Romano Pontifici supplicarent, pro obtinendo Indulto Literas Dimissoriales praedictas concedendi.* Quare ipsi recol. mem. Innocentio Papae XIII. etiam Praedecessori nostro preces porrexerunt, ad hoc ut eis facultatem indulgeret ejusmodi literas Dimissoriales dandi suis subditis tam ratione Monasterii S. Ruffilli, quam aliorum S. Petri Licosati, et S. Nazarii; quas tamen preces Innocentius praedictus eidem Congregationi Cardinalium remisit pro voto, mandavitque instantiam proponi, citatis Episcopis interesse habentibus. His itaque ad judicium evocatis, propositoque die XXIII. Maji anni MDCCXXII. altero dubio: *Num foret consulendum Sanctissimo pro concessione ejusdem Indulti?* Dilata fuit resolutio, et rescriptum, *ut expectaretur exitus Causae super Territorio separato*, pendentis in Causarum Palatii Apostolici Auditorio, de cujus voto eadem Congregatio hujusmodi controversiam alias cognoscendam esse censuerat.

Sententia Rotalis super Territ. separato favore Capituli.

Hinc igitur Capitulum et Canonici eamdem causam prosecuti fuerunt in dicto Auditorio; a quo demum duae, prima nempe sub die XXVIII. Aprilis ann. MDCCXXV., altera vero sub die III. Maji subsequentis anni coram bon. mem. Carolo Cerro tunc uno ex ejusdem Auditorii Auditoribus, favore Capituli et Canonicorum praedictorum emanarunt Decisiones, per quas, utraque parte informante, et juribus et allegationibus hinc inde deductis accurate discussis, resolutum fuit, *constare de Territorio separato in dicto Monasterio S. Ruffilli;* ac demum Rotali Sententia desuper expedita, praedictus Episcopus Brictinorien. Decisiones et Resolutiones Rotales hujusmodi acceptavit, et liti super articulo dicti Territorii separati cessit; ipsique Capitulum et Canonici, votum, quod exquirebatur, ab ipso Auditorio expediri obtinuerunt.

Episcopus Brictinorien. lite renunciat

§. 57. Quibus omnibus ex parte eorumdem Capituli et Canonicorum, fel. record. Benedicto Papae XIII. Praedecessori quoque nostro sufficienter expositis, subjunctoque inter alia, quod, juxta mentem praefatae Cardinalium Congregationis satis apertam et declaratam, ubi semel de praedicto Territorio separato constitisset, optati Indulti concessio, tanqam rationi et aequitati consentanea, jam controverti non poterat; idem Benedictus Praedecessor supplicationibus ex eorum parte super hoc sibi porrectis inclinatus, per suas literas in forma Brevis datas Beneventi die XXVI. Aprilis anni MDCCXXVII. Capitulo et Canonicis praedictis, ut ipsi subditis Monasteriorum praedictorum S. Ruffilli Oppidi Foripompilii Ravennaten., et S. Petri Licosati, ac S. Nazarii Salernitanae respective Provinciarum, tunc et pro tempore existentibus, literas Dimissoriales ad Clericalem characterem, et ad omnes, etiam Sacros, et Presbyteratus, Ordines suscipiendos, concedere libere et licite possent, et valerent, Apostolica auctoritate, facultatem perpetuo tribuit, et impertitus fuit; quacumque litis pendentia, caeterisque contrariis non obstantibus; prout in ipsius literis praedictis etiam plenius continetur; quas quidem literas Nos ipsi in omnibus et per omnia confirmamus et innovamus, et quatenus opus sit, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, per easdem praesentes decernimus, statuimus, et declaramus, praedictis Capitulo et Canonicis in Terris, seu Locis ratione praedictorum suppressorum Monasteriorum S. Ruffilli Oppidi Foripompilii Ravennaten., ac S. Petri Licosati, seu de Cosato nuncupati, et S. Nazarii Salernitan. respective Provinciarum, sibi subjectis, Ordinariam, et quasi Episcopalem jurisdictionem, et hujusmodi jurisdictionis exercitium, cum vero, proprio, distincto, separato, et particulari Territorio, nullius Dioecesis, libere competere; eisdemque licere literas Dimissoriales ad Clericalem characterem, omnesque, etiam sacros et Presbyteratus, Ordines suscipiendos, personis jurisdictioni praedictae respective subditis concedere et impertiri.

Consequenter Benedict. XIII. Indultum pro concessione literar. Dimissoria. Capitulo impertitur.

In loco mania spectantia ad Abbatias S. Ruffilli, S. Petri Licosati, et S. Nazarii Ordinaria jurisdictio Capitulo plenius asseritur.

§. 58. Utque etiam Monasterium Monialium Ordinis S. Francisci Cappuccinarum nuncupa-

Speciale indultum conceditur pro

regimine Monasterii, etiam quoad Clausuram.

tarum, quod in Oppido Meldulae dicti Territorii praefati Monasterii Sancti Ruffilli Foripompilii anno MDCCXLII. vigore Decreti et Commissionis die XVIII. Augusti praecedentis anni a Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita expeditae, et tunc existenti Basilicae praedictae Archipresbytero directae, atque a Vicario dictorum Capituli et Canonicorum in eodem Territorio in Spiritualibus Generali executioni rite demandatae, canonice erectum fuit, jure ordinario, et privative quoad omnes etiam viciniores Ordinarios, visitare, ac super ipsius Monasterii, et illius Monialium regimine, disciplina, statu oeconomico, aliisque quibuslibet, etiam quoad clausuram, ea omnia et singula, qua in Domino judicaverint salubriter expedire, seu per se, seu per Vicarium praedictum, juxta tamen Canonicas Sanctiones, statuere et ordinare possint et valeant; ex speciali gratia etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Urb. VIII. Privilegium pro directione litterarum et Commissionum Apost. quoad Mon. S. Martini de Fara.

§. 59. Cumque saepedictus Praedecessor noster Urbanus Papa VIII., per suas in forma Brevis literas Apostolicas die XX. Aprilis anni MDCXLII. datas, inhaerendo Decretis die XII. ejusdem mensis et anni a Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanatis, statuerit et mandaverit, quascumque tam justitiam, quam gratiam concernentes, etiam quoad dispensationes matrimoniales, etiam in forma Brevis, ac in forma *Significavit*, et collationem Beneficiorum in forma *Dignum*, et gratiosa, nec non commissionum *Si in evidentem*, respective nuncupatarum, et absolutionum, aliarumque similium gratiarum Literas Apostolicas, quoad Personas primodicti Monasterii S. Martini de Valle, seu de Fara, ac Terrae, totiusque et integri Territorii praedictorum, eorumdem Capituli et Cononicorum Vicario in Spiritualibus Generali in dicto Monasterio tunc et pro tempore constituto, et non alteri, tam a Datario, Brevium Secretorum Secretario, et Cancellariae Apostolicae Regente, quam ab omnibus et singulis aliis Datariae, Secretariae Brevium praedictorum, Cancellariae, Poenitentiariae, et Camerae Apostolicarum, Curiaeque Romanae Officialibus, tunc et pro tempore pariter existentibus, caeterisque, ad quos quomodolibet et quandocumque spectaret, dirigi debere; decernens ex tunc irritum et inane, si quid secus a quoquam scienter, vel ignoranter attentari contingeret: Cumque etiam, sicut accepimus, non solum a praedicta super negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, sed ab aliis quoque Congregationibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in Urbe institutis, ac etiam a dicta Secretaria Brevium nostrorum Secretorum, et aliis Romanae Curiae Officiis et Tribunalibus, pleraeque commissiones et literae etiam Apostolicae, quoad res et personas alterius praedicti Monasterii S. Ruffilli, ejusque Territorii et locorum ei subjectorum, vel ipsis Capitulo et Canonicis, vel eorum Vicario ibidem in Spiritualibus Generali, dirigi soleant, et jampridem consueverint; Nos, ipsarum quoque praesentium tenore, praedictas Urbani Praedecessoris literas approbantes et confirmantes, tam dictum Monasterium S. Martini de Valle, seu de Fara Provinciae Theatinae, quam alia S. Ruffilli Oppidi Foripompilii Ravennatens. ac S. Petri Licosati, et Sancti Nazarii Salernitanae respective Provinciarum Monasteria, inter alia nullius Dioecesis cum Territorio separato, et jurisdictionis quasi Episcopalis exercitio, Monasteria, quorum Praesulibus, seu Vicariis in Spiritualibus Generalibus quaecumque literae Apostolicae, etiam sub Plumbo expeditae dirigi solent, adscribimus et adnumeramus, ac in infrascriptis Officiis, Tribunalibus, et Secretariis adscribi et annumerari volumus et decernimus: Mandantes propterea non solum dictis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus, ac pro tempore existentibus Majori Poenitentiario, et Brevium Secretario, eorumque Ministris, verum etiam Dilectis quoque Filiis Cancellariae Apostolicae Regenti, et Camerae etiam Apostolicae Pro-Summatori, ac Majoris Praesidentiae Abbreviatoribus, ac eorum Officialibus, Substitutis, et Ministris, nec non omnibus et singulis Romanae Curiae Tribunalibus, eorumque Judicibus, et Notariis, ut quascumque literas Apostolicas tam sub Plumbo, quam in forma Brevis, sive per Cancellariam, sive per Cameram, aut per Officium minoris gratiae nuncupatum, vel Contradictarum, super collationibus Beneficiorum, et Dispensationibus Matrimonialibus, ac aliis quibuscumque gratiis, concessionibus, et Indultis, ac dispensationibus expediendas, aliasque omnes commissiones tam gratiam, quam ju-

Eadem directio in multis observabatur quoad alia Monasteria.

Pontif. privilegium et consuetud. antiquam confirmat, et extendit ad alia Monasteria, in Regestis Rom. Curiae describenda.

Et ad directionem et executionem quarumcumque literarum et commiss. Apost.

stitiam concernentes, et ad partes mittendas, pro personis et locis tam primodicto, quam tribus aliis praedictis Monasteriis, eorumque jurisdictioni subjectis, et sub Ordinaria, et quasi Episcopali praedictorum Capituli et Canonicorum jurisdictione existentibus, eorumdem Capituli et Canonicorum Vicariis in eisdem Territoriis in Spiritualibus Generalibus pro tempore existentibus, et non aliis, dirigant et dirigi faciant, ac curent. Utque ipsi Vicarii pro tempore existentes literas et commissiones praedictas exequi, nec non in causis et negotiis, quae in iisdem literis continentur, procedere in omnibus et per omnia licite valeant et debeant, quemadmodum alii quicumque Locorum Ordinarii in suis respective civitatibus et dioecesibus, procedunt, et procedere possunt ac debent, eisdem auctoritate et tenore, statuimus, ac respective concedimus et indulgemus.

Exemptiones a Pio IV. concessae pro dd. Monasteriis instaurantur.

§. 60. Praeterea omnes et singulas a Pio Papa IV. Praedecessore praedicto in eisdem literis concessas, et superius enunciatas exemptiones a solutione et contributione annatarum, et communium, ac quindeniorum aliorumque jurium Collegiis S. R. E. Cardinalium, et Officialium de annatis participantium, et Camerae Apostolicae, ratione eorumdem suppressorum Monasteriorum, et Ecclesiarum ab ipsis dependentium, illorumque fructuum, quomodocumque debitorum, nec non a contributione subsidiorum, et quarumcumque impositionum, ac supportatione Seminariorum, Decimarum, aliorumque praedictorum onerum ordinariorum, et extraordinariorum, et ex quavis causa quantumvis urgentissima et necessaria impositorum, et in futurum quomodolibet imponendorum, in eadem amplissima forma specialiter et expresse, ac plenarie et integre innovamus: Districtius inhibentes praedictis Collegiis, nec non Spoliorum, juriumque Camerae Apostolicae debitorum Collectoribus, Subcollectoribus, et aliis quibuscumque Camerae praedictae et Cancellariae Officialibus et Ministris praesentibus et futuris, ne Capitulum et Canonicos praedictos super iis ullo umquam tempore molestare vel inquietare, seu adversus exemptiones hujusmodi aliquid attentare quoquo modo audeant vel praesumant.

Libera provisio Ecclesiarum Curat. Territorii S. Ruffilli, tanquam amovibilium Capitulo asseritur.

§. 61. Quia vero, sicut etiam accepimus, non semel contigit, quod nonnulli Vicarii a Capitulo et Canonicis praedictis, ad exercitium curae animarum, in Parochialibus Ecclesiis sub incorporatione et applicatione praefata comprehensis amovibiliter deputati, sibi de hujusmodi Ecclesiis, seu Vicariis, tanquam perpetuis et collativis, ac etiam Sedi Apostolicae reservatis, per viam simplicis vel novae provisionis, Apostolica auctoritate provideri curarunt; hinc factum est, ut progressu temporis eaedem Ecclesiae, seu Vicariae, tanquam perpetuae et collativae, atque etiam Apostolicis reservationibus pro tempore obnoxiae censerentur: contra praedictarum Pii IV. Praedecessoris literarum seriem, in quibus, ut praemissum est, cavetur expresse, quod in Ecclesiis, quibus animarum cura imminet, ea per Vicarium, seu per Vicarios idoneos, ad eorumdem Canonicorum et Capituli nutum ponendos et amovendos, exerceatur. Et quidem paucis ante annis, vacante Parochiali Ecclesia S. Nicolai de Meldula, is, qui a Capitulo et Canonicis praedictis in ea Ecclesia Vicarius amovibilis fuerat deputatus, diuturnam litem et controversiam sustinere coactus fuit adversus alterum, qui de eadem Parochiali Ecclesia, tanquam de perpetua Vicaria vere collativa, et dispositioni Apostolicae reservata, sibi Apostolica auctoritate provideri obtinuerat. Verum quum Nobis compertum sit, hujusmodi causam, et controversiam in Causarum Palatii Apostolici Auditorio, coram bon. mem. Carolo Calcagnini tunc ipsius Auditorii Decano, postmodum vero Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali, introductam, praemisso examine ac discussione juris eidem Capitulo competentis quoad hujusmodi Vicariorum ad nutum amovibilium deputationes, non solum in praedicta Ecclesia S. Nicolai de Meldula, sed etiam in caeteris omnibus Ecclesiis in praedictis Pii IV. Praedecessoris literis expressis, sive contentis, atque ipsa quoque Dataria Apostolica pro suo jure et interesse ad causam admissa et audita, tandem per binas Decisiones, sub die XI. Februarii, et XIV. Junii anni MDCCXXXVII. respective emanatas, favore Vicarii praedicti a Capitulo deputati definitam fuisse; sententiae Rotalis expeditione desuper subsequuta: Nos idcirco, ne ulteriora praejudicia praedictis Capitulo et Canonicis in posterum similibus ex causis, cum eorum juris imminutione, et controversiarum dispendiis, irrogari contingat, praedictam facultatem deputandi Vicarios ad eorum nutum amovibiles

Causa in Auditorio Rotae agitata, contradicente Dataria Apost. et favore Capituli decisa.

Ejus jura Auctorit. Apostol. stabiliuntur in perpetuum.

in singulis Ecclesiis et Beneficiis, quibus cura imminet animarum, eisdem Capitulo et Canonicis per Pium IV. Praedecessorem in suis praecitatis literis concessam, et attributam, usque adeo firmam, validam, et efficacem fuisse et esse, atque perpetuo fore, statuimus et declaramus, ut per quascumque impetrationes de Ecclesiis et Beneficiis ejusmodi, tanquam perpetuis, ab Apostolica Sede obtentas; quas omnes et singulas, utpote irritas, ac subreptionis et obreptionis vitio laborantes, ad omnes et quoscumque effectus viribus omnino vacuamus; ac etiam per quascumque collationes, aut provisiones alias forte, vel ab ipso Capitulo Vaticano, vel ab aliis quibuscumque Collatoribus, sive per concursum, sive sub alia qualibet forma, titulo, et expressione de iisdem factas; quas pariter aut nullas et irritas fuisse, aut in simplices deputationes resolvi respective decernimus, et declaramus; nullus collativae qualitatis status in eisdem induci potuerit, aut inductus esse censeri possit; omnesque et singulas collationes, provisiones et quasvis alias dispositiones etiam in posterum de ipsis Ecclesiis et Beneficiis, tanquam perpetuis, et collativis, per quoscumque, etiam per dictam Sedem Apostolicam, cum quibusvis clausulis et decretis, faciendas vel obtinendas, si id quandoque fieri contigerit, tanquam praeter, et contra mentem et intentionem Romani Pontificis factas, vel obtentas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore, et nullum cuilibet jus, aut etiam possidenti titulum per eas acquiri, nullamque demum praesumptionem, aut statum, Capituli praedicti aut Canonicorum juribus contrarium, induci, aut firmari posse, volumus atque decernimus: Non obstantibus nostrarum Cancellariae, et Datariae Apostolicarum regulis, aliisque etiam in corpore juris clausis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Capit. Decret. de Benefic. Monast. S. Ruffilli conferendis in personas illius Territorii ab Innoc. XI. confirmatum probat et confirmat.

§. 62. Caeterum Capitulare decretum, per quod an. MDCLXVII. a tunc existentibus Capitulo et Canonicis dictae Basilicae, ut accepimus, statutum fuit, quod Beneficia in locis jurisdictionis dictae Abbatiae Sancti Ruffilli Oppidi Foripompilii consistentia, tam quibus cura imminet animarum, quam sine hujusmodi cura, quae quidem, juxta easdem literas dicti Pii IV Praedecessoris, personis idoneis saecularibus, ad instar Beneficiorum Ecclesiasticorum, Beneficiatuum, et Clericatuum nuncupatorum in dicta Basilica existentium, ab eodem Capitulo conferri debent, de caetero turnatim per Hebdomadarios Clericis de eadem Dioecesi, si reperirentur idonei, exclusis exteris, conferrentur; quod quidem Decretum Ven. mem. Innocentius Papa XI. noster quoque Praedecessor per suas literas in forma Brevis sub die XXV. Februarii an. MDCLXXVIII. expeditas approbavit et confirmavit; Nos pari auctoritate per praesentes itidem approbamus et confirmamus.

Indultum se immiscendi in criminalibus ab Urbano VIII. Canonicis antea concessum instauratur.

§. 63. Denique perpendentes, quod in exercitio jurisdictionis spiritualis et temporalis, quae tam in civilibus, quam in criminalibus, ratione nonnullorum ex praedictis Monasteriis, saepedictae Basilicae, ejusque Mensae Capitulari, ut praefertur, unitis atque subjectis, ipsius Capitulo, et Canonicis competere dignoscitur; vel etiam occasione administrationis Castri S. Petri in Formis, vulgo *Campomorto* nuncupati, in ejusdem Basilicae et Capituli dominio et proprietate existentis, frequenter evenire poterit, ut negotia et causae criminales, etiam sanguinis, ab eodem Capitulo et Canonicis praedictis tractari, atque jussiones et mandata pro reorum detentione, aut legitimarum poenarum executione, expediri necessario debeant; ideoque ipsorum Canonicorum, aliorumque ad negotia et causas hujusmodi cognoscendas per Capitulum ipsum pro tempore deputandorum conscientiae securitati consulere volentes, quemadmodum alias a felic. record. Urbano Papa VIII. Praedecessore nostro per literas Apostolicas sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Aprilis anni MDCXXVIII. datas, concessum fuit, Nos etiam dilectis filiis ejusdem Vaticanae Basilicae Capitulo et Canonicis capitulariter congregatis, nec non Canonicis extra Capitulum Camerariis, et Secretario, ac uni et alteri Canonicis, ad praedictorum Monasteriorum atque Locorum regimen, et ad praefati Castri administrationem specialiter deputatis, nunc et pro tempore existentibus, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ut, eorum munere hujusmodi durante, et occasione jurisdictionis eidem Capitulo in praefata Monasteria, eorumque loca, et homines vassallos, et subditos competentis, sive administrationis praedicti Castri, in negotiis et causis criminalibus quibuscumque, quoties opus fuerit, se immiscere, ac in eis consilium, mandata, et

Enunciantur personae, quibus competit indulti usus.

jussiones, tam verbo, quam in scriptis dare, et debitae executioni demandare, seu demandari facere, etiamsi forte sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, seu etiam mors inde sequatur, dummodo tamen a sententia in causa sanguinis per ipsos ferenda omnino abstineant, libere et licite, ac absque ullo conscientiae scrupulo, aut irregularitatis, seu cujusvis alterius poenae vel censurae Ecclesiasticae incursu, possint et valeant.

Judicibus a Capit. deputatis pro Abbatis S. Martini in Mont. et Campo portuo assentitur facultas exercendi jurisdictionem extra districtum suae deputationis.

§. 64. Hoc etiam statuentes, ut Judex a Capitulo deputatus in Causis tam criminalibus, quam civilibus, locorum et hominum praedicto Monasterio Abbatiae nuncupato Sancti Martini in Montibus Viterbien. Dioecesis subjectorum, quamvis in Oppido Vetrallae ejusdem dioecesis extra Districtum propriae jurisdictionis resideat, quaecumque opportuna decreta interponere, et sententias in dictis causis proferre valeat, juxta antiquam consuetudinem, quae pro aliis etiam Judicibus locorum hujusmodi, in quibus ob aerem insalubrem, aliasve causas, ordinariam residentiam habere non licet, et praesertim pro altero Judice ab eodem Capitulo in causis praedicti Castri Sancti Petri in Formis nuncupati similiter deputato, et in Veliterna Civitate residente, obtinere dignoscitur; utque decreta, et sententiae, quas ipse in causis hujusmodi alioquin rite condiderit, seu pronunciaverit, non ideo nullitatis vitio subjacere censeantur, propterea quod extra districtum jurisdictionis sibi demandatae prolatae fuerint.

Perpetuae Constitut. vigor, ejusque observantia constabilitur.

§. 65. Ac decernentes has nostras literas, etiam ex eo quod quicumque in praemissis, vel illorum aliquo quomodolibet interesse habentes, vel habere putantes, ad hoc vocati, et auditi non fuerint, aut ex quibusvis aliis causis, occasionibus, vel praetextibus, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, aut alias infringi, vel quomodolibet refractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse, easque omnino sub quibusvis contrariis Constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, et specialibus, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut alias quandocumque, et quibusvis de causis etiam pro tempore factis, minime comprehendi; sed ab illis semper exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, ac de novo concessas, semperque et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo, et inviolabiliter observari, ac praedictae Basilicae Vaticanae, illiusque nunc existentibus et futuris Archipresbytero, Capitulo, et Canonicis, ac Clero, aliisque personis, Ecclesiis, et locis, quorum favorem eaedem praesentes quomodolibet concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere; eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel illorum occasione, etiam per alias Almae Urbis Basilicas, et Ecclesias, illarumque Capitula, vel Collegia, aut quoscumque alios, quavis auctoritate, quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus literis narratorum, etiam quoad Literarum Apostolicarum superius enunciatarum, aliorumve Monumentorum Datas etiam veriores, nullatenus umquam teneri, nec ad id in Judicio, vel extra, cogi seu compelli posse; sicque in praemissis ab omnibus censeri, ac ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate, et potestate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Judicum executorum deputatio.

§. 66. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Ostiensi, ac Portuensi Episcopis ac Dilecto Filio Causarum Curiae Camerae Apostolicae Auditori Generali, eorumque in Episcopatibus, et Officio hujusmodi Successoribus pro tempore futuris, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Archipresbyteri, ac Capituli, et Canonicorum dictae Basilicae Principis Apostolorum, aliorumque quorum

favorem eaedem praesentes concernunt, aut alicujus eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes, et in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, praedictam Basilicam Principis Apostolorum, ipsiusque Archipresbyterum, Capitulum, et Canonicos, et Clerum, aliasque Ecclesias, et loca praedicta, caeterosque omnes, quos eaedem praesentes quomodolibet concernunt, et concernent in futurum, illis omnibus, et singulis pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos, vel quempiam ex ipsis desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet, et rebelles cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae fuerint, per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis quibuscumque amplissime derogatur.

§. 67. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, etiam de jure quaesito non tollendo, ac de Indulgentiis non concedendis *ad instar*, ac Symmachi, et Pauli II. de rebus Ecclesiae non alienandis, nec non Bonif. VIII. qua cavetur, ne quis extra suam civitatem, vel dioecesim ad Judicium evocetur, seu ne Judices a Sede Apostolica praedicta deputati, extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, vel praesumant; et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad Judicium non trahatur; nec non Innoc. IV. Sixti etiam IV. Innoc. VIII. et praedicti Pauli II. contra exemptos editis, ac Pii IV. de gratiis interesse Camerae Apostolicae quomodolibet concernentibus in eadem Camera registrandis, et insinuandis, aliisque Apostolicis aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non Camerae praedictae, et aliarum Urbis Basilicarum, ac quarumvis Ecclesiarum etiam Cathedralium, et Metropolitanarum, ac Monasteriorum, et Locorum, ac Almae Urbis praedictae, et quorumvis illius Tribunalium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis respective statutis, et consuetudinibus, reformationibus, usibus, stilis, et naturis, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eidem Camerae, et ab ea causam habentibus, dictisque Ecclesiis, earumque Praesulibus, Archipresbyteris, Capitulis, Superioribus, et personis, nec non praedictis Collegiis, ac etiam Urbi praefatae, Populoque Romano, nec non Vicario, Gubernatori, Senatori, Conservatoribus, Camerae ejusdem Urbis nostrae, eorumque Locatenentibus, et quibusvis aliis personis, Civitatibus, et Locis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, et dictam Sedem, vel alios quoscumque, et quacumque dignitate et auctoritate fulgentes, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis, et multiplicatis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis, et perpetuae firmitatis praemissorum omnium, et singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, aliisque omnibus, et singulis, quae Nos, et superius enunciati Praedecessores nostri in singulis nostris, et ipsorum Praedecessorum praecitatis literis, indulta, privilegia, praerogativas, exemptiones, et gratias eidem Basilicae Principis Apostolorum, illiusque Archipresbytero, Capitulo, Canonicis, Clero, personis, et locis attributa concernentibus, voluimus, ac respective voluerunt non obstare, caeterisque contra-

riis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Constitutionis exemplis MSS. aut impressis auctoritas tribuitur.

§. 68. Ad hoc autem, ut eaedem praesentes literae amplius innotescant, et de eis in singulis locis, in quibus forsan opus erit, fides commode fieri possit; volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis etiam impressis, manu Secretarii Capituli ipsius Basilicae Principis Apostolorum, seu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo ejusdem Capituli, seu personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in Judicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

§. 69. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum confirmationum, approbationum exemptionum, concessionum, indultorum, statutorum, decretorum, mandati, praecepti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. A. XII. die 27. Martii 1752.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLII. Sexto Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

LIX.* *Foris* » Dilecto Filio Michaeli Larnage Moderno, et pro tempore existenti Priori Majori Ordinis Cartusiani.

Intus vero » BENEDICTUS XIV.

Dilecte Fili salutem. Paternae charitati nostrae, qua Insignem istum Sanctissimis Institutis, et virtutum exemplis celeberrimum Ordinem Cartusianum, cui cum tanta prudentiae, et zeli laude praees, prosequi pergimus, permolestum accidit, quod nonnullae Cartusiae Italiae quamplurimas querelas, ac postulata ad Nos, et Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, et Regularium praepositam detulerint. Ac primum quidem institum fuit contra ordinationem in Comitiis generalibus anno 1749. habitis praescriptam, qua Procuratoribus cujusvis Cartusiae prohibetur, ne in Granciis suae Cartusiae quisque deinceps permaneat, et commoretur. Deinde vero adversus alteram in Capitulo pariter generali celebrato anno 1750. immediate sequenti, per quam statutum fuerat, quod Priores Italiae, cum munera Officialium cujusque Cartusiae vacare contingeret, neminem in eorumdem Locum nisi de Prioris Majoris, vel Capituli generalis Consilio, et Sententia eligere, et subrogare possent. Tertium denique adversus quamplurima Decreta in novissima Visitatione Provinciae S. Brunonis a Dilectis Filiis Jacobo Gaillard Procuratore Generali, et Petro Paulo Bedini Priore Cartusiae Trisulti Visitatoribus deputatis edita, et promulgata. Etsi autem ex recepto instituto omnia, et singula ejusdem ad Nos delata, remiserimus ad memoratam Congregationem Cardinalium, ut prius de singulis per opportuna, secretaque documenta plenissime, et legitime edocta quoad formalem, habita vero querelarum, postulatorumque editorum ratione, quamcumque deliberationem, Decretumque procederet. Nos tamen propter studiosam voluntatem, qua ducimur ad omne Ordinis vestri commodum, decus, et incrementum procurandum, et exoptatae ejusdem Ordinis sine strepitu, et figura Judicii quieti, et tranquillitati providendum, quamvis gravissimae Sacrosancti Apostolatus sollicitudines, et curae aliter suaderent, et urgerent, libenter omnia, et singula antedicta ab eadem Congregatione Cardinalium avocantes, post maturam, exactamque eorumdem cognitionem, discussionemque in hanc devenimus Sententiam, quam tenore praesentium literarum declaramus, et Apostolica auctoritate servandam praecipimus, et mandamus. Nimirum Ordinationem Procuratoribus cujuslibet Cartusiae in Granciis permanendi, et commorandi prohibentem, tanquam validam, justamque

confirmamus, iisdemque tamen indulgemus, ut per ea dumtaxat tempora, et propterea negotia, in quibus ipsorum in qualibet Grancia praesentia, et commoratio omnino necessaria est permanere, ac commorari liceat, nec aliter cum conditio, et status uniuscujusque Cartusiani Ordinis Alumni juxta suam Professionem servandi silentium, et a rebus omnibus secessum non patiatur diutius, quam par est extra Claustra permanere, et commorari. Praeterea alteram quoque ordinationem approbamus, et confirmamus, quae ad diminuendum excedentem numerum Procuratorum praescripta Priori cujusque Cartusiae injungit, ut antequam expressus sive Prioris Majoris, sive Capituli Generalis consensus obtineatur, Officialium electio minime fiat. Volumus tamen, et mandamus, ut eadem ordinatio ad solos tantummodo Procuratores restricta intelligatur, et omnino eousque servetur, donec post maturum examen a Visitatoribus Provinciarum per actum statutus fuerit certus Procuratorum numerus, qui pro congruenti cujusvis Cartusiae indigentia necessarii reputabuntur. Quo sane Procuratorum numero semel statuto a Te, vel a Capitulo Generali approbato, volumus pariter, atque mandamus, ut antedicta ordinatio quoad Procuratores dumtaxat, quos praeter statutum ejusdem numerum Priores cujusvis Domus sibi eligere, et constituere voluerint, omnem habeat vigorem, et firmitatem. Atque eo libentius adducti sumus, ut utramque Ordinationem sub expressis modis confirmemus, quod easdem iis conformes perspeximus, quae a Capitulo Generali anno 1678. habito juxta praecedentes Ordinationes a fel. rec. Innoc. Papa X. Praedecessore nostro praescriptas in omnibus conformes editae fuerant. Caeterum cum Decreta pro Provincia S. Brunonis in ultima Visitatione, ut antedictum est, facta, per Nos ipsi sigillatim expenderimus, atque eadem Spiritui Regulae, ac Statutis Ordinis consentanea, et conformia repererimus, eapropter approbamus, et confirmamus, eorumque debitam executionem, et observantiam praecipimus, et mandamus. Verum in iis dumtaxat Domibus, sive Cartusiis, in quibus praeter colloquia, recreationes, et spatiamenta a Statutis Ordinis concessa in more per antiquam consuetudinem, et Visitatorum scientiam posita erat, et servabatur Recreatio Feriae tertiae, Nos quamvis per Statuta vestra non reperiatur concessa, ex peculiari tamen gratia iisdem dumtaxat Domibus, seu Cartusiis indulgemus, ut deinceps Monachi earumdem Domorum recreatione dictae Feriae tertiae hoc pacto gaudere, et frui possint, dummodo tamen haec ipsa Recreatio, quam caetera colloquia, Recreationes, et Spatiamenta a Statutis concessa sub praescriptis per Statuta modis, formisque omnino, nec aliter peragantur. Volumus autem, atque mandamus hujusmodi indulgentiam nostram dictis tantummodo Domibus, in quibus eadem Recreatio Feriae tertiae erat in usu, impertitam nullo pacto in exemplum adduci posse, ut memorata Recreatio a Nobis, ut praemittitur concessa, ab illis Domibus, in quibus nondum in usum, et consuetudine reperitur, umquam usurpari, vel permitti possit.

Denique, ut haec omnium, et singulorum praemissorum decisio nota fiat Domibus non minus memoratae Provinciae S. Brunonis, quam caeterarum Italiae Provinciarum, Tibi dilecte Fili injungimus, et mandamus, ut singulis earumdem Provinciarum Domibus communicandam, et patefaciendam, ejusque debitam executionem, et observantiam inducendam satagas, et cures. Nos namque super praemissis perpetuum inposterum imponimus silentium sub poenis a fel. record. Innoc. XII. Praedecessore nostro inflictis per suas in simili forma Brevis literas die 23. mensis Julii anno 1698. datas, quas confirmamus, et quatenus opus sit, iterum innovamus. Interim Tibi, Tuisque Religiosis Alumnis Apostolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae die 29. Martii 1752.

CONGREGATIONIS LX.

Piorum Operariorum commodis et incrementis per opportuna Decreta et Indulta prospicitur.

Dilectis Filiis Presbyteris Saecularibus Congregationis Piorum Operariorum Vocalibus ad Capitulum Generale vocatis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pontificis animus erga Congr. be-

Quam propensa studiosaque voluntate nostra Congregationem vestram per praedicationem

nevolus declaratur.

Verbi Dei et sacras Missiones ad Majorem divini nominis gloriam adaugendam, et aeternam Christifidelium salutem procurandam assiduis laudabilibusque laboribus intentam prosequamur, etsi vobis, dilecti Filii, ex impertitis a Nobis eidem Congregationi vestrae Apostolicae benignitatis documentis jam satis compertum esse non ambigimus; tamen, ut clarius vobis constet, nova Pontificiae charitatis testimonia addere satagimus et optamus. Quoniam autem, sicut perspectum habemus, Institutum ejusdem Congregationis vestrae, tam saluberrimis Regulis et Constitutionibus ab Apostolica hac Sancta Sede confirmatis, necnon Capitularibus decretis munitum esse, ut illud integerrime servantes, alacriter valeatis viam mandatorum Dei currere, et digne ambulare vocatione, qua vocati estis; ita Nobis persuasum est, non aliunde evenire, quod quamplurimi ejusdem Congregationis vestrae Alumni, quippe qui nullis Professionis vel solemnium votorum legibus obstringuntur, sed omnimoda ipsam Congregationem relinquendi libertate gaudent, postquam in eadem formati fuerint, facile illam deserant, quam propter nonnulla vitae severioris incommoda, et propter nonnullas rei familiaris aliquibus necessariae angustias; Ea propter Nos, qui Congregationem vestram magis magisque increscere in Domino cupimus, opportuna Apostolicae providentiae, auctoritatisque remedia adhibere censemus, ut, sublatis impedimentis, det Dominus unicuique perseverantem in Congregatione vestra famulatum, quo in diebus nostris, ac semper, et merito et numero eidem Domino serviens Congregatio vestra augeatur.

Causae, quibus adductus Pont. decernit, et indulget, ut infra.

De electione Praepositi Gener. aliorumque Officialium et Rectorum.

§. 1. Itaque vos, dilecti Filii, rogamus et in Domino hortamur, ut, quoniam ad Generale ejusdem Congregationis vestrae Capitulum propediem celebrandum convenistis, primum quidem communibus animis, unum Deum prae oculis habentes, eum Congregationi vestrae Praepositum Generalem praeficere contendatis, qui inter caeteros, ad quos spectat, prudentia, doctrina, et pietate praecellens, debitam observantiam exemplis accendat, charitate foveat, auctoritate tueatur. Deinde vero non minori cura incumbere debetis ad aliorum Rectorum et Officialium electionem, quos caeteris praeesse obstrictos, oportet, non ut dominantes in subditis Fratribus, sed tamquam formam gregis factos ex animo, se gerere; atque illis praeclaro religiosarum virtutum exemplo praecedere, et praesto semper esse, cujusque praesertim Domus Rectorem, maxime prae aliis eum, qui Domui Sanctae Mariae ad Montes hujus Almae Urbis nostrae constitutus, Collegii etiam nostri Neophytorum onus sustinet.

De loco convocationis Capituli Generalis, et residentiae Superiorum Majorum.

§. 2. Praeterea cum neque per Constitutiones, neque per Decreta Capitularia praescriptum reperiatur, quod Generale Capitulum vestrum singulis trienniis in Civitate Neapoli dumtaxat celebrari, atque inibi Generalis Praepositus vester commorari debeat; et aliunde constet, plurimum incremento Congregationi vestrae futurum, si Capitulum Generale hujusmodi in uno quidem Neapoli, in altero vero triennio Romae alternatim celebraretur, et vicissim Praepositus Generalis cum suis Assistentibus, juxta Constitutiones vestras, domicilium haberet (quamplurimi fortasse Status nostri etiam Ecclesiastici, aliarumque Nationum Romae habitantes Viri Congregationi vestrae adscriberentur; nec tam pauci hic invenirentur, ubi messis certe multa est): Ea propter a vobis, dilecti Filii, exposcimus, ut hac in re utilitatem Congregationi vestrae inde provenientem considerantes, nostris etiam votis obsecundare satagatis.

Praedicationis Quadragesimalis onus remittitur, sub certis conditionibus.

§. 3. Insuper Nos certiores facti, vobis, quorum praecipuum munus est Missiones in Civitatibus, Oppidis, aliisque locis dumtaxat peragere, nunquam vero Quadragesimalem Praedicationem, nisi in una tantummodo Ecclesia ejusdem Domus S. Mariae ad Montes Congregationi vestrae concessa obire, posse gravissimum evenire, ut quisque sibi Quadragesimales ejusmodi Conciones concinnet, alias nullibi prorsus recitandas; vos ad hujusmodi onere Apostolica auctoritate tenore praesentium liberamus et absolvimus, atque emolumentum triginta scutorum monetae Romanae eidem Domui pro dicta annua Quadragesimali Praedicatione constitutum vobis relinqui, et solvi mandamus; dummodo, praeter Conciones, Instructionesque singulis feriis quintis ac Sabbathis per annum post prandium, dum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium veneration expositum est, haberi solitas, vobisque injunctas, singulis etiam Dominicis diebus Quadragesimae, et diebus festis de praecepto Ecclesiae in ea occurrentibus, necnon in Dominicis diebus sacri Adventus, omnino ex Pulpito, sive mane, sive post vespe-

ras, vel rudimenta Catholicae Fidei, vulgo Doctrinam Christianam, et Catechismum Romanum, tradatis, vel Evangelium Dominicae explicetis, vel Concionem aliquam habeatis; atque insimul per octo continuos dies Exercitia Spiritualia in eadem Ecclesia, tempore opportuno, prout vobis visum fuerit, omnino peragatis; et publicam expositionem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, cum piis precibus et sermonibus, per novem continuos dies ante Nativitatem D. N. J. C. a vobis pro vestra pietate et placito fieri solitam, omnino etiam deinceps non omittatis.

Stipendium pro XV. Missis in Mense singulis tradi jubetur.

§. 4. Porro etsi vestri Instituti rationi maxime confert, ut in Congregationem vestram adlegantur nonnisi Adolescentes generis animique dotibus conspicui, et ad Patrimonii titulum Sacris Ordinibus initiati, vel initiandi, bonisque abundantes, quibus, praeter victum a Congregatione contribuendum, ad quaecumque alia vitae necessaria commoda uti quisque debet; tamen interdum accidit, quod nonnullis ex bonis suis nullum capientibus emolumentum, per Superiores indulgeatur, ut stipendium aliquot Missarum, quae caeteroqui pro Congregatione celebrandae sunt, alicui impendatur; Nos scientes aliquem reperiri posse, qui indigentiam suam Superioribus aperire erubescat; volumus et mandamus, ut deinceps omnibus et singulis dictae Congregationis Sacerdotibus emolumentum quindecim Missarum ab ipsis in singulos menses celebrandarum tribuatur et elargiatur; dummodo unusquisque reliquas Missas in commodum utilitatemque Congregationis suae celebret et applicet.

De surrectione matutina, et Officii Divini recitatione.

§. 5. Quod vero per Constitutiones statuitur, ut matutina surrectio per aestivos praesertim menses fiat post unum mediae noctis abactae horam, sive aliter, prout Congregationi Vocalium melius expedire visum fuerit; Nos aequum ducimus, ut tam per aestivos quam byemales menses, sive vernos, sive autumnales, tres omnino, sive plures horae post mediam noctem praecedant matutinam surrectionem. Ut autem haec nostra providentia non noceat recitationi Officii Matutini cum Laudibus, recitationem hujusmodi quocumque tempore fieri posse, sive ante, sive post Solis occasum permittimus et statuimus.

De Lecto, et vestitu interiore, ac victu.

§. 6. Inter caetera etiam austerioris vitae incommoda illud quoque a quamplurimis existimatur non leve, quod in Constitutionibus, quoad lectum, hisce verbis praescribitur: *Non useranno lenzuola di lino, nè dormiranno sù matarazzi, ma sù la paglia, se però l' infermità o bisogno particolare di alcuno, a giudizio del Medico, e del Rettore della Casa, non ricercasse altrimenti;* ita etiam illud, quod hisce quoque verbis praecipitur: *Non porteranno Camicie di lino, ma solamente di lana;* Nos sane paterna charitate considerantes, non eamdem esse omnium conditionem valetudinemque, quoad hanc partem ipsis Constitutionibus pari auctoritate et tenore derogamus, ac liberum licitumque esse unicuique declaramus ac permittimus, ut deinceps quisque ad sui libitum culcitris, linteaminibus, atque etiam interulis, vulgo *Camicie*, ex lino, sine ullo conscientiae angore uti valeat. In ipsis quoque Constitutionibus cum statutum sit hisce pariter verbis: *Il vestito sarà comune agli onesti Sacerdoti e Chierici Secolari. Niuno userà seta, nè sorte alcuna di vanità, tanto di sopra, quanto di sotto; e nel vestire saranno uniformi, per quanto sarà possibile;* Nos itidem statutum hujusmodi laudamus et confirmamus; sed quoniam apud vos usus et consuetudo inolevit, quod Caligae, et Tibialia, vulgo *Calzette*, Femoralia, *o Calzoni*, Thoraces, *o Camiciole*, albi dumtaxat coloris esse debeant, quo albo colore honesti Sacerdotes et Clerici Saeculares in praesentia non utuntur; volumus et mandamus, ut deinceps Caligae, Tibialia, Femoralia, et Thoraces hujusmodi fiant sive ex lana, sive gossipio, sive lino dumtaxat, sed coloris nigri, sive subnigri, et subobscuri, et quoad fieri possit, uniformis. Laudamus pariter cibi, potusque parsimoniam, quae a vobis servatur; sed optamus, ut provida a Rectoribus Superioribusque habeatur ratio tum laborum, tum conditionis, tum valetudinis, tam quoad ciborum quantitatem, quam quoad eorumdem qualitatem et condimentum.

Adhortatio ad promovenda Congregationis incrementa.

§. 7. Caeterum, dilecti Filii, haec, quidem Nos habuimus, quae pro majori vestrae Congregationis commodo et incremento statuenda, permittenda, et suggerenda duximus; derogantes Constitutionibus, Regulis, et Capitularibus decretis ejusdem Congregationis, in iis dumtaxat, quae omnibus praemissis adversantur; Vos vero accurate animadvertere debetis, si qua alia corrigi, emendari, mutari, et addi ac statui digna supersint, ut, ubi supremae

Apostolicae nostrae auctoritatis partes vobis opus esse noveritis, Nos opportune conferamus. Nobis enim nihil magis cordi est, quam ut Congregatio vestra non solum nova suscipiat incrementa religiosarum virtutum; sed pluribus etiam abundet Ecclesiasticis Viris, qui in vinea Dei Sabaoth adlaborent; atque in obsequium Apostolicae hujus Sanctae Sedis, hic Romae praesertim, quemadmodum pauci tamen sese summa cum cordis nostri laetitia praeclare gerere pergunt, labores suos impendere et adhibere adnitantur. Interim, ad prosperi successus auspicium, ab Omnipotenti Deo bonorum omnium largitore vobis, dilecti Filii, uberem coelestium charismatum copiam supplices poscimus, et Apostolicam Benedictionem studiosae nostrae ad vobis opportune gratificandum voluntatis pignus peramanter impertimur.

Dat. die 12. Apr. 1752.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Aprilis MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Cajetanus Amatus.

LXI. ERECTIO OPPIDI PERGULÆ

In Civitatem: cum concessione plurium facultum Vicario Episcopi Eugubini ibidem deputando.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romanum decet Pontificem ita subditorum Populorum utilitatibus, et ornamentis consulere, ut Apostolicae Sedis benignitas erga ipsos magis in dies elucescat; ipsique promeritos fidelitatis, et obsequii sui fructus ex provida Supremi Principis liberalitate percipiant.

Pergulae Oppidi decora et ornamenta

§. 1. Sane exposita Nobis pro parte Dilectorum Filiorum Communitatis, et Hominum Nostrae Terrae Pergulae Eugubinae Dioecesis petitio continebat, quod dicta Terra quinque Millibus et ultra Incolarum referta, usque ab initio decimi tertii Saeculi Cives habuit Nobilitatis gradu decoratos, et subsequentibus temporibus plurimi in ea Literarum et Armorum laude illustres Viri, et Ecclesiarum Praesules, ac Romanae Curiae Praelati, nec non Militaris Ordinis Sanctorum Mauritii et Lazari Equites ortum duxerunt: ita ut hac nostra aetate plures ibi adsint Familiae Nobiles, etiam cum aliis Nobilibus Civitatum Nostrae Ditionis Familiis jampridem affinitatibus et cognationibus junctae: nec ei deest Annonae ubertas, ac rerum omnium ad commoda vitae opportunarum copia; pluresque artes, et artificia, ac potissimum textrinae, in ea florent: Insuper eidem Terrae, et in ea Jusdicenti unum Castrum et quinque loca subjecta sunt: Ipsius vero Terrae Magistratus, ex triplici Personarum gradu, Nobilibus nempe, Civibus, et Plebeis constans, nonnullis praerogativis, et juribus gaudet, signanter in causis de damno dato judicandi, ac visitandi cibaria: Praeterea in ea copiosus est tam Saecularis, quam Regularis Clerus, ac una, quae insignis etiam est, Collegiata, aliis quinque Parochialibus supereminet Ecclesiis; sex item Virorum Regularium Coenobia, tria Monialium Monasteria, unum Orphanorum Conservatorium, duodecim Laicorum Confraternitates, tria pro infirmis pauperibus excipiendis Hospitalia numerantur: Mons quoque Pietatis, et alter Frumentarius, ac Bibliotheca ad commune commodum instituta, patent: Quodque magis in pretio habendum merito putant, in Ecclesia Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini ejusdem Terrae trium Sanctorum Martyrum ipsius Terrae Protectorum exuviae, nimirum Secundi, Agapiti, et Justinae, debita honorificentia coluntur.

Incommoda ex Episcopatus Curiae Eugubinae distantia.

§. 2. Contra vero, sicut eadem expositio subjungebat, praedicta Terra non leve ex eo patitur incommodum, quod cum in spiritualibus Ecclesiae Eugubinae, illiusque Episcopo pro tempore existenti subsit; Eugubina autem Civitas per triginta circiter milliaria ab ipsa Terra distet, ac iter sit asperum et invium; idcirco ipsius Terrae Incolae pro qualibet etiam levi causa ad Civitatem praedictam se conferre adstricti, non modicum ferunt praejudicium et dispendium, ac in iis, quae promptum exigunt remedium, justitiae et providentiae differtur administratio.

Preces pro splendoris incremento, et pro reformatione regiminis in Spirit.

§. 3. Quare pro parte eorumdem Communitatis et Hominum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus, ut ipsis et eorum Patriae praemissis dotatae titulis novum decoris adderetur incrementum, et simul relatis incom-

modis stabile remedium praestaretur, eamdem Terram in Civitatem erigeremus, et aliquam illius in spiritualibus regiminis formam praescriberemus, erigentes illius Collegiatam in Concathedralem, seu ad minus ibidem constituentes specialem Vicarium Generalem. Porro hujusmodi Communitatis, et Hominum praedictorum instantia alias per nos ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositam, remissa, quum nunquam in ea proposita extiterit; nuper vero eadem Communitas, et Homines praedicti, Nobis iterum supplicari fecerint, ne eorum preces per viam judicii proponi sineremus, sed quaecumque Nobis opportuna visa fuissent, ad ipsius Terrae decoris augmentum, et spiritualis regiminis commoditatem, per Nos ipsos statuere, respective concedere dignaremur.

Remittuntur ad Congreg. Episc. et Regul.

§. 4. Nos igitur, qui omnibus, et potissimum Dilectis nostris Ecclesiaeque Romanae etiam in temporalibus subditis, rationabilia petentibus, benignum auditum praestare non detrectamus, dictamque Terram ab aliis etiam Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris Apostolicae liberalitatis favoribus cumulatam fuisse accepimus, ac potissimum a felicis record. Urbano Papa VIII. qui ejusdem Terrae Hominibus singulare Privilegium, ut Nobis etiam relatum fuit, per suas in forma Brevis die XV. Junii Anno Domini MDCXXXIII. expeditas Literas concessit; ut scilicet quoscumque agrorum suorum fructus, atque proventus, cujuscumque generis e Territorio ipsius Terrae extrahere, et ad quemcumque locum Ecclesiasticae Ditioni mediate, vel immediate subjectum, usque ad distantiam unius dietae, sine ulla cujusvis Datii, tam Camerae Apostolicae, quam etiam aliarum ejusdem Ditionis Civitatum, Terrarum, aut Locorum Communitatibus debiti, solutione, deferre libere possint; Eosdem Communitatem, et Homines, ac eorum singulares Personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes: Motu proprio, et ex certa scientia, de Apostolicae, et supremae Nostrae potestatis plenitudine, praedictam instantiam, ac etiam quamcumque litem, et causam super praemissis in dicta Congregatione introductam, in eaque pendentem, ad Nos avocando, penitus et omnino extinguimus, omnibusque et singulis desuper interesse habentibus, seu habere praetendentibus, perpetuum silentium imponimus.

Pont. Praedecessorum benignitatem erga Terram Pergulae imitari constituit.

Instantes absolvit ad cautelam, instantiam vero ad se avocat.

§. 5. Porro Terram Pergulae praefatam in Civitatem perpetuo erigimus et instituimus; eique Civitatis titulum ad denominationem, cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, ac decorationibus, quae caeteris omnibus Ditionis Nostrae Pontificiae Civitatibus competere dignoscuntur; Nec non Magistratui ejusdem Terrae in Civitatem, ut praefertur, erectae, consuetos honores, et insignia, quibus aliarum ejusdem Ditionis Civitatum Magistratus, de jure, usu, aut consuetudine gaudere, seu quibus uti respective possunt et valent; ita tamen, ut pro tempore existens Ecclesiae Eugubinae Episcopus praedictus in dicta Terra per Nos in Civitatem, ut praefertur, erecta, residere minime teneatur, sed illa Ecclesiae Eugubinae, ut antea subjecta remaneat, eadem auctoritate concedimus, et impertimur.

Pergulam in Civitatem erigit cum consuetis honoribus, Juribus etc.

Salva illius subjectione Ecclesiae Cathedrali Eugubinae.

§. 6. Ac insuper Venerabili Fratri moderno, et pro tempore existenti Episcopo Eugubino praedicto, simili auctoritate, ac earumdem praesentium tenore committimus et mandamus; ut in dicta Terra per Nos in Civitatem, ut praefertur, erecta, unum Presbyterum, vel saltem Clericum saecularem, in aliqua publica et approbata studiorum Universitate Laurea Doctorali insignitum, ac probum et idoneum, Exterum, cum congrua ab ipso Episcopo Eugubino taxanda, et a Communitate persolvenda, sin minus ejusdem Terrae in Civitatem per Nos, ut praefertur, erectae, seu dictae Eugubinae Dioecesis, Civem vel Incolam, in sui ipsius Vicarium Foraneum stabiliter deputare, ac in unius pro tempore cedentis, vel amoti, aut decedentis locum, alterum eisdem qualitatibus praeditum quantocitius modo expresso subrogare debeat, et teneatur; Ipse autem Vicarius sic deputatus, Civiles quidem omnes et singulas causas, Ordinarias, executivas, et summarias, et tam in petitorio, quam in possessorio judicio, et profanas, ac mixtas, et compromissas, inter personas dictae Terrae Pergulae per Nos in Civitatem erectae, ejusque Territorii, seu Comitatus, Incolas, et Ordinariae di-

Vicarium Foraneum Episcopi Eugubini ibidem deputandum constituit.

Hujusmodi Vicarii facultates in Judiciis Civilibus, enunciat.

cti Episcopi Eugubini Jurisdictioni subjectas, seu Loca, Collegia, et Universitates inibi consistentia, vel etiam inter alios quoscumque, ubi de rebus ibidem sitis agatur, et alias super quibuscumque pecuniarum summis, et Censibus, aliisque responsionibus, rebusque ac bonis ad quamcumque pecuniarum summam, ac numerum, quantitatem, et valorem ascendentibus, rebusque aliis in actis causarum hujusmodi forsan deducendis, et illorum occasione, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, et connexis, servatis tamen de jure servandis, in prima hujusmodi causarum instantia, audire, cognoscere, decidere, fineque debito terminare possit et valeat; cum facultate dictas Partes respective, et omnes alios, quos opus sit, citandi, eisque, quoties opus fuerit, etiam sub Censuris Ecclesiasticis, et pecuniariis poenis suo arbitrio moderandis, et juxta dicti Episcopi Eugubini mandata applicandis, inhibendi, et in eventum non paritionis, poenas, et censuras praedictas incurrisse, et incidisse declarandi, easque aggravandi, reaggravandi, interdicendi, et brachii saecularis auxilium invocandi, ac alia quaevis opportuna decreta condendi; ac sententias proferendi, et loco sententiarum hujusmodi, etiam mandata executiva in forma solita et consueta decernendi, ac illa, et quidquid per eum judicatum fuerit, exequendi, expensas taxandi, et moderandi, non tamen ipsas Partes a vinculo juramenti ad effectum agendi, aliisque Censuris Ecclesiasticis absolvendi; sed, his exceptis, alia omnia et singula faciendi, gerendi, et exercendi, in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna; salva semper appellatione in secunda instantia ad Curiam Episcopalem Eugubinam, vel ad Nos, et Sedem Apostolicam.

Item in criminalibus levioribus.

§. 7. Item causas criminales minoris momenti, et in quibus poena corporis afflictiva locum non habet alioquin ad Forum dictae Curiae Ecclesiasticae pertinentes, et in ipsa Terra per Nos in Civitatem erecta, ejusque Territorio seu Comitatu emergentes, possit Vicarius praedictus per se ipsum cognoscere, definire, et resolvere; in aliis vero causis criminalibus quibuscumque ad dictum Forum spectantibus, ibidemque emergentibus, denunciationes, et querelas excipere, ac etiam ex officio, in casibus alioquin permissis, corpus delicti efformare, testes examinare, aliaque indicia colligere, et cumulare possit, et valeat; Processus tamen in hujusmodi causis confectos, postquam completi fuerint, ad ipsam Curiam Episcopalem Eugubinam transmittere teneatur; ut vel ibi sententia proferatur, vel si eadem Curia Episcopalis Eugubina satius duxerit hujusmodi Processus ad ipsum Vicarium, una cum instructione ad effectum procedendi, remittere, tunc ipse Vicarius eidem instructioni se conformans in omnibus et per omnia, instructionem, et ordinationem a dicta Curia Episcopali susceptas exequi debeat, et teneatur.

Quid in gravioribus et urgentibus.

§. 8. Possit etiam dictus Vicarius, in criminalibus hujusmodi causis gravibus et urgentibus, et cum in mora periculum fore judicabitur, tam ad recurrentium instantiam, quam etiam ex officio, ut supra, ad inquisiti capturam procedere. Interim vero, donec ejusdem Curiae Episcopalis Eugubinae, ad quam hujusmodi capturae notitiam statim deferre debebit, mandata susceperit, hujusmodi Inquisitum in Carceribus Laicalibus Pergulae, quatenus tutae sint, retinere valeat; alioquin illum ad ipsam Civitatem Eugubinam, et ad dispositionem dictae Curiae Episcopalis, cum debitis cautelis transferri curet.

Et quid in matrimonialibus.

§. 9. Ita quoque idem Vicarius examina Testium super statu libero personarum ejusdem Terrae Pergulae in Civitatem per Nos, ut praefertur, erectae, ejusque Territorii, seu Comitatus Incolarum, excipere; seu si aliquam personam hujusmodi a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium contra Haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum ad juramentum praestandum in supplementum probationum, quae ipsi forsan pro aliquo tempore, quo vagam duxisset vitam, super hujusmodi status libertate deessent, admitti contingat; idem Vicarius personam hujusmodi examinare, eique poenas contra Polygamos in jure inflictas comminare, ac juramentum suppletivum hujusmodi ab ipsa persona, ut moris est, praestandum, excipere possit et valeat; cum hoc tamen, ut tam testium praedictorum depositiones, quam acta examinis et juramenti hujusmodi, ad dictam Curiam Episcopalem Eugubinam transmittantur, ad quam privative spectabit ordinationes opportunas, ac licentias tradere pro Matrimoniorum celebratio-

ne, vel attestationes super status, et conditionis libertate expedire.

Praemissas facultates Vicario tribuendas decernit, alias vero arbitrio Episcopi.

§. 10. Nos enim hujusmodi Vicario Foraneo ibidem, ut praefertur, deputando, praemissas omnes et singulas facultates et auctoritates a dicto Episcopo Eugubino nunc et pro tempore existente (etiam Synodales dictae Ecclesiae Eugubinae, vel aliae, etiam Apostolicae, Constitutiones et Ordinationes, ac Juris Canonici dispositiones obstarent) communicari et committi, ac respective ab eodem Vicario ibidem libere et licite exerceri posse permittimus et indulgemus, ac etiam volumus et mandamus; et quatenus opus sit, Nos ipsi, easdem omnes et singulas facultates et auctoritates eidem Vicario, ut praefertur, deputando, ac pro tempore quandocumque existenti, dicta auctoritate Apostolica, et earumdem tenore praesentium concedimus et impertimur: Non intendimus tamen impedire Episcopum Eugubinum pro tempore, quo minus possit eidem Vicario majores Facultates concedere, ultra praedictas, quatenus ei ita expediens videatur.

Acta Juridica coram Vicario gesta, apud Notarium publicum in ipsa Civitate Pergulae asservantur.

§. 11. Statuentes etiam, ut omnium Judiciorum tam civilium, quam criminalium, aliorumque omnium, quae coram dicto Vicario agitata, gesta, et juxta praemissas dispositiones nostras resoluta ac decisa fuerint, Acta, Instrumenta, et Documenta quaecumque, apud Notarium Foraneum dictae Curiae Episcopalis Eugubinae, in eadem Terra Pergulae per Nos, ut praefertur, in Civitatem erectae, publicum Officium habentem, cum debitis cautelis, etiam perpetuo asservari debeant; ut inde authentica Exempla, seu Transumpta, et fides, ad omnem petentium instantiam, in casibus alioquin permissis, seu cum requisitis licentiis, aut etiam de mandato Superiorum, ad quos pertinet, et ex officio, legaliter extrahi valeant; et sic observata et extracta, eamdem fidem in judicio, et extra, ubique locorum obtineant, ac si in ipsa Cancellaria Episcopali Eugubina asservata, indeque extracta fuissent.

De annua praestatione tum Episcopo Eugubino, tum dicto Vicario Pergulae, si extraneus fuerit, solvenda.

§. 12. Ne autem per haec aliquod eidem Cancellariae Episcopali Eugubinae, ejusque juribus, ipsique Mensae Episcopali Eugubinae, quae exiguis potius est dotata redditibus, inferatur praejudicium, quod sane, sicut accepimus, ex calculo per decennium efformato, ad summam annuam quadragintaquinque scutorum circiter monetae Romanae de Juliis decem pro quolibet scuto hujusmodi ascensurum foret, cum praesertim hujusmodi Vicario, quatenus extero, ut supra, deputando, congruum pro ejus substentatione, ut infra, tribui debeat honorarium; volumus etiam et mandamus, ut ex redditibus Communitatis dictae Terrae per Nos in Civitatem, ut praefertur, erectae, illius Magistratus pro tempore existens dicto Venerabili Fratri moderno et pro tempore existenti Eugubino Episcopo annuam summam dictorum quadragintaquinque scutorum dictae monetae singulis annis in duabus aequalibus solutionibus in fine semestris, nec non ut ex eisdem Communitatis praedictae redditibus supra enunciatum quoque honorarium eidem Vicario, ut praefertur, deputando, juxta summam per eumdem modernum et pro tempore existentem Episcopum Eugubinum praefigendam, omni mora, dilatione, et contradictione cessantibus, et absque eo quod eaedem summae ex quavis causa, colore, et praetextu retardari, vel imminui, aut impugnari possint, omnino solvere respective debeat et teneatur.

Clausulae et Decreta pro concessionum firmitate.

§. 13. Decernentes, easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quantumvis legitima et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse. Sed ipsas praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere et

fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et ejusdem S. R. E. Camerarium, ac alios Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, et alios quoscumque, quavis praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, et judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio Judicum Executorum.

§. 14. Quocirca venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Corinthien. moderno Ducatus et Provinciae Urbinatensis Praesidenti, ejusque Successoribus Praesidentibus, vel etiam futuris Nostris et Apostolicae Sedis in eadem Provincia et Ducatu de Latere Legatis ejusdem S. R. E. Cardinalibus; ac modernis etiam et pro tempore existentibus Archiepiscopo Urbinatensi, et Episcopo Eugubino, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alios, seu alium, auctoritate nostra, quoties pro parte interesse habentium requisiti fuerint, aut ita expedire judicaverint, praesentes nostras Literas, et in eis contenta, solemniter publicantes, praedictis Communitati, Magistratui, et Hominibus, ac etiam Vicario pro tempore, ut praefertur, deputando, et omnibus et singulis, quorum favorem praemissa concernunt, in praemissis etiam omnibus et singulis, efficacis defensionis praesidio assistant, faciantque eos omnibus et singulis praefatis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos, et eorum aliquem, per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, inquietari, aut impediri; Contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, et praeeminentiae fuerint, per Censuras Ecclesiasticas, et pecuniarias poenas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariis.

§. 15. Non obstantibus contrariis quibuscumque, etiam Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibus, aut Synodalibus, etiam praedictae Eugubinae Ecclesiae Conciliis, editis Constitutionibus, et Ordinationibus, dictaeque Ecclesiae, et Civitatis Eugubinae, ac ejusdem Terrae in Civitatem, ut praefertur, erectae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Personis et Locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, aut alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, et forma in illis tradita observata, praesentibus exprimerentur et insererentur, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, commissionis, concessionis, impertitionis, indultorum, voluntatum, mandatorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romae die 19. Aprilis 1752. an 12.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, decimo octavo Kalendas Maji, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa De Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 29. Aprilis ejusdem Anni.

LXI.* BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii Emanuelis Gutierres Fratris expresse professi, ac Procuratoris Provinciae Mexicanae sub invocatione Sanctissimi Nominis Jesu Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, nomine ejusdem Provinciae Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum exposito, quod ipsa Provincia plures habet sibi subjectas Parochias Indorum, quae Doctrinae appellantur, in quibus institui debent in Parochos ii dictae Provinciae Professores, callentes diversa idiomata, quibus utuntur Indi illarum Parochiani, ut eis Sacramenta, aliaque ad salutem necessaria administrent: quam ob rem ipsa Provincia, ad effectum incitandi suos Alumnos ad addiscenda illa idiomata, nonnulla pro tempore praemia constituerat iis, qui curam animarum in hujusmodi Parochiis exercerent; et signanter sibi concedi obtinuerat a fel. record. Clemente PP. XII Praedecessore Nostro per quasdam in simili forma Brevis die XXVIII. Maji MDCCXXXVIII. expeditas literas incipientes « *Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas etc.* » ut quatuor dictarum Doctrinarum, seu Parochiarum antiquiores Rectores omnibus juribus, privilegiis, gratiis, et exemptionibus, quibus Provinciales absoluti gaudent, uti, frui, et gaudere valerent, nonnullis praescriptis conditionibus; prout in dictis literis, quarum tenorum praesentibus pro plene, et sufficienter expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri: et in eadem expositione subjuncto, quod (cum dicta Provincia nuper satius, meliusque esse cognovisset, ad effectum idonei oribus, et habilioribus animarum curam in posterum committendi) easdem Clementis Praedecessoris literas ampliari, et extendi plurimum desiderabat; ita, ut iis, quatenus ampliationi, et extensioni hujusmodi obstent, minime obstantibus; ac cum expressa clausula, et conditione de non ferendo praejudicium ullum iis, qui actualiter reperiuntur in possessione, seu quasi possessione hujusmodi privilegiorum, praerogativarum, et exemptionum; concedere dignaretur, ut, cessantibus per illorum omnium, aut singulorum cessum, vel decessum, dictis privilegiis, gratiis, praerogativis, et exemptionibus; si inter eos, qui pro tempore exercuerint dictam curam animarum, aliquis existat, qui antea Lector, aut Praedicator de numero extiterit, is praeferatur caeteris omnibus, qui sese in Lectura, aut Praedicatione nunquam exercuerint, ad dictum effectum praecisum assequendi dicta privilegia, praerogativas, et exemptiones, quibus semper quatuor dumtaxat ex hujusmodi Alumnis Parochis, et non plures, gaudere possint, et debeant; sequentibus tamen conditionibus « Primo » Ut ex Lectoribus, vel Praedicatoribus jubilatis a jure, sive praesentatis ad Magisteria, ad tramites Constitutionum, et Consuetudinum dictae Provinciae, et per spatium sex annorum curam in dictis Indorum Parochiis, Doctrinis nuncupatis, exercentibus antecedenter ad tempus, quo eventura sit aliqua vacatio dictarum exemptionum, antiquior in jubilatione, sive praesentatione praeferatur caeteris aliis, etiamsi antiquiores fuerint in exercitio curae animarum, ad effectum assequendi dictas exemptiones « II » Quod, si inter exercentes hujusmodi animarum curam nullus Lector, aut Praedicator jubilatus, sive praesentatus ad Magisteria extiterit; tunc ex simplicibus Lectoribus, aut Praedicatoribus, ad eumdem effectum, is praeferatur, qui antea se, in Lectura quidem per sexennium, in Praedicatione vero per octo annos exercuerit, curamque animarum a decem annis antecedenter ad tempus vacationis gesserit « III » Quod inter plures sic qualificatos, antiquior in Lectura, vel Praedicatione minus antiquo praeferatur; etiamsi minus antiquus in dictis muneribus foret antiquior in exercitio curae animarum: et quatenus in muneribus Lecturae, aut Praedicationis essent aequales; tunc quidem ad antiquioritatem exercitii curae animarum in dictis Parochiis: et in casu omnimodae aequalitatis in dictis muneribus, et exercitio; tunc ad antiquioritatem professionis in Religione: ac tandem, si adhuc reperirentur aequales, ad majorem aetatem, et potiora merita respective attendatur, et secundum supradicta requisita unus prae alio gratificetur « IV » Quod, etiamsi aliquis, ut praefertur, qualificatus supradictas exemptiones adeptus fuerit: nihilominus nequeat hujusmodi curae animarum exercitium dimittere, aut deserere; nisi, post, quam pervenerit ad sexagesimum suae aetatis annum; vel, si in Priorem Provincia-

lem canonice electus fuerit: in quo posteriore casu, nedum desistat ab exercenda dicta animarum cura; sed insuper, eo ipso, quod sic electus extiterit, enseantur vacare exemptiones, quas pro dicto exercitio curae animarum obtinebat; et procedatur ad adjudicationem dictarum exemptionum favore alterius, qui dictis qualitatibus, ordine, quo supra, insignitus reperiatur « V. » Quod, si evenientibus vacationibus dictarum exemptionum, nullus reperiatur, qui modo praemisso qualificatus existat; exemptiones tunc vacantes adjudicentur antiquiori inter illos, qui simpliciter exercuerint curam animarum in dictis Parochiis, qui pariter subjiciatur adimplemento praecedentis quartae conditionis « VI » Demum, quod dijudicatio qualitatum, et in recensitis casibus aequalitatis, gratificatio unius prae alio ex adspirantibus ad dictas exemptiones, istarumque adjudicatio, privative ad Priorem Provincialem pro tempore existentem, una cum suo Definitorio, spectet, atque pertineat; assignando tamen supradictis sic exemptis locum immediate sequentem post Patres Ex-Provinciales, qui Provinciam gubernarint, aut deinceps gubernaturi sint « Edidit decretum tenoris sequentis, videlicet » *In Audientia Sanctissimi habita ab infrascripto Domino Secretario Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium sub die XXII. Martii MDCCLII, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, juxta petita, arbitrio pleni Definitorii Provinciae. Romae etc. « C. A. Cardinalis Cavalchini » Ioseph Maria Archiepiscopus Damasci Secretarius « Loco Sigilli »* Quoniam autem dictus Emanuel Procurator, quo praemissa firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere exoptat: Nos ipsum Emanuelem Procuratorem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes; et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum praeinsertum autoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida, et efficacia existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis autoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, ejusdem Clementis Praedecessoris literis praefatis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis; nec non Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo; ac Ordinis, et Provinciae hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Aprilis MDCCLII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

D. Card. Passioneus.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI LXI.**

BENEDICTI PAPÆ XIV.

LITERÆ APOSTOLICÆ

Per quas confirmato Voto alias edito, praeviis duabus Decisionibus per Sacram Rotam Romanam, confirmatisque pariter duabus Sententiis per Sac. Congregationes Particulares promulgatis super nonnullis Controversiis; signanter circa divisionem Onerum, et Collectarum inter Communitatem Civitatis Æsii, et illius Comitatum diu agitatis.

MOTU PROPRIO

Quaecumque Lis extinguitur, perpetuum silentium imponitur, et earumdem Sententiarum executio demandatur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Laudabile Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum institutum, ut si quas *inter gentem, et gentem* super quibusvis negotiis emergere, et erumpere perspexissent contentiones, lites, ac disceptationes, statim Apostolica auctoritate, et providentia dirimerent, componerentque, eo majori studio tenere, ac sectari Nos in Sacrosancti Apostolatus specula constitutos decet, quo per omnem vitae nostrae aetatem nihil curavimus impensius, quam ut e medio, sublatis contentionum, litium, disceptationumque Forensium dissidiis, ac tricis per solam, liquidamque veritatis inspectionem jus suum unicuique tribueretur, ac justitia, et pax sese invicem oscularentur.

§. 2. Sicut itaque accepimus, dilecti Filii Communitas, et Homines *Civitatis nostrae Æsinae*, ut levamini dilectorum etiam Filiorum Universitatum, et Hominum *Comitatus Æsini* eisdem Communitati, et Hominibus dictae Civitatis Æsii per hujus Sanctae Sedis concessiones, vel confirmationes addictorum opportune consulerent, ac ne Universitates, et Homines Comitatus praedicti propter Census, Taleas, aliasque impositiones Camerae nostrae Apostolicae debitas executionibus, et repraesaliis obnoxii forent, quosdam proprios redditus praefata Communitas Civitatis Æsii antiquis temporibus communicare consuevit Comitatui, seu Comunitatibus Castrorum, ut veluti per antipartem in satisfactionem communium onerum erogarentur; Deinde vero ad Civitatis Æsinae, ejusque Communitatis praejudicium ex praeambula erogatione passum opportune sarciendum, onera ipsa inter Civitatem, et Comitatum in aequaliter patiebantur, quarta enim parte Civitati, ejusque Communitati tributa, reliquae tres partes Universitatibus, et Hominibus Comitatus tributae, et injunctae remanebant; Quarum respectivarum portionum quotas, seu ratas per alias subalternas, seu secundarias partitiones Civitas Æsina, ejusque Communitas inter Cives, Universitates vero Comitatus inter Homines Comitatenses, vel pro focularia, vulgo, ut dicitur *fuochi*, vel per Terrarum *jugera*, seu potius aliis opportunis mediis dividebant, atque exigebant.

§. 3. Cumque ita servatum fuisset ad usque annum 1510., ipso vero anno Universitates, et Homines dicti Comitatus conquesti fuerint coram bo. mem. Magistro *Antonio Flores* in utraque Signatura Referendario, et tunc Provinciae Marchiae Gubernatore super eo, quod grave foret Universitatibus et Hominibus saepedicti Comitatus tres ex quatuor partibus onerum sufferre, promptos de caetero sese offerentes ad duas de tribus partibus subeundas; Edito super hujusmodi controversia per dictum Magistrum Antonium Gubernatorem provido decreto, quo mandavit, ut futuris temporibus onera sive Communitativa, sive de Superiorum mandato imponenda, supra Universitates, et Homines dicti Comitatus pro duabus ex tribus partibus, et uno octavo alterius dictae partis dividerentur, quidquid inde deductis duabus partibus, et uno octavo alterius partis superesset, Communitas, et Homines Civitatis praefatae solvere deberent; hoc quidem decretum tam a Communitate, quam ab Universitatibus, et Hominibus Civitatis, et Comitatus hujusmodi vicissim admissum fuit, illiusque observantiam hinc inde per plures publicos actus juramento firmarunt.

§. 4. Inde vero postquam *san. mem. PIUS V.* Praedecessor noster generalem Constitutionem quoad Provinciam Marchiae anno 1566. ediderat, qua sublatis omnibus exemptionibus, quarum praesidio quamplurimi Cives, Nobiles, Barones, et Domicelli ab oneribus persolvendis sese eximebant, mandavit, quod eadem onera ab omnibus indistincte ferrentur per aes, et libram, aut alias juxta distributionem, ordinem, et modum per Communitates, et Universitates, seu earum quamlibet factos, et faciendos, moderandos, et ampliandos; Subinde *idem Pius* Praedecessor peculiarem anno 1567. Constitutionem edidit, per quam, revocato decreto per bo. mem. Dominicum, dum vixit, S. R. E. Cardinalem *Tranensem* nuncupatum, alias publicato, perniciosum usum abrogavit, quo Cives Æsini vel originarii, vel allecti, seu adscriptitii pro Bonis stabilibus, quae possidebant in Castris, seu Locis, et Terris Comitatus hujusmodi, onera

in ipsa Civitate Æsina parcius persolvebant, mandavitque, ut pro Bonis hujusmodi onera imposita, seu imponenda deinceps in ipsis Castris (in quibus juxta tenorem decreti memorati Magistri Antonii Gubernatoris gravius exigebantur) non autem in ipsa Civitate amplius solverentur; Et hujus secundo dictae Constitutionis observantia, et executio successive demandata fuit a tunc existentibus Clericis Praesidentibus Camerae Apostolicae, contradicentibus hinc inde Civibus Æsinis, et Hominibus Comitatus.

§. 5. Absoluta vero contentione praedicta, alia Lis coram Clericis Praesidentibus praefatis excitata fuit *super Bonorum pertinentia*, ex quo nimirum Universitates, et Homines Comitatus praefati variis sub praetextibus contendere coeperunt, Bona omnia Civitatis Æsinae communia fuisse inter illius Communitatem, et Homines, ac Universitates, et Homines dicti Comitatus, ea vero de causa subdelegatis Judicibus in partibus ad compilandum probationum Processum, qui postquam confectus, ad Almam Urbem transmissus fuit; Interea dum Lis hujusmodi adhuc pendebat indecisa, utraque pars illam, aliasque differentias inter se ortas amplissime compromisit in personam bon. itidem mem. Magistri *Philippi Sega*, dum vixit utriusque Signaturae pariter Referendarii, tunc generalis Provinciae Marchiae praedictae Gubernatoris, qui cum ad Civitatem Æsinam personaliter accessisset, ibique multa rerum monumenta, nunc pro majori parte in antiquitatis latebris delitescentia, lustrasset, anno 1576. disertissimum edidit Laudum, quo inter caetera sub triplici classe distinxit, et declaravit; Primo Bona, quae per vetustam communicationem redditiuum, in communium onerum supportationem tunc erogari solitorum, communia veluti effecta fuerunt; Secundo Bona alterius generis propria, et particularia dictae Civitatis tantum absque ulla participatione ipsius Comitatus per ipsam Civitatem possessa; Tertio denique caetera Bona, quae ad solum Comitatum pertinebant. Cumque variis superadditis declarationibus, unicuique quod suum erat, tribuisset, atque expressisset signanter, quod erogatis redditibus primodictae Bonorum speciei in communia onera, adhuc multum ad illorum satisfactionem deficiebat, ideoque Collecta, seu taxa supra ejusmodi Civitatem, et Comitatum necessario imponenda erat; propterea mandavit, quod Collecta hujusmodi quolibet anno distribueretur, prout distribui consueverat juxta Decretum supradicti Magistri Antonii Gubernatoris, donec, et quousque novum generale Catastrum, et Æstimum bonorum omnium Civitatis, et Comitatus, eorumque Territorium respective conficeretur; Quo tamen confecto, onera ab inde in posterum solverentur per aes, et libram.

§. 6. Adversus autem memoratum Laudum appellantibus Universitatibus, et Hominibus memorati Comitatus, delataque causa appellationis coram tunc pariter existentibus Clericis Praesidentibus praedictis, ponente bon. mem. *Fabio Corneo*, dum vixit, altero ex Clericis Praesidentibus hujusmodi, interea *fel. record.* SIXTUS PP. V. Praedecessor pariter noster, per quasdam suas in simili forma *Brevis* expeditas Literas plura praescripsit quoad rectam administrationem eorum bonorum tantum, quorum fructus in commune commodum Civitatis, et Comitatus hujusmodi erogabantur; Praemissa de caetero declaratione, quod per suas dictas literas, quoad Lites, et Causas tunc inter Communitatem Civitatis Æsii ex una, et Universitatem, et Homines Comitatus praedictos ex altera partibus coram dictis Clericis Praesidentibus vertentes neutri ex partibus praejudicium inferre, nec aliquid tribuere, seu detrahere, vel abrogare intendebat; Animadvertens tamen in tempore successivo, quam perniciosum esset acres, et dispendiosas lites inter Populos Sedi Apostolicae in temporalibus subjectos longius tolerare, videnque, quod Lites praedictae post diversas Propositiones super variis incidentibus habitas, adhuc sub Judice existebant, commisit tunc existentibus *Episcopo, et Gubernatori Civitatis Æsinae*, ut conjunctim pro reconciliatione ejusmodi Communitatis, Universitatum, et Hominum, et pro Litium diremptione, et compositione, operam ex animo navarent; Prout de facto die 19. Martii 1588. convocato Generali Consilio Civitatis insimul, et Comitatus hujusmodi, quod utique discriminatur a Consilio Generali, et Consilio Credentiae solius Civitatis, praesentibus Episcopo, et Gubernatore praedictis, lecta prius, et a majori Convocatorum parte quindecim Concordiae inifae Capitula approbata, et admissa remanserunt, data etiam eidem Consilio facultate mittendi Oratores ad memoratum

SIXTUM Praedecessorem pro obtinenda ejusdem Concordiae confirmatione.

§. 7. Subinde vero dictus SIXTUS Praedecessor, ut majori etiam cum circumscriptione ea super re procedere, Lites praedictas bon. pariter mem. *Dominico*, dum vixit, S. R. E. Praesbytero *Cardinali Pinello* nuncupato, audiendas, cognoscendas, et postea sibimet ipsi referendas commisit, auditaque relatione plene, ac fideliter ab ipso Dominico Cardinali facta, idem SIXTUS Praedecessor per alias suas quoque in simili forma *Brevis die* 8. Julii 1589. Causas, et Lites inter Communitatem Civitatis Æsii, et Universitates, et Homines Comitatus praedicti pendentes, et coram quibusvis Judicibus, et Tribunalibus existentes avocavit, illasque penitus extinguens praevisa suam Sententiam, quam perpetuis futuris temporibus valituram voluit, ac mandavit observari, ita decessit, ac terminavit, ut bonorum *proprietatem*, prout erat, cuique Partium relinquens, non eos tantum *Redditus*, qui ex antea per Communitatem, et Homines Civitatis praedictae communicari consueverant, sed universos Introitus, proventus, et emolumenta quaecumque tam acquisita, quam in posterum acquirenda inter Partes communicari mandavit, ut in una sola, communique bulga, vulgo *borsa*, et arca reponerentur, et asservarentur, ac provida dispositione praescripsit usus omnes, in quos praedicti Redditus, proventusque, et emolumenta praedicta erogari deberent, nempe pro expensis, et oneribus tam Communitativis, quam Cameralibus, ac insuper ipse SIXTUS Praedecessor, quia eorum insufficientiam ad omnium onerum solutionem non ignoraverat, jussit ut pro integra deficiente summa imponeretur Collecta, dividenda inter Communitatem Civitatis Æsii, ac Universitates, et Homines Comitatus *juxta solitum, et prout tunc servabatur*, quod quidem solitum fuit relativum ad modum, et formam praescriptam in memorato Decreto a supradicto Magistro Antonio, ut praefertur, edito, prout acta probant, et a neutra ex partibus impugnari consuevit.

§. 8. Tametsi vero praedictae d. SIXTI Praedecessoris Literae tunc existenti Gubernatori Civitatis Æsinae praefatae per Epistolam memorati Dominici Cardinalis transmissae fuissent, in quibus de mandato ipsius SIXTI Praedecessoris adversus quemcumque revocantem in novam controversiam extinctas Lites, corporales etiam poenae rigide imponebantur, nihilominus maximo cum gaudio utrinque receptae fuerunt, imo per generale Consilium Civitatis insimul, et Comitatus hujusmodi in gratiarum actionem annualis, et perpetua celebratio Missae solemnis votivae, recurrente die receptionis memoratarum Literarum dicti SIXTI Praedecessoris, decreta, praescriptaque fuit.

§. 9. Quia tamen pacis perturbatores ut plurimum non deficiunt; hinc occasione arrepta, quod anno 1671., mandante *Apostolico Visitatore* novum generale *Æstimum* Civitatis, et Comitatus praedicti pro Subalterno Collectarum repartimento de caetero necessarium, fuit absolutum, Universitates, et Homines dicti Comitatus, ac in eo Possidentes adversus Communitatem, et Homines Civitatis saepedictae, ac in ea, ejusque Territorio Possidentes iterum insurrexerunt, contendentes, modum ab ipso SIXTO Praedecessore praescriptum circa primariam Collectarum repartitionem non fuisse perpetuum, Litemque ex integro instaurarunt coram tunc existentium *S. R. E. praedictae Cardinalium Congregatione super Bono Regimine* Communitatum, et Universitatum Status nostri Ecclesiastici auctoritate Apostolica deputatorum, quae quidem Cardinalium Congregatio cognitis dicti SIXTI Praedecessoris Literis, rescripsit, ut Universitates, et Homines praedicti Comitatus adirent *Signaturam Gratiae* pro aperitione oris, obtenta deinde *arbitrio memoratae Cardinalium Congregationis*, quae tamen anno 1672 iterum rescripsit, *non intrare arbitrio pro aperitione oris, donec non probaretur laesio;* Vigore vero hujus Rescripti ejusmodi causa per quadraginta annorum spatium siluit, verum tractu temporis cum *alii S. R. E. Cardinales, et Praelati in ipsa Congregatione adscripti fuissent*, Universitates, et Homines praefati Comitatus Litem iterum Communitati, et Hominibus dictae Civitatis intulerunt, brevique trium annorum curriculo *tres obtinuerunt Sententias* in quibus interposito arbitrio pro aperitione oris, repartimenta quorumcumque onerum *per aes, et libram* demandata remanserunt. Inde vero obtenta per Communitatem, et Homines memoratae Civitatis *nova Commissione* eidem Cardinalium Congregationi directa *cum Voto Causarum Palatii Apostolici Auditorii*, et proposita consecutive

Causa coram Auditorio praedicto, *evulgatisque duabus amplissimis Decisionibus*, censuit dictum Auditorium, *constare de Causis restitutionis in integrum;* Verum ipsa Cardinalium *Congregatio*, voto ejusdem Auditorii minime attento, rescripsit contra, *Constare de re judicata*, et licet postmodum eidem Cardinalium Congregationi mandatum fuisset, ut ipsa quoque procederet, *extenso Voto*, nihilominus perstitit *in Decisis*, semper tamen, et in omnibus Propositionibus non sine plurium suffragiorum scissura, editoque *Voto*, expensas de more *taxavit*.

§. 10. Habito autem per Communitatem, et Homines Civitatis praedictae recursu *ad fel. record. CLEMENTEM PAPAM XI.* Praedecessorem nostrum, ipse CLEMENS Praedecessor *in Signatura Gratiae*, quam die 29. Martii 1719. habuit ita rescripsit » *Praevia avocatione causae ab ipsa Cardinalium Congregatione, ad Congregationem particularem a Sanctissimo deputandam cum clausula, de causis restitutionis in integrum, ad effectum referendi Sanctitati Suae, ut Pontificia tandem sua definitione antiquae huic Controversiae finem imponat;* Quapropter deputata particulari nonnullorum tunc existentium *S. R. E. praedictae Cardinalium, et Romanae Curiae Praelatorum Congregatione*, cum sane in prima Causae Propositione Universitates, et Homines Comitatus praedicti excciperent, quod post Literas dicti SIXTI Praedecessoris, ut praemittitur, admissas plures sequutae fuerant alienationes Bonorum, atque ideo aequilibrium per dictas Sixti Praedecessoris praedicti Literas exoptatum cessaverat, ab ipsa particulari Congregatione rescriptum fuit anno 1720. » *Dilata, et scribatur super alienationibus quantitatis bonorum Communium tam Civitatis, quam Comitatus post memoratas dicti Sixti Praedecessoris Literas* » subinde probationes, quas Universitates, et Homines Comitatus praefati obtulerant, adducere non valentes, per vicennium siluerunt.

§. 11. Denuo autem subinde instaurata Causa, et integrata hujusmodi Congregatione particulari per suffectionem novorum Judicum in locum deficientium, qui pro Civitate, ejusque Communitate suffragati fuerant, Causa hujusmodi die 5. Septembris 1742. de novo proposita fuit, et ab eadem Congregatione prodiit Rescriptum, unico tantum ex septem Judicibus contrariante suffragio » *Referendum SS. sensum Congregationis particularis esse; Sententias primo dictae Congregationis Boni Regiminis esse infirmandas;* Obtenta vero a praedictis Universitatibus, et Hominibus dicti Comitatus *nova Audientia*, immemores illius fidelitatis, et obedientiae, quam vetusto more quotannis jurandam ab Universitatibus, et Hominibus Castrorum, Terrarum, et Locorum Comitatus praedicti erga ipsam Civitatem, dictus SIXTUS Praedecessor in secundo dictis suis literis districte quoque mandaverat, et obliti forsan, quod ad praeeminentias, jurisdictiones, et equestres gradus non ipsi Homines Comitatus hujusmodi, sed soli Nobiles dictae Civitatis admittuntur, *jactare coeperunt eorum originariam paritatem cum Civibus*, atque veluti in omnibus *commune Jus*. Hinc vero *communem omnium bonorum pertinentiam* proprio marte desumentes, nihil beneficii ex universali Reddituum communicatione per eumdem SIXTUM Praedecessorem demandata consequutos fuisse audacter praetendebant, atque ideo memoratas ipsius Sixti Praedecessoris Literas super inaequalitate Collectarum laesivas proclamabant; Quapropter praefata Particularis Congregatio die 26. Februarii 1746., ut maturius de hac praetensione cognosceret, rescripsit « *Dilata, et scribatur stricte super pertinentia bonorum tam Civitatis, quam Comitatus tantum;* » Subinde vero iterum proposita Causa die 30. Augusti 1747., cum jactationes Universitatum, et Hominum dicti Comitatus compertae fuissent minus habentes, ac de caetero pro parte ipsorum alia quoque cumularetur defensionis ratio super eo reposita, quod post dictas memorati SIXTI Praedecessoris literas taliter *publica onera excrevissent*, ut exinde saltem tractu temporis laesio emersisset; E contrà vero substinentibus Communitate, et Hominibus dictae Civitatis, tum quod laesio ex dictarum SIXTI Praedecessoris Literarum indole non esset allegabilis; tum etiam quod publicae impensae post easdem Literas imminutae, ac moderatae, nec non Redditus aucti per acquisitiones ab ipsis Communitate, et Hominibus factas superventa onera peraequassent, memorata particularis Congregatio « *Dilata iterum Causae resolutione*, mandavit, *quod scriberetur tam super quantitate onerum superventorum post memoratas SIXTI Praedecessoris Literas; quam super acquisitionibus factis tam a Communitate Civitatis Æsii quam ab Universi-*

tatibus, et Hominibus Comitatus post dictas Literas » Demum autem proposita Causa die 11. Aprilis 1749. prodiit finale Rescriptum « *In decisis die* 5. *Septembris* 1744. processitque postmodum ipsa Particularis Congregatio ad promulgationem Decreti, seu Sententiae tenoris sequentis, videlicet.

IN NOMINE DOMINI AMEN » Fidem facio per praesentes Ego Causarum Curiae Camerae Apostolicae, et Sacrarum Congregationum Notarius publicus infrascriptus qualiter in Actis mei etc. in Causa *Æsina Collectarum* inter Illustrissimam Civitatem Æsinam, ac in ea, ejusque Territorio Possidentes ex una, et Comitatum Civitatis Æsinae, et Possidentes in eo Partibus ex altera, vertente *coram Sac. Congregatione Particulari* a Sanctissimo deputata, sive *Eminentissimis, et Reverendissimis DD. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Gentili Praefecto, Riviera, Sacripanti, Bolognetti, et Millini;* nec non *Reverendissimis PP. DD. Amadeo, et Cincio,* visis videndis, servatis omnibus de jure, et stylo Curiae servare solitis, citatisque hic in Curia per Cursores Sanctissimi servatis servandis, ut moris est, DD. Dominico Jonantonii, Leopoldo Achilli, Dominico Cerroni, Dominico Leonori, et Petro Clementini Procuratoribus assertis dd. Comitatus Æsini, et Possidentium in eo exadverso Principalium *usque et sub die* xx. *Martii MDCCL. lecta, et promulgata fuit praesens infrascripta Sententia,* tenoris sequentis, videlicet.

CHRISTI NOMINE INVOCATO. Pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes; Per hanc nostram definitivam Sententiam, quam de Juris Peritorum consilio in his scriptis ferimus in Causa, et Causis, quae primo, et in prima coram bon. mem. R. P. D. *Guido de Palagio* Pro Secretario Sacrae Congregationis Boni Regiminis de Voto Sae. Congregationis, secundo, et in secunda, ac tertio, et in tertia coram praefata Sacra Congregatione, Ponentibus *R. P. D. Naro*, et bon. mem. *R. P. D. Lonio*, cum subsequuto Decreto *taxationis Expensarum*, coram Nobis vero *in gradu restitutionis in integrum* vigore Rescripti editi *per San. Mem. CLEMENTEM XI. in Signatura Gratiae* habita die xxix Martii MDCCXIX. hujus tenoris videlicet « *Praevia avocatione Causae a Congregatione Boni Regiminis ad Congregationem Particularem a Sanctissimo deputandam cum Clausula, de Causis restitutionis in integrum, ad effectum referendi Sanctitati Suae, ut Pontificia tandem sua definitione huic controversiae finem imponat* » versae fuerunt, et vertuntur Instantia, inter Comitatum Civitatis Æsinae, et Possidentes in eo Actores, et appellatos ex una, *et Illustrissimam Civitatem Æsinam*, ac in ea, ejusque Territorio Possidentes Reos Conventos, et appellantes Partibus ex altera, *de, et super modo faciendi annualia repartimenta Collectarum, Impositionum, et Onerum* inter praefatam Civitatem, et Comitatum pro supplendis Oneribus tam Cameralibus, quam Communitativis, ordinariis, et extraordinariis, rebusque aliis etc. Attentis *sequentibus Resolutionibus* aeditis in quinque Propositionibus habitis coram nostra Sacra Congregatione Particulari, scilicet sub die xxi. Julii MDCCXX. « *Dilata, et scribatur super alienationibus quantitatis bonorum communium tam Civitatis, quam Comitatus post Breve Sixti V.* » sub die v. Septembris MDCCXXXXII. « *Referendum Sanctissimo, sensum Congregationis Particularis esse, Sententias Sacrae Congregationis Boni Regiminis esse infirmandas* » sub die xxvi. Februarii MDCCXXXXVI. » *Dilata, et scribatur stricte super pertinentia Bonorum tam Civitatis, quam Comitatus tantum* » Sub die xxxi. Augusti MDCXXXXVII. » *Iterum proponatur, et ad mentem: mens est, ut Catastro, et Æstimo Comitatus Æsini jam confecto, addantur aedificia, et Census spectantes ad dictum Comitatum; Nec non scribatur tam super quantitate onerum superventorum post Breve Sixtinum, quam super acquisitionibus factis tam a Civitate, quam a Comitatu post dictum Breve* » Ac denique sub die xi. Apr. MDCCXXXXIX., in qua rescriptum fuit « *In decisis die* v. *Septembris MDCCXXXXII.* » Utentesque praeterea novis facultatibus per Sanctissimum Dominum Nostrum occasione relationis eidem factae Nobis benigne attributis per rescriptum diei xxii. Maji MDCCXXXXIX., de quo in Actis, videlicet « *Facta per me infrascriptum relatione supradictorum resolutionum, Sanctitas Sua mandavit expediri Causam per Sententiam revocatoriam trium praecedentium ad formam earumdem resolutionum die* v. *Sept. MDCCXXXII. et* xi. *Aprilis anni currentis* » *A. Cardinalis Gentili* » DICIMUS, pronunciamus, decernimus, declaramus, definitive sententiamus, *constitisse, et constare de Causis restitutionis in integrum*, ideoque *praefatas Sententias*, ut

supra aeditas, vel de voto Sacrae Congregationis Boni Regiminis, vel ab ipsamet Sacra Congregatione cum omnibus inde sequutis in executionem, seu ad formam earumdem Sententiarum fuisse, *et esse revocandas, et infirmandas*, prout per praesentes revocamus, et infirmamus, et pro revocatis, et infirmatis haberi volumus, et mandamus; Proptereaque *annualia Repartimenta pro supplendis oneribus tam Cameralibus, quam Communitativis, ordinariis, et extraordinariis, ac tam impositis ante, et post Breve San. mem. Sixti V.* emanatum sub die VIII. Julii MDLXXXIX. *usque in praesentem diem, quam in posterum quomodolibet imponendis, et esse faciendam* inaequaliter, nempe *pro duabus ex tribus Partibus, et una octava alterius tertiae partis supra Comitatum, et Possidentes in eo*, ac respective *pro reliqua tertia parte, una octava dempta, supra Civitatem Æsinam, ac in ea, ejusque Territorio Possidentes* ad formam Decreti aediti sub die XXII. Novembris MDX. per bon. mem. *R. P. D. Flores* tunc Gubernatorem Provinciae Marchiae, atque ad normam memorati *Brevis Sixtini*, ac Voti etiam *Sacrae Rotae Romanae* traditi sub die XIII. Maji MDCCXV., praeviis duabus Decisionibus aeditis in praesenti Causa Æsina Collectarum sub diebus VII. Decembris MDCCXIV. et XVIII. Martii MDCCXV. *coram clar. mem. Cardinali Scotto;* nec non injungendum, imponendum, et inhibendum fore, et esse, prout per praesentes injungimus, imponimus, et inhibemus Deputatis, atque Officialibus, seu aliis eligi solitis ad repartiendas Collectas, impositiones, et onera, *ne audeant, seu praesumant perpetuis futuris temporibus aliter conficere annualia repartimenta generalia inter Civitatem, et Comitatum, praeterquam ad formam praesentis nostrae sententiae*, perpetuumque silentium Comitatui Æsino, ac Possidentibus in eo super praemissis imponimus, *reservato jure* Civitati praedictae, ac in ea, ejusque Territorio Possidentibus agendi, prout de jure, et quatenus de jure *ad repartitionem Portionis Collectarum in praeteritum, et usque hactenus indebite solutarum*, prout per praesentes reservamus, victosque victoribus *in expensis condemnamus*, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure in posterum reservamus, et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ac definitive sententiamus non solum praemisso, sed, et omni alio meliori modo etc.

Ita pronunciavi *Ego Antonius Cardinalis Gentili* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego Dominicus Cardinalis Riviera* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego Carolus Maria Cardinalis Sacripantes* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego Marius Cardinalis Bolognettus* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego Marius Cardinalis Millinus* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego Franciscus Felix Amadeus* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego Balthaxar Cincius* Judex Commissarius.

Et alias latius, prout ex dicta Sententia per dicta acta mei etc. sub praefatis die, et anno, ut supra lata, et publicata ad quam etc. In quorum fidem etc. Romae hac die vigesima quarta Martii MDCCLII.

Ita est; *pro D. Donato Lanciono Apostolicae Camerae, et Sacrarum Congregationum Notario.*

Dominicus Paparotius Connotarius.

Loco ✠ Signi.

§. 12. De praemissis autem omnibus facta Nobis plena relatione, etiamsi inhaerendo intentioni memorati CLEMENTIS Praedecessoris Nostri, Liti, et Causae hujusmodi finem imponere debuissemus, nihilominus ex abundantia benignitatis Nostrae erga Nostros praesertim, et Sedis Apostolicae subditos, per organum dilecti Filii *Magistri Clementis Argenviliers Auditoris Nostri*, alteram *novam particularem* tum ejusdem S. R. E. Cardinalium, tum praedictae Romanae Curiae Praelatorum *Congregationem* deputaverimus in gradu appellationis, ut jura Universitatum, et Hominum Comitatus praedicti de gravamine conquerentium novo examini subjicerentur. Selectis itaque *tribus ex memoratae S. R. E. Cardinalibus, et quatuor d. Curiae Romanae Praelatis* (mirum quidem et speciali nota dignum est, quod ac si ageretur de juribus pertinentiae bonorum pro Civitate nunquam deductis, ac de nova, independenti, ac diversa Causa ab illa hucusque per saecula agitata) dd. Universitates, et Homines Comitatus praedicti ausi fuerunt *expedire Monitorium* eor. dilecto quoque filio *Magistro Urbano Paracciano Camerae nostrae Apostolicae Generalis Auditoris Locumtenente* super pertinentia bonorum ad Communitatem, et Homines Civitatis praedictae spectantium, quod

quidem Monitorium nulliter, et incompetenter expeditum, per decretum dicti Magistri *Clementis Auditoris* suspensum remansit. Nova itaque *Commissione* eidem novae particulari Congregationi directa, bis cor. eadem Congregatione proposita fuit Causa praed., nempe die 23. Maji 1751., nec non 11. Januarii proxime praeteriti; cumque, Partibus plene auditis super iis omnibus, quae cor. praecedenti Congregatione deducta fuerant, *utraque vice, atque unanimi suffragio* Omnes particularem novam Congregationem constituentes *cum sensu praecedentis Congregationis convenissent*, ad Confirmationem praeinsertae Sententiae devenerunt; Tenor autem Sententiae secundo dictae particularis Congregationis, ut praefertur a Nobis deputatae, est qui sequitur. »

FIDEM FACIO per praesentes Ego Officii Archivii Romanae Curiae Administrator deputatus infrascriptus, qualiter *sub die decima nona Januarii MDCCLII. coram Sacra Congregatione particulari* a Sanctissimo deputata *Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. Cardinalium Cavalchini, Prosperi Columna de Sciarra, et Tanara, ac Illustrissimorum, et Reverendissimor. DD. Rezzonici, Elephantutii, Matthaei, et Casali* Judicum Commissariorum » Pro Illustrissima Civitate Æsii, ac in ea, ejusque Territorio Possidentibus; Contra Comitatum d. Civitatis, et Possidentes in eo *adest lata, promulgata, et publicata Sententia definitiva tenoris sequentis* videlicet.

CHRISTI NOMINE INVOCATO » Pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes; Per hanc nostram definitivam Sententiam, quam de juris Peritorum Consilio in his scriptis ferimus in Causa, et Causis, quae primo, et in prima coram bon. mem. *R. P. D. Guido de Palagio* Prosecretario Sacrae Congregationis, secundo, et in secunda, ac tertio, et in tertia coram praedicta Sacra Congregatione, Ponentibus *R. P. D. Naro*, et bon. mem. *R. P. D. Lonio* cum subsequuto Decreto *taxationis Expensarum;* in gradu vero *restitutionis in integrum* vigore rescripti Signaturae Gratiae, *coram Sacra Congregatione particulari* Eminentissimorum, et Reverendissimorum DD. de Gentilibus, Riviera, Sacripanti, Bolognetti, et Millini, nec non Reverendissimorum Patrum DD. Amadei, et Cincii, *et coram Nobis tandem* in gradu ulterioris appellationis a Sententia dictae Sacrae Congregationis particularis *vigore Decreti R. P. D. Auditoris Sanctissimi* sub die vigesima prima Aprilis MDCCL. *tenoris sequentis*, videlicet » *Ex tunc Illustrissimus Dominus quoad circumspectionem rejecit instantiam, et mandavit signari Commissionem cum Clausula, de appellatione, directam alteri Congregationi particulari trium Cardinalium, et quatuor Praetatorum, nempe Eminentissimorum Dominorum Cavalchini, Prosperi Columna, et Tanara, nec non Reverendissimorum PP. DD. Rezzonici, Fantuzzi, Matthaei, et Casali, et amplius, Parte praesente* » versae fuerunt, et vertuntur instantiae, *inter Comitatum* Civitatis Æsinae, et Possidentes in eo Actores, et Appellantes ex una, *et Illustrissimam Civitatem Æsinam*, ac in ea, ejusque Territorio Possidentes Reos conventos, et Appellatos Partibus ex altera, *de, et super modo faciendi annualia repartimenta Collectarum, Impositionum, et Onerum* inter praedictam Civitatem, et Comitatum *pro supplendis Oneribus tam Cameralibus, quam Communitativis, ordinariis, et extraordinariis*, ac respective super Confirmatione, vel infirmatione Sententiae editae a praecedenti Sacra Congregatione particulari sub die vigesima Martii MDCCL. per acta Lancioni A. C., et Sacrarum Congregationum Notarii, rebusque aliis etc. visis Juribus hinc inde deductis, *et Partibus plene auditis* etiam super pertinentia bonorum Civitatis, et Comitatus, prout quoque super quantitate Onerum superventorum post Breve Sixtinum, et super acquisitionibus factis post dictum Breve, ac super aliis omnibus in eadem praecedenti Sacra Congregatione examinatis, et ad causae definitionem conducentibus; *Attentis duabus resolutionibus* per Nos editis; altera nempe sub die vigesima tertia Maji MDCCLI., videlicet « *Sententiam Congregationis particularis esse confirmandam* » alteram vero, per quam unanimi omnium voto sub die XI. currentis mensis Januarii MDCCLII. perstitum fuit « *In Decisis, et amplius* » Dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ac definitive sententiamus, *male, et irrationabiliter per Comitatum Æsinum, et Possidentes in eo fuisse reclamatum, et appellatum* adversus Sententiam, ut supra latam sub die vigesima Martii MDCCL. per antecedentem Sacram Congregationem particularem, *bene vero* valide, ac juste fuisse per ipsam *judicatum*, ac proinde *praedictam Sententiam fuisse in omnibus, et per omnia approbandam, et confirmandam*, prout

per praesentes *approbamus, et confirmamus*, et pro approbata, et confirmata haberi volumus, et mandamus, perpetuumque silentium super praemissis imponentes, Partemque victam Victrici *in expensis condemnamus*, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure in posterum reservamus, et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ac definitive Sententiamus non solum praemisso, sed et omni alio meliori modo etc.

Ita pronunciavi *Ego Carolus Albertus Cardinalis Cavalchini* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego Prosper Cardinalis Columna de Sciarra* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *Ego A. Cardinalis Tanara* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *C. Rezzonicus* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *C. Elephantutio* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *A. Mathaejus* Judex Commissarius.

Ita pronunciavi *A. Casali* Judex Commissarius.

Et alias latius, prout in actis dicti Officii Archivii Romanae Curiae, ad quae etc. In quorum fidem etc. Datum Romae hac die vigesima secunda Martii MDCCLII. » Ita est pro inclito Collegio Dominorum Scriptorum Archivii Romanae Curiae » Fabius de Laurentiis Administrator Deputatus.

§. 13. Demum cum nova ultimo dictae praeinsertae particularis Congregationis Sententiae, ac actorum, atque colluctationum, quae illam praecesserunt, facta Nobis fuerit relatio: Cognito, *quod opiniones Auditorii praedicti*, ac memoratarum *particularium Congregationum*, ut praefertur, deputatarum, *in unum, eumdemque sensum juste, et laudabiliter convenerunt*, in hoc rerum statu Considerantes non minus dispendia hactenus facta, quam majora in posterum hinc inde subeunda, si hujusmodi Lis contra dictarum Sententiarum tenorem produceretur.

§. 14. MOTU ITAQUE PROPRIO, ac certa Scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, rejecta jam per organum *Auditoris Nostri*, *ac de mandato Nostro*, quaecumque appellatione pro parte Comitatus, et in eo Possidentium quomodolibet interposita, eaque postposita etiam forsan in devolutivo competente, tenore praesentium *praeinsertas binas dictarum particularium Congregationum Sententias*, ac omnia et singula in eis contenta, et expressa *approbamus* et *confirmamus*, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, nec non *Litem, et Causam* hujusmodi inter Communitatem, et Homines Civitatis Æsinae ex una, et universitates, et Homines Comitatus ejusdem Civitatis ex altera partibus *super praemissis, et praesertim super repartitionibus Onerum, Censuum, et Talearum* coram quibusvis *Judicibus, et Tribunalibus* motas, et pendentes cum suis emergentibus, annexis, et connexis motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus perpetuo *supprimimus et extinguimus*, ac extinctas esse decernimus, volumus, et mandamus, ac super rebus in eisdem Sententiis decisis, nec non super caeteris omnibus tam coram *Auditorio* praedicto, quam praedictis *duabus Congregationibus*, aliisque Urbis Nostrae *Tribunalibus, et Judicibus*, sicut praemittitur deductis, discussis, et examinatis, etiamsi super eorum aliquo novae Lites pro parte Universitatum, et Hominum Comitatus hujusmodi coram alio quocumque Tribunali introductae fuissent, *perpetuum silentium imponimus*, *SALVA TAMEN* semper in praemissis *ultimo dictae particularis Congregationis auctoritate*, cui reservamus facultatem *debitae executioni demandandi* Sententias per praesentes confirmatas ac quatenus opus fuerit, *imponendi poenas* contra singulos Homines Consilia componentes, et quascumque particulares personas etiam extraneas cujusvis status, gradus, qualitatis, et conditionis existentes, quae futuris temporibus, sub quovis praetextu, causa, colore, occasione, et ratione super praemissis, et contra Sententias praedictas *Lites de novo suscitare auderent*.

§. 15. DECERNENTES easdem praesentes Literas, ac in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis, aut alias etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni in praemissis forsan jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia, et legitima, et privilegiata causa,

colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis; nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut Interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, et gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, et extra illud uti seu se juvari ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et inviolabiliter observari, et adimpleri; SICQUE, ET NON ALITER in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, necnon Clericos, Praesidentes Camerae praedictae, Auditorium Palatii hujusmodi, caeterosque Officiales, et Ministros, ac dd. S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, illorum Vice-Legatos, ac quascumque dictae Urbis, et ejusdem S. R. E. Cardinalium Congregationes quacumque auctoritate, praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, SUBLATA EIS, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, AC IRRITUM INANE, si secus super his a quoqam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatis, et Comitatus hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis, quoque indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Aprilis MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passioneus.

Loco ✠ Sigilli.

BENEDICTUS PAPA XIV. LXI.***

Ad futuram rei Memoriam.

Cum dudum fel. rec. Pius PP. IV. praedecessor noster inter alia, ut Societatis Jesu Provinciales, vel ab eis deputati Presbyteri cum Neophytis Indiarum, aliarumque Orientalium Regionum in quocumque, seu quibusvis a jure divino non prohibitis Consanguinitatis, vel Affinitatis gradibus, vel alias conjuncti, ut, impedimentis hujusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, et solemnizare, seu in jam etiam scienter contractis matrimoniis hujusmodi remanere valerent in partibus, ubi Ordinarii locorum facile adiri poterant, in foro conscientiae tantum perpetuo, et insuper ibidem, infra tamen viginti annos tunc proxime futuros, quod ipsi locorum Ordinarii de Presbyterorum eorumdem tanquam adjutorum, et assessorum suorum in locis praefatis, et ubi eorum commode potuisset haberi copia, consilio, et cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provinciis Ordinariorum praesentia destitutis, vel ab eis remotis, quod iidem Provinciales, et deputati Presbyteri cum eisdem Neophytis etiam in utroque foro auctoritate Apostolica gratis dispensare libere, et licite valerent, plenam, et liberam facultatem sub certis modo, et forma tunc expressis, concesserit, et alias prout in ipsius Pii praedecessoris nostri literis desuper in simili forma Brevis die XV. Junii MDLXIII. expeditis uberius continetur, et successive alii Romani Pontifices praedecessores nostri facultatem hujusmodi, tam Presbyteris, quam Ordinariis praefatis non perpetuo, sed ad certa limitata tempora, ac novissime Die IX Septembris MDCCXXXIV. rec. mem. Clemens Papa XII. praedecessor

itidem noster ad viginti annos tunc proximos per suas respective in eadem forma Brevis literas sub certis modo, et forma in illis expressis inter alia prorogaverit, seu de novo concesserit; et, sicut pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis ejusdem Societatis Jesu Nobis nuper expositum fuit, praedicti viginti anni, ad quos memorata facultas ab ipso Clemente praedecessore prorogata, seu de novo concessa fuerat, jamdudum expiraverint, seu brevi expiraturi sint, ipseque Procurator Generalis dubitet, ne in procul dissitis illis regionibus aliqui, seu aliquis e Missionariis credentes facultatem ejusmodi ab Apostolica hac Sancta Sede fuisse renovatam, cum Neophytis praefatis in dictis gradibus bona fide dispensaverint, et ea de Causa, aliqua sint censura innodati, cupiatque propterea dictus Procurator Generalis nedum eamdem facultatem ad aliud Nobis bene visum tempus prorogari, sed etiam Provincialibus illarum partium, et Confessariis ab ipsis delegatis indulgeri, quatenus omnes, et quoscumque, qui dicta facultate, postquam expiraverat, usi fuerint, in foro conscientiae absolvere, ac dispensationes bona fide concessas ratas habere possint. Hinc est, quod Nos Populorum illorum ex gentilitatis tenebris, ex erroribus ad veri luminis agnitionem, et Christianae fidei veritatem conversorum, et a Sede praefata remotissimorum animorum saluti, et spiritualibus necessitatibus pro Pastoralis Officii nostri cura prospectum esse cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate Apostolica deputatorum Consilio, tam Provincialibus, et ab eis deputandis Presbyteris, quam locorum Ordinariis praefatis cum dictis Neophytis in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo Consanguinitatis, vel Affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, dictis quidem Presbyteris in locis, et Regionibus, ubi Ordinarii non adsunt, vel ultra duas diaetas juxta Constitutionem similis mem. Pauli PP. III. etiam praedecessoris nostri editam existunt; nec non eisdem Presbyteris, et Ordinariis, servatis locorum circumstantiis, et limitationibus hujusmodi cum eisdem Neophytis in primo gradu etiam rectae lineae Affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in occultis tamen, et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus justis Causis, gratis etiam dispensandi, et eos qui in primo Affinitatis gradu hujusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus, et excommunicationibus, aliisque censuris, et poenis Ecclesiasticis in foro conscientiae tantum gratis similiter absolvendi, dictisque Ordinariis alios Presbyteros idoneos a se prius approbatos in locis, ubi non adsint Missionarii similem facultatem habentes, quoad praemissa in sui locum subdelegandi licentiam, et facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur. Praesentibus ad viginti annos a die illarum datae computandos tantum duraturis, ac uno, eodemque tempore tam quoad Provinciales, et Presbyteros Societatis Jesu, quam quoad Ordinarios praefatos expiraturis; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Praeterea eorum, qui matrimonia hujusmodi post expiratam facultatem a Clemente Praedecessore nostro, sicut praemittitur, prorogatam, seu de novo concessam in gradibus hujusmodi forsan contraxerint, dispensationem respective ad id concesserint, statui, et conscientiarum quieti providere volentes, omnia, et singula matrimonia, quae vigore dispensationis super praedictis gradibus, seu impedimenti s per Missionarios, seu etiam Ordinarios illarum partium post expiratam facultatem sic prorogatam quomodolibet concessae alias tamen rite, et legitime contracta fuerint, auctoritate, et tenore praefatis revalidamus, ac valida, et legitima decernimus in omnibus, et per omnia perinde, ac si ab initio, et in eorum radice praevia sufficienti dispensatione contracta fuissent, absque eo quod illi, qui sic contraxerint matrimonia de novo contrahere, seu novum consensum praestare ullo modo debeant, aut teneantur; dictis vero Provincialibus Societatis Jesu, et Presbyteris ab eis deputandis, nec non Ordinariis locorum illos, qui expirata facultate hujusmodi interim usi fuerint, ut praefertur, a quibuscumque Censuris, et poenis Ecclesiasticis, quas propterea quomodolibet incurrerunt, pro hac vice tantum, absolvendi dicta auctoritate harum serie facultatem similiter tribuimus, et impertimur. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces

existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quatenus opus sit, quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictae Societatis Jesu subscriptis, et Sigillo Praepositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passioneus

LXI.**** SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI PAPA XIV

LITERÆ APOSTOLICÆ

Per quas pluribus Decretis confirmatis in materiis, et quaestionibus praeeminentialibus, et honorificis inter Civitatem Æsii, ejusque Nobilem Magistratum, ac Comitatum ejusdem Civitatis, Prioresque Comitatenses aliisque ad eamdem materiam declaratis, demandatis, et ex integro concessis.

MOTU PROPRIO

Quaecumque lis extinguitur, perpetuum silentium imponitur, et eorumdem Decretorum, Declarationum, ac novarum Concessionum executio decernitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Inter multiplices Pastoralis Officii Nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari Studio incumbimus, ut Apostolicae Sedis praesertim Subditorum jura ubique sarta, tecta, ac illibata tueri, et conservare, eaque adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri possit, tradita Nobis Divinitus potestate vindicare satagamus, sicut omnibus mature, ac debite pensatis justitiae, ac rationi, Subditorumque Nostrorum tranquillitati, et paci consentaneum esse in Domino arbitramur.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, Æsina Civitas, seu illius Magistratus, aut Communitas repraesentetur dumtaxat a tribus nobilibus Prioribus *Civitatis* nuncupatis, qui unoquoque bimestre ex nobilibus Familis Civitatis praedictae eliguntur, et quorum quilibet vicissim per viginti dies gradum sustinet, ac explet Vexilliferi, quia tamen ad effectum interessendi administrationi nonnullorum Redituum, quos tunc existentes Communitas, et Homines Civitatis praedictae antiquis temporibus communicare consueverunt dilectis filiis Universitatibus, et Hominibus Comitatus Æsini, ne Universitates, et Homines praedicti propter Census, Taleas, aliasque Impositiones Camerae Nostrae Apostolicae debitas, executionibus, et repraesaliis obnoxii forent, etiam residere consueverunt, et pergunt tres alii Priores *de Comitatu* hujusmodi, dictumque *Comitatum* repraesentantes, eaque de causa Priores *Comitatus* nuncupati, aliqui quidem ex Prioribus secundo dicti generis, seu qualitatis contra proprii status indolem, et veritatem, ea occasione arrepta, pluries in eorum subscriptionibus,

durante Officio, de necessitate faciendis, sese subscribere ausi sint, vel tanquam *Priores Civitatis*, seu potius simpliciter uti *Priores* absque additione verbi « *Comitatus* » unde tractu temporis palam est, occasione praesertim probandae Nobilitatis, confusionem oriri posse, ac praejudicia nobilibus Familiis Civitatis praedictae irrogari ob adulteratum, seu praetermissum Signum, seu distinctivum qualitatis, per quod unum genus Priorum ab altero secernitur. Neque id casu fortuito, vel oscitanter, sed data opera, atque ex configurata paritatis illusione processisse pandit exorbitantior arrogantia, cum qua *anno MDCCII.* Priores tunc existentes Comitatus hujusmodi, qui in Civitate, et in Officio praedictis residebant, veriti minime fuerunt sibi assumere in publicis, privatisque actibus titulum *Nobilium*, et *Patritiorum*, quem tamen conatum tanquam omnino illicitum, et nullatenus permittendum declaravit, auditis Partibus, Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium super consultationibus Communitatum, et Universitatum Status Nostri Ecclesiastici deputatorum per suas Epistolas *die* 5. *Augusti ejusdem anni* expeditas.

§. 3. Quo tempore cum Priores Comitatenses, seu dicti Comitatus, alteram non dissimilis speciei excitassent contentionem incedendi in eadem linea cum Vexillifero, et Prioribus nobilibus dictae Civitatis contra usque tunc observatam Consuetudinem; Delegato sane a memorata Cardinalium Congregatione tunc existente ejusdem Civitatis Æsii Gubernatore, ut provideret, prout decebat, et juris erat, juxta aliam Epistolam *die prima Novembris dicti anni* ipsi Gubernatori datam, ipse Gubernator, re mature cognita, utendo facultatibus sibi ab ipsa Cardinalium Congregatione attributis, mandavit, servari notoriam, antiquamque Consuetudinem procedendi inter Cives de Magistratu, nempe, ut antea incederent Confalonerius, et Priores *Civitatis*, subinde subsequerentur Priores *Comitatus* per lineam *distinctam*, quamvis essent duo, vel tres in utraque linea, inflicta etiam Contravenientibus poena scutorum centum monetae Romanae, aliisque arbitrio augendis, atque ipso facto incurrendis, prout constat ex Decreto ejusdem Gubernatoris *die* 22. *Novembris dicti anni* edito.

§. 4. Suborta vero tractu temporis, nempe *anno* 1737. in eodem proposito altera subalterna quaestione, quo nimirum loco incedere debere unus tantum ex Prioribus *de Comitatu* hujusmodi, non intervenientibus alii duobus, et qualis respective locus competere debere *Judici Civitatis*, dum publice cum Magistratu Civitatis hujusmodi in functionibus procedere contingeret; Tunc existens Civitatis praedictae Gubernator memoratae Cardinalium Congregationi sensum suum aperuit, quae quidem Cardinalium Congregatio, cum relata a dicto Gubernatore approbasset, illi per alias Epistolas *die* 10 *Augusti secundo dicti anni* datas mandavit, ut executioni demandaret quod retulerat, dictusque Gubernator jussis ejusdem Cardinalium Congregationis obtemperans *die* 21. *supradicti mensis* formiter decrevit, ut quando soli fuissent in publicis functionibus Vexillifer, et Priores *Civitatis*, tunc *Judex praedictus* in ultimo loco ad eorum laevam incederet; Intervenientibus vero Prioribus *de Comitatu*, etiamsi *duo*, vel *unus tantum* intervenisset, neminem ex eis ad latus Priorum Nobilium, seu Civitatis admisit, sed etiam ab uno dumtaxat effórmari mandavit *secundam lineam*, Judicem autem ultimum secundo dictae lineae locum occupare.

§. 5. Anno MDCCXIII. alter abusus irrepsit, quod videlicet quatuor illi Comitatenses pro tempore eligi soliti ad constituendos, et efformandos peculiares Magistratus in singulis Castris Terris, seu Locis dicti Comitatus Æsini, licet ab antiquo eam unicam haberent denominationem vulgo expressam « *li quattro* » cum additione nominis Castri, Terrae, et Loci, ex quo selecti sunt; Animo nihilominus insulse emulandi morem nobilis Magistratus dictae Civitatis, affectare caeperunt in eorum actibus titulum Confalonerii, et priorum; Cumque id uti penitus illicitum fuisset a praedicta Cardinalium Congregatione per alias Epistolas *die* 13. *Decembris dicti anni MDCCXIII.* eis opportune interdictum; Adhuc vero Comitatenses constituti in Officiales Terrarum, seu Castrorum, et Locorum Comitatus hujusmodi, vetustum eorum titulum refugientes, in decursu temporis novos, aut inusitatos titulos, nempe *publicorum Repraesentantium*, aut etiam *publicorum Residentium* assumpserant, imo inani paritatis illusione semper magis animo defixa, Officiales Castri Sancti Marcelli in dicto Comitatu existentis non haesitaverunt aliquando nobili Magistratui dictae Civitatis Epistolas mit-

tere, in quibus sese subscripserant tanquam *Fratres;* Proinde necesse fuit, ut dilectus filius magister Concettus Vinci dictae Civitatis, ejusque Comitatus, et districtus Gubernator, auditis Partibus interesse habentibus, confectoque actorum processu, per suum formale Decretum *die* 26. *Maji anni MDCCL.* editum declararet, alium titulum, aliamque denominationem praefatis publicis eorumdem Castrorum, Terrarum, et Locorum Comitatus hujusmodi officialibus pro tempore existentibus non competere, praeter illam videlicet « *Quatuor* » quam ita per extensum describi mandavit in actibus quibuscumque; Unaque simul praecisam, demissamque subscriptionis formulam in Epistolis ab eisdem Castrorum, Terrarum, et Locorum hujusmodi Officialibus Magistratui Æsino pro tempore mittendis laudabiliter praescripsit, nempe « *Umilissimi, Devotissimi Servitori ossequiosissimi* » addita in utroque contraventionis casu contra dictos Officiales, ac illorum Secretarios, seu Vice-Secretarios poena pecuniaria, dictique Comitatenses adversus dictum Decretum, etiamsi jure merito latum, appellare non desierunt.

§. 6. Praeter et ultra supradictas Contentiones aliam insuper molesti Comitatenses excitarunt Controversiam super modo annualiter praestandi Pallia, ac Fidelitatis, Obedientiaeque juramentum exhibendi, quippe quae ab immemorabili tempore in signum superioritatis, qua pollet ipsa Civitas Æsina super Castris, Terris, et Locis Comitatus, et Districtus Æsii, recurrente quotannis *die* 4. *Maji festivo die Sancti Floriani Martyris* eiusdem Civitatis Æsii Protectoris peculiaris, consuevere, ac explere pergunt singula Castra, Terrae, et Loca ejusmodi Comitatus per proprium uniuscujusque Sindicum opportunis, atque praecipuis facultatibus suffultum Pallia praesentare, ac fidelitatis, et obedientiae juramentum praestare Civitati, et Communitati Æsii, cujus peragendi actus praecisam, peculiaremque formulam perpetuis temporibus a Sindicis praedictis observandam per suas in simili forma Brevis *die* 8. *Iulii MDLXXXIX.* expeditas literas fel. rec. *Sixtus PP. V.* Praedecessor noster praescripsit. Praemissis vero non obstantibus Comitatenses contendere caeperunt, quod tres Priores Comitatenses, seu Comitatus in ipsa Civitate pro tempore residentes, et Comitatum ipsum repraesentantes hujusmodi actui interesse deberent, non utique veluti spectatores, et Magistratum Civicum in publicis actibus insequentes, sed tanquam aequali superioritatis jure praefatorum Palliorum, et juramentorum *Receptores* ac si monstruosa quadam incompatibilitate hoc dari posset, ut per imperceptibilem confusionem agentis, et patientis, nec non Superioris, et Inferioris, Comitatus non Civitati tantum, sed sibi ipsi signa subjectionis, atque itidem fidelitatis, et obedientiae juramentum praestaret.

§. 7. Pro cujus praetensionis Decisione *Ann. MDCCXLVIII.* cum a praedicta Cardinalium Congregatione, ad quam delata fuit instantia, per alias Epistolas *die* 21. *Septembris expeditas* delegatus fuisset tunc existens ejusdem Civitatis Æsii Gubernator; Formali proinde instructo Judicio inter *Civitatem*, et Communitatem Æsii, ejusque Nobilem Sindicum ex una, et Universitates *Massati, Montis Carotti, Belviderii, aliorumque Castrorum*, seu Locorum *Comitatus* praedicti, ac ipsius Procuratorem ex altera partibus, coram Gubernatore praedicto, copiosus actorum Processus compilatus fuit, dictusque Gubernator mature perpensis rationibus hinc inde deductis, definivit, Pallia, et Fidelitatis, ac Obedientiae juramenta praestanda esse *Civitati, et Communitati Æsii* ad formam dictarum Literarum Sixti Praedecessoris praedicti *coram Vexillifero, et Prioribus nobilibus Civitatis* hujusmodi pro tempore existentibus habitu Magistrali indutis, sedentibus in parte digniori primariae Mansionis, seu Cubiculi publici Palatii *cum Strato subtus pedes*, consedente ab uno latere in linea transversali *Sindico Civitatis, et Universitatis hujusmodi;* Quo vero *ad Priores Comitatenses* declaravit, eis etiam jure licuisse, et licere interesse actui praedicto, hac tamen conditione, quod tunc consedeant induti consueto habitu Magistrali in linea transversali ab altero latere praedictae Mansionis *extra stratum*, et itaut per eorum interessentiam nullo modo praetendi possit, quin Civitas, et Communitas Æsii juramenta, et Pallia recipere intelligatur, et quin eidem Civitati, et Communitati praedicta Castra, et Loca Fidelitatis, et Obedientiae juramenta praestare, ac praesentare censeantur, et alias prout constat ex Decreto memorat i Gubernatoris *die* 4. *Februarii Anni MDCCL.* publicato, atque ex consecutivis Epistolis circularibus per eumdem Gubernatorem ad omnia

Castra, Terras, et Loca Comitatus praedicti *prima Maii ejusdem anni, et* 23. *Aprilis respective diebus* anni MDCCLI missis.

§. 8. Subinde Comitatenses coram dilecto Filio Magistro Flavio Chisio Camerae Nostrae Apostolicae Generali Auditore appellationem interponere, et expediri facere curarunt, atque orta deinde quaestione super Causae hujusmodi *pertinentia*, prius Auditor Signaturae Justitiae, postmodum dilectus Filius Noster Nereus S. R. E. Cardinalis Corsini nuncupatus Signaturae hujusmodi Praefectus, demum Signatura ipsa plenis votis declararunt, Causam hujusmodi ad saepedictam Cardinalium Congregationem spectare; Quae quidem Congregatio *die* 2. *Septembris supradicti Anni MDCCLI.* mandavit eidem Gubernatori Æsii, ut ad formam sui Judicati procederet. Contra hujus ejusdem Cardinalium Congregationis Decretum, recurrente iterum Comitatu, seu Comitatensibus ad dictum Signaturae Auditorem, *hic die* 17. *dicti Mensis Septembris* mandavit, quod Comitatus, seu Comitatenses *uterentur jure suo*. Quapropter Comitatus, seu Comitatenses *die* 21. *dicti Mensis* ad eamdem Cardinalium Congregationem habuerunt recursum, a qua etiamsi benigniter fuisset rescriptum « *Deducant jura sua, servatis servandis, contra Sententiam latam a Gubernatore* » Comitatenses nihilominus in decursu viginti, et ultra mensium, futuram, atque iteratam Decretis per ipsum Gubernatorem, attentis deductis, lati, confirmationem quasi praesentientes, et non immerito reformidantes, Causam hujusmodi prosequi minime curarunt, sed ut controversiarum semina semper viva conservent, *die* 23. *Aprilis anni proxime elapsi*, itidemque *die* 26. *dicti Mensis nuper praeteriti* ante festum dicti *Sancti Floriani* coram Signatura hujusmodi protestationes de non praejudicandis assertis eorum juribus emiserunt.

§. 9. In hoc rerum statu, quemadmodum alias ad penitus evellendas, dirimendasque lites, et dissentiones inter Communitatem, et homines Civitatis praedictae ex una, et Universitates, et Homines Comitatus hujusmodi ex altera partibus *quoad modum partiendi Onera, Impositionesque*, jam dudum vertentes authoritatis, providentiaeque Nostrae partes interponere, *et per alias Nostras in simili forma Brevis die* 28. *Aprilis proxime praeteriti Motu proprio expeditas Literas*, Votum Auditorij Causarum Palatii Nostri Apostolici, ac duas Sententias, quas Communitas, et Homines Civitatis a duabus Congregationibus Particularibus nonnullorum S. R. E. Cardinalium, et Romanae Curiae Praelatorum ad sui favorem reportaverant, confirmare, ac perpetuum silentium super Causa praedicta, et Lite hujusmodi imponere curavimus; De praesenti peculiarem Pastoralis muneris nostri sollicitudinem, operam, et consilium ad eliminandas *contentiones praeeminentiales, et honorificas* inter eosdem Homines, Communitatem, et Universitates vigentes, ac pacem, et Concordiam inter eos constabiliendam propensa charitate studiosissime collocare, et adhibere intendimus.

§. 10. ITAQUE justis, et rationabilibus Causis animum Nostrum moventibus adducti, praedictarum litium, et contentionum statum, terminos, et circumstantias, nec non Decretorum per Gubernatores Civitatis Æsii praedictae pro tempore existentes editorum, et publicatorum, prout etiam Epistolarum tam ab ipsis, quam a saepedicta Cardinalium Congregatione variis temporibus, ut praefertur, transmissarum *tenores* praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertos habentes; MOTU PROPRIO, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, *recursus, et appellationes* quascumque pro parte Comitatus, seu Universitatum, et Hominum Comitatus hujusmodi quomodolibet coram quibusvis Judicibus, et Tribunalibus interpositas, et admissas, eisque postpositis etiam forte in devolutivo competentibus, omnino amovemus, delemus, et supprimimus, praefataque *Decreta, et Epistolas* supra expressa specialiter, et plenissime *approbamus, et confirmamus*, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adijcimus, et quatenus opus sit, omnia, et singula in dictis decretis, et Epistolis contenta, et expressa, Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus *de novo concedimus, disponimus, constituimus, sancimus, decernimus, atque perpetuis futuris temporibus omnino observari mandamus, ac Lites, Causasque* hujusmodi coram quibusvis Judicibus, et Tribunalibus, motas, et pendentes cum suis annexis, et connexis statu, et terminis, in quibus reperiuntur, perpetuo *supprimimus, et extinguimus*, ac extinctas esse decernimus, perpetuumque silen-

tium imponimus. Et licet *super modo sese subscribendi* Priores Comitatus hujusmodi vel in publicis vel privatis actibus, nec satis declaratum, nec demandatum hucusque sit, Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus volumus, praecipimus, et mandamus, ut moderni, et pro tempore existentes *Priores Comitatenses*, seu de Comitatu hujusmodi in Civitate Æsina pro tempore residentes, et *Comitatum* hujusmodi repraesentantes in quibuscumque Actibus per eos subscribendis sese semper, et expresse subscribant cum additamento, seu verbo, et tanquam *Priores de Comitatu*, et non aliter, nec alio modo, sub poena Centum scutorum monetae Romanae in quolibet contraventionis casu omnino incurrenda, et persolvenda. Quot annis vero in die Festo Sancti Floriani Martyris pallia, et juramenta per Universitates, et Homines Comitatus praedicti, seu Comitatum hujusmodi vetusto more praestari, ac praestanda, illaque *a Vexillifero, et caeteris duobus Prioribus Nobilibus Civitatis Æsii* nomine solum *Civitatis praedictae* juxta formam in Decreto per eumdem Gubernatorem, sicut praemittitur, edito praescriptam dumtaxat recipi, et recipienda; Priores vero *Comitatenses*, seu de Comitatu Magistratum Civitatis Æsii in publicis Functionibus insequi solentes, ac hujusmodi actui interesse cupientes, ad illum tamquam *Spectatores solummodo*, non autem tanquam principales receptores, et dumtaxat *corporalem eorum praesentiam* separatim a Magistratu Civitatis hujusmodi praestantes interventuros esse decernimus itidem, et declaramus.

§. 11. Praeterea cum Reipublicae expediat Nobilitatem fovere, et summopere congruat, praesertim in Magistratibus municipalibus, ut ii, qui Nobilitate praesunt, supra caeteros praefulgeant, atque in hodierno politiori aevo per extrinsecam quoque *habitus differentiam* ab inferioribus distinguantur, alias quidem saepedicta Cardinalium Congregatio, praevia fel. recordationis *Clementis PP. XII.* Praedecessoris itidem Nostri approbatione per suas *die* 12. *Julii* MDCCXXXVIII. expeditas Literas tam *Vexillifero*, quam *duobus Prioribus Nobilibus Civitatis Æsii* indulsit, ut sub magistrali habitu Subsutum, et Notas vulgo « *La Fodera, e Mostre* » Sericeas purpurei coloris vulgo *Cremisino* nuncupati, addere, et gestare possent; Reclamantibus vero Comitatensibus, eadem Cardinalium Congregatio per alias *die* 24. *Decembris ejusdem anni* expeditas Epistolas, ad pro tempore existentem *Vexilliferum* praedidictum hujusmodi distinctivum, seu Signum restrinxit: Nos, ut *Priores Nobiles Civitatis* praedictae a Prioribus dicti *Comitatus* sicuti in incessu, ita et in indumento, et habitu *omnino distinguantur*, Prioresque Comitatus vanum, et imaginarium praetensae aequalitatis errorem tandem aliquando prorsus evellant, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, modernis, et pro tempore existentibus *Civitatis Æsii Prioribus Nobilibus* ut ipsi durante Prioratus tempore, tum in privatis tum in publicis Functionibus habitu Magistrali, seu Magistratus cum notis *serico coccineo colore* subsuto, nempe « *Foderato, e con le Mostre di Seta color Chermisi, ò Chermisino* » eisdem modo; et forma, quibus *Vexillifer* dictae Civitatis induit, uti, et in hujusmodi habitu incedere possint *concedimus, et indulgemus*, ac eumdem habitum a memorata Cardinalium Congregatione *Vexillifero d. Civitatis* dumtaxat concessum, *ad caeteros Civitatis hujusmodi Priores Nobiles extendimus, et ampliamus*, ac non obstantibus quibuscumque alias per Comitatum, seu Comitatenses deductis, aut forsan in posterum deducendis, abitum praedictum ad dictos duos Priores Nobiles Civitatis extensum, et ampliatum fore, et esse volumus, atque praecipimus.

§. 12. Demum motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ad hoc ut omnia, et singula per praesentes nostras Literas disposita, volita, et concessa, tametsi post illarum publicationem nulla interposita mora, nulloque expectato Decreto, executioni demandata sint, et fuerint, futuris temporibus custodiantur, et observentur, et debitae executioni semper demandentur, ne Communitas, Hominesque praedicti magnam impensam pro ingenio Comitatensium praedictorum agere cogantur, ac inutilia dispendia subire valeant, *memoratam Cardinalium Congregationem peculiarem Executricem privative* quoad alios quoscumque Judices *cum speciali, etiam facultate* poenas, ubi impositae fuerint, augendi, et exequi faciendi, et ubi impositae minime sint suo arbitrio statuendi, et imponendi, facimus, constituimus, et deputamus; *Salva tamen ordinaria moderni, et pro tempore existentis Gubernatoris Æsii facultate, et auctoritate, quam ad promptiorem praemissorum omnium executionis effectum* juxta casus, qui evenire possunt, per praesen-

tes, evenientibus casibus hujusmodi, reservamus.

§. 13. DECERNENTES easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet, etiam cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et Dignitatis, aut alias etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni in praemissis forsan jus, vel interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque Juris, Facti, et Gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, et extra illud uti, seu se juvari ullo modo posse, sed ipsas praesentes Literas semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et inviolabiliter observari, et adimpleri; SICQUE, ET NON ALITER in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, nec non dictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, illorumque Vice-Legatos, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, SUBLATA EIS, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, AC IRRITUM, ET INANE, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. NON OBSTANTIBUS praemissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatis, et Comitatus hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat *specialiter, et expresse derogamus*, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris *die* XXI. *Julii* MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

D. Card. Passioneus.

Loco ✠ Sigilli.

LXI.*****

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS
ET DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV.

LITERÆ APOSTOLICÆ

In forma brevis, quibus Sanctitas Sua ex speciali gratia, Praefecto Apostolico, et Missionariis Societatis Jesu in Insulis Americae Meridionalis, Martinica, Guadalupa, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio subditis, pro tempore existentibus, concedit facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam conditionibus, clausulis, et circumstantiis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Immensa Jesu Christi, cujus supremas in terris vices plane immerentes gerimus, charitas, quemadmodum quidem facit, ut nos de aeterna animarum pretioso sanguine quasi Agni immaculati redemptarum salute solliciti maxi-

mopere laetemur, cum audimus barbaros, infidelesque utriusque sexus homines ab ipsa Europa longissime remotos accepisse verbum Dei, et per sacrum regenerationis Lavacrum in Christo renatos viam mandatorum Dei currere; ita urget nos etiam, ut minime patiamur opportuna Apostolicae providentiae, auctoritatisque nostrae commoda ab ipsis Catholicam Fidem amplexis desiderari, quibus et ad eamdem Fidem strenue profitendam, et ad pugnam contra potestatem tenebrarum fortiter sustinendam per Spiritus Sancti plenitudinem Sacramento Confirmationis collatam, magis magisque roborentur et confirmentur. Quoniam autem dilectus Filius Guillelmus Cuillin Presbyter Regularis Societatis Jesu, Praefectus Apostolicus Missionis in Insulis Americanis, Martinica, Guadalupa, aliisque, charissimo in Christo Filio nostro Francorum Regi Christianissimo subjectis per ejusdem Societatis Jesu Alumnos peragendae constitutus nobis humiliter exponi fecit; et dilectus itidem Filius Ignatius Vicecomes laudatae Societatis Praepositus Generalis fusius explicavit, confirmavitque in memoratis nimirum Insulis Americanis Galliae ditioni subjectis, nullum adhuc Antistitem constitutum esse, a quo Neophiti Sacramento Confirmationis hactenus insigniri potuerint; unde fere omnes sacro Baptismatis lavacro dumtaxat abluti, aliisque muniti Sacramentis, viam universae carnis ingrediantur. Eapropter, supplices uterque addidit preces, ut hac in parte de Apostolica benignitate, et auctoritate, ut infra, providere, et indulgere dignaremur. Nos itaque a quibus supremo Pastorum Principi Jesu Christo aeterno Judici ipsius in terris vices gerentibus gravissima omnium animarum suo sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot Populorum angustias, aerumnas, ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atque eosdem Missionarios, qui suam pro lucrandis fratribus suis animam ponunt, Apostolicis laudibus commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ipsumque Guillelmum Guillin, necnon caeteros inibi Missionarios dictae Societatis Jesu de Catholica Ecclesia, et aeterna Christifidelium salute imprimis commendatissimae, amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, attentis praemissis, et insignibus ejusdem Ignatii Praepositi Generalis religiosis virtutibus, et meritis, atque filiali sua erga Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia, et obedientia, auctoritate Apostolica tenore praesentium moderno, et pro tempore Praefecto tantummodo ejusdem Missionis Americanarum Insularum existenti, ac Praefecti hujusmodi munere durante, ut Sacramentum Confirmationis sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit, per Catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus illarum dumtaxat Paraeciarum, quae reperiuntur sub cura, et regimine Alumnorum dictae Societatis Jesu ejusdem Missionis, juxta Ritualis Romani ritum libere, et licite conferre, et administrare, possit, et valeat, ea tamen lege, ad viginti dumtaxat annos ab eo tempore, ex quo praesentes nostras in forma Brevis literas acceperit, computandos tribuimus, et impertimur, ut, si interea temporis, nempe viginti annorum contingat in iisdem Insulis Americanis Galliae ditioni subjectis, vel residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios Episcopali charactere, et auctoritate insignitos ab eadem Sede Apostolica deputari, impertita hujusmodi facultas nulla sit, et nullius prorsus roboris, ac momenti habeatur, secus vero rata, ac firma intelligatur, cum vel residentiales Antistites, vel Apostolici Vicarii charactere, et auctoritate Episcopali insigniti legitimis, canonicisque impedimentis detenti, eidem Praefecto pro tempore concesserint, ut in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi Antistites nullo pacto, ac tempore accedere valuerint Sacramentum Confirmationis, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, conferre possit. Insuper omnibus et singulis ejusdem Missionis Missionariis Sacerdotibus saepedictae Societatis Jesu, eamdem conferendi Sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli suarum dumtaxat Paraeciarum in periculo, vel articulo mortis constituto, facultatem tribuimus: Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, firma, valida, et efficacia intra praescri-

ptum viginti dumtaxat annorum spatium existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuntios, et alios quoslibet, quacumque auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, et specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et quatenus opus sit, dictae Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, vel manu, et sigillo Praefecti pro tempore existentis Missionis praefatae ejusdem Societatis Jesu munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Caeterum coelestis praesidii auspicem ipsi Guillelmo Guillin Praefecto, caeterisque Missionariis illarum Insularum Apostolicam Benedictionem, quam cum plenariis indulgentiis, peccatorum remissionibus, poenarumque relaxationibus conjunctam ab ipso dumtaxat Praefecto semel Christifidelibus suarum Paraeciarum in unum, in diversis licet locis convenientibus nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima quarta Julii Millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

Dat. die 24. Julii 1752.

Cajetanus Amatus.

ECCLESIASTICI LXII.

Ditionis Pontificiae quid juris habeant interveniendi, et sententiam dicendi in Consiliis super rebus, et negotiis eorum interesse tangentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Quamvis jamdudum Romani Pontifices Praedecessores Nostri providam statuerint methodum in Ecclesiasticae Ditionis Communitatibus observandam, ubi de negotio aliquo agendum sit, in quo tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum communis res agatur; nihilominus ad tollendos abusus, quos hac in re alicubi invectos accepimus, et ad removendas querelas, quae ad Nos assidue deferuntur, opportunum fore judicavimus, easdem Praedecessorum Nostrorum Leges confirmare et innovare, nonnullis adjectis declarationibus, per quas earum intelligentia magis in aperto constituatur.

De electione Deputatorum Cleri Secularis, et Regularis. §. 1. Primum itaque, ab Ecclesiasticis uniuscujusque Civitatis, Oppidi, aut Loci, duo Deputati eligendi sunt, alter e Clero Seculari, et alter e Regulari; Quod si Regulares in loco non adsint, poterit Clerus Secularis non unum solum, sed etiam duos e proprio corpore Deputatos eligere.

De eorum interpellatione, ejusque effectu. §. 2. Quoties autem negotium aliquod agitari contingat, quod aliquo modo ad Ecclesiasticorum res atque rationes pertineat, aut pertinere possit; toties praedicti Deputati interpellandi sunt, ut illius tractationi intersint. Si vero ipsi interesse neglexerint, quaecumque demum fuerit ipsorum absentiae causa, non ideo id, quod ipsis absentibus decretum erit, nullitatis vitio infectum censebitur: Sed pro decreti sic conditi validitate, satis erit, quod de facta interpellatione Deputatorum hujusmodi, extrajudicialiter constet.

Eorum liberum suffragium, sed consultivum tantummodo cum facultate recurrendi. §. 3. Quum autem hujusmodi consultationibus Ecclesiasticorum Deputati intervenient, poterunt quidem, ac etiam debebunt, circa ea, quae a Laicis proponerentur, sententias suas dicere; Verum hae consultivi suffragii vim tantummodo habebunt; neque, si forte Laicorum resolutionibus contrariae fuerint, istarum executionem retardare valebunt; reservata dumtaxat Ecclesiasticis facultate recurrendi

deinceps ad Superiora Tribunalia, a quibus postulare poterunt ea praejudicia emendari, quae ex Laicorum resolutionibus illata sibi esse contenderint.

Qua ratione computatorum revisionibus interesse, et super illis sententiam dicere valeant.

§. 4. Porro quum aliquae sint expensae, quibus tolerandis, ex Romanorum Pontificum praescripto, Ecclesiastici cum Laicis concurrere debent, cumque aequum non sit, ut pecuniarum summae ab Ecclesiasticis persolutae, in aliam causam a Laicis erogentur, praeter eam, quae in Pontificiis Mandatis expressa est; ideo statutum est, ut semel saltem in anno rationum redditio fiat, vocatis ad eam Ecclesiasticis Deputatis, quibus exhiberi etiam debebunt Libri, in quibus administrationis computa continentur; Hos tamen Libros Ecclesiastici minime poterunt domum asportare, sed examinare debebunt in eo Loco, qui a Gubernatore Locali, seu a S. R. E. Cardinali Provinciae Legato, majori, qua poterit cautela, ad id designatus fuerit, eoque temporis spatio, quod ipsis ad hunc effectum a supradictis praescriptum fuerit; cum facultate recursum habendi ad Superiores, quoties in hujusmodi rationum redditione animadverterint, aut dati et accepti capita non recte constare, aut collatam pecuniam in alias causas erogatam fuisse ab illis diversas, quibus ex Pontificis voluntate destinata fuerat.

Praemissorum observatiae in perpetuum consulitur.

§. 5. Haec omnia aut expresse, aut implicite continentur in Epistola Encyclica, de mandato Ven. Servi Dei Praedecessoris Nostri Innocentii Papae XI. die 19. Julii anni 1681. expedita, et in Decretis a Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super Bono Regimine Communitatum, et Universitatum Status Nostri Ecclesiastici, auctoritate Apostolica, deputatorum alias emanatis. Quae ideo ab omnibus, ad quos spectat, in posterum observari volumus et mandamus; Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, et Provinciarum, Civitatum, et Locorum Status Nostri Ecclesiastici Praesides, Vice-Legatos, Gubernatores, aliosque quoslibet, judicari et definiri debere, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, definiendi, ac interpretandi facultate, et auctoritate; et si secus a quoquam scienter vel ignoranter gestum aut judicatum fuerit, irritum et inane decernimus.

Contrariis derogatur.

§. 6. Non obstantibus quibuslibet Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non Ecclesiarum, et Ordinum Regularium, Congregationum, et Institutorum, etiam expressa mentione dignorum, ac Civitatum, et Provinciarum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, Usibus, et Consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Exemptionibus, Indultis, et Literis Apostolicis, cuilibet praemissorum quomodolibet in contrarium concessis, ac pluries confirmatis, et innovatis: Quibus omnibus et singulis, quatenus opus sit, expresse derogamus, aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Dat. die 29. Julii 1752.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Julii MDCCLII., Pontif. Nostri Anno XII.

D. Card. Passioneus.

APPENDIX

AD TOMUM III.

BULLARII

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI D.

BENEDICTI PAPÆ XIV.

NUM. I.

ALLOCUTIO

Habita in Consistorio Secreto Feria Secunda die 21. Aprilis 1749.

Super honorifico FIDELISSIMI Titulo JOANNI V. Portugalliae, et Algarbiorum Regi, ejusque Successoribus, a Sanctitate Sua collato.

VENERABILES FRATRES.

Consentaneum plane, immo et necessarium arbitramur declarare Vobis quemadmodum in praesentia declaramus, Carissimo in Christo Filio Nostro JOANNI Portugalliae, et Algarbiorum Regi, ejusque Successoribus, collatum a Nobis fuisse perhonorificum FIDELISSIMI Titulum, qui merito quidem ipsi tribuendus videbatur. Etenim toto vitae suae cursu praeclarissima gessit, ut Catholicae Religionis gloria, et hujus Sanctae Sedis dignitas magis amplificaretur. Dubitandum quoque non est, Successores ipsius hoc honoris Titulo inflammandos esse vehementer, et maximo studio excitandos, ut propositum ante oculos exemplum pari virtute aemulentur.

Procul dubio non ignoratis, ineunte Saeculo duodecimo, Mauris e Portugalliae Regno depulsis, illos statim Reges omnem operam contulisse, ut Catholicam Religionem in sua Ditione illibatam tuerentur; et cum deinde plures Asiae, Africae, Indiarumque, et Americae populos in suam potestatem redegissent, barbaras gentes sanctissimae Religionis mysteriis imbuendas curasse, accitis peritissimis Ministris, qui recentem Domini Vineam diligenter excolerent. Inter eos recensendus est S. Franciscus Xaverius, qui Joannis III. Portugalliae Regis praesidio ac tutela, uberrimos totoque Orbe celeberrimos fructus in illis Regionibus collegit, uti non solum auctoritate Scriptorum, sed ipsius S. Francisci ad Joannem Regem epistolis plane comprobatur; ex quibus etiam clare deprehenditur, magna cum gloria, Fideique incremento, iis omnibus Virum Apostolicum satisfecisse, quae a Paulo III. Praedecessore nostro illi praescripta, ac demandata fuerant.

Sebastianus Rex, de cujus laudibus nulla umquam aetas conticescet, circa dimidium Saeculi deximi sexti Portugalliae Regnum administrandum suscepit. Ille singulari virtute praeditus, potentissimo exercitu comparato, mare transmisit, Mauris bellum indixit, cum quibus fortissime decertans, honestissima morte gloriam adeptus est immortalem.

Si quis autem amplissimas victorias, quas Portugalliae Reges in remotissimis etiam partibus Africae consecuti sunt, admirari cupiat, in Apostolicis Literis Pii IV. Praedecessoris nostri, quae in Ecclesiae Annalibus referuntur, descriptas legere poterit. Ex illis quoque percipiet, innumerabilem pene Indorum multitudinem armis subactam, eo fructu cumulatam fuisse, ut Christianam Fidem agnoscerent, et amplecterentur. Insuper ex Apostolico Brevi ejusdem Pontificis ad ipsum Regem Seba-

stianum intelligimus, tantam in bellis suscipiendis, victoriisque referendis virtutem eum Regem divinitus obtinuisse, ut caeteros omnes Majores suos gloriae magnitudine facile exaequarit. Quamobrem Sanctus Pius V. Praedecessor noster (uti sincera quaedam monumenta testantur) potestatem fecit eidem Sebastiano Regi eum honoris Titulum seligendi, quem magis expeteret; se paratum esse declarans, ipsius voluntati morem gerere, ut debitam videlicet rebus praeclarissime gestis mercedem impertiret. His respondit Sebastianus Rex, se nihil magis optare, quam ut Filii nomen ac titulum, erga Romanum Pontificem obsequentissimi, palam ostenderet, ac probaret; resque propterea infecta remansit.

Idem procul dubio nunc etiam contigisset, si exemplo Sancti Pii V. Praedecessoris nostri inhaerentes, Carissimo in Christo Filio Nostro JOANNI Portugalliae, et Algarbiorum Regi honoris Titulum, quem vellet, eligendi potestatem fecissemus. Quapropter praeteritarum rerum experientia edocti, ne ullum impedimentum objiceretur, voluntate nostra, ipso Rege inconsulto, perhonorificum FIDELISSIMI Titulum Nos ipsi excogitavimus, quem eidem Regi, ejusque in Regno successoribus, ut jam superius indicavimus, elargiti sumus.

Porro, quam praeclara sint hujus Regis in Christianam Rempublicam merita, satis superque testantur Apostolicae Literae Clementis XI. Praedecessoris nostri, quam duo volumina in lucem edita complectuntur.

Siquidem, ut ejusdem Pontificis voluntati, et consiliis obsecundaret, plurimas in subsidium naves suppeditavit, quo tempore Turcarum Tyrannus Insulae Corcyrensi cum validissimo exercitu imminens, non solum Venetorum Reipublicae, sed universae quoque Italiae, et huic Urbi quae totius Christianae Religionis caput est, perniciem, et calamitatem minabatur.

Nos ipsi jure, ac merito testari possumus, et revera testamur, eumdem Regem suam nunquam operam a Nobis desiderari passum esse, ubi res fuit vel de retinenda, augendaque Religione, vel de hujus Sanctae Sedis dignitate tuenda. Insuper Nobis Pontificatum gerentibus, nonnullos Episcopatus fundavit in remotissimis Dominii sui partibus, ubi solum Infideles versabantur, videlicet, ut Christiana Fides ibidem propagaretur. Omittemus, hic verba facere de maximis, ac plane Regiis sumptibus, qui ab ipso fiunt, ut Ministris ad obeundas sacras Missiones necessaria suppeditentur. Taciti tamen praeterire non debemus victorias, quas recenter in Asia comparavit, et novas, quas suscepit expeditiones; et hujusmodi profecto bella libenter cum illis comparabimus, quae Gennadius Patricius, et Exarchus Africae feliciter gessit, et eadem prorsus affirmabimus, quae de illis S. Gregorius Praedecessor noster ad ipsum Gennadium scripsit his verbis: *Ubi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio? Quae et bella Vos frequenter appetere, non desiderio fundendi sanguinis, sed dilatandae causa Reipublicae, in qua Deum coli conspicimus, loquitur; quatenus Christi nomen per subditas gentes Fidei praedicatione circumquaque discurrat.* Ejusdem Sancti Pontificis verbis prosequemur: *Plurima pro pascendis ovibus Beati Petri Apostolorum Principis utilitatibus Excellentiam vestram praestitisse didicimus* Orationem tandem nostram absolvemus, quemadmodum et Sanctus Gregorius epistolam absolvit suam: *Persolventes paternae charitatis alloquium, petimus Dominum, Salvatoremque nostrum, qui Eminentiam vestram pro solatio Sanctae Reipublicae misericorditer protegat, et ad dilatandum per finitimas gentes nomen ejus magis magisque brachii sui firmitate confortet.*

Lib. I. indict. 9. epist. 75. tom 2. Oper. edit. Paris. 1705. pag. 560.

Habetis, Venerabiles Fratres, quae a Nobis peracta sunt, quaeque Nos ad ea peragenda impulerunt.

NUM. II.

LETTERA CIRCOLARE

A tutti i Patriarchi, Arcivescovi, e Vescovi sopra la preparazione all' Anno Santo.

Hanc superius pag. 118. *latine editam placuit etiam Italico sermone hic inserere, prout ad Episcopos per Italiam transmissa fuit.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater,

La nostra Costituzione, nella quale abbiamo intimato a' fedeli di Cristo la Solennità dell' Anno Santo, contiene un invito per un divo-

to Pellegrinaggio: che è un' opera additata da Dio nel Testamento vecchio, praticata e frequentata nei primi secoli della Chiesa rispetto a' Luoghi Santi di Gerusalemme, usitata in ogni tempo con molta frequenza anche da' Rè e Monarchi in ordine a' Luoghi Santi di questa nostra Città di Roma, e particolarmente a' Sepolcri de' Santi Apostoli; opera finalmente, che impugnata dagli Eretici, è stata con molta ragione ed energia sostenuta e difesa da' nostri Controversisti, e che ben diretta e governata da' Prelati di Santa Chiesa, può servire, e serve di edificazione a tutti quelli, che con animo pacato la considerano nel suo vero stato, e nei veri limiti, ne' quali deve esser ristretta.

1. Iddio ordinò, che tutti i figli d' Israele tre volte l' anno facessero un divoto pellegrinaggio per visitare il Tabernacolo, o sia Tempio del Signore: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, et in solemnitate Tabernaculorum:* come si legge nel Deuteronomio *al cap.* 16. Elcana, ed Anna sua moglie adempirono puntualmente il precetto, come si vede *nel lib.* 1. *de' Re al cap.* 1. Il nostro amabilissimo Redentore colla sua Santissima Madre, ed il suo Padre putativo Giuseppe, portossi al Tempio, come pure si legge nel Vangelo di S. Luca *al cap.* 2. Ed acciò il Sacro Tempio edificato da Salomone fosse da tutte le genti frequentato, non mancò esso di pregare Dio ad esaudire le preghiere anche de' forestieri, e che non erano del popolo d' Israele, che fossero venuti pellegrinando a visitarlo: *Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum, (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extensum ubique); tu exaudies de coelo in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena:* come si legge *nel lib.* 3. *de' Re al cap.* 8.

2. Celebre è il testimonio di Eusebio *nella Storia Ecclesiastica al lib.* 6. *cap.* 11., in cui rifesisce il divoto accesso di S. Alessandro Vescovo di Cappadocia a Gerusalemme per vedere ed orare ne' Luoghi Santi: *Divino admonitus oraculo Alexander cum ex Cappadocia, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolymam profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia:* e più che celebre è in questo proposito il testimonio di S. Girolamo *nella sua lettera* 44. *altre volte* 17.: *Longum est nunc ab Ascensu Domini usque ad praesentem diem per singulas aetates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Christiana virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se habere religionis, minus habere scientiae, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.*

3. Non prenderemo qui l' impegno di riferire il frequente accesso de' Re, de' Vescovi e Prelati di Chiesa Santa, e di tutti i fedeli, e la continua peregrinazione a visitare i limini degli Apostoli; essendo già stata evacuata in tutto e per tutto la materia da alcuni celebri eruditi, cioè da Onofrio Panvinio nel suo Trattato *de praestantia Basilicae Vaticanae*, che insino ad ora si conserva manoscritto nell' Archivio del Capitolo della detta Basilica, che Noi più volte abbiamo letto, quando *in minoribus* eravamo Canonico della detta Chiesa, ed Archivista del detto Archivio; da Giacomo Gretsero *nel tom.* 4. della nuova edizione delle sue Opere *al lib.* 2. *de sacris Peregrinationibus al cap.* 12., *e molti seguenti*, dal Coccio *lib.* 5. *Thesauri Catholici al cap.* 17., da Stanislao Hosio *al cap. de Coeremoniis, quae desumuntur a loco*, da Rutilio Benzonio *de An. Sancti Jub. lib.* 6. *cap.* 1., *e seg.* dal Drexelio *nel tom.* 13. delle sue Opere stampate in Monaco *par.* 1. *c.* 7. *p.* 126. *e seguenti*, e dal moderno Trombelli *de Cultu Sanctorum tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 46. *e seg.* Porteremo bensì la formula di Marculfo Monaco, che visse nel secolo settimo, e che dai predetti non è portata, nella quale si contiene la commendatizia, che facevasi al Papa, ed a' Vescovi a pro di quelli, che si accingevano al pellegrinaggio verso Roma per visitare i limini de' Santi Apostoli, come si vede *nel lib.* 2. *al cap.* 49.: *Portitor iste, radio inflammante Divino, non, ut plerisque mos est, vacandi*, o come altri leggono, *vagandi causa, sed propter nomen Domini, itinera ardua, et laboriosa parvipendens, ob lucrandam orationem, limina Apostolorum Domini Petri et Pauli adire cupiens; a mea parvitate se petiit vestrae commendari almitati.* S. Gio. Crisostomo nel Libro, *Quod Christus sit Deus, al n.* 9. *nel tom.* 1. delle sue Opere della stampa di Parigi *del* 1718. *alla pag.* 570. così scrive al nostro pro-

posito: *In regia Urbe Roma, missis aliis omnibus, ad sepulcra Piscatoris, et tentoriorum Opificis, accurrunt Imperatores, Consules, Exercituum Duces.* Dell' Imperatore Carlo Magno scrive Eginardo, che quattro volte nello spazio d' anni quarantasette portossi a Roma, tratto dalla divozione: *Carolus Magnus intra annos quadraginta septem, quater Romam ad vota persolvenda et orandum profectus est.* Ed il Pontefice Nicolò I., che visse nel secolo nono, rende un' ampla testimonianza del concorso de' fedeli a Roma per venerare le ceneri dell' Apostolo S. Pietro *nella sua lettera* 9. a Michele Imperadore: *Tanta millia hominum protectioni ac intercessioni Beati Apostolorum Principis Petri ex omnibus finibus terrae properantium sese quotidie conferunt, et usque in finem vitae suae apud ejus limina semet mansura proponunt, ut praeter illud, quod vas e Coelo submissum, in quo cunctorum ostensa sunt eidem Beato Petro horum omnium Rectori animantium genera, Catholicam signat Ecclesiam, etiam ipsa sola Romanorum Urbs, apud quam ejusdem Apostoli corporalis praesentia sedulo veneratur, ipsius vasis cunctas dignoscatur in se continere universorum animalium (quae homines intelliguntur spiritaliter) nationes.*

4. Ed in ciò che risguarda o i nostri Controversisti, che contra gli Eretici hanno ben sostenuta la difesa delle divote peregrinazioni ai luoghi santi, o le regole de' Prelati di Santa Chiesa per ben governarle e liberarle da tutti gl' inconvenienti, Noi, che non intendiamo di fare un Trattato, o una Dissertazione, ci rimettiamo a quanto scrisse Giona Vescovo d' Orleans, autore del nono secolo, contra Claudio di Torino, che inimico delle Sacre Immagini, era per conseguenza anche nemico dei più divoti pellegrinaggi; ci rimettiamo alla celebre Orazione di Egidio Carlerio Decano della Chiesa di Cambrai, fatta in Basilea contra gli errori di Niccolò Taborita, stampata *nel tom.* 8. degli Atti de' Concilii dell' Arduino *alla pag.* 1796. *ed altre seguenti*, ove con profonda dottrina scioglie gli equivoci opposti dal suo contradittore contra i divoti pellegrinaggi; ed a quanto si legge nel Concilio Cabilonense tenuto *l' anno* 813. *c.* 45. e più diffusamente nel Concilio Bituricense tenuto *l' anno* 1584. *nel tom.* 10. della citata Collezione dell' Arduino *pag.* 1466. *e seg.* ove sono registrati alcuni Canoni molto ben fatti, per levare gl' inconvenienti dai sacri e divoti pellegrinaggi; oltre ciò, che in tal proposito si ritrova esattamente radunato da Lorenzo Bochelli ne' Decreti della Chiesa Gallicana *lib. 4. tit. 14. de Peregrinat.*

5. Nè a Noi sono ignoti i due Opuscoli di S. Gregorio Nisseno, uno intitolato *de iis, qui adeunt Hierosolymam*, e l' altro indirizzato ad Eustatia, ed Ambrosia, e Basilissa, che sono *nel tom.* 3. delle Opere del Santo Dottore stampate in Parigi *l' anno* 1638. *pag.* 651. sul fondamento de quali, quelli, che non sono della nostra comunione, s' appoggiano per iscreditare ed impugnare i divoti pellegrinaggi. Nè tampoco ci è ignota la grave controversia fra i nostri eruditi, se le dette opere siano genuine di S. Gregorio: nella qual controversia il Lippomano, il Baronio, Natale Alessandro, il Tillemont, il Ceillier, sono di sentimento, che le dette Opere siano Opere del Santo Dottore, del che però dubita il Cardinal Bellarmino; e con molta asseveranza ed impegno il Gretsero sostiene, che siano apocrife, come può vedersi nelle profonde ed erudite Note da esso stampate sopra le medesime, ed inserite *nel cit. tom.* 3. delle Opere di S. Gregorio Nisseno nelle Note *alla pag.* 71. *e segg.* Ma ci sembra di potere con tutta giustizia accennare, che, quand' anche le Opere siano del Santo, quando anche in esse, com' è vero, molto si esageri contra gl' inconvenienti, che succedevano nei pellegrinaggi a Gerusalemme, quand' anche, com' è vero, gagliardamente s' impugni la massima spacciata falsamente da alcuni, che le accennate peregrinazioni fossero necessarie per l' eterna salute, che senza quelle non poteva ottenersi; ciò punto non osta al nostro assunto, in cui sosteniamo l' utilità delle opere predette, non la necessità; non ci facciamo difensori degl' inconvenienti; ma, come vedrassi in appresso, ne andiamo additando e procurando i rimedj: Non essendo poi del dovere, che si prendano con tutto il rigore le gagliarde espressioni del Santo Dottore contra i pellegrinaggi a Gerusalemme; sì perchè si vede manifestamente, che hanno la loro origine dai frequenti scandali, che andavano occorrendo; sì perchè l' idea d' uno, benchè santo e celebratissimo Dottore, dee in ogni caso cedere al sentimento della Chiesa, ed al contrario comune parere degli altri, che fra le opere cristiane pie e devote, annoverano i sacri pellegrinaggi, quando siano fatti nelle dovute forme.

6. Questo nostro invito comprende i Vescovi nostri cari Fratelli, purchè la salute loro corporale lo permetta, e purchè la cura delle anime ad essi commesse non sia per ricevere nocumento della loro assenza: e si ricordino, che una gran parte de' loro Predecessori, parlando almeno di quelli che non erano tanto lontani da Roma, venivano ogni anno alla santa Città per celebrare unitamente col Papa la Festa de' Santi Apostoli Pietro e Paolo, come si vede *nella lettera* 13. e 16. di S. Paolino. Comprende l'invito i Sacerdoti e gli altri del Clero, purchè vengano, come è del dovere, colle Dimissorie de' loro Vescovi; legge, che non è inventata da Noi, ma ben antica, come si raccoglie dal *Canone* 41. e dal *Canone* 42. del Concilio Laodiceno tenuto *l'anno* 372. *nel tom.* 1. della Collezione dell'Arduino *pag.* 789. *et* 790. Comprende il nostro invito i Regolari, purchè però abbiano le opportune licenze de' loro Superiori, che esortiamo ad usare ogni discretezza nel concederle. Comprende gli Uomini del secolo, purchè intraprendano il viaggio dopo averlo consultato col loro Curato, o con altro Direttore delle loro coscienze, che dovrà aver presente, nel dare il suo consiglio, la comune massima degli Autori spiegata da Teofilo Raynaudo *nel tom.* 15. delle sue Opere, cioè in quella intitolata *Heteroclita spiritualia, alla pag.* 217. *num.* 18.—*Peregrinatio est opus supererogationis, et pertinet ad cultum voluntarium, quem par non est officere actibus virtutis ex obligatione exercendis. Sic maritus, qui vinculo matrimonii adstringitur adhaerere uxori, male faciet, si, uxore reluctante, longam peregrinationem, ea domi relicta, suscipiat. Immo, quamvis uxor consentiret, posset tamen peregrinatio longa mariti continere heteroclisim, si per eam absentiam in alterutro conjugum verisimile periculum labefactandae virtutis contineret. Æque ex hoc capite anomala esset peregrinatio patrisfamilias, qui cum necessarius esset domi ad sustentationem familiae, deberetque suis laborare, et thesaurizare, vellet tamen domo abesse, et ad haec aut illa sacra monumenta discursare. Idem pronunciatum esto de eo, qui obaeratus, nec habens aliunde, unde dissolvat debita, quam si alicubi haereat et laboret, eligit tamen visere loca sancta.* È nota ad ognuno la plenaria Indulgenza conceduta da Urbano II. nel concilio di Chiaromonte a chi, assumendo la Croce, assumeva la milizia per ricuperare Terra Santa: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniae adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro poenitentia reputetur.* Così si legge nel detto Concilio tenuto *l'anno* 1096. *nel tom.* 10. *de' Concilii* del Labbè. S. Tommaso *nel quodlibet.* 4. *all'art.* 11. propone la questione: *Utrum vir possit accipere Crucem, si de ejus incontinentia timeatur:* e camminando coi principj poc'anzi additati, conchiude: *Ex necessitate viro imminet, ut gerat crucem uxoris, quia caput mulieris est vir. Sed, quod accipiat Crucem ad transfretandum, subjacet propriae voluntati. Unde, si uxor sit talis, quae sequi non possit propter aliquod impedimentum, et de ejus incontinentia timeatur, non est ei consulendum, ut accipiat Crucem, et dimittat uxorem: secus autem est, si uxor continere voluntarie proponat, aut velit, et possit sequi virum suum.* I divoti pellegrinaggi di S. Elena a' luoghi santi, riferiti da S. Ambrogio, di Eudossia moglie di Teodosio juniore a Gerusalemme, descritti da Socrate, di Paola nobile Romana a Terra Santa, riferiti da S. Girolamo, di S. Brigida a Compostella, ed a Roma, per visitare i limini degli Apostoli Pietro e Paolo, tanti altri lodevoli esempj di donne di condizione, ed anche poverette e miserabili, vedute da Noi nel decorso della lunga dimora, che abbiamo fatta in Roma nel tempo del servigio da noi prestato alla Sede Apostolica; ci muovono a non escludere dal nostro invito le donne non astrette a clausura: Unendo però all'invito l'avvertimento, che crediamo molto necessario, cioè che da tutti quelli, a cui appartiene il vegliare sul buon costume, non si tralasci verun provedimento, per opporsi agli inconvenienti, che facilmente possono derivare dall'età delle pellegrine, dalla compagnia nel loro viaggio, dalla mescolanza con quelli d'altro sesso, e particolarmente quando esse, essendo maritate, non hanno la compagnia de' loro mariti, ed in difetto de' mariti, la custodia de' fratelli o d'altri congiunti loro in grado tale di parentela, che escluda ogni sospetto, e porti seco ogni dovuta custodia.

7. Al nostro invito succede il dover esporre il motivo, e la causa finale dello stesso: ma ciò non possiamo fare con tutta adeguatezza, se non premettiamo alcune notizie dedotte dai Padri, ed altre dalla Storia Ecclesiastica. S. Giovanni Grisostomo *nell'Omel.* 32. sopra l'Epistola a' Romani *tom.* 9. della sopracitata edizio-

ne *pag.* 757. protestossi di voler bene a Roma, e di poterla lodare per la grandezza, antichità, e bellezza, frequenza del popolo, ricchezze, e vittorie ottenute in guerra: *Propterea ego Romam diligo, quamquam aliunde illam laudare possim, a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, a populi frequentia, a potentia, a divitiis, a rebus in bello fortiter gestis:* ma aggiunse, che amava e stimava Roma, e che sommamente bramava di venirvi, per poter venerare i Sepolcri de' Santi Apostoli Pietro e Paolo: *Sed missis illis omnibus, ideo illam beatam praedico, quia Paulus et dum viveret illis scripsit, atque ipsos ita dilexit, ac praesens ipsos allocutus est, vitamque ibidem clausit, ideoque hinc clarior est civitas, quam ex aliis omnibus: ac, quemadmodum corpus magnum et robustum, duos illa Urbs habet oculos splendentes, horum videlicet Sanctorum Corpora. Non splendet Coelum, cum radios Sol emittit, ut Romanorum Urbs duas illas lucernas habens, per totum orbem lucem emittentes.* Passò avanti il Santo Dottore, ed espresse il suo acceso desiderio di prestare i dovuti atti di venerazione a' Sepolcri de' detti due Santi Apostoli: *Quis mihi nunc dederit, ut Corpus Pauli circumplectar, ut Sepulcro haeream, ut pulverem videam Corporis illius, quae Christo deerant, adimplentis, stigmata illius gestantis, praedicationem ubique disseminantis?* e poco dopo: *Vellem Sepulcrum videre, ubi jacent arma justitiae, arma lucis, membra nunc viventia, et mortua dum ille viveret, in quibus omnibus vivebat Christus, quae crucifixa erant mundo, membra Christi, quae Christum induebant, templum Spiritus, aedificium sanctum, quae Spiritu ligata erant, quae confixa erant timore Dei, quae stigmata Christi habebant. Hoc Corpus urbem illam quasi moeniis cingit, quod omni turre et vallis innumeris tutius est; et cum hoc etiam Petri Corpus, nam illum viventem honoravit: Ascendi, inquit, videre Petrum.*

8. Battendo le pedate di S. Giovanni Grisostomo diremo, essere questa nostra Città di Roma, degna d'esser veduta, per la grandezza delle fabbriche, per la sontuosità degli edifizj: ma non esser questa o simili cose l'oggetto del nostro invito. Diremo doversi ella principalmente lodare e ammirare per esser la Sede del Capo della Religione, il centro della unità, e per vedersi nella medesima i vivi contrassegni dell'estinta idolatria, che in essa aveva per più secoli trionfato. Agli eruditi è noto l'assunto di Pietro Angelo Bargeo nella sua celebre lettera *de privatorum publicorumque aedificiorum Urbis Romae eversoribus*, ove pretende di dimostrare non essere state rovinate le sontuose fabbriche de' Teatri, delle Terme, de' Tempj, delle innumerabili Statue degl' Idoli, da' barbari, da' Gotti, Vandali, e simili gente, ma da' Romani Pontefici, e specialmente da S. Gregorio il Grande, e da' pii fedeli, per levare ogni incentivo all' idolatria ed ogni memoria d'essa. Ma, ciocchè siasi di quanto scrisse il citato Bargeo, non è mancato a' giorni nostri chi con molta fatica ha composto un Trattato delle cose Gentilesche e profane, trasportate ad uso ed ornamento delle Chiese; in esso ha pienamente enumerate le Chiese, che ancor oggi si veggono in Roma erette su le rovine de' Tempj Gentileschi. Diremo finalmente, essere indirizzato il nostro invito ad un religioso pellegrinaggio, alla divota visita de' Sepolcri de' Santi Apostoli Pietro e Paolo, che S. Giovanni Grisostomo, come abbiamo veduto, sospirava di fare, nè mai ebbe il modo di fare.

9. Qui però non termina l'oggetto ed il fine del nostro invito. È noto a ciascheduno ciò, che accadde *nel* 1300. allora che, nata all' improviso una publica voce, sparsa non solo in Roma, ma in molte parti del mondo, che ogni cento anni vi fosse una plenaria ed ampla Indulgenza concessa a chi visitava i limini degli Apostoli, e che per appunto in quell' anno 1300. cadeva il centesimo, dopo essersi fatte le maggiori diligenze per rintracciare il vero, fu dal Pontefice Bonifazio VIII. pubblicata la sua Costituzione, che incomincia: *Antiquorum habet fida relatio*, in cui concesse la plenaria Indulgenza a chi pentito e confessato visitasse, se fosse forestiero, quindici volte, ed essendo Romano trenta volte, le Basiliche de' Santi Pietro e Paolo, perpetuando ogni cento anni la stessa plenaria Indulgenza nel modo poc' anzi espresso. Tutta la Storia è fedelmente riferita da Giacomo Gaetano Diacono Cardinale di S. Giorgio in Velabro, nipote dello stesso Bonifazio VIII. che è stampata *nel tom.* 25. della Biblioteca Massima de' Padri della stampa di Lione *alla pag.* 937. *e seqq.* È noto pure a ciascheduno, che il termine di cento anni fu ridotto a cinquanta da Clemente VI., a trentatre da Urbano VI., ed a venticinque da Paolo II., e che il predetto Clemente VI. alla visita delle due Basiliche di S. Pietro e di S. Paolo, ag-

giunse quella della Lateranense, ed Urbano VI. alle predette tre aggiunse la visita della quarta Basilica, che è quella di S. Maria Maggiore. Noi nella nostra Costituzione ci siamo conformati alla disciplina, che abbiamo veduta già introdotta, e quanto alle Chiese da visitarsi, e quanto al numero delle visite, opere prescritte da adempirsi per conseguire il santo tesoro della plenaria Indulgenza; nè altro v'abbiamo aggiunto, che il dover ricevere la Sacra Eucaristia, che abbiamo creduto ben fatto dovervi aggiungere. E questo è il vero oggetto del nostro invito, a cui il pellegrinaggio, e le visite delle Chiese, ed ogni altra opera ingiunta, fatta a dovere, sono non che convenienti, ma necessarie disposizioni. *Vi chiama, fratelli, lo Spirito Santo a Roma quest'anno prossimo del Giubbileo. V'invita il tesoro, che vi è proposto. Io vi esorto tutti a non mancare a voi stessi, ed a vestirvi della stola dell'allegrezza, perpetua compagna della buona coscienza; acciocchè ritornati da questo santo viaggio santificati in quest'Anno Santo, possiate meglio servire il Signore Iddio di quello, che avete fatto sin ora:* sono parole del gran Vescovo di Verona Agostino Valerio, poi degno Cardinale della Santa Romana Chiesa, nella lettera Pastorale a tutti i fedeli della sua Città e Diocesi, stampata in Verona *l'anno* 1574. sopra il Giubbileo dell'Anno Santo, che nell'anno seguente fu celebrato da Gregorio XIII.

10. Contentatevi, che facciamo anche uso delle lettere Pastorali del gran Cardinale Arcivescovo di Milano Carlo Borromeo pubblicate in lingua Italiana per comodo del suo Popolo, una *nel giorno* 10. *di Settembre* 1574., che vuol dire l'anno prima del Giubbileo celebrato nel Pontificato di Gregorio XIII. *Non è dunque, dilettissimi figliuoli, da perdere l'occasione di tanto spirituale guadagno; non vogliate, vi preghiamo, per timore, e rispetto d'un poco di fatica corporale, privarvi di tanto bene; considerate la diligenza e sollecitudine vostra negli acquisti e guadagni terreni, per li quali vi mettete a lunghi e pericolosi viaggi, nè temete disagi ed incomodi, nè vi spaventate di fatica, che vi si rappresenti. Confondetevi di non fare per l'anima vostra quel che fate per il corpo, poichè per ricevere la remissione d'un debito di cose temporali, molti di voi non temeriano di mettersi eziandio a maggior viaggio di questo, il quale vi serve per ricevere la remissione di tanti e tanti debiti spirituali. Dovete, figliuoli amatissimi, per questa causa, la quale importa tanto all'anima vostra, muovervi con gran desiderio, e pietà veramente Cristiana a fare questo santo pellegrinaggio, al quale vi ha da accendere anco sommamente l'esempio dell'antica divozione, che in ciò mostrarono i fedeli, e popoli, e Principi:* l'altra publicata *l'anno* 1576. che vuol dire l'anno dopo quello del Giubbileo celebrato in Roma, allora che, secondo il solito, fu dal Sommo Pontefice transmesso a Milano per quelli, che non erano venuti a Roma l'anno precedente: ed ecco le parole del Santo, che fanno al nostro proposito: *Sapete, quanto abbiamo desiderato l'anno passato, che non fosse alcuno di voi, il quale per qualsivoglia occupazione e impedimento s'iscusasse di far quel santo viaggio di Roma, ma che tutti andaste ad arricchirvi spiritualmente, e che faceste questo speciale riconoscimento verso la Chiesa Santa Romana comune Madre nostra, andando in persona a ricevere presenzialmene queste sante benedizioni Apostoliche, ed a visitare i Sacri Corpi dei gloriosi Apostoli S. Pietro, e S. Paolo, ed altre Sante Reliquie, a visitare quelle antiche e divote Chiese, quella terra santa, tutta sparsa e consecrata col sangue d'innumerabili Martiri, dove e per questo, e per molti altri misterj e divotissime memorie, e per i favori speciali, che Iddio fa a quel luogo, dove ha collocata immobilmente la Cattedra di S. Pietro l'infallibilità della Fede Cattolica, il magistero de' costumi cristiani, pare, che la terra stessa, i muri sacri, gli Altari, le Chiese, i Cimiterj de' Martiri, ed ogni cosa spiri divozione particolare, la quale isperimenta quasi sensibilmente chi visita que' santi luoghi con la disposizione che deve. Per il che vi abbiamo a ciò molte volte esortato con parole, eccitato con lettere, ed invitato all'ultimo anco coll'esempio del viaggio nostro, riconoscendo nostro obbligo d'andarvi innanzi, ed esservi guida anco in così fatta occasione.*

11. Qui pensavamo che potesse terminare questa nostra lettera Enciclica; ma riconosciamo d'esserci ingannati. I Padri del Concilio Cabilonense secondo, tenuto l'*anno* 813. *nel tom.* 4. della Collezione d'Arduino *alla pag.* 1039. *Can.* 45. ci rappresentano alcuni inconvenienti, che erano ne' loro tempi nella materia, di cui si tratta, e che pur troppo ancor oggi è facile, che si possano ritrovare — *Nam et à quibusdam, qui Romam, Thauronumve, et alia quaedam loca sub pretextu orationis inconsulte*

peragrant, plurimum erratur. Sunt Presbyteri et Diaconos, et caeteri in Clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se a peccatis putant, et ministerio suo fungi debere, si praefata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impune aut peccare, aut peccasse, quia haec loca frequentant. Sunt adeo vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visitatione a peccatis purgari. Di altri disordini ne' secoli susseguenti parla l'Abbate Alberto Stadense nella sua Cronaca: *Vix aliquos vidi, vel nunquam, qui redierint meliores vel de transmarinis partibus, vel de Sanctorum liminibus.* Non lasciano i Padri Cabilonensi d'accennare il rimedio; ed ecco le loro parole: *Qui vero peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt Parochiis, confessi sunt, et ab his agendae poenitentiae consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda.* Lo stesso si fa dall'Abbate Stadense: *Puto ex eo hoc provenire, quod debita devotione nec exeunt, nec redeunt; debent enim tali cogitatione proficisci, quasi essent de saeculo migraturi.* Mancheremmo al nostro apostolico ministero, se non procurassimo di battere le pedate contrassegnate dai sopraddetti, non meno per torre di mezzo ogni male, che per mettere tutti quelli, che sono capaci del frutto dell'Indulgenza, nello stato di poterla fruttuosamente conseguire.

12. Come è noto ad ognuno, corre lo spazio d'alcuni mesi fra la pubblicazione della Bolla dell'Anno Santo, che si fa qui in Roma, ed il principio della plenaria Indulgenza; non aprendosi la Porta Santa, giusta l'antico stile, che nella vigilia del Natale dell'anno precedente all'Anno Santo. Non intendiamo di perdere il sopradetto tempo intermedio. D'esso ci prevaliamo per far fare nella nostra Città di Roma in varie parti le Missioni, dell'utilità delle quali abbiamo abbastanza ragionato nei nostri Editti Pastorali dati alle stampe, quando eravamo residenti nella nostra Chiesa Arcivescovile di Bologna, e che sono anche dipoi stati tradotti e dati alle stampe in lingua latina. Ai Missionarj inculchiamo lo spiegare al popolo in forma di Catechismo le Cattoliche verità nella materia delle sacre Indulgenze, e del Giubbileo universale, senza entrare in disputa particolare o di Teologia Polemica, o di Teologia Morale; dovendo bastare al popolo il sapere; dimettersi nel Sagramento della Penitenza ben adoperato la colpa, unitamente colla pena eterna; ma non sempre, anzi rade volte dimettersi la pena temporale da soddisfarsi o in questa vita, o nell'altra nel Purgatorio, come si vede *nel cap. 14, della sess.* 6. del Sacro Concilio di Trento, e *nel Can.* 30. della stessa Sessione sotto il titolo *de Justificatione;* esservi nella Chiesa un inesausto tesoro composto della sovrabbondanza de' meriti di Cristo, e de' Santi; esserne stata commessa da Gesù Cristo la disposizione al suo Vicario in terra, che è il Romano Pontefice; poterne esso fare o più ristretta o più larga applicazione, concorrendovi giuste e legittime cause, o a pro de' vivi per modo di assoluzione, o a pro dei morti per modo di suffragio, purchè i primi abbiano colla penitenza conseguito la delezione del peccato e della pena eterna; ed i secondi siano passati da questa all'altra vita in grazia del Signore; essere la detta applicazione quella, che chiamiamo Indulgenza, che, conseguita nelle dovute forme, libera dalla pena temporale a misura della concessione ed applicazione, che si fa da chi ha l'autorità di concedere, di dispensare, e di applicare; come si legge nelle Lettere Apostoliche de' Sommi Pontefici, e nella famosa Decretale del nostro Predecessore Leone X. al Cardinale Tommaso de Vio, detto Gaetano, quand'era Legato Apostolico nella Germania: e però esser molto utile al popolo Cristiano l'uso delle Indulgenze, ed esser degni d'anatema tutti coloro, che hanno ardire di dire, esser esse inutili, o non essere nella Chiesa la potestà di conferirle, come si legge nel Sacro Concilio di Trento *alla sess.* 25. nel Decreto *de Indulgentiis:* essere finalmente l'Indulgenza dell'Anno Santo Indulgenza Plenaria, e distinguersi dalle altre Plenarie Indulgenze, anche date per modo di Giubbileo, per la maggiore ampiezza che si dà ai Confessori di assolvere dai peccati, e di sciogliere colla benignità delle dispense alcuni legami, ne' quali talora le coscienze si trovano involte.

13. Tralasciando le Altre Apostoliche Costituzioni, come ovvie a tutti, Noi porteremo qui la sopracitata di Leone X. — *Per praesentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquae tamquam Matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem Petri clavigerum Successorem, et Jesu Christi in terris*

Vicarium, potestate clavium, quarum est aperire Regnum Coelorum, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta, culpam scilicet et poenam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento Poenitentiae, poenam vero temporalem pro actualibus peccatis, secundum Divinam justitiam debitam, mediante Ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christifidelibus, qui charitate jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et Sanctorum, et tam pro vivis, quam pro defunctis, Apostolica auctoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Jesu Christi, et Sanctorum dispensare, et per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii ipsam transferre consuevisse; ac propterea omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena, secundum Divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita, liberari, quanta concessae et acquisitae Indulgentiae aequivalet, et ita ab omnibus teneri, et praedicari debere etc. auctoritate Apostolica decernimus.

14. Ciò può bastare pel popolo, ad effetto che resti istrutto di quanto è d' uopo che sappia in ordine alle Indulgenze. Ma, acciò si prepari a conseguirne il frutto, è d' uopo, che i Missionarj passino più avanti. Con Apostolica dunque libertà inveiscano contra le corruttele del secolo pur troppo pubbliche e notorie, avendo avanti gli occhi le parole d' Isaia *al cap.* 58.: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et Domui Jacob peccata eorum.* Predichino con Apostolico zelo la necessità della penitenza, la perdita irreparabile dell' anima, se non fanno penitenza de' loro peccati, avendo avanti gli occhi le parole di Gesù Cristo in San Luca *al cap.* 18. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Entrino mallevadori della Divina misericordia a pro di quelli, che lascieranno le ree antiche costumanze, e si faranno un cuor nuovo, ed uno spirito nuovo; avendo pure avanti agli occhi le parole del Signore in Ezechiele *al cap.* 18. *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, et vivite:* e nel *cap.* 33. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

15. Dalla virtù della Penitenza passino i Missionarj al Sagramento; e coi più fervorosi inviti non lascino d' indurre chi gli ascolta, a prepararsi all' Anno Santo con una fruttuosa Confessione. S' instruisca a ben farla; si faccia vedere la necessità di ripetere le passate mal fatte; e si adopri ogni diligenza per indurre anche chi non pensa d' avere necessità di ripetere le passate, a farne una generale: *Licet non sit de necessitate iterum confiteri eadem peccata, tamen propter erubescentiam, quae est magna poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre;* sono parole del nostro Predecessore Benedetto XI. nella sua Decretale: *Inter cunctas, de privilegiis,* fra le Stravaganti comuni. Ed il gran S. Carlo Borromeo ne' moniti a' Confessori, fatti ristampare in Roma dalla felice memoria d' Innocenzo XII. per regola e norma de' Confessori, così scrisse: *Confessarii pro cujusque personae qualitate, opportuno tempore et loco, ad generalem quamdam Confessionem poenitentes exhortentur, ut per hanc proposita omni praeterita vita sibi ob oculos, majori cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in praecedentibus Confessionibus accidere, resarciant.*

16. Dell' utilità delle predette Confessioni generali parla pure S. Francesco di Sales in molti luoghi delle sue Opere: ma assai proprio della sua dolcezza è quello, che si legge nella sua lettera prima, scritta ad una Dama vedova, che è *nel tom.* 1. delle sue Opere della stampa di Parigi *del* 1669. *alla pag.* 914. *num.* 6., che Noi dall' idioma Francese trasportiamo in Lingua Italiana: *Mi scrive vostro Padre; e perchè mi comanda di scrivergli qualche cosa per la salute dell' anima sua, io lo faccio con molta facilità, e forse troppo grande. Si riduce il mio avviso a due punti: Uno, che faccia una penitenza generale. Questa è una cosa, senza la quale nessun uomo d' onore dee morire. L' altro, che a poco a poco si vada distaccando dalle affezioni del mondo.* Nella Vita scritta in Italiano di S. Vincenzo de Paulis Fondatore della Congregazione della Missione, molto si tratta del frutto, che si ricava dalle Confessioni generali nelle Missioni: E però nelle Regole del detto Istituto, approvate dalla Santa Sede, tra gli

altri ministerj si annovera questo d'insinuare le dette Confessioni: *Confessiones generales totius anteactae vitae suadere et excipere*. Ed il Pontefice Urbano VIII. nella sua Bolla, che incomincia *Salvatoris nostri*, colla quale approvò l'Istituto della detta Congregazione, nel proposito delle Confessioni generali così soggiunge: *Ex quorum felicibus successibus*, parla delle funzioni, e ministerj dell'Istituto ivi enunciati, *evidenter apparet, hoc pium Institutum Deo acceptissimum, hominibus vero utilissimum, prorsusque necessarium esse, ex eo enim, licet non multo ab hinc tempore, rarus antea Confessionum Sacramentalium, etiam generalium, et Sanctissimae Eucharistiae usus, frequens per Dei gratiam factus est*. E nel proposito della preparazione all'Anno Santo il Nostro Predecessore Innocenzo XII. nella Istruzione, che fece, quando lo pubblicò, riflettendo ai difetti, che possono esser occorsi a penitenti nelle precedenti Confessioni, esortò colle seguenti parole quelli, che pensavano di venire a Roma per conseguirne l'Indulgenza, a fare prima d'intraprendere il viaggio, la Confessione generale: *Faccia prima della partenza una valida Confessione generale; si esorti a praticarla in questa occasione, per supplire ai difetti, che avrà forse commessi nelle Confessioni passate*. È massima comune dei Direttori delle coscienze, essere la Confessione generale molto utile, perchè rappresenta l'uomo a se stesso, acciò s'umilii, produce un maggior orrore del peccato, procura nuove forze da superare le tentazioni, porta una soavissima pace e tranquillità di coscienza, e supplisce a quanto alle volte mancò nelle passate Confessioni.

17. Ben vediamo, che, dovendosi fare o semplici ed ordinarie Confessioni, o dovendosi ripetere le mal fatte, o dovendosi fare Confessioni generali, se non sono le Confessioni ricevute ed intese da' Confessori, che siano uomini da bene, e periti, ed istrutti delle vere massime della Chiesa, non se ne ricaverà quel frutto, che si brama, e sommamente si desidera. In tutto il tempo, che siamo stati residenti nella Nostra Chiesa Arcivescovile di Bologna, non abbiamo data a veruno la facoltà di confessare, se non dopo averlo Noi stessi esaminato, o fatto esaminare da altri alla nostra presenza, per aver contezza della sua perizia, e delle sue massime: nè abbiamo mai data licenza illimitata di confessare, ma ristretta a tempo limitato e breve, acciò gli esaminati ed approvati una volta, dovessero di nuovo ritornare sotto l'esame nostro, o da farsi di nuovo alla presenza nostra; il che quanto era incomodo ai Confessori, altrettanto era giovevole al buon regime delle anime. Ora che siamo oppressi dall'ormai insopportabile peso del regime della Chiesa universale, siamo obbligati a commettere l'esame de' Confessori di questa nostra Città di Roma ad altri, che possiamo sperare non manchino al loro dovere, ed a tutta l'esatta diligenza: e solamente una volta l'anno, quando è vicina la Quaresima, non lasciamo d'esprimere i nostri sentimenti ai Predicatori, ed ai Parrochi convocati avanti di Noi, in tutto ciò, che crediamo opportuno e necessario per la salute delle anime. Ora poi, che è imminente l'Anno Santo, chiamiamo avanti di Noi tutti i Confessori, a' quali con tutto lo spirito, e con tutta quella energia, che possiamo, inculchiamo le massime seguenti.

18. La prima, che si ricordino, non soddisfarsi al proprio dovere, anzi commettersi un gran mancamento da chi di loro mettendosi a sedere nel Tribunale della Penitenza, sente il penitente con una certa indolenza, nulla soggiunge, e finita l'esposizione de' peccati, proferisce l'assoluzione: essendo ciò troppo contrario alla condotta di un Medico perito, a cui il Confessore viene rassomigliato, che deve infondere sopra le ferite e vino ed olio, deve investigare le circostanze e del peccato e del peccatore, per potergli dare un opportuno consiglio, giusta il quale riceva e conseguisca la sanità dell'anima: *Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut, more periti Medici, similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium praebere, et ejusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum*: sono parole d'Innocenzo III. nostro gran Predecessore, nel Concilio Generale Lateranense *nel cap. Omnis utriusque sexus, de poenitentiis, et remissionibus*. Concorda il Rituale Romano, confermato con Apostolica Costituzione dall'altro nostro Predecessore Paolo V. sotto il titolo *de Sacramento Poenitentiae*, ed eccone le parole: *Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum non expresserit, cum Sacerdos prudenter interroget*. E di più se il Confessore sa, che dal Penitente si commettono alcuni

peccati, de' quali esso non si accusa, ó perchè, volontariamente ingannando se stesso, si lusinga che ciò, che fa, non sia peccato; il Confessore che è obbligato d'aver cura dell'integrità della Confessione, dee con buona maniera ridurgli a memoria ciò, che tralascia, correggerlo, ammonirlo, inducendolo ad una vera penitenza. Così la discorre S. Bernardino da Siena *al tom. 2. serm. 27. artic. 2. cap. 3. pag. 167.*, ove proposta si la questione: *An Confessor teneatur diligenter perscrutari, et examinare conscientiam peccatoris;* risponde di sì: e dice, ciò doversi fare non solo in quelle cose, che il Penitente tace *propter negligentiam, vel propter verecundiam*, ma anche in quelle che tace per ignoranza, *eo quod peccatores ignorant quae Dei sunt: unde si Confessor audierit aliquid de Poenitente, vel scivit per aliquam probabilem conjecturam, id debet Poenitenti ad memoriam reducere, quia potest timeri, quod Poenitens ignoret ignorantia crassa, quae non excusat, secundum Gaillelmum; vel quia forte non intelligit illud esse peccatum, nam, secundum Isidorum, ignorans quotidie peccat, et ignorat.*

19. La materia è pure ovvia appresso i Teologi, come può vedersi ne' libri anche di quelli, che certamente non meritano di essere annoverati nel numero di troppo rigidi. Imperocchè, non trattandosi ora d'ignoranza invincibile di qualche jus positivo, da cui sia derivato un disordine, che è noto al Confessore, e che non è noto al Penitente, ed a cui se fosse notificato, ne potrebbe succedere qualche grave inconveniente; ma trattandosi ora d'ignoranza vincibile, d'azioni, che ognuno deve sapere esser peccaminose, di cose, che trascurate dal Confessore, danno fomento al Penitente di continuare nel suo pravo costume, ed agli altri o di scandalezzarsi, o di prendere le dette cose come indifferenti, giacchè vedono praticarsi con molta franchezza da quelli, che frequentano i Sagramenti della Chiesa: sono concordi i Teologi nell'asserire, essere il Confessore obbligato ad interrogare, ed ammonire il Penitente nulla curando il dispiacere, che, ammonendolo, gli darà, e dovendo sperare, che se forse allora l'ammonizione non sarà del tutto profittevole, lo sarà una volta coll'ajuto di Dio. Fra gli Autori Domenicani, o seguaci della Dottrina di S. Tommaso, può vedersi il Soto *in quartum Sententiarum dist. 18. qu. 2. al tit. 4.* il Silvio *in tertiam partem D. Thomae tom. 4. q. 9. art. 2. quaesito 7.* Fra li Francescani, e seguaci della dottrina di Scotò, il Cardinal de Laurea *in quartum librum Sententiarum tom. 2. de Sacramento Poenitentiae disput. 21. art. 3. n.° 64.* cogli altri, che sieguono. E fra i Padri della Compagnia di Gesù il Suarez *in 3. part. D. Thomae disp. 32. sect. 3. et 4. tom. 4.* Teofilo Rainaudo *tom. 16. Heteroclit. Spiritual. punct. 9. n. 4.*, Gabriele Antonio *Tractatu de Poenitentia art. 3. quaest. 3.* Il Cardinal de Lugo *de Sacramento Poenitentiae disp. 22. sess. 2.*, ove al nostro proposito con molto zelo inveisce contra i Confessori de' Vescovi, e de' Prelati, de' Principi, e de' Governatori, che intendendo le loro Confessioni, e vedendo che non parlano de' loro pubblici mancamenti, tacciono, non ammoniscono, e danno francamente l'assoluzione. *Infero secundo, quid dicendum sit de obligatione, quam habent Confessarii Praelatorum, Principum, Gubernatorum, et similium, quando vident, aut sciunt, ipsos non satisfacere revera suo debito circa collationem Beneficiorum, electionem Ministrorum, Subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex superfluis faciendas de redditibus Ecclesiasticis, et alia similia; de quibus illud notandum est, raro contingere, quod ignorantia illa non afferat secum scandalum in Subditis, qui facile putant licita, quae a Praelatis, et Principibus fieri vident; vel certe non afferat damnum commune; quare regulariter Confessarius tenetur admonere Poenitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione, nec satisfacit suo muneri absolvendo a peccatis, quae poenitens dicit, sed potius imponit suis humeris peccata caetera, et errores, quos in Poenitente dissimulat, et coeco coecum ducente, ambo in aeternam foveam cadent. Si formidet ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium; sed modeste se excuset tanquam minus aptum ad illud onus portandum.* E questo savio insegnamento del Cardinal de Lugo non dee essere ristretto ai soli Confessori de' Vescovi, de' Prelati, de' Principi, ma, se non con maggiore, almeno con egual ragione deve estendersi a tutti quelli, che sentono le Confessioni di quei Penitenti, la vita pubblica de' quali non è disgiunta da qualche prossima occasione di peccare, se non rispetto alli atti esterni, almeno rispetto ai pravi desiderj, o alle morose dilettazioni, del qual sistema di vivere essi non si accusano.

20. La seconda cosa si è, che succedendo,

come pur troppo va succedendo, che il Confessore nel suo ministero di confessare intenda dal Penitente qualche cosa che abbia bisogno di qualche discussione, esso non tiri ad indovinare, ma prima di rispondere prenda tempo, e consiglio. Sarebbe desiderabile in ogni Confessore una eminente letteratura, ma una competente e sufficiente letteratura è assolutamente necessaria: nè forse di più si può sperare, comprendendo la morale Teologia tante, e tali questioni, che dipendono dalla notizia de' Canoni, e delle Costituzioni Apostoliche, che è moralmente impossibile, che un uomo abbia presente tutto, e possa, come suol dirsi, rispondere in piedi a tutto, come dee fare chi ha una scienza eminente, senza aver bisogno di ricorrere ai libri, come fa chi ha una scienza solo sufficiente; giusta ciò, che riflette il nostro Predecessore Innocenzo IV. *nei Commenti al Cap. Cum in cunctis al num. 2. sotto il titolo de electione, et electi potestate*, ove così scrive: *Scientiam autem reputamus eminentem, quae subtiles quaestiones discutere, et definire novit, et in promptu responsiones habet: ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, et qui in Libris veritatem eorum, quae scire tenetur, scit quaerere; et sic in promptu omnia non habet.* Ridotto perciò il Confessore nelle questioni dubbie, o in quelle, delle quali non ha notizia, a ricorrere ai Libri, non diremo cosa nuova, se diremo, esservi pur troppo nella gran farragine de' Scrittori, chi pensa o scrive in un modo, che è tutto alieno dalla semplicità Evangelica, e dalla dottrina de' Padri: *Cum plures opiniones Christianae disciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela:* sono parole del nostro Predecessore Alessandro VII. nel suo Decreto *die 7. Settembre* 1665. Ma senza entrare in verun dettaglio particolare, e nelle inestricabili questioni, che sopra il credito degli Autori e delle loro dottrine potrebbero eccitarsi, ci contenteremo di dire, che il buon Confessore nelle materie dubbie non dee fidarsi della sua privata opinione, ma prima di rispondere si contenti di vedere non un solo libro, ma ne veda molti, veda fra questi i più rispettabili, e poi prenda quel partito, che vedrà più assistito dalla ragione, e dall'autorità. Così ci spiegammo nella nostra Lettera Circolare sopra le usure, che è *la* 143. *nel tom.* 1. del nostro Bollario *al* §. 8.: *Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur, deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligent:* Così ora ripetiamo, non dovendo la massima esser ristretta alla sola materia delle usure, ma dovendo estendersi ad ogni altra cosa, che appartenga al foro Sagramentale, ed alle regole della coscienza.

21. La terza, che avendo sempre presente la massima del Venerabile Cardinale Bellarmino, che *non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, e le proposizioni condannate dai nostri Predecessori, e particolarmente dal Pontefice Innocenzo XI. *nel giorno* 2. *di Marzo* 1679., e fra queste *la* 60. *colle tre seguenti*, prendano le dovute risoluzioni di concedere, di negare, o di differire l'assoluzione. *Videat autem diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel differenda sit absolutio; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant:* non sono parole de' rigoristi, ma del Rituale romano. Coll'avvertenza in oltre, che, o negandosi, o differendosi, o concedendosi l'Assoluzione, non lascino i Confessori o nel caso di negarla, o di differirla, di far conoscere ai loro Penitenti, con ogni maggiore piacevolezza e carità, le ragioni del loro operare, indirizzato unicamente alla salute delle Anime loro, invitandoli a ritornare, ed a fare, prima di ritornare quanto debbano, per poter, ritornando, ottenere l'assoluzione, che loro è stata o negata o differita. Concedendo poscia l'assoluzione, e particolarmente a persone, che rare volte si confessano, o che vengono al Tribunale della Penitenza cariche di peccati, non tralascino d'ammonirle,

di far ad esse conoscere il miserabile stato, a cui erano ridotte pe' loro peccati, la bruttezza de' medesimi, eccitandole ad un vero dolore, e ad un vero proposito d'astenersi in avvenire dai Peccati. E sappiano essere più giovevoli, e profittevoli le serie e savie ammonizioni del confessore nel Tribunale della Penitenza, di quello che siano, per l'effetto, di cui si tratta, le Prediche de' zelanti Sacri Oratori, adattando chi le ascolta per lo più le forti loro invettive agli altri non a se; il che certamente non può succedere, nelle serie ammonizioni de' Confessori, che parlano, come suol dirsi, a tu per tu col Penitente, e dopo che esso ha confessato i proprj reati. E quando mai si dicesse, esser ciò impraticabile per la gran folla de' Penitenti, si risponde col celebre detto di S. Francesco Saverio, riferito dal Padre Tursellino *nel lib. 6. della sua vita al cap. 17. Confitentibus porro, non festinatam sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut praeoptarent Confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas.*

22. La quarta si è, che essendo l'ultima parte del Sagramento della Penitenza la Satisfazione, ancorchè, compatendo la Santa Madre Chiesa l'umana fiacchezza, abbia rilasciato l'antico rigore, e sia receduta dagli antichi Canoni Penitenziali: *Defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram:* sono parole del *Can. Fraternitatis, dist. 34.*; da ciò però non deriva, che nell'imporla possano i Confessori giocare, come suol dirsi, a capriccio, essendo obbligati a regolarsi anche in questo punto colla giustizia, colla prudenza, e colla pietà. *In irroganda autem satisfactionis poena Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia justitia, prudentia, et pietate dirigenda existimabunt*, come si legge nel Catechismo ai Parrochi fatto per ordine del Concilio di Trento, e pubblicato dal nostro Predecessore S. Pio V. *sotto il tit. de Poenitentia.* Qual massima salutevole è ben fondata *nel cap. 8. della Sess. 14. de Poenitentia* dello stesso Concilio di Trento: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et Poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum Poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem; Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, et docent.* E per indurre i Penitenti ad accettar volentieri le proporzionate soddisfazioni, che loro s'impongono dai Confessori, non poco può contribuire la notizia, che gli stessi Confessori abbiano degli antichi Canoni Penitenziali; non già per imporre oggidì ai Peccatori quelle soddisfazioni, che in essi vengono stabilite, come poc'anzi si è detto; ma per poter fondatamente notificare ai Penitenti la pena, o sia soddisfazione, che in essi era imposta: il che non solo molto servirà per far loro concepire la gravezza del peccato, ma altresì acciò volentieri accettino la soddisfazione imposta, ancorchè l'avessero creduta grave; paragonandola con quella, che per gli stessi peccati sarebbe stata loro imposta, se fossero stati vivi, e si fossero confessati nel tempo, in cui erano in vigore i Canoni Penitenziali; e non avessero avuta la sorte di vivere ne' tempi presenti, ne' quali la Chiesa ha benignamente condisceso a rilasciare l'antico Canonico rigore. Così la discorrono tanti pii e dotti Autori, da Noi raccolti *nel nostro Trattato de Synodo al lib. 7. cap. 62.*, che qui non è d'uopo ripetere. Aggiugneremo solamente, non essere i Penitenti d'oggidì simili alla celebre Agnese Imperadrice, che venuta a visitare i limini de' Santi Apostoli fece al Beato Cardinale Pietro Damiano la sua Confessione generale, senza che il beato e dotto Confessore, dopo averla sentita, fosse in grado d'imporle veruna penitenza.

23. Il fatto è riferito dallo stesso Beato Pietro Damiano *nel suo Opuscolo 56. al cap. 5. tom. 3.* delle sue Opere della stampa di Parigi *pag. 432. Sed ut hi, qui ad Apostolorum Limina confluunt, sanctae devotionis tuae salubriter imitentur exemplum, sub arcana quoque Beati Petri Confessione ante sacrum Altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus, et amara suspiria, ab ipsa quinquennis infantiae tenera adhuc et nuper ablactata levitate coepisti; et tamquam illic ipse Beatus Apostolus corporaliter praesideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuae potuit titillare visceribus, quidquid in cogi-*

tationibus vanum, quidquid praeterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum; ad quod mihi visum est, ut nil aliud confitenti poenitentiae pondus injungeremus; nisi ut illud Divinae legationis elogium iterarem: Age quod agis; operare quod operaris; Vel illud, quod his, qui Thiatyrae erant, per Angelum mittitur: non mittam super vos aliud pondus, tantum id, quod habetis, tenete. (Apoc. 2.). *Nam, Deo teste, ne ullum quidem jejunii diem, vel cujuslibet afflictionis indidi, sed ut inceptis solummodo sanctis perseverares operibus imperavi.*

24. Sono i Peccatori d'oggidì, fra' quali pure Noi stessi ci ritroviamo, e forse anche altri si ritrovavano ne' tempi del Beato Pietro Damiano, che, non solo nelle Confessioni generali, ma anche nelle Confessioni correnti, e spesse volte reiterate fra l'anno, si ritrovano rei di peccati gravi, e che però accostandosi al tribunale della Penitenza, meritano che s'impongano loro soddisfazioni di quel peso, e di quella importanza di sopra ricavata dal Sacro Concilio di Trento; tanto più che poco o nulla di bene, vivendo come si vive, si va facendo, che se tal volta sono oppressi dalle disgrazie, non le sopportano colla dovuta pazienza; in tal maniera che restano senza il frutto delle preghiere della Chiesa, che per bocca del Sacerdote nella stessa Confessione domanda dal Grande Iddio, *ut quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et proemium vitae aeternae.*

25. Ed eccovi esposto, o Venerabile Fratello, quanto andiamo facendo, e quanto andiamo disponendo, acciò gli Abitatori di questa nostra Città si preparino a godere il frutto spirituale del santo Giubbileo. Invitiamo ancor Voi a fare lo stesso nella vostra Città, e nella vostra Diocesi, acciò quelli, che intraprenderanno nel prossimo anno il pellegrinaggio, o il viaggio per Roma, conseguiscano lo stesso frutto. Ciò è conforme a quanto fu stabilito dal Concilio Bituricense tenuto *l'anno 1584. nel Can. 2. tom. 10.* della Collezione dell'Arduino *pag. 1466. e seg.*, ed eccone le parole: *Praemuniantur debita et integra peccatorum Confessione, et Eucharistiae Sacramento, quicumque ad loca sacra peregrinantur, antequam iter aggrediantur.* Concorda il nostro Predecessore Innocenzo XII. nella pubblicazione del Giubbileo *dell'anno* 1700., ove gravemente inculca pel di lui acquisto una fruttuosa Confessione: *Sanctificamini itaque filii carissimi, et praeparate corda vestra Domino. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis Dei, et renovati Spiritu mentis vestrae, orationibus insistite, frequentate jejunia, eleemosynas erogate.* Ed acciò non potesse taluno credere, che le sue parole comprendessero quelli solamente, che erano in Roma, soggiunse providamente le seguenti, che senza dubbio comprendono anche quelli, che per anche non sono partiti da' loro paesi, ma pensano di partirne, e di venire a Roma per l'Anno Santo: *His porro Christianae vitae ornamentis instructi, virtutumque praesidiis muniti, impigre piaque animi alacritate ad hanc Sanctam in terris Civitatem Dei, veluti ad Thronum gratiae, accedite cum fiducia, ut misericordiam consequamini.*

26. Venendo Voi, quando lo permetta la vostra Cura Pastorale, a Roma, teniamo per certo, che e pel viaggio e per la dimora in Roma prenderete per vostra norma il sistema, che tenne e pel viaggio ed in Roma S. Carlo Borromeo, allora che venne per l'Anno Santo *del* 1575. Il tutto è descritto dal Vescovo di Novara Carlo a Basilica Petri *nel lib. 3. della Storia del detto Santo.* Venendo i vostri Diocesani, se partiranno dalle loro Patrie, come Noi desideriamo che partano, e come poc'anzi abbiamo insinuato che dovrebbero partire, possiamo fondatamente sperare, che non avranno molto da travagliare i Governatori de' luoghi, pe' quali passeranno, per invigilare, acciò non seguano que' mali e que' disordini, che in altri tempi sono stati cagione delle oblocuzioni contra i sacri pellegrinaggi; Ed arrivati che siano in Roma, non trascureremo certamente diligenza, acciò vivano con edificazione, adempiano, come si dee, le opere ingiunte, le Visite delle Basiliche, s'esercitino in varj altri atti di Cristiana penitenza; e chiamiamo Iddio in testimonio dell'ardentissima volontà, che abbiamo, di far sì, che tutti tornino alle Case loro edificati della Romana conversazione, saldi nella Religione, disposti a perseverare, e ben affetti alla Santa Sede, come per appunto sommamente desiderò il nostro Predecessore e Concittadino Gregorio XIII. nella celebrazione, che fece, dell'Anno Santo, giusta ciò, che si legge *ne' suoi Annali al lib. 3. cap. 24.* Col qual

sistema, che raccomandiamo al Grande Iddio, abbiamo una sicura fiducia, che ritornati alle loro patrie, non saranno sottoposti alla taccia, che diede S. Girolamo a quelli, che venivano dal pellegrinaggio di Gerusalemme *nella sua epist.* 58. *ad Paulinum, nel tom.* 1. delle sue Opere della stampa di Verona *alla pag.* 318. *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est.*

27. In tutto il tempo dell' Anno del Giubbileo saranno pronti in Roma i Penitenzieri ed i Confessori, come di sopra abbiamo detto, muniti delle necessarie facoltà per sentire le Confessioni, per dare le dovute Assoluzioni, e Dispense, tanto a quelli, che abitano in questa Città, quanto a tutti gli altri, che verranno di fuora per conseguire il frutto spirituale del Giubbileo. Quando nell' Anno Santo Noi parleremo, o quand' altri parleranno di nostra commissione, non si entrerà nemmeno allora in dispute teologiche, che lascieremo ben volentieri alle scuole senza entrare a deciderne veruna. Non ci asterremo però, nè faremo che altri s' astengano dal far bene capire l' importanza della clausola, che è nella nostra Bolla — *Fidelibus vere poenitentibus, et Confessis, Sacraque Communione refectis.* Faremo altresì conoscere coi fatti, quanto sia insussistente l' asserzione di chi, vivendo fuori della nostra comunione, va disseminando, che l' Indulgenza sfianca, e rende al nulla la penitenza. E per non mostrarci troppo parziali di chi va spacciando rigorismi, ne' nostri ragionamenti, ed in quelli che si faranno d' ordine nostro, pensiamo d' uniformarci a quanto in tale proposito lasciò scritto il celebre Padre Bourdaloue della Compagnia di Gesù *nel tom.* 2. de' suoi Sermoni della seconda edizione di Parigi *del* 1709. nel suo bel Sermone fatto nell' occasione dell' apertura del Giubbileo alla *pag.* 517. *e seg.* Quando eravamo in Bologna, ed andavamo di tratto in tratto pubblicando le nostre Istruzioni, (che sono poi state ridotte in più Volumi, ed ultimamente dall' idioma Italiano tradotte in lingua latina veggonsi compilate in un solo Volume in foglio, nell' Istruzione 12. *nel tom.* 3. dell' edizione italiana, (che è *la* 53. nell' edizione latina) senza voler entrare nelle dispute Teologiche, nell' occasione d' una Indulgenza Plenaria pubblicata dal nostro Predecessore Clemente XII., invitammo ed esortammo i nostri Diocesani ad aggiungere altre opere buone, ed a fare altri degni frutti di penitenza, proponendo ad essi il celebre insegnamento del Venerabile Cardinal Bellarmino nel suo Trattato *de Indulgentiis al lib.* 1. *cap.* 12. §. *Ad tertium, nel tom.* 2. delle sue Controversie: *Accipiunt prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos poenitentiae fructus facere, ac pro suis peccatis Domino satisfacere:* proponendo ancora ad essi quanto scrisse il Cardinale Pallavicino nella sua Istoria del Concilio di Trento *al lib.* 24. *cap.* 12. *num.* 6. cioè non esser vero, che per le Indulgenze i Cristiani si rendono neghittosi in soddisfare a Dio per le colpe commesse, imperocchè rimanendo sempre gli uomini incerti, se l' Indulgenza siasi effettivamente acquistata, resta in molti lo stimolo di assicurarsi con sempre novella industria d' opere salutari, e penali; e d' altra parte le ingiunte per conseguir l' Indulgenza coll' esercizio loro accrescono la divozione, e inducono l' abito buono a farne delle somiglianti, del che si vede la sperienza cotidiana. Prefisse Bonifazio VIII. la divota visita delle Chiese a' Forestieri per quindici volte, ed a' Romani per trenta volte, come opera ingiunta per conseguire la piena Indulgenza dell' Anno Santo; ma non lasciò d' insinuare nella sua Estravagante *Antiquorum, de poenitentiis, et remissionibus,* fra le stravaganti comuni, che *unusquisque tamen plus merebitur, et indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, et devotius visitabit:* il che senza dubbio porta un invito ed un' esortazione simile alla nostra, che oltre le opere ingiunte, si sforzino i Cristiani d' aggiungere altre opere meritorie, giusta lo spirito della Chiesa. Lo stesso pure viene indicato dall' antica formola, di cui i nostri Predecessori si sono serviti, e Noi ci serviamo ogni qual volta si dà la solenne Benedizione al popolo, dopo la quale si pubblica l' Indulgenza plenaria; pregandosi l' Onnipotente Iddio a concedergli non solo *perseverantiam in bonis operibus,* ma altresì un cuore sempre penitente, *cor semper poenitens;* che è lo stesso che dire, un cuore sempre preparato ad aggiungere nuovi atti di penitenza per gli peccati già commessi, ancorchè possa piamente credere esserne stato assoluto nel Sagramento della Penitenza, quanto alla colpa, e alla pena eterna, ed essergli anche stata rimessa la temporale per l' efficacia della plenaria Indulgenza.

28. Nelle Vite dei nostri Predecessori Zaccaria e Pasquale, appresso il vulgato Anastasio, si legge, che vicino al Vaticano avevano eretti alcuni edifizj, ne' quali si dava soccorso ai poveri pellegrini, che venivano a visitare i Limini degli Apostoli. Sono stati i detti edifizj rovinati ed atterrati dalle disgrazie succedute, o pure dall' edacità del tempo: ma la pietà Romana non ha lasciato d'aprirne molti altri in varj luoghi della Città, ne' quali in ogni tempo, ma particolarmente nell' Anno Santo, si ricevono i poveri pellegrini, che vengono a visitare i Limini degli Apostoli per conseguire le sante Indulgenze, ne' quali sono ben trattati, ed anche ben animati alle opere buone da pii Sacerdoti. Ed ecco quanto dovevamo accennarvi; dando intanto con pienezza di cuore a Voi, ed al Gregge alla vostra cura commesso, l' Apostolica Benedizione.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die 26. Junii 1749. Pontificatus Nostri An. Nono.

N. III.

NUM. III.

Ad Constitut. XXXIII. pag. 228.

ALLOCUTIO

Habita in Basilica S. Mariae Majoris Pridie Kalendas Octobris Anno Jubilaei MDCCL. in Festo S. Hieronymi Confessoris, et Ecclesiae Doctoris, ante Consecrationem Altaris Pontificii ejusdem Basilicae.

VENERABILES FRATRES.

Postquam, DEO adjuvante ea omnia complevimus, quae ad internum, externumque hujus Basilicae cultum, quem oculis cernitis, exequenda esse constitueramus; propositum Nobis erat ejusdem Basilicae Dedicationem, sive solemnem Consecrationem peragere; non ideo sane, quod Nobis umquam in mentem venerit, hanc, qualiscumque operae vel sumptus fuerit, restaurationem, pro vera ipsius Basilicae reaedificatione accipiendam esse; qua quidem peracta, novam Ecclesiae Consecrationem fieri Sacri Canones jubent; neque enim antiqui parietes loco moti, aut dejecti fuerunt; sed quia ex rerum gestarum monumentis, quae perebantur, nullum, quod certam prioris Consecrationis fidem faceret, invenire potueramus.

In nostris Institution. Ecclesiastic. latine editis Romae anno 1747. Instit. 67.

§. 2. Ignota Nobis non sunt illa, quibus probari contenditur, Liberium Praedecessorem quondam nostrum, qui hanc Basilicam quarto Ecclesiae saeculo erexit, ipsius quoque Dedicationem peregisse: sed quum eadem monumenta subinde narrent, eumdem Pontificem insignes reliquias, Praesepe, et Cunas Domini Nostri JESU CHRISTI, ea occasione, hic collocasse, id satis esse potest, ut omnis auctoritas et fides iis derogetur. Illud enim merito verius putatur, nonnisi circa medium saeculi septimi venerandas illas Reliquias in hac sacra Æde per Theodorum Pontificem fuisse reconditas. Verum ubi animum oculosque convertimus ad ea, quae Sanctus Sixtus Pontifex hujus nominis III., non integro post Liberium saeculo, in hac Basilica praestitit; quae nimirum tanta fuerunt; ut a pluribus Scriptoribus Ecclesiasticis, ipse totius molis, quae adhuc superest, unicus auctor et aedificator habeatur: Visis deinde authenticis Literis alterius Praedecessoris nostri Gregorii Papae IX., in quibus mentio fit de Basilicae Consecratione ab eodem Sixto III. peracta, cum Indulgentiarum quoque indicatione, quas Sanctus Pontifex ea occasione concessit; quumque praeterea nullam dubitandi causam haberemus, quin extantes nunc Ecclesiae parietes iidem sint, qui sub Sixto erant, vel ejus cura excitati fuerunt; hujusmodi Consecrationis faciendae consilium abjecimus, indeque dumtaxat statuimus, quod jam nunc fieri mandamus, ut quod praedictus Pontifex Gregorius IX. narrat de Ecclesiae Consecratione a Sancto Sixto III. peracta, marmoreae tabulae inscriptum publico aspectui proponantur; et intra Ecclesiae ambitum de more apponantur Cruces Consecrationis indices; quas quidem minime tunc appositas fuisse credimus, cum Sanctus Sixtus eam consecravit; quamvis enim ritus consecrandi Ecclesias ex institutis veteris Testamenti in Christiana Sacra translatus, ipsis prioribus Ecclesiae saeculis, et maxime post redditam a Constantino Ecclesiae pacem, procul dubio in usu fuerit; non tamen constat, quo potissimum tempore hujusmodi Cruces figendi mos inoleverit. Denique ut in posterum ab hujus Basilicae Clero officium Dedicationis Ecclesiae, juxta aliarum Ecclesiarum consuetudinem, quotannis certa die celebretur, volumus et indulgemus. No-

Apud Severan. da septem Ecclesiis Urbis par. I. pag. 712. et apud Florentin. in Notis ad Martyrol. S. Hieronym. pag. 730. edit. Lucen.

In nostro Opere de Canoniz. Sanctor. lib. 4. part. 2. cap. 30. num. 13. et in alio nostro Opere de Fest. D. N. Jesu Christi, et Beatissimae Virginis, et singuler de Festo Dedicationis Ecclesiae Sanctae Mariae ad nives die 5. Augusti par. 2. §. 82. edit. Patav. an. 1745.

In citat. nostro Opere de Festis eod. loc. In Archivo Capituli.

stram vero operam unice redigendam censuimus ad Consecrationem Aræ maximæ, quam, veteri sublata, utpote praesenti structurae, totius Basilicae minime respondente, augustiore hac forma aedificari curavimus.

Euseb. in eccles. Hist. lib. 10. cap. 3.

§. 3. Sacer itaque ritus, cui operam daturi sumus, is est, qui in Pontificali Romano appellatur *Altaris consecratio, quae fit sine Ecclesiae Dedicatione*. Altare autem, quod consecraturi sumus, Pontificium Altare eo ipso fore decernimus, non secus ac illud erat, quod hinc sublatum fuit, aliarumque Patriarchalium hujus Almae Urbis Basilicarum Altaria maxima esse dignoscuntur; ita ut nemini, praeter Romanum Pontificem, in eo liceat Missarum Sacrificia celebrare, nisi si cui speciale Indultum per Literas Apostolicas ad id concedatur.

Marcell. Sacrar. Caeremoniar. lib. cap. 11.

§. 4. Et quoniam Altare vetus, ut accepimus, dedicatum et sanctificatum fuerat in honorem Beatissimae Virginis MARIÆ, in cujus etiam honorem tota haec Ædes Omnipotenti DEO dicata dici potest, unde Basilica nunc *Sanctae Mariae Majoris*, nunc *Sanctae Mariae ad Praesepe*, nunc *Sanctae Mariae ad Nives* appellari semper consuevit; Nos etiam novum hoc Altare in honorem ejusdem gloriosae Virginis Dei Genitricis, Coelorumque Reginae dedicamus. Ad te igitur demisso mentis obsequio plenaque fiducia conversi, Virgo Beatissima, opem tuam supplices imploramus, ac deditissimi tibi Bernardi Confessoris verbis, te ita precamur: *Nos omnes tuo Filio commenda, tuo Filio repraesenta: et fac, o Benedicta, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam percepisti, ut qui, te mediante, dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriae nostrae; te quoque intercedente, participes nos omnes efficiat gloriae et beatitudinis suae.* Magnus Praedecessor noster Innocentius III., cujus multa in Apostolici regiminis administratione praeclare gesta, ac singularem in sacris disciplinis peritiam, Ecclesiastica monumenta testantur, in tui honorem, Virgo gloriosissima, Monasterium aedificavit; cum vero in exitu vitae, atque in extremi certaminis discrimine, ingentibus trepidantis conscientiae fluctibus premeretur, auxilio tuo, et intercessione, ut memoriae proditum est, ab imminenti naufragio liberari, et portum salutis felicter tenere promeruit. Ecce appropinquat dierum nostrorum terminus: nosque, egregio memorato Pontifici meritis ac virtutibus imparos, graviora fortasse manent subeunda pericula. Ut itaque illi in supremo agone laboranti praesens patrocinii tui praesidium, ob Monasterii in tuum honorem extructi meritum, attulisti; ita nobis, quaesumus, in illa tremenda lucta conflictantibus, pari pietate succurre; atque haec, quae in honorem tuum, et ad augendam hujus Sacrosanctae Basilicae, quae tuis auspiciis, tuoque augusto nomine celebratur, splendorem et cultum conferre studuimus, benigne respiciens, interventionis tuae suffragio, Virgo Beatissima, Nos ab insidiantis hostis furore defendere, et usque ad beatum Filii tui, Dei nostri, conspectum perducere digneris.

§. 5. Reliquum est, ut Nosmetipsos, atque hujus Basilicae Clerum, cunctosque fideles in ea nunc congregatos, quive ad eamdem devote visitandam accedent, vestris commendemus orationibus, gloriosi Sancti cum Christo regnantes, quorum Reliquas in hoc Altari recondimus, seu quorum Corpora et Reliquiae in hac Basilica asservantur. Inter hos utique Te veneramur, magne Ecclesiae Doctor, Beate Hieronyme, cui, post electam Ossium tuorum requiem in antro Bethlemitico, Salvatoris nostri incunabulis consecrato, non sine coelesti prodigio, contigit, ut eadem deinde ad hanc Basilicam, ipsius Salvatoris nostri Praesepe et Cunas amplectentem, transferrentur. Constat sane, id factum esse sub finem saeculi duodecimi, quum Saladinus Saracenorum Rex Hierosolymis potitus fuit. Verum, quinam sit proprius in hac Basilica sepulcri tui locus, nunc quidem a Nobis ignoratur; vel saltem non ejusmodi, qualia optaremus, argumenta Nobis suppetunt, ut tuto statuere possimus, Tua esse, quae Nobis indicata sunt, Ossa. Te invocamus, Ecclesiae Sanctae lumen, hac occasione, et hac die, qua solemnis tui memoria per universam Ecclesiam religiose colitur, ut Nobis impetres supernae lucis radium, quo offusae animis nostris tenebrae dissipentur. Sancti Leonis Magni Praedecessoris Nostri Corpus in Vaticana Basilica sepultum fuisse, indubia testabantur monumenta; sed ignorabatur hujusmodi sepulturae locus; quum Sancti Sergii Pontificis precibus concessit Deus, ut venerabile Corpus mirabiliter inventum, publico fidelium cultui proponi posset. Novimus sane, qualis Pontifex Sergius fuerit; novimus, quae sit meritorum nostrorum inopia: nec ullo mo-

Card. Baronius in Notis ad Martyrol. Roman. ad diem 8 Maji.

Apud vulgatum Anastasium de Vitis Roman. Pontific. in Vita Sergii I. tom. 5. Rom. edit. anno 1735. pag. 1136.

In cit. nostro Opere de Festis par. 2. ad diem 5. Augusti §. 30. et seq.

Serm. 2. in Adventum Domini.

In cit. Opere de Canoniz. Sanctor. lib. 4. par. I. cap. 32. num. 9.

do audemus parvitatem nostram cum illius Sanctitate vitae ac virtutum splendore comparare. At, si ullum est, ad impetrandum quod cupimus, devoti obsequii piaeque venerationis pretium, Nos certe, devotionis erga Te, ac pietatis affectu, nemini concessuros esse audenter affirmabimus. Hujus non obscurum argumentum per Nos datum esse putamus, quum tuam agendi rationem erga Sanctum Pontificem Siricium Praedecessorem Nostrum, quam aliqui in deteriorem partem acceperant, nostro studio ac labore, in propria luce collocare, et ab objectis vindicare curavimus. Nunc vero pretiosas mortalitatis tuae Reliquias invenire magnopere cupimus, ut eas publicae venerationi exponamus; atque ita solemnes Duliae actus impensius erga Te exerceantur ab omni ordine tam Clericorum, quam Laicorum hujus Romanae Urbis: Quorum majores Tu quidem olim acrioribus Literarum tuarum aculeis perstrinxisti; Verum illorum successores, quum satis agnoverint, ea quae scripsisti, a ferventissimo, quo flagrabas, Divinae gloriae zelo unice processisse, summo Te amoris ac pietatis studio prosequuntur, et colunt. Id cum ex eo apertissime comprobatur, quod Apostolica haec Sancta Sedes, eo Canonizationis genere, quod primis Ecclesiae temporibus in usu erat, fulgentissimo Sanctorum Albo Te adscripsit; quodque Romani Pontifices Praedecessores nostri Te insuper inter Sanctos Ecclesiae Doctores, una cum Beatis Gregorio, Ambrosio, et Augustino, connumerari voluerunt; tum vero majoribus obsequii nostri significationibus comprobabitur, si Nobis, Te intercedente, datum erit, sacrum tuum Corpus in hac Basilica conditum reperire, ac publico Ecclesiae Romanae cultu honorandum proponere.

In Nostris Litter. Apostolic. de nova Martyrol. Roman. editione, eidem Martyrolog. praefixis nu. 60. et pluribus seqq.

Cap. Gloriosus, de Reliq. et Veneral. Sanctorum in Sexto.

NUM. IV.

Ad Constit. L. pag. 300.

ALLOCUTIO

Habita in Consistorio Secreto Feria II. die 5. Julii MDCCLI. super suppressione Patriarchatus Aquilejensis, et duorum Archiepiscopatuum Utinensis, et Goritiensis erectione.

VENERABILES FRATRES.

Perspectam Vobis ex hoc ipso loco ante biennium, cognitamque fecimus mentem nostram deligendi Vicarium Apostolicum, qui administrandam susciperet eam partem Dioecesis Aquilejensis, quae ad Venetae Reipublicae ditionem minime pertinet. Cum vero Vicarium ipsum Apostolicum jam elapso anni spatio constituimus, aperte declaravimus, tum in Allocutione, quam in Consistorio pronunciavimus, tum in Literis Apostolicis, quas super hoc negotio edidimus, ita Vicarium Apostolicum interea temporis a Nobis deputari, ut tamen firmiori remedio uti parati essemus, si Partes inter se dissidentes aliquando convenirent, initasque ab ipsis pactiones Nobis patefacerent, ut illas accurate perpenderemus, nostroque judicio probaremus.

§. 2. Interim Carissima in Christo Filia Nostra Maria Theresia Illustris Regina Bohemiae et Hungariae, et Imperatrix; Dilecti quoque Filii Nobiles Viri Dux, et Senatores Reipublicae Venetae, unanimi consensu nonnulla inter se pacta statuerunt, quae Nobis deinde proposita sunt, ac diligenter examinata, libentissime comprobanda judicavimus.

§. 3. Summa totius rei in eo posita est, ut Patriarchatus Aquilejensis perpetuo supprimatur, duoque erigantur Archiepiscopatus, quorum unus Utini, alter Goritiae constituatur. Quapropter hujusmodi consilium amplectentes, quod magis consentaneum utiliusque ad animarum salutem administrandam, pacemque inter Catholicos Principes stabilius conservandam, peritissimis viris ultra citraque montes visum est; insuper inhaerentes pactionibus communi Partium assensu firmatis; Apostolicam Constitutionem in lucem edituri sumus, qua de medio tollentes Patriarchatum Aquilejensem, duos Archiepiscopatus instituimus iis locis, quos superius memoravimus, utrique suos limites tribuentes, quibus non solum ipsorum propria Dioecesis, sed etiam propria cujusque Provincia discernantur; omniaque partita, definita, ac distincta inter ipsos ita sint, ut in auctoritate exercenda nullum in posterum alter alteri inferre queat impedimentum; in quo publicae pacis, et quietis stat fundamentum.

§. 4. Sacrorum Canonum scientia, rerumque ad Ecclesiasticam historiam spectantium

cognitione Vos ita praeditos arbitramur, ut supervacaneum judicemus vestris oculis argumenta subjicere, quibus Pontificum auctoritas innititur in novis erigendis, vel abolendis Patriarchatibus, Archiepiscopatibus, et Episcopatibus, et in ipsis Dioecesibus dividendis, videlicet, cum uni Dioecesi partem attribuunt, quae, reliquis partibus adjunctis, aliam Dioecesim integre constituebat. Vestram quoque eruditionem offenderemus, si Patriarchatus Aquilejensis initia Vobis in memoriam revocare vellemus, qui profecto a Schismate, quod Trium Capitulorum dictum est, saeculo sexto dimanavit; quod quidem magis praeclari rerum Scriptores adfirmant, quique magis eidem Patriarchatui suffragantur. Silentio praeteribimus exempla praeteriti temporis, quibus Patriarchatus in duos Archiepiscopatus, vel duo constituti Archiepiscopatus comprobantur, secreta in duas partes Dioecesi, vel Provincia, quas unus tantum Archiepiscopus obtinebat. Nos quidem multum laboris insumpsimus in hujusmodi antiquitatis monumentis perquirendis; plura etiam congessimus, ut privato studio nostro indulgeremus, utque magis perspicue intelligeremus, quid consilii a Nobis capiendum esset, cum hujus generis negotia proponerentur. Verum, si haec omnia in medium Vobis adduceremus (ut vulgato proverbio utamur), noctuas Athenas ferre videremur. Accedit etiam, quod alienum prorsus est, nostram vestramque hujus diei laetitiam, memoria veterum dissidiorum, atque bellorum, quae inter Principes exarserunt, perturbare, et gravissimas difficultates recensere, quae ob temporum calamitates in cura animarum gerenda objectae fuerunt. Quamobrem, ut hujusmodi impedimenta de medio tollerentur, iidem Principes nonnullas inter se pactiones statuerunt, quas deinde Nobis propositas, assensu nostro, uti dictum est, confirmavimus, easque mandandas executioni quamprimum censemus.

§. 5. Itaque Vos hortamur magnopere, ut animos vestros ad Deum, a quo bona universa descendunt, nobiscum convertatis; quem profecto tam magni singularisque beneficii solum auctorem dignoscimus, ac fatemur. Ipse lumen suum Nobis impertivit. Ipse animum nostrum graviter afflictum, et perculsum erexit, ac virtute sua corroboravit, ut labores, contrarios eventus, mentis aegritudines, omnemque tristitiam libenter ac fortiter sustineremus. Denique ipse gravissimum hoc negotium hoc potissimum tempore ad finem perduxit, quo Nos, licet immerentes, Summum Pontificatum gerimus; ut exploratum fieret omnibus, a Domino factum esse istud, quod est mirabile in oculis nostris; siquidem contingere id poterat, cum alii Romani Pontifices Praedecessores Nostri hanc Apostolicam Sedem tenerent, qui nos quidem pari auctoritate exaequabant, meritis tamen longe nobis praecellebant.

§. 6. Itaque Deo beneficentissimo singulares agimus gratias, et habebimus perpetuas. Sed, quoniam Ipse causis secundis, veluti quibusdam instrumentis, uti consuevit, ut ea perficiat, quibus hunc Orbem terrarum complere statuit; iisdem Nos quoque referre gratias debemus, et meritas laudes impertiri. Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris et Imperatricis animum Deus Optimus Maximus spiritu pacis, ac verae Religionis inflammavit, cui sane ipsa sine ulla cunctatione paruit, adducta potissimum pietatis studio, quo Principes Austriacae Domus suae pro caeteris semper commendati fuerunt. Dilectos quoque Filios Nobiles Viros Ducem, ac Senatores Venetae Reipublicae eodem spiritu pacis ac verae Religionis Deus incendit, quem ipsi facili paratoque animo susceperunt, ut Praedecessorum suorum, qui, eximia facinora pro Christiana Fide toties peracta, maximis laudibus ubique celebrantur, praeclara exempla sequerentur. His sane fundamentis excitatum, conditumque fuit universum aedificium, perfectumque negotium. Quam ob causam ipsos rei totius Artifices non modo debitis laudibus prosequimur, sed gratias quoque Nos habituros sincera mente fatemur.

§. 7. Eodem prorsus animi sensu commendamus, plurimasque rependimus gratias Dilectis Filiis Nostris hoc loco praesentibus, Carolo Cardinali Rezzonico, et Mario Cardinali Millino, qui in gerendo, ac demum in perficiendo tam gravi negotio, nihil omnino intentatum reliquerunt, ut illud ad suum finem perducerent, integramque servarent inter Principes concordiam, quorum causam ac rationes tuebantur. Siquidem nihil aliud sibi ante oculos propositum habebant, quam animarum saluti prospicere, Deique gloriam amplificare; a quo procul dubio, dum in vivis agent, et postquam

mortalitatem exuerint, mercedem meritis consentaneam assequentur.

Sequuntur Literae Apostolicae, et Acta Consistorialia, spectantia ad temporaneam deputationem Vicarii Apostolici, de qua mentio fit in Bulla, et in praecedenti Allocutione.

Erectio Vicariatus Apostolici in parte Dioecesis Aquilejensis, Austriacae Familiae Dominio subjecta.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Omnium Ecclesiarum solicitudinem, una cum Apostolica Beati Petri Sede, et cum potestate Domini Nostri JESU CHRISTI in terris Vicaria, tenuitati nostrae impositam agnoscentes; quum Nobis ignorare non liceat, quantis jamdudum inordinationibus, cum animarum detrimento, subjaceat Ecclesiastici regiminis ratio in pluribus nec ignobilibus, nec infrequentibus Locis, temporali Austriacae Familiae dominio subjectis, quae Aquilejensis Dioecesis partem constituunt, ob plures, graves atque notorias dissensiones, quibus adhuc nulla a Praedecessoribus nostris, aut a Nobis ipsis, remedia utiliter praestari potuerunt; cumque etiam experientia compertum sit, varia ad hunc diem excogitata consilia, et adhibita temperamenta, ad consulendum earum animarum gubernio pariter inutilia fuisse; jamque satis constet nihil ea in re profici posse, nisi in praedictis Locis Ecclesiasticus Superior constituatur, qui, ibi residendo, nostra et Apostolicae hujus Sedis auctoritate, animarum regimen gerat, sine praejudicio jurium Partium dissentientium, tam quoad petitorium, quam quoad possessorium; post diuturnum et maturum rei examen, omnibus rite perpensis, in hanc sententiam consiliumque devenimus, ut auctoritate Nobis a Deo concessa uteremur, ad removendum a nobis tantae et tam enormis culpae reatum, neglectae scilicet curae et regiminis tot millium animarum, quae a tanto jam tempore veluti desertae sine Pastore vivere dignoscuntur. Quapropter usitatum in similibus remedium, sive temperamentum, et ad optatum finem satis efficax, et nullo contendentium juribus praejudicio futurum, eligentes, nostris motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, statuimus atque decernimus, ut ea pars Dioecesis Aquilejensis, quae temporali Austriacae Domus ditioni subest, per unum Vicarium nostrum Apostolicum in spiritualibus gubernetur. Et quoniam, licet Nos ad impetrandum praedictarum dissensionum finem, enixas omnipotenti Deo preces fundere non omittamus, adhuc tamen veremur, ne, peccatis nostris obsistentibus, earum terminus longius protrahatur; ideo ea omnia, quae hujusmodi Vicariatum in genere concernunt, praesentium Literarum tenore constituere, necessarium et opportunum censemus; reliqua deinceps, quae pertinent ad facultates ipsi Vicario a Nobis deputando, ejusque successoribus forsan in futurum similiter deputandis, impertiendas, distinctius exprimenda reservantes aliis nostris Apostolicis Literis, quas super deputatione personae ad ipsius Vicariatus exercitium a Nobis eligendae edituri sumus.

§. 2. Quod itaque deliberato rerum ordini conveniens et congruum reputamus, omnia et singula praecedentibus temporibus capta temperamenta abrogantes et irritantes, decernimus *primo*, atque statuimus, eam Aquilejensis Dioecesis partem, quae sub temporali Austriaca ditione constituta est, ab uno Apostolico Vicario, ut praefertur, in spiritualibus regendam et gubernandam fore: *Secundo*, volumus et statuimus, hujusmodi Vicarium ad tractus praedicti regimen Apostolica auctoritate pro tempore deputandum, Episcopali charactere insignitum esse, cum Titulo alicujus Ecclesiae in partibus Infidelium sitae, et in singulis personarum mutationibus de more variandae. *Tertio*, eumdem Vicarium in loco praedictae ditionis, illius spirituali regimini committendae, residere debere, ut ibi ea omnia, tam quae ad Ordinem, quam quae ad Jurisdictionem pertinent, fructuose exequatur, quae a Patriarcha Aquilejensi, tamquam praedictorum locorum Austriacae ditioni subjectarum Ordinario, si ipsi in iisdem locis actu permissum esset jurisdictione sua uti, fierent, et exercerentur. *Quarto*, quaecumque per Vicarium hujusmodi circa praemissa fient, ea omnia, Nostro et Successorum nostrorum nomine, et hujus Apostolicae Sedis auctoritate, facta intelligi debere. *Quinto*, deputationem hujusmo-

di Vicarii, tam per Nos, quam per Successores nostros, quandocumque faciendam, semper fieri de persona accepta, et minime suspecta supremo Territoriali Principi eorum locorum, in quibus delegatam sibi jurisdictionem exercere debebit; quod quidem et a Nobis praestabitur, quoties hujusmodi Vicarii deputationem per nos fieri continget; et ut a Successoribus nostris Romanis Pontificibus similiter fiat, Nos ipsis, praesentium tenore, quantum in Nobis est, magnopere suademus; quo scilicet Vicarius ipse pro tempore constitutus tranquilliore muneris sui administratione, cum populorum utilitate, potiatur. *Sexto*, volumus, atque statuimus, ejusdem Vicarii deputationem semper fieri cum consueta clausula: *ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum;* ita tamen, ut, cessante Vicarii deputatione, sive per obitum, sive per cessionem, aut remotionem ipsius deputati, antequam terminus Vicariatui praestitutus advenerit; alter Vicarius similis, praedicto termino durante, in defuncti, aut cedentis, sive remoti locum subrogari debeat, servatis aliis omnibus, quae supra diximus in hujusmodi Vicarii Apostolici deputatione servanda fore. *Septimo*, statuimus atque decernimus, dictorum locorum regimen per Vicarium Apostolicum tamdiu administrari debere, seu tamdiu in iis partibus Vicariatum Apostolicum perduraro, donec vel Nostra aut Successorum nostrorum opera finis impositus fuerit vigentibus dissensionibus; propter quas Aquilejensi Patriarchae praepeditur jurisdictionis Ordinariae exercitium in eam Dioecesis suae partem, quae Austriacae ditioni subest; vel donec, eisdem etiam dissensionibus nequaquam extinctis, opportuna aliqua ratio, communi partium consensu, Nostraque aut Successorum nostrorum approbatione, iniri valeat, per quam, Ecclesiastici Superioris ibidem residentis regimine, animarum Fidelium in praefatis locis existentium necessitatibus consulatur; quod unum nempe in hujusmodi Apostolico Vicariatu, ut praefertur, constituendo, Nobis propositum fuisse iterum profitemur. *Ultimo* loco decernimus, et declaramus, quaecumque a Nobis de Apostolico Vicario et Vicariatu praedictis statuta sunt, et statuuntur, sine ullo, tam unius, quam alterius Partis praejudicio, et salvis omnibus earum juribus, tam in petitorio, quam in possessorio, statuta, et ordinata intelligi debere.

§. 3. Et quoniam praemissa omnia frustra statuta viderentur, nisi certus intra memoratum Regionis tractum praefigeretur locus, in quo Apostolicus Vicarius ad exequenda munera sibi demandata residere deberet; et nisi simul ipsius Vicarii pro tempore deputandi sustentationi consuleretur; Nos earumdem praesentium tenore, et auctoritate praefata, statuimus et mandamus, ut idem Vicarius, ejusque successores quandocumque deputandi, in Civitate Goritiae praefata Aquilejensis Dioecesis residere debeant, et habitare in aedibus, quas pia liberalitas Augustini Condellii nuper defuncti, et quidem domestica supellectile instructas, una cum adnexo viridario, et propinquo vineto sub arcem ipsius Civitatis posito, et cum Oratorio, seu Cappella eisdem aedibus adjacente, pro Vicarii Apostolici pro tempore futuri habitatione et commodo, obtulit. Pro ipsius autem Vicarii Apostolici sustentatione, certos fundos ab eodem ipso pio benefactore, praevio plenario assensu Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris, in Romanorum Imperatricem electae, cessos et elargitos, aliaque bona a quondam Vito Giulino relicta, attribuimus et assignamus; juxta ea, quae in mandatis dabimus Apostolico Executori ad praemissorum effectum per Nos deputando; coram quo verificari, et in forma juris valida constabiliri debebunt, quaecumque pertinent ad designatam Vicarii praedicti habitationem, et redditus pro illius sustentatione attributos.

§. 4. Praesentes demum Litoras, et in eis contenta, et statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo, jus aut interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et Ecclesiasticae, aut Mundanae Dignitatis existant, etiam specifica et individua mentione digni, illis non consenserint, nec eorum aliquos ad ea vocatos et auditos, neque causas, propter quas praesentes emanaverint, satis verificatas aut justificatas fuisse dici possit, aut ex alia qualibet etiam juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo subreptionis aut obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, seu eorum obtentu impugnari, aut in

controversiam vocari posse: sed tamquam pro nostri Apostolici muneris implemento, ad promovendam animarum salutem, et spiritualem Fidelium in praedictis locis degentium utilitatem, plurimosque et perniciosos abusus removendos, ut praefertur, ac motu et auctoritate praemissis, factas et emanatas, omnimoda firmitate validas et efficaces existere et fore, suosque debitos effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, ac respective ab iis, ad quos pertinet, et in posterum pro tempore pertinebit, in omnibus et per omnia, inviolabiliter observari volumus, et auctoritate praedicta statuimus et decernimus.

§. 5. Sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et quacumque etiam Apostolica auctoritate delegatos, etiam S. R. E. Cardinales de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosque quoslibet, sublata eis, et eorum cuilibet, aliter judicandi et statuendi auctoritate et facultate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus; nec non quibusvis, etiam Apostolicae Sedis tolerantia, seu expressa confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, aut Literis Apostolicis, cuilibet Ecclesiae, aut quibuscumque Personis, quacumque Ecclesiastica, vel Mundana Dignitate fulgentibus, etiam specifica et individua mentione dignis, sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, et emanatis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis; Quibus omnibus, ac singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio habenda, seu quaevis alia forma ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum, plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Novembris 1749. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Allocutio habita in Consistorio Feria 2. die 1. Decembris 1749. post editionem praemissi Brevis.

VENERABILES FRATRES.

Postquam initio hujus Consistorii verba fecimus de proxima Anni Sancti celebritate, aliaque negotia expedivimus, molestum non sit vobis adhuc paululum immorari, donec vobis rem gravissimam exponamus.

§. 1. Nemini fortasse vestrum explorata non est misera conditio, in qua multo abhinc tempore versatur ea pars Dioecesis Aquilejensis, quae Dominationi Austriacae subjicitur, ubi nullam conceditur Patriarchae exercere Jurisdictionem, nullumque regimen, ob eas causas, quas hoc loco recensere supervacaneum existimamus.

§. 2. Ut remedium aliquod huic incommodo afferretur, iis praetermissis, quae antiquiora sunt, curae, et labores plurimi fuerunt insumpti, cum Urbanus VIII. Praedecessor noster summum Pontificatum teneret; plurimum quoque quaesitum est de eodem negotio posteriori tempore, ita tamen ut omnis conatus vanus irritusque cesserit. Cum deinde ad hanc Apostolicam Sedem licet immerentes evecti fuimus, eadem Dioecesis Aquilejensis pars, quae in Ditione Austriaca posita est, hac ratione, quam modo subjicimus, administrari consueverat: Dioecesani scilicet illi, siquid ipsis contingeret, ad Apostolicum Nuntium Viennae commorantem confugiebant, qui rem totam, si proferri in tempus aliquod posset, Patriarchae Aquilejensi exponebat, atque ad ejus consilium omnia exigebat. At, quemadmodum quisque facile intelligit, satis id non erat, ut spiritualia illius Gentis negotia recte gererentur; immo vero tractu temporis res in deterius prolapsae sunt. Etenim cum Nuntius Viennensis pristinum institutum significandi ea, quae

accidebant, Patriarchae Aquilejensi, retinere amplius non posset, neque ab illo expectare, quae forent statuenda ; Nos adducti fuimus ad decernendum, ut Dioecesani illi Nuntium Viennae degentem adirent, qui negotiis eorum consuleret, Nosque omnium, quae peragebat, participes redderet, ut auctoritate nostra probarentur. Porro id consilii cepimus, eo quod, novis in dies dissidiis interpositis, nullo pacto liceret Patriarchae se immiscere negotiis suae Dioecesis in ea parte, quam temporalis ditio Austriaca complectitur, et quae cum ampla sit, non modo omni prorsus Ecclesiastica cura caruisset, sed obnoxia quoque fuisset non vano discrimini, ne Religio ipsa Catholica maximum pateretur detrimentum, cum potissimum ad aures nostras pervenerit, hoc tempore latius in illis locis haeresis pestem esse propagatam. Equidem ab ipso nostri Pontificatus exordio constituimus vires omnes impendere, ut huic gravissimo malo mederemur. Animum quoque nostrum inflammavit pietas, ac religio Charissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae illustris, et imperatricis, quae pro re gerenda Virum certum et fidum ad Nos misit, ac deinde suis apud Sedem Apostolicam Ministris illam perficiendam mandavit. Quot somno et quieti ademimus horas, ut in id negotii incumberemus, quot cordis maeroribus conflictati, quot conscientiae aculeis fuerimus agitati, Deum O. M. Testem advocamus. Intelligebamus enim provinciam spiritualis regiminis Viennensi Nuntio nostro demandatam, ut de iis omnibus, quae acciderent, certiores Nos redderet, exiguam utilitatem afferre, et parum esse consentaneam, cum et Nuntius longe moraretur ab illis locis per ipsum moderandis, et plura Nobis deessent, quae sub oculis habenda erant, ut nostra auctoritate firmaremus ea, quae ab ipso Nuntio gerebantur.

§. 3. Cum Urbanus VIII. Praedecessor noster hanc Sedem Apostolicam obtineret, propositum fuit ab Aquilejensi Patriarcha, eam Dioecesis partem divellere, quae a parte Imperii nuncupabatur, et Austricae ditioni subjicitur, ibique novum Episcopum constituere. Idem tempore Pontificatus nostri, et modo potissimum in medium profertur; At vero, omissis difficultatibus, quae, cum novi Episcopatus eriguntur, exoriri solent, illud praesertim adversari visum fuit, nempe Dioeceses in partes secernere ob controversias, quae ob eam causam excitantur, quod diversae ejusdem Dioecesis partes diversis saeculi Principibus subjiciantur. Cum S. Pius V., et Gregorius XIII. Pontificatum gererent, Visitatores Apostolicos missos fuisse legimus in eam partem Dioecesis Aquilejensis, quae pertinet ad Austriacam Dominationem, eo quod turbae concitatae fuissent eo tempore in Patriarcham Aquilejensem, ne suam in eis locis jurisdictionem libere exerceret. Attamen cum pernicies, ac detrimentum illius Dioecesis non in peculiaribus quibusdam perversitatibus, sed in eo potissimum sit, quod Patriarcha Aquilejensis ab assiduo, praesentaneo, et necessario regimine impediatur; ideo facile dignosci potest, exiguam, et brevem utilitatem expectandam esse a Visitatore, qui fortasse alio tempore remedium sufficiens huic malo afferre potuisset. Postremo cum Urbanus VIII. in hac Apostolica Cathedra sederet, magno studio propositum fuit, in ea parte Dioecesis Aquilejensis, quae Germaniae finitima est, Episcopum Patriarchae suffraganeum collocare, sed tot, ac tanta impedimenta occurrebant, ut ab eo consilio non sine gravi Pontificis molestia fuerit desistendum. Quamobrem Deo O. M. negotium imprimis commendantes, et rebus omnibus accurate examinatis, decrevimus Vicarium Apostolicum constituere in ea parte Dioecesis Aquilejensis, quam jam toties nominavimus; quod et sacris Canonibus, et veteri recentique Ecclesiae Disciplinae accomodatum videtur. Sed ne Populus ille careat Ecclesiastico regimine, et ne Oves illae Pastore destituantur, qui periclitantibus opem ferat, eumdem Vicarium Apostolicum Titulo Episcopi in partibus decorabimus, ut quoad Ordinem, et Jurisdictionem, exerceat, nomine nostro, ac Sedis Apostolicae auctoritate, quaecumque a Patriarcha Aquilejensi, tamquam illius loci Ordinario, perficerentur. Quare si animo libero, attentoque res perpendatur, dubitari nequit, quin Vicarius Apostolicus hoc pacto satisfacturus sit illis omnibus, in iisdem locis, quae per Nuntium nostrum Viennensem agebantur; hoc tamen interposito discrimine, quod Vicarius Apostolicus praesens in illis locis demandatam provinciam utilius sustinebit, quam Nuntius noster Viennensis, qui absens eadem loca moderabatur.

§. 4. Neque omittendum est, Sedis Apo-

stolicae auctoritati in hoc Vicario constituendo a Nobis consultum esse, ea formula superaddita: *ad nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum;* Neque facultatem elargiti sumus supremo Territorii Domino hujus Vicarii nominandi, cum nullum inveniatur exemplum, quo facultas hujusmodi permissa unquam fuisse alicui demonstretur. Illud tamen pollitici sumus, quod a Successoribus nostris quoque praestandum non dubitamus, videlicet Apostolicum Vicariatum a Nobis conferendum illi, qui eidem Territorii Domino gratus fuerit ejusque Successoribus; quod sane necessarium putavimus, ut idem Vicarius suo feliciter munere perfungatur. Id etiam quodammodo debebatur pietati Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungarie et Bohemiae Reginae Illustris, et Imperatricis, cujus praesertim auctoritate locus idoneus atque stabilis pro Vicarii Apostolici Sede, et omnia pro decenti illius sustentatione necessaria, constituta fuerunt. Nullius omnino rationibus detrimentum inferimus, eo quod Vicariatum hujusmodi decernentes, hanc addidimus clausulam: *Citra praejudicium Partium tam in petitorio, quam in possessorio.* Insuper eumdem Vicariatum tamdiu permansurum declaramus, quamdiu vel principalis causa absolvatur, vel ipsa causa nondum absoluta, alia ratio deprehendatur Partibus consentientibus, Nobisque aut Successoribus nostris probantibus, qua recte possit administrari ea pars Dioecesis Aquilejensis, quae ab Austriaca Dominatione dependet.

§. 5. Ecce quae deliberavimus, et firmata Literis Apostolicis in forma Brevis expedienda curavimus, quae Vobis etiam significanda censuimus. Superest de Viro idoneo, qui Vicarius Apostolicus eligatur, cogitare; ac de facultatibus, quae ipsi ejusque Successoribus tribuendae videantur, quod quidem negotium, post accuratum examen, alio Brevi apostolico peragetur. Sed quoniam praeter Vicariatum, aliae Controversiae, quae Canonicos, et Capitulum Aquilejense respiciunt, componendae supersunt; si Deus incolumes, et sospites nos tuebitur, illas pro muneris nostri ratione minime praetermittemus.

§. 6. Neque vos latere debet, concordem prius animarum, et consensum Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae, et Bohemiae Reginae Illustris, et Imperatricis, accessisse iis omnibus, quae usque modo peracta sunt; Inclita quoque Venetorum Republica in genere nullatenus improbante. Pro certo pariter habemus, quod Dilectus Filius Noster Daniel Delphinus Patriarcha Aquilejensis, si calamitatem Dioecesis suae, in ea parte, quae Germaniae finitima est, perpendet, et difficultates maximas, quibus ipse ob hanc causam implicabatur; insignes alios Episcopos imitabitur, qui cum nullo modo ob gravissima impedimenta partem suae Dioecesis administrare libere possent, Sedi Apostolicae gratias habere non omiserunt, eo quod Vicario Apostolico eam Provinciae partem commiserit ipsius Sedis Apostolicae nomine gubernandam, donec de medio auferentur impedimenta. Nam id ipsorum Jurisdictionem non modo imminuit, sed potius tuetur, et animarum saluti magnopere consulit, quam nobis ante oculos ab exordio ad finem usque hujus praesentis negotii unice proposuisse profitemur.

§. 7. Antiqua rerum monumenta perquirentes, invenimus bonae memoriae Joannem Garziam Millinum, jussu Urbani VIII. Praedecessoris nostri, multum laboris insumpsisse in hoc Aquilejensi negotio, quod eo tempore propositum fuerat. Nos etiam commendare plurimum debemus Dilectum Filium Nostrum Card. Marium Millinum, qui hoc idem negotium Imperatricis nomine nobiscum examinandum suscepit, nec ullam diligentiam, ac laborem praetermisit, ut eo, quo jam pervenit, illud duceret; ipse quidem ministerio sibi commisso virtutem optimi Cardinalis adjunxit, ut Catholicam Religionem juvaret.

Sequitur Deputatio in specie Vicarii Apostolici ad regimen illius partis Dioecesis Aquilejensis, quae Austriacae Familiae Dominio subjecta est.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Postquam per alias nostras Apostolicas Literas, die 29. Novembris anni proxime praeteriti in forma Brevis expeditas, quarum initium est: *Omnium Ecclesiarum:* statuimus atque decrevimus, eam partem Dioecesis Aquilejensis, quae temporali Austriacae Familiae Principum Ditioni subiecta est, per unum Vi-

carium Apostolicum Episcopali charactere insignitum, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum per Nos deputandum, nostro nomine, nostraque Apostolica auctoritate, in spiritualibus regendam et gubernandam fore; adjecta declaratione, quod per nullum praejudicium tam unius, quam alterius dissentientis Partis juribus, sive quae ad petitorium, sive quae ad possessorium pertinent, irrogari censeatur; additoque Decreto, ut Apostolicus Vicariatus hujusmodi tamdiu in illis partibus perdurare debeat, donec vel primariae vigenti controversiae finis impositus fuerit, vel, ea etiam minime sublata, alterius generis ratio, communi partium consensu, ac nostra, vel Successorum nostrorum approbatione, iniri valeat, per quam animarum Fidelium in iis locis existentium regimini, ac spiritualibus necessitatibus consulatur; quod unum nempe Nobis, et Praedecessoribus nostris propositum fuit, in hujus gravissimi negotii tractatione, tot annorum decursu, et tam studiosa maturitate discussa, ut latius in dictis nostris Literis continetur: Quum illud quoque in iisdem edixerimus, Nos aliis deinde Literis super deputatione hujusmodi Vicarii Apostolici ad praedictam Dioecesis Aquilejen. partem in spiritualibus gubernandam edendis, distinctius expressuros esse facultates, quas eidem Vicario impertiri intendebamus, et reipsa ab eodem exerceri volebamus; Ideo, quum Nos nuper Dilectum Filium Carolum de Attembs Canonicum et Thesaurarium Ecclesiae Basilaeensis, de cujus vitae ac morum honestate, aliisque laudabilibus virtutum meritis, nec non de idoneitate ad Vicarii hujusmodi munus obeundum, per diligentem inquisitionem certiores facti sumus, et cujus personam Carissimae in Christo Filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae nec non Romanorum Reginae, Carissimi in Christo Filii nostri Francisci eorumdem Romanorum Regis in Imperatorem electi Conjugi, acceptam esse novimus, Ecclesiae Episcopali Menniten. in partibus infidelium sitae praeficere proposuerimus, nunc ipsum Carolum per praesentes nostras Apostolicas Literas, in ea parte Dioecesis Patriarchae Aquilejen., quae temporali Austriacorum Principum ditioni subest, Apostolicum in spiritualibus Vicarium, Officialem, et Commissarium, ad nostrum et ipsius Sedis Apostolicae beneplacitum, constituimus et deputamus, sine praejudicio jurium tam unius, quam alterius partis, sive in petitorio, sive in possessorio; atque ea lege, ut tamdiu Vicariatus hujusmodi perdurare debeat, donec vel primaria nunc vigens controversia sublata fuerit, vel, ea etiam permanente, alia aliqua ratio inveniatur, de utriusque partis consensu, a Nobis, seu a Successoribus nostris Romanis Pontificibus approbanda, per quam animarum Fidelium inibi commorantium spirituali regimini provideatur; juxta ea, quae in dictis aliis nostris Apostolicis Literis incipien. *Omnium Ecclesiarum*, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro inserto, declaravimus atque decrevimus. Eidemque Vicario sic deputato injungimus et mandamus, ut, simul ac Episcopalis Consecrationis munus susceperit ab eo Antistite, quem Nos ad illud, cum aliorum duorum Antistitum assistentia, ipsi conferendum delegabimus, praedictae partis Dioecesis Aquilejen., quae Austriacae Familiae dominio paret, spirituale regimen et gubernium assumat. Pro ipsius autem congrua habitatione, domum in civitate Goritiae sitam, cum adnexo viridario, et Cappella publica, nec non pro ejusdem sustentatione totum id, quod bon. mem. Augustinus Codellius pro ipso Vicario, ejusque Successoribus, cum praevio plenario assensu dictae Carissimae in Christo Filiae nostrae Mariae Theresiae reginae ac Imperatricis electae, ex propriis bonis et juribus, donavit et cessit: cujus quidem cessionis validitatem, prout etiam fundorum realitatem et exigibilitatem, a Venerabile Fratre Hernesto Episcopo Labacensi, de mandato nostro, juridice diligenterque recognitam, et respective admissam et acceptatam, Nos ipsi approbavimus et confirmavimus; accepta etiam legali descriptione bonorum omnium a praedicto Codellio, ut supra diximus, elargitorum, quam idem Hernestus Episcopus ad Nos transmisit, et cujus authenticum exemplum ipsi Vicario Apostolico traditurum se pollicitus est; repositis in suo Episcopali Archivo reliquis omnibus monumentis, quaecumque pertinent ad praefatam Domum et Cappellam, Goritiae sitas, aliosque fundos ab eodem pio benefactore datos ipsi Carolo electo Menniten., quamdiu in officio Vicariatus hujusmodi permanserit, concedimus atque assignamus.

§. 2. Quia vero ex multorum fide dignis relationibus edocti sumus, et ex ipsa humana-

rum rerum consideratione persuasum habemus, postquam Patriarcha Aquilejen. tam longo temporis spatio, non sua quidem culpa, aut negligentia, sed propter notas dissensiones, vigentesque controversias, impeditus fuit ab exercendo regimine illius Dioecesis suae tractus, qui ab Austriacae Domus imperio pendet, atque hujus spirituale gubernium aliquandiu secreto gestum fuit ab Apostolicae Sedis Nuntio Viennae in Austria Commorante; cum aliquali ipsius Patriarchae consilio et scientia in iis rebus, quae prompta ac praesenti providentia non indigerent; deinde vero, memoratis dissensionibus magis magisque adauctis, hujusmodi regimen ab eodem Nuntio Apostolico, Nobis duntaxat immediate consultis, administratum fuit; quia, inquam, satis intelligimus, verendum esse, ne, tot annis labentibus, ac spiritalis vineae cultoribus longe constitutis, vepres et spinae in ea nimium excreverint, ita ut sine magno ac diuturno labore ac studio inde eradicari non valeant; Hinc est, quod Nos praesentibus nostris Literis ea primum indicare statuimus, quae a praedicto Vicario Apostolico a Nobis, ut praefertur, deputato, ejusque Successoribus in futurum forsan deputandis, pro recto injuncti sibi muneris implemento praestari volumus atque requirimus; mox facultates recensere, quas eidem Vicario ad effectum hujusmodi duximus tribuendas, quaeque pro norma erunt facultatum, quibus instrui debebunt alii Vicarii similes, post ipsum forsan inibi deputandi; ac denique alia quaedam statuere et ordinare, quae ad praecavendas cujusque generis perturbationes et controversias opportune stabilienda judicavimus.

§. 3. Hoc igitur primum hujusmodi Vicario Apostolico districte injungimus et demandamus, ut omni cura ac solicitudine pro conservanda Catholicae Fidei puritate in Populo ipsius speciali regimini concredito, ac propulsandis, longeque ab eo removendis quorumcumque errorum aut haeresum tenebris, vigilare non desinat; tum Ecclesiasticae Disciplinae leges, tam quae ad Divinum cultum, quam quae ad vitae et conversationis exempla pertinent, a Sacerdotibus, ac reliquis inferiorum Ordinum Clericis exacte observari curet; Christianam pietatem ac morum sanctitatem in omni Fidelium gradu promoveat; ideoque omni studio det operam, ut pueri ac puellae Catholicae Fidei et Christianae Doctrinae rudimentis diligenter imbuantur, non solum per animarum Rectores, sed etiam per Patres familias, eosque omnes, quibus adolescentium instructio et educatio commendatur. Universo autem Populo, per eos, ad quos pertinet, publice ab Altari, vel e suggestu, explicari et inculcari jubeat, quaecumque ad aeternam salutem credenda sunt, et agenda. Caveat insuper, ne quis requisitis qualitatibus destitutus ad Ecclesiastica Ministeria et Sacros Ordines admittatur; neve Presbyteri ad Sacramentales Confessiones excipiendas deputentur, nisi qui, cum singulari vitae probitate, necessariam quoque scientiam conjunctam habeant, qua valeant lepram a lepra discernere, et competentem animarum vulneribus medicinam adhibere. Et quoniam omnibus hisce injunctis sibi oneribus idem Vicarius Apostolicus plene satisfacere non posset, nisi in locis ipsius regimini commendatis resideret, ac personalem et localem visitationem, juxta Tridentini Concilii leges, peragerét; ideo districtam ipsi obligationem imponimus ibi residendi, et universum Dioecesis praedictae tractum Austriacae Domus temporali dominio subjectum, personasque in eo commorantes, ad normam Conciliarium Statutorum, visitandi; volentes, ut, postquam visitationem hujusmodi exploverit, ac per eam, quae sibi erunt prudenter investiganda, cognoverit; omnia, quaecumque ad spirituale regimen pertinent, quamprimum referat ad Nos, et ad Sedem Apostolicam, cujus nomine et auctoritate partem illam Dioecesis Aquilejensis gubernabit; atque hinc opportuna sibi consilia, atque etiam auxilia requirat, quibus errores et scandala adversus Religionis ac disciplinae integritatem insurgentia evellat ac destruat.

§. 4. Sane in Apostolicorum Vicariorum deputationibus, quae ab hac Apostolica Sede, pro ecclesiarum et Locorum necessitatibus, in dies fieri consueverunt; ut omnibus colligere licet ex Constitutione rec. mem. Praedecessoris nostri Sixti Papae V., quae incipit: *Immensa aeterni;* qua scilicet S. R. E. Cardinalibus Congregationi Duodecimae a se institutae praepositis, inter alia, committit, ut, *ubi necessitas exegerit, viros usu et doctrina idoneos, rectos, et timentes Deum deligant, qui nostrarum Literarum auctoritate suffulti, Ecclesias, ut Vicarii Apostolici, regant;* Personis ad hoc mu-

nus electis concedi solent facultates visitandi Ecclesias, et Loca pia, atque etiam Monialium Monasteria, etiam exempta, quoad Clausuram; celebrandi Synodum; Judices, Consiliarios, omnesque alios necessarios Ministros et Officiales deputandi, eosque revocandi, et alios in eorum locum subrogandi; mulctas et poenas pecuniarias piis usibus applicandas imponendi; Literas Monitoriales in forma *significavit*, pro rebus deperditis, seu furto sublatis, concedendi; in Beneficiis de jure patronatus, eorumque erectione et constitutione, nec non locationibus emphyteuticis, alienationibus, et permutationibus bonorum Ecclesiasticorum, auctoritatem, et consensum praestandi; Causas Matrimoniales, et Civiles ad Forum Ecclesiasticum spectantes, cognoscendi et decidendi; contra delinquentes per inquisitionem etiam ex officio procedendi; ac demum omnia et singula exercendi, quae Ordinario Loci, ratione jurisdictionis, si is Ecclesiae aut Dioecesis regimen actu exerceret, de jure et consuetudine competerent, non solum circa praemissa, sed etiam circa alia, quae magis specialem et expressam exigerent commissionem; ut latius exprimi solet in Literis Apostolicis, quae super hujusmodi Vicariorum deputationibus expediuntur; et quarum formulae apud diversos Scriptores de hac materia agentes typis impressae leguntur. Itaque Nos Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis insistentes, praefato Carolo Vicario Apostolico in superius expressa parte Dioecesis Aquilejen. per Nos, ut praefertur, deputato, praedictas omnes facultates, quae aliis Vicariis Apostolicis tribui solent, juxta declarationes tamen, quae inferius subjicientur, per ipsum, durante Vicariatu ac beneplacito praedictis, in eadem Dioecesis parte exercendas, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§. 5. Et haec quidem communiter iis concedi solent, qui Sacerdotali dumtaxat, aut Clericali gradu insigniti, ad hujusmodi munus gerendum in locis atque Dioecesibus, quarum necessitates id exegerint, a Sede Apostolica deputantur. Verum non raro contingit, ut specialibus quibusdam necessitatibus id exigentibus, quales in praesenti casu concurrunt, et quoties Episcopi Locorum Ordinarii inevitabili aliqua causa ab exercendo regimine suarum Dioecesum, vel partis earum, nulla licet ipsorum propria culpa, impediuntur, ad hujusmodi Vicarii Apostolici Officium deputentur Episcopi Titulares, cujus generis aliqui etiam hodierno tempore Vicarii Apostolici esse dignoscuntur; hisque non solum facultates illae, quae ad jurisdictionem pertinent, ad quam videlicet praemissa referuntur, sed etiam aliae quaedam ad Ordinem pertinentes, pro pleniori sui muneris implemento, concedantur; cujusmodi sunt facultates administrandi Sacramentum Confirmationis in toto sui Vicariatus districtu, nisi alium Episcopum advocare maluerint, qui illud inibi administret; conferendi omnes, etiam Sacros, et Presbyteratus, Ordines, ad sacrorum Canonum et Concilii Tridentini praescriptum, quibuslibet idoneis personis tam Secularibus quam Regularibus, et tam ipsius Vicariatus subditis, quam etiam extraneis, qui suorum Ordinariorum Literas Testimoniales et Dimissorias exhibeant; item personas Vicariatus sui subditas, per Literas Dimissorias hujusmodi, ad alios Episcopos, tam minoribus, quam majoribus Ordinibus initiandas dirigendi; Olea Sacra, et Sanctum Chrisma conficiendi; Ecclesias pollutas reconciliandi; consecrandi Altaria, atque etiam Ecclesias, nec non Calices et Patenas; benedicendi Campanas; et sacrarum supellectilium benedictiones, in quibus sacra Unctio non requiritur, simplicibus Presbyteris delegandi; ejusdemque Vicariatus subditos, certo temporis spatio durante, sive per se, sive per idoneos Confessarios a censuris propter haeresim externam incursis, pro foro conscientiae, in actu sacramentalis Confessionis absolvendi. Nos itaque has etiam omnes facultates praedicto Carolo Vicario Apostolico in memorata Aquilejen. Dioecesis parte per Nos, ut praefertur, deputato, tribuere opportunum ducimus; et eam quidem absolvendi ab haeresi, ad triennium tantum, quo elapso, ad hanc Sedem Apostolicam pro ulteriori prorogatione, si ita expediens visum fuerit, recursum habere poterit; reliquas autem superius expressas, quoad in hujusmodi Vicariatus Officio permanserit, dicta auctoritate, et earumdem praesentium tenore, concedimus, et impertimur.

§. 6. Et quoniam in praefatis Literis Nostris super Constitutione hujus Vicariatus in genere editis, inter alia, dictum per Nos fuit, quod is, qui ad hujusmodi munus deputandus foret, in vim auctoritatis a Nobis et ab Apo-

stolica Sede sibi delegandae, in locis hujusmodi Vicariatui subjiciendis, omnia illa exequi deberet, tam quae ad Ordinem, quam quae ad jurisdictionem pertinent, quaecumque a Patriarcha Aquilejensi, tamquam Ordinario, in iisdem Dioecesis suae locis Austriacae ditionis subjectis, fierent, et exercerentur, nisi, ipsi, ob vigentes dissensiones actu impeditum esset ibidem jurisdictione sua uti; per quae sane eam auctoritatem Vicario Apostolico in praefatis locis concedendam fore statuimus, quae Patriarchae Aquilejensi, uti Episcopo, et Ordinario locali dumtaxat, non vero quae illi, tamquam Metropolitano, competere potest; Idipsum nunc, una cum reliquis omnibus in dictis prioribus Literis contentis, praesentium tenore confirmamus, atque iterum statuimus; decernentes tamen, ad evitandas, quantum fas est, cujuscumque generis perturbationes, circa infrascripta capita, sequentes nostras Ordinationes, ac declarationes omnimode servari, ac respective attendi debere.

§. 7. Primo videlicet, inhaerentes stilo et consuetudini Sedis Apostolicae, eidem Carolo Vicario Apostolico competere volumus facultatem instituendi in Beneficiis Ecclesiasticis de jure patronatus, quae intra Vicariatus sui limites vacare contigerit, personas idoneas a legitimis eorum Patronis ad ea praesentatas. In vacationibus autem Ecclesiarum Parochialium, aliorumque Beneficiorum, et Praebendarum, quae animarum curam adnexam habent, quaeque non aliter, quam per concursum conferri debent, eidem Carolo Vicario committimus, et demandamus hujusmodi Concursum indicere, eoque juxta Tridentini Concilii, et Constitutionum Apostolicarum leges, habito atque concluso, illius acta ad Nos, et Successores nostros, transmittere; simulque proprium consilium et votum in favorem illius, quem hujusmodi Ecclesia, Beneficio, seu Praebenda magis dignum existimaverit, aperire; Nobis autem, et Successoribus nostris Romanis Pontificibus hujusmodi Ecclesiarum, Praebendarum, seu Beneficiorum, super quibus Concursus habitus fuerit, collationem et provisionem in personam eorum, quos ad gerendam animarum curam magis aptos et idoneos in Domino judicabimus, praedicta auctoritate, et earumdem praesentium serie reservamus. Cum vero collatio Beneficiorum simplicium, sive residentialium, quibus animarum cura non imminet, hujusmodi Vicariis Apostolicis permitti non soleat, sed ipsi Apostolicae Sedi reservari; Nos eam pariter, per easdem praesentes Literas, Nobis et Sedi Apostolicae reservamus: Declarantes tamen, sub hac reservatione minime comprehensa esse aut censeri Beneficia illa simplicia, aut residentialia non curata, quae ad collationem, et provisionem dilectorum Filiorum Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Aquilejen. spectare dignoscuntur; sed ea, quatenus ex alio capite aut ratione, Apostolicis reservationibus, vel affectionibus subjecta non sint, ad liberam praedictorum collationem et dispositionem, ut antea, pertinere. Ac decernentes, hujusmodi reservationem per praesentes inductam, eo ipso cessare debere, ac penitus sublatam censeri, quum Nobis, aut Successoribus nostris, Deo adjuvante, datum fuerit obstacula illa removere, per quae Ordinariis Collationibus nunc locus esse non potest; quod ut quantocius obtinere mereamur, Nos quidem, in quantum vires suppetent, omni studio, atque opera adlaborare non desistemus.

§. 8. Deinde quum, sicut accepimus, in ea parte Dioecesis Aquilejensis, quam a Vicario Apostolico regendam decrevimus, nonnullae sint Parochialium, quae extra Vicariatus praedicti fines sunt constitutae; aliae autem Matrices hujusmodi extra Vicariatum sitae, Filiales Ecclesias habeant intra districtum ab Apostolico Vicario, ut praefertur, in spiritualibus gubernandum; volumus atque decernimus, ut quatenus ita se res habeant, nihil circa easdem Ecclesias, earumque respectivas superioritates ac dependentias innovetur: nec ulla tam hujusmodi, quam aliarum quarumcumque Parochiarum dismembratio fiat; prout etiam nihil de bonis immobilibus, seu mobilibus pretiosis ad easdem Parochiales, sive ad alias quascumque Ecclesias pertinentibus, alienetur; sed, salvis juribus enunciatae Matricitatis pro iis Ecclesiis, quibus ea competere dignoscuntur, earum Ecclesiae Filiales in diverso districtu constitutae, pro eo quod pertinent ad jura Episcopalia in personas animarum curae praepositas, ipsamque actualem curam, ab eo Superiore Ecclesiastico dependeant, qui in hujusmodi districtu jurisdictionem exercebit; nimirum a Vicario Apostolico, si Ecclesiae ipsae intra Vicariatus limites existunt; si vero extra eos constitutae sunt, ab Ordinario illius loci, in quo eaedem sitae comperiuntur.

§. 9. Praeterea, cum inter alias facultates praedicto Vicario Apostolico a Nobis superius concessas, atque tributas, ea etiam sit, ut Synodum Dioecesanam convocare, et celebrare valeat; eumque hujusmodi Synodi celebratio haberi non soleat, nisi post expletam Visitationem, in qua Ecclesiarum, et Cleri, Populique necessitates, sive defectus quibus per Synodalia Decreta occurrendum, atque medendum est, agnoscuntur; quatenus praedictus Carolus Vicarius Apostolicus, peracta Visitatione praedicta, atque omnibus per commissum sibi regionis tractum diligenter animadversis, opportunum, aut necessarium duxerit hujusmodi Synodum congregare; sicuti plerisque Episcopis, ad evitanda controversiarum et offensionum pericula, prudenter in more positum est, Synodorum a se congregandarum specimen, et Constitutiones, quas in ipsis edere meditantur, Apostolicae Sedis examini in antecessum subjicere; quamquam ipsi jure proprio, nec ulla speciali ipsius Sedis licentia ad hoc indigentes, Synodum cogant; ita volumus ac praecipimus, ut ab eodem Carolo Vicario, ante Synodi convocationem, consulatur haec ipsa Apostolica Sedes, cujus auctoritate ac delegatione hujusmodi Ecclesiastici regiminis munia ab ipso exercebuntur; ac tum Personas, quas ad Synodum evocare intendit, super quibus controversiae plerumque non desunt, tum Decreta, quae in eadem edenda ac publicanda putabit, ne forte litium et perturbationum fomenta fiant, distincte repraesentet; id maxime cavendo, ne aut in Visitatione, aut in Synodo, Decretum ullum condat atque edat, in quo Personae, Ecclesiae, aut res, extra Vicariatus sui limites constitutae, comprehendantur; aliudve quid faciat, ex quo dissensiones et controversiae nunc nimium vigentes foveri aut augeri possint. Quapropter Constitutiones atque Decreta, quaecumque in Synodo a dicto Carolo Vicario Apostolico per praesentes deputato, vel ab ejus Successoribus fient, nullam vim aut efficaciam habere volumus atque decernimus, nisi postquam a Nobis seu a Successoribus nostris Romanis Pontificibus, cognita, approbata, et confirmata fuerint.

§. 10. Insuper cum in Civitate Aquilejae quoddam Monialium Monasterium adsit, unius Apostolici Delegati gubernio subjectum, cujus quidem jurisdictionis exercitio in hujusmodi Monasterium atque Moniales nullum obstat impedimentum; ideo circa illud nihil innovari; sed omnia in eo statu, in quo nunc sunt, remanere volumus, et decernimus.

§. 11. Denique Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis, ejusque Capituli, jura, praerogativas, praeeminentias, libertates, exemptiones, immunitates, statuta, laudabilesque consuetudines, intacta et illaesa permanere volentes, nullum jurisdictionis actum in ipsius Capituli Dignitates, atque Canonicos, seu adversus ipsos, a saepedicto Carolo Vicario Apostolico nunc deputato, aut ab ipsius Successoribus forsan deinceps deputandis, exerceri posse decernimus, atque statuimus; volentes dumtaxat, ut dum iidem Dignitates, atque Canonici in Civitate Aquilejae residebunt, si quid forte ab eorum aliquo adversus Canonica statuta, et Tridentini Concilii decreta, quae ad vitam et honestatem Clericorum, sive ad consuetum Ecclesiae, et Chori servitium pertinent, ex humana fragilitate admitti contingat; qui talia egerit, fraterne admoneri debeat ab eodem Carolo Vicario Apostolico; qui si nihilominus eum, quem sic admonuerit, nequaquam se emendare conspexerit, vel etiam, ubi aliquem eorum ejusmodi excessus perpetrasse cognoverit, propter quos, ad aliorum exemplum, debitis animadversionibus coerceri mereatur; in hujusmodi casibus (quos Deus pro sua clementia dignetur avertere) volumus per eumdem Carolum Vicarium Apostolicum quamprimum omnia referri ad hanc Apostolicam Sedem; quae, audito etiam ipsius Vicarii consilio ac voto, opportuna pro rerum circumstantiis remedia adhibere non omittet.

§. 12. Caeterum omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in virtute Sanctae Obedientiae, et pro debita Sedis Apostolicae reverentia, per easdem praesentes praecipimus et mandamus, ut dictum Carolum electum Menniten. ad demandatum sibi Vicarii Apostolici Officium in praedicta parte Dioecesis Aquilejensis Austriacae Familiae Principum temporali domino subjecta, et ad ejusdem Officii liberum exercitium, juxta tenorem earumdem praesentium, recipiant et admittant; eumque in nostrum et Sedis Apostolicae Vicarium et Delegatum in praemissis, durante Vicariatu, deputatione, ac beneplacito hujusmodi recognoscant; eique in omnibus, quae ad idem Officium pertinent, respective pareant, faveant, et assistant; nec non ipsius mandata

et salubria monita humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententias et poenas, quas rite tulerit et statuerit in rebelles, ratas habebimus, et hujus Apostolicae Sedis auctoritate faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

§. 13. Decernentes, easdem praesentes Literas, et in eis contenta et statuta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo, jus aut interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet, cujusvis status, ordinis, praeeminentiae, et Ecclesiasticae, aut Mundanae Dignitatis existant, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec eorum aliquos ad ea vocatos, vel etiam nullo modo, aut non satis auditos, dici, aut praetendi possit, aut ex alia qualibet etiam juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo subreptionis aut obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed tanquam ex officii nostri debito, ac motu proprio, et certa scientia nostris, factas et emanatas, omnimoda firmitate validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eidemque Carolo Vicario Apostolico, aliisque ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, ac respective ab eodem, aliisque omnibus quos concernunt, et concernent in futurum, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et quacumque etiam Apostolica auctoritate delegatos, etiam S. R. E. praedictae Cardinales de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosque quoslibet, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, seu Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus; nec non quibusvis, etiam Apostolicae Sedis scientiae et tolerantia, vel ejusdem temporali provisioni inductis, aut etiam expressa et perpetua confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, aut Literis Apostolicis, cuilibet Ecclesiae, aut quibuscumque Personis, quacumque Ecclesiastica, aut Mundana Dignitate fulgentibus, etiam specifica et individua mentione dignis, sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, et emanatis: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas, causas, et occasiones, eisdem praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hic inserti forent, pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Junii 1750. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Similitudo argumenti facit, ut sequentes Literas addamus non ita pridem editas, super temporanea pariter deputatione Episcopi Comaclensis in Vicarium Apostolicum Terrarum et Locorum, in quibus Praepositi Sanctae Mariae de Pomposia *jurisdictionem Ordinariam cum Territorio separato sibi competere asserunt.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei Memoriam.

§. 1. Dum Apostolicae solicitudinis studia omnium per Orbem Ecclesiarum necessitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, impendere non desistimus, ignorare Nobis, aut dissimulare non licet, quibus jamdudum impedimentis, non sine spirituali animarum detrimento, subjaceat Ecclesiastici regiminis administratio, in quodam temporalis Pontificiae Ditionis Nostrae tractu, quem ex una parte Co-

maclenses Episcopi, tamquam Dioecesis suae portionem, suae Ordinariae jurisdictioni subjectum esse debere asserunt; ex altera vero parte Praepositi, Praeposituram Saecularem a recol. mem. Praedecessore nostro Innocentio Papa VIII. in Ecclesia tunc existentis Monasterii *Sanctae Mariae de Pomposia* nuncupatae Ordinis Sancti Benedicti olim erectam, pro tempore obtinentes, ab eorumdem Episcoporum Comaclensium, et aliorum quorumcumque Ordinariorum jurisdictione totaliter exemptum, et tamquam separatum, et proprium dictae Praepositurae Territorium, sibi, suaeque jurisdictioni in Spiritualibus per omnia subjacere debere contendunt; in quo quidem Tractu quatuor Terrae, seu Loca, videlicet *Capitis Gauri*, et *Lacus Sancti*, ac *Mediogaurii*, et *Massenzaticae*, in quarum et quorum singulis propria Parochialis Ecclesia existit, et in quibus, earumque respective districtibus, seu Territoriis, ad quatuor mille et quingenti Habitatores numerantur, sitae, seu sita reperiuntur.

§. 2. Porro ad prospiciendum spiritualibus hujusmodi animarum indigentiis, olim quidem inter tunc et pro tempore existentes Episcopos Comaclenses ex una, et dictos Praepositos ex altera partibus, conventum fuit, ut Episcopi Comaclenses praedicti, quoscumque spiritualis jurisdictionis actus, excepta Beneficiorum collatione, in praedicta Loca, eorumque Incolas, nomine ac vice illius, ad quem de jure et juxta Sacrorum Canonum dispositionem spectaret, sine praejudicio jurium ambarum Partium tam in petitorio, quam in possessorio, et per modum provisionis, exercerent. Verum procedentibus temporibus, et antiquis controversiis reviviscentibus, alia, quae usque nunc obtinet, consuetudo inducta fuit; ut scilicet spirituale hujusmodi Locorum et Animarum gubernium a Romano Pontifice, per organum sui Auditoris, uni pro tempore Vicario Apostolico cum opportunis facultatibus committeretur; idque munus Brictinoriensi primum Episcopo, alias vero Ravennatensi Archiepiscopo, aut Cerviensi, vel Adriensi Episcopis delegatum fuit; nunc autem a Venerabili Fratre Hippolyto Gratiadei Episcopo Civitatis Plebis, qui antea Metropolitanae Ferrariensis Ecclesiae Archipresbyter, in ipsa Ferrariensi Civitate residebat, obtineri pergit.

§. 3. Cum autem et dicta principalis controversia certis de causis adhuc pendeat indecisa, et praesens regiminis formam ad consulendum, quantum sufficere dignoscatur; absentibus nimirum ab ipsis Locis, de quorum regimine agitur, tam ipsis Praepositis activam sibi jurisdictionem in eorumdem Locorum Clerum et Populum afferentibus, quam etiam Apostolicis Vicariis ad eamdem jurisdictionem exercendam deputatis; Idcirco Nos, post maturum rei examen, omnibus rite perpensis, ad abusus omnes, si qui contra Dei cultum, aut in morum, ac vitae tam Clericorum, quam Laicorum illarum partium deturpationem irrepserunt, quamprimum eradicandos, vel, quatenus in futurum timeantur, opportune praecavendos, in hanc sententiam, consiliumque devenimus, ut idem fere remedium, seu temperamentum, Apostolica auctoritate interponeremus, quod olim mutua contendentium Partium consensione adhibitum, earumque judicio, vel omnium aptissimum, et nullum earum juribus detrimentum allaturum, ut superius innuimus, delectum fuit: ut scilicet, sine praejudicio quorumcumque hujusmodi jurium dictarum Partium dissentientium, tam quoad petitorium, quam quoad possessorium, durante controversia hujusmodi, dictorum Locorum et Animarum inibi existentium Spirituale regimen, Apostolica auctoritate, ab Episcopo dictae Civitatis nostrae Comaclensis exerceatur, utpote cujus ordinaria residentia iisdem Locis satis propinqua existit; siquidem ab ea Civitate, praedicta Terra Lacus Sancti *quinque*, altera vero Capitis Gaurii *septem*, alia vero Loca praedicta *novem*, aut *duodecim* passum millibus ad summum distare dignoscuntur.

§. 4. Itaque motu proprio, ac certa scientia, et de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, omnes primum et singulas provisiones, ordinationes, seu deputationes, pro praedictorum Locorum spirituali gubernio, tam ab ipsis contendentibus Partibus, quam etiam ab hac Apostolica Sede, et a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, seu a Nobis ipsis, quandocumque captas, editas, factas, et emanatas, praesentium tenore abrogantes, irritantes, et revocantes; decernimus, atque statuimus, spirituale regimen atque gubernium totius et integri Tractus praedicti quem iidem Praepositi sibi in Spiritualibus subjectum esse contendunt, ac personarum Cleri et Populi inibi existentium ab Episcopo Comaclensi, tamquam Vicario Apostolico, durante controversia

hujusmodi, gerendum et exercendum fore. Quocirca Nos, earumdem praesentium tenore, Venerabilem Fratrem modernum Episcopum Comaclensem in dicto Regionis Tractu, et Locis, ac Terris ibidem existentibus, Apostolicum in Spiritualibus Vicarium, et Commissarium, ad Nostrum, et ipsius Sedis Apostolicae beneplacitum constituimus et deputamus; cum facultate Ecclesias, et Loca Pia omnia, ac etiam, si quae inibi existant, aut deinceps erigantur, Monialium Monasteria, etiam exempta, quoad Clausuram, ad Sacri Tridentini Concilii praescriptum, visitandi, et reformandi, ac ad visitationem hujusmodi celerrime et debita cum diligentia procedendi, nec non Presbyteros et Clericos dictorum Locorum ad suam Synodum Dioecesanam evocandi; et tam in dicta Synodo, quam extra eam, quascumque opportunas Ordinationes, Statuta, et Edicta, pro dictorum Locorum Spirituali regimini, ad formam Sacrorum Canonum, ac Decretorum Apostolicae Sedis, et dicti Tridentini Concilii, condendi, edendi, et promulgandi; Judices, et Vicarios Foraneos, ac Notarios, Promotores Fiscales, Executores, omnesque alios necessarios Officiales et Ministros ibidem deputandi, seu, pro rerum et casuum opportunitate, etiam a propria Episcopali Curia illuc mittendi; eosque removendi, et alios in eorum locum subrogandi; Quascumque Literas et Commissiones Sedis Apostolicae, circa res et personas dictorum Locorum, exequendi, et juxta eas procedendi: Literas Monitoriales in forma *Significavit* pro rebus deperditis, seu furto sublatis, juxta praescriptum dicti Concilii Tridentini, et Bullae felicis recordationis Sancti Pii Papae V. Praedecessoris Nostri, concedendi; in Beneficiis de jure Patronatus, eorumque erectione et constitutione, nec non in Locationibus Emphyteuticis, alienationibus, et permutationibus bonorum Ecclesiasticorum, juxta formam Sacrorum Canonum, et Constitutionum Apostolicarum, auctoritatem et consensum praestandi; Causas Criminales, et Civiles ad Forum Ecclesiasticum spectantes, etiam Matrimoniales, et Beneficiales, tam per se, quam per suum Vicarium in Spiritualibus Generalem Comacli residentem, cognoscendi, audiendi, committendi, ac decidendi, finemque debito terminandi. Personas quoque tam Laicas, quam Ecclesiasticas, et praesertim animarum curam gerentes, visitandi, reformandi, et corrigendi; ac contra delinquentes, etiam per inquisitionem, et ex officio, prout juris fuerit, procedendi; eosque puniendi, deponendi, et excommunicandi, suspendendi, et interdicendi; mulctas, et poenas pecuniarias, apud probum et idoneum Virum per ipsum de Clero eligendum, deponendas, et piis usibus ejusdem arbitrio applicandas, imponendi; poenarumque et sententiarum earumdem moderationem et mitigationem, et casuum ac censurarum absolutionem et relaxationem sibi reservandi; nec non censuras et poenas ipsas, in casibus a jure permissis, aggravandi et reaggravandi; et ab illis, nec non a casibus reservatis hujusmodi, prout sibi videbitur convenire, absolvendi, et absolvi faciendi; Confessarios, per se, vel per suos Examinatores Synodales, etiam in Civitate Comaclensi, si ita sibi videbitur, examinatos, et idoneos repertos; approbandi; et pro dictis Locis, cum facultatibus arbitrio suo definitis, deputandi, eosque revocandi: In Parochialibus Ecclesiis pro tempore vacantibus, idoneos Presbyteros Oeconomos et Administratores, usque ad novorum Parochorum electionem, seu Vicariorum deputationem, ad sui beneplacitum deputandi, et constituendi; item in singulis Terris et Locis praedictis unum aut plures Presyteros cum facultate impertiendi Fidelibus in mortis articulo constitutis Benedictionem Apostolica auctoritate cum Indulgentia Plenaria, ad formam nostrae Constitutionis, quae incipit *Pia Mater*, deputandi; aliaque omnia et singula, praeterquam in beneficiorum Collationibus, et Concionatorum deputationibus, de quibus infra statuemus, faciendi et exercendi, sive per se, sive per suum Vicarium Generalem, aliosve a se deputatos, non solum quae modernus et pro tempore existens Praepositus, si is Ordinariam jurisdictionem in praedicta Loca, et Personas, actu exerceret; sed etiam quae ipse Comaclensis Episcopus, si eadem Loca ad ipsius Dioecesim spectare judicatum foret, jure Ordinario, ac etiam, vigore Decretorum Concilii Tridentini, Delegato, et ratione jurisdictionis etiam voluntariae, ac etiam in vim peculiarum Indultorum sibi, intuitu praedictae suae Comaclensis Ecclesiae, ab hac Apostolica Sede concessorum facere et exercere posset, quaeque etiam, pro tuenda Catholicae Fidei, et Divini cultus puritate, ac morum et disciplinae integritate, et pro promovenda animarum salute, curare et praestare deberet, non solum circa

praemissa, sed etiam circa alia, quae magis specialem et expressam commissionem exigerent; et cum facultate substituendi, in casu absentiae ipsius Episcopi a sua Comaclensi Civitate et Dioecesi, seu alterius necessitatis causa, cum simili, vel limitata facultate.

§. 5. Praeterea eidem Comaclensi Episcopo, tamquam Nostro, dictaeque Apostolicae Sedis Vicario, ut praefertur, ibidem in Spiritualibus constituto, Sacramentum Confirmationis in dictis Locis administrandi, seu personis eorumdem Locorum, etiam in Comaclensi Civitate, aliisve Dioecesis suae Locis, conferendi; nec non personas eorumdem Locorum, tam Saeculares, quam Regulares, a suis etiam Synodalibus Examinatoribus, etiam in dicta Civitate Comaclensi, arbitrio suo, ut praefertur, examinatas et idoneas repertas, aliisque servatis de jure servandis, ad Clericalem Tonsuram, et omnes, etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines, tam in dicta Civitate, quam in aliis Dioecesis suae, nec non praedicti tractus Locis, promovendi; seu easdem personas, per suas Dimissorias Literas, ad alios Episcopos, iisdem Tonsura, et Ordinibus initiandas, dirigendi; iisque sic promotis, ministrandi, et celebrandi licentiam, et arbitrio suo duraturam, concedendi; Item consecrandi Ecclesias dictorum Locorum, et Altaria inibi existentia, nec non Calices et Patenas, ac benedicendi Campanas, easdemque Ecclesias pollutas reconciliandi; aliaque Pontificalia munia ibidem exercendi; ac Populo benedicendi, et consuetas Indulgentias concedendi: nec non sacrarum supellectilium, aliasque benedictiones, in quibus sacra Unctio non requiritur, simplicibus Presbyteris delegandi, facultatem, et auctoritatem, earumdem praesentium Literarum tenore concedimus, et impertimur.

§. 6. Quod vero spectat ad Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura, nihil volumus innovari; sed illorum collationem et provisionem, atque ad ea nominationem, et praesentationem, nec non Vicariorum Curatorum deputationem, ac respective approbationem, et institutionem, eodem jure deinceps, et per easdem respective Personas fieri debere statuimus, a quibus illas ad hunc diem factas fuisse dignoscitur. Item Concionatorum Verbi Dei electionem pro Ecclesiis in dicto tractu existentibus ad Praepositum, ut antea, spectare; ipsos vero Concionatores electos, antequam ministerium sibi demandatum aggrediantur, personaliter se coram Vicario Apostolico praesentare, et ab eo Benedictionem petere debere volumus et decernimus.

§. 7. Hanc autem providentiam a Nobis captam, et Vicariatus Apostolici hujusmodi institutionem, ejusque formam, nisi aliter Nobis et Successoribus nostris placuerit, eo usque durare debere statuimus, donec controversia principalis super pertinentia Ordinariae Spiritualis Jurisdictionis in praedicta Loca, eorumque Clerum et Populum, decisa, ac terminata, seu alias extincta fuerit. Quapropter simili motu et auctoritate decernimus, praemissam deputationem, omnesque et singulas facultates superius concessas, praedicta controversia pendente, ac beneplacito hujusmodi durante, ad futuros etiam Comaclenses Episcopos dicti moderni Episcopi successores, ipso facto, et praesentium Literarum vigore, transire; ac etiam, dicta Comaclensi Episcopali Sede vacante, easdem facultates ab ipsius Ecclesiae Vicario Capitulari pro tempore deputando, quatenus tamen a Vicariis Capitularibus hujusmodi Dioecesibus Pastoris solatio destitutis exerceri possunt, ac solent, simili auctoritate Apostolica, in praedicta Loca, eorumque Habitatores, exerceri posse, ac etiam debere statuimus.

§. 8. Volumus autem, ut tam modernus Comaclensis Episcopus, ejusque Successores praedicti, quam etiam Vicarii Capitulares hujusmodi, in singulis actibus, quos circa res et personas dictorum Locorum praesentium literarum nostrarum auctoritate, ab ipsis fieri contigerit, expresse declarare debeant, sub poena nullitatis hujusmodi actuum, se, tamquam Apostolicae Sedis Vicarios in ipsis procedere. Decernentes, per haec a Nobis statuta nullum omnino prajudicium quibuscumque juribus dictarum Partium, tam scilicet dicti moderni et pro tempore existentis Praepositi, Ordinariam spiritualem in praedicta Loca jurisdictionem, seu forsan magis amplam et liberam in praemissorum Vicariorum et Concionatorum deputatione, aliisve praemissis, facultatem sibi competere asserentis, quam etiam ejusdem moderni et pro tempore existentis Episcopi Comaclensis, jus sibi esse contendentis eadem Loca et Homines propria sua Ordinaria auctoritate in spiritualibus regendi et guber-

nandi, seu forsan dictos Vicarios Curatos, atque Concionatores eligendi, aut Beneficia conferendi, aliaque praemissa, seu eorum aliqua, etiam pendente controversia hujusmodi, gerendi et exercendi; ac aliorum quorumcumque in praemissis, seu eorum aliquo, interesse habentium, sive in petitorio, sive in possessorio, inferri et irrogari, seu illatum umquam et irrogatum censeri posse; sed eadem jura in eodem omnino statu remanere, in quo ante praesentem providentiam nostram reperiebantur; Ipsasque praesentes Literas, et in eis statuta hujusmodi, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo, jus aut interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet, cujusvis status, ordinis, praeeminentiae, et Ecclesiasticae, aut Mundanae Dignitatis existant, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec eorum aliquos ad ea vocatos, vel etiam nullo modo, aut non satis auditos, dici, aut praetendi possit, aut ex alia qualibet etiam juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo subreptionis, aut obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed, tamquam ex officii nostri debito, ad promovendam animarum salutem, et spiritualem Fidelium in praemissis Locis degentium utilitatem, et ad graves ac perniciosos abusus removendos, seu praecavendos, ut praefertur, ac dictis motu, et auctoritatis plenitudine factas et emanatas, omnimoda firmitate validas et efficaces existere et fore, et tam eidem moderno Episcopo Comaclensi, ejusque successoribus, nec non Vicariis Capitularibus praedictis, quoad exercitium hujusmodi Vicariatus Apostolici, et facultatum superius concessarum, quam etiam aliis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; ac respective ab omnibus, quos concernunt, seu concernent in futurum, in omnibus, et per omnia observari; Sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et quacumque etiam Apostolica auctoritate Delegatos, et S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosque quoslibet, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quocirca omnibus et singulis tam Ecclesiasticis, quam Laicis personis in dicto Regionis tractu commorantibus, aliisque ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in virtute sanctae obedientiae, dictaque auctoritate, et praesentium tenore, praecipimus et mandamus, ut praefatum modernum Episcopum Comaclensem, ejusque successores Episcopos, ac etiam Vicarios Capitulares praedictos, in nostros et Apostolicae Sedis Vicarios, durante Vicariatu, deputatione, ac beneplacito praedictis, pro tempore recognoscant, et ad praemissarum facultatum, ejusdemque Vicariatus Officii liberum exercitium, recipiant et admittant; ac illi, et illis, in omnibus, quae ad idem Officium pertinent, debitam subjectionem et observantiam exhibeant; alioquin sententias et poenas, quas rite tulerint, et statuerint in rebelles, ratas habebimus, et hujus Apostolicae Sedis auctoritate, faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

§. 10. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, seu Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus, Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus; nec non quibusvis, etiam Apostolicae Sedis scientia et tolerantia, vel ejusdem temporali provisione inductis, aut etiam expressa confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, aut Literis Apostolicis praedictae Ecclesiae Comaclensi, ac Praeposituraе S. Mariae de Pomposia, ejusdemque Monasterio, aut quibuscumque personis, quacumque Ecclesiastica, aut Mundana Dignitate fulgentibus, etiam specifica et individua mentione dignis, sub quibuscumque formis et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, in contrarium praemissorum concessis, et emanatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas, causas, et occa-

siones, eisdem praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hic inserti forent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum, plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Martii 1752. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

NUM. V.

DE RITU, ET USU

Cerearum Formarum, quae benedici, et consecrari solent a Romano Pontifice.

Formula impressa de mandato Sanctissimi Domini Nostri, Anno MDCCLII.

Pervetustus in Ecclesia Romana ritus est ille, quo Summi Pontifices benedicere, et consecrare solent Cereas Formas, quae *Agnus Dei* vulgo appellantur. In Ordine Romano, qui Eruditorum judicio antiquior est Seculo octavo, innuitur praefatus Ritus; In Caeremoniali vero ejusdem Romanae Ecclesiae designantur materia, forma, et preces in hujusmodi consecratione adhibendae, quae sacras continent, mysticasque significationes.

Conficiuntur hi *Agnus Dei* ex Cera alba, pura, virginea, quo Humana denotatur natura a Christo, virtute Divina, sine ulla mixtione, aut contagione culpae, in purissimo Mariae Virginis utero assumpta. Agni imago in illis imprimitur, Agni illius immaculati symbolum, qui pro humana reparatione in Ara Crucis immolatus est. Adhibetur Aqua benedicta, quo nimirum elemento, cum in veteri, tum in novo Foedere, praeclara Sacramenta, et prodigia a Deo effecta sunt. Miscetur in ea Balsamum, quo bonus Christi odor significetur, quem in omni actu, et conversatione redolere debent Christifideles. Superinfunditur Chrisma, quo res aliae Divino cultui specialiter addictae, veluti Templa, Altaria, Sacerdotes, praeparari solent, ac consecrari, atque in eo praestantissima virtutum omnium Charitas figuratur.

In Aqua igitur prius benedicta, ac Balsamo, et Chrismate mixta, Cerei illi *Agnus Dei* immerguntur, et Summus Pontifex tam ante, quam post mersionem, sanctissimis precibus Deum exorat, ut eas Formas benedicere, sanctificare, et consecrare dignetur, iisque tantam impertiat virtutem, ut quicumque recta fide, ac vera pietate iisdem usus fuerit, haec dona, ac beneficia consequatur.

I. Ut aspectu, vel contactu Agni in cereis illis formis impressi, excitentur Fideles ad memoranda sub eo symbolo Redemptionis nostrae mysteria, conceptisque grati animi sensibus, Divinam in nos bonitatem benedicant, venerentur, ac diligant; fidentes fore, ut per eam, peccatorum veniam obtineant, et maculas omnes abstergant.

II. Ut ad vivificae Crucis signum in iisdem Cereis impressum maligni Spiritus contremiscant, et fugiant, facessant grandines, subsidant venti, dissipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura, et tempestates.

III. Ut Divinae benedictionis virtute, non praevaleant diabolicae fraudes, insidiae, et tentationes.

IV. Ut Parturientes cum foetu incolumes serventur, eumque feliciter in lucem emittant.

V. Ut iisdem devote utenti nulla dominetur adversitas, nulla noceat pestilentia, aerisve corruptio, nullus comitialis morbus eum corripiat; nulla maris tempestas, nullam incendium, nulla inundatio, nulla adversus eum praevaleat malignitas.

VI. Ut in prosperis, adversisque casibus Divina protectione muniatur; ab humanis vel diabolicis insidiis, a subitanea, et improvisa morte, a cunctis denique malis, et periculis liberetur, per Vitae, ac Passionis JESU CHRISTI mysteria.

Mirabiles hujus Sacri virtutes explicatae jam olim fuerunt, atque his versibus comprehensae.

Pellitur hoc signo tentatio Daemonis atri,
Et pietas animo surgit, abitque tepor.
Hoc aconita fugat, subitaeque pericula mortis,
Hoc et ab insidiis vindice, tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne saeva tonitrua laedant,
Ne mala tempestas obruat, istud habe.
Undarum discrimen idem propulsat, et ignis,
Ullaque ne noceat vis inimica valet.
Hoc facilem partum tribuente, puerpera foetum
Incolumen mundo proferet, atque Deo.
Unde, rogas, uni tam magna potentia signo?
Ex Agni meritis, haud aliunde fluit.

Quae quidem beneficia, et gratiarum dona a bonorum omnium Largitore Deo Fidelibus tribui ac concedi, virtute hisce Sacris Cereis communicata per benedictionem, ac precationes in primis, quas Christi Vicarius Romanus Pontifex universae Ecclesiae nomine in eorum consecratione fundere solet, res est firmiter omnino credenda, ac variis, eximiisque miraculis saepissime confirmata. Quod si optatus non semper obtineatur effectus, id non defectui virtutis rei sacrae, sed vel infirmae exiguaeque utentium Fidei ac Devotioni, vel alteri occultae causae Deo compertae ac probatae, tribuendum est.

SUPPLEMENTUM

LITERARUM APOSTOLICARUM

PRIORIBUS ANNIS EDITARUM,

Quae in Voluminibus I. et II. inserendae erant.

NUM. I.

Warmiensi et Sambiensi conceditur usus Pallii, et jus praeferendae Crucis, more Archiepiscoporum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, a coelesti Sponso Pastorum Principe JESU CHRISTO, cujus vices plane immerentes Nos in terris gerimus, supremum auctoritatis dignitatisque principatum supra universum Terrarum Orbem sibi uni attributum, ita cum aliarum Ecclesiarum Pastoribus participavit, ut modo uni, modo alteri, pro meritis, ac locorum, temporum, personarumque conditionibus, et auctoritatis, et dignitatis decora, atque officia, opportune ad Divini honoris gloriam augendam, populorum necessitatibus providendum, et Catholicae Fidei Majestatem veritatemque constantissime in omnium animis confirmandam, distribuerit.

Sacri Pallii delatio, et Crucis elevatio, quid importent. §. 1. Inter tot autem praecipua, quae Antistitibus interdum conferri solebant, insignia, duo numerantur, et gestandi Pallii, et praeferendi Sanctissimae Crucis Signi honor. Et Pallium quidem, quod ex Lana contextum, Ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit, inventamque humeris suis substulit, pellem significat, ut Episcopus, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungatur, atque etiam ipso habitu illud omnibus ostendat, se boni, ac Magni illius Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates ferendas sibi proposuit, nisi exigentibus causarum meritis, juxta priscam consuetudinem, et fortiter postulantibus, non dabatur. Crucis vero praeferendae mos, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, quibus supremam super omnes Ecclesiasticorum Virorum ordines Jurisdictionem ac potestatem habentibus Crux praeferebatur, primum ad eorumdem Legatos, deinde ad alios Antistites deductus est, ut considerantes diligenter, quod in Cruce Domini nostri JESU Christi eos oporteat gloriari, Crucis mortificationem jugiter in suis corporibus debeant pro divini Nominis amore portare.

Episcopi Oratoris instantia. §. 2. Haec secum recolens Venerabilis Frater Adamus Stanislaus Warmiensis et Sambiensis Episcopus, ac reputans, non leve populis suae pastorali curae commissis, qui undique ab haereticis circumdantur, futurum incitamentum, si ipsum modernum et pro tempore existentem Warmiae et Sambiae Episcopum, aut in Solemnitatibus, juxta canonicas praescriptiones cum Pallio celebrantem, aut cum Sanctissimae Crucis Signo ante eumdem delato iter agentem aspicerent, ut et majorem Sacris Mysteriis venerationem deferant, et Episcopali Dignitati majorem exhibeant reventiam; ea propter Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Conceditur usus Pallii, et jus praeferendae Crucis. §. 3. Nos igitur eumdem Adamum Stanislaum Episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad ef-

fectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus, aliorumque de hac Apostolica Sede bene mereri pergentium nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et attentis praemissis, ac praesertim quod Warmiensis, et Sambiensis Episcopus Sacri Romani Imperii Princeps sit, et Warmiensis et Sambiensis Ecclesiae invicem perpetuo Canonicae unitae Sedi Apostolicae praedictae immediate subjectae existant; Ipsi Adamo Stanislao moderno, ac pro tempore existenti Episcopo Warmiensi et Sambiensi usum Pallii in Solemnitatibus per Sacros Canones praescriptis celebrandis, et Crucis ante se praeferendae per Warmiensem et Sambiensem Civitates et Dioeceses dumtaxat, et non alibi omnino, sive in alienis Dioecesibus, sive in Regni, et Sacri Romani Imperii praefati Comitiis, sive in quibuscumque aliis locis Episcopo praefato non subjectis, nec etiam de Ordinarii licentia; nec etiam in Civitatibus, et Dioecesibus Warmiensi et Sambiensi, praesentibus, vel quolibet Dilecto Filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, vel quolibet Nostro, et ejusdem Sedis ordinario, vel extraordinario Legato, aut Nuncio; sub gratiae, et concessionis hujusmodi nullitate, aliisque ad nostrum et Sedis praefatae arbitrium moderandis, et infligendis poenis; et dummodo, quoad Pallium, tam dictus Adamus Stanislaus Episcopus, quam quoties ipsum, et Episcopum hujusmodi pro tempore existentem, viam universae carnis ingredi contigerit, ipse Adamus Stanislaus, et toties novus Episcopus illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure, vel consuetudine servandis, postulaverit, et de Corpore Sancti Petri Apostolorum Principis sumptum a Romano pro tempore existente Pontifice, juxta praescriptas Sanctiones acceperit, et omnia, quae cum Archiepiscopis Pallia traduntur, servari solita sunt, omnino serventur; auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus.

Cum opportunis limitationibus.

Pallium singulis vicibus, de more postulari, et recipi debet.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis praefatae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet qualiter aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae pro perpetua indolis firmitate.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, nec non Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

Dat. die 21. Aprilis 1742

NUM. II.

UT EQUITES PROFESSI

Militiae Hospitalis Sancti Joannis Jerosolimitani ad Episcopatum, aut ad Cardinalitiam dignitatem evecti, Crucem Octogonam ex Tela alba, tamquam habitum suae Religionis proprium, exterioribus vestibus assutam gestare valeant.

Dilecto Filio Nostro Joachimo Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Card. Portocarrero nuncupato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Biennium cum dimidio circiter elapsum est, ex quo Nobis exposuisti, te Jerosolymitanae

Quaestio, et instantia a R. P. Porto-

ero tunc iarcha iocheno osita.

Militiae Professum Equitem esse, et Magna ejusdem Ordinis Cruce insignitum, deinde Sacris Ordinibus initiatum; et a fel. rec. Praedecessore Nostro Clemente Papa XII. inter Praesules adscitum, et ad Patriarchatum Ecclesiae Antiochenae promotum fuisse: In ea autem opinione te versari, ut Crucem Octogonam ex tela alba, quae Equitum Jerosolymitanorum propria est, gestare posses, non quidem, uti consueveras, Mantellettae assutam, atque ita a superiore Mozzetta contectam, sed ipsi Mozzettae, sive Exomidi, cujus usum san. mem. Benedictus Papa XIII. Patriarchis etiam in Urbe concessit, hominum aspectui magis expositam deferre. Optares autem, ut hac de re sententiam nostram tibi aperiremus, simulque facultatem ad id exequendum tibi impertiremur quoniam aliquot jam annis post adeptam Patriarchalem dignitatem, praedictam Crucem Mantellettae dumtaxat assutam gestaveras. Te autem meminisse arbitramur, Nos ea de re responsum nullum tunc tibi dedisse, sumpto nimirum tempore ad rem prius accurato studio perpendendam.

§. 1. Ea vero examinata ac discussa jam tunc opinionem tuam minime incongruam, aut a vero alienam reputavimus, quum Tu nimirum, utpote Jerosolymitanae Militiae Eques expresse Professus, vere Religiosus, et Frater sis: Religiosi vero tum Monachi, tum Mendicantes, quos Fratres appellant, etiam quum ad Episcopatum evecti sunt, Habitum proprii Ordinis deferre palam teneantur; Crux autem octogona ex tela alba, quam tu Mozzettae visibilem superimponere in animo habebas, verus sit habitus Fratrum Professorum Militiae Equestris Sancti Joannis.

quites Jesolymitani eris Regutribus et atribus admeantur.

§. 2. Et quidem nullo modo dubitandum nobis visum est, quin tibi, tamquam Equiti in Ordine Jerosolymitano expresse Professo, veri Religiosi, et Fratris qualitas conveniret, adeoque conveniat; quum et in Professione tria solemnia, Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae vota emiseris; et haec sit vera, et communis opinio Auctorum, et Tribunalium, etiam Romanae Curiae, ut videre licet apud *Escannum in Propugnaculo Jerosolymitano disquis.* 6. *cap.* 2. Nec ullius momenti est, quod asserunt nonnulli, haud posse Religiosum et Fratrem appellari eum, qui ex Instituti sui lege, arma tractare, et bella gerere debeat; Siquidem *S. Thomas* 2. 2. *quaest.* 188. *art.* 3. aperte docet, Religiosae vitae statui minime contrarium esse Institutum, quo addicantur homines ad belligerandum pro cultus Divini popugnatione, pro publicae salutis, et Pauperum, ac oppressorum defensione; cujusmodi est Jerosolymitanae Militiae institutum, ut optime nosti, et ut Nos ipsi significavimus *in nostro Opere de Canoniz. Sanctor. lib.* 3. *cap.* 36. *num.* 16. cujus Operis mentionem libenter facimus tecum, cui familiarem et gratam illius lectionem esse novimus.

Monachi et Fratres ad Episcopatum evecti Habitum sui Ordinis visibiliter deferre teneantur.

§. 3. Quod autem Monachi, atque ii, qui Fratres appellantur, etiam quum ad Episcopatum evecti sunt, propriae Religionis habitum palam deferre teneantur, id extra controversiam omnino est, ex quo ita decrevit Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. *Canone* 16. relato *in Cap. Clerici officia, de vita et honest. Clericor.* Quam in rem cum Nos alias plura collegimus et adduximus *in citato Opere nostro de Canonizat. Sanctor. lib.* 3. *cap.* 35. *n.* 11. *et seqq.*, tum vero hac occasione alia quaedam vidimus, quae utiliter legi possunt, apud *P. Mabillon. in Praefatione secunda ad saeculum quartum cap.* 7. ubi ostendit hanc disciplinam jam usque a quinto saeculo obtinuisse. Soli autem Clerici Regulares, et Canonici Regulares, ad Episcopatum promoti, Vestes induunt iis omnino similes, quibus utuntur alii Episcopi e Clero saeculari assumpti; et illi quidem, propterea quod eorum Ordinum habitus idem revera est cum habitu Presbyterorum saecularium; hi autem, quia peculiare Privilegium hac de re habent, a Praedecessore nostro Leone Papa X. sibi concessum, habita ratione Rocchetti, cujus usum habent, quodque indumentum est Clericorum Saecularium; quemadmodum expressum legitur in dicti Pontificis *Constit.* 34. *in Bullario Romano*, quam Collectores tam Bullarii Canonicorum Lateranensium, quam alterius Canonicorum SS. Salvatoris, referre non omiserunt.

Habitus Militiae Jerosolymitanae est Crux octogona ex tela alba.

§. 4. Quod denique Crux octogona visibilis ex albo linteo, verus sit Habitus Equitum, et Fratrum Professorum Jerosolymitanae Militiae, id satis exploratum est tibi, qui Ordinis tui leges, et instituta plane calles. Verum ut intelligas, nos quoque hujusmodi materiam diligenter examinasse, noveris Nos etiam illorum opinionem, tamquam longe a vero aberrantem, rejicere, qui putant, parvam ex auro Crucem a pectore pendentem, Habitum esse Fratrum vestri Ordinis Professorum. Sane Raymundus

de Podio, qui primus Jerosolymitanae Militiae Magister numeratur, voluit ab Equitibus suis nigri coloris vestem seu Pallium gestari, cui alba Crux e tela superius assuta esset. Sed quum id Equitibus militaturis parum aptum re ipsa inventum fuisset, eorum Habitus deinde redactus fuit ad Crucem octogonam, in octo nimirum apices desinentem, facta ipsis libertate de caetero communibus vestibus, decentibus tamen, et a sacculi pompa alienis, utendi. Quoniam vero procedentibus temporibus albae linteae Crucis usus ab aliquibus relictus fuerat, ejusque loco aurea Crux candido encausto obducta pectori appensa deferebatur; hujusce Crucis usus a Magno Militiae Magistro Senglaeo nuncupato Equitibus vetitus fuit. Quantumvis autem prohibitio haec usu recepta non fuerit, id tamen satis est ad ostendendum, non auream illam Crucem, sed aliam ex albo linteo confectam, verum esse Habitum Equitum Professorum Jerosolymitanae Militiae. Quam in rem non tantum consulendum nobis esse duximus Compendium Alphabeticum Statutorum vestri Ordinis *in verbo: Habitus;* verum etiam ipsum textum Statutorum ibi citatum; ac praeterea vestrum Michalef *in suis manuscriptis, verbo: Crux aurea, et verbo: Habitus*, nec non auctorem Instructionum de praecipuis Officiis Equitum Jerosolymitanorum, quae ex Gallico idiomate in Italicum conversae habentur, *Cap. undecimo*.

Non incongruum erit, eam Episcopalibus Vestibus additam conspici.

§. 5. Nihil autem ea nos cogitatio movit, quod in posterum futurum esset, ut complures Episcopi Militarium Ordinum insignia gestare conspicerentur: Etenim, si de Equitibus in Ordine Jerosolymitano Professis loquamur, praeterquam quod nec multi sunt, nec multi probabiliter esse possunt, qui ex ejusmodi statu ad Episcopatum assumantur; si etiam plures essent, nil aliud hac in re eveniret, quam id quod sine ulla cujusquam admiratione accidit, quum non unus, sed plures Episcopi Monachorum Cassinensium habitum deferre conspiciuntur, propterea quod in eo Ordine Professi fuerunt; non unus, sed plures Episcopi, Fratrum Minorum, aut Praedicatorum Habitu induti procedunt, quoniam in illis antea Ordinibus Professionem emiserunt.

Idque in exemplum trahi non poterit pro aliis Ordinibus Militaribus.

§. 6. Si vero de aliis aliorum Equestrum Ordinum Professoribus agatur, horum sane ratio valde discrepat a praesentis quaestionis subjecto. Sacri Canones, qui habitum Regularem ab aliquibus Episcopis deferendum statuunt, de Monachis loquuntur. Haec disciplina deinde ad Mendicantium Ordinum Fratres extensa fuit; et quamvis inter Fratres Minores nonnemo fuerit, qui eam consulto evertere studuerit, vicit tamen sanior pars Canonicis Statutis adhaerens, ut videre est apud *Thomassinum de Beneficiis part. 3. lib. 2. cap. 50. n. 6.;* quum nempe nimis evidens visum fuerit, nullo intercedente discrimine, quod pertinet ad Vota substantialia, inter Monachorum et Fratrum Professionem, eamdem Canonis Legem ad omnes Professos, sive Monachos, sive Fratres, aeque pertinere. His positis, conferantur jam Equites in Ordine Jerosolymitano Professi cum aliorum Equestrium Ordinum Professoribus; ac videatur, utrum illorum magis quam istorum Professio, quod pertinet ad Vota substantialia, ad Monachorum et Fratrum Professionem accedat. Illi quidem, ut supra dictum est, veri nominis Religiosi stricto jure habentur; aliorum autem Equestrium Ordinum Professores ab aliquibus Religiosi vocantur, ab aliis nequaquam; quique etiam illos Religiosos appellant, non stricto jure loqui se profitentur. Solemne Castitatis Votum, quod Jerosolymitani emittunt, plenum est et absolutum; adeo ut, quemadmodum per alias Professiones, quae a Monachis et Fratribus fiunt, dissolvitur Matrimonium ratum et non consummatum, irritatur vero illud, quod quis post Professionem contrahere praesumat; eodem plane jure censeatur Professio Ordinis Jerosolymitani. At non idem obtinet, ubi agitur de Professionibus in aliis Ordinibus Militaribus emissis; ubi nempe Votum Castitatis non absolutum est, sed ad Castitatem Conjugalem ut plurimum, aut ad prohibitionem alterarum nuptiarum redigitur; uti apposite ratiocinando observant Mendus *de Ordinibus Militaribus disquisit. 5. quaest. 3. num. 17.* Pontius *de Matrim. lib. 9. cap. 7.* Cardinalis de Laurea *tom. 3. in 4. lib. Sentent. disput. 16. art. 13. num. 292. et seqq.* Clericatus *de Sacram. Matrim. decis. 13. num. 17.* Hinc porro est, quod data Jerosolymitanis Equitibus Professis facultate, quae nunc ipsis tribuitur; non inde quis recte colligeret, pari ratione agendum esse cum aliorum Equestrium Ordinum Professoribus; et sicuti nunc illis permittitur, ut ad Episcopatum promoti Crucem octogonam ex alba tela conspicuam deferant, ita deinceps aliis aliarum Mi-

litiarum Equitibus Professis permitti debere, ut proprias eorum Ordinum Cruces, seu Insignia, visibiliter gestare valeant. Hoc vero illud esset, quod absurdi speciem, illorum sententia, praeseferret.

er dilatum
mo re-
nsum
nc deni-
e redda-
r.

§. 7. Nunc autem a Nobis exquirere videris, cur, postquam quaestionis a te propositae rationes omnes satis expendimus, non statim responsum nostrum tibi reddiderimus, adjecta facultate gestandi linteam Crucem octogonam, assutam Mozzettae, qua tunc, uti Patriarcha, utebaris. Nos autem ingenue fatebimur, ideo tunc temporis rem distulisse, quia in animo habentes Te inter hujus S. R. E. Cardinales in proxima Promotione cooptare, nihil necesse reputavimus eam tibi facultatem impertiri, qua nonnisi paucis mensibus usurus fuisses. Si autem ulterius requiras, cur, elapso jam biennio, ex quo in Cardinalium Collegium adscitus es, usque adhuc mentem nostram tibi non aperuerimus super eo, an liceat, nec ne, Crucem octogonam albi coloris Cardinalitiae Mozzettae superimponere, quoniam una est hujusmodi indumenti ratio, sive a Patriarchis, sive a Cardinalibus deferatur, Nos etiam exsequendo respondebimus, silentii nostri culpam adscribendam esse modestiae tuae; qui, licet toto hoc tempore frequentes ad Nos aditus habueris, de hac re nunquam Nos appellasti, dum Nobis interea multis arduisque negotiis occupatam oppressamque mentem gerentibus, vetus instantia tua memoria exciderat. Neque vero hanc iterum per Nos ad examen revocari, ac definiri forsan contigisset, nisi duae res intervenissent, quas Tibi jam exponemus.

Episcopus
lelitensis
candidam
rucem Epi-
opalibus
estibus ex-
rius assu-
em, etiam
unae de-
ert.

§. 8. Harum prima est, quod praeteritis mensibus Venerabilis Frater Episcopus Melitensis Romam advenit, qui pluries ad audientiam nostram se contulit, albam octogonam Crucem, non quidem Mozzettae, quemadmodum Melitae ab ipso factitari novimus, (nec enim Episcopis, praeterquam Patriarchis, licitum est in Urbe Mozzettam induere), sed Mantellettae patenter assutam deferens. Episcopus autem Melitensis, ut nosti, Religiosus Professus est Militiae Jerosolymitanae; cumque ab ordine et statu Fatris Cappellani, ut vocant, ad Melitensem Episcopatum assumitur, gradum et qualitatem Procerum Magnae Crucis in Religionibus obtinet. Neque vero hic, de quo agimus, primus est Melitensium Episcoporum, qui Romam advenerit, quique ea ratione, eoque habitu se conspiciendum praebuerit. Alios Nos ipsi, dum in minoribus versabamur, in Urbe vidimus, octogonam Crucem deferentes, non secus ac praesens Episcopus defert. Et quidem memoria retinemus, a bon. mem. Praesule Gambaruccio Pontificiarum Caeremoniarum Praefecto tunc existente, in controversiam revocatum fuisse, an Episcopo Melitae, qui tunc Romam advenerat, permittenda esset hujusmodi Crucis delatio; quam quidem illi competere putabat in Insula Melitae, sed non item in Urbe: Sed quum eidem expositum fuisset, primo, ita semper anteactis temporibus fieri consuevisse, deinde Melitenses Episcopos omnes, Ordinis Jerosolymitani Professos esse, ideoque propriae Religionis Habitum per eosdem, licet Episcopos, deferri oportere, denique Habitum Fratrum Professorum S. Joannis, ipsam esse albam octogonam Crucem; meminimus eum ab objecto destitisse, remque integram in suo statu reliquisse; liberam scilicet Melitensi Episcopo facultatem sinendo, ut Jerosolymitani Ordinis Crucem Romae conspicuam gestaret.

Rubrica Caeremonialis Episcoporum ad terminos inveteratae consuetudinis reducitur.

§. 9. Quamvis autem in Caeremoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 1. habeatur, quod Presbyteri S. Spiritus, ac Militiarum S. Joannis, S. Jacobi, aliarumque, ad Episcopatum promoti, *sui Ordinis insignia in vestibus non deferunt, sed ejusdem Ordinis Crucem ad collum intus pendentem;* magis tamen valere debere censuit antiquam praecedentem consuetudinem, quae Melitensibus Episcopis favebat, quaeque etiam post Caeremonialis editionem continuata fuerat. Accedit etiam, quod relata Caeremonialis Lex ei forsan opinioni innixa fuit, quae apud complures obtinebat, videlicet auream Crucem encausto obductam a collo pendentem, Professorum Equitum S. Joannis Habitum esse; quod tamen a vero alienum est; quum sola octogona Crux ex alba tela, sicut ante diximus, Religiosum Habitum praedictorum Equitum revera constituat.

Episcopus Meliteo. Crucem iden vestibus assuit, quia Ordinis Jerosol. Professus.

§. 10. Itaque Melitensis Episcopus Crucem octogonam Mozzettae adsutam Melitae gerit, ubi Mozzettae delatio ipsi competit: In Urbe vero, ubi Mozzettae usum non habet, Talarem Vestem, et Mantellettam eadem Cruce distinctas visibiliter defert. Neque vero id agit, tamquam Episcopus Melitensis; alioquin Crucem deponere deberet, quoties ipsum ad aliam Ecclesiam transferri contingeret; eodem plane

modo, quo Archiepiscopus ad Episcopalem Ecclesiam translatus, Pallium, quo antea tamquam Archiepiscopus utebatur, dimittere debet, juxta legem Textus *in Cap. ad supplicationem, de renunciat.* Porro Episcopus quondam Melitensis, Molina nuncupatus, anno 1681. ad Leridensem Ecclesiam translatus fuit, ut habetur *in Tom.* 2. *Siciliae sacrae, Panormi impressae anno* 1733. *pag.* 920., eumque constat in Episcopatu Leridensi octogonam Crucem semper gestasse; ideoque dici nequit Episcopum Melitensem ab ipso Melitensi Episcopatu id habere, ut Crucem octogonam deferat. Eam igitur idcirco defert, quia Ordinis Jerosolymitani Professus est; cumque talis etiam perseveret, quantumvis a Melitensi Episcopatu ad aliam Ecclesiam transferatur, hinc est, quod Crucem in alterius etiam Ecclesiae regimine defert. Ejusmodi vero Crucem Melitae quidem supra Mozzettam, Romae autem supra Mantellettam patenter deferens, Canonicam legem adimplet, qua licet Episcopus, jubetur Habitum Professorum Religiosi Instituti sui visibiliter gestare. Tu itaque, Dilecte Fili noster, quum ejusdem Ordinis Eques Professus existas, Habitum Professorum proprium, licet inter Cardinales S. R. E. cooptatus, deferre debes, octogonam scilicet Crucem supra Mozzettam, cujus usu et in Urbe et extra illam potiris; nec enim dignitas Cardinalatus ab hac obligatione te eximit; quemadmodum nec alios Cardinales ex Ordinibus Monasticis aut Mendicantibus assumptos a delatione habitus eorum Ordinis non absolvit; quod alias a Nobis ostensum est *in citato Opere de Canoniz. dicto l.* 3. *c.* 35. *num.* 11.

Monasticorum et Mendicantium Ordinum habitus proprio colore distinguitur.

§. 11. Si quis autem aliquid objiciendum censeret, ex eo desumptum, quod Cardinales in Ordinibus Monasticis aut Mendicantibus olim Professi Vestibus utuntur illius coloris, cujus est habitus proprii cujusque Ordinis; quod contra fit a te, qui purpureis vestibus perinde uteris, ac alii e Clero Saeculari Cardinales; solida quidem responsio in promptu esset: certa nimirum lege praescriptum esse, ut habitus Monachorum et Fratrum ex eo panno fiat, ejusque coloris sit, qui ab omnibus conspicitur. At vero Professorum Ordinis Jerosolymitani habitus in octogona Cruce unice consistit; sublata nimirum veteri obligatione deferendi Togam nigri coloris, eaque recepta lege, ut unusquisque Professus pro statu sui conditione indutus incedat, modo Crucem octogonam, ad quam Professorum habitus redactus est, continenter gerat.

II. Preces Religionis nomine Pontifici oblatae.

§. 12. Atque haec de prima circumstantia Nos impellente dicta sint. Altera est, quod ultima vice, qua Dilectus Filius Jerosolymitanae Militiae vestrae Orator ad audientiam nostram accessit, ejusdem Militiae universae nomine, demissas Nobis de hoc ipso obtulit preces; ac praeter ea, quae verbo exposuit, supplicem quoque Libellum scripto exaratum in eamdem sententiam Nobis reliquit.

Pontifici studium erga Ordinem Jerosolymit. et exempla, quae petitioni annuendum suadent.

§. 13. Et Nos quidem, ut Tibi optime perspectum est, benevolentia ac studio erga inclytum Ordinem vestrum, nemini Praedecessorum nostrorum concedimus; ac Jerosolymitanam Militiam tamquam validissimum Christianae Reipublicae propugnaculum, atque firmissimum tutissimumque communis salutis praesidium merito reputamus. Sed sepositio parumper benevolentiae nostrae affectu, id Nobis examinandum suscepimus, an ad intrinsecas rationes superius explicatas, extrinsecae praeterea adjungi possent, cujusmodi ab exemplis et factis desumi consueverunt.

Card. de Aubusson M. Militiae Magister Crucem vestibus Cardinalitiis superimpositam detulit.

§. 14. Petrus de Aubusson Jerosolymitanae Militiae Magnus Magister *anno* 1484. a Praedecessore nostro Innocentio Papa VIII. inter S. R. E. Cardinales cooptatus, supremum Ordinis Magisterium una cum Cardinalatu retinuit, nec umquam Romam accessit, ad Rhodum Insulam a Turcarum insidiis et impetu defendendam semper intentus. Hic anno 1503. e vita migravit, ejusque laudabilia gesta legi possunt, tum apud Episcopum de Attichy, in ejus opere inscripto: *Flores Historiae Cardinalium tom.* 2. *pag.* 416. *num.* 38., tum apud Ciacconium *tom.* 3. *pag.* 134. *et seqq.* Porro hic Crucem octogonam in Mozzetta gestavit, ut ex sequentibus patebit.

Idem factitatum fuit a M. Mag. de Verdala S. R. E. Cardinale.

§. 15. Romae mortuus est Levesquius de la Cassiere ejusdem Ordinis Magnus Magister; cumque Summus Pontifex Gregorius XIII. tres ad hujusmodi Magisterium nominasset, ex his Hugo Verdala in demortui locum subrogatus est. Hic deinde ab alio Praedecessore nostro Sixto Papa V. anno 1587. Romam evocatus, ibidem ad Cardinalatum evectus, aliquo tempore elapso, Melitam reversus est, Magni Magistri munus cum Cardinalatus dignitate simul retinens, et anno 1595. e vita decessit. Ephemerides, seu Diaria Pauli Alaleonii Pontificii

Caeremoniarum Magistri, *tom.* 1. *part.* 2. *pag.* 502. ritum exhibent, quo Biretum Cardinalitium eidem Verdalae, aliisque simul cum ipso promotis, a Pontifice traditum fuit; ubi ad rem nostram infrascripta verba leguntur: *Magnus Magister venit ad Consistorium, ad accipiendum Biretum rubrum cum veste nigra indutus, quam vocant* la veste de Ponta, *quem habitum portant praecipue quando se communicant, et cum Bireto Presbyterali nigro, et corona; et habito Bireto rubro, in Cameris Cardinalis de Montalto, relicta dicta veste, induit se more Cardinalium, portans Crucem albam magnam, juxta Ordinem suae Religionis, supra Mozzettam ante pectus tantum.* Id autem aliquibus admirationi fuisse oportet; cum a Cardinalibus contenderetur, nullius Ordinis insignia supra Purpuram eorum Collegii propriam gestari posse, adeoque praedictam Crucem a Verdala dimittendam esse; re in deliberationem et controversiam adducta, Jacobus Bosius tunc Jerosolymitani Ordinis negotiis gerendis Romae praepositus, veterem tabulam circumferendo, in qua picta erat imago supradicti Cardinalis de Aubusson, alba Cruce supra purpuream Mozzettam impressa; effecit, ut Cardinalium Collegium acquiesceret; et Cardinalis Verdala Crucem octogonam in Mozzetta semper retinuit. Rem totam, ut a Nobis exposita est, latius recenset Eques a Puteo in sua Historia Ordinis Jerosolymitani, *part.* 1. *lib.* 6. *pag.* 301. Idemque ex his, quae mox subjiciemus, plenius etiam comprobatur.

Numisma Cardinalis de Verdala Crucem exhibet in pectore patentem.

§. 16. Magno huic Magistro Verdalae multi adversarii, atque obtrectatores fuerunt; quorum fortasse accusationibus Pontifex permotus, opportunum judicavit, explorandae veritatis gratia, eumdem Romam accersere. Ut autem deinceps victoriam de malevolis a se reportatam significaret, acutum illi et lepidum dictum in familiari sermone solemne erat, quo cum Ferdinando Ozes Magistro Rationali de criminibus sibi impictis agens, usus fuisse narratur; se nimirum multis coloribus ab Adversariis Romae depictum, verumtamen purpureum Melitam rediisse. Insuper Numisma sibi cudi jussit, quod describit Ciacconius in ejus vita *Tom.* 4. *pag.* 185. in cujus antica parte ipsius imago erat, adjecto nomine, FRATER HUGO DE LOUBENX VARDALA CARDINALIS, in aversa vero Neptunus exhibebatur currui insidens cum hac Epigraphe: COLLECTASQUE FUGAT NUBES, SOLEMQUE REDUCIT; quae omnia ad superatos ab eo inimicorum conatus referuntur. Hoc Numisma, de quo Ciacconius agit, in manibus habuimus, et diligenter inspeximus; et quidem in postica parte, praeter Neptunum Currui insidentem, Solem praeterea vidimus, nubes ac procellas dissipantem: in anteriore autem, post verba a Ciacconio relata, sequentes siglas deprehendimus: M. M. PRINC. MEL. ET G.; videlicet *Magnus Magister Princeps Melitae et Gaudi*. Quod autem ad rem nostram praecipue pertinet, ejusdem Verdalae imaginem observavimus, Cardinalitio habitu, et Magna Cruce octogona supra Mozzettam pectori insculpta; quod nec ipse fieri mandasset, nec toleratum fuisset, nisi eidem confirmatum fuisset jus ejusmodi Crucis supra Mozzettam deferendae.

Praedicti Magni Magistri Crucem ideo gestarunt, quia Equites Professi erant.

§. 17. Duobus hisce exemplis magnopere permoti sumus, ut tibi etiam, Dilecte Fili noster, licitum judicaremus in Mozzetta Crucem gestare, quemadmodum antiquiores duo Equites Professi ejusdem Jerosolymitanae Militiae gestarunt. Neque enim putamus, in casu, de quo agitur, discrimen ullum inter te, et illos rationabiliter constitui posse, eo quod tu quidem Eques Professus Magnae Crucis, illi autem Equites Professi, et Magni ipsius Militiae Magistri essent. Etenim octogona Crux peculiare non est Magni Magisterii insigne; sed, ut jam pluries dictum fuit, habitus est proprius Equitum Professorum. Quod intelligi facile poterit ab his etiam, qui Constitutiones vestras ignorant, si observent, praefatum Alaleonium, dum habitum describit, quo indutus erat Magnus Magister Verdala post acceptum Biretum Cardinalitium, Magnam Crucem designare, non tanquam supremi ipsius Magisterii propriam; sed *juxta Ordinem suae Religionis:* Sacrum vero Cardinalium Collegium, quum ejusdem Crucis delationi supra Mozzettam se opponeret, ut etiam superius innuimus, eas potissimum leges in medium protulisse, quibus interdictum est, cujuscumque Ordinis insignia supra Purpuram Cardinalitiam apponere. Ita porro, quum san. mem. Praedecessor noster Benedictus Papa XIII. Cardinalem renunciasset Fr. Laurentium a S. Laurentio, qui Cardinalis Cozza nuncupatus est, quique tunc Minister Generalis erat Ordinis Minorum; cumque eodem tempore per suas Literas in forma Brevis datas *die* 19. *Decembris anni* 1726. statuisset, eumdem in Officio Ministri Generalis

perseverare: *Decernentes munus Ministri Generalis hujusmodi, ob tuam ad Cardinalatus dignitatem Promotionem factam, ut praefertur, durante nostro, et dictae Sedis beneplacito praefato, non cessare;* nemo fuit, qui illum, dum Cardinalis, et Minister Generalis simul fuit, idcirco S. Francisci Habitum retinuisse putaverit, quod supremum Ordinis Ministerium gereret; quum unicuique satis exploratum esset, hujusmodi Habitum ideo ab eo retineri, quia Frater erat expresse Professus Ordinis Sancti Francisci.

Pont. petitam facultatem indulget.

§. 18. Atque haec sunt, quae Nos, paucis horis ab assidua occupatione nostra subtractis, colligere potuimus, ut quaestioni a te jam pridem propositae responsum redderemus; et consentanee petitam a te, et a Religione tua, facultatem concederemus, ut tu videlicet Magnam Crucem octogonam ex alba tela supra Mozzettam gestares; quod Tibi per praesentes permittimus; Tibique, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. die 13. Octob. 1745.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 13. Octobris 1745. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

NUM. III.

SPONSIS CATHOLICIS,

Qui in Foederati Belgii regionibus, coram Civili Magistratu, aut Haeretico Ministro dumtaxat, mutuum consensum in Matrimonium de praesenti declararunt, quaelibet conjugalis consuetudo interdicta decernitur, donec Matrimonium ad formam Concilii Triden. rite celebraverint.

Dilecto Filio Paulo Simoni a Sancto Joseph, Carmelitae Excalceato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Recursus ad Sedem Apostolicam habitus, a Pontifice benigne excipitur.

Redditae sunt Nobis per Dilectum Filium, eumdem primarium administrum nostrum, Silvium Cardinalem Valenti, vestrae literae, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis, eamque judicio nostro subjicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis, ejusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirerent, et sequerentur, non tanta succresceret in dies, inter Evangelicos Operarios, opinionum varietas, nec doleremus aliquando, ob eorumdem in tradenda morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi Christianum populum, eamque scindi mentium animorumque concordiam, quam Christus Dominus Ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo, ut ea praesertim, quasi tessera, discipulos suos cognoscendos praedixerit.

Quaestionis propositae status.

§. 1. Exposuistis itaque Nobis, non raro istic contingere, ut Catholici Matrimonium inter se contracturi, Civilem adeant Magistratum, aut Haereticum Ministellum, quibus se sistere legibus Patriae coguntur, et coram illis mutuum exprimant in Conjugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro Catholico et duobus Testibus, uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim vero, perinde ac si legitimi Conjuges jam forent, non dubitant omnem Conjugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde, quid de illo consensu sentiendum sit, coram Civili Magistratu aut haeretico Ministello praestito: Num scilicet satis fuerit ad perficiendum Matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit; si enim res ita se haberet, uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram Parocho Catholico consensum, omni flagitio vacaret, et suscepta exinde proles, absque ulla dubitatione, esset legitima reputanda.

Ubi promulgatum est Tridentini Decretum de Reformat. Matrimon. Conjugia aliter inita nulla sunt.

§. 2. Jam vero, ut postulatis vestris breviter simul et dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem judicio nostro praecidamus, sic habete: Ubicumque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini Decretum *Cap. 1. Sess. 24. de Reformat. Matrim.*, ibi nulla prorsus, atque in omni ratione irrita esse conjugia, aliter quam coram alterutrius contra-

hentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote Parochi vices agente, et duobus Testibus, celebrata. Scimus profecto esse Theologos, qui in ipso Fidelium Matrimonio Contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin Sacramenti excellentiam pertingat; sed quidquid sit de hac opinione, quam Nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur: Etenim qui praeter formam a se praescriptam, Matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo, sed Contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque ut ejus verbis utamur: *Eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos esse decernit*. Quare, cum inter Catholicos in istis Provinciis degentes et promulgatum et receptum jam fuerit illud Tridentini Decretum, quod ambo fatemini; perspicuum est, Matrimonium ab ipsis invicem initum coram Civili Magistratu aut Acatholico Ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho et duobus Testibus, neque in ratione Sacramenti, neque in ratione Contractus sustineri, aut ullo pacto validum reputari posse. Neque vero rationes, propter quas valida pronunciavimus Matrimonia, quae aut ab haereticis inter se, aut a Catholicis cum haereticis, in istis foederatis Provinciis contrahuntur, non servata forma Tridentini, aptari queunt Conjugiis inter se initis a Catholicis, quorum quilibet Tridentini Decreto se obstrictum agnoscit, ejusque se auctoritatem sequi profitetur.

Et quidem ...m in ratio... contra... ...us, quam ratione ...cramenti.

Publicatio ...ecreti in... ...r Catholi... ...s Foede... ...ti Belgii, ... dubium ...on revoca... ...ur.

§. 3. Sciant itaque Catholici vestrae curae concrediti, cum Civili Magistratui, aut haeretico Ministello Matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga Leges et Instituta Principum obsequium ostendunt: Caeterum tunc quidem nullum a se contrahi Matrimonium. Sciant, nisi coram Ministro Catholico et duobus Testibus nuptias celebraverint, numquam se, neque coram Deo, neque coram Ecclesia, veros et legitimos Conjuges fore: nec, si interim conjugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex hujusmodi conjunctione orietur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam, et nisi conjuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Ecclesiae foro.

Praemissae ...octrinae ...onsectaria, ...irca natu... ...om praesti... consensus.

...irca neces... ...itatem rite ...elebrandi ...atrimo... ...ium ante ...onjugalem ...onsuetudi... ...em.

...t circa con... ...itionem ...rolis, si ...uae interim ...rocreetur.

§. 4. Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela, singulis explicare prolixius, simulque omnes commonere, ut siquidem Religionis consuetudini, et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed Religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium Matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo Catholici civilem illam ac mere politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimium inter se familiariter agant, aut sub eodem tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis, ex norma Tridentini alligaverint; quamquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certe periculo et suspicione non vacat: utrumque autem probis et bene moratis Christifidelibus cavendum est. Ad ejusmodi porro evitanda pericula, cognoscimus, consultius utique fore, ut Catholici nonnisi Matrimonio jam antea in faciem Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem, secularem Magistratum, seu haereticum Ministellum adirent; sed quoniam ex vestris literis deprehendimus, id non sine periculo, et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut, postquam Reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere, et conjugale foedus juxta praescriptam a Tridentino normam rite et sancte inire: et si quid tum super hac re, tum super aliis, quae istam Missionem respiciunt, Nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio, operam nostram implorate, quam semper praesentem invenietis.

Quid praecipiendum, quidque suadendum earum Regionum Catholicis.

§. 5. Epistola haec nostra tibi, dilecte fili, Paule Simon a Sancto Joseph, inscripta est: eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto filio Hadriano Augustino Won-Duk Pastori Leidensi, cujus scriptum super ea, de qua nunc agitur, controversia, a supradicto Cardinali de Valentibus nobis oblatum libenter perlegimus.

§. 6. Postremo vos hortamur majorem in modum, ut istam Dominici Gregis non con-

temnendam portionem sedulo, sicuti laudabiliter hactenus fecistis excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis; Vobisque interim Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. die 17. Sept. 1746.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 17. septembris 1746. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

NUM. IV.

VERONENSIS ECCLESIÆ

Capitulo nonnulla Privilegia conceduntur: simulque providetur, ut Canonici in Choro Divina officia cum aliis canere non omittant.

Dilecto Filio Nostro Danieli Tituli S. Mariae supra Minervam Presbytero S. R. E. Cardinali Delphino nuncupato, ex concessione et dispensatione Apostolica Patriarchae Aquilejensi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Proœmium. Praeclara decora, insignia ornamenta, ac tot tantaque privilegia, quibus a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, Imperatoribus, Regibus, Principibus, ac Ducibus, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Veronensis instructum cumulatumque a priscis temporibus, adhuc excellere perspicitur, ita nobis comperta et explorata sunt, ut Nos dum in minoribus constituti pro nostri muneris debito certam omnium Ecclesiarum, ac praesertim Cathedralium notitiam Nobis compararemus, prope in admirationem adduxerint.

Capitulum Veronense ab Episcopo immune.

§. 1. Illud potissimum animo versabatur, quod bon. mem. Botaldus Episcopus Veronensis An. DCCCXIII. post abdicatam a se, suisque successoribus omnem in ipsum Capitulum jurisdictionem et auctoritatem sub tutela et refugio Patriarchae pro tempore existentis Aquilejensis, cujus Suffraganeus etiamnum est Episcopus Veronensis, ita reposuerit, ut liberum et immune ab omni Veronensis Antistitis potestate et jurisdictione sit et habeatur.

Novis privilegiis decoratur.

§. 2. Quoniam autem a Nobis supplex postulasti, ut insigne hujusmodi Capitulum Tibi, Tuisque successoribus Patriarchis Aquilejensibus, ut praemittitur, subjectum, novis Apostolicae etiam nostrae benignitatis auctoritatisque documentis ornare, et augere dignaremur; Nos sane, qui eximias, Pastoralesque virtutes tuas Pontificiis laudibus prosecuti, in amplissimum quoque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegium te cooptavimus, votis tuis hac in parte, quod Nobis integrum est, obsecundare libenti animo gaudemus.

Palmulae sive Bugiae usus in Missis tribuitur.

§. 3. Itaque modernis, et pro tempore existentibus ejusdem Cathedralis Ecclesiae Veronensis Canonicis usum Scotulae, sive Palmulae, vulgo *Bugia*, ad instar Episcoporum, tam in Missis privatis, quam in solemnibus cum cantu, sive in eadem, sive in aliis ipsius Civitatis, et Dioecesis Veronensis, atque aliarum etiam Dioecesum Ecclesiis, in perpetuum concedimus, et elargimur.

Altare privilegiatum personale bis in Hebdomada ipsis conceditur.

§. 4. Praeterea iisdem, ut praemittitur, Canonicis in perpetuum indulgemus, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod ad quodcumque Altare bis in hebdomada quilibet eorum pro animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac vita migraverint, celebraverint, perinde iisdem suffragetur, ac si ad Altare Privilegiatum fuisset celebratum.

Item domesticum Oratorium in Villa Angiari dicta.

§. 5. Insuper spirituali consolationi singulorum ex iisdem modernis et pro tempore existentibus Canonicis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, cuilibet ipsorum, ad memorati Capituli Villam Angiari dictam, ut bonis, redditibus, proventibusque advigiletur, adeunti, et commoranti, Apostolica auctoritate tribuimus et impertimur facultatem celebrandi, sive celebrari faciendi Sacrosanctum Missae Sacrificium in aedium ejusdem Villae Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, prius tamen ab Archipresbytero ejusdem Capituli visitandis et approbandis, in cujuslibet Canonici, et sibi inservientium inibi famulorum praesentia, ita ut diebus festis de praecepto ab obligatione audiendi Missam in Ecclesiam liberi, et immunes habeantur; salvis tamen juribus Parochialibus.

Usus non canendi in Choro inter privilegia recenseri nequit.

§. 6. Porro nolumus inter tot tantaque privilegia eidem Capitulo et Canonicis concessa numerandum esse illud, quod, quemadmodum Tibi aeque ac nobis notum est, antiqua tradi-

tione, contra Sacrorum Canonum Sanctiones, ac nostram praesertim Constitutionem, cujus initium est: *Cum semper oblatas:* invectum ab ipsis Canonicis non modo contenditur, sed etiam servatur, interessendi dumtaxat Choro, et cum caeteris Mansionariis, Cappellanis, Acolythis et Clericis canentibus psallentibusque adsistendi, nunquam vero cum iisdem canendi psallendive, etsi nonnullos eorumdem esse accepimus, qui aliter sentientes, a conscientiae angoribus agitantur, ex eo quod eapropter se non fecisse fructus suos existiment.

Hortatio ad Patriarcham ut eum abusum evellat.

§. 7. Itaque a Te, Dilecte Fili Noster, poscimus, et flagitamus, ut non solum hujusmodi abusum et corruptelam ab Ecclesiastica disciplina absonam, et Canonicis Ordinationibus, ac nostrae quoque Constitutioni contrariam, penitus evellere et eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas et horteris, ut in posterum ea, qua decet, et tenentur, reverentia Choro intersint, adsistantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia, omnino canere, vel psallere cum caeteris studeant et contendant.

Declaratur Canonicos non facere fructus suos, nisi in Choro psallant.

§. 8. Deinde iisdem edicas et notum facias, Nos quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis literas Tibi declaramus et injungimus, decernere atque statuere, sicut in eadem Constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores Canonicos, Choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex Praebendis et Distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore.

Facultas tribuitur Patriarchae absolvendi eos, qui hactenus defecerunt.

§. 9. Verum cum iis, qui hac super re, conscientiae stimulis acti, ad Te confugerint, benigne indulgentes, Tibi facultatem tribuimus, et impertimur, ut sive per te ipsum, sive per alios a te deputandos, unusquisque Canonicus, qui se in canendo psallendove in Choro cum aliis defecisse animadvertit, (dummodo promittat se deinceps omnino curaturum, ut in Choro et presens adsistat, et cum aliis canat, psallatque) absolutionem a culpa, et super omnibus fructibus indebite perceptis dispensationem, obtinere possit et valeat.

Neque aliter concessis privilegiis gaudere possunt.

§. 10. Caeterum volumus et mandamus, ut nulli eorumdem Canonicorum, qui licet praesens in Choro adsistat, tamen minime canat psallatve, suffragentur hujusmodi indulta ac privilegia, quae unicuique moderno et pro tempore existenti Canonico, ad tuorum meritorum intuitum, per easdem praesentes literas concedimus, et elargimur.

Suadetur Patriarchae, ut omne studium in hoc adhibeatur.

§. 11. Caeterum te, Dilecte Fili noster, rogamus et in Domino hortamur, ut iisdem studiis, quibus Nos, supplicationibus tuis inclinati, eosdem Canonicos novis Apostolicae benignitatis, auctoritatisque Privilegiis adauximus, nostris tuisque rationibus Pastorum Principi Jesu Christo aeterno Judici reddendis satisfaciendum cures; et abusu et corruptela hujusmodi penitus sublata, Divinum cultum per Divinae Psalmodiae cantum, promovere et augere satagas, ut non minus ipsi Canonici, quam Nos ipsi invicem, aeternam mercedem a bonorum omnium largitore Deo consequi mereamur.

§. 12. Interim coelestis praesidii auspicem, et studiosae nostrae ad Tibi gratificandum voluntatis pignus esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam Tibi, Dilecte Fili Noster, et iisdem Canonicis, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri An. Oct.

Dat. 19. Januarii 1748.

Cajetanus Amatus.

NUM. V.

S. FRANCISCUS XAVERIUS

Indiarum Orientalium Patronus Principalior declaratur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

S. Franciscus Xaverius ab Indiarum Gentibus praecipue honorandus.

INDIARUM Gentibus Beati Francisci Xaverii Societatis Jesu, qui Apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum Gentium Apostolus unanimi totius Christiani Orbis consensu meruit appellari, praedicatione et miraculis, ex tot tamque dissitis regionibus Catholicae Ecclesiae aggregatis, ut gloriosa ejusdem merita alacrius venerantes, et relicta sibi quoque praeclara virtutum exempla ardentius imitantes, praesentissimum illius in Coelis apud mirabilem in Sanctis suis Deum sibi patrocinium certo polliceri valeant, ipsum Sanctum Franciscum novis honorum incrementis colendum,

novoque titulo in terris decorandum invocandumque proponimus, atque mandamus.

Instantia Regis Portugalliae, et persecutioni Oriente desaevienseumdem Patronum Principaliorem Indiarum Regionibus dandum suadent.

§. 2. Etsi autem pro singulari pietate, et incredibili erga res Sacras, Sacrosanctae Religionis rationes, et Sanctorum reverentiam zelo suo, Carissimus in Christo Filius noster Joannes Portugalliae, et Algarbiorum Rex Illustris, per dilectum Filium Emmanuelem Pereira de Sampajo Militiae Jesu Christi Commendatorem, ejusdem Joannis Regis negotiis apud Nos, et Apostolicam supplicavit, ut tanti Indiarum Apostoli cultum, et venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur, adaugere satagamus; ipsa tamen in Sinarum maxime Regno in Christifideles ibi degentes mota, atque in Evangelicae praesertim praedicationis Operarios saeviens persecutio, et piis laudati Johannis Regis votis ac precibus paterna benignitate obsecundantes, id praestemus alacrius, vehementer urget et exstimulat.

Eo Titulo colendus edicitur, cum Officio Duplici I. Classis, et Octava.

§. 3. Itaque, ad majorem Dei laudem, divinique cultus augumentum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, Sanctum Franciscum Xaverium Patronum principaliorem ac Protectorem Indiarum, quae numerantur a Capite *Bonae Spei* dicto, usque ad Regna Sinarum, et Japoniae, eisque adjunctarum Provinciarum, et adjacentium Insularum, cum omnibus, et singulis praerogativis, quae, juxta Breviarii et Missalis Rubricas, Sanctis Patronis principalioribus et Protectoribus competunt, habendum, invocandum, et colendum esse statuimus, declaramus, atque jubemus. Praeterea, ut imposterum solemnis tanti Patroni memoria majori, quam antea celebratur, pietate, ac debitis laudum praeconiis quotannis recolatur; volumus, et omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, auctoritate et tenore paribus indulgemus, atque mandamus, ut annua ipsius Sancti Francisci Xaverii dies sub Ritu Duplici Primae Classis cum Octava peragatur.

De Literarum perpetuo vigore.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

De Exemplorum auctoritate.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum Transumptis, seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. die 24. Februarii 1748.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Februrii 1748. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Cajetanus Amatus.

INDEX INITIORUM

SINGULARUM CONSTITUTIONUM

QUÆ IN HAC PRIMA PARTE TOMI III. CONTINENTUR.

A

Ad auferenda XIX.** Pag. 134
Ad honorandam. LIX. » 361
Ad Romanum Pontificem. XLI. » 287
Alias. XIX.******* » 131
Almae Domus. X. » 82
Animati. » 73
Anno vertente XXVIII. » 212
Annus Jubilaei. XV. » 102
Annus, qui hunc vertentem. III. » 16
Apostolica Constitutio. XIX. » 118
Apostolici Ministerii. XIII. » 87
A quo primum XLIX. » 297
Assiduae sollicitudinis. XLV. » 276

B

Benchè altre volte. XXXIV. » 229
Benchè in sequela. IX. » 78
Benedictus Deus. XXVI. » 201

C

Celebrationem. XXXV. » 231
Commissa Nobis. LVIII. » 360
Communis aerarii loca. XXX. » 218
Convocatis. XX. » 152
Cum dudum. LXI.*** » 408
Cum nos nuper. XVIII. » 113
Cum nuper. LI. » 320
Cum sextodecimo. LII. » 324
Cum sicut accepimus. XXXVI. » 240
Cum sicut accepimus XIX.****** » 146

D

Debitum LIV.** » 341

E

Elapso proxime anno. XL. » 283
Emanavit. XI. » 84
Essendoci somm. a cuore. XXII. Pag. 192
Etsi persuasum habemus. XLIV. » 274
Ex commisso Nobis. XLVI. » 280
Experientia probe edocti. III.* » 28
Exponi Nobis LIV.* » 340
Exponi Nobis XXXV.* » 239
Exponi nuper. L.* » 308

G

Gravissimo. XII. » 88

I

Immensa. LXI.***** » 415
Imposito Nobis. XLIII. » 271
In Consistorio. XXV. » 200
In eminenti. XXIX. » 216
Inexhausti. LVI. » 346
Injuncta Nobis. L. » 300
Injuncti Nobis XVIII.* » 115
In specula. XXXIX. » 251
Inter arduas. V. » 43
Inter innumeras. IV.* » 36
Inter multiplices. IV. » 33
Inter multiplices. LXI.**** » 410
Inter praeteritos. XXI. » 160
In throno justitiae. LV. » 343
Inveterata. XXXVII. » 241
Jam Vobis exposuimus. XVI. » 103
Justitiae gladium. VIII. » 62

L

Laudabile. LXI.** » 400

M

Magnitudo tuae devotionis. XXXIII. » 228
Magno cum animi nostri. XLVIII. » 286
Maxima. I. » 7

Militantis Ecclesiae. II.* Pag. 14
Minime dubitamus. I.* » 8

N

Nemo vestrum ignorat XIX.******* » 148
Nuper pro parte. LXI.* » 398

O

Officii nostri ratio. XXVII. » 205
Oneroso. XXXII. » 226

P

Pastoris aeterni. XXIV. » 199
Paterna charitas. XXIII. » 195
Paternae charitati. LIX.* » 389
Paternae sollicitudinis. XIX.*** » 138
Peregrinantes. XVII. » 108
Probe te meminisse. LIV. » 329
Prodiit jamdudum. XXXVIII. » 248
Providas. XLVII. » 283

Q

Quam praeclara. XIX.**** Pag. 143
Quam propensa. LX. » 390
Quamvis jamdudum. LXII. » 417
Quamvis justo. VII. » 49
Quamvis. L.* » 310
Quanta curarum. LIII. » 326
Quarta vertentis. XLII. » 260
Quas Apostolicae Nostrae. XLII.* » 268
Quemadmodum. XIX.* » 133

R

Romanum decet Pontificem. LXI. » 393

S

Sacrosancti Apostolatus. XIX.***** » 144
Singulari. II. » 10
Suprema. VI. » 47

U

Unigenitus. XIV. » 90
Urbem Antibarum. LVII. » 380

IN APPENDICE

Consentaneum. I. » 419
Dum Apostolicae. » 448
La nostra Costituzione. II. » 420
Omnium Ecclesiarum sollicitudinem. » 438
Perspectam vobis. IV. » 436
Pervetustus. V. » 453
Postquam Deo adjuvante. III. » 434
Postquam initio. » 440
Postquam per alias. » 443

IN SUPPLEMENTO

Biennium. II. » 486
Indiarum Gentibus. V. » 465
Praeclara decora. IV. » 464
Redditae sunt Nobis. III. » 462
Romana Ecclesia. I. » 455

INDEX

ARGUMENTORUM

EARUMDEM

CONSTITUTIONUM.

ANNO MDCCXLVIII.

PONTIFICATUS ANNO IX.

I. Joanni V. Portugalliae, et Algarbiorum Regi, ejusque Successoribus in perpetuum Fidelissimi Titulus assignatur. 23. *Dec.* Pag. 7

I.* Super Identitate Ossium Corporis sancti *Johannis de Matha* Confessoris Institutoris Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum 3. *Februarii.* » 8

ANNO MDCCXLIX.

II. De Matrimonii validitate inter virum Judaeum, et mulierem haereticam. Expenduntur Leges Hebraeorum, et Leges Imperiales, quoad virum; Canones, et Ecclesiastica consuetudo, ejusque vis, quoad mulierem. 9. *Februarii.* » 10

II.* Super Immunitate ecclesiastica qua gaudent Ecclesiae dependentes a Monasterio Regio S. Stephani in Bosco Provinciae Rheginen. ulterioris Calabriae Ordinis Carthusiensis. 14. *Februarii.* » 14

III. De Ecclesiarum cultu, et nitore; De Officiorum Ecclesiasticorum, et Musices ratione: Epistola Encyclica, occasione imminentis Anni Sancti, ad Episcopus per Ditionem Ecclesiasticam constitutos scripta. 19. *Febr.* » 16

III.* Prohibitio extrahendi libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta ex Bibliothecis monasteriorum S. Crucis Conimbricae, et S. Vincentii Ulyssiponis Congregationis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini. 21. *Febr.* » 28

IV. Exemptio Bonorum Archihospitalis S. Spiritus in Saxia a spolio Camerae Apostolicae debito. 4. *Martii.* » 33

IV.* Qua octo Cappellaniae a quondam Fructuoso de Faria fundatae a Parochiali Ecclesia de *Lordello* de Ovro Portugallen. Dioecesis ad Insignem *Collegiatam Ecclesiam S. Martini de Cedofeyta* dictae Dioecesis transferuntur, inibique eriguntur, eidem Collegiatae Ecclesiae reservantur una LXXX.: et altera pensiones perpetuae CXX. ducatorum super aliis duabus Parochialibus Ecclesiis dictae Dioecesis in utilitatem praefatae Collegiatae ad arbitrium Ordinarii convertendae. 24. *Martii.* » 36

V. De indultis S. R. E. Cardinalium testandi, et disponendi de sacris supellectilibus 22. *Aprilis.* » 43

VI. Abbati Monasterii Campidunensi Ordinis S. Benedicti, ejusque successoribus in perpetuum, conceditur facultas ministrandi Sacramentum Confirmationis Christifidelibus suae Jurisdictioni spirituali subjectis. 26. *Aprilis.* » 47

VII. Super Conservatoriis Virginum Anglicanarum nuncupatarum. 30. *Aprilis.* » 49

VIII. In Tribunali Gubernii Almae Urbis, ejusque Congregationibus, certa agendi ratio praescribitur statuitur methodus exequendi visitationes Carcerum etc. etc. 7. *novemb.* » 62

IX. Pro mutui commercii libertate inter Provincias Ditionis Pontificiae asserenda, ac impedienda extractione generum ab eadem Ditione. 30. *Maji.* » 78

PONTIFICATUS ANNO X.

X. De facultate obsignandi vela statuae Beatae Mariae Virginis in sacra Lauretana Ede admota, et subscribendi folia eorum identitatem testantia: cum opportunis praeceptis super ipsorum distributione. 8. *Septemb.* » 82

XI. Parochi jurisdictio in Tertiarias conviventes intra Paroeciae fines 17. *Septembris.* » 84

XII. Ad Monasteria Monialium, ne quis etiam exemptus, et Ecclesiastica Dignitate praefulgens, accedat sine Ordinarii Localis permissu. 31. *Octobris.* » 85

XIII. Tribunali Sanctae Inquisitionis in Portugalliae et Algarbiorum Regnis adjudicatur cognitio *pertinentiae* Causarum contra Confessarios exquirentes a Poenitentibus complicum nomina cum denegatione absolutionis. Eaque in re delinquentes, etiam sine suspicione pravi dogmatis, eidem Inquisitionis Officio denunciari jubentur. 9. *Decembris*. » 87

XIV. Erectio Cathedralis Ecclesiae Terlitien., ejusque unio aeque principaliter cum Cathedrali Ecclesia Juvenacen. cum avocatione causae, et extinctione litis antea pendentis. 26. *Novembris*. » 90

PRO ANNO JUBILÆI.

XV. De Praeparatione ad Annum Jubilaei Universalis, ac praesertim reparandis Ecclesiis Urbis. 3. *Martii* 1749. » 102

XVI. Pro indictione Jubilaei Universalis Allocutio 5. *Maji* 1749. » 105

XVII. Indictio Universalis Jubilaei Anni Sancti Millesimi Septingentesimi quinquagesimi. 5. *Maji* 1749. » 108

XVIII. Suspensio Indulgentiarum, et Facultatum vertente Anno Universalis Jubilaei millesimo septingentesimo quinquagesimo. 17. *Maji* 1749. » 113

XVIII.* Confirmantur et ampliantur Literae Apostolicae Summorum Pontificum Clementis Papae IX. et Clementis X. circa nonnulla decreta facta in Capitulo Generali Ordinis Fratrum minorum S. Francisci Cappuccinorum habito anno MDCLXVII. praesertim circa Praedicatores. 24. *Maji*. » 115

XIX. De praeparatione ad Annum Universalis Jubilaei, Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archepiscopos, atque Episcopos. 26. *Junii* 1749. » 118

XIX.* Literae Apostolicae in forma Brevis, in quibus tres gratiae de novo conceduntur pro Congregationibus Beatissimae Virginis Annuntiatae, Primae Primariae dictae, et eisdem Aggregatis, et Aggregandis; et aliae tres itidem gratiae pro Universa Societate Jesu in omnium Christifidelium utilitatem. 15. *Julii*. » 133

XIX.** Confirmantur Literae Apostolicae sub die XVI. Januarii MDCCXLI., et Puncta XV. proposita in Capitulo Generali Eremitarum Camaldulensium montis Coronae pro bono regimine, pace et quiete ejusdem Congregationis. 18. *Julii*. » 134

XIX.*** Constitutio super Adimplementum Onerum perpetuorum missarum, et suffragiorum in Ordine minimorum S. Francisci de Paula. 30. *Augusti*. » 138

XIX.**** Breve ad Generales totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini super concessione Altaris Privilegiati ipsis personaliter ubique concessi, et confirmatione aliorum in Ordinis Ecclesiis ubique terrarum erectis, et erigendis alias concessorum Dilecto Filio Augustino Gioja Priori Generali Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. 10. *Septembris*. » 143

XIX.***** Confirmantur Literae Apostolicae Summorum Pontificum Alexandri III., Honorii III., et Leonis X. quoad recursus in Ordine Eremitarum Camaldulensium Congregationis Tusciae. 22. *Septembris*. » 144

XIX.****** Collegium in Lauretana Civitate erectum ad instruendam Illyricam Juventutem in bonis artibus, et disciplinis, ac omnes, et quoscumque illius ministros, Officiales, Rectorem, magistros, seu Lectores, Alumnos, et Convictores degentes intra septa ejusdem Collegii decernit, et declarat exemptum, et exemptos a quibusvis juribus Parochialibus. 20. *Novembris*. » 146

XIX.******* Allocutio habita in Consistorio Secreto Feria secunda die prima Decembris 1749. » 148

XIX.******** Breve super confirmatione perpetuitatis Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et de conservanda ejusdem Ordinis unitate. 13. *Decembris*. » 151

XX. Poenitentiariis in Basilicis, et Ecclesiis Urbis pro Anno Jubilaei deputatis, et Confessariis a Cardinali Urbis Vicario designandis, Facultates eodem Anno exercendae conceduntur: adjectis opportunis monitis, et declarationibus. 25. *Novembris* 1749. » 152

XXI. De quaestionibus, et controversiis olim excitatis circa opera injuncta pro Jubilaei acquisitione, et circa facultates concessas, earumque usum, quae per praecedentes Constitutiones sublatae fuerunt: Epistola Encyclica ad Poenitentiarios, et Confessarios pro Anno Sancto in Urbe deputatos. 3. *Decembris* 1749. » 160

XXII. Peregrinorum, et Advenarum Anno Jubilaei Romam adeuntium Causae Civiles, et Criminales certis Judicibus summariae expediendae committuntur. 28. *Novembris* 1749. » 192

XXIII. Indulgentiae Jubil. Anni Sancti MDCCL. pro Monialibus, Oblatis, Tertiariis etc. nec non Anachoretis, Eremitis, Infirmis, et in carcere, aut captivitate detentis conceduntur. 17. *Decembris* 1749. » 196

XXIV. Regulares Apostatae ad suos Ordines cum poenarum condonatione revocantur. 12. *Januarii* 1780. » 199

XXV. Ad claudendas Portas Sanctas in exitu Anni Jubilaei deputantur tres Cardinales de Latere Legati. 7. *Decembris* 1780. » 200

XXVI. Extensio Universalis Jubilaei in Urbe celebrati Anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo ad universum Catholicum Orbem. 25. *Decembris* 1780. » 201

ANNO MDCCL.

XXVII. Circa immunitatem Localem nonnulla dubia declarantur post Constitutiones Benedicti XIII. et Clementis XII exeitata, aliaque opportune statuuntur, et praecipiuntur. 18. *Martii*. » 203

XXVIII. Pro Cophtis Catholicis Indultum recipiendi Sacramentum Confirmationis a Presbytero Missionis Praefecto. 19. *Junii* » 212

XXIX. Proponitur ratio secernendi Honorarios a veris Familiaribus S. R. E. Cardinalium, et Praelatorum Romanae Curiae, ad omnes juris effectus. 25. *Julii*. » 218

XXX. Super Institutione, Gubernio, et administratione Mensae nummulariae Sancti Spiritus in Saxia de Urbe; Confirmantur Literae Pauli V. aliaque opportune statuuntur. 10. *Augusti*. » 218

PONTIFICATUS ANNO XI.

XXXII. Canonicis Regularibus Praemonstratensibus conceditur ex integro Privilegium assequendi, et retinendi quascumque Parochiales, et Vicarias tam saeculares, quam Regulares absque dispensatione Apostolica. 1. *Septembris*. » 225

XXXIII. Indultum celebrandi Missam in Altari Papali Basilicae S. Mariae Majoris die 30. *Septembris anni* 1780. post peractam a Pontifice ejusdem Altaris Consecrationem. 17. *Septembris*. » 228

XXXIV. Statuitur Methodus servanda in Congregationibus Capitolinis super Causis Criminalibus Locorum Feudalium Populi Romani. 8. *Decembris*. » 229

ANNO MDCCLI.

XXXV. De Jubilaei extensione ad universum Catholicum Orbem, Epistola Encyclica. 1. *Januarii* 1781. » 231

XXXV. Confirmationis Sacramentum Infirmis in Archi-Hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe degentibus, conferri possit a Praeceptore, seu Commendatario in Episcopali dignitate constituto, vel ipso, aut Priore mandante, ab alio quocumque Catholico Antistite, nullius alterius obtenta licentia. 12. *Januarii*. » 239

XXXVI. Damnatio, et prohibitio libri, cui Titulus. *Lettres avec ces mots latins, ne repugnate vestro bono etc. Senec. de constantia sap. cap.* 19. *a Londres* 1780. et Libelli inscripti: *La voix du Sage, et du Peuple A Amsterdam chez le sincere MDCCL.* 23. Januarii. » 240

XXXVII. De Pertinentia causarum de damno dato tam in prima, quam in ulterioribus Instantiis; et intra quod tempus eaedem introducendae, finiendae, quibusque legibus dijudicandae sint: Item de integra praestatione poenarum Communitatibus Ditionis Ecclesiasticae debitarum; ac Judicum, Officialium, et Executorum emolumentis. 25. *Januarii*. » 241

XXXVIII. Jejunium Vigiliae S. Mathiae Apostoli anno 1781. occurrentis ultima de Carnisprivii, transferri posse permittitur in Sabbatum Sexagesimae. 30. *Januarii*. » 248

XXXIX. Dilecto Filio Francisco Xaverio Gomez de Cervantes Presbytero, ac metropolitanae Ecclesiae Mexicanae Canonico. 8. *Februarii*. » 251

XL. De Extractione Reorum ad Sacrae Inquisitionis Officium spectantium a locis immunibus, ad quae forte confugerint. 20. *Februarii*. » 255

XLI. Nova concessio, et praefinitio Indulgentiarum pro Fratribus, et Sororibus Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci Assisiensis. 18. *Martii*. » 257

XLII. Rosae aureae donum Metropolitanae Bononiensi Ecclesiae transmissum. 24. *Martii*. » 260

XLII. Literae Apostolicae quibus providetur optimo regimini et tranquillitati Conventuum recessus Fratrum Minorum de Observantia Reformatorum nuncupatorum Provinciae Romanae. 24. *Martii*. » 268

XLIII. Latini Ritus Presbyteris in Russia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum unitorum Ecclesiis, deficientibus lapideis Altaribus, seu Tabulis consecratis, et Calicibus aureis, sive argenteis, Missarum sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensis, et cum Calicibus e stanno celebrare. 29. *Martii*. » 271

XLIV. Graeci Ritus observantia, et Linguae Graecae studium Monachis Ordinis S. Basi-

lii injungitur, et commendatur. 20. *Aprilis*. » 274

XLV. Basilicae Lateranensis Indulgentiae confirmantur: Illae vero, quae Ecclesiis ipsius filialibus, seu ipsi aggregatis hactenus communicatae fuerunt, suspenduntur; et interim eisdem aliae Indulgentiae, et gratiae spirituales conceduntur, seu respective communicari permittuntur. 6. *Maji*. » 276

XLVI. Spicarum collectio post Messem Pauperibus non impedienda per totam Ditionem Ecclesiasticam decernitur, additis poenis, opportunisque legibus, et conditionibus. 17. *Maji*. » 280

XLVII. Nonnullae Societates, seu Conventicula *de' Liberi Muratori, seu des Francs Macons*, vel aliter nuncupata, iterum damnantur, et prohibentur; cum invocatione brachii, et auxilii Saecularium Principum, et Potestatum. 18. *Maji*. » 282

XLVIII. De tollendis abusibus ab Oratoriis privatis, quae sunt in domibus Laicorum. 2. *Junii*. » 286

XLIX. De his, quae vetita sunt Hebraeis habitantibus in iisdem Civitatibus, et Locis in quibus habitant Christiani. 14. *Junii*. » 297

L. Aquilejensis Patriarchatus, et Sedis perpetua suppressio, et extinctio; necnon erectio duorum Archiepiscopatuum *Utinensis*, et *Goritiensis*, cum aliis opportunis dispositionibus. 6. *Julii*. » 300

L.* Literae Apostolicae ad supplicationem Clericorum Regularium Societatis Jesu Assistentiae Hispanae concessae super confirmatione et ampliatione Indulgentiarum a S. M. Gregorio PP. XV. concessarum pro Clericis dictae Societatis, aliisque una cum eis cooperantibus, in docendo, ac pro addiscentibus Doctrinam Christianam in Hispaniarum et Indiarum Regnis. 7. *Augusti*. » 308

L.** Decretum in Causa Gebennen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Jo. Franciscae Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctae Mariae nuncupatarum Fundatricis editum die XXI. Augusti MDCCLI. » 310

PONTIFICATUS ANNO XII.

LI. Ecclesiae Parochiales, aliaque Officia ad animarum curam spectantia in Indiis Occidentalibus Hispaniarum Regi subjectis, etiam saecularibus Clericis, seu Presbyteris conferri posse conceditur, contrariis non obstantibus. 8. *Novembris*. » 320

LII. Beatificatio B. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctae Mariae nuncupatarum Fundatricis. 13. *Novembris*. » 324

LIII. Congregationi Fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe novus Cardinalis Praefectus deputatur, et Congregatio Particularis super rebus oeconomicis ejusdem Fabricae instituitur. 15. *Novembris*. » 326

LIV. Aviae Neophitae asseritur jus offerendi ad Baptismum infantes Judaeos ex Filio praemortuo Nepotes. 15. *Decembris*. » 329

LIV.* Literae Apostolicae in forma Brevis, in quibus statuitur, ut Religiosi Reformati S. Francisci in Conventu de Varatojo, ministro Generali immediate subjecto in proximo Capitulo, si in Guardianum et Definitores eligantur, nullum possint allegare privilegium Apostolicum, neque aliam quamcumque causam privationis vocis passivae, nisi dictum privilegium, vel causa prius recognita sit, et approbata a moderno Guardiano, et Definitorio ejusdem Conventus. 26. *Januarii*. » 340

LIV.** Dilecto Filio Aloysio seu Lodovico Laghi Ordinis Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Priori Generali. 19. *Februarii*. » 341

ANNO MDCCLII.

LV. Sacrae Congregationis Rituum Decreta super modo utendi Indulto Pontificalium, Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Archiepiscopalis Urbinate. olim a Sede Apostolica concesso approbantur, et confirmantur. 28. *Februarii*. » 343

LVI. Indulgentiarum nova concessio pro Personis Saecularibus utriusque sexus tam Tertio Ordini S. Francisci de Paula adscriptis, quam Chordigeris ejusdem Sancti funiculum benedictum deferentibus. 28. *Februarii*. » 346

LVII. De Bonis Ecclesiarum, quae semel ab Infidelibus occupata, deinde in Christianorum potestatem devenerunt. 19. *Martii*. » 350

LVIII. Damnatio, et prohibitio cujusdam Folii continentis Theses, quas in Sorbona defendendas proposuit Joannes Martinus de Prades Sacerdos Montalbanensis sub titulo: *Hierusalem Coelesti*. Quaestio Theologica; Quis est ille, cujus in faciem Deus inspiravit spiraculum vitae. *Ge.* 27. 22. *Mar.* » 360

LIX. Vaticanae Basilicae, et illius Archipresbyteri, Capituli, et Cleri praecipua Privilegia, et Jura recensentur, instaurantur, et Apostolica auctoritate confirmantur; iisdemque nova Privilegia, et gratiae conceduntur. 27. *Martii*. » 361

LIX.* Dilecto Filio Michaeli Larnage, moderno, et pro tempore existenti Priori majori Ordinis Cartusiani. 29. *Martii*. » 389

LX. Congregationis Piorum Operariorum commodis, et incrementis, per opportuna Decreta, et Indulta prospicitur. 12. *Aprilis*. » 390

LXI. Erectio Oppidi Pergulae in Civitatem: cum concessione plurium facultatum Vicario Episcopi Eugubini ibidem deputando. 19. *Aprilis*. » 393

LXI.* Confirmantur, et ampliantur literae apostolicae Clementis PP. XII. super juribus, privilegiis, gratiis, et exemptionibus, quibus gaudent in Provincia Mexicana Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini antiquiores Rectores quatuor Doctrinarum, seu Parochiarum Indorum 19. *Aprilis*. » 398

LXI.** Literae Apostolicae, per quas confirmato voto alias edito, praeviis duabus Decisionibus per Sacram Rotam Romanam, confirmatisque pariter duabus sententiis per Sac. Congregationes Particulares promulgatis super nonnullis Controversiis; signanter circa divisionem Onerum, et Collectarum inter Communitatem Civitatis Æsii; et illius Comitatum diu agitatis. 28. *Aprilis*. » 399

LXI.*** Facultates et Privilegia concessa a Pio PP. IV., et Clemente XII. Provincialibus Societatis Jesu, vel ab eis deputatis Presbyteris, ut dispensare possent in quibusvis a jure divino non prohibitis Consanguinitatis, vel Affinitatis gradibus, ad Matrimonium contrahendum, Neophytos Indiarum, aliarumque Orientalium Regionum, sub certis modo, et forma expressis, confirmantur. 20. *Maji*. » 408

LXI.**** Literae Apostolicae per quas pluribus Decretis confirmatis in materiis, et quaestionibus praeeminentialibus, et honorificis inter Civitatem Æsii, ejusque Nobilem magistratum, ac Comitatum ejusdem Civitatis, Prioresque Comitatenses, aliisque ad eamdem materiam declaratis, demandatis, et ex integro concessis. 21. *Julii*. » 410

LXI.***** Literae Apostolicae, in forma brevis, quibus sanctitas sua ex speciali gratia, Praefecto Apostolico, et Missionariis Societatis Jesu in Insulis Americae meridionalis, Martinica, Guadalupa, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio subditis, pro tempore existentibus, concedit facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam conditionibus, clausulis, et circumstantiis. 24. *Julii*. » 415

LXII. Ecclesiastici Ditionis Pontificiae quid juris habeant interveniendi, et sententiam dicendi in Consiliis super rebus, et negociis eorum interesse tangentibus 29. *Julii*. » 417

IN APPENDICE

I. Allocutio habita in Consistorio Secreto Feria 2. die 21. *Aprilis* 1749. super honorifico Fidelissimi Titulo Joanni V. Portugalliae, et Algarbiorum Regi, ejusque Successoribus a Sanctitate Sua collato. » 419

II. *Lettera circolare a tutti i Patriarchi, Arcivescovi, e Vescovi sopra la preparazione all' Anno Santo*. 26. *Giugno* 1749. » 420

III. Allocutio habita in Basilica S. Mariae Majoris pridie Kalendas Octobris Anno Jubilaei MDCCL. in Festo S. Hieronymi Confessoris, et Ecclesiae Doctoris, ante consecrationem Altaris Pontificii ejusdem Basilicae. » 434

IV. Allocutio habita in Consistorio Secreto Feria secunda die 6. *Julii* 1751. super suppressione Patriarchatus Aquilejensis, et duorum Archiepiscopatuum Utinensis, et Gortiensis erectione; cum aliis Monumentis ad eam rem pertinentibus. » 436

V. De Ritu, et usu Cerearum formarum, quae benedici, et consecrari solent a Romano Pontifice. » 453

IN SUPPLEMENTO

I. Episcopo Warmiensi, et Sambiensi conceditur usus Pallii, et jus praeferendae Crucis ad more Archiepiscoporum. 21. *Aprilis* 1742. » 455

II. Ut Equites Professi Militiae Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani, ad Episcopatum, aut ad Cardinalitiam dignitatem evecti, Crucem octogonam ex tela alba, tamquam habitum suae Religionis proprium exterioribus vestibus assutam gestare valeant. 15. *Octobris* 1745. » 456

III. Sponsis Catholicis, qui in Foederati Belgii regionibus coram Civili Magistratu, aut haeretico Ministro dumtaxat, mutuum consen-

sum in Matrimonium de praesenti declararunt, quaelibet conjugalis consuetudo interdicta decernitur, donec Matrimonium ad formam Concilii Tridentini rite celebraverint. 17. *Septembris* 1746. » 462

IV. Veronensis Ecclesiae Capitulo nonnulla Privilegia conceduntur: simulque providetur, ut Canonici in Choro Divina Officia cum aliis canere non omittant. 19. *Januarii* 1748. » 464

V. Sanctus Franciscus Xaverius Indiarum Orientalium Patronus principalior declaratur. 24. *Februarii* 1748. » 465

INDEX

RERUM, ET VERBORUM

Numerus Romanus Constitutionem denotat: Arabicus autem paragraphum, et paginam designat.

A

ABBATI Monasterii Campidunensis in Svevia conceditur a Pont. Indultum perpetuum conferendi Sacramentum Confirmationis. Constitut. VI. §. 2. pag. 48. V. *Campidunense*.

Abbates Monasteriorum S. Basilii Missam Graeco ritu celebrare jubentur, sub gravi poena. XLIV. 3. p. 278.

ABBATIA *S. Barbari de Pollutro* Provinciae Theatinae unita fuit Sacrario Basilicae Vaticanae. LIX. 80. p. 579. seqq.

Abbatiae *S. Martini de Fara*, et *S. Salvatoris de Majella* ejusdem Provinciae, Mensae Capitulari Vaticanae fuerunt attributae. *ibid.*

Abbatia S. Martini, ex conventione cum Archiepiscopo Theatino, Capituli Vaticani jurisdictioni subest. Abbatia vero S. Salvatoris subjecta est eidem Archiepiscopo, certis utrimque pactis conventis, quoad collationem Beneficiorum Parochialium, et simplicium, quoad Oeconomorum deputationem, visitationem, exactiones etc. *ibid.*

Abbatiae S. Ruffilli Foripompilii, S. Martini in Montibus, et aliae, cum omnibus ad ipsas spectantibus, attributae sunt eidem Mensae Capitulari Vaticanae. LIX. 52. p. 581. Cum exemptione a jurisdictione Ordinariorum, in quorum Dioecesibus existunt. 54. p. 582. Capitulum Vaticanum Jurisdictionem quasi Episcopalem in eas habet. *ibid.* 56. 57. p. 582. et 583. Quindennia, et alia onera pro ipsis non solvit. *ibid.* 53. p. 582.

ABBATISSA BURGENSIS in Hispania ab Episcopi jurisdictione exempta est: Capitulum generale celebrat, et in plura Monasteria jurisdictionem habet. VII. 17. p. 87.

ABSOLVENDI facultas ex verbi proprietate, refertur ad peccata, et censuras proprie dictas; non vero ad Irregularitates. XXI. 30. pag. 177. V. *Censura*.

ABSOLUTIO in Sacramentali Confessione cauta danda, vel deneganda, aut differenda. XIX. 22. pag. 129.

Absolutio datur a censuris nominatim latis a Judice, ad solum effectum, consequendi Indulgentias Jubilaei, cum reincidentia in easdem, et obligatione parendi sententiae ipsius Judicis, et petendi absolutionem ab eo. XX. 6. p. 184.

Facultates absolvendi pro Anno Santo. V. dicta Constit. XX. per totam, et Constit. XXIII. p. 198. et XXVI. p. 201.

ACCORAMBONI Cardinalis sacram Sacelli sui domestici suppellectilem haeredi Sacello per testamentum legavit. V. 1. p. 43. V. *Sacellum*.

ACTA coram Vicario Foraneo novae Civitatis Pergulae asservanda sunt apud Notarium publicum ejusdem Civitatis, indeque desumpta exempla autentica fidem obtinere debent. LXI. 11. p. 396.

ACTUS moraliter bonus in statu peccati fieri potest, quamvis ad aeternae vitae meritum nihil prosit. XXI. 78. p. 185. seqq.

ÆGYPTIÆ Missionis Praefecto conceditur ad tempus facultas extraordinaria conferendi Sacramentum Confirmationis, cum Chrismate ab Episcopo benedicto. XXVIII. 4. p. 213.

AGAPÆ quid fuerint, et quare sublatae. XXXVIII. 12. p. 251.

AGGREGATIONES Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum quomodo a Capitulo Lateranensi Basilicae fieri possint. XLV. 16. et 17. pag. 270. Aggregatis Ecclesiis quaenam Indulgentiae, et privilegia competant. *ibid.* 8. seqq. pag. 277. seqq.

Aggregationes similes quomodo a Capitulo Basilicae Vaticanae fieri possint. LIX. 48. seqq. p. 577. seqq. Aggregatis Ecclesiis, et piis locis plures Indulgentiae conceduntur. 46. seqq. pag. 578. seqq.

AGNES Imperio et pietate conspicua, Confessionem Sacramentalem apud Beatum Petrum Damiani, nulla sibi ab eo imposita satisfactione, peregit. XIX. 23. et 24. p. 130.

AGNUS DEI, seu Cereae formae, quarum usus

antiquissimus est, ex cera munda, aliisque rebus aliquid significantibus conficiuntur? *Append.* num. V. p. 483. A Summo Pontifice benedicuntur, ob cujus benedictionem, et preces plura beneficia a Deo obtinentur. *ibid.*

AGRICOLÆ. V. *Spicarum collectio*.

AGRICOLÆ tempore belli non sunt pars Reipublicae nocentis; ideo non laedendi. LVII. 5. 6. et 7. p. 381. et 382.

ALEXANDER V. antea Franciscanus, Bononiae, non Cretae, ortus, ibidem Rosam Auream benedixit, et Marchioni Estensi dedit, ibique obiit. XLII. 3. 4. p. 261.

ALOYSIUS seu Ludovicus Laghi Ordinis Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Prior Generalis laudatur. LIV.** p. 341.

Eidem committitur separatio Conventuum nunc apud Nolabilis, et Vallettae Insulae Melitén. a provincia Sicula Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo dependentium. *ibid.* p. 342. Et sic divisos, et dismembratos eximit a quacumque jurisdictione, et dependentia Prioris Provincialis Provinciae Siculae, et subjicit immediate Prioribus Generalibus pro tempore existentibus memorati Ordinis. *ibid.*

Dictorum duorum Conventuum Priores pro tempore existentes, Definitores Generales dicti Ordinis declarat, illisque votum, seu suffragium in quibusvis Capitulis Generalibus pro tempore habendis, aliasque praeeminentias, ac privilegia, quibus alii dicti Ordinis Definitores Generales gaudent, tribuit. *ibid.*

In virtute sanctae Obedientiae praecipit Priori Provinciali Provinciae Siculae pro tempore existenti ne praesumat habere, et exercere ullum jus, ullamque jurisdictionem in supradictis duobus Conventibus, ac in illorum Prioribus, et Fratribus. *ibid.*

ALTARE totum conseratum vel lapidem consecratum superimpositum habens, requiritur apud Latinos pro Missae celebratione. XLIII. 4. pag. 273. Quoad Graecos vero, vide: *Antimension*.

Altare unicum olim erat in Graecorum Ecclesiis, super quo unica per diem Missa celebrari poterat. XLVIII. 10. p. 289.

Ad Altare Majus Confessionis S. Petri, sine obtenta per Literas Apostolicas Romani Pontificis licentia, nemini Missam celebrare licet. LIX. 16. pag. 367. seqq. Ibi Romanus Pontifex recens electus solemnem Consecrationem, et Pallium recipere debet. *ibid.*

Altaria Basilicae Vaticanae, et Ecclesiarum illi subjectarum a quo consecrari possint. LIX. 8. pag. 363.

Altare Majus Basilicae Liberianae a Summis Pontificibus olim erectum, et consecratum, nuper a Benedicto XIV. munificentius restitutum, et in honorem Beatae Mariae Virginis adinstar veteris dedicatum est. XXXIII. p. 228. Allocutionem ea occasione a Pontifice habitam. V. *Append. num. III.* Idem Altare Pontificium declaratur, interdicta cuilibet ibi celebrandi facultate sine peculiari indulto. *ibid.* 3. et 4. pag. 435. Expleta Consecratione permisit Pontifex, ut in eo Missam celebraret Cardinalis Gentili. *ibid.* p. 228.

Altare unum Privilegiatum quotidianum perpetuum in omnibus Ecclesiis Societatis Jesu conceditur a Rectore pro tempore destinandum. XIX.* pag. 134.

ALTARIS PORTATILIS, seu VIATICI privilegio gaudent Episcopi, super quo Missam celebrare, vel celebrari facere possunt, etiam extra propriam Dioecesim in Ædibus suae habitationis, vel in quibus hospitio recipiuntur. XLVIII. 5. seqq. pag. 288. seqq. Non tamen in aliis Laicorum domibus, in quibus actu hospitati non fuerint. *ibid.*

Altaris portatilis privilegium Regularibus sublatum est. XLVIII. 28. seqq. p. 294. seqq.

Altare privilegiatum personale duobus diebus per hebdomadam concessum Canonicis Veronensibus. *Suppl. num. IV.* §. 4. pag. 464. V. *Veronense*.

AMERICANI musicam facile addiscunt. III. 5. p. 21.

AMPHITHEATRUM Flavium; seu Colossaeum, inscriptionibus, et monumentis ad denotandam Martyrum fortitudinem ornatum fuit, quae Benedicto XIV. jubente, marmore incisa sunt, ne perirent. XV. 8. pag. 103. Profana spectacula in eo edita Divinam ultionem concitarunt. *ibid.*

ANGLICANARUM Virginum a patria ob Catholicam Fidem expulsarum Institutum a Congregatione Concilii Tridentini approbatum; atque haec approbatio a Clemente XI. confirmata fuit, pluribus Germaniae Principibus petentibus. VII. sub §. 2. Num. VIII. p. 32.

Conservatorium iis constituit Bavariae Dux. *ibid.* 4. p. 33.

Earum Institutum non est idem ac Jesuitissarum. *ibid.* 8. pag. 34. V. *Jesuitissae*. Nec ipsis licet Mariam Warth, tamquam suam institutricem agnoscere, *ibid.* 11. pag. *ibid.* Multo minus publicum cultum illius memoriae exhibere. *ibid.* 12.

In Puellarum institutione se exercent, *ibid.* 4. pag. 33. Constitutiones a Clemente XI. confirmatas solummodo observare debent. Possunt tamen Sanctam Sedem super aliis edendis consulere. *ibid.* 3. pag. 32. et 8. pag. 34. §. 13. pag. 35.

Earumdem Institutum utile censetur, et Episcopis commendatur. *ibid.* 20. seqq. p. 38.

Earum tamen Conservatoria a Sede Apostolica non approbantur, tamquam vera Monialium Monasteria, sed tolerantur. *ibid.* 5. pag. 33. et 13. p. 36.

Non sunt verae Religiosae, eorumque vota sunt tantum simplicia. *ibid.* 13. et 14. p. *ibid.*

Ordinariae Episcoporum auctoritati subsunt, et ab iis Confessarios, et Directores spirituales accipere debent. *ibid.* 13. et 14. p. *ibid.*

Plura Earum conservatoria in Germania duas habent Superiorissas Generales. *ibid.* 15. p. 87. Harum auctoritas in sua Conservatoria coercetur, et Episcopis subditur. *ibid.* 16. p. *ibid.*

Superiorissis iisdem non licet Virginem ullam ad Professionem admittere, inconsulto Episcopo. *ibid.* 18. pag. 88. Possunt sua Conservatoria visitare, et Virgines de uno in aliud transferre, consulto semper Episcopo. *ibid.* 16. pag. 87. A cujus subjectione non eximit juramentum obedientiae a Virginibus Superiorissae Generali praestitum. *ibid.* 20. p. 88. et 23. pag. 89.

Anglicanarum Virginum Conservatorium Augustae Vindelicorum erectum ordinariam Episcopopi jurisdictionem agnoscit: alterum Mindelheimii existens renuit. *ibid.* 1. pag. 80. Pontificia auctoritate permittitur, ut in hujus Ecclesia, dummodo Virgines Episcopo obediant, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum conservetur, sine praejudicio jurium Parochialium. *ibid* 24. pag. 60.

ANIMALIA ad pascendum immitti nequeunt in praedia, e quibus frumenti messis collecta est, per eos dies, qui pauperibus ad spicas relictas colligendas permitti jubentur. XLVI. 6. pag. 281.

Animalia Ecclesiasticorum, et Laicorum in causis de damno dato quaenam intelligantur, et quomodo dimittenda. XXXVII. 8. seqq. p. 243. seqq.

ANNIVERSARIORUM reductiones Capitulo, et Clero Vaticano concessae confirmantur. LIX. 35. p. 373.

Anniversariae exequiae pro defunctis possunt ab eodem Capitulo in feriam secundam per annum, in Sabbatum vero per Quadragesimam anticipando transferri, licet Officium duplex tunc occurrat; nisi certa dies a Benefactoribus sub poena caducitatis assignata sit. *ibid.*

ANNULUS aureus recens inventus quibusdam signis indicat, filios impuberes olim statui Clericali a parentibus oblatos. LIV. 4. p. 330.

ANNUS SANCTUS. V. *Jubilaeum*.

ANTIBARENSIS Civitas nonnullis ab hinc saeculis condita in Albania, cur ita appelletur. LVII. 1. p. 330. Othomanis subest, nec a Venetis recuperari potuit. *ibid.*

Antibarensis Archiepiscopatus, qua occasione constitutus. *ibid.*

Archiepiscopus modernus laudatur, qui, Dioecesi visitata, multa Congregationi de Propaganda Fide significavit quoad bona Ecclesiastica a Christianis usurpata postquam Turcae Albaniam occuparunt, et quid agendum esset requisivit. *ibid.* 2. Quomodo in his procedendum. *ibid.* 28. seqq. p. 338. seqq.

ANTIMENSION, super quo Graeci Missam celebrant, quid sit. XLIII. 4. p. 273.

Permittitur Presbyteris Latinis in Russia Polonica, ut super Antimensiis Missam celebrent, *ibid.* 8. sub quibusdam conditionibus. *ibid.* 9. seqq. pag. 274.

ANTONIUS Flores in utraque Signatura Referendarius Provinciae Marchiae Gubernator nonnulla constituit pro pace, et tranquillitate inter Communitatem, et Homines Civitatis Æsinae, et Universitates, et Homines Comitatus Æsini. LXI. 3. p. 400.

APOSTATIS, seu Fugitivis cujuscumque Ordinis Regularis, Anno Jubilaei, indulgetur, ut ad suos Ordines intra praescriptum tempus redire possint, condonata illis omni poena propter Apostasiam debita. XXIV. 1. p. 199.

SS. APOSTOLORUM Petri et Pauli Festum, et Octava ut solemnius in Urbe celebrentur statutum est. LIX. 12 p. 366. Olim Episcopi plures convenichant ad illud cum Summo Pontifice concelebrandum. XIX. 7. p. 120.

Ad eorum Sepulcrum magni Principes accesserunt, et frequentes fuerunt peregrinationes ad Limina Apostolorum. *ibid.* 1. et 4. p. 118. et 119. et LIX. 18. p. 368. Omnes ad illud invitantur Anno Jubilaei. XIX. 9. p. 122.

Sacros eorum Cineres S. Joannes Chrysostomus praesens venerari peroptabat. *ibid.* 8. p. 121.

APPARITIO S. Petro ab Urbe fugienti facta a Christo dicente, *venio iterum crucifigi*, certa ex testimonio praesertim S. Ambrosii reputatur; sed Apparitionis locus incertus remanet, licet Sacella ad id extructa conspiciantur. XV. 9. seqq. pag. 104. Ab his Sacellis instaurandis Benedictus XIV. consulto abstinuit, et quare. *ibid.* 11.

APPELLANTES, et litigantes Eremitae Camaldulenses Congregationis Tusciae pro defendendis, patrocinandisque causis ad se spectantes adversus sententias, et decreta ab eorum superioribus Lata nominare, et eligere nequeunt alium Defensorem, seu Patronum, nisi alium Eremitam propriae cujusque Eremi. XIX. [illegible] p. 145.

APPELLATIO in causis de damno dato ad eos Judices deferenda, ad quos pertinet aliarum causarum criminalium cognitio in secunda, et ulterioribus instantiis. XXXVII. 17. p. 245.

Appellatio in causis civilibus, et criminalibus Peregrinorum, et Advenarum, Anno Sancto, ipsis solis conceditur et quomodo facienda. XXII. 1. et 2. p. 193.

APPELLATIONES in Ordine Fratrum minorum Cappuccinorum statuuntur gradatim fieri: a gravamine Guardiani ad ministrum Provincialem, vel Definitorium Provinciale, a Provinciali vel Definitorio Provinciali ad Ministrum Generalem; itaut causae appellationis antequam a Superioribus Gene-

ralibus cognitae, et definitae fuerint extra dictum Ordinem deferri, agitari et cognosci nequeant. XVIII.* p. 117.

Professores hujusmodi contrafacientes sub poenis per Romanorum Pontificum Constitutiones praescriptis, et contentis ipso facto absque alia declaratione, incurrant. *ibid.*

AQUILEJENSI Ecclesiae, Patriarchatus denominatio accessit saeculo sexto, in schismate occasione damnationis trium Capitulorum conflato. *Append. num. IV.* in 1. Alloc. Pont. §. 4. pag. 437.

Aquilejensis Civitatis conditio misera est, et Patriarcha alibi diu resedit. L. 7. p. 303.

Aquilejensis patriarchatus plurium saepe perturbationum, et calamitatum causa extitit, *ibid.*

Aquilejensis Dioecesis pars Austriaca dominio subjecta plura in rebus spiritualibus incommoda diu sustinuit, et quare. *Append. num. IV.* in 2. Alloc. Pont. §. 2. pag. 438. Diversa remedia multoties tentata fuerunt, sed frustra. *ibid.* et §. 3. pag. 439. Ad haec tollenda Vicarius Apostolicus pro illa parte constitutus fuit cum opportunis facultatibus *ibid.* et 4. p. *ibid.* Salvis Ecclesiae Patriarchalis juribus. N. IV. in 2. Litt. Apost. § 11. p. 447.

V. *Vicarius Apostolicus.*

Partes olim dissentientes, de futuro statu Patriarchatus Aquilejensis in pluribus inter se convenerunt, et pro rerum conventarum effectu, auctoritatem Apostolicam concorditer implorarunt. L. 1. ad 4. pag. 300. ubi conventionis articuli inseruntur.

Conventiones communi plausu receptas, *ibid.* 6. pag. 302. Summus pontifex approbavit. §. 8. pag. 303.

Aquilejensis Patriarchatus, et Cathedra penitus extinguuntur, et in ejus locum duo Archiepiscopatus, Utinensis nempe, et Goritiensis eriguntur, quibus Dioeceses, et suffraganei assignantur, remissive. *ibid.* 9. 10. 11. pag. 303. et 304. et *Append. num. IV.* in prima Alloc. Pont. §. 3. p. 436.

Aquilejensis Civitatis utpote in Austriaca ditione constitutae spirituale regimen ad Goritiensem Archiepiscopum pertinebit. L. 14. pag. 305. Parochia in Patriarchali olim Ecclesia constituta supprimitur, et spirituale populi regimen alteri ejus Civitatis Parochiae adnectitur. *ibid.* seqq.

Patriarchalis quondam Ecclesia ab omni Archiepiscopali, et Episcopali jure eximitur, et Sedi Apostolicae immediate subjicitur, ejusque cura Apostolico Delegato ibi jam pridem ad Monialium regimen constituto committitur. §. 18. p. 308.

ARCHIEPISCOPATUS Utinensis, et Goritiensis, suppresso Aquilejensi Patriarchatu, erecti. L. 10. et 11. p. 304.

ARCHIEPISCOPUS MEXICANUS deputatur in Visitatorem Apostolicum, et Reformatorem Ordinis Hospitalaris S. Hippolythi Martyris in Civitate, et tota Provincia Mexicana. XXXIX. p. 252.

Cum onere eligendi unum, aut plures socios dicti, seu alterius Ordinis, vel Congregationis, aut Instituti ab Apostolica Sede approbati. *ibid.*

Et hoc ad decennium. *ibid.* Praecipitur eidem Archiepiscopo, ut dictum Ordinem, illiusque Superiores, Fratres, et Personas cujusvis status, gradus, et conditionis; necnon Conventus, Ecclesias, Domus Regulares, Hospitalia, et alia loca, et personas ad eumdem Ordinem spectantia visitet, et inquirat. *ibid.*

Quaecumque contra Instituta, Constitutiones, et Ordinationes Generales dicti Ordinis inveniat, reformet, corrigat, ac de novo condat, si opus fuerit. *ibid.* Abusus quoscumque tollat *ibid.*

Si superiores quoscumque culpabiles juxta dispositionem Sacrorum Canonum, Juris Communis, et ordinis praedicti Constitutionum reperiat, illos ab eorum respective Officiis amoveat, aliosque magis idoneos, et ordinationum hujusmodi observantes, in illorum locum substituat, et deputet. *ibid.*

Si dictus Archiepiscopus ab hac luce migraverit ante expletum decennium, et antequam munus Visitatoris, et Reformatoris illi demandatum exequatur; tunc Vicarius Capitularis legitime deputatus munus praedictum cum omnibus facultatibus superius expressis suscipiat, et exequatur, quousque Archiepiscopus Mexicanus de novo electus possessionem metropolitanae Ecclesiae Mexicanae suscipiat. *ibid.*

Defuncto Archiepiscopo mexicano eligitur in Vicarium Capitularem Franciscus Xaverius Gomez de Cervantes Presbyter, et Canonicus ejusdem Ecclesiae mexicanae, et eidem devolvitur munus Visitatoris, et Reformatoris dicti Ordinis Hospitalaris S. Hippolythi martyris. *ibid.* p. 253.

Eidem munus confirmatur etiam post electum novum Archiepiscopum ob alias curas distentum. *ibid.* p. 254. Et ad quinquennium dumtaxat. *ibid.* Decreta vero, ac Resolutiones in actu, et tempore visitationis, durante quinquennio praedicto, facta et praescripta, seu factae et praescriptae, ante illorum, et illarum executionem approbari debent ab existente Archiepiscopo Mexicano. *ibid.*

ARCHIPRESBYTER Basilicae Vaticanae ordinariam in spiritualibus jurisdictionem suae dignitati annexam habet in eamdem Basilicam, ejusque Seminarium, et adnexa aedificia, ac in personas Canonicorum, Beneficiatorum, aliorumque inservientium Basilicae, in his, quae ad illius servitium pertinent. LIX. §. p. 362.

Potest per se, vel per alium Episcopum, Ordines Sacros absque alterius licentia conferre Canonicis, et aliis Basilicae inservientibus, sine dimissoriis, et examine Ordinariis eorum originis, quae tamen requiruntur quoad Convictores Seminarii. 6. p. 363.

Potest pro iisdem ordinandis Examinatores è Canonicorum coetu deputare, super interstitiis dispensare, et ordinatis licentiam celebrandi concedere. 7. *ibid.*

Potest per se, vel per alium idoneum, consecrare Altaria Basilicae, Ecclesias illi subjectas, utensilia, et vestimenta benedicere, et Pontificalia, in eadem Basilica celebrare. 8. p. *ibid.*

Archipresbyteri Basilicae semper fuerunt Praefecti Fabricae ejusdem, et Congregationis Fabricae. LIII. 3. p. 327.

Archipresbyter, et Archipresbyteratus Terlitiensis. V. *Terlitiensis.*

AUBUSSON, Petrus, Jerosolymitanae Militiae Magister, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Romam nunquam accessit *Suppl. num. II.* §. 14. p. 460. Albam Crucem tamquam Ordinis sui habitum supra Mozzettam semper gestavit. *ibid.*

AUDITOR Camerae locum habet in visitatione carcerum. VIII. cap. 2. §. 7. p. 66.

Auditores criminales. V. *Criminales.*

S. AUGUSTINUS ad suavem hymnorum cantum in Ecclesia pie lacrymabatur. III. 9. p. 24.

AUGUSTINUS Gioja Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini laudatur, et eligitur in Apostolicum Visitatorem totius Ordinis. XIX.**** p. 143.

AUGUSTANAE Episcopalis Curiae Ordinaria Jurisdictio asseritur in Conservatoria Virginum Anglicanarum. VII. p. 49.

AVIA sub appellatione parentum continetur, et ad tutelam admittitur. LIV. 22. p. 337. V *Tutela.* Patriam tamen potestatem non habet. *ibid.* 9. pag. 333. et 16. p. 336.

Avia Neophyta jure obtulit ad Baptismum nepotes ex filio defuncto, etiam contradicentibus eorum matre Judaea, et Tutoribus a patre relictis. §. 17. seqq. pag. *ibid.* seqq. et a §. 25 ad ult. p 338. seqq.

AUREA Rosa benedicta. XLII. per tot. p. 260. V. *Rosa.*

AUSTRIAE Archidux, Maria Theresia, Hungariae et Bohemiae Regina, Romanorum Imperatrix Electa, in Aquilejensis Patriarchatus negotio, summa Religionis et Prudentiae laude se gerit. L. 3. pag. 301. et *in Append. num. IV.* §. 6. pag. 437.

AUTHENTICA folia pro identitate Velorum Beatae Mariae Virginis Lauretanae, quis dare possit. X. 3. seqq. p. 82. V. *Lauretana.*

AVUS patriam potestatem habet in nepotes, et jus offerendi eos ad Baptismum. LIV. 1. et 12. p. 329. et 334. Avus et Avia ad curam filiorum et nepotum jus habent. *ibid.* 25, p. 338.

B.

BACCHANALIORUM nonnullae consuetudines pravae in ditione Pontificia emendatae sunt. XXXVIII. init. pag. 248. De Vigilia S. Mathiae ultimo Bacchanaliorum die occurrente. V. in verb. *Vigilia.*

S. BALBINAE Prioratus de Urbe a Pio IV. unitus fuit Mensae Capitulari Basilicae Vaticanae. LIX. 82. p. 381.

BANCHUM publicum Depositorum Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe Paulus V. erexit, ejusque administratores designavit. XXX. 1. p. 219. seqq. ubi referuntur ejus Literae Apostolicae super hac institutione.

Banchum idem etiam a Saecularibus administrari potest. §. 2. p. 222. ejus Capsae Claves a quibus sint custodiendae. *ibid.* 1. p. 220.

Banchi debitores, etiamsi loca Pia aut Religiosa sint, obligati in forma Camerae remanent ex Brevi Innocentii XI. *ibid.* 3. p. 222.

Banchi Ministri statuta, et ordinationes facere, et mutare possunt, sub quibusdam tamen conditionibus, et quinam sint Ministri. *ibid.* 11. pag. 224. Emolumenta pro Ministris unde detrahenda. *ibid.* 9.

Congregationes duae super Banchi statu habendae sunt, et quando, et qui intervenire debeant. *ibid.* 10.

Computorum collatio, vulgo *Bilancio*, singulis annis mense Januarii fieri debet, ejusque exemplaria duo speciali modo conficienda, et custodienda, quorum unum erit Summo Pontifici exhibendum. *ibid.* 7. p. 223.

Apud Capserium Banchi relinquenda est pecunia pro solutionibus sufficiens ad arbitrium Commendatarii. *ibid.* 8. p. 224.

Pecunia in hoc bancho deposita in Locorum Montium non vacabilium emptionem dumtaxat converti potest, *ibid.* 1. p. 220. seqq. *et ibid.* 6. pag. 223. Si in alios usus convertatur, Praeceptor, et Ministri ad restitutionem etiam de proprio obligantur, *ibid.* 6. Nisi Pontifex id permittat: et tunc in Chirographis manu Pontificis signandis specialis mentio, et derogatio hujus Constitutionis Benedicti XIV. est facienda sub poena nullitatis. *ibid.*

Pecunia ejusmodi per literas, et Cedulas solvi potest. *ibid.* 2. p. 222.

De hoc Bancho, quae e Paulo V. et Innocentio XI. statuta sunt, confirmantur sine praejudicio actionum, quae Archihospitali, et Bancho eidem contra alias personas, et loca ob statutorum inobservantiam competerent. *ibid.* 4.

BAPTISMI Sacramentum est janua caeterorum. II. p. 14.

Baptismus ab Haereticis rite collatus validus est, nec iterandus, et sic baptizatus fit Ecclesiae membrum, ejusque legibus subditur. *ibid.* 12. ad 16. pag. 12. Ab unitate Ecclesiae repellitur si ad usum rationis perveniens haeresi adhaeret. *ibid.* 14.

Baptizandi non sunt infantes Infidelium sine parentum consensu. LIV. 10. pag. 333. et 20. p. 336.

Baptismo offerre infantes, et impuberes potest quisquis patria potestate praeditus est, *ibid.* 16. seqq. pag. 338. seqq. Idipsum in favorem Religionis aliquando potest, qui patria potestate caret. *ibid.* 19. pag. 336. Id admittitur in Avia Neophyta quoad nepotem ex filio defuncto etiam contradicente Matre. *ibid.* 28. seqq. p. 438. seqq. V. *Avia*.

Baptismo offerri infantes, et impuberes possunt a parentibus Neophytis, Ethnicis, et Judaeis, dummodo id bona fide fiat, et baptizatus apud Christianos remaneat, *ibid.* 10. pag. 333. Et a patre, etiamsi mater Infidelis dissentiret; et contra. *ibid.* 11. pag. 334.

Idem jus habet avus respectu nepotum, licet patre, aut matre contradicente. *ibid* 12. p. *ibid.* seqq. Idem jus habent tutores. *ibid.* 13. p. *ibid.* et domini, quoad filios servorum poenalium. *ibid.* 18. p. 334. et §. 26. p. 339. Non idem procedit quoad filios servorum civilium: dicto §. 18. p. 334.

Baptismo offerri Judaeorum filii in mortis discrimine constituti, aut a parentibus derelicti, possunt a quocumque, licet parentes contradicerent. *ibid.* 14.

Baptismus solemnis olim in Basilica Vaticana in Sabbato Sancto administrabatur. LIX. 12. pag. 366. Nunc etiam obtinet, ut quicumque, et quandocumque in eadem Basilica baptizentur. *ibid.* 14. p. 367.

Parochis Romae sub poenis interdicitur, ne suos Parochianos ab hoc avertant, et mandatur, ut schedulas necessarias certa forma conceptas baptizandis tribuant. *ibid.* 15.

Baptismus in privatis Oratoriis quando administrari possit. XLVIII. 19. p. 292.

S. BARRATI Abbatia. V. *Abbatia*.

BARONCELLUS Urbis, et alter, qui appellatur *di Campagna*, ut integrum satellitum, et equorum numerum sibi praescriptum alere non omittant, et Gubernatoris Urbis vigilantiae committitur. VIII. p. 64.

BASILIANIS Monachis ad Capitulum Generale convocatis mandatur, ut Catholicum Graecum ritum custodiant. XLIV. 2 p. 278.

Basiliani Abbates Monasteriorum Graeci ritus Missam eodem ritu celebrent. *ibid.* 3.

Statuta in eodem Capitulo ad Summum Pontificem deferant confirmanda. *ibid.* 4. Graecam linguam perfecte addiscant. *ibid.* 5.

BASILICAE quatuor Urbis pro lucrando Jubilaeo designatae sunt, et successive visitari possunt. XV. 4. pag. 102. Quot vicibus visitari debeant. XVII. 6. p. 109.

Basilicae a Benedicto XIV. reparatae, et ornatae recensentur. XV. 4. seqq. p. 102.

Basilica Lateranensis. V. *Lateranensis*.

Basilica S. Mariae Majoris. V. *Liberiana*.

Basilica Vaticana. V. *Vaticana*.

BEATI titulus nulli tribuendus, absque auctoritate Sedis Apostolicae. VII. 12. p. 85.

BEATIFICATIONES in Basilica Vaticana sunt peragendae. LIX. 20. p. 369.

BEATIFICATIO Ven. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal. per tot. p. 324.

BEGUINARUM secta in Concilio Viennensi abolita fuit; toleratis postea quibusdam honeste viventibus. VII. 7. p. 83.

Beguini seu Bizochi, habitum proscripti sui Instituti perperam a quibusdam Praesulibus susceperunt. VII. p. 82.

BELLUM a Turcis illatum Christianis rapinae cupidine, injustum est, ideo Turcae restituere debebunt. LVII 8. p. 351.

In bello injusto rapina est quidquid occupatur, adeoque restituendum. *ibid.* 4. ubi vide nobile exemplum ex antiquis Romanis. Res occupatae an possint ab aliis emi, et emptores teneantur restituere accepto pretio. *ibid* 10. seqq. p. 352 seqq. In bello justo, quae occupantur ad victorem pertinent: mobilia ad primum occupantem, immobilia ad supremum Principem. *ibid.* 4. p. 351.

In bello non sunt laedendi Ecclesiastici, Peregrini, Mercatores, et Agricolae, et quare. *ibid.* 5. 6. et 7. p. 351. et 352.

BENEDICTIONEM Apostolicam elargiendi populo in aperiendis, et claudendis Portis Sanctis Anno Jubilaei facultas conceditur Cardinalibus de Latere Legatis ad hoc designatis. XIX.******* 9. p. 180. et XXV. p. 200.

BENEDICTIONEM solemnem post Missam, vel trino ductu cum Sanctissimo Sacramento dare prohibentur Canonici Urbinatenses, licet habentes Indultum Pontificalium. LV. 4. ad VI. VII. et VIII. p. 344.

Nec ullo modo permittuntur Benedictionem dare post Vesperas, aut Matutinum, etiam in Pontificalibus celebratum. *ibid.* ad VI.

Benedictio Rosae Aureae. V. *Rosa*.

Benedictiones utensilium, et vestium Basilicae, Vaticanae, et Ecclesiarum illi subjectarum, a quo sint peragendae. LIX. 8. pag. 363.

BENEDICTUS XIII. de Ecclesiastica disciplina, Ecclesiarumque decore solicitus erat. III. 1. p. 16. Et erga Purgatorii animas piissimus. XXI. 24. p. 168.

Ejus Constitutio super Immunitate Ecclesiastica confirmatur, et declaratur. XXVII. per tot. p. 205. seqq.

Ejusdem Indultum pro usu Pontificalium Canonicis Urbinaten. concessum, declaratur. LV. per tot. p. 343. seqq.

BENEFICIA ad Archihospitale Sancti Spiritus spectantia a quo conferri debeant. IV. 1. pag. 33. Exempta sunt a spolio. *ibid.* V. *S. Spiritus*.

Beneficia perpetua in Basilica Vaticana existentia,

et alia dependentia a Monasteriis, Abbatiis, et Prioratibus eidem Basilicae unitis, et Archipresbytero, et Canonicis Basilicae per assignatum turnum sunt de more conferenda, salvo Sanctae Sedis, et Datariae jure, quoad reservata, et affecta : LIX. 39 pag. 374. §. 80. pag. 379. §. 82. p. 381.

Beneficia a Monasterio S. Rufilli Foripompilii dependentia, ab eodem Capitulo Vaticano conferenda sunt Clericis illius territorii. §. 62. pag. 386.

Beneficiorum collatio in parte Dioecesis Aquilejen. Vicario Apostolico commissa, reservatur Sedi Apostolicae, *Append. num. IV. in secunda Litt. Apost. ibid.* 7. p. 446. Exceptis iis, quae spectant ad collationem Capituli Aquilejen. et relicta Vicario Apostolico facultate instituendi in Benef. de Jurepatronatus, et habendi Concursus super vacantibus Ecclesiis, et Praebendis, quibus imminet Animarum cura. *ibid.*

Beneficiorum collatio, seu Vicariorum deputatio, et respective approbatio, et institutio in locis a Praepositura Sanctae Mariae de Pomposia dependentibus, deputato Vicario Apostolico, iis reservatur, ad quos antea spectabat. *Append. num. IV. in ult. Litt. Apost. ibid.* 6. p. 451.

BENEPLACITUM. Gratiae concessio, aut suspensio, duratura *ad beneplacitum Sedis Apostolicae*, non expirat morte Pontificis concedentis, aut suspendentis. XXI. 18. p. 165. Secus, si Pontifex aliquid indulgeat, aut suspendat, *usque ad suae voluntatis beneplacitum. ibid.*

Quomodo autem dari possit virtualis revocatio hujusmodi concessionum, aut suspensionum. V. *ibi.* §. 20 p. 166.

Ad Beneplacitum Sedis Apostolicae semper fieri solent deputationes Vicariorum Apostolicorum; nec alterius nominationi permittitur eorum electio. *Append. num. IV.* §. 4. pag. 437. Atque id factum fuit in deputatione tum Vicarii Apostolici in parte Dioecesis Aquilejensis. *Append. num. IV.* pag. 436. §. 2. pag. *ibid.* §. 1. Tum Vicarii Apostolici in Locis a Pomposiana Praepositura dependentibus. Eodem num. IV. p. 448.

Beneplacito Sedis Apostolicae non indiget Capitulum Basilicae Vaticanae pro faciendis, et renovandis locationibus bonorum Basilicae, et Mensae Capitularis ad novennium. LIX. 31. pag. 371. Neque pro condonandis caducitatibus ante captam possessionem. *ibid.* 33. p 372.

BILANCIO, seu collatio computorum Banchi Sancti Spiritus quando, et quomodo fieri debeat. XXX. 7. p. 223.

BIRRUARIORUM numerus praescriptus pro servitio Tribunalium Urbis ne imminuatur, eorum census a Gubernatore Urbis identidem habendus praecipitur. VIII. 8. p. 64.

BIZOCHI V. *Beguini*.

S. BLASII, *della Pagnotta* nuncupat. Monasterium in Via Julia, ab Eugenio IV. unitum fuit Basilicae Vaticanae. LIX. 42. p. 376. V. *Parochialis*.

BONA FIDES ad inducendam praescriptionem necessaria est non solum in initio adeptae possessionis, sed etiam in progressu et fine. LVII. 23. p. 387. Qua in re per Sacros Canones correcta est nimia laxitas auctorum Juris Civilis. *ibid.*

BONA Christianorum mobilia a Piratis infidelibus rapta, possunt alii Christiani tam liberi, quam captivi licite emere, etiam vili pretio, et retinere, etiamsi bona sint Ecclesiarum mobilia. LVII. 10. seqq. pag. 382. seqq. Animo tamen ea restituendi domino comparenti pro justo pretio. *ibid.*

Bona immobilia, et mobilia ab hostibus in bello injusto occupata, et ab aliis empta, differentiam important in obligatione restitutionis, §. 16. et 17. p. 384. et quoad eorum emptores. §. 21. p. 386.

Bona Ecclesiarum in Albania a Turcis eversarum Christiani quidam usurparunt, alii a Turcis emerunt. §. 2. pag. 380. Congregatio de Propaganda Fide ab Archiepiscopo Antibarensi requisita, modum insinuavit, quo possidentium conscientiis consuleretur. *ibid.* et §. 3. pag. 380. Caute in hoc procedendum. §. 28. et 29. pag. 388. et 360.

Bona Ecclesiastica immobilia ab Haereticis, et Infidelibus occupata, et a Christianis empta, restituenda sunt cum fructibus perceptis, sive soluti pretii repetitione. a §. 16. ad 22. p. 384. seqq. ubi referuntur Auctorum sententiae.

Bona ejusmodi multo magis tenetur restituere, qui ea usurpavit; etiam in regionibus occupatis ab Infidelibus. §. 23. p. 387. seqq.

Bona Ecclesiastica ab Haereticis usurpata, nonnullis eorum una cum fructibus relinquenda esse censuit Apostolica Sedes; eosdemque a censuris absolvit, si ad Ecclesiae Romanae sinum redirent. §. 26. et seqq. p. 389. seqq.

Bona Ecclesiastica quaenam intelligantur in causis de damno dato. XXXVII. 9. p. 243.

Bona derelicta quaenam sint. LVII. 24. p. 388.

Bona Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia obligata sunt mensae nummariae in eodem erectae. XXX. 1. seqq. p. 219. Eadem a spolio exempta sunt. IV. 3. p. 34. V. *S. Spiritus*.

BONITAS moralis actuum subsistit etiam cum statu peccati, quamvis hujusmodi actus aeternae vitae meritorii esse nequeant. XXI. 75. pag. 185. seqq.

BONONIA Alexandri V. Pontificis Patria asseritur. XLII. 4. p. 261.

Ex eadem Civitate originem duxit S. Pius V. Pont. Max. XVI. 7. p. 107.

Bononiensi Ecclesiae Metropolitanae Rosam Auream a se benedictam Pontifex dono mittit. XLII. per tot. pag. 260. seqq. Eadem Ecclesia a Grego-

rio XIII. simili munere decorata fuerat. *ibid.* §. 5. p. 261.

S. BRUNO Ordinis Carthusiensis Parens II. pag. 14.

Eidem S. Brunoni Ruggerius Siciliae, et Calabriae Comes quamdam Eremum in Provincia ulterioris Calabriae dono dedit. *ibid.*

Ad Monasterium S. Stephani in Bosco spectat dicta Eremus, et Priores ejusdem habent jurisdictionem temporalem, et spiritualem, ac quasi Episcopalem in Ecclesiis in ejus Territorio contentis ex vi donationum, et concessionum S. Bruoni factorum ab Episcopis Squillacen., et confirmatarum a diversis Romanis Pontificibus. *ibid.*

Iidem concedere possunt literas Dimissoriales Clericis subditis, et transmittere ad Episcopos, ut ad sacros ordines rite sese promoveri faciant. *ibid.* p. 15. Presbyteris idoneis, et ab eorum respective Ordinariis approbatis Sacramentales confessiones excipiendi facultatem tribuunt. *ibid.*

In Ecclesiis praedictis Confirmationem a quocumque Catholico antistite sibi bene viso in subditos conferre faciunt. *ibid.*

Commissiones, Literasque Apostolicas, Dispensationes etiam Matrimoniales continentes exequuntur, omnesque causas Ecclesiasticas cognoscunt, et decidunt. *ibid.*

Ecclesias sibi subjectas infra duorum annorum spatium visitant, ex privilegiis eis tam ab Episcopis, quam a Romanis Pontificibus concessis. *ibid.*

Ecclesiae dependentes a dicto Monasterio S. Stephani gaudent immunitate ecclesiastica pro iis, qui confugiunt ad eas ob patrata delicta. *ibid.* Eadem vero immunitate ecclesiastica minime gaudent qui obnoxii delictis exceptis in Constitutionibus Gregorii XIV., et Benedicti XIII. Romanorum Pontificum, et in concordatis inter Apostolicam sedem, et Carolum Sebastianum utriusque Siciliae, et Hierusalem Regem. *ibid.*

BUGIÆ, seu Palmatoriae usus asseritur Canonicis et Vicario Basilicae Vaticanae. LIX. 38. p. 374.

Idem conceditur Canonicis Veronensibus. *Suppl. num. IV.* §. 3. p. 464.

Hujusmodi privilegium comprehendi negatur in Indulto Pontificalium Urbinatensi Capitulo, et Canonicis concesso. LV. 4. *ad* IV. p. 344.

BULLA Coenae. V. *Censurae.*

BURGENSIS Abbatissa. V. *Abbatissa.*

C

CADUCITATES bonorum Basilicae Vaticanae quacumque ex causa incursas potest Capitulum ejusdem Basilicae absque S. Sedis Beneplacito condonare, per expressum tamen actum, et consensum, dummodo actualem rei possessionem non apprehenderit: aliter requiritur Beneplacitum sub poena nullitatis. LIX. 33. p. 372.

CÆREMONIALIS EPISCOPORUM Rubrica super delatione Crucis Ordinum Militarium, limitatur quoad Fratres Professos S. Joannis Hierosolim. *Supplem.* num. II. §. 9. p. 489.

CALICES lignei et vitrei olim in usu fuerunt pro Missae celebratione. XLIII. 3. p. 272.

Calices stannei Presbyteris Latinis in Russia Polonica permittuntur; quibus etiam alibi Sacerdotes pauperes uti possunt. *ibid.*

Calicis oblatio. V. *Conservatores Camerae Capitolinae.*

CAMBIANI mulier Jesuitissa, tamquam Instituti Visitatrix, illius suppressionem a Sede Apostolica decretam impedire studuit. Ad Urbem deducta, et in libera custodia detenta fuit. VII. sub §. 2. num. IV. VI. et VII. p. 80. seqq.

CAMERÆ Apostolicae Tribunal coram Pontifice sententiam dicit in Causa sacrae supellectilis Cappellae privatae defuncti Card. Accoramboni. V. 1. p. 43. ejusque sententia a Pontifice confirmatur. *ibid.* per tot.

Camera Capitolina. V. *Conservatores.*

CAMPIDUNENSE Monasterium in Svevia a Beata Hildegarde fundatum inter praecipua Ordinis S. Benedicti Monasteria numeratur. VI. 1. p. 48.

Sedi Apostolicae immediate subjectum est: Jurisdictionem habet in parochiali Ecclesia Sancti Laurentii Oppidi Campidunensis; et pluribus privilegiis, Pontificia, et Imperiali auctoritate concessis fruitur. *ibid.*

Campidunensis Abbas insignes gradus inter Principes S. R. Imperii obtinet; jurisdictionem temporalem habet; eique indulta fuit facultas consecrandi quamdam Ecclesiam. *ibid.*

Indultum perpetuum ipsi conceditur ministrandi Sacramentum Confirmationis his, qui ejus jurisdictioni spirituali subditi sunt, accepto sacro Oleo ab aliquo Catholico Episcopo. *ibid.* 2. Haereticos Oppidi Campidunensis ad Fidem Catholicam revocare satagit. *ibid.*

CANONES licet actu et per abusum neglecti, attendi debent in conscientiarum directionem. LVII. 5. et 8. p. 351. et 352.

Canones Poenitentiales antiquos in praxi temperavit pia Mater Ecclesia, quos tamen Confessarii prae oculis habere deberent. XIX. 23. p. 129.

Canones a Conciliis Provincialibus conditi Ecclesiam universalem non obligant. II. 9. p. 12.

CANONICI Choro interesse, et cum aliis psallere et canere tenentur. III. 2. p. 17. et *Supplem.* num. IV. §. 6. seqq. p. 465.

Canonici Basilicae Vaticanae cui sint subjecti. LIX. 4. et 5. p. 362. et a quo possint ordinari. §. 7. pag. 363.

Ex iis deliguntur Examinatores Ordinandorum ab Archipresbytero Basilicae. *ibid.* 7. p. *ibid.* Qui sunt Presbyteri, possunt, de mandato et delegatione Archipresbyteri, benedicere vestes, et utensilia Ecclesiae, in quibus sacrum Oleum non adhibetur. *ibid.* 8. p. *ibid.*

Protonotarii Apostolici sunt, aliisque honorificis titulis gaudent apud Sedem Apostolicam; et in quibuscumque Ecclesiis palmatoria, vulgo *bugia*, uti possunt, dum Missam celebrant. *ibid.* 38. pag. 374.

Consueto habitu Chorali uti possunt in functionibus, et Processionibus ad Ecclesias Basilicae filiales peragendis. *ibid.*

Canonicus Altarista, vel antiquior, si Presbyter sit, potest Basilicam, si polluatur, reconciliare, aqua tamen ab Episcopo benedicta. §. 8. p. 363.

Canonici iidem quomodo se immiscere possint causis criminalibus locorum ipsis subjectorum. *ibid.* 63. pag. 386.

CANONICI REGULARES privilegium habent non utendi suis religiosis vestibus, si ad Episcopatum promoveantur, et quare. *Suppl.* num. II. §. 3. p. 487.

Canonici Regulares Lateranenses, et SS. Salvatoris, veri Regulares sunt, et dispensatione indigent, ut Beneficia curata, et residentialia obtineant. LI. 1. p. 320. *remissive.*

Canonici Archihospitalis S. Spiritus in Saxia sub Regula S. Augustini militant. XXX. 1. p. 219. Commendatario Archihospitalis subjecti sunt. IV. 1. p. 33.

Canonici Veronenses. V. *Veronenses.*

Canonici Urbinatenses. V. *Urbinatensis.*

CANONIZATIONES Sanctorum in Basilica Vaticana sunt peragendae. LIX. 20. pag. 369. Canonicis, et Clero Basilicae in ejusmodi solemnitate peculiaris locus est praeservandus. *ibid.* 21. pag. *ibid.*

Canonizatio S. Birgittae in Sacello Palatii Pontificii peracta fuit. V. 4. p. 44.

CANTUS. V. *Canonici in Choro.*

CANTUS in Ecclesiis talis sit, ut verba distincte intelligantur. III. 9. pag. 23.

Cantus Musicus. V. *Musica.*

Cantum planum, seu firmum, S. Gregorius Magnus ordinare studuit. III. 2. p. 18.

Cantus hujusmodi ad pietatem excitat; a piis viris Musicae praefertur; a Concilio Tridentino commendatur, et in Choro rite servandus. *ibid.*

Cantum eumdem Monachi a Presbyteris saecularibus didicerunt, et diligenter tractant. *ibid.*

Cantum Romanum in Gallicanas Ecclesias Carolus Magnus invexit, accitis ab Urbe Roma Cantoribus. III. 14. p. 26.

CAPENA Porta Urbis, nunc *S. Sebastiani*, ab uno in alium locum translata fuit: in ea Christus S. Petro fugienti apparuisse dicitur. XV. 12. pag. 104.

CAPITOLINA Camera. V. *Conservatores.*

CAPITOLINUS carcer. V. *Carcer.*

CAPITULUM Juvenacense. V. *Juvenacense.*

Capitulum Lateranense. V. *Aggregatio.*

V. *Lateranense.*

Capitulum Terlitiense. V. *Terlitiense.*

Capituli Vaticani privilegia recensentur, et ampliantur. LIX. *a* §. 4. *et deinceps* pag. 362. *et seqq.* V. *Vaticana Basilica.*

Quomodo congregandum pro acceptandis oneribus communibus. LIX. 36. p. 373.

Capitulum Veronense. V. *Veronense.*

Capitulum Urbinatense. V. *Urbinatem.*

Capitulo Generali Monachorum S. Basilii nonnulla statuenda declarantur. XLIV. per tot. p. 274.

Capitulum Generale a Piis Operariis celebrandum esse Romae, et Neapoli alternatim suadetur. LX. 2. p. 391.

CAPPAE usus Capitulo et Clero Vaticano conceditur in Ecclesiis etiam Filialibus Basilicae, et in Processionibus circa eas occurrentibus. LIX. 38. p. 374.

CAPELLAE nomine, utrum, et quando veniant Oratoria in privatis domibus erecta. V. 7. p. 45. V. *Oratorium, Sacellum.*

Cappellarum privatarum supellex, ex Constitutione S. Pii V. ab Episcopis, aliisque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, nemini legari potest, vigore cujuscumque Indulti, nec etiam inter spolia Camerae Apostolicae debita comprehenditur, sed pertinet ad eorum Ecclesias, et Beneficia. V. 9. p. 46. et LIX. 27. p. 370.

Hujusmodi Constitutionis observantiae consulitur favore Sacrarii Basilicae Vaticanae, quoad Cappellas Canonicorum, Beneficiatorum etc. *ibid.* 27. p. *ibid.*

CAPPELLA Pontificia organum numquam recepit; cantum musicum, sed gravem admittit. III. 3. p. 18. De juribus ipsius Cappellae, plura vide in verbo: *Sacellum.*

CAPPELLANIAE Octo a quondam Fructuoso de Faria fundatae in Parochiali Ecclesia S. Martini de Lordello de Ouro Portugallen. Dioecesis. IV. p. 36.

Pia haec fundatio octo Cappellaniarum a dicto fructuoso facta pro supradicta Ecclesia S. Martini extrahitur ob gravissimas causas, et transfertur ad insignem Collegiatam S. Martini de Cedofeyta ejusdem Dioecesis Portugallen. *ibid.* p. 37. et 38.

Hujusmodi translatio committitur Iosepho Mariae Episcopo Portugallen. cum opportunis ordinationibus. *ibid.* et seq.

CAPPUCCINORUM Ecclesiae pauperes sunt, sed mundae. *ibid.* 1. p. 17.

CAPPUCCINARUM Monialium Monasterium in Terra Meldulae Territorii S. Rufilli, subest jurisdictioni Capituli Vaticani privative quoad alios Ordinarios. LIX. 38. p. 383.

CARCER Capitolinus destinatur his, qui jussu Senatoris, et aliorum quorumdam Judicum, carceribus mancipantur. VIII. *cap.* 2. §. 2. p. 65.

Carcer Innocentianus, vulgo *Carceri nuove*, iis servatur, qui in carcerem retruduntur jussu Cardinalis Vicarii Gubernatoris, et aliorum Judicum, qui memorantur. *ibid.* Quoad Carceratos in utriusque carceribus quid observandum in carcerum visitatione. *ibid.* 8. seqq. pag. 66. seqq. V. *Visitatio*.

CARCERATI ob crimina, monendi sunt a Confessariis de obligatione aperiendae veritatis Judicibus legitime interrogantibus, ut rite confiteantur tempore Jubilaei. XXIII. 8. p. 197.

CARDINALES ex Indulto possunt de bonis, etiam ex proventibus Ecclesiasticis acquisitis, testari. V. 7. p. 45. excepta sacra supellectili, quae ad Sacellum Pontificium pertinet in vim Constit. Urbani VIII. *ibid.* per tot. V. *Sacellum*.

Iidem altero speciali indulto gaudentes testandi de sacra supellectile, hanc relinquere debent Ecclesiis, aut Cappellis publicis, seu Locis Piis. V. 7. p. 45. et 9. p. 46. Praecipue vero ipsis commendantur Ecclesiae, quarum Titulum, aut regimen obtinuerunt. *ibid.*

Cardinales hortatur Pontifex, ut suas Ecclesias, imminente Jubilaeo, reparare, et ornare studeant. XV. 14. p. 103.

Cardinales exempti sunt a poenis de damno dato XXXVII. 4. p. 242.

Cardinales si ex Ordine Equestri Jerosolymitano assumantur, Crucem octogonam Mozzettae adsutam deferre possunt. *Suppl.* N. II. §. 10. et 11. p. 459. Exempla. *ibid.* 14. 15. et 16. p. 460. et 461. Id nuper concessum est Cardinali Portocarrero. *ibid.* 10. p. 459. et 17. p. 461.

Cardinalis Major Poenitentiarius. V. *Poenitent.*

Cardinalis Vicarius Urbis. V. *Vicarius*.

CARNIS PRIVIUM. Absurda quaedam eo tempore invalescentia a Pontifice sublata. XXXVIII. 1. p. 248.

De Vigilia S. Mathiae ultimo die Carnisprivii occurrente.

V. *ibid., et infra in verbo Vigilia*.

S. CAROLUS BORROMÆUS Ecclesiasticae disciplinae instaurator. XXXV. 15. p. 238.

Ejus monita ad Confessarios prae oculis habenda commendantur. XVI. 4. p. 106.

Quomodo se gesserit in praeparandis populis ad Jubilaeum consequendum. XIX. 11. p. 123. et XXXV. 15. p. 237.

Jubilaei extensionem ad suam Dioecesim a Gregorio XIII. impetravit. XXXV. 3. p. 233.

Carolus Magnus cantum in Gallicanis Ecclesiis reformavit. III. 14. p. 26.

CASUS, qui reservari possunt, et atrociores, quinam sint. XLIX. 8. p. 300.

Casus in antiquis Jubilaei Indultis reservari soliti. XXI. 37. p. 173.

Casus non comprehensi in facultatibus ordinariis Cardinalis Majoris Poenitentiarii. *ibid.* 39. p. *ibid.*

Episcopis insinuatur, ut facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis concedant Confessariis quoad quasdam personas. XXIII. 10. p. 198.

S. CATHARINÆ DE ROTA Ecclesia Basilicae Vaticanae subjecta. LIX. 42. p. 376. V. *Parochialis*.

CAUSÆ tam civiles, quam criminales Peregrinorum, et Advenarum per Annum Sanctum, et per mensem ante, et post, in Urbe quomodo, et a quibus sint expediendae. XXII. tot. p. 192. seqq.

Causae Criminales. V. *Criminales*.

Causae *de damno dato*, in quibus casibus, ratione personarum, locorum, et animalium, spectent ad Forum Ecclesiasticum, vel ad saeculare; et quomodo introducendae, et cognoscendae, XXXVII. 5. seqq. p. 242. seqq.

V. *Damnum datum*.

Causae pertinentia. V. *Pertinentia*.

In causis Eremitarum Camaldulensium Congregationis Tusciae Prior Localis primus sit Judex. XIX. [illegible] p. 113. Si causam justis rationibus agnoscere nequeus illam ad Majorem, et visitatores, nisi in *Devolutivo* appellari, vel recursus haberi possit. *ibid.* A Decretis, et Sententiis eorum, si Eremitae hujusmodi ad Pontificem, vel Sanctam Sedem, aut alia Almae Urbis Tribunalia ad praemissum effectum deputata recurrere, et appellare desideraverint, eorum Appellationes, et recursus nisi in *Devolutivo* recipi, et admitti debeant. *ibid.* Idem intelligatur de recursibus, et appellationibus, quas Eremitae hujusmodi haud observantes, et inobedientes, aut violatores Constitutionum ejusdem Congregationis, juxta illarum tenores a Prioribus Localibus extrajudicialiter aliqua poena mulctati. *ibid.*

Litigantes, et appellantes Congregationis hujusmodi Eremitae pro defendendis, patrocinandisque causis ad se spectantes adversus sententias, et Decreta ab eorum Superioribus Lata nominare, et eligere nequeunt alium Defensorem, seu Patronum, nisi alium Eremitam propriae cujus Eremi. *ibid.* Inobedientes contra eorum Constitutiones, et Apostolicas ordinationes incurrant poenam *Excommunicationis latae sententiae* S. Sedi reservatae, nec non suspensionis a Divinis, ac privationis vocis activae, et passivae absque alia declaratione. *ibid.* p. 146.

CEDULÆ de pecuniis in Bancho S. Spiritus depositis creditum habere debent. XXX. 2. p. 222.

CENCII Camerarii Liber Censuum Ecclesiae Romanae sub finem saeculi XII. conscriptus, minus integre Typis editus. XLII. 8. p. 263.

CENSURÆ nomine potissimum venit Interdictum, Suspensio, et Excommunicatio. XXI. 48. p. 176. An etiam Irregularitas ex delicto. V. *ibid.*

Habens facultatem absolvendi a Censuris, non potest dispensare super irregularitate. *ibid.* 30. p. 177. V. *Absolutio*.

Qui habet facultatem absolvendi a Censuris in Bulla Coenae reservatis; non ideo potest absolvere a Censuris propter haeresim formalem externam, etiam occultam, incursis. XX. 33. pag. 188.

Censuras qui incurrit ob violatam clausuram ad turpem finem, et ob lectionem librorum prohibitorum, quomodo sit absolvendus Anno Jubilaei. XX. 28. 29. et 30. p. 186.

Poenitentiarii eodem Anno quomodo a Censuris absolvere possint. *ibid.* 8. seqq. p. 184. et 24. seqq. p. 188. seqq.

Absolutio a Censuris cum serio consequendi Jubilaei proposito obtenta subsistit, etiamsi quis a proposito postea resiliret; sed is peccat mortaliter. XXI. 86. p. 191.

CENSUUM liber Cencii Camerarii. V. *Cencii*.

CENTENARIA praescriptio dumtaxat adversus Ecclesiae Romanae jura valere potest. LIX. 30. pag. 371. Idipsum procedit quo ad bona et jura Basilicae Vaticanae. *ibid.*

Cereae Formae. V. *Agnus Dei*.

CHANTAL. V. *B. Joanna Francisca*.

CHARTARIUS Carolus, Advocatorum Consistorialium Decanus, auctor plurium Librorum, et praesertim Operis *de Rosa aurea*. XLII. 8. p. 261.

CHORDIGERI dicuntur, qui laneum cingulum S. Francisci de Paula portant. LVI. 1. pag. 346. Cingulum benedictum ab aliquo ex Fratribus Minimis ad id deputato accipiunt; idque ab eodem S. Francisco institutum esse pie creditur. *ibid.* 6. pag. 347. A Tertiariis ejusdem Ordinis distinguuntur. *ibid.*

Chordigeris peculiares Indulgentiae conceduntur. *ibid.* 7. et 8. p. 348. V. *Indulgentia*.

CHRISMA singulis annis Feria V. in Coena Domini renovandum est; nec licet uti veteri, nisi in necessitate. XXVIII. 8. p. 213.

Chrisma ab Episcopo benedictum adhiberi debet a simplici Presbytero habente facultatem extraordinariam conferendi Sacramentum Confirmationis. VI. 3. p. 49. et XXVIII. 4. p. 213.

Chrisma in Basilica Vaticana quotannis solemni ritu conficitur. LIX. 9. p. 364.

Ejus confectioni quinam interesse teneantur. *ibid.*

CHRISTIANI capti in bello inter Christianos non fiunt capientium servi. LIV. 18. p. 334.

Christianorum bona. V. *Bona*.

CLAUSURÆ legibus non obstrictae Religiosae Mulierum domus ab Apostolica Sede non approbantur in statu verae Religionis, nec ab Ordinarii jurisdictione eximuntur. VII. 8. p. 53. et §. 23. p. 59. V. *Tertiariae*

Clausuram violantes ad malum finem, sub quibus conditionibus absolvendi sint a Censuris Anno Jubilaei XX. 28. et 29. pag. 186. et XXI. 66. pag. 192.

CLEMENS VIII. quid circa poenas de damno dato constituerit. XXXVII. 2. p. 241.

CLEMENTIS XI. Decretum contra Altaris portatilis, et indebitae celebrationis Missae abusum. XLVIII. p. 295.

Clemens idem Anglicanarum Virginum Regulas admisit. V. *Anglicanae*.

CLEMENTIS XII. Literae Apostolicae contra coetus, vulgo *de' liberi Muratori*, confirmantur. XLVII. per tot. p. 283. seqq. Ejusdem Constitutio super Immunitate Ecclesiastica confirmatur, et declaratur. XXVII. 7. *et deinceps* p. 207. seqq.

CLERICI quando privilegia amittant. V. *Privilegium*.

CLESSELIUS Cardinalis contra Jesuitissas plura Romae egit. VII. sub §. 2. n. III. et v. p. 30. seqq.

CODELLIUS, Augustinus, Goritiensis, pro Vicarii Apostolici in ea Civitate constituendi residentia et sustentatione, proprias aedes, et certos fundos pia liberalitate donavit. *Append.* num. IV. p. 439. §. 3. p. 443. §. 1.

COEREMONIALE Augustini Piccolomini Christophorus Marcellus tamquam opus suum edidit. V. 4. p. 44. V. *Coeremoniale*.

COLONI. V. *Episcoporum Familiares*.

COLOSSEUM. V. *Amphiteatrum*.

COLLEGIA Tertiariarum Clausurae legibus non obstricta, a Parochi juribus exemptionem non obtinent. XI. per tot. p. 84.

COLLEGIATA Terlitiensis. V. *Terlitiensis*.

COLLEGIUM in Lauretana Civitate erectum ad instruendam Illyricam Juventutem in bonis artibus, et disciplinis eximitur a quibusvis juribus Parochialibus. XIX.****** p. 147. Item decernit, et declarat exemptos omnes, et quoscumque illius ministros, Officiales, Rectorem, Magistros, seu Lectores, Alumnos, et Convictores degentes intra septa ejusdem Collegii. *ibid.*

Rector ejusdem Collegii pro tempore existens, seu alter ab eo deputandus constituitur in iis quae ad administrationem Sanctissimae Eucharistiae etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis Sacramentorum, aliisque omnibus quae ad animarum curam spectant. *ibid.*

Inhibetur Parocho pro tempore existenti, ne se ingerat super Collegium hujusmodi, ac Rectores, et personas praedictas. *ibid.*

Conceditur, ut in Oratorio privato ejusdem Collegii, dummodo decenter ornatum, sacrisque supellectilibus munitum reperiatur, asservetur, et retineatur Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ac Sanctum Oleum Infirmorum ab Episcopo benedictum, cum onere ut ante Ciborium diu, noctuque Lampas collucescat, et ejusdem Ciborii clavis per

Rectorem, seu alium ab eo deputandum in sacro Presbyteratus ordine constitutum custodiatur. *ibid.*

COLLOQUIA, recreationes, et spatiamenta a statutis Ordinis Cartusiani concessa Alumnis ejusdem ordinis confirmat. LIX. p. 390. Recreationem Feriae tertiae, quamvis per statuta non reperiatur concessa, ex peculiari tamen gratia indulget iis Domibus, seu Cartusiis, in quibus in usu jam recepta est, non vero in aliis. *ibid.*

COMACLENSIS Episcopus in Vicarium Apostolicum deputatur ad spirituale regimen eorum locorum, in quae Praepositi S. Mariae de Pomposia jurisdictionem quasi Episcopalem sibi asserebant. *Append.* num. IV. *in ult. Lit. Apost.* §. 3. p. 449. V. *Vicarius Apostolicus*.

COMMENDATARIUS S. Spiritus in Saxia. V. *Banchum*. V. *S. Spiritus*.

COMMENDATITIÆ Literae olim dabantur peregrinantibus ad Limina Apostolorum, quarum formula exhibetur. XIX. 4. pag. 119.

COMMERCIUM liberum et reciprocum frumenti, et aliorum generum, inter pleraque loca, et Provincias ditionis Pontificiae stabilitur. IX. 3. seqq. pag. 79. seqq. Annullantur Edicta contraria a Praesidibus publicata, et poenae revocantur. *ibid.* 4. et 5. et praesertim tollitur obligatio denunciandi quantitatem frumenti, et similium. *ibid.* 6. Prohibetur tamen extractio earum rerum a Statu Ecclesiastico. *ibid.* 6. 7. p. *ibid.* et 80.

COMMISSIONES quaecumque, et a quocumque Romanae Curiae Tribunali expediendae ad partes, quoad personas subditas nonnullis Abbatiis Capitulo Vaticano unitis, dirigendae sunt Vicariis Generalibus ab eodem constitutis. LIX. 59. pag. 384.

COMMUNICATIO Indulgentiarum, et Privilegiorum, Ecclesiis aliisque locis Basilicae Lateranensi subditis, aut aggregatis, facta, aut facienda quomodo subsistat. XLV. per tot. p. 276. seqq.

Communicatio hujusmodi certo modo a Capitulo Vaticano fieri permittitur. LIX. 45. seqq. pag. 377. seqq.

COMMUNIO alia sacramentalis, alia spiritualis, alia sacramentalis simul et spiritualis: et hanc Benedictus XIV. injungere intellexit pro Jubilaeo lucrando. XXI. 2. p. 161. Pueris Jubilaeum lucraturis non est necessaria, sed a Confessariis in aliud pium opus commutari potest. *ibid.* 80. p. 188. et XX. 48. p. 158.

Communio Paschalis in Parochiali Ecclesia est facienda, nec alibi, nisi de Episcopi, aut Parochi licentia. XLVIII. 21. p. 292. Qui eam facit in Ecclesiis Regularium, non satisfacit praecepto Paschali. *ibid.* 22. p. *ibid.*

Communio aliis temporibus non est facienda in privatis Oratoriis, sine Episcopi licentia. *ibid.* 23. et 24. p. 293.

Communio Sacramentalis an sit necessaria pro Indulgentiis consequendis. XXI. 80. p. 188.

COMMUTATIO votorum a dispensatione differt. XXI. 45. seqq. p. 175.

Commutare Vota simplicia quomodo Poenitentiarii possint Anno Jubilaei. *ibid.* 41. seqq. p. 174. seqq. Quomodo, et quae alia pia opera ad Jubilaeum consequendum injuncta. *ibid.* 51. seqq. p. 177.

COMPLICEM peccati inhonesti nullus Confessarius absolvere potest, ne Jubilaei quidem occasione, sub poena nullitatis, et incurrendae excommunicationis Majoris Summo Pontifici reservatae, excepto mortis articulo, cum adjunctis circumstantiis. XX. 23. p. 155. XXI. 56. seqq. p. 178. et XXVI. 5. p. 205.

Complicis peccati nomen non licet Confessariis exquirere. XIII. 1. seqq. p. 87. V. *Confessarius*.

CONCESSIO. V. *Beneplacitum*.

CONCILIUM Tridentinum matrimonia clandestina irritavit. II. 17. p. 13.

Concilii Congregatio. V. *Congregatio*.

CONCIONATORES pro locis inter Episcopum Comaclensem, et Praepositum S. Mariae de Pomposia controversis, eligendi sunt ab eodem Praeposito, sed a Vicario Apostolico benedictionem petere debent. *Append.* num. IV. *in ult. Litt. Apost.* §. 6. p. 451. seqq.

Concionatores Fratres Ordinis S. Francisci Cappuccinorum post absolutos Apostolicos labores recto tramite ad proprium Conventum redeant absque ullo praetextu, neque uti valeant Cisio vulgo *il Calesse*, vel alio commodo Seraphicae Regulae quovis modo contrario praeterquam causa verae, et actualis infirmitatis, sub poenis expressis pro recurrentibus ad obtinenda Pulpita. XVIII. p. 117.

CONCORDATA. V. *Conventiones*.

CONFESSARII probi, ac docti esse debent. XIX. 18. p. 126. Criminum circumstantias, et poenitentium indolem advertere, eosque prudenter interrogare, et curare. *ibid.* 19. p. 127. praesertim si ignorantes sint. *ibid.* 20. p. *ibid.*

Confessarii in dubiis, et arduis casibus quomodo se gerere debeant. *ibid.* 21. pag. 128. et in conferenda, vel deneganda, aut differenda absolutione. *ibid.* 22. p. 129. Eorum hortamenta in foro Poenitentiae efficaciora sunt sacris Oratorum concionibus. *ibid.* Satisfactionem praeteritae vitae proportionatam imponant, quae etiam futurae prosit. *ibid.* 23. seqq.

Confessariorum quorumdam praxis damnatur exquirendi in Sacramentali Confessione a poenitentibus nomen, et locum habitationis personae complicis in peccato, denegando absolutionem reticentibus. XIII. 1. 2. et 6. p. 87. et 88.

Contra Confessarios, aliosque ejusmodi damnationem perverse interpretantes, aut praxim ipsam pertinaciter retinentes, potest Tribunal Inquisitionis

Portugalliae procedere. *ibid.* 3. et 6. Confessarius praxim eamdem imprudenter sequens sine pravi dogmatis suspicione, ab Ordinario erit puniendus. *ibid.* 5.

Confessarii omnes in hoc delinquentes denunciandi sunt Tribunali S. Officii. *ibid.* 7. pag. 88. Eos autem sic denunciatos, aut S. Officii carceribus mancipatos, si Ordinarius contendat ad suum Tribunal pertinere, dubium super causae pertinentia in eodem Tribunali S. Officii est discutiendum: aliter consequens processus erit nullus. *ibid.* 8. et 9. Si reus ad S. Officium pertineat, illi relinquatur; si ad Ordinarium, est dimittendus, ut Ordinarius contra ipsum procedat. *ibid.* 10. p. 89.

Confessarius complex in peccato inhonesto, a complice eligi nequit vigore cujuscumque Indulti, etiam Jubilaei Universalis. XX. 23. p. 158. XXI. 56. p. 178. et XXVI. 5. p. 203.

Confessariis poenitentiariis, Jubilaeo imminente, instructiones, et facultates praemittuntur, et liber monitorum S. Caroli Borromaei commendatur. XVI. 4. et 5. n. 106. et 107.

Confessarii plures a Cardinali Urbis Vicario deputandi sunt pro Anno Jubilaei. XX. 2. p. 153. Quibus amplae facultates conceduntur, quae recensentur. *ibid.* 38. seqq. p. 157. et XIX. 13. p. 124. seqq.

Confessariis Regularibus eaedem facultates tribuuntur quoad poenitentes suorum Ordinum, cum quibus dispensare etiam poterunt super irregularitate occulta ex censurarum violatione contracta. XX. 41. pag. 157. Etiamsi Confessarii Regulares non essent pro Anno Sancto deputati, sed solum a Cardinali Vicario approbati ad excipiendas saecularium Confessiones in Urbe. XXI. 88. p. 191.

Confessarii quinam eligi possint a Monialibus, aliisque Mulieribus in Communitate conviventibus; et ab Anachoretis, Carceratis, Captivis, Infirmis, et aliis, qui recensentur, ut Jubilaeum Anni Sancti juxta Pontificium Indultum lucrentur. XXIII. 8. p. 197. A quibus peccatis, et censuris iidem Confessarii absolvere possint. *ibid.*

Confessariis aliis ordinariis Urbis, pro Anno Sancto non deputatis, nulla additur, neque demitur facultas XXI. 89. p. 192. Ideo suas facultates bene perpendant. *ibid.* 90. p. *ibid.*

Confessarii quinam eligi possint occasione Jubilaei, quod Romae celebratum ad totum Orbem extenditur, et quae facultates illis dentur. XXVI. 4. p. 203. et XXXV. 9. seqq. pag. 235. seqq. Quinam eligendi a Monialibus. *ibid.* 11. p. 236.

Confessarium approbatum potest quisquis ex Capitulo, et Clero Vaticano sibi eligere, a quo semel in anno etc. a casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvatur. LIX. 37. p. 373.

CONFESSIO Sacramentalis Generalis utilissima est, et omnibus commendatur. XIX. 17. p. 126.

Confessio invalida necessario est iteranda. Utile est peccata iterum confiteri. *ibid.* 16. p. 128.

Confessio Sacramentalis Romipetis ante discessum commendatur. *ibid.* 26. p. 130.

Confessio actualis requiritur ad consequendam Jubilaei Indulgentiam; quamvis nonnulli senserint sufficere *in voto*. XXI. 3. ad 7. pag. 161. et 162. Potest sufficere in voto, si Summus Pontifex id expresse concedat, sicuti concessit Missionariis *in partibus* pro consequendis Indulgentiis. *ibid.* 6.

Confessionis Divinum praeceptum sola peccata mortalia comprehendit. Pro consequendo tamen Jubilaeo peragenda est etiam ab his, qui venialiter dumtaxat peccarunt, cum Confessio inter opera praescripta recenseatur. *ibid.* 77. seqq. pag. 187. seqq. Praemittenda esset visitationibus Basilicarum, non tamen necessario. *ibid.* 73. seqq. pag. 185. Iteranda est ab eo, qui, illa jam facta, et Basilicis aliquoties visitatis, in lethale peccatum relabitur, aut alicujus peccati in prima Confessione oblitus fuit. *ibid.* 79. p. 188. et XX. 45. seqq. p. 158.

Confessio Sacramentalis quando in privatis Oratoriis, et domibus fieri possit. XLVIII. 20. p. 292.

CONFIRMATIONIS Sacramentum olim statim post Baptismum conferebatur. LIX. 12. pag. 366. Idque Graeci faciunt, etiam cum Infantibus. XXVIII. 4. et 5. p. 213.

Confirmationis Sacramentum a Cardinali Archipresbytero Basilicae Vaticanae, vel de ejus mandato, in eadem Basilica, semper conferri potuit personis illius jurisdictioni subjectis. LIX. 10 pag. 364.

Quoad alias personas ipsi non subjectas, controversia mota fuit a Capitulo Basilicae Lateranensis. *ibid.* seqq.

Ea lis extinguitur, decernendo, Confirmationem quolibet tempore in Basilica Lateranensi a Cardinali Urbis Vicario, aut ab ejus Vices-Gerente, vel alio Antistite ab eo deputato administrari posse. LIX. 11. pag. 365. ac permittendo, ut etiam in Basilica Vaticana infra Octavam SS. Petri, et Pauli a Basilicae Archipresbytero, vel ab ejus Vicario, si sint Episcopi, vel ab alio Antistite de gremio Capituli, aut aliter deputando, omnibus id expetentibus conferri valeat. *ibid.*

De ritu, et ordine ea occasione servando; de conficiendo retinendoque Confirmatorum Regesto. *ibid.* 13. p. 366.

Confirmatio infantibus utriusque sexus in Archihospitali S. Spiritus expositis conferri potest a quocumque Catholico Episcopo, volentibus Commendatario, aut Canonicis Archihospitalis, ex Privilegio Nicolai IV. XXXV. *init.* pag. 239. Infirmis aetate provectis nondum confirmatis ad idem Archihospitale accedentibus conferri posse conceditur, tam a Commendatario si sit Episcopus, quam ab

alio Catholico Antistite, volentibus eodem Commendatario, aut Priore Archihospitalis. *ibid.* 1. et 2.

Confirmationis administrandae Indultum perpetuum conceditur Abbati Monasterii Campidunensis in Svevia, quoad personas suae Ordinariae jurisdictioni subjectas, adhibito tamen Chrismate ab Episcopo benedicto. VI. 2. et 3. p. 49. seqq.

Eadem facultas datur Praefecto Missionum Ægypti, deficientibus in Ægypto Episcopis Catholicis, quoad baptizatos a Presbyteris Latinis, septennes, aut minores in periculo mortis constitutos XXVIII. 4. et 5. p. 213.

Eadem facultas datur etiam Praefecto pro tempore existenti Missionariorum Societatis Jesu in Insulis Americae Meridionalis, Martinca, Guadalupa, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio subditis ex speciali gratia. LXI.***** p. 416. Cum sacro Chrismate etiam antiquo, si novum haberi non possit per catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto. *ibid.* Sacramentum hujusmodi conferre, et administrare poterit omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus illarum dumtaxat Paraeciarum, quae reperiuntur sub cura, et regimine Alumnorum dictae Societatis Jesu ejusdem Missionis. *ibid.* Eo tamen privilegio ad viginti dumtaxat annos duraturo. *ibid.* Si intra viginti annorum spatio contingat in iisdem Insulis Americanis Galliae Ditioni subjectis, vel residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios Episcopali charactere, et auctoritate insignitos a Sede Apostolica deputari impertita hujusmodi facultas nulla sit. *ibid.* Secus verò rata, et firma intelligatur, cum vel residentiales Antistites, vel Apostolici Vicarii charactere, et auctoritate Episcopali insigniti legitimis, canonicisque impedimentis detenti eidem Praefecto pro tempore concesserint, in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi Antistites nullo pacto, ac tempore accedere valuerint. *ibid.* Insuper omnibus et singulis ejusdem Missionis Missionariis Sacerdotibus dictae Societatis Jesu eamdem conferendi Sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli suarum dumtaxat Paraeciarum in periculo, vel articulo, mortis constituto, facultatem tribuit. *ibid.*

Ejusdem Sacramenti administratio permittitur Vicariis Apostolicis Episcopali charactere praeditis, quoad personas eorum regimini subjectas, tam per se, quam per alios. *Append. num. IV. in secund. Lit. Apost. ibid.* 3. seqq. p. 451. seqq.

CONFRATERNITATES. V. *Aggregatio.*

CONGREGATIO *Boni Regiminis* non potest assumere judicium causarum particularium de damno dato, sed tantummodo providere circa locationes proventuum inde obvenientium, seu circa Censum Camerae Apostolicae solvendum et poenarum erogationem, rectamque justitiae administrationem. XXXVII. 18. seqq. pag. 245.

Congregatio *Capitolina Criminalis* bis in mense a Conservatoribus Urbis habenda est super causis criminalibus locorum feudalium Populi Romani. XXXIV. 1. p. 229.

Quid in ea agendum, quinam intervenire debeant, et votum consultivum, aut decisivum habeant. *ibid.*

Congregatio eadem potest approbare, et corrigere quidquid Conservatorum antiquior super iisdem causis in urgenti casu decrevit. *ibid.*

Congregatio *Concilii Tridentini* quid senserit de Parochiis conferendis Clericis Saecularibus in Indiis Occidentalibus. LI. 3. pag. 321. Ejus Decretum, ut Tertiariae Ordinis S. Dominici Civitatis Januensis subjiciantur jurisdictioni Parochiali, confirmatur. XI. per tot. p. 84.

Congregatio *Consultae* non potest assumere causas de damno dato, nisi actus fuerit ejusmodi, ut transeat in nomen alterius delicti, pro quo in Bannimentis Generalibus imposita sit poena triremis, aut mortis. XXXVII. 18. p. 245.

Congregatio *Fabricae* Basilicae Vaticanae, loco Collegi Curialium olim pro eadem Fabrica deputati, instituta, pluribus Cardinalibus et Praelatis componitur. LIII. 2. p. 326.

Ejus Praefectus constanter esse solet Cardinalis Basilicae Archipresbyter. *ibid.* 3. p. 327.

Congregatio haec examinat cursum causarum, in quibus ordinarius Fabricae Judex sententiam tulit, et oeconomicum Fabricae regimen dirigit. *ibid.* 4.

Congregatio ejusmodi generalis, quoad causas, et lites, saltem bis in singulos annos est convocanda a Cardinali Praefecto, et quid in ea praestandum sit. *ibid.* 4. Sed pro oeconomia Fabricae, Congregatio Particularis instituitur, a Cardinali Praefecto, et tribus aliis designatis Cardinalibus constituenda, cui etiam ejusdem Fabricae Oeconomus, et Judex Ordinarius intersint cum voto consultivo, *ibid.* 6. 7. p. 328. Quater saltem in anno est convocanda, adstantibus ad Aulae limen aliis Fabricae Officialibus. *ibid.* 9. p. 329. Examinare debet omnes expensas pro Fabrica faciendas excedentes summam quingentorum scutorum, ejusque resolutiones Summo Pontifici referendae a Praefecto, vel Secretario. *ibid.* 8. p. 328. Eidem exhibendae sunt rationes et computa Fabricae singulis quatuor mensibus. *ibid.* 9. p. 329. Ipsi demandatur, ut quantocius visitet Fabricam, ejusque statum oeconomicum, ac sua Decreta Summo Pontifici referat. *ibid.* 10.

Congregatio *Gubernii Urbis* singulis hebdomadis Feria III. et VI. coram Gubernatore haberi debet. VIII. cap. 1. § 3. p. 63. Quaenam personae in hujusmodi Congregationibus interesse debeant, aut possint; quaeque ex illis decisivum aut consultivum suffragium habeant; item divisionem rerum, quae in una et altera Congregatione examinari, judicari, aut decerni debent. *ibid.* 6. et 7. seqq.

Congregatio *Indulgentiarum* approbante Pontifice, respondit, Confessionem actualem requiri ad consequendas Indulgentias, quae a confessis Fidelibus acquirendae conceduntur. XXI. 6. p. 162. Ejusdem responsa, quoad Indulgentias Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci. XLI. 2. pag. 287. Ejus facultas requiritur, ut Capitulum Lateranense possit duobus piis locis in una Civitate Aggregationem, et Indulgentiarum communicationem, concedere. XLV. 16. p. 279. Idem quoad Aggregationes per Capitulum Vaticanum faciendas. LIX. 45. p. 377. seqq.

Congregatio *particularis* quorumdam Cardinalium a Summo Pontifice deputata, in controversia inter Episcopum Augustae Vindelicorum, et Conservatoria Virginum Anglicanarum. VII. 1. p. 49. Plura decrevit, quae ab eodem Pontifice approbantur. *ibid.* 8. pag. 54. et 13. pag. 55. et 16. pag. 57. et 24. pag. 59.

V. *Anglicanae*.

Congregatio *de Propaganda Fide* ab Archiepiscopo Antibarensi requisita modum insinuavit consulendi conscientiis Christianorum, qui in Albania Turcis subjecta, vel usurparunt, vel emerunt a Turcis bona Ecclesiarum. LVII. 3. pag. 380. Ejus responsa ad dubia quaedam a P. Francisco Longobardo Tuneti Missionario proposita. *ibid.* 9. seqq. p. 382.

Congregationis *Sac. Rituum* Decreta quo ad ornamenta, et alia, quae Capitulum Ecclesiae Urbinatensis sibi competere putabat, vigore Indulti Pontificalium a Benedicto XIII. sibi concessi, confirmantur. LV. 2. seqq. p. 343. seqq.

Congregatio *Visitationis* carcerum. V. *Visitatio*.

CONJUGATI an peccent et Jubil. consequi possint, accedentes Romam sine conjugis venia. XXI. 68. p. 182.

CONJUGIUM. V. *Matrimonium*.

CONSECRATIO Altarium Basilicae Vaticanae, Ecclesiarum illi subjectarum, earumque Altarium, a quo sit facienda. LIX. 8. p. 363.

Consecratio aliorum Altarium, et Ecclesiarum. V. *Altare*. V. *Dedicatio*.

CONSENSUS renovandus est post obtentam dispensationem, in matrimonio irrito, XXVIII. 13. p. 215.

Cum autem definitum non sit, irrita esse matrimonia a Diaconis Orientalibus contracta post Ordinem Sacrum, si dispensatio illis concedatur, conditio renovationis consensus adjicienda non erit. *ibid.* V. *Matrimonium*.

CONSERVATORES Camerae Capitolinae, Calicem valoris scutorum sexaginta, cum octo cereis facibus Basilicae Vaticanae quotannis in Festo SS. Petri et Pauli offerre tenentur. LIX 24. pag. 369. Ejus loco pretium persolvere possunt, in paramentis, aliisque utensilibus erogandum, cum appositis Insigniis Senatus Populique Rom. *ibid.*

Conservatores iidem interesse debent visitationi carceris Capitolini. VIII. cap. 2. §. 6. pag. 66. seqq. Ipsi soli jurisdictionem habent in quatuor loca Populi Romani feudalia, quae recensentur. XXXIV. 1. pag. 230. Congregationem criminalem pro iisdem locis habere debent. *ibid.* V. *Congregatio*.

CONSERVATORUM antiquior in Urbe existens potest in urgenti casu provisionem capere super causis eorumdem locorum. *ibid.*

CONSERVATORIA Virginum Anglicanarum. V. *Anglicanae*.

Conservatoria Tertiariarum. V. *Collegia*.

CONSTANTINUS Imperator quasdam Ecclesias in Urbe construxit. XV. 5. et 6. p. 103.

CONSTITUTIO unius Pontificis non indiget Successorum confirmatione, ut subsistat. XLVII. 3. pag. 284.

Nihilominus Constitutio Clementis XII. adversus eos, qui vulgo *Liberi Muratori* dicuntur, confirmatur. *ibid.* 4. seqq.

CONSUETUDO generalis Ecclesiae vim legis habet, II. 10. pag. 12. Impedimenta matrimonium dirimenta inducit, *ibid.* Consuetudo peculiaris non tollit Legem a consuetudine generali provenientem; sed dispensationes facilius indulgeri suadet. *ibid.* 19. p. 14.

Consuetudo quae requiratur, ut Magistratus localis possit cognoscere causas de damno dato in Statu Pontificio. XXXVII. 11. pag. 243. Consuetudines locorum attendendae sunt quoad probanda damna data, et quoad eorum poenas. *ibid.* 18. p. 248.

CONSULTÆ Congregatio. V. *Congregatio*.

Consultae Ponentes duo adjiciuntur, quorum munus, in Tribunali Gubernii Urbis sententiam dicere, et alia officia exequi. VIII. 2. p. 63. seqq.

CONTRACTUS inter duas partes initus irritari potest vi legis, quae unam dumtaxat ex contrahentibus partibus afficit. II. 7. 8. pag. 11. seqq. V. *Lex*.

CONTROVERSIA excitata super Identitate Ossium Corporis S. Joannis de Matha Confessoris Institutoris Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. I.* p. 8. dirimitur a summo Pontifice Innocentio XIII. *ibid.*

CONVENTIONES Imperatricem inter, et Rempublicam Venetam super rebus Patriachatus Aquilejensis referuntur, et approbantur. L. 5. pag. 301. V. *Aquilejensis*.

Conventiones inter Catholicos Principes laicos, et Heterodoxus initae super possessione, et detentione bonorum Ecclesiasticorum, ab Apostolica Sede improbantur. LVII. 19. p. 388.

CONVENTUUM Recessus Fratrum Minorum de Observatia Reformatorum nuncupatorum Provinciae Romanae providetur optimo regimini, et tranquillitati. XLII.* p. 268. per totum.

COPHTORUM ritus conferendi Ordines ante le-

gitimum tempus, et ministrandi Sacramentum Confirmationis infantibus statim post Baptismum, refertur, et super his Decreta quaedam ad Praefectum Missionis transmittuntur. XXVIII. 1. seqq. p. 212.

COZZA Minister Generalis Ordinis Minorum ad Cardinalatum assumptus Ministerium idem simul retinuit. *Suppl. N. II.* §. 17. p. 461.

CRIMINALES Auditores Ordinariorum, et aliorum Romae residentium, quas causas criminales agitare possint, et quae requisita habere debeant. VIII. *in ult sched* §. 10. p. 76.

CRIMINALIUM CAUSARUM celeri expeditioni consulitur. *ibid.* 7. p. 64.

Criminalium causarum agitatio, et criminalis professio iis solis permittitur, qui ad id examinati, et approbati fuerint, et alia requisita habeant, exclusis aliis etiam actu professionem criminalem exercentibus. *ibid.* cap. 3. §. 9. p. 71. Et *in sched. seqq.* §. 11. pag. *seqq.* 76. Ideo Gubernator Urbis elenchum omnium, qui professionem hanc exercere Romae poterunt, conficere debet, exceptis his, qui Tribunali Sanctae Inquisitionis inserviunt. *ibid.* 15. pag. 77. Qui certas causas jam agitabant, iis permittitur, ut easdem prosequantur usque ad novum designatum examen. *ibid.* 11. p. 76.

Criminalium causarum agitatio Procuratoribus pauperum contra reos, et Officialibus Fisci contra Fiscum, Judicibus vero omnimode, sub gravi poena prohibetur. *ibid.* cap. 3. §. 10. pag. 71. *Et in sched.* §. 4 p. 74.

In criminali causa votum non habet is, cujus minister in eadem causa Judicis officio functus est. *ibid.* cap. 3. §. 10. p. 71.

Criminalibus causis Castri S. Petri in Formis, et aliorum locorum Capitulo Vaticano subjectorum, poterunt Canonici quidem licite se immiscere, absque irregularitatis, aut censurae incursu, dummodo a sententia sanguinis abstineant. LIX. 63. pag. 386.

Criminales causas judicare potest Vicarius Foraneus in nova Civitate Pergulae constitutus, sub quibusdam tamen limitationibus. LXI. 7. et 8. p. 395.

Criminales causae locorum feudalium Populi Romani quomodo discutiendae sint. XXXIV. per tot. p. 229. seqq.

Criminales Judices V. *Judex*.

Criminales Officiales, et ministri cujuscumque Congregationis, aut Tribunalis Urbis, non debent, sub proprio, aut alterius nomine, causam criminalem, in cujus construendis processibus partem habuerunt, agitare pro reo, aut contra ipsum, in Tribunali, cui inserviunt, vel ad quod possit dari appellatio, aut recursus in eadem causa. VIII. *in ult. sched. mot. propr.* §. 4. seqq. p. 74. seqq. Idipsum statuitur quoad Tribunalia Cameralia. *ibid.* 5.

Criminalibus Relatoribus, Substitutis, et aliis, permittitur exercitium proprii Officii, quod antea habebant, sine praevio examine, post publicationem Constitutionis. *ibid.* V. *in sequenti sched. ibid.* §. 3. p. 74.

CRUCES Consecrationis indices in Basilica Liberiana jussu Benedicti XIV. appositae sunt. *Append. num. III.* §. 2. p 434.

CRUCIS PRÆFERENDÆ mos a Summo Pontifice ad Legatos, et Antistites deductus est. *Suppl. num. I.* §. 1. pag. 488. Haec facultas conceditur Episcopo Warmiensi, et Sambiensi in suis Civitatibus, et Dioecesi, dummodo non adsit Legatus, aut Nuncius Apostolicus. *ibid.* 2. et 3.

CRUX octogona est verus habitus Fratrum Militiae Equestris Jerosolymitanae, seu Equitum Melitensium. *Suppl. num. II.* §. 1. pag. 487. et 11. pag. 460. Non aurea Crux a pectore pendens, quae ipsis aliquando vetita fuit. *ibid.* 4. p. 487.

Crucem ejusmodi Melitensis Episcopus Mozzettae in Civitate Melitensi, Mantellettae vero assutam Romae deferre consuevit. *ibid.* 8. seqq. pag. 489. seqq Nec illam deposuit Episcopus Molina, licet ad aliam Ecclesiam translatus, et quare. *ibid.* 10.

Crucem eamdem, tanquam Religionis suae habitum, supra Vestes exteriores, et praecise supra Mozzettam, deferre possunt Cardinales ex eodem Ordine assumpti. *ibid.* et 11. pag. 460. Plura exempla, ex quibus evincitur id licitum esse Cardinali Portocarrero. *ibid.* 10. p. 489. et 14. seqq. p. 460.

CRUCESIGNATI ad recuperandam Terram Sanctam proficiscentes, Indulgentiam plenariam consequebantur. XXI. 19. pag. 164.

CULTUS publicus nemini tanquam Beato exhibendus, nisi Summus Pontifex permittat. VII. 12. p. 88. Cultum publicum redolent actus privati, si ex iis sint, quos Ecclesia pro Beatorum veneratione instituit. *ibid.*

CURA ANIMARUM Regularibus in Titulum committi nequit sine dispensatione Apostolica; etiamsi sint Canonici Regulares. LI. pag. 320. Limita quoad Canonicos Regulares Praemonstratenses. XXXII. 1. 4. p. 226.

Cura animarum quoad Basilicam Vaticanam, habitualiter penes Capitulum, quoad exercitium penes Vicarium Curatum residet. LIX. 40. pag. 378. Olim ab uno ex Canonicis cum aliquot Presbyterorum auxilio exercebatur. *ibid.*

CURATI Ecclesiarum Basilicae Vaticanae filialium, aut subjectarum, quid praestare teneantur. *ibid.* 40. ad 44. seqq V. *Vicarius.*

CURIÆ Romanae Tribunalia fere omnia Benedictus XIV. praesentia sua decoravit. V. 1. p. 43.

D

DAMNATIO duorum Librorum errores continentium. XXXVI. pag. 240. Item Folii continentis The-

ses erroneas in Sorbona defendendas. LVIII. pag. 360. V. *Libellus*. V. *Theses*.

DAMNI dati causae in Statu Pontificio ad forum Ecclesiasticum, vel Laicale pertinent, vel sunt mixti fori, ex diversitate personarum, et animalium damnificantium, et bonorum damnificatorum; ideo cognoscendae a respectivis Judicibus, juxta diversos casus: XXXVII. a 3. ad 8. pag. 242. ad hunc effectum quaenam dicenda sint Bona Ecclesiastica, et quaenam animalia Ecclesiasticorum. *ibid.* 9. et 10. p. 243.

Damni dati causa ad forum laicale pertinens cognoscenda est in prima instantia a Magistratu locali, si hanc facultatem ei tribuat Statutum, vel consuetudo, et damnum sit simplex: aliter a Gubernatore. *ibid.* 11.

Damna studiosa, et manualia, ad quem pertineant, et a quo judicanda sint. *ibid.* 9. et 11.

Damni dati causae quaecumque intra quadraginta dies expediantur; aliter ad Judicem superiorem devolvuntur. *ibid.* 14. pag. 244. Quid de causis ante hujus Constitutionis publicationem introductis. *ibid.*

Damni dati causae admittunt appellationem ad Judices Superiores. *ibid.* 17. pag 245. Quaenam sportulae in his causis exigendae. *ibid.* Causae eaedem quando a Congregatione Consultae sint cognoscendae *ibid.* 18. Quando autem in negotiis hujus generis se ingerere possit Congregatio Boni Regiminis. *ibid.* 19.

Damni dati poenae exigendae sunt juxta locorum statuta, et consuetudines, etiam in foro Ecclesiastico, et quoad Ecclesiasticos. *ibid.* 15. Idem servandum quoad probationes. *ibid.*

Damni dati poenae Communitatibus Status Pontificii attribuuntur. Olim aliter constitutum fuerat. *ibid.* 1. ad 4. seqq. p. 241. seqq. A Judice minui aut condonari non possunt, et cui, et quando solvendae. *ibid.* 16. p. 245.

Damnificatus debet statuto tempore, et modo damnum suum denunciare; aliter querela non admittatur. *ibid.* 12. pag. 244. Poterit animalia damnificantia, aut pignus super pastorem capere in suo fundo tantum, eaque debet statim cum damni denunciatione deferre ad Judicem qui accepta fidejussione omnia dimittat. *ibid.* 13.

DECRETUM Gratiani, utpote auctoritate privata compilatum, auctoritatem per se non tribuit his, quae continet. II. 9. p. 12.

Decretum Clementis XI. contra abusus celebrandi Missam in Laicorum domibus, et adhibendi Altare portatile, refertur. XLVIII. p. 288.

Decretum Congregationis Concilii super jurisdictione Parochi in Tertiarias in sua Parochia conviventes, confirmatur. XI. per tot. p. 84.

Decreta Congregationis S. Rituum circa usum Pontificalium Capitulo Urbinatensi concessum, confirmantur. LV. per tot. p. 343.

DEDICATIO nova Ecclesiae renovatae facienda est. *Append. Num. III.* §. 1. pag. 434. Ritus consecrandi Ecclesias ex veteri Testamento in novum traductus, ipsis prioribus Ecclesiae saeculis in usu fuit. Non autem constat, quando Cruces Consecrationis indices apponi coeperint. *ibid.* 2. p. *ibid.*

Dedicatio Basilicae Sanctae Mariae Majoris a Sancto Sixto III. facta creditur; Dedicationis vero indicia apponi, et Dedicationis Officium certo die ab ejus Clero celebrari Benedictus XIV. jussit. *ibid.*

DELEGATUS Apostolicus ad regimen Monasterii Monialium Aquilejensium independenter ab Ordinario constitutus, ex Austriacorum Principum subditis in posterum eligendus, curam quoque Ecclesiae olim Patriarchalis, nunc autem Apostolicae Sedi immediate subjectae, gerere debet. L. 15. pag. 303.

DENUNCIARI debent Sanctae Inquisitionis Officio Confessarii exquirentes a poenitentibus complicum nomina etc. cum denegatione absolutionis etc. si adsit suspicio pravi dogmatis. XIII. 4. pag 87. Hoc tamen denunciandi praeceptum non obligat poenitentem in causa propria. *ibid.*

Denunciari jubentur eidem Tribunali in Portugallia etiam Confessarii in eadem materia delinquentes sine suspicione pravi dogmatis; ut, omnibus rite perpensis, judicari possit de pertinentia causae ad ipsum Tribunal, vel potius ad Ordinarium. *ibid.* 7. et 8. p 88.

Denunciationes frumenti, et similium in Provinciis Status Ecclesiastici exigi prohibentur. IX. 6. pag. 80. Denunciari tamen jubetur quantitas frumenti extrahendi a Statu, etiam a Privilegiatis. *ibid.* 7.

DEPUTATI Ecclesiastici in singulis locis Ditionis Pontificiae pro negotiis ad Ecclesiasticos etiam pertinentibus in publicis Consiliis agitandis, eligendi sunt duo, unus ex Clero Saeculari, alter ex Regulari. Si Regulares desint, ambo ex Saeculari assumi poterunt. LXII. 1. p. 417.

Deputati isti interpellandi sunt, ubi aliquid ad Ecclesiasticos pertinens pertractetur: si adesse neglexerint, quidquid decretum fuerit validum erit. *ibid.* 2. Suffragium dumtaxat consultivum habent, cum facultate recurrendi ad Superiores, si Laici contrarium resolverint. *ibid* 3.

Deputati iidem vocandi sunt, dum ratio redditur expensarum, quae ab Ecclesiasticis etiam tolerantur, iisque communicandi sunt libri computorum, et competit facultas recurrendi ad superiores, si quid injustum deprehenderint, *ibid.* 4. p. 418.

DERELICTA bona quaenam sint. LVII. 24. pag. 338.

DIACONATUM pueris in aetate infantili conferunt Cophti. XXVIII. 1. pag. 212. Sic ordinati tamen non censentur ante decimum sextum aetatis annum ratam habuisse ordinationem, et obligationi-

bus Ordini adnexis se devinxisse, etiamsi in Ordine suscepto, et in statu coelibe ministraverint. *ibid.* 7. et 11. pag. 214. Ideo cum ad eam aetatem devenerint, interrogandi sunt a Praefecto Missionum Aegypti, utrum velint in suscepto Ordine perseverare. *ibid.* 11.

DIMISSORIALES Literas, seu celebrandi licentias ubique recipiendas potest Archipresbyter Basilicae Vaticanae concedere his, qui apud ipsum ordinati sunt. LIX. 7. p. 363.

Dimissoriales ad Clericalem Characterem, omnesque Ordines suscipiendos potest Capitulum Vaticanum concedere suis subditis ratione quarumdam Abbatiarum, seu Monasteriorum, eidem Capitulo unitorum, et subjectorum. *ibid.* 31. p. 381. et 36. p. 382. seqq.

Dimissoriales Literas concedere possunt Clericis subditis Priores Monasterii S. Stephani in Bosco Provinciae ulterioris Calabriae, et transmittere ad Episcopos, ut ad Sacros Ordines rite sese promoveri faciant. II. p. 15.

DIOECESES dividere, et unire ad Romani Pontificis auctoritatem pertinet. L. 9. p. 303. et *Append. Num.* 4. §. 4. p. 437.

Dioecesis Aquilejensis dividitur. L. 9. pag. 303.

Dioeceses Utinensis, et Goritiensis determinantur. *ibid.* 10. et 11. p. 304.

DISPARITAS cultus. V. *Impedimentum*.

DISPENSANDI facultates Poenitentiariis minoribus concessae, occasione Jubilaei. XX. 11. seqq. p. 185. Confessariis vero a Card. Vicario designatis. *ibid.* 39. p. 187. Et Confessariis Regularibus. *ibid.* 41.

Confessariis autem eligendis extra Urbem in vim Bullae extensionis ejusdem Jubilaei. XXVI. 4. et 5. col. 2. p. 203.

Dispensatio in Votis diversa est a commutatione. XXI. 45. etc. p. 175. seqq.

Dispensatio super irregularitate non comprehenditur in facultate absolvendi a censuris. *ibidem.* 50. pag. 177.

De dispensationibus quoad opera injuncta. *ibid.* 51. p 177. et 80. p. 188.

Dispensationes cum serio lucrandi Jubilaei animo obtentae subsistunt, licet postea animus mutetur: sed mutans peccati reum se constituit. *ibid.* 86. pag. 191. et XXVI. 6. p. 203.

Dispensandi facultas super matrimoniis inter Orientales initis post Ordinem Sacrum, Apostolicae Sedi reservatur. XXVIII. 12. pag. 215. Si hujusmodi dispensationes aliquibus ex iis concedantur, renovatio consensus exigenda non erit. *ibidem* 13.

Dispensationes Matrimoniales, aliaeque Apostolicae commissiones; pro subditis quorumdam Monasteriorum Capitulo Vaticano unitorum, Vicariis Generalibus ibidem constitutis sunt dirigendae. LIX. 89. p. 384. seqq.

Dispensatio non conceditur Regulari, ut ad animarum curam in Ecclesia saeculari administrandam deputetur, nisi instante Episcopo, pro necessitate, aut utilitate Ecclesiae. LI. 1. pag. 320. Amplia, ut ea dispensatione indigeant etiam Canonici Regulares Lateranen. et Sanctissimi Salvatoris. *ibid.* Limita quoad Praemonstratenses. XXXII. per tot. p. 226.

Dispensationes ab Apostolica Sede concessae Haereticis ad Fidem conversis, ut bona Ecclesiarum pridem occupata retinere possent. LVII. 26. etc. p. 389. seqq.

DOCTRINAS in Occidentalibus Indiis soli Regulares obtinebant. LI. *init.* pag. 320. V. *Parochia*.

DOMINICA quarta Quadragesimae dicitur, et est dies laetitiae, et quid in ea annuncietur. XLII. 16. p. 265. In ea Romanus Pontifex non solet Missam Pontificaliter celebrare. *ibid.* 7. p. 263. Sed Rosam Auream benedicere consuevit. *ibid.* 1. etc. p. 260. seqq. et 17. p. 266. V. *Rosa*.

DOMINIUM ab uno ad alium transfertur, vel dispositione juris, vel prioris domini voluntate. LVII. 21. p. 386.

Voluntas haec concurrere censetur, ut bona mobilia per vim hostilem amissa transeant in dominium illius, qui ea a raptoribus emerit; sed id non praesumitur quoad immobilia. *ibi*.

Dominium rerum in bello justo captarum in victorem transfertur; mobilium scilicet in primum occupantem; immobilium vero in supremum Principem, qui bellum intulit. *ibid.* 4. p. 381. V. *Bona* V. *Servus*.

DOTARE filiam mater debet, impotente patre. LIV. 23. pag. 337. Amplia quoad matrem infidelem erga filiam Christianam, etiamsi Pater Christianus ad eam dotandam impotens non probetur. *ibid.*

DUBIA a P. Francisco Longobardo Tunetis Missionario transmissa ad Congregationem de Propaganda Fide, et ab hac ad Congregationem Sancti Officii remissa. LVII. 6. pag. 381. seqq. Quaedam ex iis proposita fuerunt coram Urbano VIII. qui responsa edidit. De aliis non adsunt, nisi responsa Theologorum, et Consultorum earumdem Congregationum. V. *ibid.* p. 381. seqq.

Dubium ubi occurrit, in favorem Fidei est resolvendum. LIV. §. ult. p. 340.

E

ECCLESIAS summopere decet cultus, atque mundities, licet pauperes sint. III. 1. pag. 16. seqq.

Item cantus gravis, et universa Musicae ratio a profana, et Theatrali omnino diversa. *ibid.* p. 25.

Ecclesiis debentur supellex, et alia ornamenta Sacra Episcoporum, aliorumque Beneficia possidentium. V. 9. p. 46. V. *Supellex*.

In Ecclesia quondam Patriarchali Aquilejensi extinguitur Cathedralitas, Capitulum etc., ac etiam Parochialitas supprimitur, et transfertur ad aliam Parochialem Ecclesiam ejusdem Civitatis. L. 14. pag. 305. Ipsa vero Ecclesia a cujuslibet Ordinarii jurisdictione exempta, Apostolicae Sedi subjicitur, a Delegato Apostolico regenda. *ibid.* 15.

Ecclesiarum Basilicae Vaticanae Filialium consecratio ad ejusdem Basilicae Archipresbyterum spectat. LIX. 8. p. 363.

Ecclesiae quaecumque Capitulo Vaticano subjectae interdici nequeunt ab Ordinariis Locorum, inconsulta Sede Apostolica, nisi quando generale fuerit Interdictum. *ibid.* 44. p. 377.

Ecclesiae dependentes a monasterio S. Stephani in Bosco Provinciae ulterioris Calabriae gaudent immunitate ecclesiastica pro iis, qui confugiunt ad eas ob patrata delicta. II.° p. 15. Eadem vero minime gaudent, qui obnoxii delictis exceptis in Constitutionibus Gregorii XIV. et Benedicti XIII. Romanorum Pontificum, et in concordatis inter Apostolicam Sedem et Carolum Sebastianum utriusque Siciliae, et Hierusalem Regem. *ibid.*

In Ecclesiis omnibus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini erectis, et erigendis unum Altare privilegio perpetuo pro animabus Christifidelium in caritate Dei defunctorum insignitum, et per Locorum Ordinarios deputandum pro Fratribus dicti Ordinis dumtaxat valiturum conceditur. XIX.**** p. 144.

In Ecclesiis omnibus Societatis Jesu conceditur unum Altare Privilegiatum quotidianum perpetuum a Rectore pro tempore destinandum. XIX.° p. 134.

Ecclesiarum bona. V. *Bona*.

ECCLESIASTICI in bellis non sunt pars Reipublicae nocentis, ideo non laedendi. LVII. 5. 6. et 7. p. 381. et 382.

Ecclesiasticorum bona, et animalia quaenam intelligenda sint in causis de damno dato in Ditione Pontificia, et ad quid teneantur. XXXVII. 5. seqq. p. 242. seq. Ecclesiastici ejusdem Ditionis suos Deputatos eligere debent. LXII. 1. seqq. p. 417. V. *Deputati*.

Ecclesiastici homicidae Immunitate non gaudent; Eorum tamen causa a Judice Ecclesiastico cognosci debet. XXVII. 6. p. 207. V. *Homicidae*.

EDICTA a Praesidibus Provinciarum Status Ecclesiastici publicata de denuncianda quantitate frumenti, et similium irritantur. IX. 4. p. 79.

ELEEMOSYNARUM scandalosi Quaestores in tribus Oecumenicis Conciliis proscripti sunt. VII. 9. pag. 84. Tolerantur alii sub quibusdam legibus, dummodo *petitores*, non *quaestores* dicantur. *ibi.* 10.

EMMANUEL GUTIERRES Procurator Provinciae Mexicanae Ordinis Eremitarum S. Augustini postulat confirmationem literarum Apostolicarum Clementis PP. XII. super juribus, privilegiis, gratiis, et exemptionibus quibus gaudent in Provincia Mexicana Fratres ejusdem Ordinis antiquiores Rectores quatur Doctrinarum, seu Parochiarum Indorum. LXI.° p. 398. Eidem conceditur cum quibusdam conditionibus. *ibid.* per totum.

EMPHYTEUTICA bona Basilicae Vaticanae, et Ecclesiarum, et Locorum ab ea dependentium, ubicumque sita, si devolvantur, non sunt necessario reinvestienda; sed ammensari possunt, quibuscumque non obstantibus. LIX. 32. p. 372. Caducitates ab emphyteutis incursae, possunt a Capitulo ejusdem Basilicae, ante captam realem possessionem, condonari, sine Beneplacito Apostolico. *ibid.* 33. p. *ibid.*

EMPTOR rei mobilis, a pyratis, aliisque injustis hostibus raptae, eam retinere, et in suos usus convertere potest, dummodo paratus sit priori domino illam pro justo pretio reddere. LVII. 13. 14. p. 383.

Emptor fundi immobilis in bello injusto ab hostibus occupati, nec illum invito domino retinere, neque pretium ab eo repetere potest. LVII. 17. seqq. p. 384. seqq.

Emptor rei furtivae, licet ignarus furti, comparente legitimo domino rem restituere tenetur. *ibid.* 20. p. 386. Multo magis, si sciebat, vel dubitabat, aut suspicabatur, furtivam rem esse. *ibid.* 22. p. 387. seqq.

ENGELBERTUS Abbas Monasterii Campidunensis Haereticos ad Fidem Catholicam revocare studuit, et facultatem ministrandi suis subditis Sacramentum Confirmationis obtinuit. VI. 2. et 3. p. 48.

EPISCOPATUS erigere, supprimere, dividere, et unire, ad jura Romani Pontificis pertinet. L. 9. pag. 303. et in *Append. num. IV.* §. 4. p. 437. ubi vide Aquilejensis Patriarchatus suppressionem, ejusque Dioecesis, et Provinciae divisionem, nec non erectionem Archiepiscopatuum Utinensis, et Goritiensis, cum respectiva Dioecesum, et Provinciarum attributione.

Episcopatus Terlitiensis erectio, ejusque unio Juvenacensi. XIV. per tot. p. 90. seqq.

Episcopatus suffraganei Metropolitanis Ecclesiis Utinensi, et Goritiensi nuper erectis, subjecti. L. 10. 11. p. 304.

Episcopatus quosdam in remotissimis regionibus Rex Portugalliae fundavit. *Appen. n. I.* p. 419.

EPISCOPI in mystica Ecclesiae militantis legione principem locum tenentes, doctrina et exemplo plurimum prodesse possunt. XXXV. 18. p. 238.

Eorum plurimi haereses, et corruptelas extirparunt. *ibid.* seqq.

Eorumdem diligentia, aut incuria in Ecclesiarum, et Clericorum regimine, ex rerum Sacrarum cultu, aut neglectu dignoscitur. III. 15. p. 27.

Quid ab iis requirat Pontifex, occasione Jubilaei universalis Romae indicti. XVII. 11. 12. p. 141.

seqq. et XIX. per tot. p. 118. seqq. Et occasione ejusdem ad universum Orbem deinde extensi. XXVI. 7. p. 204. XXXV. 12. p. 237.

Ipsi etiam Episcopi ad Urbem invitantur, si absque Ecclesiarum suarum detrimento accedere possint. XIX. 7. p. 120.

Licentiam tamen petere, et obtinere debent. XXI. 68. p. 182. seqq.

Episcoporum Officium est, curare, ut Canonicae leges, et Synodales Praedecessorum suorum Sanctiones debitae executioni mandentur. XLIX. 6. 7. p. 299. Qua ratione id obtinere valeant. *ibi.* 7. et 8. p. 300. Ubi de reprimendis Judaeorum excessibus in Polonia.

Episcopi possunt Censuras statuere, et Casus reservare, ut publica, et graviora, ac atrociora delicta e suis Dioecesibus eliminent. *ibid.* Pontifex eos hortatur, ut Confessariis tribuant facultatem absolvendi a Casibus sibi reservatis illos, quibus conceditur, ut Jubilaeum extra Urbem consequi valeant. XXIII. 10. p. 198.

Sine Episcopi, seu Ordinarii localis examine, et approbatione, nemini licet, cujuscumque Ordinis, aut Instituti Regularis existat, animarum curam assumere, et exercere. LI. 7. p. 323. ejusdemque Episcopi, seu Ordinarii correctioni subsunt hujusmodi Regulares, non solum in concernentibus exercitium curae Animarum, et administrationis Sacramentorum, seu, ut ipsi vocant, *in officio officiando;* sed etiam in iis, quae pertinent ad eorum vitam, et mores, quatenus relationem habent cum recto et utili eorum muneris exercitio. *ibid.* 5. p. 322. Episcopi judicium, quoad haec, praevalere debet judicio Superioris Regularis. d. §. 5. *ibid.*

Si Episcopus Regularem a Cura amovendum censeat, non tenetur Superiori Regulari causas significare, et contra. *ibid.*

Episcopis a jure Canonico, et Concilio Tridentino commendata est custodia clausurae Monialium. XII. 3. p. 86. Unde nemini licet sine eorum licentia, ad Monasteria accedere. *ibid.*

Episcoporum directivae auctoritati, et constitutionibus, parere tenentur etiam ii, qui a coactiva eorum jurisdictione exempti sunt, quantumvis poenas et censuras ab iisdem statutas non incurrant. *d. Constit. XII.* 3. 5. p. 86.

Episcoporum Ordinariae auctoritati subsunt Conservatoria, seu Collegia Mulierum sine Clausura viventium. VII. 13. et 24. pag. 55. et 59. Exemplum a Domibus *Magistrarum Piarum, et Magistrarum Sanctarum, ibid.* 21. 22. pag. 58. seqq. Hoc peculiariter statuitur, quoad Conservatoria Virginum Anglicanarum. *ibid.* 13. pag. 55.

V. *Anglicanae.*

Episcopis a Concilio Tridentino sublata est facultas concedendi erectionem Oratoriorum Domesticorum in privatis Domibus. XLVIII. 11. pag. 290. et specialiter injunctum, ne permittant cuilibet, etiam Regulari, Missam celebrare extra Ecclesias, et Oratoria publica. *ibid. et infra*, §. 29. p. 294.

Quare in hac materia procedere possunt jure delegato etiam contra Regulares. *ibid.*

Sine Episcopi licentia, nemini, quantumvis exempto, licet exorcizare. *ibi.* 34. p. 298.

Episcopi licentia requiritur, ut quis in Oratorio Domestico sibi alioquin permisso, Eucharistiae Sacramentum percipere valeat. XLVIII. 23. pag. 293.

Episcopi, iisque Superiores Praelati, exclusis Ordinariis inferioribus, privativum jus habent demandandi extractionem reorum e locis immunibus, in casibus per Constitutiones Apostolicas permissis; ita ut pro Locis *nullius Dioecesis*, ad viciniorem Episcopum recurri debeat. XXVII. 12. pag. 208. et XL princip. p. 255. seqq.

Possunt tamen Vicariis Foraneis, aliisve Personis Ecclesiasticis committere, ut super indiciis ad extractionem necessariis Processum conficiant, *dicta Constit.* XXVII. 12. pag. 208. Quid maxime in hac materia prae oculis habere debeant. *ibid.*

Episcopi auctoritas necessaria est, ad extrahendos e locis immunibus reos delictorum exceptorum, etiam pertinentium ad Forum Sancti Inquisitionis Officii, dummodo non agatur de crimine haeresis. XL. 4. p. 256. seqq.

Si reus inquisitus sit de haeresi, satis erit, ut honor Episcopo debitus servetur, eumdem certiorare, vel ante, vel post extractionem. *ibid.* 3. p. 256. Eadem distinctio observanda quo ad transfugas e carceribus, aut ex Triremibus, qui ad asylum confugerint; prout eorum crimen, vel haeresis erit, vel aliud ex delictis exceptis. *ibid.* 5. dicta p. 256.

Episcopi non possunt derogare, aut dispensare in iis, quae in Apostolicis Constitutionibus, et in Jure Canonico statuta sunt. XXXVIII. 8. etc. p. 250. seqq. Ideo Vigiliam universae Ecclesiae praescriptam auctoritate ordinaria transferre nequeunt. *ibid* 10.

Episcopi Oratorium privatum in propriis Episcopalibus Ædibus habere possunt, non solum pro Missarum celebratione, sed etiam pro alia quacumque Functione, eorum Officii et dignitatis propria. XLVIII. 1. seqq. pag. 287. seqq. et Altari portatili uti non possunt, tam in propria, quam in aliena Dioecesi. *ibid.* 4. etc. p. seqq. Quod tamen ipsis indistincte non licet, nisi in Domibus, in quibus vere moram traxerint, seu hospitati fuerint occasione visitationis, itineris etc. *ibid.* 6. 7. p. 288. Super quibus vide Decretum Clementis XI. p. 296. ejusque interpretationem. d. §. 7. p. 288.

Episcopi ex Ordinibus Monasticis, et Mendicantibus assumpti, habitum proprii Ordinis visibilem gestare debent. *Supplement. num. II.* §. 3. p. 437.

Id non procedit quoad Canonicos Regulares, et

Clericos Regulares. *ibid.* Sed recte observatur a Fratribus Professis Militiae Equestris S. Joannis Jerosolymitani, et signanter ab Episcopo Melitense, qui ab ordine et statu Fratris Cappellani assumptus, deinde qualitatem et gradum obtinet Procerum Magnae Crucis, *ibid.* 8. pag. 459. Et quid si ad aliam Ecclesiam transferatur. *ibid.* 10. pag. 460. Quodque non obstet Rubrica *Caeremonialis Episcoporum*. *ibid.* 9.

Episcopis expedit, ut Inventarium rerum propriarum conficiant; cum primum ad suas Ecclesias accedunt; ne confundantur cum aliis rebus, quas ex earumdem Ecclesiarum fructibus acquisituri esse praesumuntur. XXIX. 8. p. 218.

Episcoporum Familiares, seu Ministri, etiam Laici, et Coloni partiarii, in causis passivis de damno dato, apud Tribunal Ecclesiasticum privative conveniri debent. XXXVII. 5. p. 242.

EQUITES Sancti Joannis Jerosolymitani, seu Melitenses, sunt veri Religiosi, et solemnia substantialia vota emittunt. *Suppl. num. II.* § 2. pag. 457. et 6. pag. 458. V. *Votum*. Qualis sit eorum Habitus. *ibid.* 4. V. *Crux. Habitus*. Si ad Episcopatum, aut Cardinalatum Professi promoveantur, habitum sui Ordinis deferre possunt, et quomodo. §. 7. et seqq. pag. 459. Id autem ab Equitibus aliarum Militiarum in exemplum trahi nequit, et quare. *ibid.* 5. et 6. p. 458.

EQUITII Titulus cur dicatur Ecclesia S. Martini in Montibus, cujus reparatio narratur. XV. 6. p. 103.

ERECTIO Cathedralis Ecclesiae Terlitien. ejusque unio cum Ecclesia Juvenacen. XIV. p. 90.

Erectio Archiepiscopatuum Utinensis, et Goritiensis. L. 10. 11. p. 304.

Erectiones, suppressiones, uniones divisiones Episcopatuum, Dioecesum, et Provinciarum, ad Romani Pontificis jura pertinent. *ibid.* 9. p. 303. *Append. num. IV.* 4. p. 437.

ESDRAS Hebraeos ab uxoribus alienigenis separavit. II. 6. p. 11.

EUCHARISTIÆ Sacramentum non potest in Ecclesiis non Parochialibus retineri sine Apostolica auctoritate. VII. 24. p. 89. V. *Communio*.

Eucharistiae Sacramentum in Sacellis Domesticis Societatis Jesu asservare conceditur quoties et quamdiu Praeposito Generali ejusdem societatis visum fuerit. XIX.* p. 133.

EUGUBINUS Episcopus Vicarium Foraneum in nova civitate Pergulae constituere debet. LXI. 6. p. 394. Quas facultates illi dare possit. *ibid.* 10. pag. 396. Dispendium, quod inde patitur, reficiendum est a Magistratu Pergulae, et quomodo. *ibid.* 12. p. *ibid.*

EXAMEN subeundum est ab omnibus, etiam Regularibus, ad animarum curam assumendis. LI. 7. p. 323. Item ab iis, qui professionem criminalem exercere Romae volunt. VIII. cap. 3. §. 9. p. 71. et *in Mot. propr.* 11. seqq. p. 76.

EXAMINATORES ex Capitulo Vaticano assumendi sunt ab Archipresbytero Basilicae Vaticanae ad illos examinandos, qui ab eodem Archipresbytero sunt ordinandi. LIX. 7. p. 363.

Examinatores Synodales Terlitienses. V. *Terlitien.*

EXCOMMUNICATIONI Summo Pontifici reservatae subjacent, qui conventiculas *de Liberi Muratori* frequentant, aut recipiunt. XLVII. 1. seqq. p. 283. Facultates Poenitentiariorum circa Excommunicationes Anno Jubilaei. V. *in Constit. XX.* 4. p. 134. et *ibid.* 23. seqq. p. 135. seqq.

Executores V. *Birruarii*.

EXEMPTIONE non gaudent ab Episcopali jurisdictione, et a juribus Parochialibus Collegia Mulierum sine clausura viventium. VII. 13. et 23. p. 85. et 89. XI. p. 84.

Exempti a jurisdictione coactiva Episcopi, directivae nihilominus auctoritati ejusdem parere debent, et Constitutiones Dioecesanas servare. XII. 3. p. 86.

Exempti servare debent Episcoporum Ordinationes in his, quae pertinent ad Sacros Ritus, et Divinorum Officiorum celebrationem. III. 13. p. 26.

Contra exemptos procedere potest Episcopus jure delegato, in his, quae pertinent ad observantiam Decreti Concilii Tridentini, quo prohibetur celebratio Missarum extra Ecclesias, et Oratoria publica. XLVIII. 29. p. 294.

Exemptionis privilegium concessit S. Leo IX. Monasterio S. Crucis in Alsatia. XLII. 10. p. 264.

Simile privilegium concedit Benedictus XIV. Ecclesiae Aquilejensi olim Patriarchali, quam Apostolico Delegato subjicit, nomine Sedis Apostolicae gubernandam. L. 18. p. 308.

Exemptione ab Ordinariorum jurisdictione sunt Abbatiae plures unitae Mensae Capitulari Vaticanae, et loca ad ipsas pertinentia. LIX. 50. p. 379. et 56. 57. p. 382. 383. Exemptione a Quindenniis, aliisque oneribus, gaudet Capitulum Vaticanum ratione earumdem Abbatiarum. *ibid.* 53. et 60. p. 382. et 388.

Exemptione a quacumque jurisdictione, et dependentia Prioris Provincialis Provinciae Siculae fruuntur Conventus Nolabilis, et Valletta Insulae Melitensis Ordinis B. Mariae de monte Carmelo, et subjiciuntur immediate Prioribus Generalibus pro tempore existentibus, memorati Ordinis. LIV.** p. 342.

Exemptum a quibusvis juribus Parochialibus declaratur Collegium in Lauretana Civitate erectum ad instruendam Illyricam Juventutem in bonis artibus, et disciplinis. XIX.***** p. 147.

Item declarantur exempti omnes, et quicumque illius ministri, Officiales, Rector, Magistri, seu Lectores, Alumni, Convictores degentes intra Septa ejusdem Collegii. *ibid.*

EXERCITIA spiritualia a Congregatione Piorum Operariorum habenda. LX. 3. p. 391.

Exercitia spiritualia S. Ignatii quilibet Christifidelis peregerit ad minimum per dies quinque, lucrabitur Indulgentias concessas eadem per octo dies peragentibus. XIX.* p. 134.

EXOMIS. V. *Mozzetta*.

EXORCIZARE non licet Regularibus sine Episcoporum licentia. XLVIII. 34. p. 298.

EXPENSÆ quaedam ab Ecclesiasticis una cum Laicis tolerandae cum sint in Statu Pontificio, de iis semel saltem in anno ratio reddenda est, et quomodo. LXII. 4. p. 418.

EXTENSIO Jubilaei Romae celebrati ad universum Catholicum Orbem. XXVI. p. 201.

Ea postulatur a Principibus. *ibid.* 8. pag. 204. XXXV. 16. p. 238.

EXTRACTIO reorum. V. *Episcopi*.

V. *Immunitas*.

V. *Inquisitores*.

EXTRACTIO Frumenti aliorumque generum a Statu Ecclesiastico nemini, quantumvis privilegiato, permittitur per eos menses, quibus generaliter interdicta est extractio de una Provincia ad aliam. IX. 8. p. 80. Nec umquam fieri potest sine praevia denunciatione, cujus documentum extrahentibus gratis tradendum, et respective registrandum praecipitur. *ibid.*

Extractio hujusmodi praedictis etiam Privilegiatis prohibenda est, iis annis, atque temporibus, quibus Annonae caritas in Provincia fuerit. *ibid.* 8.

V. *Privilegium*.

EXTRAVAGANTIBUS Communibus honor debetur, sicuti et aliis Decretalibus. XXI. 17. p. 165.

F

FABRICA Basilicae Vaticanae multorum Pontificum zelo coepta, et promota fuit. LIII. 1. pag. 326. Pro ejus construtione Collegium multorum Curialium deputatum, et huic specialis Congregatio subrogata fuit. *ibid.* 2. 3. p. 326. et 327.

V. *Congregatio*.

Fabricae ejusdem oeconomia, quomodo administranda. *ibid.* 4.

FACULTAS conceditur asservandi Venerabile Sacramentum in Sacellis Domesticis Societatis Jesu quoties et quamdiu Praeposito Generali ejusdem Societatis visum fuerit. XIX.* p. 133.

Facultas conceditur Missionariis Societatis Jesu in Indiarum Regnis dispensandi in gradibus Consanguinitatis, seu Affinitatis excepto primo gradu, ut Neophiti matri monium inter se contrahere possint. LXI.*** p. 409. Ubi vero Ordinarii non adsint, vel longiores existant ultra duas diaetas. *ibid.* Dispensare poterunt etiam in primo gradu rectae lineae Affinitatis ex copula illicita, et remanere in matrimonio scienter contracto, in occultis tamen et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus justis causis. *ibid.* Haec facultas conceditur per annos viginti. *ibid.* Ubi non adsint Missionarii similem facultatem habentes, committitur Ordinariis, ut alios Presbyteros idoneos a se ipsis approbatos possint subdelegare eamdem facultatem in eorum locum. *ibid.*

Facultas conceditur ex speciali gratia conferendi Sacramentum Confirmationis Praefecto pro tempore existenti tantummodo Missionariorum Societatis Jesu in Insulis Americae Meridionalis Martinica, Guadalupa, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio subditis. LXI.***** p. 416. Et quidem cum Sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit per catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto. *ibid.*

FACULTATES plures Poenitentiariis, et Confessariis tribuuntur Anno Jubilaei. XX. 4. seqq. pag. 154. seqq. Quibus tamen uti dumtaxat possunt cum habentibus serium consequendi Jubilaei propositum, et in actu Sacramentalis Confessionis. XXI. 61. seqq. pag. 179. seqq.

V. *Confessarii*. V. *Poenitentiarii*.

Facultates aliae, et Indulta absolvendi, Anno Jubilaei decurrente, suspenduntur, quibusdam exceptis. XVIII. 2. et 3. p. 114. et XX. 55. p. 189.

V. *Suspensio*.

FAMILIARIBUS Cardinalium, et aliorum, mercede conductis, et in Rotulo descriptis, jus asseritur quoad salarium certi temporis, et alia ipsis competentia, post mortem Dominorum, dummodo intra praescriptum tempus actionem proponant. XXIX. 5. p. 217. Familiares honorarii excluduntur. *ibid.* 6. V. *Honorarii*.

Familiares Episcoporum. V. *Episcoporum Familiares*.

FERIA VI. per hebdomadas Bacchanalium tempore occurrentes in Ditione Ecclesiastica vetitum est larva uti, et personatos homines incedere. XXXVIII. *init.* p. 248.

FESTIS DIEBUS vetitum est in eadem Ditione personatos homines incedere, et Circulatores Populum detinere horis matutinis, necnon pomeridianis dum Divina Officia celebrantur, et Christiana Catechesis habetur. *ibid.*

Festis diebus qui Missam audiunt in Oratoriis privatis, quum non sint ex eorum numero, in quorum praesentia indultum est, ut Missa celebretur, vel illi absint, qui Missam celebrari facere possunt, Ecclesiae praecepto non satisfaciunt. XLVIII. 12. p. 290.

Festi dies solemniores excipi solent in Indultis celebrandi, et celebrari faciendi in Oratoriis domesticis, *ibid.*

FESTUM SS. Petri, et Pauli, et Octavum solem-

nius in Urbe celebrari sancitum est. LIX. 12. pag. 366. Olim Episcopi plures ad illud cum Papa celebrandum conveniebant. XIX. 7. p. 120.

FEUDALIUM Populi Romani locorum causae criminales quomodo agitandae. XXXIV. tot. p. 229.

FIDEI favendum est in rebus dubiis. LIV. §. *ult.* p. 340.

FIDELISSIMI Titulus Joanni V. Portugalliae Regi, ejusque Successoribus perpetuo attribuitur. I. 2. p. 7. et *Append. num. I.* p. 419.

FILII infantes, et impuberes olim a genitoribus poterant statui Clericali, et Monastico offerri: quod postea temperatum est. LIV. 3. seqq. pag. 330. V. *Impubes*.

Quae fuerit in filios potestas apud Romanos. *ibid.* 7. p. 331.

Filii ad Baptismum offerri possunt a Parentibus, etiam Infidelibus. LIV. 10. p. 333. V. *Baptismus*.

FISCALIS Capitolinus quid agere debeat in Congregationibus criminalibus super causis Locorum feudalium Populi Romani. XXXIV. 1. pag. 230. Non potest Judicem agere in causis ad forum Conservatorum spectantibus, neque citationes dare. *ibid.* 2.

Fiscalis idem, et Fiscalis Generalis Romae, eorumque Substituti, quando causas criminales agitare possint. VIII. *in Mot. propr.* 9. p. 75.

FOEMINAE mendicantes, multo magis inhonestae nec die, nec nocte in diversoriis, locisque frequentatis Urbis, aut extra per tria milliaria, recipiantur: necessaria vero in publicis viis, debito modo, illis dentur. VIII. cap. III. §. 6. pag. 70.

Foeminae mendicantes in locis apertis minime pernoctent, sed ante horam 24. ad loca tuta secedant. Nemo in hujusmodi locis foeminas, nisi honestas, recipi sinat. *ibid.* 7.

Foeminis contravenientibus si faveant Executores criminales, punientur: qui eas in vincula conjicient, praemium consequentur. *ibid.* 8.

Foeminis suspectis quomodo facienda sint Praecepta. *ibid.* 4. V. *Praecepta*.

FOLIUM continens theses in Sorbona defendendas sub titulo: *Coelesti Hierusalem etc.* damnatur, et prohibetur, utpote continens propositiones falsas, erroneas etc. LVIII. 1. p. 360.

FONTIS Baptismalis benedictioni in Basilica Vaticana peragendae, debent per se, vel per alios interesse Rectores Ecclesiarum illi subjectarum. LIX. 9. p. 364.

FONTEBRALDENSIS Ordinis Superiorissa ab Episcopi jurisdictione exempta dicitur. VII. 17. p. 87.

FORENSES quinam intelligantur Anno Jubilaei XXI. 69. pag. 183. et 72. pag. 184. seqq. Hanc vocem *Forenses* nonnulli Pontifices adhibuerunt in suis Constitutionibus, alii recentiores omiserunt. *ibid.*

FORENSIUM dissidiis, ac tricis minime obstantibus per solam, liquidamque veritatis inspectionem jus suum unicuique tribuere, istaque agendi ratione justitiam, et pacem sese invicem osculare laudabile Romanorum Pontificum institutum est. LXI.** 1. p. 400.

FORMULA antiqua literarum commendatitiarum pro Peregrinis. XIX. 4. p. 119.

Formula suspensionis Indulgentiarum, et Facultatum Anno Jubilaei. V. *Suspensio*.

S. FRANCISCI Assisiensis Tertius Ordo. V. *Tertius Ordo*.

FRANCISCUS RETZ Societatis Jesu Praepositus Generalis laudatur. XIX.* p. 133.

S. FRANCISCUS de Paula fundator Ordinis Fratrum minimorum nuncupatorum in Capite 4. Regulae ita mandavit: « ad nullas missas, nec ad quaecumque Suffragia se obligent Fratres, nisi tantum in genere, seu sub generalitate suffragiorum Ordinis, aut soluto pro quinquaginta annis, vel citra. » XIX.*** 2. p. 139.

Ad formam praefatae Regulae ex certis quibusdam Indultis, seu ex tolerantia Sedis Apostolicae, per diuturnum quondam temporis spatium, complura missarum, et Suffragiorum etiam perpetua in eodem Ordine suscepta, et quidem per quinquaginta annos in specie, deinde sub generalitate Suffragiorum adimpleta fuerunt. *ibid.*

Post Decreta generalia de celebratione missarum edita per Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, et ab Urbano Papa. VIII. approbata, revocata fuere. *ibid.* 3.

Alexander Papa VII. ex voto dictae Congregationis consuluit indemnitati, et quieti conscientiae eorumdem Fratrum cum opportunis declarationibus, et remediis. *ibid.* 3. et 4.

Ad praecavenda dubia, et anxietates indulgetur, quod omnia, et quaecumque onera perpetua missarum, et Suffragiorum eidem Ordini, ejusque Ecclesiis relicta adimpleri debeant per quinquaginta annos in specie a die suscepti oneris computandos, et deinde finito dictorum quinquaginta annorum spatio, adimpleri valeant in genere, seu sub generalitate missarum, et suffragiorum ejusdem Ordinis. *ibid.* 8. p. 140.

Ad perpetuam, atque specialem memoriam onerum antiquiorum, ad compensationem quarumcumque omissionum missarum, et Suffragiorum, et transgressionem quorumque Decretorum praefinitur, ultra suffragia generalia ad quae tenentur in eodem Ordine, ut una missa de Requie cum Cantu, et cum applicatione pro dictis obligationibus, et oneribus, in perpetuum celebretur. *ibid.* 9. p. 141.

Praecipitur ut in Tabellis perpetuis onerum missarum describenda sit. *ibid.*

S. FRANCISCUS de Paula, exemplum forsan Sancti Francisci Assisiensis prae oculis habens, Tertium

et ipse Ordinem instituit. LVI. 2. p. 346. V. *Tertius Ordo*.

S. FRANCISCUS Salesius B. Joannam Franciscam de Chantal laudavit, eique auctor fuit instituendi Ordinem Monialium a Visitatione Sanctae Mariae. LII. 1. et 2. p. 324. et 328.

Idem S. Franciscus Salesius non dubitavit asserere post diuturnae conversationis, ejusque conscientiae regiminis experimentum, a Deo talem reddendam fore, quales extiterunt S. Paula, Sancta Angela, et S. Catharina Januensis. L.** p. 319.

Tertio Ordini S. Francisci de Paula adscriptus, se *Minimum* appellabat. LVI. 2. p. 346.

S. FRANCISCUS Xaverius ad Indos missus uberrimos Apostolicae praedicationis fructus collegit. *Append. num. I.* pag. 419. Petente Portugalliae Rege, et saeviente apud Sinas persecutione, Patronus principalior, et Protector Indiarum eligitur, cujus Festum sub ritu duplici primae classis cum octava celebratur. *Supplementum num. V.* §. 1. seqq. p. 468.

FRANCS MACONS quinam sint. XLVII. per tot. p. 283. V. *Liberi Muratori*.

FRATRIBUS Ordinis S. Francisci Cappuccinorum praecipitur, ne per se ipsos, aut per interpositas personas cujuscumque status, gradus, conditionis, et qualitatis, ac dignitatis pulpita in quibusvis Civitatibus, Terris, Locis, aut Oppidis absque ministri Generalis, vel illo absente Procuratoris Generalis pro Pulpitis Civitatum, seu Ecclesiarum conspicuarum, quae eorumdem Superiorum Generalium obedientiales literas exigunt, expresse petito, et obtento consensu sibi procurare possint. XVIII.* p. 117.

Pro pulpitis vero minus conspicuis in Quadragesima, Adventu, aliisque temporibus per annum suscipere ne audeant sine licentia suorum Superiorum ministrorum Provincialium. *ibid.*

Contrafacientes mulctantur poena Suspensionis ad triennium ab exercitio concionandi, nec non vocis activae, et passivae ad sexennium. *ibid.*

Saeculares vero, Ecclesiastici, et Regulares cujusvis Ordinis, qui admittunt recursus Fratrum dicti Ordinis afficiantur poena Excommunicationis latae sententiae Sedis Apostolicae reservatae. *ibid.*

Concionatores hujusmodi post absolutos Apostolicos labores recto tramite ad proprium Conventum redeant absque ullo praetextu, neque uti valeant Cisio vulgo *il Calesse*, vel alio commodo Seraphicae Regulae quovis modo contrario praeterquam causa verae et actualis infirmitatis sub poenis expressis pro recurrentibus ad obtinenda Pulpita. *ibid.*

Statuitur Appellationes gradatim fieri: a gravamine Guardiani ad ministrum Provincialem, vel Definitorium Provinciale, a Provinciali, vel Definitorio Provinciali ad ministrum Generalem; ita ut causae appellationis antequam a Superioribus Generalibus cognitae, et definitae fuerint extra dictum Ordinem deferri, agitari, et cognosci nequeant. *ibid.*

Professores hujusmodi contrafacientes sub poenis per Romanorum Pontificum Constitutiones praescriptis, et contentis ipso facto absque alia declaratione incurrant. *ibid.*

FRUCTUOSUS de Faria ex suis bonis mere Laicalibus ad eum legitime spectantibus, et pertinentibus Cappellanias octo fundavit in Ecclesia Prochiali S. Martini de Lordello de Ouro Portugallensis Dioecesis. IV.* p. 36.

Mandavit easdem conferri Presbyteris vitae, ac morum honestate commendabilibus, et primum ex sui ipsius Consanguineis, seu Affinibus, postmodum ex dictae Parochialis Ecclesiae si adfuerint, sin minus ex aliarum illi magis vicinarum Parochialium Ecclesiarum Parochianis. *ibid.* Sic instituti ne amoveantur sine gravissima causa. *ibid.* Qui una cum Rectore dictae Ecclesiae uti eorum Praeside quotidie horas canonicas, aliaque divina Officia more Cathedralium, et Collegiatarum recitare debeant. *ibid.* Item unam Conventualem quotidie feriatis videlicet lectam, et de praecepto Ecclesiae Festis diebus cantatam, ac aliam de B. M. Virgine cum ejus Litaniis singulis Sabathis juxta Fructuosi Fundatoris, et ejus Uxoris mentem, et intentionem applicandas Missas. *ibid.*

Certis determinatis temporibus pro fidelibus Defunctis processionem cum quibusdam precibus, et quotidie post Completorium certas Antiphonas, et Preces in Breviario Fratrum Ordinis S. Francisci contentas in Beatae Mariae Virginis, et S. Rocchi Confessoris honorem, et in Octava Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Officium eorumdem Defunctorum cum tribus Nocturnis pro Fructuosi, ejusque Uxoris animabus peragere, et recitare teneantur. *ibid.* p. 37.

Assignavit in Praebendam Rectori sexaginta, et dictis octo Presbyteris Cappellanis quadraginta scuta Monetae Romanae. *ibid.*

Pia haec fundatio octo Cappellaniarum facta a supradicto Fructuoso pro Ecclesia S. Martini de Lordello de Ouro extrahitur ob gravissimas causas, et transfertur ad insignem Collegiatam S. Martini de Cedofeyta ejusdem Dioecesis Portugal. cum omnibus oneribus supradictis. *ibid.* p. 37. et 38.

Hujusmodi translatio committitur Josepho Mariae Episcopo Portugal. cum opportunis ordinationibus. *ibid.* et seq.

FRUMENTI, et similium rerum commercium liberum de uno ad alium locum Status Pontificii stabilitur. IX. 3. *etc.* p. 79. seqq. Sublata penitus denunciandae quantitatis obligatione. *ibid.* Omnibus tamen, exceptis Privilegiatis, interdicitur extractio extra Statum. *ibid.* 7. p. 80. V. *Extractio*. V. *Privilegium*.

FUGITIVI a carceribus, aut a triremibus, si ad Ecclesiam confugiant, aliquando Sedes Apostolica permittit Episcopis, ut eos extrahi faciant, XL. 5. p. 256.

Si ad Tribunal S. Officii pertineant, quomodo facienda sit eorum extractio. *ibid.*

FURTUM de solis rebus mobilibus intelligi voluerunt auctores juris civilis. LVII. 23. p. 387. Furatur qui res, ob naufragii periculum projectas, lucrari vult. *ibid.* 24. p. 388.

FURTIVÆ rei usucapio non admittitur, nec civili quidem jure. LVII. 23. pag. 387. Furtivae rei emptor, si novit, aut suspicatus est, furtivam rem esse, non potest a Domino repetere pretium. *ib.* 22. p. 386. Amplia, ut etiamsi bona fide rem emerit, eam Domino reddere teneatur, neque jus habeat pretium repetendi. *ibid.*

G

GASPAR ab Incarnatione Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum Apostolicus Visitator, ac Reformator Congregationis Canonicorum Regularium Sanctae Crucis Conimbricensis Ordinis S. Augustini deputatur. III. p. 28.

Ejusdem prudentiae, et arbitrio relinquitur, si sanius visum fuerit, ad majorem eorumdem Canonicorum dumtaxat utilitatem, profectumque Codices, et libros typis tantummodo impressos in proprias cujusque Canonici cellas, et mansiones in ipsis Monasteriis sitas de moderni, et pro tempore existentis Superioris, et Bibliotecarii consensu extrahere, et asportare. *ibid.*

GENNADIUS Patricius, et Africae Exarchus bella pro Christiana Republica feliciter gessit, ideo a S. Gregorio Magno laudatur. *Append. num. I.* p. 420.

GENTILI Antonio Xaverio Cardinali Indultum conceditur celebrandi Missam super Altari Pontificio Basilicae Liberianae, post solemnem ejusdem Altaris Consecrationem a Pontifice factam. XXXIII. p. 228.

GORITIÆ statuitur Sedes Vicarii Apostolici ad regendam partem Dioecesis Aquilejensis deputati. *Append. num. IV. in primo Brevi* §. 3. pag. 436.

GORITIENSIS Archiepiscopatus, suppresso Aquilejensi Patriarchatu, erigitur, eique Dioecesis, et Suffraganei assignantur. L. 11. p. 304.

Jus nominandi futuros Archiepiscopos Mariae Theresiae Archiduci Austriae, Reginae, et Imperatrici tribuitur, ejusque Successoribus Austriae Principibus. *ibid.* 12.

GRÆCAM linguam ut addiscant Monachi Basiliani admonentur. XLIV. 5. p. 278. seqq.

GRÆCOS Ritus conservare Ecclesia Latina semper studuit. XLIII. 5. pag. 273. Graecis prohibitum est, Missas, et Divina Officia Latino Ritu peragere, revocatis a S. Pio V. Indultis alias super hoc concessis. *ibid.* 9. pag. 274.

Graeci uniti in Russia Polonica, si rerum opportunitas id ferat, Missam celebrent super sacris Latinorum Tabulis lapideis. *ibid.* 2. p. 272. seqq.

GRÆCI quoad Sacramentum Confirmationis, et Ordinis. V. *Confirmatio*. V. *Ordines*.

GREGORIUS XIII. Jubilaeum extendit ad Civitatem et Dioecesim Mediolanensem, instante S. Carolo Borromaeo. XXXV. 3. p. 233.

Idem Rosae Aureae munere decoravit Ecclesiam Metropolitanam Bononiae Patriae suae. XLII. 5. p. 261. seqq.

GUBERNATOR Urbis est etiam S. R. E. Vice-Camerarius. VIII. *Cap. I.* et 11. §. 1. p. 62. et 65. Antiqua Privilegia ipsi confirmantur. *ibid.*

Plura pro recta Justitiae administratione, et pro regimine Ministrorum Tribunalis Gubernii ab ipso praestanda recensentur. *ibid.* per tot. p. 62. seqq.

Eidem duo Praelati Assessores, Consultae Ponentes, adjiciuntur, quorum munera in Causarum judiciis, in visitationibus Carcerum etc. designantur. *ibid. Cap. I.* §. 2. p. 63. seqq.

Gubernator in Congregationibus visitationum Carcerum, etiam Capitolii, primus sedere debet. *Cap. II.* §. 5. 7. p. 66.

Ejusdem approbatio necessaria est, ut quis valeat Professionem Criminalem exercere. *Cap. III.* §. 9. p. 71. Ad quem effectum Congregatio instituitur ex Praelatis, aliisque, qui cum eo votum decisivum, et respective consultivum habeant, composita; et approbatorum elenchus fieri et publicari jubetur. *ibid.*

GUTTIERES Emanuel Procurator Provinciae Mexicanae Ordinis Eremitarum S. Augustini postulat confirmationem literarum Apostolicarum Clementis PP. XII. super juribus, privilegiis, gratiis, et exemptionibus, quibus gaudent in Provincia Mexicana Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini antiquiores Rectores quatuor Doctrinarum, seu Parochiarum Indorum. LXI. p. 398.

Eidem conceditur cum quibusdam conditionibus. *ibid.* per totum.

H

HABITUM proprii Ordinis deferre tenentur Regulares quicumque ad Cardinalatum, vel Episcopatum promoti, exceptis Canonicis Regularibus, et Clericis Regul. *Suppl. num. II.* §. 1. et 3. p. 457. §. 10. 11. pag. 459. Hanc disciplinam aliquis ex Fratribus Minoribus evertere studuit. *ibid.* 6. p. 458.

Habitus proprius Equitum S. Joannis Jerosolymitani est sola linea Crux octogona. *ibid.* 4. 9. pag. 457. et 459. Olim, praeter Crucem, peculiares etiam vestes deferre tenebantur. *ibid.* 4. et 11. pag. 457.

et 460. Crucem hujusmodi, exterioribus vestibus assutam, tamquam proprium habitum deferre hi Equites possunt, si ad Cardinalatum, aut Episcopatum promoveantur. *ibid.* 8. seqq. p. 459. seqq.

HEBRÆI. V. *Matrimonium*. V. *Judaei*.

HÆRES illius, qui spolium commisit, quive mala fide alienam rem occupavit, quomodo ad restitutionem teneatur. LVII. 22. 23. pag. 356. et 357.

HÆRESIS. A Censuris propter haeresim formalem externam incursis nullus Confessarius, quibusvis amplissimis facultatibus munitus, vel etiam tempore Jubilaei, absolvere potest, nisi expressam ad id facultatem habuerit. XXI. 85. pag. 190. Etiamsi occulta haeresis sit, et Confessarius facultatem habeat absolvendi a Censuris in Bullæ Coenae reservatis. XX. 53. p. 188.

Quomodo ab ea absolvere possint Poenitentiarii Anno Jubilaei. *ibid.* 7. p. 184.

Haeresis crimen inter excepta numeratur, quorum Rei Immunitatis beneficio non gaudent. XL. 1. seqq. p. 255. V. *Immunitas*.

HÆRETICI ad sinum Ecclesiae invitantur, occasione Jubilaei Universalis. XVII. 10. p. 110.

Haeretici valide baptizant, si Sacramentum ministrent in Fide verae Ecclesiae, et sub forma praescripta, in iis, quae pertinent ad validitatem. II. 13. p. 13.

Haeretici Ecclesiae legibus, et universalibus consuetudinibus tenentur, et juxta eas judicandum est in casibus etiam ad haereticos pertinentibus. *ibid.* 14. seqq.

Ubi de Impedimentis Matrimonii dirimentibus. V. *Matrimonium*.

Haeretici Magistratus, et Ministri, in Foederati Belgii regionibus, Catholicos Matrimonium contrahere volentes cogunt ad contrahendum coram ipsis. *Suppl. N. III.* §. 1. seqq. p. 462. Multa de hoc declarantur, et statuuntur. *ibid.* V. *Matrimonium*.

Haeretici Ecclesiarum bona occupantes, ad restitionem fundorum, et fructuum inde perceptorum tenentur. LVII. 18. p. 355. seqq.

Haereticis ad Fidem Catholicam revertentibus Sedes Apostolica aliquando permisit, ut Bona Ecclesiastica ab ipsis antea occupata retinere possent. *ibid.* 26. seqq. p. 359. seqq.

HEBDOMADÆ Sanctae dies Musica valde dedecet, ideo in quibusdam locis vetita. III. 13. p. 25. seq.

S. HIERONYMUS antiquis Romanis in suis scriptis ob zelum multa exprobavit. Idem ab eorum posteris piissime colitur. *Append. num. III.* §. 5. p. 436. seqq. Ejus agendi ratio erga S. Siricium a Pontifice explicata, et vindicata. *ibid.*

Ejusdem Corpus in antro Bethleemitico sepultum, inde, Jerosolyma a Saracenis capta, Romam translatum, in Basilica Liberiana ignotum quiescit. *ibid.* p. 435.

HIERONYMUS Columna Cardinalis Diaconus Sancti Angeli in Foro Piscium, qui Archipresbyteri Titulo Liberianae Basilicae Clero praesidet, eligitur, et declaratur Legatus a Latere, ut aperiat, nomine Pontificis, Portam Sanctam Basilicae Sanctae Mariae Majoris. XIX.******* p. 180.

HISPANIÆ Rex Ferdinandus VI. Pontificis providentiam implorat, quoad Parochias Indiarum Occidentalium, quae solis Regularibus committi solebant. LI. *princ.* p. 320.

HOMICIDIUM proditorie committentes, ac etiam dumtaxat animo praemeditato et deliberato, Immunitate Ecclesiastica non gaudent. XXVII. 1. pag. 205. Amplia, quoad Statum Ecclesiasticum, ex Constitutione Clementis XII. et quoad alias Regiones, ex Indultis aut Concordatis specialibus, etiamsi homicidium in rixa sequatur, dummodo non casualiter, vel ad propriam defensionem. 206. Et quoad Ecclesiasticos homicidium committentes, ex eadem Constitutione Clementis XII. *ibid.* 6. p. 207.

Quod etiam extendi decernitur ad Regulares cujuscumque Ordinis, Militiae, et Instituti. *ibid.* 7. Item ad Mulieres, et Milites. *ibid.* 8. Et ad eos, qui homicidium ita patraverint baculo, aut saxo. *ibid.* 9. V. *Immunitas*. V. *Extractio*.

Homicida reputatur etiam, qui proximum ita vulneravit, ut ex eo vulnere intra certum tempus moriatur; unde si Periti *grave vitae periculum* vulnerato imminere pronuncient, percussor e loco immuni extrahi debebit; restituendus tamen, si vulneratus ultra definitum tempus superstes vixerit. XXVII. 10. 11. pag. 208.

HONORARII familiares Cardinalium, et aliorum Rom. Curiae Procerum plures esse student. XXX. 1. p. 216. Defunctis Dominis, salarium, et alia sibi deberi saepe concedunt. *ibid.* 2. 3. et 4. pag. *ibid.*

Honorarii hujusmodi, si in peculiari Rotulo cum Honorariorum denominatione describantur, nulla ipsis actio in posterum suffragabitur contra defuncti haereditatem, seu pro minuendis Legatis, quae veris familiaribus relicta fuerint. *ibid.* 6. 7. pag. 217.

HORÆ Canonicae devote recitandae sunt. Eas quotidie in Choro cantare debent; ordinato modo et cantu, qui Choro tenentur. III. 2. p. 17. seqq. Obligationi non satisfacit, qui illas sine debita attentione canit. *ibid.*

HUNGARIÆ Regina. V. *Austria*.

I

SANCTI JACOBI *a Scosciavalli* Parochia. V. *Parochialis*.

JEJUNIUM si in Festum Sancti Patroni alicujus loci, aut in diem Dominicum incidat, anticipatur in praecedentem diem, et quare. XXXVIII. 5. et 6. pag. 249. seqq.

Jejunium Vigiliae S. Joannis Baptistae incidens in solemnitatem Corporis Christi, anticipatur in Feriam IV. *ibid.* 5.

Jejunium Vigiliae in universa Ecclesia praescriptae non possunt Episcopi auctoritate ordinaria anticipare. *ibid.* 8. 9. et 10. p. 250. seqq.

Jejunium Vigiliae S. Mathiae Apostoli praecipitur in Decretali Innocentii III. *ibid.* 10. pag. 250. Permittitur hujus jejunii anticipatio anno 1781. quo anno illud incidit in postremum Baccanaliorum diem. *ibid.* 11. pag. 250. Ecclesiastici tamen monendi sunt, ne hac anticipatione utantur. *ibid.* 13. pag. 251.

JEPHTE utrum peccaverit, faciendo, et adimplendo votum sacrificandi Deo primum e domo occurrentem sibi redeunti e praelio. LIV. 7. pag. 331. seqq. Utrum filiam sacrificando vere occiderit, an solum perpetuae virginitati addixerit. *ibid.*

JEROSOLYMAM insignes viri et mulieres perrexerunt, ut sacra Loca visitarent, XIX. 3. p. 119. Nonnulli ex iis recensentur. *ibid.* 7. p. 120. Proficiscentibus ad recuperandam Jerosolymam olim Indulgentia Plenaria concessa fuit. *ibid.*

JEROSOLYMITANA Militia. V. *Equites*. V. *Militia*.

JESUITIS vetita est cura, et regimen Monialium, ac Mulierum in Religiosis Domibus conviventium. VII. *sub.* §. 2. n. 3. p. 80.

JESUITISSAS pluribus in locis instituit Maria Warth anno 1619. ac Romam venit anno 1621. confirmationem hujusmodi Instituti postulatura. VII. 1. p. 80. seqq. et *sub.* §. 2. num. 1. *ibid.*

Jesuitissas detrimento esse Missionibus exposuit Procurator Cleri Anglicani. n. 2. p. 80. Cardinalis Clesselius Viennae Episcopus apud Congregationem de Propaganda Fide conquestus est, Jesuitissarum domum in ea Civitate, se inconsulto, apertam fuisse. n. 3. p. *ibid.*

Jesuitissae a Jesuitis se directas esse jactabant. Earum suppressio Nuntiis Apostolicis demandata fuit. *ibid.* Obstitit Cambiani Mulier tamquam earum Visitatrix a Maria Warth Praeposita Generali constituta. num. 4. pag. 81. Res ad Congregationem S. Officii remittitur, extirpatis in Italia earum domibus. num. 5. p. *ibid.*

Jesuitissarum Institutum Urbanus VIII. penitus, ac perpetuo, sub gravibus poenis abolevit. num. 6. p. *ibid.* Abolitio effectum habuit. n. 8. p. 82. Earum Fundatrice, et Visitatrice in custodiam datis. n. 6. p. 81. V. *Maria*. V. *Cambiani*.

Jesuitissae nonnulla sibi munera arrogabant, ingenii et sexus imbecillitati, ac muliebri modestiae inconvenientia. *ibid.* 5. p. 83.

Jesuitissarum Institutum revixisse, erectis Anglicanarum Virginum Conservatoriis, nonnulli perperam arbitrati sunt. *ibid.* 3. seqq. pag. 82. seqq. Vetitum est asserere, Jesuitissas fuisse a Clemente XI. restitutas. *ibidem* 8. pag. 84. V. *Anglicanae*.

S. IGNATIUS a Sede Apostolica obtinuit, ut suum Institutum a cura Religiosarum Mulierum perpetuo esset immune. VII. *sub.* §. 2. num. 3. pag. 81.

S. Ignatii Exercitia spiritualia quilibet Christifidelis peregerit per quinque dies ad minimum, lucrabitur Indulgentias concessas eadem per octo dies peragentibus. XIX.* p. 134.

IGNORANTIA in poenitentibus attente a Confessariis discutienda. XIX. 19. et 20. p. 127.

ILLYRICA JUVENTUS degens in Collegio Lauretanae Civitatis eximitur a quibusvis juribus Parochialibus. XIX.****** p. 146. V. *Collegium*.

IMMUNITATE Ecclesiastica non gaudet, qui homicidium deliberate committit. XXVII. 1. p. 205. V. *Homicidium*.

Item Rei aliorum criminum, quae recensentur in Constit. Gregorii XIV. et Benedicti XIII. *ibid.* 2. De crimine haeresis et apostasiae specialiter. XL. 1. seqq. p. 285.

De Immunitate plura decrevit Clemens XII. pro sola Ecclesiastica ditione, quae deinde ad alias Regiones extensa fuerunt per viam Indulti, aut concordati. XXVII. 1. 4. p. 205. et 206. His alia nonnulla adjecit Pontifex, d. Constit. *ibid.* per tot. V. *Extractio*. V. *Homicidium*.

Immunitatis violatae reatus et poenas ubique incurrunt, non solum qui reos per vim extrahunt e locis immunibus, aut sine Episcopi auctoritate, sed etiam qui eos ibi obsident, et ad deditionem compellunt. *ibid.* 14. pag. 209. Iidem Ecclesiastici confugii beneficio perpetuo privantur. *ibid.* pag. 210.

Immunitatis beneficio gaudere debent Rei criminis ad S. Officii Tribunal spectantis, nisi crimen expresse exceptum dignoscatur. XL. 4. pag. 286. etiamsi, post condemnationem, e triremibus, aliove relegationis loco a ministrorum manibus liberi aufugerint. *ibid.* 5. p. 286. Nisi Episcopus Indultum habeat extrahendi ab Ecclesia fugitivos a triremibus. *ibid.*

Immunitate ecclesiastica gaudent Ecclesiae dependentes a Monasterio S. Stephani in Bosco Provinciae Rheginen. ulterioris Calabriae Ordinis Carthusiensis, pro iis qui confugiunt ad eas ob patrata delicta. II.* p. 15.

Minime vero gaudent immunitate Ecclesiastica, qui obnoxii delictis exceptis in Constitutionibus Gregorii XIV. et Benedicti XIII. Romanorum Pontificum, et in concordatis inter Apostolicam Sedem, et Carolum Sebastianum utriusque Siciliae, et Jerusalem Regem. *ibid.*

IMPEDIMENTA Matrimonium dirimentia Principis saecularis lege induci nequeunt. II. 7. p. 11.

Impedimentis Matrimonium dirimentibus ab Ec-

clesia statutis irritantur etiam Haereticorum Matrimonia. *ibid.* 16. p. 13.

Impedimentum *Disparitatis cultus* Matrimonium dirimit. II. 1. p. 10. et 16. p. 13.

Impedimentum hoc non positivo aliquo Juris Canonici Decreto, sed Communi Ecclesiae consuetudine inductum. *ibid.* 9. 10. pag. 12. non afficit eos, qui nunquam baptisma susceperunt: neque Baptizatos, licet alteruter sit haereticus; sed eos quorum unus baptizatus est, alter non, etiamsi esset Catechumenus. *ibid.* 11. ad 19. p. 12. seqq.

Super Impedimento hujusmodi dispensare possunt Vicarii Apostolici, et Missionarii apud Sinas, et Japoniam, ex Privilegio Apostolico. *ibid.* 19. pag. 14.

Impedimentum *Clandestinae desponsationis*, Matrimonium irritans, a Concilio Tridentino inductum, non afficit Matrimonia, quae contrahuntur in locis, ubi promulgatum non est Concilii Decretum. *ibid.* 17. p. 13.

Impedimenta Matrimonialia quomodo a Poenitentiariis Anno Jubilaei dispensari possint. XX. 13. seqq. p. 155.

IMPUBERES, et infantes filii, olim poterant a genitoribus offerri permanenter Statui Clericali, vel Monastico. LIV. 3. 4. et 5. p. 330. et 331.

Impuberes sic oblati, quum ad discretionis annos pervenerint, possunt ex posterioribus statutis retinere statum, vel reliquere. *ibid.* 6. pag. 331. Haec disciplina, salvis Religionum Constitutionibus, et Concilii Tridentini decretis, adhuc viget, ita tamen ut pater non possit filium oblatum revocare, Religio autem possit illum dimittere, nisi aliter se obligaverit. *ibid.* Similis disciplina viguit, et moderata est quoad sponsalia impuberum. *ibid.*

Impuberis oblatio probabilius subsistit, si a patre fiat, dissentiente matre, quam e contra. Samuel vero valide a matre in Templo oblatus fuit, quia pater consensit. *ibid.* 8. pag. 332. Jus tamen impuberes offerendi Monasterio non minus a patre, quam a matre exerceri potest. *ibid.* 20. pag. 336.

Impubes oblatus Baptismo, et baptizatus, non potest Christianam Fidem deserere. *ibid.* 9. p. 333.

Impuberes Infidelium filii, a quibus offerri possint ad Baptismum. *ibid.* 10. seqq. V. *Baptismus.*

IMPERATORES Romae non alibi coronari, et ungi debent, quam in Basilica Vaticana. LIX. 18. p. 368.

IMPERATRIX. V. *Austria.*

INCOLARUM nomine quinam intelligantur. XXI. 71. et 72. p. 183. seqq.

INDIARUM Parochiae, Doctrinae, et alia officia ad animarum curam spectantia, solis Regularibus olim conferri solita, in posterum etiam Presbyteris saecularibus conferri posse, statuitur. LI. 1. seqq. p. 320. seqq.

Indiarum Patronus principalior S. Franciscus Xaverius. *Suppl. num. V.* p. 468. V. *h. Franciscus.*

INDICIA de patrato delicto quaenam sufficiant, ut Reus, Ecclesiastica immunitate indignus, e loco immuni extrahatur. XXVII. 3. p. 206. Et a quo sint colligenda. *ibid.* 12. p. 208. et 13. p. 210.

INDULGENTIAE ex thesauro meritorum Christi, et Sanctorum depromuntur, quarum dispensator est Romanus Pontifex. XVII. 4. pag. 109. et XIX. 13. 14. pag. 124. et 125. Debite obtentae, aut applicatae, prosunt vivis, et defunctis ad delendam poenam temporalem juxta dispensationis mensuram. *ibid.* 14. p. 125.

Indulgentiarum usu Poenitentia non tollitur, neque Christiani desides fiunt, aut a satisfactione pro peccatis debita, avocantur, ut quidam impie opinati sunt. *ibid.* 28. pag. 131. Pia opera exercenda sunt tempore Indulgentiarum. *ibid.*

Indulgentia Plenaria primum concessa reperitur euntibus ad liberandam, vel recuperandam Terram Sanctam. *ibid.* 1. p. 118. et XXXV. 14. p. 238.

Indulgentia altera Plenaria fuit magni Jubilaei. *ibid.* Hanc singulis annis saecularibus acquiri a visitantibus Limina Apostolorum ex antiqua traditione disseminatum est per Europam sub Bonifacio VIII. qui proinde illam concessit: XIX. 10. p. 122. V. *Jubilaeum.*

Ad indulgentiam Jubilaei consequendam opera injuncta. XVII. 6. pag. 109. Et declarationes super ipsis editae. XX. 45. ad 51. p. 158. et XXI. 2. pag. 161. seqq. ad 16.

Indulgentia, etiam Jubilaei, per implementum ultimi operis ex injunctis ad eam consequendam, acquiritur; quod proinde in statu gratiae est faciendum. *ibid.* 75. 76. p. 185. seqq.

Ad Indulgentiam consequendam non suffragatur opus, ad quod ex alio titulo quis obligatur. *ibid.* 53. p. 177.

Ut Indulgentia acquiratur, quae concessa sit pro confessis et sacra communione refectis, requiritur Confessio actualis, et Communio Sacramentalis. *ibid.* 3. etc. pag. 161. seqq. Et solis Missionariis in partibus Infidelium commorantibus Indultum fuit, ut hujusmodi Indulgentias lucrari possint, praemisso Contritionis actu. *ibid* 6. pag. 162.

Indulgentia Plenaria in certos dies aliquam Ecclesiam visitantibus, aut aliud pium opus peragentibus concessa, semel dumtaxat in die obtineri potest. *ibid.* 84. p. 190. seqq.

Indulgentiam Plenariam Populo concedendi facultas datur Cardinalibus de Latere Legatis ad aperiendas, et claudendas Portas Sanctas Anno Jubilaei deputatis. XIX.******* 9. pag. 150. et XXV. p. 200.

Indulgentiae quaecumque, decurrente Jubilaei Anno, suspenduntur, nonnullis exceptis. XVIII. 1. 3. p. 113. et 114. V. *Suspensio.*

De Indulgentiis nonnulla Clemens VIII. et Paulus V. statuerunt, etiam quoad Basilicam Lateranensem. XLV. 1. 2. et 3. p. 276.

Indulgentiae plures eidem Basilicae concessae confirmantur. *ibid.* 6. 7. p. 277. Communicatae Ecclesiis, aliisque locis huic Basilicae subjectis, aut aggregatis, suspenduntur, et aliae determinatae conceduntur. *ibid.* 8. seqq.

Indulgentiae Basilicae Vaticanae jam concessae confirmantur. LIX. 49. p. 379.

Indulgentiae aliae concedi, et communicari possunt Ecclesiis, Altaribus, Piisque Locis eidem Basilicae aggregatis, aut aggregandis. *ibid.* 46. seqq. pag. 378.

Indulgentiae hujusmodi quomodo concedendae a Capitulo; quid observandum circa Literarum expeditionem, et alia; quid advertendum a Rectoribus Ecclesiarum, et a Ministris Locorum, quibus conceduntur, in earum publicatione, eleemosynarum receptione, et erogatione. *ibid.* 48. p. 379.

Indulgentiae Ordinibus Mendicantibus, et Tertio Ordini de Poenitentia, sub regula S. Francisci Assisiensis concessae, quomodo a nonnullis Pontificibus, et Congregatione Indulgentiarum declaratae. XLI. 2. p. 287.

Indulgentiae determinatae Fratribus ejusdem Tertii Ordinis tam in Conventibus, sive alias collegialiter, quam in privatis domibus seorsim viventibus, conceduntur: aliae olim controversae abrogantur. *ibid.* 3. seqq. p. 288.

Indulgentiae speciales, etiam Plenariae conceduntur personis utriusque sexus Tertium Ordinem S. Francisci de Paula profitentibus. LVI. 3. 4. et 5. pag. 347. Et *Chordigeris*, qui nempe Cingulum ejusdem S. Francisci gerunt. *ibid.* 6. 7. et 8. pag. 347. et 348. Omnes Animabus Purgatorii applicabiles: *ibid.* 9.

Indulgentiae aliae abrogantur, sique praedictis omnibus concessae circumferantur. *ibid.* 10. Olim quoque aliae sublatae fuerunt, quae Chordigeri concessae dicebantur. *ibid.* 1. p. 346.

Indulgentiae concessae a S. M. Gregorio PP. XV. Clericis Regularibus Societatis Jesu Assistentiae Hispanae, aliisque una cum eis cooperantibus, in docendo, ac pro addiscentibus Doctrinam Christianam in Hispaniarum, et Indiarum Regnis confirmantur, et ampliantur. L. p. 308. per totum.

Omnes Religiosi ejusmodi Societatis fruuntur Indulgentiis Congregationum Primae Primariae dictae aggregatarum tamquam si ibidem essent adscripti, et easdem frequentarent. XIX. p. 133.

Indulgentiarum Congregatio. V. *Congregatio*.

INDULTARIÆ personae, quarum praesentia requiritur, ut in privatis Oratoriis Missa celebretur, quaenam sint. XLVIII. 14. seqq. p. 291.

INDULTO superveniente, Anno Jubilaei, quomodo Basilicarum visitationes jam factae cumputandae sint, aut quae superaddendae. XXI. 82. p. 189.

Indultum Pontificalium. V. *Pontificalia*.

INFANTES, aut impuberes quomodo possint a parentibus, aliisque, offerri ad statum Clericalem, vel Monasticum, aut ad Baptismum, contradicentibus, aut non contradicentibus aliis. LIV. per tot. pag. 329. seqq. V. *Baptismus*. V. *Impubes*.

INFIDELIUM filii infantes, aut impuberes a quibus afferri possint ad Baptismum. *ibid.* 10. seqq. pag. 333. seqq. Patri ad Christianam Fidem converso assignandus est filius, non matri in sua infidelitate permanenti, et e contra. *ibid.* 18. p. 335. V. *Baptismus*.

INNOCENTIUS III., aedificato in honorem Beatae Mariae Virginis Monasterio, potentissimum ejus auxilium moriens expertus fuit. *Append. num. III.* §. 4. p. 436.

INNOCENTIANUS carcer. V. *Carcer*.

INQUISITIONIS Tribunal ad capturam non procedit, nisi post semiplenam delicti probationem. XL. 3. pag. 286. Tribunali eidem in Portugallia denunciandi sunt Confessarii exquirentes in Confessione nomen complicis. XIII. 7. p. 88.

V. *Confessarius*.

INQUISITORES possunt auctoritate propria ex locis immunibus extrahere Haereticos, certiorato tamen ante, vel post, Episcopo loci Ordinario. XL. 3. p. 286.

Item fugitivos e Carceribus, seu Triremibus, aliove relegationis loco, ad quem ob haeresis crimen damnati erant. *ibid.* 5.

Si agatur de reis aliorum criminum exceptorum ad S. Officii Tribunal pertinentibus, communicanda erunt Episcopo indicia, ejusque Decretum pro extractione expectandum, aliaque in extractione servanda, quae praescribuntur in Constitutionibus Apostolicis. *ibid.* 4.

INSCRIPTIONEM de Basilica S. Mariae Majoris a S. Sixto III. consecrata apponi in eadem Benedictus XIV. jussit *Append. num. III.* §. 2. pag. 434. V. etiam *Colossaeum*.

Inscriptiones Capituli, et veterum Archipresbyterorum Terlitiensium non sunt delendae. XIV. 9. p. 98. seqq.

INSTRUMENTA musica. V. *Musica*.

INTERDICTUM apponi nequit, inconsulto Romano Pontifice, in Ecclesiis basilicae Vaticanae subjectis, ubicumque sint, nisi Interdictum sit generale. LIX. 44. p. 377.

Interdictum *Unde vi* quomodo a Jure Canonico correctum. LVII. 22. p. 356. seqq.

INVENTARIUM rerum propriarum nisi fiat ab Episcopis, difficile erit eas secernere ab aliis, quas ex proventibus Ecclesiae acquisituri sunt, quaeque juribus Spolii subesse debent. XXIX. 8. p. 217.

JOANNA FRANCISCA de Chantal nobilissimis orta parentibus, admirabili sanctitate, teste S. Francisco Salesio, floruit in triplici statu virginitatis, matrimonii, et viduitatis. LII. 1. pag. 324. Votum emisit faciendi quidquid perfectius esse cognosceret. *ibid.*

Joanna eadem Sanctimoniales a Visitatione Sanctae Mariae instituit, eodem S. Francisco duce. *ibid.* 2. p. 328. et L.** p. 310.

Ejus pretiosa mors. L.** p. 310.

Processus super virtutibus in gradu heroico, et miraculis a Deo patratis ejus intercessione. *ibid.* per totum.

Ejus Beatificationem Summus Pontifex, approbatis antea illius virtutibus in gradu heroico, et quatuor miraculis, decrevit, et celebrari mandavit, consuetis concessis honoribus. LII. 3. p. 328.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS sepulcra SS. Petri, et Pauli praesens venerari peroptabat. XIX. 4. p. 119. et 8. p. 121. seqq.

S. JOANNIS JEROSOLYMITANI. V. *Equites*. V. *Militia*.

JOANNES V. Portugalliae Rex. V. *Portugalliae*.

S. JOANNES DE MATHA Fundator Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum. I.* pag. 8.

Ejus Corpus primo requievit in Arca Marmorea, seu Sarcophago in Ecclesia S. Thomae Apostoli in Monte Coelio. *ibid.* p. 9.

Postea translatum in Hispanias anno 1655. *ibid.*

Controversia excitata super Identitate Ossium Corporis ejus. *ibid.*

Dirimitur a Summo Pontifice Innocentio XIII. *ib.*

Urna Marmorea, sive Sarcophagum, ubi Ossa ejusdem Sancti tumulata jacuerant, una cum Epigraphe analoga donationis titulo traditur Michaeli a S. Josepho Ministro Generali Fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum. *ibid.* Praecipitur eidem Michaeli, ut illud transmittat in Hispanias, utque ibi denuo reponantur Ossa ejusdem Sancti Joannis. *ibid.*

JOSEPHO MARIÆ Episcopo Portugall. committitur translatio octo Cappellaniarum a Fructuoso de Faria factarum ab Ecclesia S. Martini de Lordello de Ouro ad insignem Collegiatum S. Martini de Cedofeyta ejusdem Dioecesis Portugall. cum opportunis ordinationibus. IV.* p. 37. et 38.

IRREGULARITAS utrum venire intelligatur sub generali nomine Censurarum. XXI. 48. pag. 176. seqq.

Irregularitatem incurrit, qui Sacris Ordinibus initiatus, et Censura ligatus, suos exercet Ordines. Controvertitur ab aliquibus de Clerico in Minoribus. *ibid.* 49. pag. 176. Super ejusmodi irregularitate occulta dispensare Poenitentiarii possunt Anno Jubilaei cum Clericis tam Majoribus, quam Minoribus. XX. 12. pag. 135. et XXI. 50. pag. 177. Et Confessarii Regulares cum suis Regularibus. XX. 41. pag. 137. et XXI. 88. pag. 191. Item Confessarii eligendi occasione extensionis ejusdem Jubilaei ad universum Catholicum Orbem. XXVI. 4. p. 203.

ISRAELITÆ ter quotannis ad Templum accedere debebant. XIX. 2. p. 118.

ITER agentes quomodo Jubilaeum consequi possint. XXVI. 3. p. 202.

JUBILÆUM Bonifacius VIII. sub praesenti forma instituit, et recurrente centesimo anno indicendum constituit. XV. 1. pag. 102. Clemens VI. ad quinquagesimum. Urbanus VI. ad trigesimum tertium: Paulus II. ad vigesimum quintum annum restrinxit: et a Bonifacio VIII. septemdecim Jubilaei celebritates numerantur, imminente decimaoctava a Benedicto XIV. indicenda *ibid.*

Jubilaeo originem dedisse dicitur fama sub Bonifacio VIII. ex antiqua traditione mirabiliter vulgata, de Indulgentia plenaria quovis centesimo anno concessa adeuntibus Limina Apostolorum. XIX. 10. p. 122. seqq.

Jubilaeum olim Feria V. Hebdomadae Sanctae, vel in Festo SS. Petri, et Pauli, demum in solemnitate Ascensionis Domini indictum fuit qui postremus indicendi modus retentus est. XVI. 2. p. 106. Secunda indictio ex Pontificio Palatio fit Dominica 4. Adventus. XIX.******* 1. p. 148. Portae Sanctae aperiuntur. V. *Porta Sancta*.

Jubilaei Anno imminente, Ecclesiarum, et sacrae supellectilis nitor, atque mundities omnibus ditionis Pontificiae Episcopis commendatur. III. 1. p. 16. seqq. Urbis Basilicae reparantur, et ornantur. XV. 13. et seqq. p. 105.

Jubilaeo adventante praemittendae Missiones, Confessarii admonendi de pluribus, et ad Episcopos dandae Literae Encyclicae, ut Annus Sanctus prosper succedat. XVI. 4. pag. 106. Commendantur exactae Confessiones, praesertim generales. XIX. 16. et 17. p. 125. et 126.

Ad Jubilaeum invitantur Episcopi, Ecclesiastici Saeculares, et Regulares, Laici etc. *ibid.* 7. p. 120.

Jubilaei Annus incipit Vigilia Nativitatis Domini *ibid.* 13. pag. 124. et XVII. 3. pag. 109. Nonnulli Pontifices hunc Annum indixerunt, vel aperuerunt, sed non absolverunt morte praeventi. XV. 2. p. 102. Olim pro Jubilaeo lucrando visitabantur dumtaxat Basilicae SS. Petri et Pauli, quibus Lateranensem, mox Liberianam alii Pontifices addiderunt. *ibid.* 4. et XIX. 10. p. 122.

Jubilaeum ut obtineretur olim Summi Pontifices Confessionem dumtaxat in suis Constitutionibus recensebant, Benedictus XIV. Communionem addidit. XVI. 3. p. 106. et XIX. 10. p. 122.

Jubilaeum lucraturi tam in itineribus, quam Romae laudabiliter se gerere debent. XIX. 27. p. 131.

Jubilaei Annus sub Benedicto XIV. indicitur: monentur omnes, ut tantum Indulgentiarum thesaurum lucrari satagant. XVII. per tot. p. 108. In hujusmodi indictione elucet piae Matris Ecclesiae solicitudo, *ibid.* 1. Et Summorum Pontificum zelus, et vigilantia. *ibid.* 2. seqq. p. *ibid.*

Jubilaei Indulgentia ut obtineatur, Confessio Sacramentalis, Communio Eucharistica, visitatio Basilicarum, et visitationum numerus, ac modus, et preces fundendae injunguntur. *ibid.* 6. p. 109. Quomodo Jubilaeum consequi possint qui ex legitima causa nequeunt opera injuncta exequi. *ibid.* 7.

Jubilaeum ut publicent, populosque verbo et opere edoceant, quid Jubilaei tempore agendum, admonentur Patriarchae, et reliqui Catholici Antistites. *ibid.* 11. seqq. p. 111. seqq. Principibus Catholicis commendatur Jubilaei progressus. *ibid.* 14. p. *ibid.*

Jubilaei Anno decurrente, Indulgentiae aliae, et facultates suspenduntur, quibusdam exceptis. XVIII. per tot. p. 113. V. *Suspensio*.

Jubilaei Anno amplae facultates tribuuntur Poenitentiariis Ecclesiarum Urbis. XX. 4. seqq. pag. 154. seqq. Tribuuntur et Confessariis. *ibid.* 38. seq. p. 157. seqq. Adduntur instructiones. XIX. 18. seqq. p. 126.

Circa Jubilaeum dubia quaedam expediuntur quoad personas Romam venientes, tam Urbis incolas, quam exteras, quoad opera injuncta, quoad facultates absolvendi, dispensandi etc. quoad Indulta, et preces. XX. 43. seqq. p. 157. XXI. 2. 7. pag. 161. seqq.

Jubilaeum pluries in decursu Anni Sancti lucrari poterunt, qui opera injuncta iteraverint. XX. 32. p. 158. XXI. 84. p. 190.

Jubilaeum conceditur Monialibus, aliisque mulieribus sub clausura, vel in piis domibus collegialiter viventibus, item Anachoretis, Eremitis, Infirmis, et in carcere, aut captivitate detentis, et quomodo ab his omnibus obtineri possit. XXIII. per tot. pag. 195. Quinam eorum omnium nomine comprehendantur. *ibid.* 1. seqq. Quid de iis, qui in carceribus S. Inquisitionis detinentur; *ibid.* 3. pag. 196. Quid ab iisdem agendum pro Indulgentia consequenda. *ibid.* 6. et 7.

Jubilaei Indulgentiam ii omnes Anno Sancto vertente bis lucrari poterunt. *ibid.* 7.

Jubilaeum consequi poterunt qui vel iter Romam versus instituerunt, vel illuc advenientes non potuerunt visitationes Basilicarum incipere, aut complere, dummodo confessi sint, et Sacra communione refecti. XVII. 7. p. 109. et XXI. 14. etc. p. 164. Hoc Indultum non comprehendit Romanos, quibus impeditis alia ratione consulitur. *ibid.* 16. p. 165.

Jubilaeum Magnum nonnulli Pontifices ad alia extra Urbem Loca extendere denegarunt, etiamsi Reges petierint; alii quibusdam Principibus, Populis, et Ordinibus; alii singulis per Orbem Dioecesibus diversimode concesserunt. XXXV. 2. 3. p. 232. et 233.

Jubilaeum a Benedicto XIV. ad totum Orbem Catholicum, peracto Romae Anno Sancto, extenditur, intra praefinitum tempus obtinendum. XXVI. per tot. pag. 201. seqq. Etiam ab his obtineri potest, qui illud Romae, vel alibi lucrati fuerunt. *ibid.* 2. p. 202.

Jubilaeum hoc ut obtineatur, quid agendum sit? *ibi.* Quid de navigantibus, iter agentibus, Regularibus, Monialibus, Anachoretis, et similibus. *ibid.* 3. Quinam Confessarii ad hoc eligi possint, et quae facultates illis dentur. *ibid.* 4. 8. p. 203. Quid de iis, qui morte praeventi aut post obtentas dispensationes etc. praescripta ad lucrandum opera non perfecerunt. *ibid.* 6.

JUDÆIS Lege Mosaica vetitum erat Matrimonium cum alienigenis, quod tamen praeceptum ipsi nonnunquam transgressi sunt. II. 3. p. 10. Incertum tamen, utrum ea lege irritarentur Matrimonia ab iis contracta, cum alienigenis; et an praeceptum comprehenderet alias nationes, praeter Cananaeas. *ibid.* 5. 6. p. 11.

Judaeis Matrimonium cum Christianis veluit Theodosius sub gravibus poenis. *ibid.* 7. et 8. pag. *ibid.* Matrimonium Judaei cum Haeretica. V. *Matrimonium*.

Judaei ad Fidem Christianam conversi et in Apostasiam lapsi, Ecclesiastica Immunitate non gaudent; et ab Inquisitoribus propria auctoritate e locis immunibus extrahi possunt, servato honore Episcopis debito. XL. 3. p. 256.

Judaei sunt servi Christianorum servitute civili. LIV. 15. p. 334.

Judaeus Christianam Religionem amplexus potest filium infantem, vel impuberem eidem Religioni offerre, licet mater in Judaismo persistens contradicat. *ibid.* 1. pag. 329. Eamdem potestatem habent mater, et tutores. Item avi paterni quoad nepotes, quamvis pater, vel mater, vel utrique in Judaismo obstinati contradicerent, *ibid.*

Judaeo patri ad Christianam Fidem converso assignandus est filius, si mater in Judaismo permaneat, et e contra. *ibid.* 18. p. 335. seqq.

Judaei olim poterant filios ecclae vivendi rationi destinare permanenter. *ibid.* 7. pag. 331. seqq. Ter quotannis Templum adire debebant. XIX. 2. p. 118.

Judaei in Poloniae Regno valde multiplicati, multa ipsis non concedenda officia exercere dicuntur, et acerbum dominatum exercere in Christianos, quorum plurimos affligunt, et tamquam famulos habent. XLIX. 2. 3. pag. 297. et 298. Pecunias foenore accipiunt cum fidejussione suarum Synagogarum, et quare. *ibid.*

Judaeorum superbiam ut cohibeant, et absurda illa eradicari curent, monentur Primas, Archiepiscopi, et Episcopi Poloni, et quomodo id praestandum sit. *ibid.* 6. seqq. p. 299. seqq.

Judaeorum ingens numerus per Galliam, et Germaniam deletus fuit, Radulpho Monacho contra eos praedicante, cui S. Bernardus, et Petrus Cluniacensis Abbas se opposuerunt. *ibid.* 4. et 5. p. 298. Judaei persequendi non sunt, aut trucidandi, neque concessarum legum praesidio spoliandi. *ibid.* 4.

Judaeorum servitio ne Christiani se addicerent prohibuerunt Summi Pontifices, et alia multa de Judaeis inter Christianos degentibus statuerunt, quae omnino servari jubentur. *ibid.* 6. p. 299.

JUDEX Ecclesiasticus in Statu Pontificio quando possit cognoscere causas de damno dato, et quando Judex saecularis. XXXVII. 5. seqq. p. 242. seqq. V. *Damnum datum*.

Judex nullus potest damni dati poenas, quamvis per edicta auctas, condonare, vel minuere, neque sibi aut suis ministris addicere. *ibid.* 16. pag. 245. seqq. Pro se et ministris potest in his causis exigere emolumenta aliqua, juxta taxationem statutariam, post partis damnificatae satisfactionem, et poenae damni dati solutionem. *ibid.* 17.

Judices Criminales Romae, praesertim Tribunalium Cardinalis Vicarii, et Capitolii, jubentur publicam exhibere audientiam diebus, et hora statutis. VIII. cap. III. §. 3. p. 69. Constitutiones 71. et 72. Pauli V. observare debent quoad emolumenta percipienda. *ibi.* 1. et 2.

Judex ordinarius Fabricae D. Petri a Summo Pontifice eligitur. LIII. 2. pag. 326. votum consultivum habet in Congregatione oeconomica ejusdem Fabricae. *ibid.* 7. p. 328.

Judices a Capitulo Vaticano deputati pro territorio Abbatiae S. Martini in Montibus Dioecesis Viterbiensis, et pro Castro S. Petri in Formis, vulgo *Campomorto*, licet extra suum districtum residentes, exercere possunt jurisdictionem in Civilibus, et Criminalibus. LIX. 64. p. 387.

JURAMENTUM, etiam obedientiae, numquam juri Superioris officit. VII. 20. 23. pag. 88, et 89.

Juramentum de secreto servando quoad suas conventiculas interponitur ab iis, qui *Liberi Muratori* vulgo dicuntur. XLVII. 7. p. 285.

JURISDICTIO alia coactiva, et alia directiva. XII. 5 p. 86. V. in verbo: *Episcopus*; ubi plura de Episcopali jurisd. V. etiam in verbo: *Exemptus*.

Jurisdictionem Ordinariam in spiritualibus habet Archipresbyter Basilicae Vaticanae in eamdem Basilicam, ejusque Seminarium, aliaque adnexa aedificia; et in personas Canonicorum, Beneficiatorum, Clericorum, aliorumque Basilicae Inservientium, in pertinentibus ad ipsum servitium. LIX. 5. etc. p. 362.

Jurisdictionem ordinariam, et quasi Episcopalem habet Capitulum Vaticanum in plures Abbatias ipsi attributas, et in Loca ad illas spectantia. *ibid.* p. 380. et 56. 57. p. 382. et 383.

Jurisdictionem temporalem, et spiritualem, ac quasi Episcopalem habent Priores Ordinis Carthusiensis Monasterii S. Stephani in Bosco in Ecclesiis in ejus Territorio contentis ex vi donationum, et concessionum S. Brunoni factarum ab Episcopis Squillacen.; et confirmatarum a diversis Romanis Pontificibus. II.* p. 14.

A Jurisdictione, et dependentia Prioris Provincialis Provinciae siculae eximuntur Conventus Notabilis, et Valletta Insulae Meliten. Ordinis Beatae Mariae de monte Carmelo, et subjiciuntur immediate Prioribus Generalibus pro tempore existentibus memorati Ordinis. LIV.** p. 342.

Jus GENTIUM, quo capti in bello capientium servi fiunt, locum non habet inter Christianos, sed tantum in bellis, quae adversus Turcas, aliosque Infideles geruntur. LIV. 13. p. 334.

JUS NATURALE aliquando dicitur jus illud, quod quis habet a natura derivatum; alio autem sensu hoc nomine designatur Lex naturae aliquid praecipiens, aut vetans. *ibid.* 26. p. 339. seqq. Et huic quidem nunquam derogari fas est; at illud aliquando cedere debet Juri Gentium, multoque magis Religionis causae, et spirituali animarum saluti. *ibid.* seqq.

JUVENACENSIS Ecclesia quando in Cathedralem erecta fuerit. XIV. 2. p. 91. Controversiae, et dissensiones inde subortae in Juvenacensem Episcopum, et Archipresbyterum Collegiatae Terlitiensis. *ibid.*

Juvenacensi Episcopo, multiplicem jurisdictionem Summi Pontifices supra eamdem Collegiatam concesserunt, quibusdam juribus Archipresbytero Terlitiensi reservatis. *ibid.* 3.

Juvenacensis Episcopi nominatio ad utriusque Siciliae Regem pertinet ex Apostolico Privilegio. *ibid.* 5. p. 93.

Juvenacensi Cathedrali Terlitiensis Ecclesia Concathedralis efficitur, pluribus eidem Ecclesiae, et Capitulo Terlitiensi reservatis, immutatis, et renovatis. *ibid.* 8. seqq. p. 94. seqq. V. *Terlitien.*

Juvenacense Capitulum Terlitiensi praecedat in Synodo Dioecesana, *ibid.* 9.

L

LÆTARE. V. *Dominica*.

LATERANENSIS Basilica a duobus Summis Pontificibus Aureae Rosae munere donata fuit. XLII. 6. p. 262.

In Lateranensi Basilica Sacramentum Confirmationis ministrari potest a Cardinale Urbis Vicario, ejusve Vices-Gerente, vel alio Antistite ab eo depu-

tato, tolies, quoties, quibusque temporibus, atque diebus ipsi Vicario opportunum videbitur. LIX. 11. p. 368.

Lateranensi Basilicae concessae Indulgentiae, quaecumque in ea, scientibus et consentientibus Romanis Pontificibus proponi consueverunt, licet concessionum monumenta forte non extent, a Pontifice approbantur et confirmantur. XLV. 7. p. 277. Ejusdem Basilicae Filialibus et subjectis Ecclesiis, Cappellis etc. communicatas Indulgentias suspendit, aliasque interim eisdem largitur, et respective communicari permittit. *ibid.* 8. seqq.

Lateranense Capitulum diversas ubique constitutas Ecclesias, Cappellas etc. Ecclesiae Lateranensi subjicere et incorporare consuevit, iisque non minus, quam aliis in solo Lateranensi erectis, varias Indulgentias et spirituales gratias communicare. XLV. 2. pag. 276. In quo Paulus V. decrevit servandam esse ab eodem Capitulo formam a Clemente VIII. pro hujusmodi subjectionibus et communicationibus aliis praescriptam. *ibid.* 3. Quomodo deinceps idem Capitulum se gesserit. *ibid.* 4. Pontifex certam formam ejusdem Capituli rationibus aptam praescribit in posterum ab eo servandam. *ibid.* 16. p. 279.

Lateranense Sacellum et Triclinium Benedictus XIV. restituit. XV. 8. p. 103.

Lateranenses Canonici Regulares Beneficia curata obtinere nequeunt sine dispensatione Apostolica. LI. 1. p. 320.

LATINIS vetitum est Missas et Divina Officia Graeco Ritu celebrare, abrogatis a S. Pio V. Indultis antea super hoc concessis. XLIII. 9. pag. 274.

Latinis Presbyteris in Russia Polonica degentibus permittitur, ut, deficientibus lapideis Altaribus consecratis: Missam super Ruthenorum Unitorum antimensiis celebrent; et ut eorumdem Calicibus stanneis utantur. *ibid.* 8. p. 273.

LAURETANÆ Ecclesiae Gregorius XIII. et Clemens VIII. Rosam auream benedictam dono dederunt. XLII. 6. p. 262. seqq.

Lauretanae sacrae Ædi, et Personis eidem inservientibus concessa Privilegia confirmata sunt, sicut et resolutiones editae super controversiis inter Episcopos Lauretanos, et Gubernatores ejusdem Civitatis. X. 1. p. 82.

Lauretani Sacelli Custodibus tribus Presbyteris saecularibus praeservatur privativa facultas Vela admovendi sacrae statuae Mariae Virginis in eadem Æde existenti, eademque obsignandi, et authenticis foliis muniendi. *ibid.* 2. 3. seqq.

Simul autem Poenitentiariorum ibidem constitutorum Rectori permittitur, ut particulas ex dictis Velis praecisas obsignet, vetita tamen ipsi facultate alium subrogandi. *ibid.* 4. et 5. p. 83. Authentica horum Velorum folia solam B. Mariae Virginis imaginem, receptamque attestationis formulam praeseferre debet. *ibid.*

Sub gravibus poenis statuitur, ut hujusmodi Vela gratis omnino distribuantur. *ibid.* 6.

In Lauretana Civitate erectum Collegium ad instruendam Illyricam Juventutem in bonis artibus, et disciplinis eximitur a quibusvis juribus Parochialibus XIX.***** p. 147. V. *Collegium*.

LEGATI de Latere ad aperiendas, et claudendas Portas Sanctas. V. *Porta*.

S. LEONIS Magni Corpus in Basilica Vaticana sepultum diuque ignotum, precibus S. Sergii Pont. inventum fuit. *Append. num. III.* §. 5. p. 435.

S. LEO IX. Monasterium S. Crucis in Alsatia a Progenitoribus suis fundatum, exemptione donavit, et Apostolicae Sedi immediate subjecit, imposito ipsi censu Aureae Rosae quotannis mittendae Romano Pontifici ante Dominicam IV. Quadragesimae, vel duarum unciarum auri ad eam conficiendam. XLII. 8. pag. 263. Ideo ab aliquibus idem S. Pontifex creditus est institutor Rosae Aureae. *ibid.* Sed cum ipse enunciet Rosam hujusmodi, dicta die, a Romano Pontifice *consuete portari*; et eam praescribat factam esse debere, *sicut fieri solet*; palam est, eum Ritum S. Leonis Pontificatu anteriorem esse. *ibid.* 13. seqq. p. 264. seqq.

LEONICUS Michael, Ap. Caeremoniarum Magister sub Paulo V. Ingentium Operum Miss. copiam reliquit. XLII. 14. pag. 265. Hic Rosae Aureae Ritum S. Leone IX. anteriorem agnoscit. *ibid.*

LEVEQUIUS de la Cassiere Ordinis Equestris Jerosolymitani Magnus Magister Romae obiit. *Suppl. num. II.* §. 18. p. 460.

LEX Naturae. V. *Jus naturale*.

Lex Principis Laici in Matrimoniis vim non habet. II. 7. p. 11.

Lex Theodosii prohibens Matrimonium inter Christianos et Judaeos, poenam statuit, Matrimonium non dirimit. *ibid.*

Lex contractum prohibens uni ex partibus sub poena nullitatis, contractum ipsum irritat indirecte etiam quoad alteram partem sibi non subjectam. II. 8. pag. 12. Diversus casus est, ubi Lex formam contrahendi dumtaxat uni ex partibus praescripsit, etiam sub poena nullitatis, sed alteram partem adstringere consulto noluit. V. *d. Const. II.* §. 17. pag. 13. et *Supplem. num. III.* §. 2. p. 462.

LIBELLUS quando a Poenitentiariis dandus sit Poenitentibus absolutis a Censuris, ut eum deferant ad Officium Poenitentiariae, et consuetum Breve in forma *Remissi absoluti* recipiant. XX. 5. et 6. pag. 134.

Libellus inscriptus: *La voix du Sage, et du Peuple etc.* damnatur, ejusque usus sub gravi poena prohibetur. XXXVI. per tot. p. 240. Habentes illum, tradere debent Episcopis, aut Inquisitoribus combu-

rendum. *ibid.* Idipsum statuitur de Libro inscripto: *Lettres avec ces mots latin: Ne repugnate etc.*

LIBER *receptorum criminalium* a Notariis criminalibus ad quid retinendus sit. VIII. cap. III. §. 2. pag. 69.

Liber specialis bene dispositus retinendus est in Actis criminalibus Conservatorum Urbis, in quo res criminales Locorum feudalium Populi Romani scribantur. XXXIV. *init.* et §. 1, *sub. num.* VI. p. 230.

Libri duo bene dispositi retinendi sunt a Notariis Gubernii Urbis, in quibus denuntiationes criminales *sanguinis*, et *relationis* scribantur. VIII. 3. p. 63.

Libri prohibiti Inquisitoribus, aut Ordinariis tradendi sunt, ut quis a Censuris propter eorum lectionem incursis absolvatur Anno Jubilaei. XX. 30. p. 156.

LIBERI MURATORI, seu *Franes Macons* vulgo dicti, conventiculas et societates faciunt sub arcto secreto per jusjurandum firmato, quae, utpote suspectae, perniciosae, ac detestabiles, damnatae sunt, et sub gravibus poenis vetitae. XLVII. 1. seqq. p. 283.

Liberi Muratori a Principibus etiam saecularibus proscripti fuerunt: admonentur iidem Principes, ut contra illos severe procedant. *ibid.* 9. p. 285.

Liberi Muratori quidam poenitentes a censuris incursis absoluti sunt. *ibi.* 5. p. 284.

LIBERIANA Basilica, seu S. Mariae Majoris, a Liberio Pontifice erecta, a S. Sixto III. restituta, et consecrata fuit, in qua Theodorus Pontifex Cunas Domini collocavit. *Append. num. III.* §. 2. p. 434. Diversis nominibus appellari consuevit. *ibid.* 4. p. 435. Benedictus XIV. eamdem restauravit, et magnifice ornavit. *ibid.* Ejus Altare majus. V. *Altare*.

LIMINA Apostolorum frequentibus Imperatorum, Regum, et Principum, tum etiam Episcoporum, et Christifidelium omnium Ordinum visitationibus celebrari consueverunt. XIX. 4. pag. 119. LIX. 19. pag. 368.

LITES, ET DISSENSIONES exortae inter Communitatem, et Homines Civitatis Æsinae, et universitates, et Homines Comitatus Æsini enumerantur. LXI.** per totum p. 400.

Antonius Flores in utraque Signatura Referendarius Provinciae Marchiae Gubernator nonnulla constituit pro pace, et tranquillitate, *ibid.* 3. Item Pius V. in diversis constitutionibus dirimit easdem lites, et dissentiones. *ibid.* 4. et 5. p. 400. et 401. Sixtus vero PP. V. plura praescripsit pro pace, et tranquillitate, *ibid.* 6. et seq. Et Clemens XI. mandavit servare praescripta a Sixto V. cum nonnullis additionibus. *ibid.* 10. et seq. p. 403. et seq.

Tandem SS. Dominus Noster Decreto suo finem imponit litibus, et controversiis. *ibid.* 14. p. 407. et LXI.**** per totum p. 410.

LITIGANTES, et appellantes Eremitae Camaldulenses Congregationis Tusciae pro defendendis, patrocinandisque causis ad se spectantes adversus Sententias, et Decreta ab eorum superioribus Lata nominare, et eligere nequeunt alium Defensorem, seu Patronum, nisi alium Eremitam propriae cujusque Eremi. XIX.***** p. 145.

LOCATIO. Capitulum Vaticanum locare potest bona Basilicae ad novennium, sine Beneplacito Apostolico: *ibid.* 31. p. 371. Idem ad relocandum iisdem conductoribus, aut eorum haeredibus, compelli nequit, etiam pro uberiori censu. *ibid.* 32. seqq. p. 372.

LUCENSIS Episcopi Edictum, quo prohibebantur Musici conceutus in Ecclesiis per hebdomadam sanctam, a S. Pio V. approbatur, et servandum decernitur etiam ab exemptis. III. 13 pag. 26.

S. LUDOVICUS Galliae Rex Judaeos non observantes statuta contra eos a Sede Apostolica, a suo Regno exterminare proposuit. XLIX. 5. p. 298.

LUDOVICUS, seu Aloysius Laghi Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo Prior. Generalis Laudatur LIV.** p. 341. V. Aloysius.

LUGDUNENSIS Ecclesia novitates respuit: Organa, aliaque Instrumenta Musica nunquam admisit. III. 3. p. 18.

M

MAGISTRARUM *Piarum*, et *Sanctarum* Institutum in Dioecesi Montis Falisci coeptum, ad alia Loca propagatum, et in duas societates divisum, puellas instruit. VII. 21. pag. 88.

Magistrarum earumdem quilibet coetus proprium habet Directorem spiritualem: Superiorissas Generales sibi constituunt, quae plura peragunt, sed Episcopis, subsunt. *ibid.* 22. p. 89.

MAGISTRATUS Locorum Ditionis Ecclesiasticae judicare nequeunt in Causis *damni dati*, nisi id eis tributum dignoscatur a Lege Municipali, aut competere ex longa consuetudine, quae minor non sit XL. annis. XXXVII. 11. p. 243. Et hi quoque solas cognoscere valent Causas damnorum *simplicium*, non vero *studiosorum*, et multo minus *manualium*. *ibid.*

Magistratus Pergulae hujusmodi jure gaudet, aliisque praerogativis, quae enunciantur. LXI. 1. p. 393. et amplificantur. *ibid.* 5. p. 394.

MANCIPIUM. V. *Servus*.

MANICHAEI in contemptum Resurrectionis Christi, die Dominico jejunabant. XXXVIII. 6. p. 249.

MARCELLUS II. Papa Musicam ab Ecclesiis tollere proposuit, sed consilium mutavit. III. 4. 5. p. 19. V. *Musica*.

S. MARIAE Majoris Basilica. V. *Liberiana*.

MARIA THERESIA Hungariae Regina etc.

V. *Austria*.

Maria Warth, seu de Guardia Jesuitissarum Fundatrix. VII. 1. et 2. pag. 50. Tamquam Praeposita Generalis, earum suppressionem impedire conata fuit per literas encyclicas ad suas sequaces. *sub* §. 2. n. IV. p. 81.

Maria eadem Romae in libera custodia detenta, in Belgium valetudinis causa ex permissione rediit. num. VII. pag. *ibid.* In Angliam marte suo transit. *ibid* 3. p. 82.

Maria Warth tamquam Fundatrix Virginum Anglicanarum immerito habita, et tamquam Beata perperam invocata fuit. *ibid.* 11. p. 84.

S. MARTINI *de Fara, et in Montibus*, Monasteria, seu Abbatiae. V. *Abbatia*.

S. Martini Ecclesia Romae, Titulo *Equitii* nuncupata, a Benedicto XIV. restaurata fuit. XV. 6. pag 103.

MATER comprehenditur sub appellatione Parentum. LIV. 22. p. 337.

Mater jus naturale habet super educatione filiorum infantium. *ibid.* 26. pag. 339 seqq. Quod ita intelligendum; non ut hoc jubeat lex naturae immutabilis, sed ut jus illud a natura originem habeat, et limitari valeat jure Gentium, multoque magis favore Religionis. *ibid.*

Mater jus aequum habet cum Patre, quoad retinendum filium in sua societate. *ibid.* 28. pag. 338. Sed voluntas matris fidelis offerentis filium ad Baptismum praevalere debet repugnantiae patris, propter spirituale commodum ipsius filii. *ibid.* Et praeferri debet, propter favorem Religionis, *ibid.* 18. et 19. p. 335. et 336.

Mater ad filiorum tutelam admissa est per *auth. Matri et Aviae. Cod. Quando mulier tutelae off. fungi potest*, et quidem cum praelatione quoad aviam. LIV. 22. et 23. pag. 337. seqq. Quod autem ordo Legis procedit tantummodo quoad illas, quae Catholicae Fidei sunt, eruitur ex *Novell.* 118. *de haeredibus ab intest. venien.*, ubi ordo ille etiam in successionibus statutus, quoad Personas Catholicas dumtaxat obtinere debere decernitur. *ibid.* 23.

Mater filiam dotare non tenetur, nisi in subsidium Patris egentis. *ibid* Limita, ut Mater infidelis Filiam Christianam dotare debeat, quamvis Pater Christianus pauper non sit. *ibid.*

Mater filium, filiamve ad Monasterium legitime offert. LIV. 20. p. 336.

Mater contradicendi jus non habet voluntati Patris offerentis filium ad melioris vitae propositum. *ibid.* 8. p. 332. Signanter quoad oblationem filii ad Baptismum. *ibid.* 11. pag. 334. et 18. pag. 335 Amplia si oblatio ad Baptismum fieret ab Avo Paterno. *ibid.* 12. pag. 334. Ac etiam si, mortuo Patre, oblatio fiat ab Avia Paterna; quod firmatur *d. Const.* LIV. *per tot.* et definitur. §. *ult.* p. 340.

S. MATHIÆ Vigilia cum jejunio in universa Ecclesia, ex praecepto in corpore Juris clauso, observatur. XXXVIII. 10. pag. 280. Ea anno 1751. quum in ultimum Bacchanaliorum diem incideret, ad evitanda transgressionum pericula, anticipari permittitur in Sabbatum Sexagesimae. *ibid.* 11.

MATRIMONIUM Hebraeis, lege Moysi, vetitum erat cum alienigenis. II. 3. pag. 10. Sed non satis constat, utrum prohibitio extenderetur ad omnes nationes, an vero solas comprehenderet nationes, Chanaan. *ibid.* 8. seqq. p. 11. Neque clarum est, eam prohibitionem fuisse sub poena nullitatis. *ibid.* 4. pag. 10. Nec id evincitur ex separatione, quam Esdras indixit Populo ab uxoribus alienigenis. *ibid.* 6. p. 11.

Matrimonium Hebraeis cum Christianis vetitum est lege Theodosii Imperatoris. *ibid.* 7. Sed non idcirco nullum, et irritum fore declaratum est, tantummodo puniendum, ut adulterium *ibid.*

Matrimonium irritantia impedimenta statui nequeunt per legem Principis Laici. *ibid.*

Matrimonium inter hominem Judaeum, et mulierem haereticam, et generaliter inter personam baptizatam, aliamque non baptizatam, nullum est, propter impedimentum *disparitatis cultus*; ideoque si infidelis baptizetur, renovandum decernitur. II. *per tot.* p. 10. seqq.

V. *Haeretici*. V. *Impedimentum*.

Matrimonium post Ordines Sacros initum ab Italo-Graecis, nullum declaratur. XXVIII. 13. p. 218. An vero idem jus obtineat quoad Orientales, nullo adhuc Decreto Apostolico definitum fuit; quamvis Tribunalia Urbis pro nullitate opinari consuevérint. *ibid.*

V. *Consensus*.

Matrimonium contractum post Professionem Regularem irritum est; et antea contractum, nec dum consummatum, per eamdem Professionem dirimitur. *Suppl. num. II.* §. 6. p. 488. seqq. Ubi de Professione in Ordine Equestri S. Joannis Jerosolymit. quod idem operetur. *ibid.*

Matrimonium contractum non servata forma a Concilio Tridentino praescripta, nullum est, tam ratione contractus, quam ratione Sacramenti, in locis, in quibus Concilii Decretum promulgatum fuit, et inter personas eidem subjectas. *Suppl. num. III.* §. 2. pag. 462. Ideo nullam Matrimonii rationem habere potest illud, quod in Foederati Belgii regionibus a Catholicis contrahitur coram Civili Magistratu, aut coram haeretico Ministro, cui se sistere iidem Catholici coguntur. *ibid.* 3. pag. 463. Et nisi Matrimonium deinde ab iis celebretur, servata forma a Tridentino praescripta, conjugalis consuetudo peccaminosa erit, et proles illegitima. *ibid.* Quid in hac materia incutendum sit Catholicis earum regionum, *ibid.* 4.

Matrimonia ibidem ab Haereticis inter se, aut inter Catholicos, et Haereticos, quamvis illicite, contracta, non servato Concilii Tridentini Decreto, valida declarata fuerunt, utpote non comprehensa sub ejusdem Concilii lege. II. 17. pag. 13. et *Suppl. Num. III.* §. 2. p. 462.

MELITENSIS Episcopus gradum Procerum Magnae Crucis obtinet inter Fratres Ordinis S. Joannis Jerosolymitani, et Crucem octogonam Melitae super Mozzettam, Romae super Mantellettam defert. *Suppl. N. II.* §. 8. seqq. pag. 489. seqq. Etiamsi ad aliam Ecclesiam transferatur, et quare. *ibid.* 10

Melitenses Equites.

V. *Eques*. V. *Militia*.

MENDICARE per Urbem post horam 24. absque scripta licentia, quae honestis dumtaxat personis, numquam vero foemineis juvenibus concedenda erit, interdicitur hominibus, et mulieribus. VIII. *cap.* III. §. 5. p. 70. seqq. V. *Foeminae*.

MENSA nummularia S. Spiritus V. *Banchum*.

MERCATORES in bello reputari non debet tamquam partes Reipublicae nocentis, ideo non laedendi. LVII. 5. etc. pag. 381.

MEXICANUS Archiepiscopus deputatur in Visitatorem Apostolicum, et Reformatorem Ordinis Hospitalaris S. Hippolythi Martyris in Civitate, et tota Provincia Mexicana XXXIX. pag. 282. V. *Archiepiscopus*.

MICHAEL a S. Josepho Minister Generalis Fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum laudatur. I. p. 8.

Donationis titulo eidem traditur Urna Marmorea, seu Sarcophagum ubi Ossa S. Joannis de Matha Fundatoris dicti Ordinis tumulata jacuerant una cum epigraphe analoga, et ei praecipitur, ut illud transmittat in Hispanias, utque ibi denuo reponantur Ossa ejusdem Sancti Joannis. *ibid.* p. 9.

MICHAELLLARNAGE Priori Majori Ordinis Cartusiani transmittuntur Literae Apostolicae ad sedandas quamplurimas querelas in eodem Ordine exortas. LIX. p. 389.

Confirmat ordinationem praescriptam in Comitiis Generalibus habitis anno 1749. Procuratoribus cujuslibet Cartusiae in Grancis permanendi, et commorandi prohibentem. *ibid.* Iisdem indulget, ut per ea dumtaxat tempora et propter ea negotia, in quibus ipsorum in qualibet Grancia praesentia, et commoratio omnino necessaria est, permanere, ac commorari liceat. *ibid.* p. 390. Nec aliter cum conditio, et status uniuscujusque Cartusiani Ordinis Alumni juxta suam Professionem servandi silentium, et a rebus omnibus secessum non patiatur diutius, quam par est extra Claustra permanere. *ibid.*

Item approbat ordinationem factam in Capitulo Generali celebrato anno 1750. ad diminuendum excedentem numerum Procuratorum praescriptam Priori cujusque Cartusiae. *ibid.* Officialium electio minime fiat, antequam expressus sive Prioris Majoris, sive Capituli Generalis consensus obtineatur. *ibid.*

Colloquia, recreationes, et spatiamenta a statutis Ordinis concessa confirmat. *ibid.* Recreationem Feriae tertiae, quamvis per statuta non reperiatur concessa, ex peculiari tamen gratia indulget iis Domibus, seu Cartusiis, in quibus in usu jam recepta est, non vero in aliis. *ibid.*

MILITES homicidii rei militaribus privilegiis non juvantur. XXVII. 8. p. 207.

MILITIA Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani laudatur. *Suppl. Num. II.* §. 13 pag. 460. Ejus primus Magister fuit Raymundus de Podio. *ibid.* 4. pag. 487. Duo ejusdem M. Magistri, Petrus de Aubusson, et Hugo Verdala, inter S. R. E. Cardinales cooptati fuerunt. *ibid.* 14. et 15. pag. 460. Equites in ea professi veri Religiosi sunt, et votum Castitatis plenum et absolutum emittunt. *ibid.* 6. pag. 488. Ejusdem Militiae nomine supplicatum est Summo Pontifici, ut definiret, Episcopos, et Cardinales ex ea assumptos habitum proprii Ordinis, videlicet lineam octogonam Crucem, exteriuribus vestibus assutam, visibiliter gestare debere. *ibid.* 12. pag. 460. Id Pontifex concedit. *ibid.* per tot.

MILLINUS Joannes Garziaz Cardinalis, sub Urbano VIII. in Aquilejensis Patriarchatus negotio plurimum adlaboravit. *Append. Num. IV. in secund. alloc.* §. 7. pag. 442.

MILLINUS Marius Cardinalis, in eodem negotio summa cum laude se gessit. L. 3. et 4. p. 301. et *Append. Num. IV. in prim. alloc.* §. 7. p. 437. et *in sec. alloc.* §. 7. p. 442.

MINDELHEIM Oppidum Dioecesis Augustanae. Anglicanarum Viginum Conservatorium ibi existens Episcopi jurisdictionem agnoscere detrectat. VII. 1. pag. 49. Postea vero debitam obedientiam praestat, ejusque merito nonnullis gratiis, et indultis ab Episcopo, et a Summo Pontifice ditatur. *ibid.* 24. p. 59.

MIRACULA quatuor approbata fuerunt pro Beatificatione B. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal. LII. 4. p. 328.

MISSAM Apostoli in privatis domibus celebrarunt; isque mos tempore persecutionum servatus fuit. XLVIII. 9. p. 289.

Missam in Ecclesiis, Oratoriisque publicis Divino cultui destinatis dumtaxat celebrari Concilium Tridentinum decrevit, praecipiens Episcopis, ne in privatis domibus eam celebrari permitterent. *ibid.* 2 pag. 287. et 11. pag. 290. et 29. pag. 294. Privatarum tamen domorum nomine non censentur Aedes Episcopales, veluti Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres saepe declaravit. *ibid.* 2. p. 287. et 8. p. 289.

Missam in privatis Oratoriis, quae in Laicorum domibus sunt, celebrari voluit Justinianus Imperator.

ibid. 9. Quam prohibitionem Leo Sapiens sustulit, ob nimiam ejusmodi Oratoriorum multiplicitatem. *ibid.* Sed ut in his Oratoriis Missa celebraretur, semper necessaria fuit Episcoporum licentia, quam ipsi facile concedebant, praesertim in Ecclesia Orientali. *ibid.* 10. Et concessa censebatur, quoties Sacerdos super Mappis ab Episcopo consecratis celebraret. *ibid.* Tandem a Concilio Tridentino ademta est Episcopis facultas concedendi Oratoria privata in Laicorum domibus, ad hoc, ut Missas in iis celebretur; et hoc jus ad Sedem Apostolicam devolutum est: unde Indulto Apostolico absolute opus est, ut missa in privatis Laicorum domibus celebrari possit. *ibid.* 11. et 12. p. 290.

Missa in privatis Oratoriis celebrari nequit sine praesentia alicujus ex personis, quibus Indultum directe concessum est. *ibid.* 14. 15. p. 291. Nec omnibus praesentibus suffragatur pro implemento Praecepti Festivi, sed tantum iis, *in quorum praesentia* celebrari permittitur in Brevi Apostolico. *ibid.* Reliqua vide in verbo: *Oratorium*.

Missam Episcopi in propriis Episcopalibus Aedibus, et in aliis domibus, in quibus hospitati fuerint; etiam extra propriam Dioecesim, celebrare possunt. XLVIII. 2. seqq. pag. 287. Et ad hunc effectum uti possunt Altari portatili seu viatico. *ibid.* 4. et 5. pag. *ibid.* et 288. Ipsis tamen interdictum est, ne in Laicorum domibus, in quibus proprie hospitati non fuerint, Missam pro libito celebrent, tam in propria, quam in aliena Dioecesi, *ibid.* 6. 7. et 8. p. *ibid.* et 289.

Missam Graeci Latino ritu, et Latini Graeco ritu celebrare prohibentur; sublatis jam a Sancto Pio V. quibuscumque contrariis indultis, et facultatibus. XLIII. 9. pag. 274. Basiliani Abbates Monasteriorum Graeci ritus, nec non Priores et Magistri ejusdem Ordinis jubentur Missam ritu Graeco celebrare; Una vero, aut altera Missa in iisdem Monasteriis, in quibus sex, aut plures Monachi sunt, celebrari Latino ritu potest per Monachos non graduatos. XLIV. 3. p. 275.

Missa in Ecclesia Latina celebranda est super Altari lapideo consecrato, vel saltem quod lapideam consecratam tabulam habeat super impositam. XLIII. 4. p. 273.

Graeci vero celebrant super Antimensiis. *ibid.* V. *Antimension*. Idque Ecclesia Latina, non solum in partibus Orientis, sed etiam inter Italo-Graecos permitti declaravit. *ibid.* 5. Non licet tamen Presbyteris Latinis, inter hos Italo-Graecos commorantibus, Missam super ejusmodi Antimensiis celebrare. *ibid.* 6.

Missionariis vero aliisque Sacerdotibus Latini ritus in Russia Polonica degentibus permittitur, ut, ubi Ecclesiae, aut Oratoria privata Latinorum, ac lapideae Altarium tabulae consecratae deficiunt, possint in Ruthenorum unitorum Ecclesiis, et super eorum Antimensiis Missam celebrare, ritu tamen Latino *ibid.* 8. seqq. Eorumque stanneis Calicibus uti. *ibid.* Et Sacerdotes Rutheni non schismatici, opportunitate suadente, Missam in Ecclesiis Catholicorum Latini ritus celebrare possunt, Rutheno servato ritu, eorumque Altaribus, Calicibus, Vestibusque sacris uti. *ibid.* 2. et 7. p. 272. et 273. seqq.

Missam super Altari Pontificio nemini, praeter Romanum Pontificem, celebrare licet, sine speciali Indulto Apostolico LIX. 16. pag. 367. seqq. *Appen. Num. III.* §. 3. p. 438.

Missae celebratio super Altari Pontificio Basilicae Liberianae a Pontifice restituto, et consecrato, permittitur Cardinali de Gentilibus ipsa Consecrationis die. XXXIII. p. 228.

Missam celebrare non licet in honorem ejus, qui nondum ab Ecclesia inter Beatos, aut Sanctos adscriptus sit: etiamsi Missas esset de SS. Trinitate, vel de omnibus Sanctis. VII. 12. p. 88.

Missa in honorem B. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal celebranda conceditur pro determinatis locis. LII. 5. p. 325.

Missae partes nonnullae cani possunt a Musicis, nempe, Introitus, Gloria, Graduale, Symbolum, et Offertorium. III. 8. p. 22.

MISSIONARII inter Infideles commorantes Indulgentias ex speciali gratia consequi possunt praemisso Contritionis actu, cum voto Confessionis Sacramentalis. XXI. 6. p. 162

Missionariis apud Japoniam a Gregorio XIII. concessum fuit, ut super impedimento disparitatis cultus dispensare possent cum novis Christianis earum Provinciarum, et Insularum. II. 19. p. 14.

Missionariis Latinis in Russia Polonica permittitur Missam celebrare super Antimensiis Graecorum unitorum, deficientibus lapideis Altaribus, et eorumdem Calicibus e stanno uti. XLIII. 8. p. 273.

Missionariis Societatis Jesu in Indiarum Regnis facultas conceditur dispensandi in gradibus Consanguinitatis, seu Affinitatis excepto primo gradu, ut Neophiti Matrimonium inter se contrahere possint cum opportunis declarationibus. LXI.*** p. 409. V. *Facultas*.

Missionariorum Praefecto pro tempore existenti Societatis Jesu in Insulis Americae Meridionalis, Martinica, Guadalupa, aliisque ibidem Regis Christianissimi dominio Subditis ex speciali gratia concedit facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis cum quibusdam conditionibus. LXI.**** pag. 446. V. *Facultas*.

MISSIONUM Aegyptiarum Praefecto conceditur Indultum conferendi Sacramentum Confirmationis his, qui a Latino Presbytero baptizati fuerint; donec id ab Episcopo Catholico praestari possint. XXVIII. 4. p. 213.

Missiones sacrae Anno Jubilaei praemittendae sunt. XVI 4. p. 106. et XIX. 13. seqq. p. 124 seqq. Praemissae fructuosae fuerunt. XXXV. 1. pag. 232. Quid maxime Populis ea occasione inculcari conveniat. XIX. 13. etc. p. 124. seqq.

MITRAM, in capite gestare in Processionibus Sanctissimi Corporis Christi prohibentur Canonici licet habentes usum Pontificalium. LV. 4. ad XIII. p. 344. Item Mitra uti in vestitionibus Monialium. *ibid.* ad x.

MOBILIA, et Immobilia bona. V. *Dominium*. V. *Emptor*.

MONACHI saltem semel in mense confiteri teneantur etiamsi venialia dumtaxat peccata commiserint. XXI. 77. p. 187. seqq.

Monachi a Presbyteris saecularibus Ecclesiastici cantus usum acceperunt, eumque laudabiliter adhibent. III. 2. pag. 17.

Monachi olim poterant, sine ulla dispensatione, Parochias obtinere, sed nunc Apostolica dispensatione indigent. LI. 1. p. 320.

Monachi ad Episcopatum assumpti habitum proprii Ordinis visibiliter deferre tenentur. *Supplem. N. II.* §. 3. p. 457.

MONASTERIUM. V. *Abbatia*. V. *Campidunense*. V. *Moniales*.

Monasterio filii impuberes a quibus offerri possint. LIV. 3. seqq. pag. 330. seqq. V. *Impubes*. V. *Oblati*.

Monasterium S. Crucis in Alsatia a Progenitoribus S. Leonis IX. Papae fundatum, idem Pontifex exemptum fecit, et S. Sedi immediate subjecit, cum onere mittendi, quotannis Pontifici Rosam auream, vel duas uncias auri ad eam conficiendam. XLII. 8. 9. p. 263.

Monasterium Cappuccinarum Meldulae subest jurisdictioni Capituli Vaticani, etiam quoad Clausuram, ex concessione Pontificis. LIX. 58. pag. 383.

MONIALIUM Clausurae custodia Episcopis commissa est, et pertinet ad eorum jus ordinarium, si Monasteria sint ipsis immediate subjecta, alioquin ad jus delegatum. XII. 3. 4. p 86.

Monialium Monasteria adire, aut eas alloqui, sine Ordinarii localis permissione, nemini licet neque Episcopo in aliena Dioecesi, neque Vice Legato, neque Gubernatori, quamvis Praesuli in Statu Pontificio. *ibid.* 3. seqq. pag. *ibid.* Siquis eorum aliquid contra attentaverit, poenas quidem lege Dioecesana statutas non incurret, sed Episcopi Summum Pontificem, aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiorem reddere jubentur, ut provideatur. *ibid.* 5. pag. *ibid.*

Moniales, aliaeque Religiosae Mulieres, quomodo Jubilaeum consequi possint extra Urbem, durante Anno Sancto. XXIII. per tot. pag. 195. Et quomodo post Annum Sanctum, concessa Jubilaei extensione ad universum Orbem Catholicum. XXVI. 3. 4. p. 202. Quem Confessarium sibi ad hunc effectum eligere possint. XXIII. 8. pag. 197. et XXVI. 4. pag. 205 et XXXV. 11. p. 236.

MONITORUM Liber. V. *S. Carolus*.

MOTETA, seu cantiunculae, aut modulata carmina quaedam, ex Missali, et ex aliis sacris libris desumpta, et a Sacra Rituum Congregatione approbata, cani in nonnullis sacris functionibus possunt. III. 8. p. 22.

MOZZETTÆ usum in Urbe Patriarchis concessit Benedictus XIII. non autem Episcopis. *Supplem. N. II. init.* p. 457. et 8. p. 459. Eam Cardinales ubique gestare possunt. *ibid.* 10. Super ea Crucem albi coloris apponere possunt et debent Episcopi, et Cardinales in Ordine Jerosolimitano Professi. *ibid.* 18. p. 462.

MULIERES veteri Romano jure a Tutelae officio excludebantur. LIV. 22. p. 337. Id postea temperatum favore Matris et Aviae. *ibid.*

Mulieres homicidae, mendicantes, peregrinantes, suspectae. V. *Foeminae. Homicidium. Peregrinantes. Praeceptum.*

MUSCUS in Ecclesia Graeca usitatus etiam in confectione Chrismatis, adhibetur in benedictione Rosae Aureae. XLII. 18. p. 267.

MUSICUS cantus, et musicalia instrumenta sunt in usu in Ecclesiis, quibusdam exceptis. III. 3. pag. 18. Nonnulli graves viri Musicam in Ecclesiis laudant, alii improbant. *ibid.* 4. 5. p. 19. seqq.

Musica non erat in usu in Ecclesiis S. Thomae Aquinati cognitis. *ibid.* 4. Cardinalis Thomasius illam vetuit in sua Titulari Ecclesia. *ibid.* Marcellus II. Papa eamdem abolere deliberaverat, sed audita in Missis Musica excellentis auctoris, ad pietatem apta, voluntatem mutavit. *ibid.* 5. seqq.

Musicam prohibere Concilium Tridentinum proposuit, sed Caesareis Legatis suadentibus, illam dummodo honestam, toleravit. *ibid.* 5.

Musicus Ecclesiarum cantus debet a theatrali differre. *ibid.* 6. pag. 21. Ac talis esse, ut verba distincte proferantur, et intelligantur. *ibid.* 9. pag. 23. seqq.

Musicae periti fuerunt nonnulli Romani Pontifices. *ibid.* 7. p. 21.

Musica apud Hebraeos usitata fuit in Templo, non in theatris. *ibid.* 10. p. 24.

Musica in Ecclesiis improbatur tempore majoris Hebdomadae, aliisque diebus. Olim in Ecclesia Lucensi per idem tempus adhibita, ab Episcopo, et a S. Pio V. vetita fuit. *ibid.* 13. p. 25. Reformari ad decentem gravitatem jubetur in Romanis, aliisque Ecclesiis. *ibid.* 14. p. 26.

MUSICI Cantores in sacris functionibus legem Chori sequi debent. *ibid.* 8. pag. 22.

MUSICA instrumenta in veteri Testamento adhi-

bebantur, et aliquid figurabant. *ibid.* 4. pag. 19. Vetus Ecclesia ea non adhibuit, ut Christiani longius recederent a profanis ritibus Gentilium illa adhibentium. *ibid.* 8. Nunc tamen harmonici cantus usus usque ad Paraguajam pervenit. *ibid.*

Musica instrumenta quaedam permittuntur in Musicis Ecclesiasticis, alia prohibentur. *ibid.* 11. p. 25. Eorum sonus talis sit, ut cantum juvet non opprimat. *ibid.* 12.

MYSTERIA, quae designantur in benedictione Rosae Aureae. XLII. 17. pag. 266.

N

IN NATALI DOMINI tres Missae celebrari possunt etiam in Oratoriis domesticis, in quibus unius tantum Missae celebratio in singulos dies indulta est; nisi ab Indulto excepta sit, ut asselet, solemnis illa dies, cum aliis solemnioribus. XLVIII. 18. p. 292.

NATURAE JUS. V. *Jus naturale.*

NAUFRAGANTIUM res in mare projectas, qui animo lucrandi occupat, furatur. LVII. 24. pag. 388.

NAVIGANTES quomodo Jubilaeum consequi possint. XXVI. 3. p. 202.

S. NAZARII *de Cuccaro* Abbatia. V. *Abbatia.*

NEOPHYTA Avia potest nepotes offerre ad Baptismum. V. *Avia.* V. *Baptismus.*

NEPOTES ad Baptismum offerri possunt ab Avo paterno, dissentientibus etiam Patre, et Matre. LIV. 12. p. 334. seqq.

Item ab Avia paterna, dissentiente Matre, et Tutoribus. *ibid.* 21. etc. pag. 337. seqq. *usque ad finem.*

NEREUS DE CORSINIS Cardinalis Diaconus S. Eustachii eligitur, et constituitur Legatus a Latere nomine Pontificis ad aperiendam Portam Sanctam Basilicae Sancti Joannis in Laterano. XIX. p. 180.

S. NICOLAI Sacellum Pontificium in Patriarchio Lateranensi Benedictus XIV. restituit. XV. pag. 102.

NOTARII Romae jubentur retinere in suis Officiis expositam taxam a Paulo V. statutam. VIII. *cap. III.* §. 2. p. 69.

Notarii Criminales Gubernii Urbis debent in libro *receptorum criminalium* notare emolumenta pro actis percepta, et Chirographum receptionis dare Partibus. *ibid.* Et sine ullo emolumento legere Citationes in publica Audientia diebus juridicis, ac intimare praecepta Carceratis eodem die, quo lata sunt. *ibid.* 3.

Notarius Capitolinus prohibetur, indebitas Fiscalis citationes recipere, aut legere. XXXIV. 2. pag. 230.

Notarius hebdomadarius Gubernii Urbis causas quomodo scribere debeat. VIII. *cap. I.* §. 3. p. 63.

Notarius Foraneus Curiae Episcopalis Eugubinae publicum in nova Civitate Pergulae Officium habens debet acta coram Vicario Foraneo ejusdem Civitatis asservare, eorumque authentica exempla petentibus dare, quae debitam fidem obtinebunt. LXI. 11. p. 396.

NUMISMA jussu Card. Verdalae M. Magistri Ordinis Militaris Jerosolymitani cusum refertur, et exponitur. *Suppl. N. II.* §. 16. pag. 461.

O

OBLATIO filiorum infantium, vel impuberum a genitoribus facta Clericali, aut Monastico statui, vel a parentibus infidelibus ad Christianam Fidem conversis, vel ab Avis, aut a Tutoribus facta ad Baptismum, contradicentibus aliis, quomodo subsistat. LIV. per tot. pag. 329.

OBLATI a genitoribus Statui Monastico olim ad seculum reverti non poterant; sed post Coelestinum III., liberum eis est, cum ad pubertatem pervenerint, e Monasterio discedere. *ibid.* 5. et 6. p. 331. seqq. Sic oblati, a Religione acceptari possunt, nisi obstent pecularia Ordinis statuta; et salvis Constitutionibus Apostolicis, et Concilii Tridentini Decretis, quoad aetatem, et tempus Tyrocinii, et Professionis. *ibid.* 6.

Oblati hujusmodi, a parentibus nequaquam revocari possint, etiam vigore patriae potestatis; sed Religio potest illos dimittere, etiam ante pubertatem, nisi aliter se obligaverit. *ibid.*

OCTAVA SS. Petri, et Pauli qua solemnitate peragenda sit in Urbe. LIX. 12. p. 366.

OECONOMI Ecclesiarum Parochialium vacantium in territorio Monasterii S. Salvatoris de Majella a quo sint deputandi eorumque merces assignanda. *ibid.* 30. p. 379.

Oeconomus Generalis Fabricae D. Petri est Congregationis Fabricae Secretarius Generalis, et in Congregatione particulari votum habet consultivum. LIII. 2. et 7. p. 326. et 328. Expensas aliquas pro Fabrica facere potest independenter a Congregatione. *ibid.* 8.

OFFICIA Divina a Latinis latine, a Graecis graeco ritu omnino celebranda sunt. XLIII. 9. pag. 274.

Officium in honorem B. Joannae Franciscae de Chantal concessum. LII. 5. p. 325.

S. OFFICII Tribunal. V. *Inquisitio.*

OLEA Sancta, Feria V. in Coena Domini, in Basilica Vaticana ab Archipresbytero, aut ab ejus Vicario, vel ab alio Episcopo, de Archipresbyteri licentia, benedicuntur, et pluribus Parochiis distribuuntur. LIX. 9. p. 364.

Ejusmodi benedictioni interevenire per se, vel per alios debent Parochi Ecclesiarum filialium, et subjectarum, quin ab aliis compelli possint ad interveniendum simili functioni in alia Ecclesia. *ibid.*

Olea Sancta hujusmodi recipere debent Ecclesiae filiales, et subjectae ejusdem Basilicae, aliaeque consuetae, et ad recipiendum compelli possunt, quin ab aliis molestentur, aut ad recipiendum ab alia Basilica compellantur. *ibid.*

ONERUM anniversariorum Capituli, et Cleri Vaticani reductiones confirmantur. LIX. 35. p. 373. Onera ejusmodi quomodo imposterum acceptanda sint. *ibid.* 36. p. *ibid.*

OPERA aliqua in statu peccati mortalis facta, sunt moraliter bona. XXI. 75. p. 185.

Opera injuncta pro Jubilaei acquisitione, vide *in Constit. XVII.* §. 6. p. 109. Declarationes autem super ipsis editas. XX. 45. seqq. p. 158. et XXI. 52. etc. p. 177. seqq. et 75. etc. p. 185. seqq. Et pro eodem lucrando extra Urbem. XXIII. 6. p. 196. et XXVI. 2. p. 202.

OPINIONI privatae inniti non debent Confessarii, nec opiniones Scriptorum amplecti et sequi in praxi, sine delectu. XIX. 21. p. 128.

ORATIO. V. *Preces*.

ORATORIUM in Episcopalibus Ædibus habere Episcopi possunt pro Missa per se, vel per alios celebranda. XLVIII. 1. p. 287. Oratoriorum hujusmodi duo antiquissima sunt exempla SS. Episcoporum Cassii Narniensis, et Joannis Eleemosynarii Alexandrini. *ibid.* Nec sane sublata fuerunt per Concilium Tridentinum. *ibid.* 2. p. *ibid.* V. *Episcopus*. V. *Missa*.

Oratoria ad Missam celebrandam in privatis domibus extiterunt temporibus Apostolorum, persecutionum, et deinceps, praesertim in Ecclesia Orientali, de quibus Imperatores nonnulla edixerunt. *ibid.* 9. et 10. pag. 289. Necessaria tamen erat Episcoporum licentia, ut Missa in iis celebraretur. *ibid.*

Oratoria privata in Laicorum domibus concedendi facultas sublata est Episcopis per Concilium Tridentinum, et ad S. Sedem devoluta. *ibid.* 11. p. 290. S. Sedes magnam moderationem adhibuit in permittendis istis Oratoriis, ac plures leges, et limitationes apposuit in consuetis concessionum Brevibus quoad eorum erectionem, et usum. *ibid.* 12. Ampliores concessiones fiunt in quibusdam Brevibus extraordinariis. *ibid.* 13. p. 291.

In Oratoriis privatis Missa non potest celebrari, nisi adsint Indultarii. *ibid.* 14. Hi sunt, qui in fronte, vel inscriptione Brevis nominantur. *ibid.* 15. p. 292. Alii vero nominati in iisdem, possunt Missae interesse, non autem facere, ut celebretur. *ibid.* Nisi sint personae, quibus in corpore Brevis nominatim ea facultas tribuatur. *ibid.* 16. et 17.

In Oratorio privato si licentia concessa sit, ut diebus solemnioribus Missa celebretur, possunt die Nativitatis Domini tres Missae ab uno Sacerdote celebrari. *ibid.* 18. p. 292.

In Oratoriis privatis quando Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae ministrari possint. *ibid.* 19. 20. Quando sumi possit Communio Eucharistica ab iis, qui Missam audiunt, et an Episcopi licentia ad id requiratur. *ibid.* 21. seqq.

In Oratorio privato Collegii erecti in Lauretana Civitate, dummodo decenter ornatum, sacrisque supellectilibus munitum reperiatur, conceditur ut asservetur, et retineatur augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ac sanctum Oleum Infirmorum ab Episcopo benedictum, cum onere ut ante Ciborium diu, noctuque Lampas collucescat, et ejusdem Ciborii clavis per Rectorem, seu alium ab eo deputandum in sacro Presbyteratus Ordine constitutum custodiatur. XIX.****** p. 147. V. *In Lauretana*. V. *Collegium*.

Oratorii privati Indultum conceditur Canonicis Veronensibus pro celebratione Missae in aedibus Villae *Angiari*. *Suppl. N. IV.* §. 5. p. 464.

Oratoriorum domesticorum suppellex a S. R. E. Cardinalibus legari potest, ex Indulto, quibusvis Ecclesiis, Cappellis publicis, aut Locis Piis; vel ipsis de ea non disponentibus, ab haeredibus similiter disponi potest; alioquin ad Sacrarium Pontificiae Cappellae devolvitur. V. per tot. signanter. *ibid.* 7. p. 48. V. *Cappella*.

Quae autem extiterit in privatis Oratoriis aliorum Praelatorum, seu Beneficiatorum ex Constit. S. Pii V. defertur ad Ecclesias, quibus praefuerunt, vel in quibus Beneficia obtinuerunt, nec comprehenditur sub lege Spolii, aut in Indultis testandi. *ibid.* 9. p. 46. et LIX. 27. p. 370. Ubi specialiter de Oratoriis privatis Canonicorum, aliorumque de Clero Basilicae Vaticanae.

ORDINARIUS. V. *Episcopus*.

Ordinarii Inferiores non habent facultatem deserendi de casibus exceptis ab Immunitatis localis beneficio, et demandandi extractionem reorum; sed pro delictis patratis in Locis *Nullius Dioecesis*, res deferenda est ad vicinorem Episcopum. XXVII. 12. p. 208.

Ordinarii in Portugallia quando possint procedere contra Confessarios exquirentes in Confessione nomen Complicis in peccato. XIII. 5. pag. 87. V. *Pertinentia*.

ORDINATIONES statis anni temporibus ad S. Petrum habere Romani Pontifices consueverunt. LIX. 16. p. 367.

ORDINES Sacri apud Orientales. V. *Diaconatus*.

Ordines Sacros, quibus, et quomodo Archipresbyter Basilicae Vaticanae conferre possit. *ibid.* 6. etc. p. 363.

ORDINES Romani plures, a diversis Auctoribus editi recensentur, in quibus de Rosa aurea mentio fit. XLII. 7. p. 263.

Alii quoque citantur, in quibus adest, aut deest

mentio de Cappellis in Palatio Pontificio erectis pro solemnium Functionum celebratione. V. 4. pag. 44.

ORDO Cartusianus Laudatur. LIX.* p. 389.

Ordo Eremitarum S. Augustini commendatur. XIX.**** p. 143.

Ordo SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum laudatur. I.* p. 9.

ORGANORUM usus a multis seculis in Ecclesia viget, quorum nomine etiam alia instrumenta harmonica designantur. III. 5. p. 19.

Organa, aliaque musica instrumenta non sunt in usu in Cappella Pontificia, neque in quibusdam aliis Ecclesiis. *ibid.* 3. p. 18.

Organum musicum sub Pipino in Gallias delatum Cantores Roma profecti pulsare docuerunt. *ibid.* 14. pag. 26.

OSTIENSIS Basilica. V. *S. Pauli*.

OTIOSUS in Urbe Gubernator perquirere, et expellere debet. VIII. cap. 1. §. 9. p. 64.

P

PALLIA Patriarchis, et Archiepiscopis tradenda praescripto ritu benedici debent in Basilica Vaticana a Summo Pontifice, vel, eo absente, a Cardinali Pontificalia celebrante, in pervigilio SS. Petri et Pauli, ibique continentur asservari. LIX. 17. pag. 368.

Pallii usus Episcopo Warmiensi et Sambiensi, ejusmodi Successoribus conceditur. *Supplem. num. I.* pag. 435. Singulis tamen vicibus de more postulandum; nec adhibendum extra Dioecesim, aut coram Apostolicae Sedis Legato, vel Nuncio, aut aliquo ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus. *ibid.* 3.

Pallium dimittere debet Archiepiscopus, si ad Episcopatum transferatur. *Supplem. num. II.* §. 10. p. 439.

PALMATORIA. V. *Bugia*.

PAPA. V. *Romanus Pontifex*.

PARENTES possunt filios impuberes Monasterio, et Clericatui offerre. LIV. 2. ec. p. 330. seqq. V. *Impubes*. Et baptismo. *ibid.* 10. seqq. p. 333. V. *Baptismus*.

Parentum appellatione quinam intelligantur. *ibid.* 22. p. 337.

PAROCHI jurisdictionem habent in puellas Tertiarias intra Paroeciae fines conviventes. XI. per tot. p. 84.

Parochi Anno Sancto Romam, sine Episcopi venia accedentes, peccant; sed si hoc peccatum, una cum aliis, ex animo detestantes, confessi fuerint, Jubilaeum consequi possunt. XXI. 68. p. 182.

Parochis Urbis interdicitur, ne ullum a suscipiendo in Basilica Vaticana Baptismate averlant, neve schedulas ad hoc necessarias dare recusent. LIX. 18. p. 367.

Parochi Ecclesiarum Basilicae Vaticanae Filialium, aut subjectarum: *ibid.* 40. ad 44. p. 378. seqq. Ubi plura de eorum electionibus, et deputationibus, redditibus oneribus etc.

Parochi Regulares Episcopo subjecti sunt quoad curam animarum, vitam, et mores, non autem quoad Regularis Instituti observantiam. LI. 3. p. 322. Si aliter ab Episcopo, et aliter a suo Superiore judicentur, Episcopi judicium est praeferendum. *ibid.* Si alteruter eos a cura animarum removeat, neuter tenetur remotionis causam alteri significare. *ibid.*

Parochos Regulares Episcopi Indiarum sine causa vere rationabili ab animarum cura removere non debent. *ibid.* 6. Nullibi Regulares ad animarum curam admittendi sunt sine praevio examine. *ibid.* 7. p. 323.

PAROCHIAS etiam saeculares Canonici Regulares Praemonstratenses obtinere, et retinere absque ulla Apostolica dispensatione possunt. XXXII. 1. 4. pag. 226. Non item Canonici Regulares Congregationum Lateranensis, et SS. Salvatoris. *ibid.* 2.

Parochiae duae olim erant in Civitate Aquilejae: Una, quae in Ecclesia quondam Patriarchali existebat, supprimitur, ac spirituale Populi regimen alteri Parochiae attribuitur. L. 14. pag. 305.

Parochiae, Doctrinae, et alia Officia ad curam animarum spectantia in Indiis Occidentalibus, olim solis Regularibus ex Pontificiis Constitutionibus conferebantur. LI. *init.* pag. 320. Idque ob Presbyterorum Saecularium defectum: *ibi.* 2. 3. pag. 321. Quid hac de re aliquando senserit Congregatio Concilii Tridentini. *ibid.* Nunc denique permittitur, ut Presbyteris quoque Saecularibus concedantur, Rege Catholico, Archiepiscopis, et Episcopis Indiarum id petentibus; et derogatur prioribus Pontificiis Constitutionibus *ibid.* 4.

Parochiales Ecclesiae plures Vaticanae Basilicae Filiales, aliaeque eidem subjectae, et unitae recensentur. LIX. 41. seqq. p. 378. etc.

Parochiales Ecclesiae in territorio Abbatiae Sancti Ruffilli Foripompilii, Capitulo Vaticano unitae et subjectae, ab eodem Capitulo conferendae sunt Vicariis idoneis ex eodem territorio eligendis, ad nutum amovibilibus. Collationes ab aliis, quam a Capitulo factae, et obtentae, declarantur nullae. *ibid.* 61. 62. p. 385. 386.

Parochiales quinque Ecclesiae dependentes a Monasterio S. Salvatoris *de Majella* Basilicae Vaticanae unito, in quibusdam rebus subsunt Archiepiscopo Theatino, in aliis Capitulo Vaticano. *ibid.* 50. p. 379.

PARS LAESA, ubi agitur de Censuris ob damnum alicui illatum inflictis, non intelligitur Judex, sed is, qui damnum passus est. XXI. 66. pag. 182.

PASCHALE tempus a dominica Palmarum ad Dominicam in Albis concluditur. XLVIII. 21. 22. p. 292.

Paschalis Communio in quibus Ecclesiis sit facienda. *ibid.*

PATER olim poterat filios impuberes offerre statui Clericali, vel Monastico, a quo non poterant filii resilire. LIV. 3. 4. 8. p. 330. et 331. Haec disciplina postea temperata est, et quomodo. *ibi.* 6. V. *Impubes.*

Pater Hebraeus ad Fidem conversus, potest filios ad Baptismum offerre. *ibid.* 1. p. 330. V. *Judaeus.*

Patres apud Romanos quid possent in filios. *ibid.* 7. p. 331.

Patrem Christianum sequi debet filius, non matrem infidelitati addictam. *ibid.* 18. 19. p. 335. et 336. seqq. et 24. p. 338.

PATRIA potestas olim apud Romanos talis fuit, ut pater filios venundare, et occidere posset, sed postea ad moderatam in filios coercitionem restricta; qualis fuit etiam apud Judaeos, *ibid.* 7. pag. 331.

Patria potestas in patre, non in matre residet. *ibid.* 8. p. 332. et 18. p. 335. Neque illam habet Avia. *ibid.* 9. p. 333. et 16. p. 335. Habet vero Avus in nepotes ex filio, ipso etiam filia superstite, et in ulteriores descendentes. *ibid.* 12. p. 334.

Patria potestate uti non potest Pater, ut repetat Filium Monasterio oblatum. *ibid.* 6. p. 331.

Patriae potestatis jus transfunditur in Tutores, pro eo, quod pertinet ad pupillorum educationem. *ibid.* 13. p. 334.

Patria potestas non est unicus titulus, quo fieri possit Infantium oblatio ad Baptismum, *ibid.* 17. p. 335.

PATRIARCHIS in Urbe concessus est Mozzettae usus. *Supplem. N. II.* §. 8. p. 489.

Patriarchae titulus Cardinali Delphino reservatur, licet Aquilejensis Patriarchatus suppressus sit. L. 13. p. 305.

PATRIARCHATUS Aquilejensis a schismate, quod Trium Capitulorum dictum est, originem duxit. *Append. num. IV.* §. 4. pag. 437. Idem alias in duas partes sectus est, tum quoad Dioecesim, tum quoad Provinciam. *ibid.* Tandem supprimitur, ac in Utinensi, et Goritiensi Civitatibus olim illius Dioecesis, duo Archiepiscopatus eriguntur. *ibid.* et *Constit.* L. per tot. pag. 300. seqq.

PATRUUS, juxta Judaeorum leges, praefertur matri in successione illius filiorum. LIV. 22. pag. 337.

S. PAULI Apostoli Basilica extra muros Urbis, Via Ostiensi, a Benedicto XIV. Musicis operibus restitutis, aliisque ornamentis decorata. XV. 4. p. 102.

Pauli V. providae Constitutiones super Reformatione Tribunalium Urbis, et super Taxa Judicum et Notariorum, omnino servari jubentur; eademque Taxa in publicis Officiis palam affixa retineri praecipitur. VIII. *cap.* III. §. 2. p. 69.

Ejusdem Constitutio super erectione Banchi S. Spiritus confirmatur, et inseritur per extensum, *Constit.* XXX. p. 219. seqq.

PAUPERIBUS concedenda omnino est spicarum derelictarum collectio post messem in omni loco Sedi Apostolicae immediate, vel mediate subjecto, sub quibusdam regulis, et poenis. XLVI. per tot. p. 280. seqq. V. *Spica.*

PECCATUM mortale, quo infecta est conscientia illius, qui aliquod opus moraliter bonum operatur, non vitiat ipsam moralem operis bonitatem. XXI. 75. pag. 185. seqq.

PERCUSSOR aliquando habetur pro homicida, et Ecclesiastici asyli beneficio privatur. XXVII. 10. 11. p. 208.

Percutiens baculo aut saxo, si mortem proximo intulerit, eodem jure habetur, ac si ferro et armis homicidium patrasset. *ibid.* 9. p. 207.

PEREGRINATIONES sacrae perperam improbantur ab Haereticis. XIX. 1. 4. 8. 6. p. 118. 119. et 120.

Peregrinationes ad sacra Jerosolymorum loca improbasse propter abusus dicitur S. Gregorius Nissenus. *ibid.* 6.

Peregrinationibus ad Limina Apostolorum, aut ad alia sacra loca, posse absque vera poenitentia a peccatis purgari, olim quidam perperam opinati sunt. *ibid.* 12. p. 123.

PEREGRINANTIBUS olim Literae commendatitiae dabantur. *ibid.* 4. p. 119.

PEREGRINI veri sunt benigne excipiendi, nec inter personas otiosas computandi. VIII. *cap.* I. §. 9. p. 64. Peregrinorum nomine quinam intelligantur. XXI. 72. p. 184. seqq.

Peregrini ad Jubilaeum proficiscentes a Summo Pontifice commendantur Catholicis Principibus. XVII. 14. p. 111.

Peregrini ante discessum sacramentaliter confiteantur. XIX. 26. p. 130. In itinere, et Romae laudabilem vitam exhibeant. *ibid.* 27. p. 131.

Peregrinis suscipiendis olim fuerunt, et nunc Romae sunt hospitales domus. *ibid.* 29. p. 132.

Peregrinorum, et Advenarum Romam Anno Sancto adeuntium causae civiles, et criminales quomodo, et a quibus per eumdem annum expediendae. XXII. pag. 193. seqq. Quinam Peregrinorum nomine comprehendantur ad hunc effectum. *ibid.*

Peregrini tempore belli, non sunt membra Reipublicae nocentis, ideo nullo modo laedendi. LVII. 5. 6. 7 p. 381. et 382.

PERGULAE Oppidum pluribus fulget ornamentis LXI. 1. p. 393. Privilegio gaudet extrahendi absque ulla datii solutione suos fructus ad unius dietae distantiam. *ibid.* 4. p. 394.

Pergulae Oppidum in Civitatem erigitur, cum omnibus juribus, et praerogativis Civitatum Ditionis Pontificiae. *ibid.* 5. Ecclesiae tamen Eugubinae

subjecta haec nova Civitas remanet, quin Episcopus in ea residere teneatur. *ibid.*

Pergulae Vicarius Foraneus ab Eugubino Episcopo est constituendus, cui, si extraneus fuerit, Magistratus Pergulae debet stipendium persolvere, et Episcopali Curiae damnum compensare. *ibid.* 6. seqq. V. *Vicarius.*

PERSECUTIO in Sinarum Regno mota contra Evangelicos Praedicatores. *Supplem. N. V.* §. 2. p. 466.

PERSONATOS homines diebus Festi, nec non sextis feriis per hebdomadam, vagari in Ditione Pontificia prohibitum est; eaque prohibitio confirmatur, ac observari mandatur. XXXVIII. *init.* p. 248.

PERTINENTIA causarum contra Confessarios exquirentes complicis nomen in Confessione, ubi, et quomodo cognoscenda, et discutienda. XIII. 8. 9. p. 88. et 89. V. *Confessarius.*

Pertinentia causarum de damno dato. V. *Damni dati.*

S. PETRUS. V. *Apostoli.* V. *Apparitio.*

S. Petrus Thesauri Indulgentiarum dispensator, suprema ligandi et solvendi potestate a Christo donatus. XVII. 4. p. 109. seqq.

S. Petri Basilica. V. *Vaticana.*

B. PETRUS Damiani, audita Agnetis Imperatricis Confessione, nullam ei satisfactionem imposuit. XIX. 23. 24. p. 129. et 130.

S. PETRI Licosati Abbatia. V. *Abbatia.*

PIIS OPERARIIS Presbyteris in Congregatione viventibus suadetur, ut Capitulum Generale Romae, et Neapoli alternatim celebrent, et Praepositus Generalis in his civitatibus alternatim resideat. LX. 2. p. 391.

Pii Operarii in sacris Missionibus praecipue occupantur; ideo absolvuntur ab onere Quadragesimalis Praedicationis obeundae in Ecclesia S. Mariae ad Montes; dummodo alia exercitia ad Populi instructionem apta ibi peragant. *ibid.* 3. Iisdem permittitur, quindecim Missarum emolumentum in singulos menses, dummodo alias in Congregationis commodum celebrent. *ibid.* 4. p. 392.

Piis Operariis permittitur, ut post plures a media nocte horas surgant, et Officium Divinum, opportunioribus horis recitent. *ibid.* 5. Coltricis et interulis ex lino utantur. Tibialia, thoraces etc. fusci coloris uniformis tamen adhibeant. *ibid.* 6.

PILEUM Insigniis seu Armis Familiae apponere prohibentur ii, qui habent simplex Indultum Pontificalium, et usum Mitrae. LV. 4. ad XII. pag. 344.

S. PIUS V. in Oppido Insubriae natus, quod Boschum dicitur, e Bononia oriundus fuit, de cujus Canonizatione aliqua attinguntur. XVI. 7. p. 107.

POENA imposita foeminis suspectis, earumque amasiis, qui in praecepta deliquunt, nunquam in pecuniariam commutetur sine Summi Pontificis rescripto. VIII. cap. III. §. 4. p. 70.

Poenae a Praesidibus Provinciarum Status Ecclesiastici impositae iis, qui frumenti, aliarumque segetum quantitatem non denunciaverint, revocantur, ita ut etiam exactae restituantur. IX. 5. p. 79.

Poenae pro damnis datis in Statu Ecclesiastico addicuntur Communitatibus ejusdem Status, hisque poenis omnes tam Saeculares, quam Ecclesiastici subjiciuntur, Cardinalibus, aliisque paucis exceptis. XXXVII. 4. p. 242.

Poenae hujusmodi a Judicibus applicari nequeunt sibi, aut suis Ministris, sed Communitatibus solvi debent. *ibid.* 16. p. 245. seqq. Nec etiam condonari, aut minui possunt. *ibid.*

POENITENTIA publica olim a quibus, et quomodo peragebatur. XXI. 75. pag. 185. seqq. et XIX.****** 2. p. 149.

POENITENTIÆ Sacramentum, quomodo a Confessariis rite recteque administrandum. XIX. 18. seqq. p. 126.

Poenitentiae Sacramentum in privatis domibus, ne a Regularibus quidem, administrari potest extra casus a jure permissos. XLVIII. 20. p. 292.

Poenitentia salutaris imponenda est poenitentibus, etiam iis, qui Jubilaeum, aliasque Indulgentias consequi, et pia opera ad id praescripta exequi intendunt. XXI. 64. etc. p. 180. seqq.

POENITENTIALES. V. *Canones.*

POENITENTIARIUS MAJOR S. R. E. Cardinalis quaenam praestare debeat occasione Jubilaei. XX. 1. p. 153. et 34. p. 186.

Poenitentiarius Major in suis ordinariis facultatibus non habet, ut a quibusdam casibus absolvere valeat. XXI. 39. p. 173. seqq.

POENITENTIARII MINORES in Basilicis Urbis, Romani Pontificis auctoritate constituti, juxta plures auctores, ab unoquoque Fideli, etiam Regulari, haberi possunt pro deputatis a proprio Pastore; cum Summus Pontifex sit omnium Christi ovium, eorumque Pastorum supremus Pastor. XXI. 36. p. 172.

Poenitentiarii Minores Anno Jubilaei non solum numero augentur in tribus consuetis Urbis Basilicis, sed alii etiam deputantur in Basilica S. Pauli, et in plerisque Ecclesiis ipsius Urbis, praesertim Nationalibus. XX. 1. p. 153.

Poenitentiarii hujusmodi pluribus facultatibus instruuntur pro absolvendis poenitentibus a peccatis et censuris, pro commutandis votis, aliisque oneribus, pro concedendis dispensationibus. *ibid.* a *num.* 3. ad 21. pag. 154. et 155. Adjectis opportunis monitis et limitationibus, a *num.* 22. ad 37. p. 155. et 159.

Complura dubia circa has facultates occurrentia

explicantur et resolvuntur. XXI. 34. et pluribus seqq. p. 174.

Poenitentiariorum almae domus Lauretanae Rector potest particulas ex Velis Statuae B. V. Mariae admotis praecisas obsignare, et distribuere. X. 4. pag. 83. V. *Lauretana*.

POLONIÆ Primati, Archiepiscopis, et Episcopis scribitur de removendis abusibus ex Oratoriis privatis, quae sunt in domibus Laicorum. XLVIII. pag. 286.

Item alia Epistola, de his, quae vetita sunt Hebraeis habitantibus inter Christianos. XLIX. p. 297.

POLONICA Natio circa decimi saeculi finem Christianam Religionem suscepit; et contra alias sectas strenue propugnavit. *ibid.* seqq. Insignes sanctitate viros protulit, et insignia Concilia apud ipsam celebrata sunt. *ibid.* 1.

Polonico in Regno Judaei opibus et potentia nimis excreverunt, publicis negotiis admiscentur, et Christianos divexerant. *ibid.* 2. seqq. Admonentur Archiepiscopi, et Episcopi Poloni, ut eos cohibeant. *ibid.* 6. seqq. p. 299. seqq.

POLUS, Reginaldus Cardinalis, ad reconciliandam Ecclesiae Catholicae Angliam missus, complura bona Ecclesiarum ab haereticis occupata, iisdem ad fidem conversis, facultate a Romano Pontifice sibi tributa, condonavit. LVII. 26. p. 339.

POMPOSIÆ Praepositura saecularis ab Innocentio VIII. erecta in Ecclesia Monasterii S. Mariae de Pomposia. *Append. Num. IV.* p. 449.

V. *Praepositus*.

PONENTES duo Consultae adduntur, qui sint Ponentes Gubernii Urbis, et Assessores Gubernatoris. VIII. *cap. I.* §. 2. p. 63. seqq.

PONS, qui dicitur *Sixtus*, in Urbe quando, et qua de causa aedificatus. XV. 13. p. 105.

PONTIFEX. V. *Romanus Pontifex*.

PONTIFICIÆ functiones omnes antiquitus in Ecclesiis, et Basilicis Urbis celebrabantur; nunc autem pleraeque in Pontificio Sacello peraguntur. V. 3. 4. 44. V. *Sacellum*.

Pontificiales Functiones in Vaticana Basilica ab ipsius Archipresbytero, tam per se ipsum, quam per suum Vicarium Episcopum, sive per alios Episcopali charactere insignitos de gremio Capituli, aut his deficientibus, per extraneos Antistites peragi possunt. LIX. 8. pag. 363. Nec non de licentia solius Capituli, vacante Archipresbyteratus dignitate; exceptis tamen Ordinationibus, et collatione Sacramenti Confirmationis. *ibid.*

Pontificalium usus non competit Dignitatibus, et Canonicis Urbinatensibus in Missis Defunctorum, et in certis aliis Functionibus. LV. 4. ad 10. 11. pag. 344. seqq. Nec aliis quibusdam sine consensu Archiepiscopi. *ibid.* 9.

PORTA CAPENA Romae. V. *Capena*.

PORTÆ SANCTÆ Anno Jubilaei in pervigilio Nativitatis Domini ex veteri disciplina aperiuntur, earumque prima solemnis aperitio ad Alexandrum VI. referenda videtur. XIX. 13. p. 124. et XIX. ****** 1. p. 148. Omnibus ad poenitentiam aperiuntur, earumque aperitionis ritus ex pluribus capitibus laudabilibus est. XIX.******* 3. p. 149.

Portam Sanctam Basilicae Vaticanae Summus Pontifex aperit, nisi impeditus sit. *ibid.* 4. Ad alias aperiendas Cardinales de Latere Legati eliguntur, licet aliquando alii quam Cardinales designati fuerint. *ibid.* 5. Eos Benedictus XIV. in consistorio elegit, nominavit, et laudavit, quamvis alibi aliquando electi fuerint. *ibid.* 7. 8.

Portas Sanctas Basilicarum Lateranensis, et Liberianae, Cardinales earumdem Archipresbyteri aperiunt; illam S. Pauli aperit Cardinalis Decanus, nisi ob impedimentum alius subrogandus sit ut aliquando contigit. *ibid.* 6. His Legatis facultates quaedam circa aperitionem dantur, et procedendi modus praescribitur. *ibid.* 9. p. 150.

Per Portas Sanctas non est necesse ut quis ingrediatur, aut exeat, in visitandis Basilicis Anno Sancto. XXI. 81. p. 189.

Portas Sanctas ut claudant, exeunte Jubilaei Anno, Legati designantur, cum quibusdam facultatibus, ac designato proficiscendi modo. XXV. per tot. p. 200. Impedito Cardinali Decano, alter subrogatur. *ibid.*

PORTOCARRERO. Joachimo S. R. E. Cardinali, in Ordine Equestri S. Joannis Jerosolymitani Professo, indigne ad Patriarchatum, et ad Cardinalatum assumpto significatur, licere ipsi Crucem octogonam, tamquam proprium sui Ordinis habitum, super Mozzettam gestare. *Suppl. Num. II.* per tot. p. 456. seqq.

PORTUGALLIÆ Reges Fidem Catholicam tueri, et propagare non destiterunt, et in hoc Joannis V. zelus enituit. I. seqq. pag. 7. seqq. et *Append. Num. I.* per tot. pag. 419. Ideo a Summis Pontificibus cumulati magnis honoribus, et FIDELISSIMI titulum consecuti fuerunt. *ibid.*

Sebastianus Portugalliae Rex. V. *Sebastianus*.

POSSESSIO ut usucapionem inducere valeat, de jure Canonum, juncta esse debet *bonae fidei*, non solum in initio, sed etiam in progressu, et in fine. LVII. 23. p. 337. seqq.

DE PRADES, Martinus, Theses quasdam in Sorbona defendendas proposuit, quae censura notantur. LVIII. p. 360.

PRÆCEPTOR Archihospitalis S. Spiritus.

V. *Banchum*. V. *S. Spiritus*.

PRÆCEPTO audiendi Missam diebus Festis, qui satisfaciant in privatis Oratoriis. XLVIII. 12. seqq. pag. 290.

Praecepto Communionis Paschalis in quibus Ecclesiis satisfaciendum sit. *ibid.* 21. 22. p. 292. seqq.

PRÆCEPTA carceratis intimentur a Notariis eodem die, quo fiunt. VIII. *cap.* 3. §. 3. p. 69.

Praecepta foeminis non diffamatis haud fiant sine sufficientibus probationibus, et admonitionibus. *ibid.* 4. p. 70.

Praecepta in transgressores quoscumque non repetantur, sed ad poenae executionem procedatur. *ibid.* Si quis se probaverit innocentem, praeceptum gratis, aut modica expensa deleatur, isque adversus calumniatores possit reclamare. A denegata vero, aut retardata justitia recurrere possit ad Judices superiores, servando interim praeceptum. *ibid.* pag. *ibid.*

PRÆFECTUS Congregationis Fabricae Basilicae Vaticanae semper est ejusdem Basilicae Archipresbyter. LIII. 3. p. 327.

Praefectus Missionum Egypti potest Sacramentum Confirmationis ministrare. XXVIII. 4. p. 213.

Praefecto pro tempore existenti Missionariorum Societatis Jesu in Insulis Americae Meridionalis, Martinica, Guadalupa, aliisque ibidem Regis Christianissimi dominio subditis ex speciali gratia concedit facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis cum quibusdam conditionibus. LXI.***** p. 416. V. *Missionariorum Praefecto*. V. *Facultas*.

PRÆLATI inferiores. V. *Ordinarii*.

PRÆMONSTRATENSES Canonici Regulares, Ecclesias Parochiales etiam saeculares, et Vicarias obtinere, et retinere perpetuo possunt sine Apostolica dispensatione. XXXII. 1. seqq. pag. 226. seqq.

PRÆNESTINUS, Joannes Petrus Aloysius, Magister Cappellae in Basilica Vaticana, Ecclesiastici cantus rationem ad pietatem accommodare optime noverat. III. 5. p. 20. seqq.

PRÆPOSITUS Generalis Congregationis Piorum Operariorum, Romae, et Neapoli alternatim resideat. LX. 2. p. 230.

Praepositi S. Mariae de Pomposia territorium separatum, ad jurisdictionem spiritualem activam in quaedam Loca, et Ecclesias praetendunt, contradicentibus Episcopis Comaclensibus. *Append. Num. IV. in ult. Litt. Apostol.* §. 1. p. 448.

Pontifex, sine praejudicio jurium ambarum partium, tam in petitorio, quam in possessorio, ad hujusmodi locorum, et Ecclesiarum regimen, Apostolicum Vicarium deputat Episcopum Comaclensem pro tempore. *ibid.* 4. seqq. p. 449.

PRÆSCRIPTIO non inducitur, nisi per continuatam bonam fidem. LVII. 23. p. 387.

Praescriptio contra Romanam Ecclesiam, et Basilicam Vaticanam, non currit, nisi centenaria. LIX. 30. p. 371.

PRÆSEPE Domini Nostri Jesu Christi in Basilica Sanctae Mariae Majoris a Theodoro Pontifice probabilius collocatum fuit. *Append. num. III.* §. 2. p. 434.

PRECES in Basilicarum visitationibus Anno Sancto vocales potissimum praescribuntur; quibus addi laudabiliter potest oratio mentalis. XX. 31. p. 188. et XXI. 83. p. 189.

Earum nimia modicitas reprehenditur. *ibid.*

PRINCIPES Catholici rogantur, ut Jubilaei progressum faveant. XVII. 14. p. 111.

Iidem Principes Saeculares debent esse Fidei defensores, et Ecclesiae protectores. Eorum opera imploratur, adversus damnatas *de' Liberi Muratori* societates. XLVII. 9. p. 283.

PRIOR Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini legitime electus confirmatur ad vitam. XIX.******* p. 151.

Priori Provinciali Provinciae Siculae pro tempore existenti in virtute sanctae obedientiae praecipit, ne praesumat habere, et exercere ullum jus, ullamque jurisdictionem in duobus Conventibus nuncupat. Nolabili, et Valletta Insulae Meliten. Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, dismembratis a dicta Provincia Sicula, nec in illorum Prioribus, et Fratribus. LIV.** pag. 342.

PRIVILEGIA Clericalia amittunt Clerici non servantes ea, quae Sacri Canones observari praecipiunt, ut quis iisdem Privilegiis fruatur. II. 15. pag. 13. Privilegia civilia amittunt transfugae, ac perduelles. *ibid.*

Privilegium Altaris portatilis, et celebrandi Missam in domibus suae habitationis, et hospitii, habent Episcopi, certis tamen legibus, circumscriptum Clem. XI. Decreto. XLVIII. 3. seqq. p. 287.

Privilegiis praejudicium affert abusus. *ibid.* 6. et 27. p. 288. et 294.

Privilegiis *in corpore Juris* clausis, saepe derogatum est a Concilio Tridentino sine expressa eorum mentione, sed contrarium simpliciter statuendo *ibid.* 30. p. 295.

Privilegia extrahendi frumentum, aliasque segetes, extra Statum Ecclesiasticum, quae usque ad diem primam Junii 1745. exhibita, aut verificata non fuerunt, nullius roboris in posterum fore declarantur. IX. 9. p. 81.

Privilegia hujusmodi habentes, extrahere non possunt, nisi quantitatem frumenti, aliorumque segetum denunciaverint Cardinali Legato, seu Praesidi, aut Gubernatori Provinciae, et denunciationis documentum reportaverint. *ibid.* 7. p. 80. Nec privilegio uti possunt per eos menses, quibus suspenditur quotannis mutuum commercium inter Provincias ditionis Ecclesiasticae. *ibid.* 8. Nec ullo modo, si annonae caritas in Provincia fuerit. *ibid* p. 81.

Privilegia, et facultates concessae a Pio PP. IV., et Clemente XII. Provincialibus Societatis Jesu, vel ab eis deputatis Presbyteris, ut dispensare possent in quibusvis a jure divino non prohibitis Consanguinitatis, vel Affinitatis gradibus, ad Matrimonium

contrahendum, Neophitos Indiarum, aliarumque Orientalium Regionum, sub certis modo, et forma expressis, confirmantur. LXI.*** p. 408. per totum. V. *Missionariis*. V. *Facultas*.

PROCESSIO generalis totius Cleri Urbis in Solemnitate Corporis Christi apud Basilicam Vaticanam facienda est, etiam Sede vacante. LIX. 22. pag. 369. Et singulis annis in Festo S. Marci Evangelistae. *ibid.* 23.

Processionibus in eadem Basilica faciendis occasione solemnis expositionis Sanctissimi Sacramenti, totum Capitulum, et Clerus Basilicae interesse debet. *ibid.* 34. p. 373.

In Processionibus circa ambitum Ecclesiarum Filialium peragendis, uti possunt Cappis hiberno tempore. *ibid.* 38. p. 374.

In Processionibus Sanctissimi Sacramenti non licet Canonicis habentibus usum Mitrae, eamdem in capite gestare. LV. 4. ad XIII. p. 344.

PROFESSIONES Fidei in Basilica Vaticana fieri consueverunt. LIX. 19. p. 368.

Professio Religiosa duplex: tacita, et expressa: haec irrita est, nisi post decimumsextum aetatis, et integrum probationis annum, emittatur. XXVIII. 9. seqq. p. 214. seqq. Quid de tacita. *ibid.*

Professio a puellis degentibus in locis Episcopo subjectis, in manus ejusdem, aut alterius Personae ab ipso deputatae, emittenda est. VII. 18. pag. 88.

PROHIBITIO extrahendi libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta ex Bibliothecis monasteriorum S. Crucis Conimbricae, et S. Vincentii Ulyssiponensis Congregationis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini. III.* p. 28. per totum.

PROTONOTARIIS Apostolicae Sedis adnumerantur omnes Canonici Basilicae Vaticanae. LIX. 38. pag. 374.

PSALMODIA. V. *Canonici in Choro*.

PUERI Communionis incapaces quomodo Jubilaeum, et alias Indulgentias consequi possint. XXI. 80. p. 188.

PUNCTA XV. proposita in Capitulo Generali Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae pro bono regimine, pace, et quiete ejusdem Congregationis. XIX.** p. 135. et seqq.

Confirmantur per literas Apostolicas sub die XVI. Januarii MDCCXLI. cum quibusdam declarationibus. *ibid.* p. 137.

PURGATORII animas consuetis, aliisque Indulgentiis juvari posse Anno Jubilaei, nonnulli Pontifices voluerunt. *ibid.* 23. 24. p. 167. seqq.

Q

QUÆSTORES eleemosynarum, qui etiam *Quaestuarii* appellabantur, in Conciliis Lateranensi et Viennensi ob plures abusus damnati, demum a Concilio Tridentino penitus proscripti sunt. VII. 9. p. 84. Non ideo vetitum, ut aliqui eleemosynas conquirant pro Monasteriis, Hospitalibus, etc. dummodo leges observent ab Urbano VIII. praescriptas, et *petitores* simpliciter dicantur. *ibid.* 10. p. *ibid.*

QUINDENNIA, aliaque onera, non solvit Capitulum Vaticanum pro nonnullis Monasteriis Mensae Capitulari unitis, ex titulo oneroso, et privilegio Pii IV. Constitut. LIX. 33. pag. 382. Quod confirmatur. *ibid.* 60. p. 383.

R

RADULPHUS Monachus nimio zelo abreptus, Judaeos delendos esse praedicabat. XLIX. 4. p. 298.

RAPINA est quidquid in bello injusto occupatur, ideo restituendum est. LVII. 4. p. 351.

RECONCILIARE Basilicam Vaticanam forte pollutam licet Canonico Altaristae, aut seniori Presbytero, cum aqua tamen ab Episcopo benedicta. LIX. 8. p. 363.

RECREATIONES, colloquia, et spatiamenta a statutis Ordinis Cartusiani concessa Alumnis ejudem Ordinis confirmat. LIX.* p. 390. Recreationem Feriae tertiae, quamvis per Statuta non reperiatur concessa, ex peculiari tamen gratia indulget iis Domibus, seu Cartusiis, in quibus in usu jam recepta est, non vero in aliis. *ibid.* V. *Colloquia*.

RECTOR Collegii erecti in Lauretana Civitate pro tempore existens, seu alter ab eo deputandus constituitur in iis quae ad administrationem sanctissimae Eucharistiae etiam pro Viatico, ac extremae Unctionis Sacramentorum, aliisque omnibus quae ad animarum curam spectant pro omnibus sibi subjectis. XIX.****** p. 147.

REDUCTIONES Anniversariorum, onerum, et servitiorum communium Capitulo, et Clero Vaticano alias concessae, approbantur. *ibid.* 35. pag. 373.

IN REFORMATOREM, et Visitatorem Apostolicum Ordinis Hospitalaris S. Hippolythi Martyris in Civitate, et tota Provincia Mexicana deputatur Archiepiscopus Mexicanus cum quibusdam declarationibus. XXXIX. p. 252. per totum. V. *Archiepiscopus*. V. *Mexicanus*.

REGES, et REGINÆ, si Romae sint, in Basilica Vaticana coronandi sunt, et ungendi. *ibid.* 18. p. 368.

V. *Principes*. V. *Portugalliae Rex*.

REGULARE Institutum. V. *Religio approbata*.

REGULARES, ex veteri Canonum jure, poterant Ecclesiis Parochialibus praefici; verum ex recentiori disciplina Parochialem curam assumere nequeunt sine dispensatione Apostolica, non concedenda, nisi instante Episcopo, pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae. LI. 1. p. 320.

Regulares in Indiis Occidentalibus omnes Paro-

chias et Officia ad animarum curam spectantia obtinebant, ex Constit. S. Pii V. per subsequentes Pontifices confirmata. *ibid. init.* Pontifex, instantibus Rege Catholico, et Episcopis Indiarum, ejusmodi Constitutionibus derogat; ac Parochias, aliaque Officia Curata, Saecularibus Clericis, seu Presbyteris conferri permittit. *ibid.* 4. p. 321.

Regulares animarum curam assumere nequeunt, sine praevio Episcopi examine, et approbatione. *ibid.* 7. p. 323.

Regulares animarum curam exercentes, quibus in rebus subsint Episcopo, aut proprio Superiori Regulari, et a quo removeri possint. *ibid.* 5. p. 322.

Regularibus non licet audire Confessiones Sacramentales in privatis domibus, extra casus a jure permissos. XLVIII. 20. p. 292.

Regularibus non licet Eucharistiam in suis Ecclesiis Populo distribuere, die Paschatis. *ibid.* 21. seqq. Hoc tamen ipsis permittitur, aliis diebus intra terminum Paschalem comprehensis, dummodo Fideles sciant, se nihilominus teneri Praeceptum Communionis Paschalis in propria Parochiali Ecclesia adimplere. *ibid.* 22.

Regularium Privilegia pro usu Altaris portatilis a Concilio Tridentino abrogata fuerunt. *ibid.* 29. p. 294. Unde interdicta ipsis est celebratio Missae in domibus Laicorum, ubi non adest Indultum Apostolicum, seu praeter Indulti terminos, et sine opportunis licentiis. *ibid.* 33. p. 295. Et in decreto Clem. XI. p. 296. De Episcoporum facultate circa observantiam hujusmodi Decretorum. V. *Episcopi*. V. *Exempti*.

Regularibus nonnullis post Concilium Tridentinum de novo concessum fuit Privilegium Altaris Viatici; sed pro locis dumtaxat, in quibus Ecclesiae desunt, et Haeretici Catholicos opprimunt. *ibid.* 31. 32. p. 295.

Regularibus non licet exorcizare sine licentia Episcopi. *ibid.* 34.

Regularibus quorundam Ordinum vetitum est, etiam occasione Jubilaei, extraneis Confessariis, sine Superiorum licentia, confiteri. XXI. 36. pag. 171. Plures tamen Auctores putant, licitum semper iis esse Confessionem peragere apud Poenitentiarios Apostolicos in Basilicis Urbis constitutos, utpote approbatos, et deputatos a Pontifice, qui omnium Fidelium proprius est Pastor. *ibid.* 36. p. 172.

Pontifex Anno Jubilaei 1750. Regularibus quibuslibet expresse permittit, ut Poenitentiariis tunc deputatis peccata confiteri, et ab illis absolvi possint. XX. 4. pag. 154. XXI. 36. p. 172. Idemque decernit pro Regularibus impeditis, qui eodem Anno extra Urbem Jubilaeum consequi poterunt. XXIII. 8. p. 197. Similiter in extensione ejusdem Jubilaei ad universum Orbem Catholicum. XXVI. 4. p. 205. seqq.

Regularibus Superioribus facultates absolvendi suos Subditos Regulares Anno Sancto praeservantur. XVIII. 2. pag. 114. XXI. 25. pag. 168. Aliae facultates absolvendi a casibus reservatis, sive ob causam Indulgentiarum, sive ex alio titulo illis alias concessae, eodem Anno suspensae remanent. XVIII. 3. pag. 114. seqq. et XXI. a §. 26. ad 32. p. 168. 170. et 172.

Regulares Anno Sancto Romam absque Superiorum facultate venientes peccant, sed si poeniteant, Jubilaeum consequi possunt. *ibid.* 68. pag. 182. seqq.

Regularibus Confessariis in Urbe a Cardinali Vicario ad Saecularium Confessiones approbatis conceduntur Anno Jubilaei facultates omnes, quoad suos Correligiosos, quae aliis Confessariis specialiter pro Anno Sancto deputatis tributae sunt; addita facultate dispensandi super occulta Irregularitate ob censurarum violationem contracta. XX. 41. p. 157.

Regulares apostatae Anno Jubilaei ad suos Ordines prompte redeuntes, poenarum sibi ob apostasiam debitarum remissione donantur; certis praescriptis legibus, et conditionibus. XXIV. p. 199.

Regulares homicidium animo deliberato patrantes, Immunitatis Ecclesiasticae beneficio privantur. XXVII. 7. p. 207.

RELATORES Criminales. V. *Criminales*.

RELIGIO approbata dici nequit illa, in qua non emittuntur solemnia vota castitatis, paupertatis, et obedientiae; etiamsi a Sede Apostolica approbatae fuerint Regulae ab ejus Societatis alumnis observandae. VII. 13. p. 86. seqq.

RELIGIOSÆ mulierum domus sine perfecta clausura non sunt a Pontifice confirmandae. *ibi.* 23. p. 89.

Religiosa Professio. V. *Professio*. V. *Regulares*.

Religiosi veri esse possunt, quorum Institutum bello pro Fide, et pauperum defensione gerendo addictum est. *Suppl. N. II.* §. 2. p. 457.

RELIQUIÆ Sanctorum conditae in Altari Pontificio Basilicae Liberianae recensentur. XXXIII. per tot p. 228.

Reliquiae Sanctorum ponuntur in Graecorum Antimensiis. XLIII. 4. p. 273.

RESERVARE Casus possunt Episcopi, idque ipsis a Concilio Tridentino assertum fuit. XLIX. 8. p. 300. V. *Casus*.

RESTITUERE quomodo teneatur, qui bona Christianorum ab Infidelibus capta emit. LVII. a 10. ad 22. pag. 382. et 386. V. *Bona Christianorum*.

Restituere sine pretii soluti repetitione debet, qui rem furtivam bona, vel mala fide emit. *ibid.* p. 386.

REZZONICUS, Carolus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, in Aquilejensis Patriarchatus negotio, pro parte Reipublicae Venetae, magna cum

laude se gerit. L. 3. 4. pag. 301. *Append. N. IV. in I. Allocut.* §. 7. p. 437.

RITUS Latinus a Latinis, Graecus autem a Graecis observandus est in Missis, et Officiis, sublata variandi facultate. XLIII. 9. p. 274.

Ritus Greci observantia Basilianis Monachis commendatur. XLIV. 2. p. 275.

Ritus gestandi Rosam auream, eamque benedicendi. V. *Rosa Aurea*. V. *Benedictio*.

Ritus aperiendi Portas Sanctas initio Jubilaei. V. *Porta Sancta*.

Sacr. Rituum Congregationis Decreta quoad usum Pontificalium Insignium, Urbinatensi Capitulo auctoritate Apostolica concessorum. LV. 3. et 4. p. 344.

ROMA Sanctorum Apostolorum praedicatione et sepulchro, necnon Sanctorum Martyrum cineribus, aliisque Sacris monumentis maxime illustrata. XVII. 9. pag. 110. XIX. 8. pag. 121. seqq. LIX. 1. pag. 361. Ideo semper Christifidelium peregrinationibus frequentata fuit. XIX. 1. pag. 118.

Roma caeteris per Orbem Civitatibus, in Sacris ritibus, aliisque Ecclesiasticis rebus, exemplo praeire, et documento esse debet. III. 14. pag. 26.

ROMANI a Graecis bonarum artium disciplinam, et morum humanitatem didicerunt. LIV. 7. p. 331. Quae fuerit apud ipsos patria potestas. *ibid.* V. *Patria potestas*.

Romani antiqui nonnunquam restituerunt, quae in bello injusto abstulerant, et damna victis illata repararunt. LVII. 4. p. 351.

Romanorum, et Romae incolarum nomine, quinam censeantur Anno Jubilaei. XX. 44. p. 158. XXI. 71 p. 183. seqq.

Romanorum pietas eodem Anno maxime eluxit. XXXV. 1. p. 232.

ROMANUS Pontifex in Urbe in Basilica Vaticana ad Altare Confessionis Beati Petri Apostoli de more est consecrandus, et coronandus. LIX. 16. p. 367.

Romanus Pontifex est generalis bonorum Ecclesiasticorum administrator. LVII. 25. pag. 358. Quid aliquando praestiterit circa bona Ecclesiastica ab Haereticis occupata, circa eorum fructus, ut eosdem Haereticos ad Ecclesiae Romanae sinum revocaret. *ibid.* 26. 27. 28. pag. 359. seqq.

Romani Pontificis Constitutiones. V. *Constitutio*.

ROSAM auream olim Summi Pontifices in Ecclesia Sanctae Crucis in Jerusalem Dominica quarta Quadragesimae benedicebant. At Sede Apostolica Avenionem translata, inde in Romam reducta, in Aula Paramentorum benedicere consueverunt. XLII. 1. p. 260.

Rosae aureae benedictio quomodo, quo ritu, et quibus rebus perficiatur. *ibid.* 2. et 17. 18. p. 261. et 266. 267.

Rosam auream gerendi mos ante S. Leonem IX. viguit, incertum tamen ejus initium. *ibid.* 8. seqq. p. 263. Ipse Sanctus Pontifex Monasterio Sanctae Crucis in Alsatia a suis Progenitoribus fundato, et Privilegiis a se decorato, censum imposuit mittendi quotannis Romano Pontifici Rosam auream duarum unciarum, vel auri tantundem ad eam conficiendam. *ibid.* 8.

Rosae aureae usus, et benedictio non idem initium habuerunt. *ibid.* 18. pag. 267. Quando probabilius haec benedictio coepta sit, et cur adhibita. *ibid.* 20.

Rosa haec nonnulla Mysteria de Christo significat. *ibid.* 17. p. 266. Aurum, quo rosa conficitur, cur colore rubro tingatur. *ibid.*

Rosam auream Summi Pontifices dum benedicebant olim sermocinabantur. *ibid.* 7. p. 263.

Rosam auream Alexander V. Bononiae benedixit, et Marchioni Nicolao Estensi praesenti donavit. XLII. 3. p. 261. Pluribus illustribus, regiisque Viris, et Foeminis donata fuit, ac etiam Ecclesiis; quo munere Gregorius XIII. Ecclesiam Bononiensem decoravit. *ibid.* 3.

Rosam auream ad eamdem Ecclesiam transmisit Benedictus XIV. die et modo statutis, quo illa ibi exciperetur, ac jubens, ut Dominica quarta Quadragesimae, Divinorum Officiorum tempore, quotannis in Ara maxima exponatur. *ibid.* 6. p. 262. seqq.

Rosae aureae plures a Romanis Pontificibus Basilicis Lateranensi, et Vaticanae, aliisque extra Urbem donatae fuerunt. *ibid.* 6.

ROTULUM, seu Indiculum Familiarium retinere solent Cardinales, et praelati Romanae Curiae, propria manu subscriptum. XXIX. 3. pag. 217. Si quis Rotulum legaliter confectum habuerit, cum distinctione inter veros Familiares, et honorarios, certus esse poterit, neque se, nec haeredes, litibus et controversiis, in conjectura et consuetudine fundatis, impetitum iri; obstantibus decretis a Pont. conditis. *ibid.* 3.

S. RUFILLI Foripompilii Monasterium Provinciae Ravennaten. V. *Abbatia*.

RUGGERIUS Siciliae, et Calabriae Comes quamdam Eremum in Provincia ulteriòris Calabriae dono dedit S. Bruno Institutori Ordinis Cartusiensis. II. p. 14.

RUTHENI. V. *Graeci uniti*. V. *Missionarii*.

S

SACELLA olim erant in Pontificis Romae Palatii, verum solemnes Pontificales functiones non in iis, sed in Ecclesiis Urbis peragebantur. V. 3. 4. p. 44. seqq. Avenione in Sacello Pontificio celebrari coeperunt, quod Romae continuatum est, revocata ad Urbem Pontificis Sede. *ibid.*

Sacello Pontificio, ex Pontificum Constitutionibus, debetur Sacra Supellex Cardinalium defuncto-

rum, rebus nonnullis exceptis: *ibid.* 2. p. 43. Idque ob functiones, quae in eo peraguntur. *ibid.* 3. pag. 44.

Sacello eidem adjudicata fuit Sacra Supellex defuncti Cardinalis Accoramboni, quum ipse de ea non disposuerit ad formam Indulti, quod a Benedicto XIII. obtinuerat. *ibid.* 4. et 5. p. 43. seqq.

Sacelli Pontificii supellex a Benedicto XIV. refecta est. XV. 13. p. 104.

SACELLA PRIVATA. V. *Oratoria.* V. *Supellex.*

Sacellum S. Nicolai. V. *S. Nicolai.*

In Sacellis domesticis Societatis Jesu facultas conceditur asservandi Venerabile Sacramentum quoties et quamdiu Praeposito Generali visum fuerit. XIX. p. 133.

SACERDOTES res Sacras indecore, et indevote peragentes nimium Laicos offendunt. III. 15. p. 27.

SACRAMENTA Baptismi, Confirmationis, et Eucharistiae. V. *Baptismus. Confirmatio. Eucharistia.*

SACRARIO Basilicae Vaticanae certae summae solvendae sunt in Servorum Dei Beatificationibus, et Beatorum Canonizationibus, pro Sacra supellectili. LIX. 25. p. 370.

Sacrario huic debetur certa portio ab Archipresbytero, Canonicis, et Beneficiatis Basilicae in adeptione possessionis suorum Beneficiorum. Et medietas fructuum, et distributionum primi anni. *ibid.* 26. Item Sacra Supellex cujuscumque generis, eorum omnium, qui in eadem Basilica Beneficia obtinuerunt. *ibid.* 27. V. *Supellex.*

Sacrarii ejusdem res alienari, aut commodari prohibentur, sub poena excommunicationis, quibusdam casibus exceptis. *ibid.* 28. p. 371.

SALOMON pro alienigenis etiam Templum Dei visitantibus oravit. XIX. 2. p. 118.

S. SALVATORIS de Majella Abbatia. V. *Abbatia.*

SAMUEL in Templo a matre valide oblatus. V. *Impubes.*

SARDINIAE Rex: Carolus Emmanuel, concordatum celebrat cum Apostolica Sede, in quo nonnulla circa Immunitatem localem a Clemente XII. sancita pro Statu Ecclesiastico, ad ipsius Regis ditiones extenduntur. XXVII. 4. p. 206.

SATELLITUM Praefecti in Urbe, ad quid teneantur; et quid circa illorum delectum agere debeat Urbis Gubernator. VIII. *cap.* 1. §. 8 pag. 64.

SATISFACTIO in Sacramentali Confessione poenitentibus injungenda, etiam iis, qui Indulgentias lucrari, et opera ad id praescripta adimplere intendunt. XX. 26 pag. 156. XXI. 64. p. 180. Qualis esse debeat. XIX. 23. seqq. p. 129. seqq. et XXI. 65. 181.

SCHEDULAE de legitimis natalibus Infantium in Basilica Vaticana baptizandorum sub determinata forma a Parochis Urbis concedendae sunt. LIX. 15. p. 367.

SEBASTIANUS Portugalliae Rex insignibus victoriis adversus Infideles potitus, honorificos titulos a S. Pio V. ultro oblatos prae modestia recusavit, Obedientissimi Sanctae Sedis filii denominatione contentus. I. 2. p. 7. *Appen. N. I.* pag. 419. Contra Mauros fortissime dimicans occubuit. *ibid.*

SECRETUM privata conventione jurare non licet, ut servandum sit adversus justas perquisitiones a legitima potestate faciendas. XLVII. 7. p. 285.

SEMINARIUM Basilicae Vaticanae cui subjectum sit. LIX. 4. pag. 362. Ejus Alumnorum Ordinationes ad Cardinalem Archipresbyterum libere pertinent; Convictorum vero, nonnisi cum Dimissoriis eorum Ordinarii. *ibid.* 6. et 7. pag. 363.

SENATOR Urbis quomodo interesse debeat visitationi Carceris Capitolini. VIII. *cap.* 2. §. 6. p. 66. seqq.

SENTENTIAE, Evangelicae simplicitati, et Sanctorum Patrum doctrinae difformes apud Auctores aliquando inveniuntur; ideoque in praxi delectus haberi debet. XIX. 21. p. 128.

SERMONEM ut plurimum Romani Pontifices habere non solent, nisi in Missa Pontificali. XLII. 7. p. 263. Olim sermocinabantur occasione benedictionis Rosae Aureae. *ibid.*

SERVI poenales quinam sint, et quae eorum conditio. LIV. 15. p. 334. Jus in filiorum infantium educationem habent a natura promanans; nihilominus Jure Gentium potest dominus filios a parentibus separare. *ibid.* 26. p. 339. seqq.

Servorum poenalium infidelium filii possunt a Dominis offerri ad Baptismum. *ibid.* et §. 15. pag. 334.

Servus alienus ab hostibus captus quomodo sit Domino restituendus. LVII. 15. p. 353.

SERVITUS poenalis Jure Gentium inducta adversus hostes in bello captos, locum non habet inter Christianos. LIV. 15. p. 334.

Servitutem civilem, non vero poenalem, serviunt Hebraei in Christianorum Principum regionibus tolerati. *ibid.*

SICILIAE utriusque Rex, Carolus, concordatum celebrat cum Apostolica Sede, in quo ad illius dominia extenditur quidquid a Clemente XII. pro Ecclesiastica ditione statutum fuerat circa Immunitatem localem. XXVII. 4. p. 206.

Idem apud Pontificem instat pro erectione Ecclesiae Cathedralis Terlitien. XIV. 5. p. 93. Qua erecta, et cum Ecclesia Juvenacensi unita, jus nominandi ad eas praedicto Regi reservatur. *ibid.* 8. p. 94.

SIXTUS IV. nonnulla concessit Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia. IV. 1. pag. 33. V. *Sancti Spiritus.* Indulgentias, et facultates Anno Jubilaei primus suspendit. XXI. 17. p. 165.

V. *Suspensio.*

SIXTUS V. veterum consuetudinem celebrandi

Pontificales functiones in Ecclesiis et Basilicis per Urbem restituere studuit. V. 4. p. 44. Quid circa poenas de damno dato constituerit. XXXVII. 1. p. 241.

SOCIETAS Jesu. V. *Jesuitae*.

SOCIETATIS JESU studia et zelus commendatur. XIX. p. 133.

Omnes Religiosi ejusdem Societatis fruuntur Indulgentiis Congregationum Primae Primariae dictae aggregatarum, tamquam si ibidem essent adscripti, et easdem frequentarent. *ibid.*

Easdem lucrantur Principes Viri, etiam absentes, et nunquam, neque pro prima vice quando adscribuntur frequentantes Congregationem. *ibid.*

Omnes Christifideles lucrantur Indulgentias 40. horarum si visitent Venerabile quando spatio continui tridui exponetur per aliquod tempus in dictis Congregationibus. *ibid.*

In omnibus Ecclesiis dictae Societatis conceditur unum Altare Privilegiatum quotidianum perpetuum a Rectore pro tempore destinandum. *ibid.* p. 134.

Societatis Jesu Missionariis in Indiarum Regnis facultas conceditur dispensandi in gradibus consanguinitatis, seu affinitatis excepto primo gradu, ut Neophiti matrimonium inter se contrahere possint. LXI.*** p. 409. V. *Facultas*. V. *Missionariis*. V. *Privilegia*.

SONUS in musicis Ecclesiarum qualis esse debeat. III. 11. p. 25.

SPICARUM derelictarum collectio post messem pauperibus omnino permittenda est in locis Ditionis temporalis Pontificiae per aliquot dies, postquam manipuli in locum tutum redacti fuerint. XLVI. 1. seqq. p. 280.

Id ut pauperibus integrum sit, nulla animalia per eos dies in praedia introducantur. *ibid.* 6. p. 181.

S. SPIRITUS in Saxia Archihospitale a Benedicto XIV. insigniter ampliatum fuit. XV. 13. p. 104.

Idem concessit, ut Sacramentum Confirmationis Infirmis in eo decumbentibus conferri possit a quocumque Antistite, quem Praeceptor, seu Commendatarius, aut Prior pro tempore, ad id accererit. XXXV. p. 239.

Archihospitalis ejusdem bona obligata sunt mensae nummulariae a Paulo V. in eodem erectae. XXX. 1. p. 219. V. *Banchum*.

Ejusdem Beneficia, Prioratus, Ecclesiae, et membra quaecumque, ad Praeceptoris, seu Commendatarii collationem, et provisionem privative pertinent; et sunt manualia ad ipsius nutum, atque ab Apostolicis Reservationibus omnino exempta. IV. 1. p. 33.

Canonici quoque Regulares ejusdem Praeceptoris jurisdictioni, et correctioni privative subjecti, a qua nullius Privilegio eximi possunt. *ibid.*

Ideo Pontifex decernit, eorumdem Beneficiorum pro tempore vacantium fructus, et Canonicorum ea obtinentium spolia, quamvis hi Professionem non emiserint, ad Cameram Apostolicam non spectare; sed a Praeceptore, seu Commendatario, de illis disponendum esse in beneficium Archihospitalis, seu Ecclesiae, aliorumque membrorum ejus. *ibid.* 3. et 4. p. 38.

SPOLIATOR jure civili ad restitutionem adigebatur, non autem is, qui rem vi occupatam ab eo etiam scienter emisset. Sed id Canonico Jure correctum fuit. LVII. 22. p. 386.

SPOLIO Camerae Apostolicae debito non sunt obnoxia bona Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia, et membrorum ejus. IV. 3. et 4. pag. 38. seqq. Neque supellectiles, aliaque ornamenta sacra ad Divinum cultum destinata in Cappellis privatis Episcoporum, aliorumque Beneficia Ecclesiastica obtinentium. V. 9. pag. 46.

V. *Sappellex*.

Spolio obnoxiae fiunt res Episcoporum, in rerum propriarum inventario non descriptae. XXIX 8. pag. 217.

SPONSALIA a parentibus pro filiis impuberibus facta olim filii servare tenebantur, non autem nunc. LIV. 6. p. 331.

SPORTULAE in causis de damno dato exigendae dumtaxat sunt tamquam in causis civilibus. XXXVII. 17. p. 243.

STATIONES dum indicebantur in variis Ecclesiis Urbis, ibi totius Cleri conventus habebantur, et Pontificales Functiones peragebantur. V. 3. p. 44. Hunc morem Sixtus V. restituere optavit, sed vicit recentior consuetudo, ut pleraeque Functiones hujusmodi in Pontificii Palatii Sacellis celebrarentur. *ibid.* 4. seqq.

Stationum Indulgentiae a Capitulo Lateranensi communicari possunt Ecclesiis sibi subjectis, aut Basilicae aggregatis, pro iis dumtaxat diebus, quibus in Missali Romano assignatur Statio ad Sanctum Joannem in Laterano XLV. 13. pag. 278. Idem respective decernitur quoad Capitulum Vaticanum, LIX. 47. pag. 379.

SUBSIDIUM charitativum quomodo a Terlitiensibus solvendum. XIV. 9. pag. 95. seqq.

SUBSTITUTIS decem Fiscalibus Gubernii fixum emolumentum assignatum est. *in Sched. mot. propr.* §. 9. pag. 78. Quas causas criminales agitare possint. *ibid.*

V. *Criminales*.

SUCCESSOR in possessione rei per vim occupatae, aut furto sublatae, quomodo ad restitutionem teneatur. LVII. 22. 23. p. 386. et 387. seqq.

Successoris confirmatione opus non est, ut vim suam obtineant Constitutiones generales, et perpetuae Romanorum Pontificum. XLVII. 3. pag. 284.

SUFFRAGANEI Archiepiscoporum Utinensis, et Goritiensis designantur. L. 10. 11. pag. 304.

SUPELLEX Sacra Cardinalium defunctorum ad Sacellum Pontificium pertinet. *Constit. V.* per tot. p. 43.

V. *Sacellum.*

Supellex Sacra, et alia utensilia ad Divinum cultum in privatis Episcoporum, aliorumque Beneficia Ecclesiastica obtinentium Cappellis, destinata, neque sub spoliorum nomine, neque sub testandi facultatibus comprehenduntur, sed Ecclesiis, in quibus Beneficia obtinebant, omnino cedere debent, post eorum obitum. V. 9. p. 46. et LIX. 27. p. 370.

Supellectilem ejusmodi, eorum, qui Beneficia, aut Canonicatus in Basilica Vaticana obtinebant, potest Capitulum Vaticanum propria auctoritate apprehendere, etiamsi tempore obitus in Canonicatuum, et beneficiorum possessione amplius non fuerint. LIX. 27. pag. 370.

Supellectilem Sacram certis potissimum Ecclesiis legari convenit a Cardinalibus habentibus Indultum testandi de illa. V. 9. p. 46.

SUPERIORES Regulares. V. *Regulares.*

SUPERIORISSÆ Ordinis Fontebraldensis, Virginum Anglicanarum, et Magistrarum piarum, et Sanctarum. V. *Fontebraldensis. Anglicanae. Magistrae.*

SUPPLICATIO. V. *Processio.*

SUSPENSIO Indulgentiarum, et facultatum specialium absolvendi, dispensandi, etc. durante anno Jubilaei. XVIII. pag. 113. Indulgentias ab ea suspensione exceptas, et praeservatas, vide *ibid.* 1. Controversias autem antea vigentes, quae per eas exceptiones, aliasque Clausulas opportune appositas, sublatae sunt, vide in *Constit. XXI.* §. 23. 24. pag. 167. seqq.

A suspensione pariter exceptae fuerunt Facultates quaedam Praelatorum, ac Tribunalium, et aliorum. *d. Constit. XVIII.* §. 2. pag. 114. Item declaratum fuit, suspensas non esse facultates absolvendi, dispensandi, etc. in Urbe. XX. 35. pag. 139. Verum extra Urbem suspensas remanere alias omnes facultates hujusmodi, non solum concessas occasione, et intuitu Indulgentiarum, sed quocumque alio titulo, et causa concessas. *ibid.* 36. De quibus omnibus vide *Constit. XXI.* §. 25. ad 32. pag. 168. et 170.

Suspensionem aliarum Indulgentiarum, et Facultatum, occasione Anni Sancti, primus invexit Sixtus IV., eamque inseruit in Bulla Indictionis Jubilaei. XXI. 17. pag. 165. Sequentes autem Pontifices diversa ratione, et diversis formulis usi sunt, quas inspicere oportet, ut de suspensionis amplitudine recte judicetur. *ibid.* 29. etc. pag. 169.

Suspensio a Sixto IV. indicta, *ad suum, et Sedis Apostolicae beneplacitum duraturа*, numquam expresse revocata fuit, sed de virtuali revocatione dubitari non potest. *ibid.* 18. etc. p. 165.

SYMPHONIÆ in Ecclesiis receptae tolerantur, dummodo sint moderatae et decentes; et non fiant certis per annum temporibus. III. 13. pag. 25.

SYNODUM Dioecesanam licet Episcopi celebrent jure proprio, nec speciali ad id facultate indigeant, solent tamen plures eorum Apostolicae Sedis judicium super edendis Constitutionibus antea exquirere. *Append. N. IV. in 2. Brevi. ib.* 9. p. 447.

Synodum quomodo cogere debeat Vicarius Apostolicus Goritiae constitutus. *ibid.*

Ad Synodum Comaclensem vocari possunt Ecclesiastici Locorum a Praepositura Pomposiana dependentium, durante Vicariatu Apostolico in persona Episcopi Comaclensis. *Eodem N. IV. in ult. Brevi.*, §. 4. p. 450. seqq.

Synodus unica celebrari debet pro Dioecesibus Ecclesiarum Juvenacensis, et Terlitiensis invicem unitarum, et quidem prima vice in Ecclesia Juvenacen., deinde arbitrio Episcopi, XIV. 9. pag. 93. seqq.

T

TABULA Altari. V. *Altare.*

TAXA a Paulo V. statuta in sua Constitutione 72. observari debet a Judicibus, et Notariis Urbis, praesertim in causis criminalibus. VIII. cap. 3. §. 2. pag. 69. Palam in singulis Notariorum Officiis exposita retineri debet sub poenis etc. *ibid.*

Taxa statutaria causarum civilium attendenda est a Judicibus in exigendis emolumentis, aut sportulis in causis de damno dato. XXXVII. 16. 17. p. 245. seqq.

Taxa Ecclesiae Terlitien.

V. *Terlitien.*

TEMPLUM Domini tribus vicibus in anno adire jubebantur Judaei; eamque legem servavit etiam Christus Dominus. XIX. 2. p. 118.

Item ab alienigenis quoque frequentatum fuit et Salomon pro his etiam oravit. XIX. 2. pag. 118.

TERLITIENSES Archipresbyteri pluribus privilegiis gaudentes diuturnas lites agitarunt cum Episcopis Juvenacensibus, Loci Ordinariis. XIV. 2. 3. 4. p. 91. seqq.

Novissime Antonius Fioravante Archipresbyter, dimisso Archipresbyteratu in manibus Papae, proponit erectionem Ecclesiae Collegiatae Terlitien. in Cathedralem; idque consilium a Congregatione Consistoriali admittitur, consentiente Episcopo, et instante utriusque Siciliae Rege. *ibid.* 3. pag. 93.

Pontifex lites omnes ad se avocat, et extinguit. *ibid.* 6. Recenset Oppidi Terlitiensis, jampridem Civitatis nomine decorati, ejusque Collegiatae Ecclesiae, et Capituli, statum, ac praerogativas; *ibid.* 7. Collegiatam supprimit, eamque in Cathedralem erigit, et cum Cathedrali Juvenacensi aeque principa-

liter unit; eidem Episcopo regendam committit, ac jus nominandi personam utrique simul Ecclesiae in posterum praeficiendam Regi utriusque Siciliae reservat. *ibidem* 8. p. 94.

Peculiares hujusmodi unionis leges, ab Episcopo, et a duobus Capitulis respective servandas, quoad praecedentias, residentiam, deputationes Vicariorum Generalium, et Capitularium, celebrationem Synodi, electionem Examinatorum Synodalium, collationes Beneficiorum, etc. V. *ibid.* 9. seqq.

Terlitiensis Archipresbyteratus, olim Dignitas in Collegiata Ecclesia Principalis, supprimitur, et illius loco eriguntur in nova Cathedrali Ecclesia, duae Dignitates, nimirum Archidiaconatus, prima post Pontificalem, et Archipresbyteratus, secunda dignitas, cui injungitur Cura Parochialis; cum assignatione redditnum, et diversarum legum praescriptione. *ibid.* 10. 11. 12. p. 96. et 97.

Alia praescribuntur circa formam, officia, et facultates Capituli, et Canonicorum Terlitien. *ibid.* 13. etc. p. 98.

Provisio Dignitatum, Canonicorum, et Praebendarum in Ecclesia Terlit. *ibid.* 19. p. 100. seqq.

Terlitiensi Mensae Episcopali assignantur fructus Archipresbyteratus suppressi, cessante eorum reservatione temporaliter facta favore resignantis. *ibid.* 20.

Terlitiensis Ecclesia taxa fixatur, in Florenis XXXIII. cum duobus tertiis. *ibid.* 23. p. 101.

TERRITORIUM separatum Monasterii S. Rufilli Foripompilii, Basilicae Vaticanae uniti, judicialiter canonizatur, et auctoritate Apostolica confirmatur. LIX. 56. 57. pag. 382. 383. Idem quoad alia nonnulla Monasteria, et loca eidem Basilicae unita. *ibid.* 50. 57. pag. 379. et 383.

TERTIARIÆ subjectae sunt jurisdictioni Parochorum, in quorum Parochiis convivunt. XI. per tot. p. 84.

TERTIO Ordini Saeculari de Poenitentia, quem S. Franciscus instituit, plures Indulgentias concesserunt Romani Pontifices, aliasque aliis Ordinibus concessas, ad ipsum per communicationem extenderunt. XLI. 1. p. 287. Dubitatum fuit, an omnes, seu aliquae ex illis, revocatae essent a Paulo V. in praefinitione Indulgentiarum pro Regularibus. *ibid.* 2. 3. p. 287. seqq. Nonnulla dubia a Congregatione Indulgentiarum sublata fuerunt, sed aliae controversiae non deerant. *ibid.* Ideo Pontifex Tertio eidem Ordini plures Indulg. Plen. et non Plenarias, abrogatis aliis, concedit. *ibid.* 6. seqq. p. 288.

TERTIUM Ordinem etiam S. Franciscus de Paula instituit, S. Francisci Assisiensis exemplum fortassis secutus. LVI. pag. 346. Tertiariis quoque istis Indulgentiae speciales conceduntur. *ibid.* 3. 4. 5. seqq. p. 347.

V. *Indulgentia*.

TESTANDI facultas concedi solet S. R. E. Cardinalibus, etiam quoad bona ex Ecclesiasticis proventibus acquisita. V. 7. p. 45.

THESES in Sorbona defendendae nuper propositae sub titulo *Hierusalem Coelesti*, damnantur, LVIII. 1. pag. 360

THEATINUS Archiepiscopus concordiam iniit cum Capitulo Vaticano super Monasteriis, seu Abbatiis S. Martini *de Fara*, et S. Salvatoris *de Majella* Provinciae Theatinae, et quod jus in ea habeat. LIX. 50. p. 379.

THOMAS RUFUS Cardinalis Episcopus Ostiensis ac Velitranus sacri Collegii Cardinalium Decanus laudatur. XIX.******* p. 180.

Idem eligitur, ac deputatur Legatus a Latere nomine Pontificis ad aperiendam Portam Sanctam Basilicae S. Pauli. *ibid.*

THOMASIUS Cardinalis cantum planum, sublata musica, in sua Titulari Ecclesia servari jussit. III. 4. p. 19.

TITULUS SS Crucis in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem conservatur. XV. 5. p. 103.

TRICLINIUM Leonis III. a Benedicto XIV. restitutum est. *ibid.* 8.

TRIDENTINUM Concilium non derogavit Episcoporum juri, quo Sacella in Episcopalibus Aedibus habere possunt. XLVIII. 1. 2. pag. 287. seqq. Privilegiis *in corpore Juris clausis* saepe derogavit, sine expressa eorum mentione, sed contrarium simpliciter statuendo. *ibid.* 30. p. 295.

Ad TRIREMES damnati celeriter ad eas transmittendi sunt, eorumque nomina, et delicta per schedulas typis editas in locis publicis sunt exponenda, et Summo Pontifici exhibenda. VIII. cap. 1. §. 10. p. 65.

A Triremibus fugitivi, qui ad Ecclesiam, aliumve locum immunem se receperint, si damnati fuerant ob crimen haeresis, possunt ab Inquisitoribus extrahi propria auctoritate, certiorato, vel ante, vel post, Episcopo. XL. 5. pag. 256. Si damnati fuerint ob aliud delictum exceptum, extractio fiat Episcopi auctoritate, aliisque servatis servandis. *ibid.* Si autem delictum exceptum non fuerit, nec adsit Indultum Apostolicum pro eorum extractione, Immunitatis beneficio gaudebunt, etiamsi cum catenis effugerint; dummodo a ministrorum manibus liberi essent. *ibid.*

TURCÆ Albania potiti multa bona Ecclesiarum occuparunt: Christianis nonnulla vendiderunt, aut colenda dederunt. LVII. 2. p. 350. Injuste Christianos bonis in bello spoliarunt, ideo restituere tenerentur. *ibid.* 5. p. 351.

TUTELAM olim exercere mulieres non poterant. Postea matri, et aviae permissa est. LIV. 22. pag. 337. Mater praefertur aviae; sed matri Judaeae praeferenda videtur avia Christiana. *ibid.* 23.

TUTOR Judaeus quoad Impuberes baptizandos. *ibid.* 4. p. 329.

V. *Baptismus*, V. *Judaeus*.

Tutores possunt impuberes sub eorum tutela constitutos offerre statui monastico. *ibid.* 8. p. 332. Et ad Baptismum. *ibid.* 13. pag. 334. Patriae potestatis exercitium in eos transfunditur pro eo quod pertinet ad pupillorum educationem. *ibid.*

Tutoribus legitimis praeferuntur testamentarii, nisi hi suspecti sint. *ibid.* 24. p. 338.

Tutores suspecti, sive testamentarii sint, sive legitimi, repelluntur a tutela, et alii in eorum locum substituuntur Officio Judicis, seu Praesidis Provinciae. *ibid.* Suspectis accensentur, qui in praejudicium aeternae salutis pupilli, impedire conantur oblationem ab baptismum de eo factam a persona legitima. *ibid.*

V

VATICANÆ Basilicae reaedificandae consilium a Julio II. captum, Clemens VII. magnopere promovit. LIII. 1. pag. 326. Multa tum ipse, tum alii Pontifices statuerunt pro ejusdem Fabricae construtione, ampliatione, et conservatione. *ibid.*

V. *Fabrica*.

Vaticanae Basilicae, ejusque Archipresbyteri, Capituli, et Cleri praecipua Privilegia recensentur, confirmantur, et augentur. LIX. per tot. p. 361. seqq.

Vaticana Basilica, ejusque aedificia, Seminarium, Capitulum, et alii inservientes, Romano Pontifici immediate subjiciuntur. *ibid.* 4. pag. 362. Inde jurisdictioni ordinariae Archipresbyteri. *ibidem* 5.

Vaticana Basilica, si polluatur, a Canonico Altarista, aut Decano reconciliari potest. *ibid.* 8. pag. 363.

In Vaticana Basilica consecrandus, et coronandus Summus Pontifex. *ibid.* 16. pag. 367. Peragendae Beatificationes, Canonizationes. *ibid.* 20. 21. pag. 369. Nonnullae solemnes Processiones. *ibid.* 22. 23. Fidei professiones, haeresum damnationes, abjurationes, et similia ibidem alias peracta. *ibid.* 19. p. 368. Regum coronationes. *ibid.* 18.

Oblationes Regnorum Ecclesiae Romanae, et alia obsequii, et subjectionis argumenta, ibidem a viris Principibus praestita. *ibid.*

Vaticanae Basilicae, ejusque Sacrarii res et bona alienari, aut commodari prohibentur; eorumque conservationi diversimode consulitur. *ibid.* 28. ad 33. p. 371. seqq.

Vaticanae Basilicae quomodo aggregari possint Ecclesiae, et alia loca pia. *ibid.* 45. p. 377. Et quae Indulgentiae aggregatis concedantur. *ibid.* 46. pag. 378.

V. *Aggregatio Indulgentia*.

Vaticana Basilica plures Parochiales Ecclesias habet subjectas. *ibid.* 41. pag. 375. Quid de ipsius, et earum Vicariis Curatis. *ibid.* 40. seqq.

V. *Parochia*, *Vicarius*.

Vaticanae Basilicae plures Abbatiae, seu Monasteria unita sunt; *ibid.* 30. seqq. p. 379. et seqq.

V. *Abbatia*.

Vaticana Basilica a quinque Summis Pontificibus Rosae Aureae munere donata fuit. XLII. 6. p. 262. seqq.

VELA Statuae B. Mariae Virginis Lauretanae admovere, et obsignare ad quos pertineat. X. pag. 82. V. *Lauretana*.

VENETORUM Respublica in Aquilejensis Patriarchatus negotio, summa Religionis et Prudentiae laude se gerit. L. 3. p. 301. et *in Append. N. IV.* §. 6. p. 437.

VERDALA Hugo Jerosolymitanae Equestris Militiae M. Magister, et Cardinalis, Crucem albam Mozzettae assutam, tamquam proprium Ordinis sui habitum, Romae gestavit. *Suppl. num. II.* §. 18. pag. 460. Calumniis impetitus, victor evasit, et speciale numisma sibi cudi jussit. *ibid.* 16. p. 461.

VERONENSE Capitulum ex antiqui cujusdam Episcopi consensu immune est a jurisdictione Episcopali, et Aquilejensi Patriarchae subjectum. *Suppl. Num. IV.* §. 1. p. 464.

Veronensis ejusdem Capituli Canonicis conceditur usus Palmulae, vulgo *Bugia*, in Missis ubicumque. *ibid.* 3. Et Altare privilegiatum personale bis in hebdomada. *ibid.* 4. Et Oratorium domesticum in earum Villa *Angiari*. *ibid.* 5.

Veronenses Canonici iidem tenentur, non solum Choro interesse, sed etiam cum aliis canere, et psallere. *ibid.* 6. 7. Aliter non faciunt fructus suos, et ad restitutionem tenentur. *ibid.* 8. pag. 465. Et concessis privilegiis privantur. *ibid.* 10. Patriarchae Aquilejensi permittitur, ut eos ab antecedenti hujusmodi culpa, et restitutionis obligatione, per se, vel per alios absolvat, dummodo emendationem promittant. *ibid.* 9.

VESTES Piorum Operariorum quales esse debeant. LX. 6. p. 392.

Vestibus Choralibus uti possunt Capitulum, et Clerus Basilicae Vaticanae in Ecclesiis Basilicae filialibus. LIX. 38. p. 374.

VIA a Basilica Lateranensi ad S. Mariam Majorem quando, et a quo aperta. XV. 43. pag. 104.

VICARIAS perpetuas pro animarum cura in pluribus Urbis Basilicis, et Ecclesiis, atque adeo in Basilica Vaticana S. Pius V. instituit. LIX. 40. p. 375. et in Ecclesiis S. Blasii *della Pagnotta*, et S. Catharinae *de Rota*, *ibid.* 42. p. 376.

VICARII Apostolici ad regendas juxta necessitatem Ecclesias deligi, et opportunis facultatibus in-

strui consueverunt. *Append. Num. IV. in secund. Litt. Apostol.* §. 4. pag. 444. Deputantur semper *ad beneplacitum Pontificis, et Apostolicae Sedis,* nec ulli umquam facultas data est nominandi Vicarios Apostolicos. *In secund. Allocut. Pont.* §. 4. pag. 442.

Vicarius Apostolicus justis de causis in ea Aquilejensis Dioecesis parte, quae Austriaco dominio subest, constitutus fuit. *Append. Num. IV. In secund. Allocut. Pont.* §. 2. 3. 4. pag. 444. *Et in prim. Litt. Apost.* §. 1. 2. pag. 438.

Vicarius idem Charactere Episcopali insignitus fuit, cum Titulo Ecclesiae in partibus Infidelium sitae; et opportunis facultatibus instructus, quae recensentur, assignato ipsi residentiae loco, habitatione, et emolumentis. *Append. ead. in prim. Litt. Apost.* §. 2. pag. 438. *In secund. Litt. Apost.* §. 1. 3. pag. 441. seqq. *Et in secund. Allocut. Pont. ibid.* 6. p. 442.

Vicario eidem concessae fuerunt facultates Jurisdictionis, quae Patriarchae Aquilejensi, ut Ordinario in illa parte, non ut Metropolitano competebant. *In secund. Litt. Apost.* §. 4. seqq. pag. 444.

Vicarii hujus Apostolici regimen, et praecedentes ordinationes ad eam partem spectantes, pro qua constitutus fuerat, expirarunt, firmato novo Archiepiscopatu Goritiensi. L. 11. p. 304.

Vicarii Apostolici munus Episcopo Comaclensi tribuitur ad regendas Ecclesias, et loca inter eumdem Episcopum, et Praepositum S. Mariae de Pomposia controversa. *Append. num. IV. in ult. Litt. Apost.* §. 3. p. 449.

Vicario huic plures facultates tam Ordinis, quam Jurisdictionis conceduntur, quarum aliquas per suum Vicarium Generalem exercere potest. *ibid.* 4. 5. pag. 449. et 451. Sub quibusdam limitationibus quoad Beneficiorum collationem, et Concionatorum electionem. *ibid.* 6.

Vicarius idem in actibus respicientibus loca, pro quibus constituitur, debet, sub poena nullitatis, exprimere, se tamquam Vicarium Apostolicum procedere. *ibid* 8.

Vicariatus ejusmodi moderno Episcopo Comaclensi, ejusque Successoribus, ac etiam a Sede Episcopali vacante, Vicariis Capitularibus Comaclensibus, quantum his licet, attribuitur. *ibid.* 7. Duraturus ad beneplacitum Sedis Apostolicae, et donec principalis controversia extinguatur *ibid.* Ac sine ullo partium praejudicio. *ibid.* 8.

Vicarii Apostolici apud Sinas, et Japoniam.

V. *Missionarii.*

Vicarius Capitularis, et Vicarius Generalis Terlitiensis.

V. *Terlitien.*

VICARIUS Urbis, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, certos Confessarios designat pro Anno Jubilaei, quibus extraordinariae facultates a Summo Pontifice tribuuntur. XX. 2. p. 183.

VICARIUS Curatus Basilicae Vaticanae a quo, et quomodo nominandus, approbandus, et in possessionem immittendus sit. LIX. 40. pag. 378. Ejus congrua sustentatio, juxta transactionem inter ipsum, et Capitulum Vaticanum factam, stabilitur. *ibid.*

Vicarii Curati Ecclesiarum Sancti Lazari apud Montem Marium, et S. Angeli extra Portam Fabricae deputandi sunt a Capitulo Vaticano, amovibiles, et a Cardinali Vicario approbandi, et a jurisdictione Parochi Sancti Petri exempti sunt. *ibid.* 41.

Vicarii Curati perpetui Ecclesiarum S. Blasii *della Pagnotta,* et S. Catharinae *de Rota* a Capitulo Vaticano sunt eligendi, ex approbatis a Cardinali Vicario, ejusque praeter emolumenta stolae, congrua sustentatio statuta est. *ibid.* 42. p. 376.

Vicarius Curatus amovibilis Ecclesiae S. Jacobi *a Scosciacavalli* ab Archiconfraternitate Sanctissimi Sacramenti nominandus, Literas patentes a Capitulo Vaticano impetrare debet: et quae sit ejus congrua. *ibid.*

Vicarii Ecclesiarum Basilicae Vaticanae subjectarum, debitam subjectionem eidem Basilicae exhibere, multis in ea peragendis functionibus interesse, et Sacrum Infirmorum Oleum ab iis recipere tenentur, *ibid.* 44. p. 377.

Vicarii Curati Ecclesiarum Parochialium in territorio Abbatia S. Salvatoris *de Majella,* quod Basilicae Vaticanae unitum est, a Capitulo sunt deputandi. LIX. 30. pag. 379.

Vicarii Curati in territoriis aliarum Abbatiarum ad eamdem Basilicam spectantium, amovibiles sunt ad nutum Capituli. *ibid.* 32. pag. 381. *Et latius* §. 61. p. 385.

VICARIUM Foraneum in nova Civitate Pergulae Episcopus Eugubinus constituere debet, Laurea Doctorali insignitum. LXI. 6. p. 394.

Vicario huic multae in causis civilibus tribuuntur facultates, quae recensentur. *ibid.* Et in causis criminalibus. *ibid.* 7. 8. p. 395. Majores facultates addere potest Episcopus Eugubinus. *ibid.* 10. pag. 396.

Vicario eidem emolumentum a quo taxandum, et solvendum. *ibid.* 12.

VICARII GENERALES a Capitulo Vaticano constituti pro Abbatiis quibusdam ipsi unitis, exequi possunt omnes Literas Apostolicas, et Commissiones a quocumque Urbis Tribunali expediendas pro subditis illarum Abbatiarum. LIX. 39. p. 384. seqq. Hujusmodi Literae omnes, et Commissiones dirigendae sunt Vicariis ipsis. *ibid.*

VIGILIA celebranda est eo die, qui Festum immediate praecedit, nisi fuerit dies Dominicus. XXXVIII. 10. p. 280.

Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistae si in so-

lemnitatem Corporis Christi incidat, in praecedentem diem anticipatur, quin ulla Virgiliae mentio in Officio, aut in Missa fiat. *ibid.* 5. pag. 249. Idem, quoad jejunium servatur, si aliqua vigilia in diem Dominicum, aut in Festum Sancti Patroni alicujus loci incidat, et quare. *ibid.* 6. 7.

Vigiliam S. Mathiae Apostoli Innocentius III. statuit, sed antea a quibusdam observabatur. *ibid.* 10. pag. 250. Anno 1751. justis de causis indultum est, in Civitatibus ditionis Ecclesiasticae, ut eadem Vigilia in postremum Bachanaliorum diem incidens, in Sabbatum Sexagesimae anticiparetur. *ibid.* 11. 12. pag. 250. et 251.

Vigiliam an possint transferre Episcopi in suis Dioecesibus. *ibid.* 8. seqq. pag. 250.

VIRGINIS Anglicanae. V. *Anglicanae*.

VISITATIONES quatuor Basilicarum Anno Sancto quot vicibus a Romanis, et ab aliis fieri debeant pro obtinenda Indulgentia Jubilaei. XXI. 69. seqq. pag. 183. Qui ad hunc effectum dicendi sint Romani. XX. 44. pag. 138.

Visitationes eaedem faciendae essent post fructuosam Confessionem, vel saltem post actum Contritionis, sed non est in rigore necessarium. XXI. 73. seqq. pag. 185. Devote tamen peragendae sunt. *ibid.* 76. pag. 186.

Visitationes ipsae, superveniente indulto, quomodo statuenda, et peractae quomodo computandae. XX. 30. pag. 138. et XXI. 82. pag. 189. Ab his Visitationibus quos, et quomodo Poenitentiarii dispensare possint. XX. 20. 21. pag. 133.

Visitationes eaedem non sunt necessario iterandae ab eo, a quo iteranda Confessio est. XXI. 79. pag. 188.

Visitatio quatuor Ecclesiarum fieri potuit, vel ab una ad aliam mediam noctem, vel a Vesperis diei praecedentis, usque ad subsequentis diei vespertina crepuscula. XVII. 6. pag. 109. et XXI. 12. 13. pag. 163. et 164. et XXVI. 2. pag. 202. Visitationes autem quo ordine fieri possint. XX. 49. 50. p. 138. et XXI. 9. p. 163.

VISITATIONI EPISCOPI subsunt Curati etiam Regulares in his, quae pertinent ad curam animarum, ejusque rectum, et utile exercitium, et administrationem Sacramentorum. LI. 5. p. 322. seqq.

Visitare Conservatoria Virginum Anglicanarum, sine praejudicio jurium Episcopalium, potest etiam earum Superiorissa Generalis. VII. 16. 17. pag. 87. seqq. quemadmodum Domus Magistrarum Piarum, et Magistrarum Sanctarum visitantur ab earum Superiorissis Generalibus. *ibid.* 22. pag. 89.

Visitatio Pastoralis injungitur Vicario Apostolico Goritiae ad tempus constituto, per universam regionem ipsius curae demandatam, cum onere referendi omnia ad Sedem Apostolicam. *Append. Num. IV. in* 2. *Litt. Apost.* §. 3. pag. 444. seqq.

VISITATIO CARCERUM in Urbe, seu Congregatio ad eam peragendam deputata, ab Alexandro VI. instituta fuit; eique Congregationi sequentes Pontifices amplissimas facultates tribuerunt; sed certam procedendi methodum minime praescripserunt. VIII. cap. 2. §. 1. p. 68.

Pontifex visitationem ordinariam Carcerum Innocentiani, et Capitolini alternatim fieri jubet qualibet Feria V., designatis personis, quae assistere debent, et praescripto sedendi ordine. *ibid.* 4. ad 8. pag. 63. Quid potissimum inquirere, ac respective decernere debeant, quoad carceratos pro causis criminalibus, statuit; *ibid.* cap. 2. 9. ad 12. p. 67. Quoad carceratos pro causis civilibus. *ibid.* 13. p. 68.

Hujus visitationis Secretarius perpetuo constituitur Procurator Pauperum a Congregatione Charitatis deputatus. *ibid.* 7. p. 66.

Extraordinariam vero visitationem per designatas etiam Personas semel in mense fieri mandat, ad dignoscendum quomodo tractentur Carcerati in iis, quae ad victum, et munditiem pertinent, etc. *ibid.* 15. 16. pag. 68.

Denique visitationem gratiosam per Visitatores in ordinaria visitatione locum habentes bis in anno de more fieri praescribit. *ibid.* 17.

UNDE VI, Interdictum.

V. *Interdictum*.

UNIONES Monasteriorum a Pio IV. factae favore Basilicae Vaticanae, ob titulum onerosum, eximuntur a Quindenniorum solutionibus. LIX. 53. pag. 382. et 60. p. 385.

VOCALIS ORATIO, tanquam opus injunctum, requiritur pro lucrando Jubilaeo. XX. 51. p. 138.

VOLUNTAS legitimi domini rerum mobilium in bello injusto ab Infidelibus raptarum, praesumitur esse, ut a Fidelibus recuperentur, ita ut ipse libenter eas ab emptoribus recipit, soluto pretio, seu quantum interest, LVII. 15. p. 353. et 17. p. 354. Non ita quoad fundos immobiles, quorum dispersionis periculum non adest, et quorum ipse possessionem quandocumque recuperare intendit. *ibidem* 17.

VOTA alia sunt solemnia, alia simplicia. Ex his aliqua Sedi Apostolicae reservata sunt, quae recensentur. XXI. 41. 42. p. 174.

Vota solemnia fiunt emittendo Professionem in aliqua Religione approvata. *ibid.* et VII. 13. p. 85.

Vota, quae emittuntur a Virginibus Anglicanis, simplicia dumtaxat dici debent, utpote non facta in Religione approbata. VII. 13. 14. p. 85. et 86.

Vota simplicia, etiam jurejurando confirmata, quomodo a Poenitentiariis, et Confessariis Anno Sancto commutari dispensando possint. XX. 8. pag. 134. et XXI. 45. etc. pag. 174. et XXIII. 8. p. 197. et XXVI. 4. pag. 203. Quomodo vota perpetuae ca-

stitatis, et Religionis a Mulieribus emissa. XX. 9. 10. pag. 154. Quomodo intelligatur facultas *commutandi dispensando* vota. XXI. 45. seqq. p. 175. seqq.

Voti vinculum an arctius dicendum sit, quam juramenti. *ibid.* 43. p. 174.

Vota a tertio acceptata, seu in quorum observantia alicujus interesse agitur, non possunt a Poenitentiariis commutari Anno Jubilaei. XX. 32. pag. 156. Neque vota a peccatis praeservativa, nisi subrogatis aliis cautelis, quibus aeque peccata hujusmodi arceantur. *ibid.* et XXI. 66. p. 182. Vide etiam *Constit. XXVI.* 4. p. 203. seqq.

Votum Castitatis ab Equitibus Jerosolymitanis est absolutum, non ita illud, quod ab Equitibus aliorum Ordinum Militarium emittitur. *Suppl. N. II.* §. 6. p. 488. seqq.

Votum emissum a Beata Joanna Francisca de Chantal faciendi semper quidquid perfectius esse cognosceret. LII. 1. p. 324.

Votum Jephte V. *Jephte.*

Votum consultivum, vel decisivum quinam habeant in Congregationibus Gubernii Urbis super causis criminalibus. VIII. cap. 1. §. 6. 7. pag. 63. et 64. Et in Visitatione Carcerum Ordinaria. Cap. 2. § 7. pag. 66. Et in Congregationibus Criminalibus habendis super causis quatuor locorum feudalium Populi Romani. XXXIV. 1. sub *N. IX.* p. 230.

Votum consultivum in Congregatione particulari Fabricae D. Petri habet Oeconomus, et Judex Ordinarius ejusdem Fabricae. LIII. 7. p. 328.

URBANI VIII. Constitutio de abolendis Jesuitissis non fuit abrogata per approbationem Instituti Virginum Anglicanarum, sed in suo vigore perseverat. VII. 3. seqq. p. 52.

URBINATENSIS Ecclesiae Canonicis, et Dignitatibus a Benedicto XIII. concessum fuit, ut in solemnibus functionibus, etiam praesente Episcopo, aut Legato de Latere, possent in Civitate, ac Dioecesi, uti Mitra, aliisque indumentis ad instar Abbatum usum Mitrae habentium. LV. 1. pag 343. Haec concessio nimis ample interpretata fuit in praejudicium dignitatis Archiepiscopalis. *ibid.*

Urbitanensi nuper instante Archiepiscopo, Sacra Rituum Congregatio, XIII. Dubiis propositis, et resolutis, abusus omnes sustulit, approbante Pontifice. *ibid.* 2 seqq.

URNA MARMOREA, sive Sarcophagum ubi Ossa Sancti Joannis de Matha Institutoris Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum jacuerant, una cum epigraphe analoga donationis titulo traditur Michaeli a S. Josepho ministro generali ejusdem Ordinis. I.° p. 9.

Praecipitur eidem Michaeli, ut illud transmittat in Hispanias, utque ibi denuo reponantur Ossa ejusdem Sancti Joannis. *ibid.*

USUCAPIO an dominium rei furtivae parere possit. LVII. 23. pag. 357. seqq.

UTINENSIS Archiepiscopatus, suppresso Patriarchatu Aquilejensi; erigitur, eique Dioecesis, et Suffraganei assignantur. L. 10. pag. 304. Jus nominandi Archiepiscopum tribuitur Reipublicae Venetae. *ibid.* 12.

VULNERATOR. V. *Homicida.*

WARMIENSIS, ac Sabiensis Ecclesiae canonicae unitae, immediate subjectae sunt Sedi Apostolicae. *Suppl. Num. I.* §. 3. pag. 486.

Warmiensis, et Sambiensis Episcopus est Princeps Sacri Romani Imperii. *ibid.* Episcopo eidem Pallii usus, et Crucis praeferendae facultas conceditur, sub quibusdam conditionibus. *ibid.*

WART, Maria, Jesuitissarum Fundatrix.

V. *Maria Wart.* V. *Jesuitissae.*

Z

ZANI, Paulus, Nobilis Bononien. et intimus Cubicularius Pontificis, ab eo Bononiam ablegatur, ad deferendam Rosam Auream, Ecclesiae Metropolitanae dono missam. XLII. 6. pag. 262.

ZELOSUS Ordinis Minimorum, idem ac Procurator Generalis. Ad ejus instantiam certae Indulgentiae conceduntur pro Chordigeris, et Tertiariis S. Francisci de Paula. LVI. 1. p. 346.

ZENOPOLITANUS Episcopus laudatur. Ejus votum, ut Summus Pontifex Presbyteris Latinis in Russia Polonica degentibus facultatem concedat celebrandi Missam super Graecorum Antimensiis. XLIII. 2. p. 272.

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

BULLARIUM

TOM. III.

IN QUO CONTINENTUR

CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ ETC.

ALIAQUE EDITA AB INITIO ANNI XIII. PONTIFICATUS

USQUE AD TOTUM

EJUSDEM PONTIFICATUS ANNUM XVIII.

CUM APPENDICE

Addita et altera Appendice eorum omnium, quae in diem usque Obitus prodierunt, summo studio collecta, atque disposita.

PARS SECUNDA.



PRATI

IN TYPOGRAPHIA ALDINA

MDCCCXLVII.

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

BULLARIUM

TOM. III.

PARS SECUNDA.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONSTITUTIONES, EPISTOLAE ETC.

ERECTIO

Archiepiscopalis Metropolitanae Ecclesiae GORITIENSIS, constitutis omnibus, quae Ecclesiam ipsam, Capitulum, utriusque Mensam, provisionem vel collationem beneficiorum Officiorumque respiciunt.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam,

SACROSANCTÆ Militantis Ecclesiae gubernacula, quae copiosus in misericordia Deus, et in cunctis suis gloriosus operibus, ad hoc Nobis, meritis quamvis imparibus, committere, et debilitati nostrae magnum Apostolicae servitutis jugum imponere voluit, ut tanquam de summo vertice montis ad hujus mundi infirma reflectentes intuitum, quid pro hujusmodi Ecclesia illustranda, ad Fidei Orthodoxae propagationem, Divinique cultus augmentum conferat, quidque animarum Christifidelium saluti quomodolibet conveniat, attentius prospicere non omittamus, demandata tenentes, et propterea causis dissidiorum, quae inimicus homo suggerit, per suppressionis, et extinctionis Ecclesiarum, etiam Patriarchalium, fontium et originum dissidiorum hujusmodi ministerium, penitus eliminatis, Apostolica auctoritate, qua fungimur in hac parte, earum loco novas Ecclesias Metropolitanas, pro Dominiorum diversitate, ne Fideles ipsi inibi degentes in recidivae contentionis scopulum relabantur, erigimus, aliaque desuper disponimus, prout rationabiles causae, et pia sublimium Principum vota exposcunt, temporumque, locorum, et personarum qualitatibus et circumstantiis matura deliberatione pensatis, ad Omnipotentis Dei, ejusque Gloriosissimae Genitricis Virginis Mariae laudem et gloriam, ac ejusdem Militantis Ecclesiae honorem, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sane etc. *Sequitur narratio suppressionis Patriarchatus Aquilejensis, ejusque Dioecesis, et Provinciae divisio in duos Archiepiscopatus; quibus vide Constit. L. Tom. III. pag.* 300., ac alias prout in Literis nostris Apostolicis Pontificatus Nostri anno undecimo desuper expeditis plenius et uberius continetur. Nos propterea Erectioni Archiepiscopatus Goritiensis hujusmodi modum, et formam imponere, eamdemque erectionem per Nos, ut praefertur, factam, Apostolica auctoritate praefata confirmare cupientes, quique dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam Beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeret, et in unionibus semper commissio fieret ad Partes, vocatis quorum interest; motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, in dicta Civitate Goritiensi valde conspicua, et in sui amplitudine circuitus duorum milliarum, et ultra, in qua Civitate Goritiensi, ejusque suburbiis, plures, ut pariter accepimus, reperiuntur Ecclesiae, videlicet Presbyterorum Regularium Societ. Jesu cum publico Gymnasio, ac Fratrum Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci, et Cappuccinorum, et Carmelitarum discalceatorum nuncupatorum, praeter duo Monialium Monasteria, unum sub Sanctae Clarae, alterum vero sub Sanctae Ursulae respective Regulis, et tres utriusque sexus Christifidelium Confraternita-

Spectabiles Urbis Goritiensis qualitates, ob quas Archiepiscopalis Sedis digna.

tum Ecclesiae, scilicet Sanctissimi Sacramenti, et Sanctorum Angelorum Custodum, et Sancti Joannis Nepomuceni nuncupati, nec non Ecclesia Fratrum Misericordiae nuncupatorum, ut jure meritō Archiepiscopalis Civitatis nomine nuncupari valeat, Parochialem Ecclesiam Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti, cum ei annexis altera Parochiali Ecclesia de Salcano nuncupata Goritien., ac perpetuo simplici Beneficio Ecclesiastico sub invocatione Sanctae Annae in Parochiali, seu alia Ecclesia dictae Civitatis Goritiensis, quae, sicut etiam accepimus, de Jurepatronatus Laicorum Nobilium, et Illustrium, videlicet praefatae Mariae Theresiae Reginae, ex fundatione, vel dotatione existit, et quam quondam cognominatus Comes Coronini primodictae Parochialis Ecclesiae Rector, dum viveret, obtinebat, quaeque per obitum dicti cognominati Comitis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, ad praesens vacat, sive, ut praefertur, sive alias quovis modo etc. Illiusque Titulum collativum, ac denominationem, naturam, et essentiam Parochialis Ecclesiae collativae, ita quod ex nunc illa collativa esse desinat, et de caetero uti talis in Titulum Collativum conferri, aut impetrari, vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones hujusmodi nullae et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, nullique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant, eadem Apostolica auctoritate, de consensu praefatae Mariae Theresiae Reginae, perpetuo supprimimus, et extinguimus: Illisque sic suppressis, et extinctis eamdem Parochialem Ecclesiam Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti, in sua structura valde elegantem, et ob ejus pulchritudinem, ac praecipue septemdecim marmoreorum Altarium in ea existentium magnificentiam, dignam proptorea ut titulo, et honore Archiepiscopalis Ecclesiae decoretur, ad laudem, et gloriam Omnipotentis Dei, ac Beatae Virginis Mariae, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, necnon Fidei Catholicae exaltationem, et totius Ecclesiae militantis gloriam, in Archiepiscopalem, et Metropolitanam Ecclesiam Goritiensem nuncupandam, et in ea Archiepiscopalis, et Metropolitani Praesulis Goritiensis Sedem, et Provinciae caput, pro uno deinceps Archiepiscopo Goritiensi, qui Pallii, et Crucis usum aliorum Archiepiscoporum more habeat, cum suis Capitulo, Sigillo, Arca, Mensa Archiepiscopali, omnibusque aliis insigniis Archiepiscopalibus, nec non privilegiis, honoribus, et praerogativis Archiepiscopis debitis, et concessis, ac juribus, jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, et indultis realibus, et personalibus, et mixtis, quibus aliae Metropolitanae Ecclesiae, earumque Praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, seu ex indulto, aut privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, similiter perpetuo erigimus, et instituimus, ac nomine, titulo, et honore Archiepiscopali, et Metropolitano decoramus, necnon pro tempore existentem Ecclesiae praefatae Goritiensis Praesulem in Archiepiscopum declaramus, eique, ut ipse caetera singula, prout Metropolitanis in eorum Civitatibus, Dioecesibus, et Provinciis a Jure indultum extitit, facere, exercere, et administrare, et exequi possit, eadem auctoritate concedimus, et indulgemus.

Parochialis Ecclesia Exaltationis S. Crucis, et S. Viti una cum aliis supprimitur, et extinguitur

Eaque erigitur in Ecclesiam Archiepiscopalem, et Metropolitanam, cum omnibus juribus

§. 2. Praeterea eidem Ecclesiae Goritiensi Ecclesias Episcopales Tridentinam, ac Tergestinam, et Petinensem, necnon Comensem, Patriarchatus olim Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressi, et extincti suffraganeas, ac Ven. Fratres Nostros modernos, ac pro tempore existentes earum respective Episcopos, pro Archiepiscopi Goritiensis pro tempore existens suffraganeis, qui tanquam membra Capiti eidem Archiepiscopo Goritiensi Jure Metropolitico subsint: Ita quod Archiepiscopus Goritien. pro tempore existens praefatus, in Tridentina, ac Tergestina, ac Petinensi, necnon Comensi Civitatibus, et Dioecesibus, Jus Metropoliticum sibi vindicet, necnon Tridentina, ac Tergestina, et Petinensis, ac Comensis Ecclesiae praefatae eidem Archiepiscopo, et Metropolitano Goritien. ad omnia, et singula teneantur, et sint adstrictae, ad quae Suffraganei suis Metropoliticis Ecclesiis, et Metropolitanis tenentur, et obligati sunt, ut judicentur juxta Canonicas Sanctiones; Ac eidem Archiepiscopo Goritiensi praefatos suos Suffraganeos consecrandi, ad Provinciales Synodos evocandi, ac cum eis etiam Ecclesiastica negotia terminandi, et causas quarumcumque appellationum, sive querelas, alias ad eum tamquam Metropolitanum, juxta Decreta Concilii Tridentini devolutas, ac alias juxta Sacrorum

Assignantur Ecclesiae suffraganeae, quas jus Metropoliticum obtineat.

Canonum statuta spectantes, cognoscendi, omniaque alia, et singula quaecumque, quae de jure, vel consuetudine, aut alias quovis modo ad Archiepiscopos, et Archiepiscopale munus spectare, et pertinere solent, et debent, gerendi, faciendi, et exercendi, plenam, et omnimodam auctoritatem, concedimus, et facultatem.

ia desi-
ur Go-
isis Pro-
iemem-

§. 3. Provinciae quoque Goritiensis Clerum, et Populum universum, ac omnia Loca, Ecclesias, et Monasteria, ac Oratoria, et pia Loca, necnon Confraternitates a parte Imperii existentes olim praefato Aquilejensi Patriarchatui per Nos, ut praefertur, suppresso, et extincto subjecta, et subjectas, pro eorumdem Ecclesiae, et Archiepiscopi Goritien. Provincialibus, pariter perpetuo concedimus, et assignamus, ac deinceps perpetuis futuris temporibus praefatas Tridentinam, et Tergestinam, ac Petinensem, necnon Comensem Ecclesias, dictae Ecclesiae Goritien. Suffraganeas censendas, ac tam eas, quam illarum Civitates, et Dioeceses respective universas, sub ipsas Provincia Goritiensi comprehensas, et nullatenus ab ea exemptas, nec dictae Sedi Apostolicae immediate, neque ulli alteri, nisi tantum Goritien. Ecclesiae, et illius Archiepiscopo praefatis, quoad Archiepiscopalia, Metropolitica, ac Provincialia Jura, et Jurisdictiones, subjectas esse, et fore, dicta auctoritate declaramus. Pro residentia vero, et habitatione Archiepiscopi Goritien. pro tempore existentis praefati, in eadem Civitate Goritien. Domum conspicuam, et mobilibus decenter instructam, cum suis Cappella, necnon viridario, et vinea propinquis, seu annexis, et ad hunc effectum a pia liberalitate quondam tunc in humanis agentis Augustini Codelli, dum viveret, donatam, et destinatam, concedimus, et assignamus.

rchie-
pales
i.

§. 4. Utque eadem Parochialis Ecclesia Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erecta, ex omni parte perfectior reddatur, condignoque Capitulo, et Canonicorum, et Dignitates in ea obtinentium, ac Mansionariorum numero condecoretur, in ea unam Praeposituram, quae inibi post Pontificalem major, ac de infrascripto Jure nominandi Regio semper existat, pro uno presbytero dictae Parochialis Ecclesiae Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritien., ut praefertur, erectae Praeposito, qui illius Capituli, ut infra erigendi, caput existat, et in Choro, Capitulo, Processionibus, caeterisque functionibus, et Actibus Capitularibus publicis, et privatis dictae Ecclesiae, praeeminentiam, et primum locum habeat, et unum Decanatum, qui secunda, quemque pro tempore obtinens Praepositus ad Sanctum Stephanum denominari debeat, attento quod in Gradiscae Territorio quaedam Ecclesia olim Filialis Ecclesiae Patriarchalis Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et exstinctae, titulo Praeposituae decorata reperitur, pro uno Clerico, seu Presbytero futuro dictae Ecclesiae Decano, et unum Primiceriatum, qui Tertia, Dignitates inibi respective existant, quemque pro tempore etiam obtinens Abbas Belinge, seu de Belluna, vel Bulegna denominari similiter debeat, attento quod in eodem Gradiscae Territorio quaedam Ecclesia pariter olim Filialis praefatae Ecclesiae Aquilejensis Titulo Abbatiae decorata reperitur; pro uno Clerico, seu Presbytero futuro dictae Ecclesiae Primicerio; ac quinque Canonicatus, totidemque Praebendas, pro totidem Clericis, seu Presbyteris futuris in ea Canonicis; ac seu Mansionariatus, pro sex Presbyteris futuris in ea Mansionariis; ac unam et alteram perpetuas sine cura Cappellanias, pro duobus Presbyteris ut infra nominandis, qui tamen in Patriarchali Ecclesia Aquilejensi, per Nos, ut praefertur, suppressa et extincta praefata, pro celebratione infrascriptarum Missarum remanere debeant; cum Capitulo, Stallo, Mensa Capitulari, Arca, Bursa, et Sigillo communibus, ac omnibus et singulis aliis Capitularibus signis et Insigniis, alii Metropolitanis Ecclesiis, earumque Capitulis de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen ex Indulto, seu privilegio particulari, competentibus, quique Praepositus, ac Decanus, et Primicerius, necnon Canonici praefati, Capitulum inter se constituant, et tam ipsi, quam Mansionarii praefati apud dictam Ecclesiam personaliter residere, ac in ea singulis diebus, et debitis temporibus Horas Canonicas, ac Missam Conventualem seu Majorem semper pro Benefactoribus applicandam, caeteraque Divina Officia solita et consueta, cum debita mentis attentione, servataque Ecclesiastica disciplina, ac infrascriptis ordine et praecedentia omnino servatis, videlicet quod Praepositus semper primum,

Ordo praecedendi, incumbentia Onera.

ilulum
va Me-
litana
itatibus
anonicis
itutum,
ion Man-
riae, a-
e tituli
ntur.

ac Decanus secundum, ac Primicerius tertium locos habeant, deinde juxta antianitatem quinque Canonici, et successive etiam juxta antianitatem seu Mansionarii praefati succedant, qui Mansionarii nunquam de gremio Capituli censeri debeant, minusque vocem, aut votum in Capitulo, ac sessionibus Capitularibus habere valeant, sed ultra Ecclesiae servitium Ferialibus diebus, Canonicis, ac dignitates in ea obtinentibus, omnes vero Archiepiscopo Goritiensi pro tempore existenti, prout in Cathedralibus, et Metropolitanis Ecclesiis practicari solet, inservire teneantur, psallere, decantare, recitare, et respective celebrare, et alias dictae Ecclesiae in Divinis laudabiliter deservire debeant et teneantur, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus, et instituimus. Illisque sic erectis et institutis pro Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis praefatae Parochialis Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti Ecclesiae in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem ut praefertur erectae, nec non Archiepiscopatus, et Praeposituraе, ac Decanatus, et Primiceriatus, ac quinque Canonicatuum, totidemque Praebendarum, nec non sex Mansionariatuum, ac unius et alterius Cappellaniarum, ut praefertur, erectorum, et erectarum hujusmodi, respective dote, illumque, ac illos, et illas pro tempore respective obtinentium congrua sustentatione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, omnia et singula fructus, redditus, proventus, Jura, obventiones, et emolumenta universa ex infrascriptis Monasterio, ac Parochialibus Ecclesiis, et Beneficiis, ut infra, supprimendis et extinguendis, et fundationibus, seu legatis piis, etiam ut infra, applicandis; ita tamen, ut Archiepiscopo Goritiensi sexmille sexcenti, ac Praeposito, praeter infrascriptae Domus habitationis usum, mille, et Decano octingenti, ac Primicerio sexcenti, singulis vero ex quinque Canonicis quadringenti et quinquaginta, ac singulis ex sex Mansionariis pro tempore existentibus praefatis, biscentum, nec non singulis ex duobus Cappellanis praefatis centum et quinquaginta floreni monetae currentis in ditionibus Austriacis, annuatim assignentur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, et appropriamus: Ita quod liceat futuris Archiepiscopo Goritiensi, ac Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et quinque Canonicis, nec non Mansionariis praefatae Ecclesiae in Archiepiscopalem, ut praefertur, erectae pro tempore existentibus, illarum et illorum omnium fructuum, reddituum, proventuum, Jurium, obventionum, et emolumentorum hujusmodi, veram, realem, et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum, ac dictarum Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis nominibus, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, ac in eorum, et Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis hujusmodi usus et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita.

Et praebendales redditus unicuique assignantur, ac definiunt.

§. 5. Praeterea Monasterium Abbatiam nuncupatum Sancti Petri de Rosacio Ordinis S. Benedicti olim Aquilejen. Dioecesis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, cujus fructus, redditus, et proventus, ad trecentos trigintatres florenos auri, cum uno tertio alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae, ut etiam accepimus, taxati reperiuntur, quodque Dilectus similiter Filius Noster Angelus Maria praefatae S. R. E. Cardinalis Quirinus nuncupatus modernus Episcopus Brixiensis in Commendam ad sui vitam ex concessione, et dispensatione Apostolicis ad praesens obtinet, ac in similem Commendam ex pari concessione Apostolica ad vitam obtineri consuevit, ex nunc prout ex tunc, et cum primum illud per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, dicti Angeli Mariae Cardinalis et Episcopi, aut alias quovis modo ex ejus persona, Commenda praefata cessante, vacare contigerit, etiamsi etc., firmo remanente titulo Commendae hujusmodi, in duas partes, seu duas deinceps Commendas per Nos ut infra erigendas, quorum una, quae redditus ex bonis in Austriaca ditione consistentibus in summa florenorum mille et centum monetae praefatae, ut pariter accepimus, ad praesens habet, Goritiensis, altera vero, quae redditus ex bonis in Veneto dominio existentibus etiam ad praesens habet, Utinensis respective Dioecesis denominari, ac primodicta Goritiensi, secundo dicta vero Commendae ut infra erigendae, Utinensi Archiepiscopis pro tempore existentibus, et non aliis personis in Commen-

Divisio Commendae Monasterii Sancti Petri de Rosacio nuncupat. in duas Commendas, quarum duobus Archiepiscopis Goritien., cum suis respective fructibus perpetuo concedunt.

dam Apostolica auctoritate praefata concedi, et assignari debeant, dividimus, et separamus, et respective in unam, et alteram Commendas Ordinis, et Denominationis, seu Tituli ejusdem Monasterii S. Petri de Rosaccio, ut praefertur, divisas, et separatas, quae tamen noviter in libris Camerae Apostolicae praefatae, habito respectu ad earum respective fructus, taxentur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus, et instituimus.

ue Dioe-
assi-
tur Mo
eria, et
mendae.

§. 6. Declarantes nihilominus unam Abbatiam Belinge, seu de Belluna, vel Bulegna, et alteram Praeposituram Sancti Stephani, respective nuncupatas Ecclesias supradictas, in praefato territorio Gradiscae, ut praefertur, existentes sub Dioecesi Goritiensi praefata, versaque vice Monasterium Abbatiam nuncupatum Sancti Galli de Mozio, seu Mosacen. praefati Ordinis Sancti Benedicti, cujus fructus, reditus, et proventus ad trecentos florenos auri similes in libris ejusdem Camerae Apostolicae, ut pariter etiam accepimus, taxati reperiuntur, quodque dictus Daniel praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Patriarcha Delfinus nuncupatus, ac Monasterium, Abbatiam etiam nuncupatum, S. Mariae de Sexto, praefati Ordinis S. Benedicti, ejusdem Aquilejensis respective Dioecesis, per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, ac cujus fructus, reditus, et proventus ad biscentum sexaginta florenos auri pares in eisdem libris praefatae Camerae Apostolicae, ut similiter accepimus, taxati reperiuntur, et quod Dilectus pariter Filius Noster Hieronymus praefatae S. R. E. Cardinalis Columna nuncupatus, in Commendam, ad eorum respective vitam, ex concessione, et dispensatione Apostolicis ad praesens respective obtinent, quaeque in similem Commendam ex pari concessione Apostolica ad vitam obtineri consueverunt, sub Dioecesi Utinensi deinceps respective comprehendi debere; quodque futuri Capitulum, et Canonici Ecclesiae Utinensis per Alias Nostras Literas in Archiepiscopalem, et Metropolitanam Ecclesiam erigendi, imposterum teneantur, et obligati existant, vice summae vigintisex Ducatorum auri de Camera cum tribus quartis alterius ducati similis, conficientium scuta quadragintasex et obulos octoginta monetae Romanae, singulis quindenniis, Officialibus Cancellariae Apostolicae, ratione unionis perpetuae Parochialis Ecclesiae S. Pauli de Lovaino olim Aquilejensis Dioecesis, necnon ratione alterius unionis perpetuae Thesaurariae, praefatae Patriarchalis olim Ecclesiae Aquilejensis Dignitatis, inibi non tamen post Pontificalem majoris existentis, eidem Patriarchali Ecclesiae, seu illius mensae Patriarchali, aut Capitulari pariter, per nos, ut praefertur, suppressis, et extinctis alias Apostolica auctoritate respective factarum, ad alteram, solutiones summae sexaginta unius ducatorum auri similium, cum tribus quartis alterius ducati paris, conficentium summam centum et octo scutorum monetae praefatae, et obulorum quinque ejusdem monetae, eisdem Cancellariae praefatae Officialibus etiam singulis quindenniis respective debitorum, respective faciendas.

solutio-
quinden-
rum op-
tune sta-
tur.

§. 7. Considerantes itaque dignum esse, quod in praefata Ecclesia Goritiensi, ut praefertur, erecta, usque ab ejus exordio pro Christifidelium ad eam concurrentium commoditate aliquis major Missarum celebrandarum numerus reperiatur; quodque in olim Patriarchali Ecclesia Aquilejensi per Nos, ut praefertur, suppressa et extincta, ob exiguum Presbyterorum inibi remanentium numerum, solita anniversaria celebrari nequibunt, decernimus, quod imposterum celebrentur, ut prius, ab infrascriptis Presbyteris, ut infra nominandis, quotannis Missae privatae quingentae et sexaginta, videlicet etc. etc. Sequentia vero Anniversaria per eosdem pro tempore existentes Capitulum et Canonicos praefatae Ecclesiae in Archiepiscopalem Goritiensem, ut praefertur, erectae, quotannis, seu et per praefatos Mansionarios celebranda, ad eam Apostolica Auctoritate praefata transferimus, videlicet etc. etc.

Onera Missarum et Anniversaria in suppressa Patriarchali relicta, ubi et quomodo adimplenda.

§. 8. Praeterea Parochialem Ecclesiam, Sanctae Mariae de Romans nuncupatam, Goritien., quae sicut similiter accepimus, de eodem Jurepatronatus Laicorum Nobilium et Illustrium, videlicet praefatae Mariae Theresiae Reginae, ex fundatione, vel dotatione existit; quaeque per obitum quondam Joannis Baptistae Caterini, dum viveret, illius Rectoris, qui extra dictam Curiam diem clausit extremum, ad praesens vacat, sive ut praefertur, sive alias quovis modo etc., illiusque titulum collativum, ac denominationem, naturam, et essentiam Parochialis Ecclesiae collativae, ita quod ex nunc collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum conferri, aut impe-

Parochialis patronata Ecclesia S. Mariae de Romans supprimitur.

trari non possit, et si illam deinceps conferri, aut impetrari, vel alias de illa dispositioni contigerit, collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones hujusmodi, nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, nullique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant, eadem Apostolica auctoritate, de consensu praefatae Mariae Theresiae Reginae, etiam perpetuo supprimimus, et extinguimus, illamque sic suppressam et extinctam, una cum omnibus, et singulis secundodictae Parochialis Ecclesiae bonis, rebus, et proprietatibus, illorumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis, cujuscumque nominis, naturae, speciei, qualitatis, et quantitatis existant, eisdem Mensis Archiepiscopali, et respective Capitulari praefatae Parochialis Ecclesiae Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erectae: ita quod liceat futuris Archiepiscopo, ac illius Capitulo, et Canonicis, eorum, ac utriusque Mensae hujusmodi respective nominibus, omnium, et singulorum secundodictae Parochialis Ecclesiae, ut praefertur, suppressae et extinctae bonorum, rerum, proprietatum, fructuum etc. possessionem etc. apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus etc. percipere, exigere, levare, ac in eorum, et utriusque mensae hujusmodi usus, et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita; supportatis tamen per futuros Archiepiscopum, ac capitulum, et Canonicos praefatos, omnibus et singulis secundodictae Parochialis Ecclesiae, ut praefertur, suppressae, et extinctae oneribus, dicta Apostolica auctoritate, de simili consensu praefatae Mariae Theresiae Reginae modernae et unicae secundodictae Parochialis Ecclesiae Patronae praefatae, pariter perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

Et una cum omnibus fructibus, et proventibus Archiepiscopali, et Capitulari Mensae unitur.

§. 9. Et insuper, ne cura animarum dilectorum quoque filiorum Parochianorum tam primodictae Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur erectae, quam secundodictae, ut praefertur, suppressae, et extinctae Parochialium Ecclesiarum hujusmodi, aliquod in ejus exercitio, caeterisque ejusdem muneribus, oneribus, et obligationibus, patiantur detrimentum, unam in primodicta, ac alteram in secundodicta Parochialibus Ecclesiis hujusmodi Vicarias perpetuas, pro uno, et altero Presbyteris saecularibus, futuris primo et secundodictarum Parochialium Ecclesiarum hujusmodi Vicariis perpetuis, per dictam Mariam Theresiam Reginam, ejusque Filios, et Descendentes nominandis, et ab Ordinario loci ad curam animarum exercendam approbandis, atque in dictis Vicariis ad nominationem hujusmodi per ipsum Ordinarium instituendis, qui Vicarii sic in illis instituti, apud primo et secundodictas Parochiales Ecclesias hujusmodi personaliter respective residere, ac curam animarum Parochianorum praefatorum laudabiliter exercere, eisque Ecclesiastica Sacramenta administrare, aliaque onera primo et secundodictis Parochialibus Ecclesiis hujusmodi quomodolibet incumbentia, subire et adimplere, prout Rectores primo et secundodictarum Parochialium Ecclesiarum hujusmodi pro tempore existentes facere debebant, et tenebantur, similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia, etiam debeant, et teneantur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus; illisque sic erectis et institutis, pro illarum respective congrua et competenti dote, illasque pro tempore obtinentium congrua sustentatione, et onerum illis incumbentium supportatione, ex fructibus dictarum mensarum Archiepiscopalis et Capitularis respective, summam futuris Vicariis praefatis ab eodem Ordinario loci juxta Sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini praefati Decretorum, nec non Constitutiones Pii Papae V. etiam praedecessoris Nostri, super declaratione assignationum Vicariis perpetuis faciendarum editae dispositionem, quotannis assignandam, et per futuros Archiepiscopum, ac Capitulum, et Canonicos Goritienses praefatos persolvendam, Apostolica auctoritate praefata, etiam perpetuo applicamus, et appropriamus.

Curae animarum utriusque Parochiae, tam suppressae quam in Metropolitanam erectae cumulate consulitur.

§. 10. Et, quia, sicut etiam accepimus, alias, videlicet de anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo octogesimo sexto, quondam tunc in humanis agens Vitus Gullini Presbyter, in ejus postremo, sub quo ab humanis decessit, elogio, nonnulla ejus bona, quorum redditus ad praesens ad valorem annuum duorum millium florenorum monetae illarum partium, ut pariter accepimus, ascendunt, intuitu erectionis Cathedralis Ecclesiae Goritiensis

Alia Archiepiscopalis, Capitularis Mensae accessio ex suppressione Beneficii simplicis.

reliquit, et deinde de anno praefati Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, bonae memoriae Sebastianus Antonius, dum viveret, praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Tanarius nuncupatus, tunc dictae Sedis Apostolicae Nuncius Viennae commorans, ex bonis a praefato Vito, ut praefertur, relictis, unum simplex, et personalem residentiam non requirens Beneficium Ecclesiasticum in Parochiali, seu alia Ecclesia Civitatis Goritiensis praefatae, juxta decretum Congregationis tunc existentium praefatae S. R. E. Cardinalium Decretorum dicti Concilii Tridentini Interpretum, erexit et fundavit: Nos provide considerantes, attenta erectione Archiepiscopalis Ecclesiae Goritiensis hujusmodi per Nos, ut praefertur, facta, piam praefati Viti intentionem, et fundationem suum plenarium effectum jam consequutam esse, Beneficium, ut praefertur, ad tempus destinatum, erectum, et fundatum hujusmodi, non obstante quovis dissensu, seu obstaculo moderni illius Titularis, praevia illius tituli collativi, quatenus opus sit, perpetua suppressione et extinctione, una cum omnibus et singulis illius bonis, fructibus, redditibus, proventibus, juribus obventionibus, et emolumentis universis, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, Mensis Archiepiscopali, et respective Capitulari praefatis, supportatis, tamen per futuros Archiepiscopum, et capitulum, et Canonicos Goritienses omnibus et singulis dicti Beneficii, ac praesertim unius Missae privatae, quam per dictos futuros Capitulum, et Canonicos in suffragium animae praefati Viti quotannis celebrari mandamus, oneribus, pariter perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

dos Ar- piscopa- Ecclesiae ita, et e confi- la.

§. 11. Insuper ex praefatis dismembrationibus, et suppressionibus, ac respective unionibus, et applicationibus, per Nos, ut praefertur, factis, certam, et fixam dotem, tam Archiepiscopalis, quam Capitularis Goritien. Mensarum hujusmodi destinare intendentes, pro tempore existenti Archiepiscopo Goritiensi, in computum praefatorum sex millium sexcentorum florenorum annuorum pro ejus manutentione, ut praefertur, assignatorum, redditus Patriarchalis Ecclesiae praefatae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, ad quatuor mille et quadrigentos florenos hujusmodi annuatim, ut similiter accepimus, ascendentes; ac ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam dictum Monasterium Sancti Petri de Rosacio ex persona praefati Angeli Mariae Cardinalis, et Episcopi quovis modo, illius Commenda praefata, ut praefertur, cessante, vacare contigerit, ejusdem Monasterii S. Petri de Rosacio fructus, redditus, et proventus ex bonis in Austriaca Ditione existentibus provenientes, et ad summam mille centum florenorum monetae illarum partium etiam annuatim, ut pariter accepimus, ascendentes; ac etiam quibus Patriarchatus Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressus, et extinctus, illiusque Patriarcha pro tempore existens a parte Imperii fruebatur, in summa quadringentorum sexaginta quatuor florenorum similium annuorum; necnon redditus secundodictae Parochialis Ecclesiae S. Mariae de Romans, ut praefertur, suppressae et extinctae, ac etiam, ut praefertur, unitae, annexae, et incorporatae, ad sexcentos florenos similiter annuatim, ut etiam accepimus, ascenden., similiter perpetuo concedimus, et assignamus. Et quamvis ad complendam integram summam dictorum sex millium et sexcentorum florenorum monetae praefatae pro Congrua Archiepiscopi Goritiensis pro tempore existentis praefati assignatorum, trigintasex floreni similes annuatim deficiant; nihilominus eadem summa, ut praefertur, assignata, tamquam integra computari debebit, tum quia bona, ut par est, diligenter, administrata, majores producere poterunt redditus, tum etiam quia pro tempore existens Archiepiscopus Goritiensis praefatus exemptus semper erit a solutione quindenniorum Sedi Apostolicae praefatae Capitulo, et Canonicis Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae antea solvi solitorum, pro bonis nonnullorum Monasteriorum illius Mensae Capitulari alias unitorum, ad quorum solutionem Capitulum et Canonici Ecclesiae Goritiensis, ut praefertur, erectae pro tempore existentes praefati, ex nunc imposterum tenebuntur, et obligati existent. Quibus itidem pro eorum particulari dote, onerumque eis pro tempore incumbentium supportatione, infrascriptos redditus, ad summam octo millium ducentorum et quatuor florenorum dictae monetae annuatim, ut pariter accepimus, ascendentes, scilicet florenos mille et quingentos ex praefata Parochiali Ecclesia Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti, ut praefertur, suppressa et ex-

Quanta itidem dos Capitularis Mensae et quomodo inter Dignitates, et Canonicos, reliquosque Mansionarios, et Cappellanos partienda.

tincta, et in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erecta; ac florenos bismillo ex praefato Beneficio pariter, ut praefertur, suppresso, et extincto; ac florenos quatuormille ex bonis haereditariis dicti quondam Augustini Codelli, licet bona haereditaria hujusmodi, ex dispositione praefati Augustini, pro erectione Episcopatus, seu Cathedralis Ecclesiae Goritiensis relicta fuerint, necnon florenos similes septingentos quatuor ex communibus redditibus Capituli, et Canonicorum olim Ecclesiae Patriarchalis Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, annuatim respective provenien.; et quemcumque alium fundum, quatenus existat, pro dote, et annuo adimplemento Missarum, et Anniversariorum destinatum, etiam pariter concedimus et assignamus. Cum hoc tamen, quod administratione omnium bonorum hujusmodi apud Capitulum, et Canonicos praefatae Ecclesiae Goritiensis pro tempore existentes praefatos remanente, teneantur ipsi Capitulum et Canonici, ex illorum redditibus subministrare annuatim florenos mille praeposito, qui etiam fruatur habitatione domus ab eodem quondam Vito Gulini, ut similiter accepimus, relictae, ac octingentos Decano, et sexcentos Primicerio, ac quadringentos quinquaginta cuilibet ex quinque Canonicis praefatis, ac ducentos cuilibet ex sex Mansionariis hujusmodi, necnon centum quinquaginta florenos similes cuilibet ex duobus presbyteris Cappellanis nuncupandis, qui praeter Sacristam, annuos redditus trecentorum florenorum similium separatim habentem, inservient, et insimul Missas celebrabunt in antiqua Patriarchali Ecclesia Aquilejensi per Nos, ut praefertur, suppressa et extincta, semper tamen Sedi Apostolicae praefatae immediate subjecti, et Delegato Apostolico, prout ordinatur in praefatis Nostris Literis Apostolicis incipientibus — *Injuncta Nobis* — Pridie nonas Julii, Pontificatus Nostri anno undecimo, ut praefertur, expeditis.

Quae reliqua est summa, in quos usus erogenda.

§. 12. Et quia juxta supradictum computum, annuatim superabundare videntur mille sexcentiquatuor Floreni similes, isti erogari debebunt in adimplementum onerum Missarum, et Anniversariorum translatorum, et ut superius ordinatorum, inter quas Missas una annuatim private celebranda erit in suffragium Animae praefati quondam Viti Gulini, necnon in manutentionem praefatae Ecclesiae Aquilejensis, per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, ac novae Ecclesiae Archiepiscopalis Goritiensis, pro medietate cum Archiepiscopo Goritiense pro tempore existente, et pro salariis Ministrorum, aut alterius occurrentis solutionis, onerum, et similiter pro prompta, et integra satisfactione quindenniorum praefatae Sedi Apostolicae debitorum pro praefato Monasterio de Belinga, seu Belluna, vel Bulegna, ac dicta Praepositura ad Sanctum Stephanum, praefati Territorii Gradiscae in Austriaco dominio, mensae Capitulari praefatae Ecclesiae Patriarchalis Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, alias unitis, videlicet Florenos auri de Camera septuagintaduos, et solidos novem pro eodem supradicto Monasterio de Belinga, seu Belluna, vel Bulegna, eorumdem Fratrum Nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegio, qui ad monetam Romanam reducti conficiunt summam centum vigintinovem scutorum dictae monetae, et obulorum octoginta duorum, singulis quindenniis; et Cancellariae Apostolicae Officialibus septuaginta quinque Ducatorum auri de Camera hujusmodi, qui sunt in moneta Romana praefata scuta centumviginti septem, et obuli septuaginta quinque; necnon Camerae Apostolicae Florenos vigintinovem, qui conficiunt summam scutorum quinquagintaduorum dictae monetae; itaut in totum debeantur in decursu annorum quindecim scuta trecenta novem, et obuli septuagintaduo cum dimidio alterius obuli paris; et ulterius praefatae Cancellariae Apostolicae Officialibus, pro praefata Praepositura ad Sanctum Stephanum Gradiscae, ut supra, unita singulis pariter quindenniis, ducatos auri de Camera similes centum et tres, qui conficiunt summam centum octoginta scutorum dictae monetae, et obulorum vigintiquinque; itaut ambabus dictis partitis computatis, pro tempore existentes Capitulum, et Canonici praefatae Archiepiscopalis Ecclesiae Goritiensis per Nos, ut praefertur, erectae tenebuntur, et obligati erunt solvere singulis quindenniis scuta quadringenta octoginta novem, et obulos nonaginta septem praefatae monetae, quae singulis annis repartita, quolibet anno costituunt summam scutorum trigintaduorum, et obulorum sexaginta sex cum dimidio alterius obuli similis.

Concessio facultas Capitulo con

§. 13. Praeterea eisdem futuris, et pro tempore existentibus Ecclesiae Goritiensis Ar-

...li, refor-
...ndi, ac
...rigendi
...ata pro
...monica
...orum ad-
...istratio-
...et Eccle-
...servitio.

chiepiscopo, Capitulo, et Canonicis, et Dignitates praefatas obtinentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae Ecclesiae Goritiensis, ac illius Mensae Capitularis, Sacristiae, et Fabricae, earumque rerum, et bonorum tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique statu, regimine, gubernio, et directione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, Missarum, Horarum Canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque Divinorum Officiorum, Processionum, Funeralium, et Anniversariorum celebratione, ac de Dignitatibus, Canonicatibus, et Praebendis, ac Mansionariis praefatis, aliisque Ministeriis Ecclesiasticis, inibi pro tempore providendorum receptione, et admissione, personali residentia, distributionum etiam quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque repartitione, et amissione, poenarum per absentes a Divinis Officiis, et Functionibus, suis loco, tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione, atque incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, Caeremoniis, et Functionibus in praefata Ecclesia, illiusque Choro, Capitulo, Processionibus, et aliis actibus servandis, necnon praefatae Ecclesiae Ministris deputandis, et amovendis, salariis, et stipendiis, eorum cuilibet assignandis, ac quibusvis aliis rebus, in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis, quaecumque Statuta, Ordinationes, Capitula, et Decreta, licita tamen et honesta, et sacris Canonibus, ac praefati Concilii Tridentini Decretis, et Constitutionibus Apostolicis non contraria, concedere, et edere, conditaque, et edita, pro temporum, et rerum varietate et qualitate, mutare, limitare, corrigere, declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, seu alia de novo etiam ex integro concedere, et per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contrafacientes statuendis, observari facere, libere, et licite valeant, plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus et impertimur.

...ec Dignita-
...tus et Ca-
...nicis Cap-
...ae Magnae,
...ansionariis
...tem Almu-
...e usis.

§. 14. Ulterius futuris praefatae Ecclesiae in Archiepiscopalem, ut praefertur, erectae Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et quinque Canonicis, necnon sex Mansionariis praefatis, eorumque in Praepositura, et Decanatu, et Primiceriatu, ac singulis Canonicatibus, et Praebendis, necnon sex Mansionariatibus hujusmodi successoribus respective pro tempore existentibus, ut ipsi Praepositus videlicet, ac Decanus, et Primicerius, ac quinque Canonici praefati, Cappam magnam violacei coloris cum pellibus Armellinis subsutam, et Rocchettum; Mansionarii vero praefati Almutiam, tam in praefata Ecclesia in Archiepiscopalem, ut praefertur, erecta, quam extra eam, et tam in Processionibus, quam aliis actibus, et functionibus quibuscumque publicis, et privatis, etiam extra Civitatem Goritiensem praefatam, ac ubique locorum, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, Generalibusque Conciliis, ac etiam in praesentia dictorum Venerabilium Fratrum Nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium de Latere Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et Ordinarii etiam proprii, ac aliorum quorumcumque, ac etiam in ipsius Ecclesiae Choro, et Capitulo, quibusvis anni temporibus, et diebus, deferre et gestare, illisque respective uti libere, et licite valeant, et possint.

Universa denique jura caeterus Capitulis quomodolibet competentia.

§. 15. Eisdem quoque Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et quinque Canonicis, necnon sex Mansionariis pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi eorumque Officiales, ac Ministri, ac res, bona, proprietates, et jura quaecumque, omnibus et singulis tam spiritualibus, quam temporalibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, quibus aliarum similium Archiepiscopalium, et Metropolitanarum Ecclesiarum illarum Partium Capitula, Dignitates, Canonicatus et Praebendas, ac Mansionariatus in eis obtinentes, eorumque Officiales, et Ministri, ac bona, jura, res, et proprietates, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex Indulto, seu privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, aut uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et pariformiter, ac aeque principaliter, et ubique, absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque Canonibus, et praefati Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus

Apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite etiam possint, et valeant, perinde ac si eis nominatim, et expresse concessa fuissent, eadem Apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et indulgemus.

Jus nominandi ad Metropolitanam Ecclesiam, Dignitates, Canonicatus Mansionariatus, et Cappellanias reservatur favore Reginae Hungariae, ejusque Filiorum, et Descendentium.

§. 16. Et insuper, attentis praefatae Mariae Theresiae Reginae peculiaribus meritis, dum ipsa pro erectione novae Archiepiscopalis Ecclesiae Goritien. hujusmodi, consensum praestitit unioni Beneficiorum aliquot Ecclesiasticorum de suo jure-patronatus existentium, ac considerabilibus muneribus, et donativis eidem Archiepiscopali Ecclesiae Goritiensi per eam factis, sperantes etiam quod in posterum, pro ejus singulari liberalitate, alia similia, aut majora facere possit, eidem Mariae Theresiae Reginae, ejusque Filiis, et Descendentibus, Jus nominandi ad praefatam Archiepiscopalem Ecclesiam tam hac prima vice, a primaeva illius erectione et institutione per Nos, ut praefertur, factis, Pastoris solatio destitutam, quam deinceps, quoties eam pro tempore quomodolibet, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam praefatam, etiam Pastoris solatio destitui contigerit, Personam idoneam, per Nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, ad nominationem hujusmodi, eidem Ecclesiae Goritiensi in Archiepiscopum praeficiendam, necnon ad Praeposituram, et Decanatum, et Primiceriatum, et quinque Canonicatus et Praebendas, ac sex Mansionariatus praefatos, necnon ad unam, et alteram perpetuas Cappellanias in praefata Ecclesia Patriarchali Aquilejensi per nos, ut praefertur, suppressa, et extincta, pro celebratione Missarum, et Anniversariorum praefatorum, inibi per unum et alterum Presbyteros, Cappellanos nuncupandos, obtinendas, destinatos, et ut praefertur, erectos et erectas hujusmodi, quandocumque, et quotiescumque illos, et illas de caetero, quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, etiam Nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiam tunc viventium, Familiaribus, et continuis Commensalibus, seu praefatae Romanae Ecclesiae et Curiae Officialibus, aut alias reservationem, et affectionem inducentibus, seu per liberas, etiam ex causa permutationis, resignationes de illis in Romana Curia praefata, etiam in Nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, vel extra eam quomodolibet, respective factas et admissas, aut assequutionem aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, seu illos et illas pro tempore respective, obtinentium in aliquo ex mensibus Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti praefato, ac eidem Sedi Apostolicae reservatis, non tamen per obitum apud Sedem eamdem, decessum, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, Religionis ingressum, et professionis in ea emissionem, Matrimonii contractum, aut alias quomodocumque, et qualitercumque vacare contigerit, personas itidem idoneas, in Praepositura per Nos, ut praefertur, erecta praefata, quovis modo, et in quibusvis mensibus pro tempore vacante, per Ordinarium Loci; in Primiceriatu vero, ac singulis quinque Canonicatibus, totidemque Praebendis, ac sex Mansionariatibus, necnon una et altera Cappellaniis per Nos, ut praefertur, erectis hujusmodi, non tamen in infrascriptis sex mensibus pro tempore vacan., neque in dicto Decanatu quovis modo, et in quibusvis mensibus etiam pro tempore vacante, etiam per eumdem Ordinarium Loci respective instituendas, simili Apostolica auctoritate pariter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus; necnon Jus nominandi hujusmodi tam ad dictam Ecclesiam Goritiensem, quam ad Praeposituram, et Decanatum, et Primiceriatum, et quinque Canonicatus, totidemque Praebendas, et sex Mansionariatus, ac unam et alteram Cappellanias per Nos, ut praefertur, erectas et erectos hujusmodi, Regium existere, eidemque Mariae Theresiae Reginae, ejusque Filiis, et Descendentibus praefatis, semper et perpetuo competere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem Juris nominandi Regii hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praegnantissimis, et efficacissimis clausulis, et decretis, in quacumque dispositione etiam per viam Constitutionis, Legis, Regulae Cancellariae Apostolicae, aut alias quomodocumque facta, nullatenus comprehendi, neque illi ullo umquam tempore, et ex quavis causa derogari posse, neque debere, ac collationes, provisiones, et quasvis alias dispositiones de Praepositura, et Decanatu, ac Primiceriatu, et quinque Canonicatibus, to-

tidemque Praebendis, ac sex Mansionariatibus, necnon una et altera Cappellaniis, ut praefertur, erectis hujusmodi, absque ipsius Mariae Theresiae Reginae, ejusque Filiorum, et Descendentium praefatorum consensu, seu nominatione, pro tempore factas, processusque desuper habendos, et inde sequenda quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi, nec jus, aut coloratum titulum possidendi cuiquam per illa tribui posse decernimus.

ando ex-endae Literae stolicae, um qui-expres-ibus.

§. 17. Cum hoc tamen, quod quoties praefatam Ecclesiam Goritiensem Pastoris solatio destitui, ac Decanatum praefatum quovis modo, et in quibusvis mensibus, praefatum vero Primiceriatum, ac quinque Canonicatus, totidemque Praebendas, et sex Mansionariatus, ac unam et alteram Cappellanias, ut praefertur, erectos et erectas hujusmodi, in sex mensibus, scilicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, et Novembris, Sedi Apostolicae praefatae juxta Concordata Germaniae reservatis, vacare contigerit, ad illam, et illos, ac illas nominatio hujusmodi, Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus tantum fieri debeat, et ad illos, et illas respective, ut praefertur, pro tempore nominati, Literas Apostolicas, cum expressione tamen fructuum tam Decanatus, quam Primiceriatus, ac quinque Canonicatuum, totidemque Praebendarum, necnon sex Mansionariatuum, et unius, et alterius Cappellaniarum hujusmodi, in vigintiquatuor ducatis auri de Camera hujusmodi, juxta stylum Germaniae, expedire teneantur; ad Ecclesiam praefatam vero Goritiensem pro tempore etiam nominati pariter Literas Apostolicas expedire, ac jura praefatae Camerae Apostolicae, et aliis propterea debita, juxta taxam, quae ab eorumdem Cardinalium Collegio praefato, habito respectu ad praesentes redditus Mensae Archiepiscopalis Goritiensis praefatae, necnon ad aliam taxam correspondentem redditibus a praefato Monasterio Sancti Petri de Rosacio, ut praefertur, dismembratis, et pro tempore existenti Archiepiscopo Goritiensi assignatis, in summa septingentorum florenorum auri hujusmodi, statuta fuit, et quam in eadem summa in Libris Camerae Apostolicae praefatae describi volumus; et in qua taxa florenorum septingentorum, comprehendi debeat taxa Communis dicti Monasterii Sancti Petri de Rosacio Goritiensis Dioecesis, quae ab Archiepiscopis Goritiensibus pro tempore, utpote in provisione Ecclesiae Archiepiscopalis solvenda, in Literis Apostolicis Commendae ejusdem Monasterii desuper expeditis persolvi non debebit, persolvere similiter teneantur.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 18. Praesentes quoque Literas semper et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, nec ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris vel facti, aut gratiae vel justitiae remedium impetrari posse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Sedem Apostolicam praefatam, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et sub quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, pro tempore factis, et faciendis, comprehendi, vel confundi, sed tamquam ad Fidei Catholicae exaltationem, Divinique Cultus incrementum, et animarum aedificationem, et solatium, factas, et emanatas, semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per futuros, et pro tempore existentes Archiepiscopum, et Capitulum, ac Canonicos Goritienses praefatos, ac alios, quorum favorem eaedem praesentes Literae quomodolibet concernunt, quandocumque eligenda, concessas, validasque fore et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere: et sic ab omnibus censeri, et ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, et quoslibet alios quavis praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quodam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Aliter judicari prohibetur.

irritum et inane Motu pari similiter decernimus etc. etc. etc.

Derogatio contrarii.

§. 19. Non obstantibus priori voluntate Nostra praefata, ac piae memoriae Bonifacii Papae Octavi etiam praedecessoris Nostri de una, et Concilii Generalis de duabus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis vigore praesentium ad judicium non trahatur, ac quibusvis aliis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Nostris et Cancellariae Apostolicae praefatae Regulis, de jure quaesito non tollendo, ac de gratiis ad instar non concedendis, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones, et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac quatenus opus sit, primodicti Monasterii, et Ordinis praefati, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Superioribus, et Personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam pluries, et iteratis vicibus concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis, necnon praefata ultima dicti quondam Augustini Codelli voluntate, et dispositione. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita, et peculiaris forma servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validitatis effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, ac latissime et plenissime harum quoque serie, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, contrariis quibuscumque etc.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, perpetuae suppressionis, extinctionis, erectionis, concessionis, dismembrationis, separationis, assignationis, unionis, declarationis, applicationis, annexionis, incorporationis, facultatum impartitionis, indulti, juris nominandi, reservationis, et extensionis, decreti, mandati, et commissionis, collationis, provisionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, Quartodecimo Kalendas Maij, Pontificatus Nostri Anno XII.

Dat. 18. Aprilis.

Expedita in Cancellaria Apostolica.

PRIVILEGIA

II.

Et Indulta concessa Confraternitati Sanctae Mariae *de Succursu contra Infideles* in Civitate Januae erectae ampliantur, et declarantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificia munificentia in Societate divinum cultum, et proximorum utilitatem promoventes. Indultum Confratribus jam concessum vescendi ovis, et lacticiniis certis Quadragesimae diebus.

Pias Christifidelium Societates Omnipotentis Dei cultum per assidua Religionis obsequia, simulque Proximorum utilitatem, per impensa Charitatis officia promoventes, Apostolicae liberalitatis favoribus, et gratiis libenter cumulamus, ac etiam Indulta, et Privilegia semel ipsis concessa ampliamus, et declaramus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

§. 1. Cum itaque alias a Nobis emanaverint Literae in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, quarum initium est « *Attendentes* » favore Confratrum piae Sodalitatis Beatae Mariae Virginis *de Succursu contra Infideles* nuncupatae in Civitate Januensi canonice erectae, in quibus, inter alia illius Confratribus tunc et pro

tempore existentibus concessa Privilegia, et Indulta, hoc etiam continetur, quod Confratres praedicti in Januensi Ditione, et Dominio commorantes, et eleemosynas juxta Confraternitatis hujusmodi Statuta prompte contribuentes, seu alia pia opera in Statutis ipsis contenta et expressa adimplentes, Privilegio vescendi ovis, et lacticiniis, diebus Dominicis, et quibuslibet secundis, tertiis, et quintis Feriis cujuslibet Hebdomadae Quadragesimae, exceptis tamen Dominica in Palmis, et Hebdomadae Majoris respective nuncupatis diebus, ac servata lege jejunii, et unica comestione in die, uti possent, et valerent, prout in enunciatis Literis distinctius continetur.

otenditur omnes dragesi- dies, ser- tamen jejunii.

§. 2. Cumque, sicut nuper pro parte Dilectorum Filiorum modernorum dictae Congregationis Confratrum Nobis expositum fuit, non tam ipsorum majori solatio, quam ipsius Confraternitatis progressibus magnopere proficuum fore censeatur, si Nos privilegium, seu Indultum hujusmodi, ad alios omnes Quadragesimae dies ampliare, et extendere dignaremur: Nos, qui ejusdem Confraternitatis utilitatem, ac etiam augmentum sinceris desideramus affectibus, illius Confratres praedictos, eorumque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus pro eorum parte Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et Apostolicae potestatis plenitudine, supradictum Privilegium, seu Indultum, Ovis, et Lacticiniis certis Quadragesimae diebus vescendi, eidem Confraternitati, ejusque Confratribus, ut praefertur, concessum, non solum confirmamus, et approbamus; Verum etiam ipsis modernis, et pro tempore existentibus ejusdem Confraternitatis Confratribus praedictis, in Reipublicae Januensis Ditione, et universo Dominio tantum commorantibus, non tamen illis, qui Archiepiscopi, Episcopi, et inferiores Praelati, nec non cujusvis Regularis Ordinis Professores, et quoad Ecclesiasticos saeculares, qui ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promoti respective sint et fuerint, nisi hujusmodi Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, aliique Ecclesiastici Regulares, et Presbyteri Saeculares, sexagesimum aetatis annum compleverint, ut ipsi et eorum singuli, omnibus tam Dominicis, quam ferialibus diebus Quadragesimae, etiam Dominica in Palmis, et per Hebdomadam Majorem nuncupatam, iisdem Ovis, et Lacticiniis vesci, servatis tamen in singulis Feriis jejunii legibus, et unica tantum comestione in die, libere et licite possint et valeant, praesentium tenore etiam perpetuo concedimus, et indulgemus.

Privilegium seligendi Confessarium, qui a Reservatis S. Sedi absolvat.

§. 3. Quia vero ad aures Nostras, non sine animi nostri molestia, fide dignorum relatione delatum fuit, aliud Indultum, seu Privilegium in dictis prioribus Literis Nostris contentum, per quod videlicet concessum fuit, ut singuli dictae Confraternitatis Confratres Presbyterum quemlibet Confessarium ab Ordinario Loci respective approbatum eligere possint, qui unumquemque eorum a peccatis reservatis etiam Sedi Apostolicae, bis in ipsorum vita, et in eorumdem mortis articulo absolvere valeat, ita ab aliquibus intelligi et interpretari, ut singuli Confratres praedicti, novam singulis annis adscriptionem eidem Confraternitati, juxta illius Statuta, obtinentes, duabus vicibus inter unam, et alteram adscriptiones hujusmodi, hoc est duabus vicibus in singulos annos, absolutionem a casibus reservatis, et quidem non solum Sedi Apostolicae praedictae, sed etiam Ordinariis Locorum respective reservatis, sine eorumdem Ordinariorum licentia, solo dictarum Literarum Nostrarum vigore, recipere possint: Nos interpretationes hujusmodi, tam rectae disciplinae perniciosas, quam etiam Nostrae menti, ac voluntati contrarias, de medio tollere volentes; Motu proprio, ac certa scientia, earumdem praesentium tenore edicimus et declaramus, Nostrae mentis, ac voluntatis nunquam fuisse, nec esse, ut praedictae Confraternitatis Confratres, vigore dictarum Literarum Nostrarum, extra mortis articulum, plusquam duabus vicibus in toto ipsorum vitae decursu, quantumvis pluries eidem Confraternitati se adscripserint, Privilegio praedicto, sibi concesso, eligendi videlicet Confessarium, qui eos a casibus reservatis absolvat, uti, aut gaudere; nec etiam, ut Confessarii ab iisdem Confratribus sic electi, earumdem Literarum Nostrarum vigore, ipsos a casibus Ordinariis Locorum respective reservatis, sine eorumdem Ordinario-

Bis tantum in vita eo uti possunt Confratres, non obstantibus literalis adscriptionibus Confraternitati.

rum licentia, absolvere possint, et valeant; nec umquam hujusmodi eligendi, et respective absolvendi facultatem, ultra duas vices in toto cujuslibet Confratris vitae cursu, extra ipsorum mortis articulum, et praeterquam in casibus Nobis, et Sedi Apostolicae dumtaxat, non vero etiam Ordinariis Locorum reservatis, nisi eorumdem Ordinariorum licentia respective accedat, per Nos in praecitatis Nostris Literis concessam fuisse; et consequenter absolutiones, in vim earumdem Literarum, contra praesentis declarationis Nostrae tenorem, forsan de praeterito impertitas, aut in posterum impertiendas, nemini suffragari potuisse, sive posse, decernimus et declaramus; et ita censeri volumus, atque praecipimus; rejectis interpretationibus superius enunciatis, quas Nos earumdem praesentium tenore, et Apostolica auctoritate, reprobamus, et a quolibet cujusvis status, gradus, conditionis, et Ordinis, etiam necessario forsan exprimendi, teneri, tradi, defendi, aut in praxim deduci prohibemus, et interdicimus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Nec eo continetur facultas absolvendi a reservatis Ordinario.

§. 4. Ut autem praesentis declarationis Nostrae, nec non reprobationis, et prohibitionis hujusmodi tenor, ad eorumdem Confratrum, et quorumcumque Confessariorum ab ipsis forsan eligendorum, aliorumque in praemissis interesse habentium, notitiam certius perducatur: Nos earumdem praesentium serie, et auctoritate praedicta, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, ac Dilectis etiam Filiis Praelatis inferioribus, Locorum Ordinariis, in praedicta Ditione, et universo Dominio Reipublicae Januensis constitutis, committimus et demandamus, ut de vero sensu dictarum priorum Literarum Nostrarum, et de praesenti voluntate Nostra, praedictos omnes, in suis quique Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis, instructos reddant, aliisque opportunis rationibus animarum securitati, et Apostolicorum Decretorum observantiae prospiciant. Quocirca volumus, ut praesentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis originalibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Ordinariis locorum committitur hujusce declarationis publicatio, et executio.

Fides asseritur transumptis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, ampliationis, concessionis, Indulti, declarationis, prohibitionis, mandati, commissionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno XIII.

Dat. 21. Augusti 1752.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

F. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

CONFIRMATIO III.

Concordiae inter Episcopum Herbipolensem; et Abbatem Monasterii Abbatiae nuncupati Fulden. Ordinis S. Benedicti, Nullius Dioecesis Provinciae Moguntin. super Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, et Populum Ditionis praefati Monasterii.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Uberes fructus in animarum salutem ex concordia inter Praesules promanantes.

Ineffabili Dei bonitate in supremo Apostolatus Solio praesidentes, inter Pastoralis Officii Nostri curas, nil magis cordi Nobis est, nilque ferventius exoptamus, quam pacem inter Catholicarum Ecclesiarum, praesertim inter se vicinos, Antistites fovere, augere, illamque perpetuo conservare, ad hoc ut ipsi Antistites, semotis a se quibuscumque animi molestiis, possint quieta mente, et tranquillo

corde, non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis, suae curae Pastorali commissas oves ad Coelestia Regna perducere: Quamobrem ea libenter concedimus, quae ad pacem ipsam inter eos conservandam magis apta esse dignoscuntur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

transactionis quinque capitibus distinctae.

Ad evellendas lites saepe enascentes plures inter Episcopos, et abbates initae fuerunt transactiones.

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris Nostri Caroli Philippi moderni Episcopi Herbipolen. et Dilecti Filii Amandi moderni Abbatis Monasterii Abbatiae nuncupati Fulden. Ordinis Sancti Benedicti Nullius Dioecesis Provinciae Moguntin. ac respective Sacri Romani Imperii Principum, petitio continebat, quod cum alias non exiguj momenti lites et controversiae, inter tunc existentes Episcopum Herbipolen. et Abbatem praefati Monasterii, ex una, et altera Partibus, praesertim super Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, et Populum Ditionis praefati Monasterii, exortae viguissent: Demum de Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo secundo, ad conciliandam inter eos, uti vicinos Principes, eorumque vicinos Principatus, firmam pacem et sinceram amicitiam, de consensu tam Ecclesiae Herbipolen. Capituli et Canonicorum, quam praefati Monasterii Conventus et Monachorum tunc existentium, quasdam litium praefatarum per tot longum tempus agitatarum via amicabili extinctivas conventiones ediderunt. Cupientes modo tam Carolus Philippus Episcopus, quam Amandus modernus Abbas praefatus, inter eos, uti vicinos Principes, perfectam constantemque pacem, et amicabilem tranquillitatem, novis veteri transactioni superadditis stipulationibus, ac respective modificationibus, novam cum totius et integri praeteritarum supradictarum Conventionum tenoris insertione, ac modernorum Capituli, et Canonicorum dictae Ecclesiae Herbipolen. ac Conventus et Monachorum praefati Monasterii respective consensu, ac instituto, et celebrato tam per praefati Caroli Philippi Episcopi, quam per Amandi Abbatis praefati, respective Deputatos, Legatos, et Consiliarios, Conventu, habitaque matura deliberatione, Concordiae Instrumentum in quinque Capitibus seu Paragraphis consistens confecerunt, cujus Instrumenti tenor est, qui sequitur.

Tenor instrumenti recentioris

§. 2. Nos Dei et Apostolicae Sedis gratia Carolus Philippus Episcopus Herbipolensis Sacri Romani Imperii Princeps Franciae Orientalis Dux etc. « Et Nos gratia eadem Amandus Sacri Romani Imperii Princeps et Abbas Fuldensis Augustissimae Romanorum Imperatricis Archicancellarius per Germaniam et Galliam Primas etc. — Notum facimus per praesentes, earumque tenore declaramus, pro Nobis, nostrisque Ecclesiis, et Successoribus, quod cum usque ab anno millesimo septingentesimo vigesimo secundo, inter bonae memoriae Joannem Philippum Franciscum Episcopum Herbipolensem, et bonae memoriae Constantinum Abbatem ac Principem Fuldensem, Praedecessores nostros, de consensu utriusque Capituli, inita, atque erecta fuerit quaedam concordia extinctiva litium a pluribus retro annis inter utramque Ecclesiam super jurisdictione dioecesana vigentium, reservato quidem, et variis interjectis impedimentis non secuto usque in praesens, Apostolicae Sedis beneplacito; Nos Antecessorum nostrorum vestigia sectantes, ac probe perpendentes, quantum rei Catholicae, hac praesertim difficili et periculosa temporum conditione, intersit, ut pax et sincera amicitia foveatur et jugiter conservetur inter Principes Ecclesiasticos Imperii Germanici, Territoria contermina habentes; maxime vero etiam excitati paternis, iisdemque geminatis adhortationibus Sanctissimi Domini BENEDICTI PAPÆ XIV. felicissime et gloriosissime regnantis, qui sane, pro ea, qua eminet, summa et admirabili sapientia, quid singulis per orbem Dioecesibus, Fideique, ac Religionis bono magis sit opportunum, et quid promovendae animarum saluti potissimum conducat, unus omnium optime perspicit; in id curam, animosque nostros convertimus, ut dudum agitata inter praedecessores nostros, subinde vero intermissa pacis, et concordiae studia, resumeremus, noviśque veteri transactioni superadditis stipulationibus, et respective modificationibus, ad perfectam Ecclesiarum nostrarum pacem et tranquillitatem, necnon ac conciliandum inter vicinos Principatus nostros arctioris conjunctionis, necessitudinis, officiorumque vinculum, in eum, qui sequitur, modum conveniremus. Placuit itaque ante omnia supradictam Concordiam anno millesimo septingentesimo vigesimo secundo Carolostadii inter praefatos praedecessores nostros initam, ejusdemque singula capita, nisi in quantum illis per infrascriptas novas con-

ventiones derogatum fuerit, in toto suo robore permanere; ac proinde totum, atque integrum ejus tenorem hoc loco repetere et inserere, qui talis est —

Vetus transactione stipulata anno 1722.

§. 3. » Nos Dei, et Apostolicae Sedis gratia » Joannes Philippus Franciscus Episcopus Herbipolensis, Franciae Orientalis Dux. Sac. » Rom. Imperii Princeps, Ecclesiae Metropolitanae Moguntinae Praepositus etc. — Et » nos gratia eadem Constantinus Sacri Romani » Imperii Princeps, et Abbas Ecclesiae Fuldensis, Divae Augustae Archi-Cancellarius, » per Germaniam, et Galliam Primas etc. — » Notum facimus, et tenore praesentium declaramus, pro nobis, nostrisque Ecclesiis, » et Successoribus, qualiter cum jam de anno » millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo » a Venerabilibus piissimae memoriae Domi» nis Praedecessoribus nostris, super praetensa ab Ecclesia Herbipolensi in certa Loca, » ac Ditionis Fuldensis Parochias, spirituali » jurisdictione, Concordia quaedam inita, in » Curia autem Romana variis ex causis rescissa, onerosae deinde, ac diuturnae litis reassumendae occasio fuerit; insuper non sine » fundamento timendum sit, ne idem Processus omni adhibita industria adhuc annis » quamplurimis perseverare, et inter utramque Ecclesiam perpetuos discordiarum fomites alere valeat; unde nos, difficillimorum » temporum pericula, et eventus prae oculis » habentes, iisque matura utrinque deliberatione perpensis, judicavimus nobis, nostris » Successoribus, Ecclesiis, et subditis, tam in » spiritualibus, quam temporalibus, consultum magis ac prospectum fore, si per novam » a Sancta Sede Apostolica confirmandam Concordiam, litî huic modus, ac finis imponeretur. Eapropter, tractatibus praeviis per Plenipotentiarios, nostros Carolostadii de praeterito mensae Majo Anni currentis desuper » habitis, specialiter vero de scitu, et consensu » plurimum Reverendorum, Perillustrum, ac » nobis Episcopo, et Principi Herbipolensi Dilectorum et Devotorum, Praepositi, Decani, » et Capituli Ecclesiae nostrae Cathedralis Herbipolensis, tum etiam plurimum Reverendorum, Perillustrium, ac nobis Abbati, et » Principi Fuldensi Dilectorum, et Devotorum, Decani, Praepositorum, et Capituli » Ecclesiae Fuldensis, ad stabiliendam veram » amicitiam, et sinceram vicinitatem, illa, » quae, hic subnectuntur, transegimus, ac ea, » qua sequitur, forma concordavimus.

Territorium separatum cum amplissimo jure in Clerum, et Populum asseritur Abbati.

§. 4. « Nos Episcopus Herbipolensis Dilectioni suae Fuldensi, ejusque Successoribus, » ratione spiritualis hactenus controversae ju» risdictionis, nullam amplius in futurum li» tem movebimus, sed illam ex nunc, et in » perpetuum, eidem, ejusque Successoribus, » ac Ecclesiae Fuldensi libere taliter credimus, » seu relinquimus, ut Ecclesia, et Dioecesis » Fuldensis, sit maneatque *Nullius*, habeat» que ejusdem Antistes in Clerum, et Populum » jurisdictionem ordinariam privative, qualis » de facto Reverendissimo Fuldensi, sive, de » jure, sive ex privilegio, sive ex praescri» ptione, aut consuetudine competit; hancque » jurisdictionem exerceat, ut hactenus exercita est, tam in Civilibus, et Matrimonialibus » Laicorum, quam in Beneficialibus, et Criminalibus Clericorum, aliisque Ecclesiasticis » causis, et ordinationibus quibuscumque, si» ve per se, sive per Vicarium, aut Commissarium suum, quos constituere, aut destituere; sicut et Clerum in omnibus tam Curatis, » quam non Curatis Beneficiis instituere, aut » destituere, visitare, Synodum congregare; » et alia omnia facere, quae a jurisdictione » quasi Episcopali dependent, ipsi semper in» tegrum et liberum sit, sine ullo ad nos Epi» scopum Herbipolensem appellandi jure; et » salva libertate, pro iis, quae sunt Ordi» nis, quaeque, ex defectu Gradus, Reveren» dissimo Fuldensi haud competunt, non tan» tum Regulares, sed et Clericos saeculares » sui Territorii, pro Ordinibus sacris suscipiendis, mittendi ad quemcumque Antistitem, gratiam et communionem Sanctae Se» dis Apostolicae habentem; salva item liber» tate quemcumque accersendi Catholicum An» tistitem pro Sacramento Confirmationis, con» secrandis Ecclesiis, Altaribus etc. — E con» tra nos Abbas, et Princeps Fuldensis hanc a » Dilectione sua Herbipolensi voluntarie nobis » declaratam desistentiam, et cessionem, sive » relictionem, perpetua gratitudine recogno» scentes, concessimus et rati habuimus, ut » eadem non vigeat, vel duret diutius, quam » quousque Ecclesia, et Principatus Fulden» sis, juxta Fundatorum mentem, sub Catho» licorum manibus perstiterit, si vero per vim » majorem, seu aliam quamcumque viam » (quod Deus avertat) contigerit Ecclesiam

» Fuldensem in Laicales Catholicorum, aut » Acatholicorum manus incidere, tunc Eccle- » sia Herbipolensis praetensum jus suum Epi- » scopale hoc in casu libere exerceat, et tan- » diu manuteneat, donec Ecclesia Fuldensis » in statum pristinum fuerit redintegrata, ac » restituta — Ut tamen tristes hujusmodi even- » tus melius arceantur, nos Episcopus Herbi- » polensis Ecclesiae Fuldensi adversus omnes, » et singulas hostium infestationes, atque vio- » lentas incursiones, omnem, quam fida ac » sincera vicinitas exigit, operam, et assisten- » tiam toties praestare appromittimus, quoties » requisiti desuper fuerimus, et temporum » circumstantiae idem postulaverint — Ut ve- » ro amica haec concordia, et mutua partium » conventio, eo firmius in suo vigore conser- » vetur, quivis Abbas et Princeps Fuldensis, » ad ingressum regiminis sui, epistolam, et » quivis Episcopus Herbipolensis responsio- » nem transmittere teneantur.

Formula epistolae, qua Abbas suam electionem annuciat Episcopo.

§. 5. *Amica officiorum nostrorum oblatione praevia, et quid alias boni ac grati praestare possumus, Reverendissime Princeps, Domine, Amice, et Vicine in primis Dilecte — Dilectionem vestram pro constanti propensae vicinitatis confidentia latere nolumus, quod nos, post obitum Domini nostri Antecessoris N. Piissimae memoriae, unanimi perillustris Capituli nostri suffragio, in Abbatem et Principem Fuldensem non ita pridem, et quidem die N., canonice electi fuerimus de facto quoque in actuali, et quieta Abbatiae, et Principatus nostri possessione constituti simus. Cum autem probe recordemur Concordiae inter Dilectionem vestram, aut vestrae Dilectionis Dominum Praedecessorem Joannem Philippum Franciscum, ac inter Dominum nostrum Antecessorem Constantium, anno millesimo septingentesimo vigesimo secundo, super praetensa, ac in modo dicto anno nobis in perpetuum cessa, sive relicta Jurisdictione Ecclesiastica in aliquibus locis nostri territorii, initae, ac conventionis ibidem adjectae, quatenus pro jugi renovatione perennis amicitiae per hujusmodi concordiam stabilitae, mox ab electione confirmatio supradictae concordiae, sub assecuratione nobis, et nostrae Ecclesiae contra quoscumque pro viribus praestandae ad requisitionem assistentiae, singulis vicibus per litteras petatur, et vicissim a Dilectione vestra nobis per litteras responsorias sine ulla recusatione concedatur. Hinc Dilectionem vestram hisce amice requirimus, ut ad has nostras Concordiae saepedictae conformes notificationis, et requisitionis Literas, eo se vicissim modo erga nos declaret, prout in eadem Concordia continetur, et de eadem amice confidimus; hoc annexo, quod praememoratae Concordiae nullatenus contraventuri, nec ad perpetuo conservandam veram amicitiam eo tempore stabilitam ullam unquam occasionem simus praetermissuri: qui proinde ad exhibenda grata officia semper prompti permanemus. Datum etc. — Nos Dei et Apostolicae Sedis gratia etc. — Dilectionis vestrae — Officiosissimus et Fidelis Amicus, ac Vicinus N. N.*

Responsionis norma.

§. 6. Responsio—*Officiorum nostrorum amica oblatione praevia, et quidquid alias boni, ac grati praestare possumus, Reverendissime Princeps, Domine, Amice et Vicine in primis Dilecte — Literae Dilectionis vestrae, sub N. ad nos directae de ejusdem electione in Abbatem et Principem Fuldensem fusius nobis retulerunt, ex quibus insimul cognovimus id, quod Dilectio vestra in vim Concordiae de anno millesimo septingentesimo vigesimo secundo à nobis amice requisivit; quemadmodum igitur Dilectioni vestrae ad hujusmodi adeptam Dignitatem principalem a Deo omnem gratiam, et benedictionem ex corde apprecamur, ita pariter, secundum tenorem dictarum literarum, cessionem, seu relictionem Ecclesiasticae jurisdictionis, dictae Concordiae conformem, non solum harum vigore confirmamus, sed insuper promittimus, quod ubi Dilectionem vestram, ejusdem Successores, et Ecclesiam, contra spem, a quocumque, praesertim Acatholicis vel Heterodoxis, vicinis, vel exteris, in mentionata Jurisdictione Ecclesiastica, vel aliis suis Juribus praejudicium, aut turbationem pati contigerit, fida tunc assistentia, pro modo nostrarum virium, non simus defecturi, pro ut etiam in omnibus aliis occurrentiis Dilectioni vestrae etc. etc. — Nos Dei, et Apostolicae Sedis Gratia etc. — Dilectionis vestrae — Officiosissimus et Fidelis Amicus ac Vicinus, N. N. —*

Permutatio quarumdam Ecclesiarum

§. 7. » Porro cum ratione Parochiae in » Schondra, ubi temporale dominium Fulden- » si Principatui competit, inter Ecclesias Her- » bipolensem, et Fuldensem super spirituali » jurisdictione nonnullae differentiae exortae » fuerint — Nos Episcopus Herbipolensis, et » Nos Abbas Fuldensis, ad tollendum omnem » offensionis lapidem, ac pro majori utriusque » Ecclesiae utilitate, et Fidelium salute, neces- » sarium et opportunum esse censuimus, ut ab » Episcopo Herbipolensi praefata Parochia in

» Schondra, aliaeque Filiales Ecclesiae, cum » alia Parochia, aliisque juribus spiritualibus » ad Ecclesiam Fuldensem pertinentibus utrinque commutentur; unde praevio pariter maturo causae examine, taliter rem concordavimus, ut Parochia praedicta, cum Jure patronatus in Schondra, omnesque ejusdem » filiales (excepta illa parte loci Riedenberg, » cujus jurisdictio temporalis ad Ecclesiam » Herbipolensem spectat) nec non sex filiales » Parochiarum, in Hilters, et Wiissensachsen, » scilicet Batten, Deuten, Seutfers, Findlas, » Blanda, et Molbers, cum omnibus juribus, » et appertinentiis, uti et cum oneribus consuetis, ad liberam Ecclesiae Fuldensis provisionem ac dispositionem imposterum in » perpetuum pertineant — E contra Ecclesia » Herbipolensis, in aequam dictorum jurium » compensationem, Parochiam in Eckyveisbach, et Kleinsassen, prout huc usque constituta fuit, cum omnibus filialibus, appertinentiis, et juribus (excepto jurepatronatus » ad Familiam Nobilium de Rosenbanch pertinente) prout etiam locum Morlesau filialem » Parochiae in Dippach prope Hammelburg, » necnon jus, quod hactenus Abbatiae Fuldensi » sine contradictione competebat, nominandi » ad Canonicatum quemdam, et Praebendam » in Ecclesia Collegiata Sanctorum Petri, et » Marcellini in Aschaffenburg Dioecesis Mogutinae, toties quoties dictum Canonicatum » vacare contigerit, vicissim in perpetuum recipiat —

Religiosa promittitur transactioni observantia.

§. 8. » His ergo fideliter concordatis, Nos » supradicti Joannes Philippus Franciscus Episcopus, et Dux Herbipolensis etc. etc. — Et » Nos Constantinus Abbas, et Princeps Fuldensis etc. etc. — pro Nobis, et nostris utrinque Successoribus, sincere promittimus, et » data nostra fide, verboque Principis interposito pollicemur, quod omnes, et singulos » Articulos in praesenti Concordia contentos, » simul, et quemlibet separatim, firmiter et » irrefragabiliter observare, nec contra eos » quidquam in perpetuum attentare, aut permittere velimus, ut contra eosdem, ulla via, » aut medio quocumque excogitabili, aliquid » per nostros unquam attentetur; quemadmodum etiam per haec supra explicata Concordiae capita, omnes et singulos praeteritos » tractatus, vigore harum, cassamus, annullamus, et pro irritis declaramus, iisdem, non » minus ac liti in Curia Romana hactenus desuper agitatae, per expressum in perpetuum » renuntiantes. Hanc praeterea conventionem » a summo Pontifice confirmari procurabimus; interim omnia superius conventa, et » stipulata, suum robur utrinque inconcusse, » et irrevocabiliter obtineant. Si vero, citra » spem, ante obtentam a Sanctissimo confirmationem, nova desuper orirentur dissidia, » concordia haec in nullius partis praejudicium queat allegari. In quorum fidem nos » principaliter contrahentes, nomine nostro, » et Successorum nostrorum, manu propria » has Concordiae paginas signavimus, et nostris communiri sigillis mandavimus. Herbipoli die vigesima secunda Mensis Decembris Anno eodem — Joannes Philippus Franciscus Episcopus Herbipolensis, Franciae » Orientalis Dux — Constantinus — Similiter » Nos, Praepositus, Decanus, et reliqui Ecclesiae Cathedralis Herbipolensis Capitulares; nec non Nos Decanus, ac totum Capitulum Fuldenses, pro Nobis, ac nostris utrinque » Successoribus, palam profitemur, quod haec » Concordia cum consilio, scitu, ac consensu » nostro fuerit erecta, prout etiam in eamdem » hisce omni meliori modo consentimus. In » quorum fidem nostra sigilla Capitularia » scienter appendi jussimus. Actum ut supra —

Primum re[...] centioris transactioni caput, qu[...] definitur [...] Episcopi i[...] Praepositu[...] ram Holtzkircken.

§. 9. Quae vero ad stabiliendam hanc novam Concordiam conducere posse videbantur, praevie instituto Hammelburgi, et celebrato per Deputatos Legatos, et Consiliarios utrinque nostros Conventu, habitaque inter se matura deliberatione, prae primis vero ex consilio, et consensu utriusque Capituli Ecclesiarum nostrarum, ita porro transegimus, et concordavimus — *Primo* — Ecclesiae Herbipolensi competat Jus Dioecesanum cum omnibus suis effectibus in Praeposituram Holtzkircken, salva tamen et reservata Praeposito, aliisque Ecclesiae Fuldensis Conventualibus ibidem pro tempore commorantibus, exemptione personali, quoad interna, et Regularia, quousque nimirum in eo loco, ad normam Apostolicarum Constitutionum, erectus non fuerit verus, et formalis Conventus Regularis; cui quidem, dum aliquando fuerit erectus, plenaria conceditur exemptio passiva, quin tamen vel ipsa Fuldensis Ecclesia, vel praefata Praepositura in Holtzkircken ullum territorium separatum, ul-

lumve jus dioecesanum cum qualitate Nullius, aut aliam quamcumque jurisdictionem in Clerum, et Populum, sibi arrogare, aut vindicare valeant, sed hoc jus dioecesanum, et jurisdictio, sit, maneatque per omnia penes Ecclesiam Herbipolensem. Quapropter donec institutus fuerit verus Conventus Regularis, Parochus loci de Holtzkircken pro tempore existens, jus parochiale, et quae huic juri annexa sunt, tam in Personas Ecclesiasticas et Regulares ejus Praepositurae, quam in Officiales, Famulos, aliosque Domesticos Praeposituram inhabitantes, nec non, et quidem pro quocumque tempore, in Conductorem, seu Possessorem Molendini spectantis ad Praeposituram, non secus atque in alios suos Parochianos, exerceat.

Secundo capite confirmatur vetus concordia super Praepositura in Zell.

§. 10. *Secundo* — Firmas etiam consistere volumus transactiones alias inter Ecclesiam Herbipolensem, et Fuldensem circa Praeposituram in Zell prope Fischberg a nostris pariter Praedecessoribus Anno millesimo sexcentesimo octogesimo tertio initas, quibus per hanc novam Concordiam nec quidquam sit derogatum; unde eas hoc etiam loco verbo tenus inserendas duximus, sequentis videlicet tenoris — Cum » circa Praeposituram in Zella sitam prope » Fischberg, ratione confirmationis, ac visitationis Praepositi Fuldensis ibidem existentis, » certas quasdam differentias, ac contentiones » emersisse compertum fuerit, placuit eas sequentem in modum componere, et abolere: » videlicet, quod ipsa quidem hactenus consueta confirmatio Praepositi ab Ecclesia Fuldensi pro tempore praesentandi, ac nominandi, inter terminos juris, et per literas » praesentationibus rite conceptas, ab Ecclesia » Herbipolensi, ejusdemque Episcopo pro tempore existente, petenda sit per Abbatem, et » Principem Fuldensem pariter pro tempore » existentem: Fidei tamen Professio nonnisi » per Consiliarium Ecclesiasticum Fuldensem » sufficienti mandato instructum, coram Epi» scopo emittenda, et juramentum ad tramitem Processus Canonici in Neo-praesentati » animam praestandum, ac proinde eidem » Praeposito nuda, et sola Episcopalis confirmatio impertienda sit, juxta formam invariabilem sequentis tenoris.

Literae Confirmationis Praepositi in Zell ab Episcopo Herbipolen. obtinendae.

§. 11. *Nos N. N. Episcopus Herbipolensis, Sacri Romani Imperii Princeps, Franciae Orientalis Dux etc. — Universis has literas inspecturis, lecturis, seu legi audituris; salutem in Domino. Vacante jam Praepositurâ Monasterii in Zella prope Fischberg, et nominato, et praesentato Nobis per Reverendissimum Principem, ac Dominum Charissimum Amicum Nostrum N. N. Abbatem Fuldensem Sacri Romani Imperii Principem Divae Augustae Archi-Cancellarium per Germaniam, et Galliam Primatem etc. in Praepositum Devoto Nobis Dilecto N. N. necessarium videbatur pro legitime impertienda Confirmatione, citationem proclamatoriam contra omnes et singulos in hoc negotio interesse habere putantes, et valentes, decernere: decreta istiusmodi citatione, eademque affixa in portis majoris nostrae Ecclesiae Herbipolensis, et debitè exequuta, et in termino praefixo reproducta, et nemine comparente, qui nominationem seu praesentationem hanc contradiceret, seu quidquam contra nominati personam, vel nominationem, et praesentationem excipere t; Nos nominationem, seu praesentationem de persona N. N. factam, ratam, et gratam habuimus, ipsumque auctoritate nostra, per Procuratorem ejus N. N. Consiliarium Ecclesiasticum Fuldensem, in Praepositum Monasterii in Zella prope Fischberg praefecimus, eidemque de eadem per praesentes providimus, prout confirmamus, praeficimus, et instituimus; curam, ac regimen ejusdem Praepositurae in animam suam committentes, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Praemissa tamen prius per dictum Procuratorem, nomine sui Principalis, professione Fidei, et corporali Juramento, subsequenti verborum forma.*

Juramentum procuratorio nomine Praepositi praestandum a Consiliario Ecclesiastico Fuldensi.

§. 12. *Ego N. N. Consiliarius Ecclesiasticus Fuldensis constitutus Procurator admodum Reverendi, et Prae-Nobilis Domini N. N. nominati, et praesentati in Praepositum Monasterii in Zella prope Fischberg, bonâ fide promitto, et juro in animam, et nomine mei Principalis, ex nunc in antea, quandiu Praepositurâm administravero, submissionem, et reverentiam S. Sedi Apostolicae, Celsissimo et reverendissimo Principi, ac Domino Domino N. N. Episcopo Herbipolensi Franciae Orientalis Duci etc. Domino meo Clementissimo, et suis Successoribus legitimè, et canonice intrantibus, me exhibiturum; nec ero in consilio, nec in facto, ut vitam sive membrum perdant, vel capiantur mala captione, et consilium, quod mihi crediderint, per se, Nuntios, vel literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam; adjutor quoque ero, pro posse, et nosse, ad defendendam, et retinendam Ecclesiam Her-*

bipolensem in bonis, et juribus suis, Praepositura mihi commissa salva; possessiones vero, et bona, maxime immobilia, et allodia, ad dictam Praepositurum spectantes, et spectantia, non vendam, non donabo, non impignorabo, neque de novo infeudabo, nec alio modo alienabo, absque decreto Celsissimi Herbipolensis. Bona autem dictae Praepositurae inutiliter dispersa, pro viribus recuperabo, et recuperata conservabo; et alias in omnibus, et per omnia praefatae Praepositurae administrationem fideliter geram, et exercebo uti salubrius, et ferventius potero; salvo tamen Regulari, et consueto Juramento Capitulari, Celsissimo et Reverendissimo Principi ac Domino Domino Abbati meo Fuldensi N. N. Domino meo Clementissimo praestito; si me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia, quae his manibus propriis tango. In quorum omnium Fidem, et Testimonium praesentes literas fieri, Sigillique Officii nostri Vicariatus, quo ad praesens utimur, jussimus appensione communiri. Datum et Actum Arce dicta Marienberg prope Herbipolim Die et Anno etc.

§. 13. » Et quod Praepositus, ubi forte » ex redditibus, ac proventibus Praepositurae » Zellensis, cum ejus notabili detrimento et » damno, quidquam auferri contigerit, teneatur ad ipsum, ad vindicationem, et manutentionem communi ope praestandam, et exhibendam, utrique Ecclesiae, Herbipolensi, » nimirum, ac Fuldensi, ad tenorem Juramenti religiose denuntiare. E contra vero Ecclesia Herbipolensis in hoc solo, et simplici » jure confirmandi conquiescat, et a visitatione ejus Praepositurae, necnon Parochi, ac » loci de Zell, anno superiori instituta, penitus desistat; neque Ecclesiae Fuldensi in Visitatione ejusmodi, aut aliis Juribus in sequelam Visitationis competentibus, Institutione Parochi, et in Ecclesiastica, ac temporali ejus Loci jurisdictione, ullum injiciat » impedimentum, aut praejudicium aliquod » inferat; sed liberum sit praefato Principi Fuldensi, prout visum fuerit, Praepositum visitare, et in praedictum Locum, ac Parochiam, Ecclesiastica ac temporalia quaecumque Jura, absque ulla Ecclesiae Herbipolensis turbatione, exercere.

Limites praefiniuntur jurisdictioni Abbatiali.

§. 14. Quo vero magis praecaveantur quaecumque dissidia, quae nasci possunt in futurum circa limites Jurisdictionis utriusque Ecclesiae, et ut appareat, quousque Jus Dioecesanum Ecclesiae Fuldensis, vigore novae hujus Concordiae extendatur, atque exerceri possit, et debeat, ex ea parte qua maxime conterminum habet Episcopatum Herbipolensem, placuit — *Tertio* — Sequentes Parochiales Ecclesias, una cum Filialibus ad eas pro nunc spectantibus, necnon Praefecturas in extremis Abbatiae finibus partis cis amnensis recensere, et pro terminis, ac finibus Dioecesis Fuldensis constituere: sunt autem eae, quae sequuntur, Parochiae, Warmannsrod, Dippach, Hundsfeld, Hammelburg, Thulba, Gerod, Psruchkenau, cum parvo Pago Eckards, Motten, Hettenhausen, Schmulnau, Dittershausen, Poppenhausen, Batten, Schwarzbach, Geusmar, Schleida, Cranlueken, Praefecturae Fischberg, et Saltzungen, cum suis Paraeciis sitis intra earumdem Territorium; porro Parochiae Welier, Lengsfeld, Satrapia Vacha, cum suis itidem Paraeciis, inque ejus Territorio sitis; praeterea Parochiae Mansbach, Oberulhaufen, Eiterfeldi, Buchenau, Neukirchen, Werda, Rothenkirchen, Langensch-Wartz.

Itidem e Episcopali.

8. 15. *Quarto* — Praefecturae vero Lichtenberg, et Sondheim, quae sunt de proprietate Ecclesiae Fuldensis, hodiedum vero, pignoris loco, a Saxoniae Principibus detinentur, necnon quaecumque alia Feuda Fuldensia in Territorio Herbipolensi de facto existentia, et Augustanae Confessioni pro nunc addicta, quotiescumque ea, seu illas, eveniente casu vel reluitionis, vel consolidationis cum Dominio directo Fuldensi, ad Fidem Catholicam reverti contigerit, Jurisdictioni Dioecesanae Herbipolensis Ecclesiae perpetuo adscripta sint; salvo tamen in praefatis locis, ac Praefecturis sublimi Territoriali, ac Patronatus Jure. Eadem Jurisdictio, seu Jus Dioecesanum, pro casu reversionis ad Fidem Catholicam, sit penes Ecclesiam Herbipolensem in Parochia, et Filialibus, totoque districtu Nobilium de Thann quomodolibet ad eos spectantibus, aut ab ipsis huc usque possessis; similiter districtu Nobilium de Weyhers, qui passim sub nomine Parochiae Gersfeldensis venire solet; cum expressa tamen reservatione Jurium temporalium in duobus hisce locis Fuldensi Ecclesiae competentium. Porro in Praefectura Schwarzenfels Dominii Hasso-Casselani, quoad Parochias intra eamdem sitas, item in Schluchtern, necnon in his locis, Windheim, Ochsental, Heckmuhl, Volckersleyer, Platz, Wolffsmunster, et in Zeitlorff, denique in

omnibus et singulis locis, ac Paraeciis Augustanae Confessioni pro nunc addictis, et territorio Fuldensi partis cis-amnensis circumquaque non inclusis, sed in confiniis utriusque Principatus existentibus, quaeque ante dissidia Religionis, ad Dioecesim Herbipolensem spectasse asseruntur, etiamsi sint Feuda Fuldensia, reversionis ad Fidem Catholicam existente casu, idem Jus Dioecesanum Herbipolensi competat Ecclesiae: iis solum locis exceptis, quae supra tertia stipulatione intra limites Dioecesis Fuldensis nomine tenus posita, et recensita fuerunt.

Quintum hoc Caput inferius reprobatur.

§. 16. *Quinto* — Ab undecim Parochiis, ad Capitulum Rurale Carolostadianum olim, prout assertum est, majori ex parte spectantibus, earumque Filialibus in Territorio Fuldensi existentibus, tam quoad Personas Ecclesiasticas, quam Laicales, videlicet a Parochiis Hundsfeld, Eschenbah, Hammelburg, Dippah, Uter-Erthal, Scondra, Leuchtersbach, Bruckenau, Weyhers, Dittershausen, et Poppenhausen, Episcopus Herbipolensis Jure perpetuo ab Apostolica Sede sibi delegato, et non aliter; facultatem habeat recipiendi appellationes in casibus de Jure permissis, et a sententiis in quibuscumque causis ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus; in Consistorio, vel alio quocumque Judicio Ecclesiastico Fuldensi, superiori videlicet, non subalterno, prolatis: Sic tamen, ut omnino liberum sit praedictarum Parochialium incolis omnibus et singulis, appellare, vel ad Curiam Ecclesiasticam Herbipolensem, ut praefertur, vel ad Nuntiaturam Coloniensem, vel, si libuerit, nullo interposito medio, ad ipsam Sedem Apostolicam: Neque fas sit earumdem Parochiarum Incolas ullatenus impedire, directe, vel indirecte, quominus ad Herbipolensem Curiam appellationes interponant. Caeterum per ea, quae sive de Juribus Patronatibus, sive Territorialibus, et aliis quibuscumque temporalibus, in praemissis, ex una alterave parte adducta fuerunt, cum ad praesentem concordiam per se minime pertineant, nemini quidquam novi concessum sit, neque ademptum.

Reservatur Beneplacitum Apostolicum.

§. 17. Nos itaque Carolus Philippus Episcopus Herbipolensis etc. etc. — Et Nos Amandus Abbas, et Princeps Fuldensis etc. etc. — Quae in praemissis utraque ex parte maturo consilio, et plena deliberatione, pro publica Ecclesiarum Nostrarum utilitate, tranquillitate, et animarum salute, inter Nos conventa, et stipulata fuerunt, pro Nobis, et Successoribus Nostris, integerrimâ fide, verboque Principis interposito, quoad omnes et singulos articulos, firmiter et religiosissime servare promittimus, et pollicemur, neque ut iis quacumque via, aut medio per Nostros quoquomodo contraveniatur, aut contra ea aliquid umquam attentetur, ulla ratione permittemus. Ipsam vero praesentem Concordiam, ut ei debitum robur accedat, etiam a Summo Pontifice confirmari omni, et indilato studio procurabimus. Si vero, citra spem, ante obtentam a Sanctissimo confirmationem, nova super his dissidia orientur, Concordia haec in nullius Partis praejudicium in judicio queat allegari— In quorum fidem Nos principaliter contrahentes, nomine Nostro, et Successorum Nostrorum, manu propria has Concordiae paginas signavimus, et nostris communiri sigillis mandavimus. — Herbipoli die vigesimo quarto mensis Julii millesimo septingentesimo quinquagesimo primo — Fuldae die vigesimo septimo mensis Julii anno eodem — Carolus Philippus Episcopus Herbipolensis Franciae Orientalis Dux — Amandus Abbas, et Princeps Fuldensis — Loco † sigilli Episcopi Herbipolensis — Loco † sigilli Abbatis Fuldensis — Similiter, Nos Praepositus, Decanus, et reliqui Ecclesiae Cathedralis Herbipolensis, necnon Nos Decanus, ac totum Capitulum Fuldense, pro Nobis, ac Nostris utrinque Successoribus, palam confitemur, quod haec Concordia cum consilio scitu, ac consensu nostro fuerit erecta, prout etiam in eadem, hisce omni meliori modo consentimus. In quorum fidem nostra sigilla Capitularia scienter apprimi jussimus. Actum ut supra — Loco † sigilli Capituli Herbipolensis — Loco † sigilli Capituli Fuldensis.

Facta omnia Auctoritate Apostolica firmantur, exceptis quae quinto Capite continentur.

§. 18. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ea, quae a Sede Apostolica approbantur, et confirmantur, firmius subsistere soleant; quapropter Carolus Philippus Episcopus, ac Amandus modernus Abbas praefati plurimum cupiant Concordiam hujusmodi, et in eis contenta quaecumque, ad hoc ut illa serventur exactius, per Nos et Sedem Apostolicam, ut infra, approbari, et confirmari; quare pro parte dicti Caroli Philippi Episcopi, et Amandi Abbatis praefatis, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum, ac Episcopi Herbipolen. necnon Abbatis praefati Mo-

nasterii pro tempore respective existentium, quieti et tranquillitati in praemissis opportune providere, ipsosque specialis gratiae favore prosequi de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur, qui, quantum cum Domino possumus, litibus obviare, ac diuturnam pacem, mutuamque amicitiam inter Ecclesiasticas Personas, praesertim Pontificali Dignitate insignitas, non tantum promovere, sed et stabilire, sinceris desideramus affectibus, Carolo Philippo Episcopo, ac Amando Abbati praefatis specialem gratiam facere volentes, eosque, et eorum singulares Personas a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causas latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Concordiam praefatam, et in ea contenta quaecumque, ac prout illam concernit, desuper confectum Instrumentum publicum, non tamen illius Quintum Caput, seu Quintum Paragraphum in praefato Instrumento exaratum, quod Nos nullo modo approbare intendimus, immo ipsum Caput Quintum, seu Paragraphum Quintum, praesentium tenore omnino cassamus, et abolemus, perinde ac si nunquam tractatum, nec stabilitum, neque in Instrmuento praefato conscriptum fuisset; Apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illique perpetuae, et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, omnesque et singulos tam juris quam facti, et solemnitatum, aliosve quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; ac Concordiam hujusmodi ab ipsis modernis, et pro tempore existentibus Episcopo Herbipolen. ac Abbate praefati Monasterii, perpetuo observari, nec illam ullo umquam tempore a quoquam quavis auctoritate fungente, ac honore, et praeeminentia fulgente, immutari, innovari, aut reformari posse vel debere.

Decreta. §. 19. Praesentes quoque semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et sic ab omnibus censeri: Et ita quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuntios, et alios quoslibet, quavis praerogativa, et privilegio fungentes, et judicari, et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariis. §. 20. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, provincialibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dictae Ecclesiae Herbipolensis, ac Monasterii, et Ordinis praefatorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse hac vice dumtaxat harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praefatum Quintum Caput, seu praefatus Quintus Paragraphus, ejusdem Concordiae, non solum minime approbatum, seu minime approbatus, sed omnino cassatum, sive cassatus remaneat, et pro non scripto habeatur.

Sanctio. §. 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, intentionis, cassationis, abolitionis, approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, defectuum suppletionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. I. Octobris 1752. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

Expedita in Cancellaria Apostolica.

IV. ABBATIA FULDENSIS

In Episcopatum erigitur, cum omnibus juribus, et praerogativis, praeservato tamen statu Regulari; ita ut idem Episcopus, et Abbas Fuldensis sit, et nuncupetur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Summi Pontificis est Sedes Episcopales erigere, cum Ecclesiae dignitas, et divini cultus ratio id postulant.

In Apostolicae Dignitatis apice, Divina sic disponente voluntate, cui obediunt omnia, meritis licet imparibus, constituti, omnes Dominici Agri partes, quasi de montis vertice, inspicimus, ac speculamur, ut quid Ecclesiarum omnium conditioni, decori, et firmamento conveniat, dijudicemus: Eaque propter, Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, novas quandoque plantare, atque erigere Episcopales Sedes, quandoque vero Monasteria insignia, servata tamen in eis Regulari observantia, Episcopali dignitate et honore condecorare opportunum ducimus, ut uberior inde Dominici Agri cultus et messis existat, ac Monasticus Ordo clarius florescat, pax ac concordia cum finitimis servetur, et quod potissimum est, Catholicae Fidei nomen in Civitatibus, in quibus illustres Personae resident, splendidius appareat, illarumque Praesules dignioribus titulis illustrentur, et condignis favoribus attollantur.

Recensentur insignes praerogativae Abbatiae Fuldensis.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, Insigne Monasterium, Abbatia nuncupatum Fulden. Ordinis Sancti Benedicti, a Sancto Bonifacio in Buconia fundatum, Sedi Apostolicae immediate subjectum, quod suam Civitatem, cum Seminario Alumnorum, ac Accademia Studii Generalis inibi existentibus, ac Territorium superatum, quamplurima Loca, Praeposituras, et Oppida, cum nonnullis Saecularibus, et Collegiatis Ecclesiis, ac non exiguo Parochialium Ecclesiarum circumquaque positarum numero, sub se continens, habet, et in quo abundantissimus Monachorum sub una eademque Disciplina, et Regulari Observantia alitur numerus, ex quibus terdeni ad minimum quotidiana Divina officia, tam in Choro, quam intra Ecclesiam sacra peragendo, laudesque Deo persolvendo, peculiari frequentia peragunt, ac decore, et cujus Monasterii fructus, redditus, et proventus ad tercentum viginti florenos in Libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur; ejusdemque Monasterii Abbatis (qui etiam, sicut pariter accepimus, Sacri Romani Imperii Princeps, ac Charissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae, Hungariae, et Bohemiae Reginae Illustris, Charissimi in Christo Filii Nostri Francisci Romanorum Regis in Imperatorem electi uxoris, ac etiam pro tempore existentis Romanorum Imperatricis Archicancellarius, ac per Germaniam, et Galliam Primas existit; quique jurisdictionem quasi Episcopalem, tam in civitate praefata, quam toto Territorio, aliisque sibi subjectis Locis, Praeposituris, et Oppidis praefatis, non tamen in eis, quae sunt Ordinis, exercet) electio ad pro tempore existentes quatuordecim ejusdem Ordinis expresse professos Monachos Capitulares tantum, videlicet Decanum, qui etiam Praepositus S. Andreae in Monte novo nuncupatus prope Fuldam, ac prima post Abbatialem Dignitas existit, et continuo in Praepositura ejusdem Sancti Andreae dicti Ordinis eidem Monasterio contigua residet, ac octo Praepositos in aliis octo Monasteriis, seu Praeposituris ejusdem Ordinis, a primodicto tamen Monasterio dependentibus, in locis dissitis extra primodictum principale Monasterium degentes, eisque praesidentes, atque in contubernio sociorum Regularium, praeter spiritualia Officia, annexam jurisdictionem, nomine atque auctoritate Abbatis Fuldensis, administrantes, nec non alios quinque praefati Ordinis respective Monachos Capitulares, non tamen Praepositos, quorum ex eis unum Regularis Disciplinae, ac Chori in Monasterio primodicto Praesidem Capitularem, ac semper apud praefatum Decanum, reliquos vero quatuor Monachos Capitulares, et non Praepositos, continuo una cum ipsis Praepositis, tanquam eorum socios et commensales, cum debita tamen erga eos reverentia et subjectione, respective commorantes, et permanentes, Concordatis Germaniae inibi vigentibus spectat et pertinet, quamplurimis propterea eximiis gaudebat praerogativis.

Propter quas in Episcopatum erigitur, integro tamen manente Regularistatu.

§. 2. Nos igitur attentis tot tantisque, quibus Monasterium primodictum eminet meritis, illius Abbatialem Ecclesiam in Cathedralem, et Episcopalem, ut infra, erigere cupientes,

Motu proprio, non ad alicujus super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Ecclesiam Abbatialem praefatam, firmis tamen semper in ea remanentibus, inibique semper vigentibus omni statu, qualitate, denominatione, et omnimoda essentia regularibus; ita ut in posterum ut prius Regularis nunquam esse desinat, in Cathedralem, et Episcopalem, quae ut antea Sedi Apostolicae immediate subjecta, ac Regularis existat, Ecclesiam, Apostolica auctoritate, tenores praesentium, perpetuo erigimus et instituimus, ac nomine, titulo, et honore Episcopali decoramus, ac pro tempore existentes primodicti Monasterii Abbates, in veros Praesules, et Episcopos Fulden. declaramus; nec non quod pro tempore existens ejusdem Ecclesiae per Nos, ut praefertur, in Episcopalem erectae Episcopus, semper imposterum non tantum Episcopus, et Abbas Fuldensis denominari, sed etiam verus ejusdem Ecclesiae Episcopus cum omnibus insigniis Episcopalibus, privilegiis, honoribus, et praerogativis Episcopis debitis, et concessis, ac juribus, et jurisdictionibus in Clerum Saecularem, et Regularem, ac Populum tam Civitatis praefatae, quam totius Territorii, ac Ditionis, et Dioecesis Fulden. et facultatibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, et Indultis realibus, et personalibus, ac mixtis, quibus aliae Ecclesiae Episcopales, eorumque Praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, seu ex indulto, aut privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt; et poterunt, verusque insimul Abbas Regularis Fuldensis, cum omnibus suis Abbatialibus juribus, honoribus, praeeminentiis, praelationibus, et praerogativis universis, quibus de praesenti gaudet, vere, realiter, et cum effectu existere, ipseque in Literis Apostolicis tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernendis, imposterum expediendis. Episcopi insimul et Abbatis Fuldensis titulo, ac nomine decorari, ac vocari, sitque idem inscribi; quodque occurrente ejusdem Ecclesiae in Episcopalem, per Nos, ut praefertur, erectae, ac Monasterii primodicti vacatione, futurus illius Episcopus, et Abbas, nullo in ejus electione innovato ordine, eodem modo et forma, ut prius, per dictos Decanum, et alios tredecim Monachos Capitulares praefatos, qui tantummodo vocem activam, et passivam in electione praefata, ut prius, habere possint, eligi.

Nec non eligentium jure, ac electionis forma.

§. 3. Ita tamen, ut sequuta, ut praefertur, ejus in primodicti Monasterii Abbatem Canonica Electione, etiam Episcopus Fuldensis electus remaneat, ac propterea Confirmationem electionis praefatae, ut prius, una cum provisione Ecclesiae Episcopalis per Nos, ut praefertur, erectae, ac Monasterii Fuldensis, a Sede Apostolica petere, et obtinere respective debeat, et teneatur: Cum hoc etiam, quod uti Episcopus et Abbas Fuldensis, jurisdictionem suam Episcopalem insimul et Abbatialem Dioecesanam in eisdem Locis, Ecclesiis, et Personis, ac praefato Clero tam Seculari, quam Regulari, ad praesens Territorio Fuldensi subjectis, et juxta Concordiam inter Venerabilem Fratrem Nostrum Carolum Philippum modernum Episcopum Herbipolensem, ac Dilectos Filios Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Herbipolensis ex una, et Venerabilem etiam Fratrem Nostrum Amandum Episcopum Themisciresem in partibus Infidelium, et modernum primodicti Monasterii Abbatem, quem propediem ad praefatam Ecclesiam Fuldensem per Nos in Episcopalem, ut praefertur, erectam transferre intendimus, ac Dilectos quoque Filios Capitulum Regulare primodicti Monasterii ex altera partibus initam, et nuper per Nos Apostolica auctoritate praefata approbatam, et confirmatam, salva tamen et illaesa semper remanente praecedentia, favore praefati moderni, et pro tempore existentis Episcopi Herbipolensis, illiusque Sedis Episcopalis, eis, uti antiquioribus, debita, exercere valeat, ac firma etiam permanente praefata taxa florenorum tercentum viginti in Libris Camerae Apostolicae, ut praefertur, descripta, quam unicam tantum in Literarum Apostolicarum Episcopalis, et Abbatialis Ecclesiae hujusmodi provisionis, et confirmationis electionis, desuper conficienda expeditione, imposterum persolvi, illamque nunquam ratione praefatae erectionis ejusdem Ecclesiae in Episcopalem per Nos, ut praefertur, factae augeri posse volumus, Motu pari, dicta Apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium decernimus.

Adeo ut una electionis actu Fuldensis Episcopus et Fuldensis Abbas eligatur.

§. 4. Quodque Episcopium, pro Episcopi, et Abbatis Fuldensis pro tempore existentis residentia, et habitatione, idem existat Monasterium, aut Palatium, quod usque nunc ab Ab-

Episcopium Cathedralis et Capitulum Regulare designatur.

bate Fuldensi habitum fuit, et ad praesens inhabitatur, et inhabitari solet, Motu simili etiam declaramus. Pro Cathedrali vero Ecclesia, ut eadem Principalis primodicti Monasterii, sub antiqua SS. Salvatoris Invocatione, Ecclesia habeatur, et in ea Capitulum, nec in minimo immutata ejus Regularitate, et denominatione Capituli Regularis, solum ex praefatis quatuordecim, vel quindecim, quatenus alium Monachum ejusdem Ordinis eidem numero, ut infra, augeri contigerit, Capitularibus, non autem aliis non Capitularibus, et extra praefatum numerum ejusdem Ordinis respective Monachis, videlicet Decano, cujus Decanatus prima et unica in praefata Ecclesia Dignitas Regularis existat, ac cujus, dum illa pro tempore vacat, electio ad praedictum Abbatem, et reliquos Capitulares tantum Monachos praefatos, ut prius, spectare debeat, ac eisdem octo Praepositis, necnon quinque, aut sex, si alium Monachum non Capitularem dicti Ordinis expresse professum per pro tempore existentem Episcopum, et Abbatem Fuldensem (ad quem semper, ut antea, spectet electio tam praefatorum octo Praepositorum, quam aliorum quinque, vel sex Capitularium Monachorum praefatorum) eidem numero Capitulari augeri contigerit; cum hoc tamen, quod tam praefati Decani, quam praefatorum Monachorum Capitularium vestes Regulares, et Monasticae existant, illasque Decanus, et alii Monachi Capitulares praefati, juxta earum Regularem professionem, gestare teneantur, componi tantummodo debeat; Quodque Capitulum praefatum, tempore Sedis Episcopalis, et Abbatialis vacantis, usque dum ad electionem novi Episcopi et Abbatis deventum fuerit, non tantum de Monasterio, sed de tota Civitate, et Dioecesi Fuldensi Gubernium sumat, Motu pari etiam decernimus.

Residentia per Capitulares quomodo praestanda.

§. 5. Ad hoc autem ut ipsi Ecclesiae per Nos in Episcopalem, ut praefertur, erectae splendidiori decore inserviatur, ipsarum tenore praesentium mandamus, quod ultra Monachos continuo in primodicto Monasterio, juxta ejusdem primodicti Monasterii regulas, et praecepta, prius, recipiendos, inibique habitantes, et residentes, qui, ut prius, quotidie ejusdem Ecclesiae Chori servitio, aliisque arbitrio Episcopi et Abbatis Fuldensis pro tempore existentis praefati functionibus sacris peragendis obligati existant; Decanus pro tempore existens praefatus, una cum uno ex dictis quinque, aut sex Capitularibus, non tamen Praepositis Monachis, ut antea, continuo apud eamdem Praeposituram S. Andreae residere, octo vero Praepositi pro tempore existentes praefati, ultra residentiam in praefata Ecclesia in quatuor, et forsan ultra, anni diebus, per eos, ut prius, fieri solitam; quinque ex eisdem octo Praepositis praefatis alternatim per integrum mensem quolibet anno; reliqui autem quatuor, vel quinque Monachi Capitulares pro tempore existentes hujusmodi, etiam alternatim per integros sex menses (nisi aliter tam quoad octo Praepositos, quam alios Capitulares non Praepositos Monachos praefatos, super residentia hujusmodi, ab Apostolica Sede dispositum fuerit) eorum respective residentiam apud eamdem Ecclesiam adimplere respective teneantur.

Poenitentiarii et Theologi munus quibusdam demandandum.

§. 6. Pro Poenitentiarii vero et Theologi respective munere ad formam Concilii Tridentini, in praefata Ecclesia explendo, ex eo quod nullus ex praefatis octo Praepositis, ac reliquis Capitularibus Monachis praefatis, attenta eorum in Praeposituris praefatis permanentia, munus praefatum adimplere potest, ipsarum tenore praesentium volumus, quod pro tempore existens Episcopus et Abbas Fuldensis, duos, non tamen Capitulares, praefati tamen Ordinis expresse professos, in primodicto Monasterio, ac apud eamdem Ecclesiam continuo degentes, et residentes Presbyteros Monachos idoneos, quorum unus Poenitentiarii, alter vero Theologi respective munus praefatum, ad formam praefati Concilii, exerceant, designare debeat.

Decano, et Praepositis conceditur usus Mitrae, et Annuli dum Episcopo Abbati Pontificalia exercenti assistunt.

§. 7. Ulterius, modernis, ac pro tempore existentibus Decano, et octo Praepositis tantum, (qui una cum aliis praefatis Capitularibus Monachis peculiari Insigni Aureae Crucis e collo gestandae, ex concessione felicis recordationis Clementis Papae XII. Praedecessoris Nostri, gaudent) ut ipsi Decanus, ac octo Praepositi tantum, Mitra, et Annulo, toties quoties pro tempore existenti Episcopo, et Abbati Fuldensi praefato Pontificalia exercenti assistentiam praestabunt, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, eadem Apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae, et Decreta.

§. 8. Praesentes quoque Literas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, nec ullo unquam tempore de subreptionis, vel obre-

ptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu, notari, impugnari, invalidari, seu in Jus vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque Juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari posse, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Sedem Apostolicam praefatam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam Motu simili, etiam consistorialiter, pro tempore factis, vel faciendis, comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda, concessas, validasque fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; et sic ab omnibus censeri, et ita per quoscumque Judices, Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, et quoslibet alios quavis praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane Motu pari similiter decernimus.

Derogatur contrariis.

§. 9. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac primodicti Monasterii, et Ordinis praefati, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam Derogatoriarum Derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis Clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, etiam Motu simili, ac etiam consistorialiter, ac alias etiam quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua mentio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium, et singulorum validitatis effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, ac latissime, et plenissime, Motu pari derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 10. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrarum erectionis, institutionis, declarationis, decreti, concessionis, mandati, voluntatis ac indulti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. 5. Octobris 1752.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, tertio Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno XIII.

Expedita in Cancellaria Apostolica.

HERBIPOLENSIS V.

Episcopus honorificis praegestandae sibi Crucis, ususque Pallii praerogativis honestatur, sub certis modis, ac conditionibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Provida Sedis in Jurisdictione, et honoribus distribuendis administratio.

Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, concessum sibi a coelesti sponso Jesu Christo supremum auctoritatis et dignitatis principatum, ita semper in omnes Catholici Orbis Ecclesias obtinuit, ut tamen pro locorum, ac temporum, personarumque conditionibus, egregiis earum Pastoribus, nunc amplioris jurisdictionis suae partem aliquam

sustinendam, exercendamque communicaverit, nunc autem eximias honoris praerogativas indulserit, prout ad Dei gloriam, et fidelium populorum utilitatem promovendam, et ad Catholicae Religionis integritatem, majestatemque tuendam, Romanis Pontificibus ejusdem Jesu Christi Vicariis, et Beati Petri Apostolorum Principis Successoribus, visum est in Domino salubriter expedire.

Jus praeferendae Crucis, et Pallii usus, praecipua honoris Pontificalis insignia

§. 1. Porro inter praecipua Sacerdotalis honoris insignia, quibus diversae per Orbem Ecclesiae, earumque Antistites, ab Apostolica Sede decorari meruerunt, et Sacri Pallii usus, et jus praeferendi Sanctissimae Crucis signi merito numerantur. Illud siquidem a Romano Pontifice, vel ex ejus auctoritate dumtaxat, solemni ritu benedictum, et prope Corpus Beatissimi Apostolorum Principis religiosa cura adservatum, indeque ad enixas postulantium Antistitum preces desumptum, si cui utendum, induendumque conceditur, peculiare quoddam sacri foederis vinculum inter ipsum, et Romanum Pontificem, ejusdem Beati Petri Successorem, specialis sacramenti interpositione firmatum significat: Cumque ipsum Pallium ex ovium velleribus contextum, sacri Pastoris humeris gestetur, ovis illius speciem repraesentat, quam Dominus aberrantem requisivit, inventamque humeris suis sustulit; ut Episcopus, qui Christi typum gerit, ejusque munere fungitur, ipso etiam habitu illius boni Pastoris imitatorem se exhibeat, qui ovium suarum infirmitates, admirando pietatis et misericordiae excessu, portavit. Crucis autem erectae delatio, non solum Pastoralis Officii vim auctoritatemque ostendit, ex illius potestate derivatam; qui *crucifixus ex infirmitate, sed vivens ex virtute Dei*, Ministros suos contra omnes adversarias potestates invictae Crucis signo armavit; verum etiam ipso sui conspectu Episcopalis praedicationis summam fidelibus populis ob oculos ponit, sublatoque ad eorum solamen Fidei nostrae vexillo, aeternae salutis spem credentibus ingerit.

Ritus servari solitus in concedendo Pallio, hujusque mistica significatio.

Herbipolensis Ecclesiae amplitudo, ejusque Antistitum, Capituli, et Cleri decora.

§. 2. Cum itaque Herbipolensis Ecclesia Provinciae Moguntinae in Superioris Germaniae partibus constituta, jam usque ab octavo Ecclesiae saeculo per Sanctum Buchardum Episcopum ex auctoritate Apostolicae Sedis fundata et erecta, singularibus praerogativis ditata, amplissimaeque Dioecesi jura dans plurium egregiorum Antistitum, aliorumque, ex conspicuo, ac numeroso Capitulo, et Clero, insignium Virorum Virtute, admodum illustrata fuisse dignoscatur; nunc autem existens Venerabilis Frater Carolus Philippus Herbipolensis Episcopus suorum illam ornare pergat praestantia meritorum, pluribusque editis erga Nos, et Apostolicam Sedem, fidei, et observantiae argumentis, amplioribus Pontificiae liberalitatis favoribus se dignum exhibeat: Nos, attentis praemissis, et praesertim quod ipse Carolus Philippus Episcopus, Ecclesiasticae pacis studio, plurimum contulit ad extinctionem veterum litium, et controversiarum, quae jampridem inter ipsam Herbipolensem Ecclesiam, et Curiam, ac pro tempore existentes Episcopos Herbipolenses, ex una, et Fuldense Monasterium, Abbatiam alias nuncupatum, in quo Nos hodie Episcopalem Dignitatem et Cathedram ereximus et instituimus, ejusque Abbates etiam pro tempore existentes, ex altera, partibus, agitatae fuerunt, honesta inter ipsum, et dicti Monasterii Abbatem Concordia inita, quam Nos per alias Nostras Literas, cum quibusdam restrictionibus, et moderationibus, approbavimus et confirmavimus: Cumque hujusmodi restrictiones et moderationes, eidem Concordiae per Nos, justis de causis, appositae, circa quaedam potissimum capita versentur, quae idem Episcopus in favorem Ecclesiae et Curiae suae admitti, ac respective concedi et firmari exoptaverat, ideoque aequum sit illas alicujus indulti, et beneficii concessione pensari: Motu proprio, et certa scientia, eumdem Carolum Philippum Episcopum a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; eidem Carolo Philippo Episcopo, ut Ipse, et ejus Successores Ecclesiae Herbipolensis Praesules pro tempore existentes, de cetero perpetuis futuris temporibus sacrum Pallium in solemnitatibus et functionibus in Pontificali Romano descriptis induere, et gestare, ac etiam Crucem, ad instar Archiepiscoporum, ante se elevari et gestari facere, in dicta Herbipolensi Civitate et Dioecesi dumtaxat, et in alibi omnino, sive in alienis Dioecesibus, sive in Sacri Romani Imperii Comitiis, sive in quibusvis aliis locis

Speciale Episcopi nunc existentis meritum in concordia cum Abbate Fuldensi inita.

Hujus capita quaedam Herbip. juribus favorabilia, minime confirmantur.

Episcopus ipse, ejusque Successores usu Pallii, et jure praeferendae Crucis donantur, sub certis conditionibus, et reservationibus.

Episcopo praefato non subjectis, etiamsi Ordinariorum Locorum licentia ad id accederet, nec etiam in dicta Civitate et Dioecesi Herbipolensi, in praesentia alicujus ex R. E. Cardinalibus, vel Nostri et ejusdem Sedis Apostolicae ordinarii aut extraordinarii Legati, seu Nuncii, vel Archiepiscopi Moguntini, nisi de eorum respective consensu, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate; et dummodo, quoad Pallium praedictum, tam ipse Carolus Philippus, quam illius Successores Herbipolenses Episcopi pro tempore eligendi, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure, vel consuetudine servandis, postulare, et consueto fidelitatis debitae sacramento edito, accipere, aliaque in similibus observari solita adimplere teneantur; ac denique, salvo in omnibus jure Metropolitico Ecclesiae Moguntinae, illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis; et nihil immutato praecedentiae ordine inter ipsos Episcopos Herbipolenses, aliosque Episcopos, sive ejusdem, sive alterius Provinciae, hactenus de jure, usu, aut consuetudine, in quibusvis functionibus, consessibus, aut Comitiis servari solito; hujusmodi Pontificalis honoris Insigniis uti, libere, et licite possint et valeant, de Apostolicae auctoritatis plenitudine, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Praemissorum firmitas.

§. 3. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, nec umquam sub quibusvis generalibus similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed tanquam in praemissarum moderationum compensationem, ut supra, concessas, semper ab illis exceptas esse, et fore, ac censeri, ac dicto Carolo Philippo Episcopo, ejusque Successoribus dictae Herbipolensis Ecclesiae Praesulibus pro tempore existentibus, perpetuo suffragari, nec non ab ipsis respective in omnibus et per omnia observari, sicque, et non alias, per quoscumque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, judicari et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter judicari, aut respective attentari contigerit. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, seu dictae Herbipolensis, aut alterius cujuscumque Ecclesiae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariis.

Sanctio.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo tertio Nonas Octobris, Pontificatus Anno XIII.

Dat. Pont. anno 13. die 5. Octobri 1752.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa De Curia

J. C. Boschi.

Loco ✝ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

DAMNANTUR, VI.

Et prohibentur quinque propositiones Duellorum abusui faventes, veteresque leges adversus Duellantes editae innovantur, ac novis superadditis poenalibus Sanctionibus confirmantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Assiduum Romanorum Pontificum studium eliminando duellorum abusu.

Detestabilem, ac Divina naturalique Lege damnatum Duellorum abusum, a barbaris gentibus, atque superstitiosis, non sine ingenti corporum, animarumque clade, in Christianam Rempublicam auctore Diabolo inve-

clum, cum semper exécrata sit, atque improbarit Ecclesia, tum praecipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a Fidelium coetu longissime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus Praedecessorum Nostrorum Nicolai I. (*a*), Coelestini III. Innocentii II. Eugenii III. Alexandri III. (*b*), Innocentii IV. (*c*) adversus singulares pugnas decreta, extant recentiores Apostolicae Sedis Constitutiones, quibus Romani Pontifices Julius II. (*d*), Leo X. (*e*), Clemens VII. (*f*), ac demum Pius IV. (*g*), gravissimas poenas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacumque causa, etiam per Saeculares Regionum aut Locorum Leges forsan permissa, adjecta infamia, bonorumque proscriptione, etiam adversus complices ac participes, et qualemcumque operam iisdem praebentes.

Poenae per Tridentinum indictae in exhibentes locum ad Monomachiam, Patrinos, et pugnantes.

§. 1. Tridentina vero Synodus (*h*) latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, et Reges, Duces, ac Principes, caeterosque Dominos temporales, si locum ad Monomachiam in terris suis concesserint, ac jurisdictione et dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quem ab Ecclesia obtineant, eo ipso privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque Patrinos, excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuae infamiae poenam incurrere statuit; et, si in ipso conflictu decesserint, Ecclesiastica sepultura perpetuo carituros decrevit.

Gregor. XIII poenales omnes Sanctiones a solemnibus ad privata duella protendit.

§. 2. Cum vero praefatis saluberrimis Legibus judicialia dumtaxat, ac solemnia duella comprehensa, ac proscripta viderentur, piae memoriae Praedecessor noster Gregorius Papa XIII. (*i*) hujusmodi poenas adversus eos omnes extendit, qui nedum publice, sed etiam privatim ex condicto, statuto tempore, et loco, Monomachiam commiserint, etiamsi nulli Patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullaeve provocatoriae Literae, aut denunciationis Chartulae praecesserint.

Et Clemens VIII. iisdem obnoxios effecit omnes consilium, operam, et indemnitatem praestantes, etiam pugna non secuta.

§. 3. Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Praedecessor Noster, Apostolicas Romanorum ante se Pontificum Leges omnes, et poenas in eis statutas, sua Constitutione, quae incipit *Illius vices*, Data XVI. Kal. Septembris Anno MDXCII. diserte complexus, easdem extendit ad omnes non solum duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus praebentes, comitantes; Chartulas, Libellos, Manifesta mittentes, scribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes; Socios, Patrinos, de industria spectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam et impunitatem concedentes, quique se praedictis quoquomodo immiscuerint; etiamsi neque pugnae effectus, neque accessus ad locum sit subsequutus.

Assertiones ab Alexandro VII. et Innocentio XI. damnatae.

§. 4. His tam sapienter, tam aperte, atque perspicue ab Ecclesia, et ab Apostolica Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia tam publica, quam privata, et naturali, et Divino, et Ecclesiastico jure, prorsus illicita, vetita, atque damnata censeri deberent. Sed nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis speciem humanis pravisque cupiditatibus plus aequo faventes, Apostolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes, ac temperantes, *licere*, docuerunt, (*k*) *Viro Equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrant:* (*l*) *Fas esse defensione occisiva, vel ipsis Clericis, ac Religiosis, tueri honorem, dum alia declinandae calumniae via non suppetat,* (*m*) *propulsare damna, quae ex iniqua Judicis sententia certo imminent;* (*n*) *defendere non solum quae possidemus, sed etiam ea, ad quae jus inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus:*

(a) *Epist. L. ad Carolum Calvum.*

(b) *In Concil. Lateranensi Cap.* 1. *et* 2. de Torneamentis, *ubi trium Praedecessorum Decreta citantur.*

(c) *In Epist. ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiasticos Regni Franciae, apud Raynal. ad ann.* 1251. *num.* 31.

(d) *Constit. incip.* Regis pacifici.

(e) *Constit.* Quam Deo et Hominibus.

(f) *Constit.* Consuevit Romanus Pontifex.

(g) *Constit.* Ea, quae a Praedecessoribus.

(h) *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Reform.*

(i) *Constit.* Ad tollendum.

(k) 2. *Prop. ex damnatu ab Alexandro VII.*

(l) 17. *Prop. ex damnatis ab eodem.*

(m) 18. *Prop. ab eodem damnata.*

(n) 32. *Prop. ex damnatis ab Innocentio XI.*

Quas quidem assertiones duellis faventes, Apostolica Sedes censura notavit, rejecit, proscripsit.

Instauratae laxiores opiniones foventes duellorum abusum.

§. 5. Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etsi duella, vel odii, vel vindictae, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita, aliis tamen in circumstantiis, et casibus, vel amittendi Officii, et sustentationis, vel denegatae sibi a Magistratu justitiae, defensionis innoxiae titulo, ea licere pronunciant. Laxas, et periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum Libris ad Nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, et quibusdam Dilectis Filiis Sacrae Theologiae Magistris specialiter ad id per Nos deputatis, commisimus: qui re mature discussa, latis coram Nobis tum voce, tum scripto suffragiis, infrascriptas Propositiones censura, et proscriptione dignas existimarunt.

PRIMA PROPOSITIO.

Vir Militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad Officia Militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitae ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.

II.

Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, Duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis Militiae, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famae, et officii.

IV.

Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare, et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

V.

Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

Damnantur, et sub censuris defendi prohibentur.

§. 6. Auditis itaque, super unaquaque earum Propositionum, dictorum Cardinalium et Consultorum judiciis, atque omnibus rite et mature consideratis, Nos ipsas, praesentium Literarum tenore, et Apostolica Auctoritate, tamquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, itaut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

Necnon in praxim induci.

§. 7. Insuper stricte, in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

Constitutiones Praedecessorum Pontificum de duellis confirmantur.

§. 8. Jam vero ut exitiosam Duellorum licentiam, in Christiana, ac praesertim Militari Republica, non obstantibus providis Legibus a plerisque etiam Saecularibus Principibus et Potestatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coerceamus, gravissimumque scelus Apostolicae districtionis gladio magis magisque insequamur, omnes et singulas dictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate confirmantes et innovantes, ad hoc ut poenarum gravitas et severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro Motu proprio, ac de Apostolicae auctoritatis plenitudine, earumdem praesentium Literarum serie, statuimus atque decernimus, ut

si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tamquam interficiens proximum suum animo praemeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII., quae incipit *Ex quo Divina*, data VI. Idus Junii anno Domini MDCCXXV.; ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur; ita ut a cujuscumque Sacri aut Religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et Judicis competentis Curiae pro merito puniendus, tradi possit et debeat; super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit inposterum, necessarias et opportunas facultates praesentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere posse prospiciatur; Volumus, et respective permittimus, ut, quatenus Periti ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitae periculum* adesse retulerint, percussor ipse, praevio semper Decreto Episcopi, et cum assistentia personae Ecclesiasticae ab eodem Episcopo deputatae, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Ecclesiae restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quae de homicidio sunt, constitutum; alioquin in easdem poenas incidant, quae in memoratis Benedicti XIII. Literis constitutae sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Insuper publico vel privato duello interficiens alterum Asyli jure privatur.

Vivente ad huc saucio, quando, et qua forma percussor e loco immuni extrahi debeat.

§. 9. Praeterea, simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, Sepulturae sacrae privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante Sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta Poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, et Ordinariis Locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate, quo caeteris documentum praebeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae Legibus obedientiam praestandi.

Interfecto autem sepultura sacra denegatur, licet extra locum pugnae, et praeobtenta absolutione obierit.

§. 10. In hujus demum sollicitudinis nostrae societatem vocantes Carissimos in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, cunctosque Catholicos Reges, nec non Principes, Magistratus, Militiae Duces, atque Praefectos, eos omnes et singulos, pro sua in Deum Religione, ac pietate, enixe obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis, et animis, exitiosae duellorum licentiae, qua Regnorum tranquillitas, populorum securitas atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quae nullo pretio aestimari potest, aeterna animarum vita certo periclitatur, omni nisu et constantia vehementer obsistant. Neque sibi, suaeque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis Legibus, indictisque gravissimis poenis, horrendum scelus proscriptum sit; nisi accuratam ipsarum Legum, poenarumque executionem naviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant. Nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim falsique honoris Idolo humanas litari victimas non impune ferret supremus omnium Judex Deus; rationem ab iis aliquando exacturus, quorum est Divina, et humana jura tueri, sibique creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum Jesus Christus effudit.

Hortatio ad Principes, ut in Monomachiam eradicandam efficaciter incumbant.

§. 11. Volumus autem ut praesentium Literarum Transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae: Utque eaedem praesentes in consuetis locis publicis hujus Almae Urbis per Cursores nostros, ut moris est, publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Exemplorum auctoritas.

Sanctio.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum prohibitionis, damnationis, praecepti, statuti, declarationis, facultatum impertitionis, obtestationis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 16. Novemb. 1752

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLII., quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri Anno Tertio-decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de curia

J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die 24. mensis Novemb. 1752.

VII. DAMNATIO

Et Prohibitio Libri duobus tomis constantis, Gallico idiomate, absque Auctoris nomine, et impressionis loco, in lucem editi, cui Titulus: *Apologie de tous les jugemens rendus par les Tribunaux seculiers en France contre le schisme: dans la quelle on établit. 1. L' injustice, et l' irregularité des refus de Sacremens, de Sepulture, et des autres peines, qu' on prononce contre ceux, qui ne sont pas soumis á la Constitution* Unigenitus. 2. *La competence des Juges laics pour s' opposer á tous ces actes de schisme, Tom. I. et II. En France MDCCLII.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini superna dispositione praesidentes, Dominici Gregis custodiae jugiter invigilare, ac Oves Aeterni Pastoris sanguine redemptas a perniciosarum doctrinarum venenis, quantum Nobis ex alto conceditur, praeservare tenemur. Quapropter cum, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit quidam perniciosus Liber duobus tomis constans Gallico idiomate absque auctoris nomine, et impressionis loco, cui Titulus — *Apologie de tous les jugemens rendus par les Tribunaux seculiers en France, contre le schisme, dans la quelle on établit: 1. L' injustice, et l' irregularité des refus de Sacremens, de Sepulture, et des autres peines, qu' on prononce contre ceux, qui ne sont pas soumis a la constitution* Unigenitus 2. *La competence des Juges laics pour s' opposer à tous ces actes de schisme. Tom. I. et II. En France MDCCLII.* Nos, auditis desuper plurium S. R. E. Cardinalium, aliorumque sacrae Theologiae Magistrorum, quos ad praedicti Libri examen delegimus, suffragiis, iisque plene ac mature discussis, de memoratorum Cardinalium consilio, utrumque supra relati Libri tomum, tamquam continentem assertiones falsas, temerarias, scandalosas, piarum aurium offensivas, in Romanos Pontifices, Apostolicam hanc Sanctam Sedem, et Episcopos injuriosas, Ecclesiasticae jurisdictioni derogantes, obedientiae Constitutioni *Unigenitus* ab omnibus sincere debitae eversivas, schismati faventes, schismaticas, in errorem inducentes, ac erroneas respective, auctoritate Apostolica, tenore praesentium damnamus, reprobamus, prohibemus, ipsiusque Libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum, omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica et individua mentione, et expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeter quam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, et auctoritate Apostolica mandantes, uti quicumque Librum praefatum seu aliquam illius partem, sive Typis impressam, sive manu scriptam penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum, et illam, statim atque praesentes Literae eis innotuerint, Locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibus-

Censura et damnatio libri.

Imprimentes, tenentes, legentesque hujusmodi librum excommunicantur.

Publicationis praeceptum, ejusque effectus

cumque. Ut autem eaedem praesentes Literae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; itaut sic publicatae omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent: Ipsarum autem Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae. Dat. 20. Novemb. 1752. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Novembris MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

D. Card. Passioneus.

Publicat. eodem die, mense, et anno.

VIII. CONFIRMANTUR.

Et declarantur Constitutiones Praedecessorum Romanorum Pontificum super vetita armorum delatione, retentione, et venditione.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Certi generis arma in publicae securitatis exitium comparata. Securitatem, atque tranquillitatem Populorum et Personarum Apostolicae Sedi in temporalibus subjectarum tueri et asserere volentes Praedecessores Nostri Romani Pontifices, non modo severissimas leges adversus homicidia, et cujuscumque generis vim ediderunt, verum etiam ad ea submovenda, quae hujusmodi delictis facile perpetrantis occasionem et commoditatem praebere possent, omnium armorum ad necem clam et dolose inferendam aptorum delationem, retentionem, et venditionem, gravissimarum poenarum interminatione vetuerunt; quemadmodum ex providis felicis recordationis Pii Papae IV. Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, nonis Martii, et Sancti Pii V. pridie Idus Februarii illius Pontificatus Anno septimo, editis Constitutionibus, patet.

Proscripta sunt a Praedecessoribus Pontificibus, et praesertim Pio IV. et S. Pio V.

§. 1. Quorum vestigiis inhaerens recolendae memoriae Praedecessor quoque Noster Alexander Papa VIII. per suam Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo, Idibus Augusti, editam Constitutionem, quae incipit *Etsi cuncta*, praedictorum ante se Pontificum Leges atque Sanctiones confirmans et innovans, decrevit et sanxit, nemini cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, et praeeminentiae, etiam speciali mentione seu nota digno, licere in Alma Urbe, ejusque Districtu, et in toto Statu Ecclesiastico tunc sibi et dictae Sedi tam immediate, quam mediate subjecto, comprehensis etiam quatuor Legationibus, ac Civitatibus Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliisque Civitatibus, Terris, et Locis, etiam specialem et individuam expressionem, et nominationem requirentibus, ejusmodi arma in praemissis Constitutionibus expresse vetita, et alia quaecumque brevioris mensurae trium Palmorum, illius mensurae, quae vulgariter denominatur *Canna Romana* ad usum Mercatoris, sub poenis laesae Majestatis, et rebellionis irremissibiliter exequendis, (exceptis dumtaxat cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen majoris longitudinis unius palmi esse non possent, ac sine cuspide, et ut vulgo dicitur, *spuntati* esse deberent; nec non aliis instrumentis ad usum propriae artis, quam quisque exercet, necessariis, et in actu exercitii ejusdem artis, et non alias) deferre, seu domi, aut in Apothecis, vel alibi retinere, sive in ipsum Statum Ecclesiasticum introducere, fabricare, vendere, permutare, aut aliud contractus genus super ipsis inire.

Horum Sanctiones innovavit Alexander VIII. et vetitorum armorum genera exacte distinxit.

§. 2. Cumque sub suae hujusmodi, ac praecedentium Constitutionum censura, tam Clericos, quam alias omnes et singulas personas Ecclesiasticas etiam quomodolibet exemptas, Saeculares, et cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam de necessitate specialiter exprimendi, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani Regulares, vel alias immunitate personali quomodolibet gaudentes, com-

Ecclesiasticos omnes, aliosque exemptos, iisdem legibus teneri declaravit.

prehendi voluisset, et contra transgressores, si qui etiam ex his reperti fuissent, per Ordinarios Locorum, aliosque competentes Judices, ad majorem poenam, quam Tribunal Ecclesiasticum pro quocumque graviori, et atroci delicto imponere soleat et valeat, irremissibiliter procedi mandasset.

Statutas poenas incurri decrevit, licet dolus, et mala qualitas abesse dicerentur. Nec suffragari patentes literas aut privilegia quaecumque.

§. 3. Hoc insuper decrevit, et declaravit, ut ad eximendos transgressores a poenis praefatis minime suffragaretur allegare, quod non constaret de dolo, vel mala eorumdem contravenientium qualitate; nec etiam ad hujusmodi effectum ullae familiaritates, Literae patentes, et Licentiae concessae, aut concedendae, seu Privilegia cujuslibet Congregationis, Tribunalis, aut Militiae, seu Judicum, Officialium Militarium, et Ministrorum; etiam Justitiae, aut Ministerii Cameralis, Almae Domus Lauretanae, et cujusvis Ordinis etiam Militaris, Congregationis, Societatis, et Instituti, aut quarumvis Personarum quacumque Ecclesiastica, seu mundana dignitate fulgentium, quidquam prodessent, aut relaverent; prout latius atque distinctius in praecitatis ejusdem Alexandri Praedecessoris Literis continetur.

Praefatorum Pontificum leges instauravit Clemens XII.

§. 4. Pari justitiae zelo, et publicae quietis studio incensus sanctae memoriae immediatus Praedecessor Noster Clemens Papa XII. per suam anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo trigesimo quarto, Kalendis Februarii, Pontificatus sui Anno quinto, editam Constitutionem, cujus initium est — *In Supremo justitiae Solio*, inter alia, quae pro recta Justitiae administratione, ac dilectorum coercitione provide constituit, praedictas Pii IV. Pii V., et Alexandri VIII. aliorumque Antecessorum Literas et Ordinationes, nec non Edictum Kalendis Januarii Anni Domini millesimi septingentesimi octavi, de mandato piae memoriae Clementis Papae XI. promulgatum, caeteraque Bannimenta eousque publicata, quibus eorumdem, seu aliorum armorum in Urbe, et Ditione Ecclesiastica praefatis delatio, retentio, introductio, aut venditio, sub diversis etiam capitalibus poenis prohibentur, omniaque, et singula in eis contenta, similiter approbavit et innovavit; Et ne poenarum in ipsis adversus transgressores statutarum executionem ullo modo impediri contingeret, quibuscumque Tribunalibus, Magistratibus, et Judicibus, tam Urbis praefatae, quam aliarum Civitatum, Terrarum, et Locorum eidem Apostolicae Sedi immediate, ac etiam mediate subjectorum, nec non quibusvis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus etiam de Latere Legatis, districte prohibuit et interdixit, ne in causis delationis ac retentionis hujusmodi armorum, ulli delinquenti, poenas, quas quomodolibet incurrissent, gratiose remitterent, aut componerent, vel in minima etiam parte moderarentur, sed ea dumtaxat, quae stricti juris essent, juxta praecisam formam et dispositionem Literarum, Edicti, et Bannimentorum hujusmodi decernerent et exequerentur.

Sublata Ju dicibus fa cultate mo derandi poe nas, seu com ponendi.

Et reservat Pontifici cu jushbet gra tiae conces sione.

§. 5. Quod si ex peculiaribus quandoque facti circumstantiis, vel ex qualitate personarum, gratiae, compositioni, aut poenae moderationi locum esse, aequitate ita suadente, prudenter existimarent; voluit nihilominus, neque tunc per eosdem Magistratus et Judices ad concessionem gratiae, compositionem, aut moderationem poenae deveniri posse, nisi praevia sua, ac Romani Pontificis pro tempore existentis expressa approbatione; sub nullitatis gestorum, ac omnium inde sequutorum, et, quoad Judices praefatos, sub pecuniariis, aliisque etiam corporalibus, suo, et ejusdem Pontificis arbitrio infligendis poenis; et consequenter quibuslibet Cardinalium Congregationibus, ac Cardinalibus etiam de Latere Legatis, quamcumque facultatem, quae ipsis de jure, usu, vel consuetudine, seu alias quomodolibet competere posset, arbitrandi, gratiam impertiendi, et componendi, ac moderandi poenas hujusmodi, in dictis causis delationis, aut retentionis armorum, abrogavit, et revocavit.

Innovantur providae hujusmodi Sanctiones.

§. 6. Et Nos igitur dictorum Praedecessorum consilium ac prudentiam magnopere commendantes, ejusque necessitatem pro felici Populorum regimine in dies magis magisque agnoscentes, praecitatas eorum Constitutiones, quarum totos et integros tenores praesentibus pro insertis de verbo ad verbum haberi volumus, atque omnes et singulas dispositiones, prohibitiones, declarationes, et extensiones in eis contentas, Nostris Motu proprio, ac certa scientia, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, Apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, et innovamus, et secundum eas per quoscumque Judices, ac in omnibus, et singulis earumdem Urbis, ac Ditionis Tribunalibus, et Curiis, omnino procedi volumus et mandamus.

§. 7. Verum quia in hujusmodi causarum

Controversia excitatur super onere probandi bonam, aut malam qualitatem reorum.

tractationibus saepe contingit, ut pro parte reorum, ab ipsis, aut ab eorum Advocatis et Defensoribus, allegetur, eorum pravam intentionem, seu dolum, in delatione aut retentione armorum hujusmodi, et personarum malam qualitatem, a Fisco minime probari; ac deficientibus horum probationibus, contendatur, justam et fundatam praesumptionem bonae qualitatis eisdem Reis semper assistere; ideoque locum esse aequitati, quam praecitata Clementis XII. Constitutio insinuare videtur, ut scilicet Supremo Principi consilium detur pro gratia, aut compositione, seu moderatione poenae in praemissis Constitutionibus, Edictis, et Bannimentis respective statutae; Nos hujusmodi ratiocinationes, non modo ad reos a promeritis poenis eximendos, cum praemissarum Legum eversione, et publicae quietis detrimento, tendentes, verum etiam earumdem Alexandri, et Clementis Constitutionum literae, et spiritui adversantes, de medio tollere, ac debitam eorumdem Constitutionum observantiam, et executionem asserere volentes; simili motu, scientia, et auctoritate, ac earumdem praesentium tenore, decernimus, et declaramus, nil aliud oneris Fisco incumbere ad fundandam actionem suam, pro urgenda, obtinendaque condemnatione reorum ad formam dictarum Constitutionum, quam ut ipsum contraventionis delictum, videlicet delationem, vel retentionem, seu respective introductionem, fabricationem, aut venditionem armorum, in supradictis Pii IV. Pii V, Alexandri VIII. et Clementis XII. Constitutionibus, aliisque edictis, et Bannimentis per eosdem Praedecessores confirmatis et innovatis, vetitorum et proscriptorum, plena et valida probatione constare faciat. Quod si excipiendo contendatur, eam esse delinquentis qualitatem, vel tales in peculiari facto circumstantias concurrere, quae consulendum Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti pro gratia, aut compositione, vel moderatione poenae, merito suadeant; onus erit ipsius Rei, seu illius defensorum, hujusmodi exceptionis subsistentiam, concludentibus, et juridicis probationibus demonstrare, quemadmodum ipsa Clementis XII, Constitutio, cum praecedenti Alexandri VIII. Lege collata, satis aperte indicat; et ne super hoc in posterum haesitari contingat, Nos earumdem tenore praesentium, ejusmodi probationum adstruendarum onus in ipsos reos, eorumque defensores, expresse refundimus; eoque non adimpleto, memoratas exceptiones delinquentibus nullatenus suffragari volumus, quominus omnibus, et singulis poenis, etiam laesae Majestatis, et rebellionis, in praefatis Praedecessorum Sanctionibus constitutis, subjiciantur, et cum effectu plectantur et puniantur.

Fisco nil aliud incumbit, quam probare transgressionem add. Constitutionum.

Reus allegans bonam qualitatem, hanc concludenter probare tenetur.

§. 8. Sicque, et non aliter in hujusmodi causis censeri, atque ita per quoscumque Judices, Ordinarios et Delegatos, tam in Urbe, quam in universo Statu Ecclesiastico, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosque quoslibet, quacumque praeeminentia, et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, adversus quoscumque in praemissis delinquentes, etiam speciali nota et expressione dignos, prout in praecitatis Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus exprimuntur et nominantur, judicari et definiri debere decernimus et mandamus.

Aliter judicari prohibetur.

§. 9. Non obstantibus contrariis quorumcumque Tribunalium et Judicum resolutionibus et definitionibus, aut Curiarum usibus, stylis et consuetudinibus, seu inveteratis Doctorum opinionibus et Sententiis, nec non Urbis praefatae, aliarumve Civitatum, et Terrarum, atque Locorum Statutis, seu eorumdem, et quarumcumque Personarum, et Universitatum Privilegiis, Exemptionibus, et Indultis, caeterisque omnibus, quae uterque Pius, Alexander, et Clemens Praedecessores praedicti suarum Constitutionum observantiae, et executioni decreverunt non obstare.

Derogatio contrariis.

§. 10. Volumus autem, ut praesentium Literarum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae Sigillo munitis, eadem fides in judicio, et extra, ubicumque opus fuerit, habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, seu ostenderentur.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, Decreti, declarationis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Ma-

Dat. 15. Januarii 1753.

jorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, decimo octavo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno Tertio-decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in segretaria Brevium.
Publicata die 3. *Februarii* 1753.

IX. IN UTINENSI CIVITATE

Collegiata Ecclesia Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam cum omnibus juribus, praeeminentiis, ac privilegiis erigitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Praecipuae enumerantur conditiones, ut locus aliquis Pontificalis Sedis honore donetur.

Suprema dispositione, cujus inscrutabili Providentia ordinationem suscipiunt universa, in supereminenti Apostolicae Dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, illiusque vices in Terris gerentes, qui gloriosus regnat in Caelis, inter caeteras curas humeris nostris incumbentes, illam libenter amplectimur, per quam Nostrae Provisionis ope insignes Collegiatae Ecclesiae, praesertim in Civitatibus Nobilibus, Populique frequentia conspicuis, dignioribus titulis, scilicet Metropolitanarum Ecclesiarum, illustrentur, et condignis favoribus attollantur, cumque id statui, et decori Ecclesiarum ipsarum maxime congruat, et Nos pro Divini cultus augmento, et speciali Christifidelium consolatione, convenire conspicimus, in his sollicitudinis Nostrae partes favorabiliter interponimus, ac opem, et operam Nostras impendimus efficaces, ut illae per Nostrae vigilantiae ministerium, votivis gratulentur eventibus, et felicia in spiritualibus suscipiant incrementa. *Sequitur narratio suppressionis Patriarchatus Aquilejen., et statutae erectionis duorum Archiepiscopatuum, de quibus vid. Tom. III. Constit. L. pag.* 300., ac alias, prout in supradictis literis Nostris Apostolicis sub Datum pridie Nonas Julii Pontificatus Nostri Anno undecimo desuper expeditis, plenius et uberius continetur.

Insignior Civitatis Ut neo. praer gativae.

§. 1. Nos propterea erectioni Archiepiscopatus Utinen. hujusmodi modum et formam imponere, eamdemque erectionem per Nos factam Apostolica auctoritate confirmare cupientes, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, in Civitate Utinensi valde conspicua, ambitus quinque Milliarium circiter, duplici muro circumdata, ac pluribus aedificiis tam publicis, quam privatis eximie ornata, Populique frequentia celebri, utpote viginti millium circiter habitatorum numero referta, inter quos plurimae Nobiles Familiae, ex quibus plures quovis tempore tam antiquae Militiae, quam insignioribus Equestribus Ordinibus adscripti fuerunt, et in qua, uti Gubernator etiam per totam Provinciam, praesidet unus Venetus Patritius, qui una cum duobus Judicibus Praetoriam Curiam efformat; novem itidem inibi, praeter infrascriptam Collegiatam, reperiuntur Parochiales, et aliae intra muros Saeculares Ecclesiae, seu Cappellae, ac decem virorum, inter quae Domus Presbyterorum Missionis a praedicto Daniele Cardinale, et Patriarcha propriis expensis erecta, et fundata, ac duodecim Mulierum Coenobia, quorum unum, illud videlicet Sanctae Catharinae Senensis nuncupatae, per eumdem Danielem Cardinalem et Patriarcham a fundamentis extructum; et Conservatoria, aliaque Loca Pia, Hospitalia, et Confraternitatum Oratoria, cum Monte Pietatis, et Seminario: Et in eadem Civitate Utinensi, in qua Tribunal Inquisitionis contra Haereticam pravitatem, et Magistratus particulares reperiuntur, convocari solent generalia Provinciae Comitia, ideoque digna, ut juremerito Archiepiscopalis Civitatis nomine nuncupari valeat; Saecularem et Collegiatam Ecclesiam Sanctae Mariae Majoris nuncupatae, una cum illius Canonicatibus et Praebendis, Apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, illisque sic suppressis, et extinctis, praedictam Collegiatam Ecclesiam, in sui stru-

Nec non Sae cularis Colle giata Eccle sia S. Maria Majoris.

ctura valde magnificam, ac undecim nobilissimis Altaribus efformatam, ac sacris paramentis, et utensilibus ad divinum cultum necessariis, et ad Pontificalia exercenda sufficienter instructam, dignam propterea, ut titulo et honore Archiepiscopalis Ecclesiae decoretur, ad laudem et honorem Omnipotentis Dei, ac Beatae Virginis Mariae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, necnon Fidei Catholicae exaltationem, et totius Militantis Ecclesiae gloriam, in Archiepiscopalem et Metropolitanam Ecclesiam Utinensem nuncupandam, sub titulo Annunciationis ejusdem B. M. V. et in ea Archiepiscopalis, et Metropolitani Praesulis Utinensis Sedem, et Provinciae caput, pro uno deinceps Archiepiscopo Utinense nuncupando, qui Pallii, et Crucis usum, aliorum Archiepiscoporum more, necnon ex voluntate, seu permissione Ducis, et Reipublicae praedictorum benigne decreta, locum, et vocem in Parlamento Generali Fori julii, in prima sede, seu sessione inter Praelatos, habeat, cum suis Capitulo, Sigillo, Arca, Mensa Archiepiscopali, omnibusque aliis insigniis Archiepiscopalibus, necnon privilegiis, honoribus, et praerogativis, aliis Archiepiscopis debitis, et concessis, ac juribus, jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, et Indultis realibus, et personalibus, ac mixtis, quibus aliae Metropolitanae Ecclesiae, earumque Praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, seu ex indulto, aut privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, similiter perpetuo erigimus, et instituimus, ac nomine, titulo, et honore Archiepiscopali et Metropolitano decoramus, necnon pro tempore existentem Ecclesiae praedictae Utinensis Praesulem, in Archiepiscopum declaramus; eique, ut ipse caetera singula, prout Metropolitanis in eorum Civitatibus, Dioecesibus, et Provinciis a jure indultum existit, facere, exercere, administrare, et exequi possit, eadem auctoritate concedimus, et indulgemus.

Quapropter Pont. Archiepiscopalem Sedem et Ecclesiam sibi erigit cum omnibus juribus, et praerogativis.

§. 2. Praeterea eidem Ecclesiae Utinensi, Episcopales Paduanam, et Vicentinam, ac Veronensem, et Tarvisinensem, ac Cenetensem, et Bellunensem, ac Feltrensem, et Concordiensem, ac Justinopolitanam, et Æmoniensem, seu Civitatis novae, ac Parentinam, necnon Polensem Ecclesias, Patriarchatus olim Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressi et extincti Suffraganeas, ac Venerabiles Fratres Nostros modernos, ac pro tempore existentes earum respective Episcopos, pro Archiepiscopo Utinensi pro tempore existente Suffraganeos, qui tamquam membra capiti eidem Archiepiscopo Utinensi jure Metropolitico subsint, ita quod Archiepiscopus Utinensis pro tempore existens praedictus in Paduana, Vicentina, et Veronensi, ac Tarvisina, et Cenetensi, ac Bellunensi, et Feltrensi, ac Concordiensi, et Justinopolitana, et Æmoniensi, seu Civitatis novae, et Parentina, necnon Polensi Civitatibus, et Dioecesibus, jus Metropoliticum sibi vindicet, necnon Paduana, ac Vicentina, et Veronensis, ac Tarvisina, et Cenetensis, ac Bellunensis, et Feltrensis, ac Concordiensis, et Justinopolitana, ac Aemoniensis, seu Civitatis novae, et Parentina, necnon Polensis Ecclesiae praedictae, eidem Archiepiscopo et Metropolitano Utinensi ad omnia et singula teneantur, et sint adstrictae, ad quae Suffraganei suis Metropoliticis Ecclesiis, et Metropolitanis tenentur, et obligati sunt, et judicentur secundum Canonicas Sanctiones, dicta Apostolica auctoritate etiam concedimus, et assignamus; ac eidem Archiepiscopo Utinensi praedictos suos Suffraganeos consecrandi, ad Provinciales Synodos evocandi, ac cum eis etiam publica negotia terminandi; et causas quarumcumque appellationum, sive querelas, alias ad eum tamquam Metropolitanum, juxta Decreta Concilii Tridentini devolutas, ac alias juxta Sacrorum Canonum statuta spectantes, cognoscendi, omniaque alia et singula, quae de jure vel consuetudine, aut alias quoquomodo ad Archiepiscopos, et Archiepiscopale munus spectare et pertinere solent, et debent, gerendi, faciendi, et exercendi, plenam, liberam, ac omnimodam auctoritatem concedimus et facultatem: Provinciae quoque Utinensi Clerum, et Populum universum, ac omnia Loca, Ecclesias, et Monasteria, ac Oratoria, et Pia Loca, necnon Confraternitates, in dominio Veneto existen. olim praedicto Aquilejensi Patriarchatui per Nos, ut praefertur, suppresso et extincto, subjecta et subjectas, pro eorumdem Ecclesiae, et Archiepiscopi Utinensis provincialibus, pariter perpetuo concedimus et assignamus; ac deinceps perpetuis futuris temporibus praedictas Paduanam, ac Vicentinam, et Veronensem, ac Tarvisinam, et Cenetensem, ac Bellunensem, et Feltrensem, ac Concordiensem, et Justinopolitanam, et Aemonien-

Erectae Metropoli Suffraganeae Ecclesiae assignantur.

Omniaque Metropolitica jura.

sem, seu Civitatis novae, ac Parentinam, necnon Polensem Ecclesias dictae Ecclesiae Utinensis Suffraganeas, ac tam eas, quam illarum Civitates, et Dioeceses respective universas, sub ipsa Provincia Utinensi comprehensas, et nullatenus ab ea exemptas, nec dictae Sedi Apostolicae immediate, neque ulli alteri, nisi tantum Utinensi Ecclesiae, et illius Archiepiscopo praedictis, quoad Archiepiscopalia, Metropolitica, ac Provincialia jura, ac jurisdictiones, subjectas esse, et fore, dicta auctoritate declaramus. Pro Residentia vero, et habitatione Archiepiscopi Utinensi pro tempore existentis praedicti, in eadem Civitate Utinensi, Palatium cum ei annexis, in quo praedictus Daniel Cardinalis Patriarcha ad praesens commoratur, et ab ipso multis aedificiis auctum, concedimus, et assignamus.

Archiepiscopales Ædes.

§. 3. Utque eadem Collegiata Ecclesia Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur, erecta, ex omni parte perfectior reddatur, condigneque Capitulo, ac Canonicorum, et Dignitates in ea obtinentium, ac Mansionariorum, et Cappellanorum numero condecoretur; in ea unam Praepositurum, quae inibi post Pontificalem major existat, pro uno Presbytero in Theologia Magistro, vel Decretorum Doctore, aut in eis Licentiato, futuro dictae Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur, erectae Praeposito, qui illius Capituli Caput existat, et in Choro, Capitulo, Processionibus, caeterisque functionibus, et Actibus Capitularibus publicis et privatis, dictae Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur, erectae praeeminentiam, et primum locum habeat; ac unum Decanatum, qui secunda, pro uno Clerico, seu Presbytero futuro dictae Ecclesiae Decano, et unum Primiceriatum, qui tertia, Dignitates inibi respective existant, pro uno Clerico, seu Presbytero futuro dictae Ecclesiae Primicerio, ac viginti quatuor Canonicatus, totidemque Praebendas pro totidem Clericis, seu Presbyteris futuris in ea Canonicis, ac duodecim Mansionariatus, pro totidem Presbyteris futuris in ea Mansionariis, necnon octo sine cura, personalem tamen residentiam requirentes, Cappellanias, pro totidem Presbyteris futuris in ea Cappellanis, ut infra, nominandis; cum

Capitulum in nova Metropolitana statuitur, certusque Mansionariorum, et Cappellanorum numerus.

Capitulo, Stallo, Mensa Capitulari, Arca, Bursa, et Sigillo communibus, ac omnibus et singulis aliis Capitularibus signis, et insigniis, aliis Metropolitanis Ecclesiis, earumque Capitulis de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen ex indulto, seu privilegio particulari, competentibus; quique Praepositus, ac Decanus, et Primicerius necnon Canonici praedicti Capitulum inter se constituant; ac tam ipsi, quam Mansionarii, et Cappellani hujusmodi apud dictam Ecclesiam personaliter residere, et in ea singulis diebus, ac debitis temporibus, horas Canonicas, ac Majorem, seu Conventualem, et alias Missas, caeteraque Divina Officia solita et consueta, cum debita mentis attentione, servataque Ecclesiastica disciplina; ac infrascriptis ordine et praecedentia omnino servatis, videlicet quod Praepositus semper primum, Decanus secundum, et Primicerius tertium, locos habeant; deinde juxta antianitatem majorem, seu priorem electionem, aut nominationem in Canonicos, Mansionarios, et Cappellanos hujusmodi, viginti quatuor Canonici, et successive duodecim Mansionarii, et octo Cappellani praedicti succedant; qui Mansionarii, et Cappellani nunquam de Gremio Capituli censeri debeant, minusque vocem, aut votum in Capitulo, ac Sessionibus Capitularibus habere valeant; omnes vero Archiepiscopo Utinensi pro tempore existenti, prout in aliis Cathedralibus et Metropolitanis Ecclesiis practicari solet, inservire teneantur, psallere, decantare, recitare, et respective celebrare, et alias dictae Ecclesiae in Divinis laudabiliter deservire debeant, et teneantur, dicta Apostolica auctoritate, etiam perpetuo erigimus, et instituimus.

Ordo praecedendi inter eos.

§. 4. Illis autem sic erectis, et institutis, pro mensarum Archiepiscopalis et respective Capitularis praedictae Ecclesiae, necnon Archiepiscopatus Utinensis hujusmodi, videlicet infrascriptam summam octomillium trecentorum, et sexdecim Ducatorum monetae Venetae, ei ut infra assignandam, et Praeposituae, ac Decanatus, et Primiceriatus, ac viginti quatuor Canonicatuum, totidemque Praebendarum, et duodecim Mansionariatuum, necnon octo Cappellaniarum, ut praefertur, erectorum, et erectarum, hujusmodi respective dote, illumque, ac illos, et illas pro tempore respective obtinentium congrua sustentatione,

Archiepiscopali Mensa reditus assignantur.

ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, omnia et singula fructus, redditus, proventus, obventiones, et emolumenta universa, tam ad praedictam olim Patriarchalem Aquilejensem Ecclesiam per Nos, ut praefertur suppressam, et extinctam, in Dominio Veneto existentia, quam ad praedictam Collegiatam Ecclesiam Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur, erectam quomodolibet spectantia, et pertinentia; ita tamen ut Mensae Archiepiscopalis Utinensis redditus annui sint in octo mille tercentum et sexdecim Ducatis monetae Venetae praedictae, ad rationem Librarum sex, et solidorum quatuor pro quolibet Ducato hujusmodi, licet redditus Mensae Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis praedictae in solis septem millibus quingentis nonaginta septem Ducatis similibus consisterent, attento quod praedicti Dux et Respublica Venetiarum, ad faciendam Nobis rem gratam, auxerunt redditus praedictae Mensae Archiepiscopalis Utinensis in ducatis septingentis novendecim similibus, quo intuitu etiam Dux, et Respublica praedicti continuabunt favore Sacristiae praedictae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris nuncupatae annuam praestationem trecentorum et sexdecim Ducatorum similium, quae prius praestabatur Sacristiae praedictae Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis.

§. 5. Praeposito vero septingenti sexaginta, et Decano sexcenti quinquaginta, ac Primicerio quingenti septuaginta, singulis vero ex viginti quatuor Canonicatibus trecenti quinquaginta quinque, ac singulis ex duodecim Mansionariis centum octoginta septem ducati monetae Venetae praedictae, cum dimidio alterius ducati paris, necnon singulis ex octo Cappellanis pro tempore existentibus praedictis octoginta octo ducati similes cum tribus quartis alterius ducati paris annuatim assignentur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, et appropriamus; ita quod liceat futuris Archiepiscopo Utinensi, ac Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et viginti quatuor Canonicis, ac duodecim Mansionariis, et octo Cappellanis praedictae Ecclesiae pro tempore existentibus, illorum omnium fructuum, redditum, jurium, obventionum, et emolumentorum veram, realem, et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios, eorum, ac dictarum Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis nominibus, propria auctoritate, libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, et proventus hujusmodi, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, ac in eorum, et Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis hujusmodi usus, et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita.

Portio redditus Mensae Archiepiscopalis percipienda ex perpetua Commenda Monasterii S. Petri de Rosacio.

§. 6. Praeterea, attenta dismembratione, ac separatione fructuum ex Bonis in Veneto Dominio existentibus ad Monasterium Abbatiam nuncupatum Sancti Petri de Rosacio Ordinis Sancti Benedicti olim Aquilejensis Dioecesis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, quod Dilectus similiter Filius noster Angelus Maria praedictae S. R. E. Cardinalis Quirini nuncupatus, modernus Episcopus Brixiensis, in Commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione Apostolicis ad praesens obtinet, quodque in similem Commendam ex pari concessione Apostolica ad vitam obtineri consuevit, spectantium, et pertinentium, in actu erectionis Ecclesiae Archiepiscopalis Goritiensis per Nos, ut praefertur, factis, ex tunc, et cum primum illud per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem dicti Angeli Mariae Cardinalis et Episcopi, aut alio quovis modo ex ejus persona, Commenda praedicta cessante, vacare contigisset, firmo remanente Titulo Commendae; cujus Monasterii taxa in libris Camerae Apostolicae descripta ad centum octoginta tres Florenos auri, cum uno tertio alterius Floreni similis, pro parte ad Mensam Archiepiscopalem Utinen. praedictam spectante, quae ab Archiepiscopo Utinensi pro tempore existente, utpote in provisione Ecclesiae Archiepiscopalis solvenda, in literis Apostolicis Commendae ejusdem Monasterii desuper expediendis persolvi non debebit, attento quod taxa Ecclesiae Utinensis ad mile Florenos auri, comprehensis dictis centum octoginta tribus Florenis hujusmodi cum uno tertio alterius Floreni paris, in praedictis libris, ut accepimus, descripta reperitur; quodque Monasterium, quia redditus ex Bonis in Veneto Dominio existentibus habet, Utinensis Dioecesis denominari, ac Archiepiscopis Utinensibus pro tempore existentibus, et non aliis personis, in Commendam,

rem cuili-
et Praeben-
ae, Officio
: Beneficio
e Archiepi-
copali Ec-
esia erec-
tis.

Apostolica auctoritate concedi, et assignari debeat, cum denominatione, seu titulo ejusdem S. Petri de Rosacio, ut praefertur, etiam factis, quas dicta Apostolica auctoritate confirmamus; eosdem fructus sic dismembratos, et separatos, et ad summam duorum millium ducatorum similium annuatim ascendentes, eidem Mensae Archiepisc. Utinensi, cujus favore annuatim solventur, ut adimpleatur summa octo millium trecentorum, et sexdecim ducatorum hujusmodi quotannis Archiepiscopo Utinensi pro tempore existenti a publica Capsa Utinensi, seu alia Reipublicae praedictae, donec et quousque tradantur fundi et stabilia, quae sint dicti annui redditus, nitidi, et liberi ab omnibus expensis; et quatenus praedictus Daniel Cardinalis et Patriarcha eidem Angelo Mariae Cardinali et Episcopo praemoriatur, tunc Dux, et Respublica praedicti subministrabunt bis mille Ducatos annuos similes Archiepiscopo Utinensi pro tempore existenti, donec tamen et quousque praedictum Monasterium per dicti Angeli Mariae Cardinalis et Episcopi cessum, vel decessum, aut alio quovis modo, ex ejus persona, Commenda praedicta cessante, vacare contigerit.

Proventus Capitularis Mensae designantur, et unde sint colligendi.

§. 7. Pro Capitulo vero, et omnibus Capitularibus praedictae Ecclesiae in Archiepiscopalem, ut praefertur, erectae, omnes et singulos redditus cujuscumque generis, et speciei, cum omnibus juribus, et actionibus, ac unionibus Beneficiorum Ecclesiasticorum, tam Capituli olim Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, quam praedictae Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Majoris in Archiepiscopalem, ut praefertur, erectae, ad tredecim mille et quadringentos ducatos similes in totum annuatim ascendentes, non deductis oneribus, itaut, facta distributione inter singulos, ut supra, superesse debeant annuatim sexaginta ducati pares in salarium Acolytorum, qui praedictae Ecclesiae inservient, erogandi, Apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo applicamus et appropriamus: ad praedictam itidem Ecclesiam in Archiepiscopalem, ut praefertur erectam, omnia et singula Anniversaria, et onera Missarum, ac Officia, habentia fundos, et redditus in ditione Veneta, similiter perpetuo transferimus, in eaque celebrari mandamus.

§. 8. Insuper quod semper, et quandocumque Archiepiscopalis Ecclesia Utinensis per nos, ut praefertur, erecta, Pastoris solatio destituta fuerit, ad illam Archiepiscopus Utinensis pro tempore, ut infra, nominandus teneatur ad solutionem taxae a Collegio Venerabilium Fratrum Nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium statutam, tam ratione praedictae Ecclesiae Utinensis, quam ratione praedicti Monasterii Santi Petri de Rosacio, in parte, ut supra, Mensae Archiepiscopali Utinensi praedictae assignata, quin teneatur ad utriusque taxae solutionem praedictus Daniel Cardinalis et Patriarcha, quem Nos, absque alia de ejus persona Ecclesiae Utinensis praedictae de novo facienda provisione, et praefectione, in Archiepiscopum Utinensem declaramus, ipsumque eidem Ecclesiae Utinensis praefectum fuisse et esse volumus; et cum in Archiepiscopum Utinensem praedictum successerit Venerabilis Frater Noster Bartholomaeus Gradenigo modernus Episcopus Thiatirensis in partibus Infidelium, ex nunc pro tunc a Duce et Republica praedictis ad illam nominatus, quatenus tamen in actu, quo ipse alias praedicto Danieli Cardinali et Patriarchae Coadjutor perpetuus, et irrevocabilis in regimine et administratione dictae olim Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, cum futura in illa successione, Apostolica auctoritate praedicta constitutus et deputatus fuit, jura et emolumenta eisdem Collegio, et Camerae Apostolicae debita persolverit, et non alias, quod in actu expeditionis suarum novarum Literarum Apostolicarum Coadjutoriae, teneatur tantum ad solutionem taxae praedicti Monasterii Sancti Petri de Rosacio, pro qua taxa praestare debeat praedicto Collegio, et Cancellariae idoneam cautionem, eadem Apostolica auctoritate declaramus.

Provisioni quaedam Ecclesia U nensi, A chiepiscop ejusque C djutore.

§. 9. Praeterea eisdem futuris, et pro tempore existentibus Ecclesiae Utinensis Archiepiscopo, Capitulo, et Canonicis, et Dignitates praedictas obtinentibus, ut ipsi capitulariter congregati, pro dictae Ecclesiae Utinensi, ac illius Mensae Capitularis, Sacristiae, et Fabricae, earumque rerum, et bonorum, tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique statu, regimine, gubernio, et directione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, Missarum, Horarum Canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque Divinorum Officiorum, Pro-

Capitu Utinensis f cultas co dendi statu ta, eaqu reformandi ac revocan di.

cessionum, Funeralium, et Anniversariorum celebratione, ac de Dignitatibus, Canonicatibus, et Praebendis, ac Mansionariis, et Cappellanis praedictis, aliisque Ministeriis Ecclesiasticis inibi pro tempore providendorum receptione, et admissione, personali residentia, distributionum etiam quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque repartitione, et administratione, poenarum per absentes, ac Divinis Officiis, et Functionibus suis loco et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes, incurrendarum impositionem, atque incursum, singulorum praesentiis et absentiis notandis, caeremoniis, et ritibus in praedicta Ecclesia, illiusque Choro, Capitulo, Processionibus, et aliis actibus servandis, necnon illius Ministris deputandis et amovendis, salariis, et stipendiis eorum cuilibet assignandis, et quibusvis aliis rebus, in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque Statuta, Ordinationes, Capitula, et Decreta, licita tamen, et honesta, ac sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis, et Constitutionibus Apostolicis non contraria, condere et edere, conditaque et edita, pro temporum et rerum variatione, et qualitate, mutare, limitare, corrigere, declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, seu alia de novo etiam ex integro, de consensu tamen semper Archiepiscopi Utinensis pro tempore existentis, condere, et per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contrafacientes statuendis, observari facere libere et licite valeant, plenam, liberam, et omnimodam facultatem, et potestatem, et auctoritatem, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et impertimur.

Dignitates, Canonici, et Mansionarii peculiaribus insignibus, et consuetis juribus, ac privilegiis decorantur.

§. 10. Ulterius futuris praedictae Ecclesiae Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et viginti quatuor Canonicis, necnon duodecim Mansionariis praedictis, eorumque in Praepositura, ac Decanatu, et Primiceriatu, et singulis Canonicatibus, et Praebendis, necnon Mansionariatibus hujusmodi successoribus respective pro tempore existentibus, ut ipsi, Praepositus videlicet, ac Decanus, et Primicerius, ac viginti quatuor Canonici praedicti, Cappam magnam violacei coloris, pellibus armellinis subsutam, et Rocchettum; Mansionarii vero praedicti Almutiam, tam in praedicta Ecclesia, quam extra eam, et tam in Processionibus, quam aliis actibus, et functionibus quibuscumque publicis, et privatis, etiam extra Civitatem Utinensem praedictam, ac ubique locorum, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, Generalibusque Conciliis, ac etiam in praesentia dictorum Venerabilium Fratrum Nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium, etiam de Latere Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et Ordinarii etiam proprii, ac aliorum quorumcumque, ac etiam in ipsius Ecclesiae Choro, et Capitulo, quibusvis anni temporibus, et diebus, deferre et gestare, illisque respective uti, libere, et licite possint, et valeant; eisdem quoque Praeposito, et Decano, et Primicerio, et viginti quatuor Canonicis, necnon duodecim Mansionariis pro tempore existentibus praedictis, ut ipsi, eorumque Officiales, et Ministri, ac respective bona, proprietates, et jura quaecumque, omnibus et singulis, tam spiritualibus, quam temporalibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, quibus aliarum similium Archiepiscopalium, et Metropolitanarum Ecclesiarum illarum partium, Capitula, Dignitates, Canonicatus et Praebendas, ac Mansionariatus in eis obtinentes, eorumque Officiales, et Ministri, ac bona, jura, res, et proprietates, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, seu privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter, ac aeque principaliter, et absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque Canonibus, praedicti Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis praedictis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite etiam possint, et valeant, perinde ac si eis nominatim et expresse concessa fuissent, eadem Apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et indulgemus.

Jus nominandi Archiepiscopum, Decanum, Primicerium, et duodecim Canonicos, reservatur Venetae Reipublicae.

§. 11. Et insuper, attentis Ducis et Reipublicae praedictorum erga Sanctam Sedem particularibus meritis, eisdem Duci et Reipublicae jus nominandi ad praedictam Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, quoties eam pro tempore quomodolibet, non tamen per obitum

apud Sedem Apostolicam praedictam, Pastoris solatio destitui contigerit, Personam idoneam, per Nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, ad nominationem hujusmodi, eidem Ecclesiae Utinensis in Archiepiscopum praeficiendam; necnon ad Decanatum, et Primiceriatum, et duodecim ex dictis vigintiquatuor Canonicatibus et Praebendis, per Nos, ut praefertur, erectis hujusmodi, certis Sanctorum nominibus, ut infra, designandos, quandocumque et quotiescumque illos et illas de caetero, quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, etiam Nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis praedictae S. R. E. Cardinalium etiam tunc viventium familiaribus, et continuis Commensalibus, seu Romanae Curiae Officialibus, aut alias reservationem et affectionem inducentibus, seu per liberas, etiam ex causa permutationis, respective resignationes de illis in Romana Curia praedicta etiam in Nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, vel extra eam quomodolibet respective factas et admissas, aut assequutionem aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, seu illos et illa pro tempore respective obtinentium in aliquo ex Mensibus Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, ac eidem Sedi Apostolicae, reservatis, decessum, aut quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, Religionis ingressum, et Professionis in ea emissionem, Matrimonii contractum, aut alias quomodocumque, et qualitercumque, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam praedictam, vacare contigerit, Personas itidem idoneas, in Decanatu, ac Primiceriatu, ac duodecim ex dictis viginti quatuor Canonicatibus et Praebendis per Nos, ut praefertur, erectis hujusmodi, per Ordinarium Loci respective instituendas, simili Apostolica auctoritate perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus. Necnon Jus nominandi hujusmodi, tam ad dictam Ecclesiam Utinensem, quam ad Decanatum, et Primiceriatum, ac duodecim ex dictis viginti quatuor Canonicatibus et Praebendis, ut praefertur, erectis hujusmodi, Regium existere, eisdemque Duci et Reipublicae semper et perpetuo competere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem Juris nominandi Regii hujusmodi, obtinere, ac uti tale, sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praegnantissimis et efficacissimis clausulis, et decretis, in quacumque dispositione, etiam per viam Constitutionis, Legis, Regulae Cancellariae Apostolicae, aut alias quomodocumque facta, nullatenus comprehendi, neque illi ullo umquam tempore, et ex quavis causa, derogari posse, neque debere, ac Collationes, provisiones, et quasvis alias dispositiones de Decanatu et Primiceriatu, ac duodecim ex viginti quatuor Canonicatibus et Praebendis, ut praefertur, erectis hujusmodi, absque Ducis et Reipublicae praedictorum consensu, seu nominatione, pro tempore factas, processusque desuper habendos, et inde sequenda quaecumque, nulla, et invalida, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi, nec jus, aut coloratum titulum possidendi cuiquam per illa tribui posse, decernimus.

Aliud jus nominandi ad certum Canonicatum, et Praebendam Capitulo reservatum.

§. 12. Capitulo vero et Canonicis praedictae Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur, erectae, Jus nominandi ad Canonicatum, et *Masolini* nuncupatam Praebendam, ex dictis vigintiquatuor Canonicatibus et Praebendis per Nos, ut praefertur, erectis, utpote semper considerandos ex fundatione, vel dotatione, de Jurepatronatus Laicorum, quoties illos quovis modo, et ex cujusvis persona, non tamen per obitum apud Sedem praedictam, vacare contigerit, personam idoneam ab eisdem Capitulo et Canonicis in illis instituendam, similiter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus.

Provisio seu respective Institutio in praefatis Dignitatibus, et Canonicatibus Jurispatronatus Reipublicae, quomodo moderanda.

§. 13. Sed ne ex praedicta reservatione Juris nominandi Duci et Reipublicae, praedictis, ut praefertur, concessa, tantum oriatur praejudicium praedictae Cancellariae Apostolicae; decernimus et declaramus, quod tam Decanatus, quam Primiceriatus, et duodecim ex vigintiquatuor Canonicatibus et Praebendis, ut praefertur, erectis hujusmodi, vacationibus extra praedictam Curiam in Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, et Novembris mensibus quovis modo pro tempore occurrentibus; ad illos et illas a Duce et Republica praefatis nominati, exhibere debeant eorum nominationem in Dataria Apostolica, et subinde Apostolicas Literas, cum expressione fructuum in viginti quatuor Ducati auri de Camera, in Cancellaria Apostolica expedire teneantur. Va-

rationibus autem praefatis in aliis sex, Februarii videlicet, ac Aprilis, et Junii, ac Augusti, et Octobris, nec non Decembris mensibus occurrentibus, ad illos et illas nominati, Patentales literas eorum institutionibus ab Archiepiscopo Utinensi pro tempore existente reportare debeant. Literae autem Apostolicae collationis praedictae Praepositurae, quae, utpote Dignitatis, post Pontificalem majoris existentis, semper ad Sedem Apostolicam praedictam pertinebit, cum expressione pariter illius fructuum in viginti quatuor ducatis auri de Camera expediantur.

Quid de Canonicatibus liberae collationis.

§. 14. Idemque servabitur in literis Apostolicis collationis aliorum undecim Canonicatuum, totidemque Praebendarum, ut praefertur, erectorum et erectarum hujusmodi, quorum, tamquam liberae collationis existentium, collatio facienda erit a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, vel ab Archiepiscopo Utinensi pro tempore existente, ad formam Regularem ejusdem Cancellariae Apostolicae. Et quoad duodecim Mansionariatus, ac octo Cappellanias, ut praefertur, erectos et erectas hujusmodi, utpote de sui natura ad nutum amovibiles, praedictis Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae Jus eligendi libere Mansionarios et Cappellanos, quo prius potiebantur Capitulum et Canonici praefatae Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, necnon ejusdem Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur, erectae juxta antiquam consuetudinem; quodque cura animarum dilectorum Filiorum Parochianorum ejusdem Ecclesiae Utinensis penes Capitulum et Canonicos praefatae Ecclesiae Utinensis remaneat, exercenda tamen per unum et alterum Vicarios ab eisdem Capitulo et Canonicis nominandos, et ad eorum nutum amovibiles, similiter reservamus, concedimus, ac respective declaramus.

Deque Mansionariis, et Cappellanis.

Cura animarum actualis, et habitualis penes quos?

§. 15. Denique, quod praedictus Daniel Cardinalis et Patriarcha, necnon pro tempore existens Archiepiscopus Utinensis, de Consilio Capituli, et Canonicorum praedictae Ecclesiae Utinensis, distinguere, seu declarare debeat Praebendas Canonicales hujusmodi Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, nec non, ad praescriptum Concilii Tridentini praedicti, etiam Theologalem, et Poenitentiariam Praebendas ejusdem Ecclesiae Utinensis, ut praefertur, erectae, praevio concursu conferendas: Quodque cum justum non sit, quod remaneant totaliter expoliati nonnulli ex antiquis Canonicis, Mansionariis, et Cappellanis tam praefatae Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, quam ejusdem Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Major. nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur, erectae, quibus locus esse non potest, attento determinato numero Praebendarum in praedicta Archiepiscopali Ecclesia; onus esse debeat ejusdem Ecclesiae Utinensis Capituli et Canonicorum, dictis Presbyteris Congruam praebere, vita eorum naturali durante, vel donec ipsi aliter provideantur, qua sese sustentare valeant, et quatenus aliqua emergeret difficultas super assignatione praefatae Congruae per Capitulum et Canonicos praedictos, ut praefertur, praestandae, quod idem Daniel Cardinalis et Patriarcha illam pro suo arbitrio prudenter componere, et concordare; prout etiam decernere quantitatem distributionum a solis interessentibus Choro personaliter lucrandarum, valeat; quodque, quod eam Dioecesis Aquilejensis partem in Civitate, et Dioecesi Veronensi existentem, haec ut prius, remanere debeat subjecta praefato Danieli Cardinali Patriarchae, vita ejus naturali durante, neque hoc intermedio tempore omittemus omnem opportunam capere providentiam in eo quod respiciet futurum tempus; et si dictus Daniel Cardinalis et Patriarcha e vivis decederet, quod Deus avertat, antequam capta fuisset dicta providentia, exequenda, ut supra, post obitum praefati Danielis Cardinalis et Patriarchae, ne Capitulum Veronense, ac Monasterium Sanctae Mariae in Organo nuncupatae Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis, et aliae Ecclesiae in Civitate, et Suburbiis Veronensibus positae, olim Patriarchatui Aquilejensi per Nos, ut praefertur, suppresso et extincto subjectae, ullo unquam tempore sint sine capite, et ne via aperiatur inconvenientibus ex causa praetensionum bene notarum Capituli et Canonicorum Ecclesiae Veronensis super aliquibus Ecclesiis, et Monasteriis; ex nunc pro tunc decernimus, Venerabilem Fratrem Nostrum Episcopum Veronensem, uti Apostolicum Delegatum, exercere debere super Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Veronensis praedictae, et Monasterio

Archiepiscopo, cum consensu Capituli, reservatur distinctio Praebendarum in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales ac designatio Theologalis, et Poenitentiariae. Indemnitati consulitur nonnullorum Canonicorum, et Presbyterorum extinctae Patriarchalis, et Collegiatae in Metropolitanam erectae.

Peculiaris dispositio de parte Aquilejensis Dioecesis, sita in Veronensi Civitate et Dioecesi.

praefato, aliisque Ecclesiis praedictis omnem eam jurisdictionem, siquam hactenus exercuerunt Patriarchae Aquilejenses, usque dum fuerit examinatum a Sancta Sede totum id, quod opus est examinari, ut rectum judicium dari possit super praetensionibus, nedum Episcopi, verum etiam Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Veronensis praedictorum, similiter declaramus.

Clausulae, et Decreta pro praemissorum firmitate.

§. 16. Praesentes quoque literas semper et perpetuo validas et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari posse; nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et Sedem Apostolicam praedictam, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter pro tempore factis, et faciendis, comprehendi, vel confundi; sed tamquam ad Fidei Catholicae exaltationem, Divinique cultus incrementum, et animarum aedificationem et solatium, factas et emanatas, semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data, per futuros, et pro tempore existentes Archiepiscopum, et Capitulum, et Canonicos Utinensis praedictos, ac alios, quorum favorem eaedem praesentes literae quomodolibet concernunt, quandocumque eligenda, concessas, validasque fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; et sic ab omnibus censeri; et ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, et quoslibet alios quavis praerogativa et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis, ac eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, in quavis causa et instantia judicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam etc. irritum et inane motu pari similiter decernimus.

Amplissima derogatio contrariis quibuscumque.

§. 17. Non obstantibus etc. quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, et Generalibus Conciliis editis vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Nostris, et Cancellariae praedictae Regulis, de jure quaesito non tollendo, ac de gratiis adinstar non concedendis, et de exprimendo vero annuo valore, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones, et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quatenus opus sit, praefatae Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem, ut praefertur erectae, etiam juramento etc. roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Superioribus et Personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis Decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam pluries ac iteratis vicibus concessis confirmatis, approbatis, et innovatis; Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia etiam exquisita et peculiaris forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validitatis effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, ac latissime et plenissime, harum quoque serie, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, derogamus, contrariis quibuscumque. *Et post alia.*

Sanctio poenalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum absolutionis, sup-

pressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, concessionis, dismembrationis, separationis, assignationis, unionum, confirmationis, declarationis, applicationis, annexionis, incorporationis, facultatum impertitionis, Indulti Juris nominandi, reservationis, extensionis, Decreti, mandati etc. et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, etc. incursurum.

Dat. die 19. Januarii Pont. 13.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, quartodecimo Kalendas Februarii Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

Expedita in Cancellaria Apostolica.

X.

INDIARUM ORIENTALIUM

Vicariis Apostolicis Episcopis, non habentibus Episcopum Coadjutorem cum futura Successione, nec Vicarium Generalem, injungitur, ut sibi constituant Vicarium Generalem, cui amplissimae facultates in casu obitus Vicarii Apostolici, a Pontifice conceduntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pontificis sollicitudo in omnes etiam longe dissitas Ecclesias.

Ex sublimi hac Sacrosancti Apostolatus specula, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, impositam imbecillitati nostrae omnium Ecclesiarum solicitudinem, et omnium animarum JESU CHRISTI Sanguine redemptarum procurationem assidue cogitantes, advigilare, ac providere adnitimur, ut opportunas Apostolicae charitatis potestatisque nostrae partes, in Regionibus praesertim, et Provinciis ab Europa tam longe dissitis, quoad Nobis integrum est, desiderari minime patiamur.

§. 1. Quoniam autem non sine gravissima Pontificii animi nostri molestia accepimus, saepe accidisse, aliquem scilicet ex Vobis, Venerabiles Fratres, istarum Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis, Episcopali titulo, et charactere insignitum, sed sine Coadjutore cum futura successione, viam universae carnis ingressum, ad repositam in Coelis Coronam apostolicis laboribus paratam evolasse, ac neminem, qui Ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico jurisdictionem exerceret, repertum, aut deputatum fuisse: Hinc est, quod omnibus, et singulis Vicariis Apostolicis hujusmodi injungimus, et mandamus, ut qui neque Episcopum Coadjutorem cum futura successione, neque Vicarium, ex Clero sive saeculari, sive regulari, Generalem habent, statim atque ad unumquemque eorum praesentium nostrarum literarum certa notitia pervenerit, deputent Vicarium ex Clero sive saeculari, sive regulari Generalem, habilem tamen, atque idoneum, qui eveniente cujusvis Apostolici Vicarii sine Coadjutore cum futura successione obitu, tanquam Apostolicae hujus Sanctae Sedis Delegatus, teneatur assumere, et obire regimen, et gubernium Apostolici Vicariatus, usque ad captam ejusdem Vicariatus Apostolici hujusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem haec Sancta Sedes constituerit, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa Sancta Sede ineundam ordinationem.

Vicarii Apostolici Episcopum Coadjutorem non habentes jubentur assumere Vicarium Generalem.

Qui ipsis obeuntibus Vicariatus regimen assumat.

§. 2. Porro Vicario Generali hujusmodi per Apostolicum quemque Vicarium sibi, ut praemittitur, deputando, Nos earumdem praesentium tenore, nunc pro tunc, Apostolica auctoritate nostra concedimus, et tribuimus omnes, et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis Capitularibus cujusvis Cathedralis Ecclesiae, Sede vacante, inesse, et de jure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario Generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum, concedimus, pariterque impertimur usum, et exercitium earum facultatum, quibus utebatur, et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus; iis dumtaxat exceptis, quae requirunt Ordinem, et Characterem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeat, saepedicto Vicario Generali potestatem etiam indulgemus et damus, consecrandi Calices, Patenas, et Altaria portatilia, cum Sacris Oleis omnino ab Episcopo benedictis.

Amplissimae designato Vicario facultates tribuuntur.

§. 3. Itaque, Venerabiles Fratres, ex Apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae ratione, maxime ad procurandam salutem animarum consentanea, a Nobis suscepta, atque unicuique Vestrum praecepta, animadvertite,

Cohortatio ad Apostolicos Vicarios.

quanta sit Apostolici muneris unicuique Vestrum injuncta cura: Atque eapropter satagite, ut per assiduos labores, vigilantiam pastoralem, sollicitudinemque contendatis, ne quispiam Christifidelium Vobis commissorum, et de quibus ratio Supremo Pastorum Principi Æterno Judici reddenda est, pereat; Sed potius, ut omnes aeternam salutem consequantur, ut Vobis merces vestris meritis debita a justo Remuneratore Deo tribuatur. Nos interim coelestis praesidii auspicem Apostolicam Benedictionem, in Populos etiam vestrarum Dioecesum et Provinciarum redundaturam, Fraternitatibus Vestris peramanter impertimur.

Exemplorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, et a Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Praepositorum Praefecto, et Secretario pro tempore existentibus subscriptis, et Sigillo ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. die 26. Jan. 1753.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Januarii MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo tertio.

Cajetanus Amatus.

X.* Indulgentia Plenaria a Gregorio Papa XIII. concessa singulis Ecclesiis Fratrum Ordinis S. Francisci de Paula minimorum in Festo ejusdem sancti confirmatur, et extenditur ad Ecclesias Monialium dicti Ordinis sub cura, et regimine eorumdem Fratrum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum fel. recordat. Gregorius Papa XIII. Praedecessor noster omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui singulas Ecclesias Conventuum, seu Domorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupat. ubicumque existentes die Festo ejusdem Sancti Francisci de Paula a primis vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem perpetuo concessit, et alias prout in ipsius Gregorii Praedecessoris desuper in simili forma Brevis die prima Aprilis MDLXXIX. Pontificatus sui Anno septimo expeditis Literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus Galindo praedicti Ordinis Zelosus, seu Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam praedictam ad Ecclesiam Monialium dicti Ordinis sub cura, regimine, et administratione Fratrum ejusdem Ordinis existentium, et ad Octavam ejusdem S. Francisci de Paula quoad Ecclesias memorati Ordinis in Hispaniarum Regnis existentes per Nos extendi, et ampliari summopere desideret; Nos igitur piis ejusdem Francisci Zelosi, seu Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supradictam Indulgentiam Plenariam singulis Ecclesiis memorati Ordinis perpetuo a memorato Gregorio Praedecessore die Festo ejusdem Sancti Francisci de Paula concessam, ad Ecclesias Monialium dicti Ordinis sub cura, et regimine, ac administratione Fratrum hujusmodi existentium die Festo hujusmodi, et ad septem dies immediate sequentes Festum dicti S. Francisci de Paula per unumquemque Christifidelem semel quolibet anno spatio dictorum septem dierum lucrifaciendam quoad Ecclesias praedicti Ordinis in Hispaniarum Regnis dumtaxat sitas, in perpetuum Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, extendimus, et ampliamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu dicti Ordinis Zelosi, seu Procuratoris Generalis subscriptae, et sigillo Ordinis praedicti munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

Pro D. Cardinali Passioneo.

Joannes Florius Substitutus.

XI. CARDINALES

Episcopos Suburbicarios, in propria Cappella sui Palatii Romae existentis, non posse suis Subditis, praeter primam Tonsuram, conferre Majores, vel Minores Ordines, nisi requisito et praeobtento Cardinalis Urbis Vicarii consensu.

Venerabili Fratri Nostro, Fr. Joanni Antonio Episcopo Tusculano S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, Nostro in Urbe ejusque districtu Vicario Generali.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quaenam orierit Episcopalae conscribendae occasio.

Ad audientiam Nostram nuper admissa Fraternitas Tua nobis detulit, in hac ipsa Urbe, superiore anno 1752. impressum Typis fuisse exiguum Tractatum *de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, auctore Religioso Viro aeque pio, ac in Theologia Morali, et Canonica facultate versato; eoque in Opusculo fuisse affirmatum, licere Episcopis Suburbicariis in Sacellis suarum Ædium, quas Romae incolunt, subditos suos Clericali Tonsura, et Minoribus Ordinibus initiare, non requisito, aut obtento Fraternitatis Tuae opportuno assensu, seu necessaria licentia: Id autem tibi visum esse Officii tui juribus detrahere. Quod quum Nobis etiam tunc visum fuerit, multo magis in sententia persistendum duximus, postquam perlecto memorati Opusculi *cap.* 13. *quaest.* 12. ubi auctor quaestionem hanc discutit, rem ipsam nobiscum consideravimus, atque perpendimus.

Consuetudo haec in re hactenus servata, ejusque efficacia.

§. 1. Porro ad sententiam nostram inconcussa stabilitate firmandam sufficeret id, quod ex Tabularii tui monumentis eruitur, nimirum Cardinales Suburbicarios, quoties in Sacellis suarum Ædium cuiquam ex propriis subditis primam Clericalem Tonsuram Minoresque Ordines conferre voluerunt, toties opportunam ad id licentiam a Cardinalibus Urbis Vicariis pro tempore existentibus quaesisse, et obtinuisse. Est enim in rebus omnibus magna consuetudinis auctoritas; nec jure et recte plerumque agit, qui novitates inducit, aut inducendas suadet.

Tridentini Sanctio quoad Pontificalia in aliena Dioecesi exercenda.

§. 2. Verum rem ipsam penitus investigantibus, occurrit perspicuum Concilii Tridentini decretum *sess.* 6. *cap.* 5. *de Reform.* ubi haec leguntur. *Nulli Episopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum:* indicta in Episcopum huic legi contrafacientem poena Suspensionis ab exercitio Pontificalium; in Ordinatum vero Suspensionis ab Ordinum susceptorum exercitio, ipso jure incurrenda.

Traditur genuinus ejusdem sensus.

§. 3. In quo animadvertenda est (quod per transennam dictum intelligatur) Sacri Concilii severitas; dum, ut Episcopo in aliena Dioecesi commoranti liceat Pontificalia exercere, non solum expressam Ordinarii Loci licentiam obtinendam decernit, sed insuper vetat, ne is Episcopus Pontificalia exerceat, praeter quam in subditos ejusdem loci Ordinarii: *et in personas eidem Ordinario subjectas tantum.*

Exemplisque illustratur.

§. 4. Quare si Decreti Literae strictius inhaereas, ac proponatur exempli causa Episcopus Placentinus Bononiae existens, posset hic quidem, accedente expressa licentia Archiepiscopi Bononiensis, Pontificalia exercere in Dioecesanos Bononienses; sed minime ipsi liceret, quantumvis eodem assentiente Archiepiscopo, Pontificalia exercere in Mutinensem quempiam, qui Episcopi sui Dimissorialibus Literis munitus, Bononiam accessisset.

Mitior interpretatio Congregationis Concilii.

§. 5. Hoc autem procedere dictum est, si stricte sumantur relata superius Concilii verba: *et in personas eidem Ordinario subjectas tantum.* Non tamen ignoramus, Congregationem Cardinalium ejusdem Concilii interpretum censuisse, ac statuisse, Episcopum in aliena Dioecesi commorantem posse non solum, cum Ordinarii localis licentia, in ipsius Ordinarii subditos Pontificalia exercere, sed etiam, eadem accedente licentia, in subditos aliorum Episcoporum, Dimissoriales Literas sui Ordinarii afferentes.

Ejusdem Decretum.

§. 6. Extat Resolutio Congregationis anno 1573. edita, *lib.* 1. *Decretor. pag.* 85. *a tergo*, tenoris sequentis. *Prosper Vitalinus Episcopus Bisianensis, requisitus ab Archiepiscopo Neapolitano, ut ejus nomine in illa Civitate Ordinationes habeat, et non solum eidem subditos, sed aliarum quoque Dioecesum, si qui forte advenerint, de licentia sui Ordinarii expostulantes, Clericali charactere insignire velit; ipse quidem cupit illius*

morem gerere voluntati, sed aliquantulum veretur, an id sibi tuto facere liceat, ex Capite ultimo Sessionis sextae de Reformatione. Sacra etc. censuit, licere, si illi, qui aliarum Dioecesum erunt, habuerint Literas Dimissorias a suis Ordinariis. Idque confirmatum invenitur altera resolutione edita *die* 25. *Junii* 1599. *lib.* 9. *Decret. pag.* 73. *a tergo*.

Perstat tamen, sine licentia Ordinarii loci non posse ab alieno Pontificalia exerceri.

§. 7. Verum hujusmodi Tridentinae legis rigor, licet adductis Congregationis resolutionibus, et successivi temporis usu nonnihil mollitus et temperatus, satis indicat, quaenam Episcopo in aliena Dioecesi existenti praescripta sit recta agendi ratio; ne scilicet inibi umquam Pontificalia exercere valeat, absque Ordinarii Loci expressa licentia: et consequenter aperte demonstrat, non posse Cardinalem Episcopum Suburbicarium, quum in Urbe est, in proprio Sacello Tonsuram, et Minores Ordines alicui impertiri, non obtenta ad id Cardinalis ejusdem Urbis Vicarii licentia.

Tria assumptionis firmissima fundamenta.

§. 8. Quod ut firmiter statuatur, tria demonstrari oportet. Primum nempe, Cardinalem Episcopum Suburbicarium, dum in urbe moratur, in sua Dioecesi non esse; quod satis perspicuum videtur, quum Romana Urbs ad Episcopi Romani Dioecesim pertineat, nec unam Dioecesim cum alia confundi oporteat, veluti aperte evincitur ex nostra Constitutione 115. §. 21. *Bullarii nostri Tom.* 1. Alterum vero, Cardinalem Vicarium Romae Ordinarium esse; idque extra controversiam omnino est, quum ipse personam repraesentet Pontificis, non qua Pontifex est, sed qua Episcopus Urbis Romae: juxta id, quod a Nobis demonstratum fuit, in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. *et* 2. et latius fortasse explanabitur in nova ejusdem Operis editione, quam, Deo vitam et valetudinem Nobis largiente, pluribus atque proficuis additamentis auctam adornare constituimus. Tertium denique, in collatione Tonsurae et Ordinum Minorum, Pontificalia exerceri; id quod inficiari nemo potest, quemadmodum diligenter advertit Thesaurus in suo Tractatu *de Poenis Ecclesiasticis part.* 2. *verbo Episcopus*, *cap.* 4. *num.* 3. ubi recte observat, Pontificalium nomine, ad effectum, de quo nunc agimus, venire non modo quorumvis Ordinum, etiam Minorum collationem, sed etiam consecrationem Vasorum Ecclesiae, ac Virginum, et Chrismatis, necnon Sacramenti Confirmationis ministrationem, ac indumentorum, et Corporalium benedictionem: hoc uno interjecto discrimine inter collationem Ordinum, et reliquos praememoratos actus, quod Episcopus Ordines conferens extra propriam Dioecesim absque Ordinarii Loci licentia, suspensionis poenam, ut supra dictum est, ipso jure incurrit; at reliquos recensitos actus exercendo, eidem poenae nequaquam subjicitur, quum lex non adsit, quae eam ferat; quamvis caeteroquin praemissa agens, peccati reus fiat.

Paulus IV. Vicariatum Urbis Cardinalium Collegio adnectit.

§. 9. Ex Actis Consistorialibus anni 1558. comperimus, Praedecessorem nostrum Paulum IV. in Consistorio habito die 18. Novembris, Officium Vicarii Urbis S. R. E. Cardinalium Collegio adnexum perpetuo decrevisse; qua ex re quum magna honoris accessio hujusmodi Officio facta fuerit, minime mirum videri debet, si idem munus subinde singularibus quibusdam, et insignioribus praerogativis decoratum fuit. Eas omnes hic recensere minime nobis propositum est; sed satis erit de iis sermonem habere, quae pertinent ad Ordinum collationem, specialiter vero quoad subditos Episcoporum Cardinalium, qui Suburbicarii appellantur.

Decretum Clementis VIII. de Exteris ad Ordines quocumque promovendis Vicario Urbis.

§. 10. Quod spectat ad Ordinum collationem in genere, Clemens VIII. Pont. Max. Decretum edidit, quo statuit, omnes exteros in Urbe degentes, qui ad Sacros Ordines, sive Minores, sive Majores, promoveri cupiunt, etiamsi dimissorias Literas a suis Ordinariis obtinuerint, quarum vigore a quocumque Episcopo ordinari possent, nihilominus neque his uti, neque Sacros Ordines extra Urbem suscipere posset, nisi antea examinati et approbati fuerint ab Examinatoribus Cardinalis Urbis Vicarii, hujusque licentiam obtinuerint, idque sub poena Suspensionis, quam porro sequitur Irregularitas, si Ordinatus contra formam Decreti, in susceptis Ordinibus ministrare praesumpserit. Clementis Decretum editum fuit die 24. Novembris anni 1603. deindeque instauratum ab Alexandro VII. sub die 15. Maii 1664. Quum vero postmodum nonnullae obortae fuerint quaestiones super Decreti interpretatione, ac praecipue, quinam censeri deberent Clerici exteri in Urbe commorantes sub ipsius Decreti censura comprehensi; et utrum eidem Decreto obnoxii dicendi essent ii, qui postquam in Urbe per aliquod temporis spatium morati fuerint, non examinati a Cardinalis Vicarii Exa-

Confirmatum ab Alex. VII. Exortasque de eo controversias definivit particularis Congregatio anno 1668.

minatoribus, abscendunt, ut Sacros Ordines suscipiant a proprio Ordinario, quem scilicet proprium agnoscunt, sive ratione originis, sive domicilii, aut beneficii, aut denique triennalis servitii: Haec omnia opportunis Decretis definita fuerunt in Congregatione particulari habita anno 1668. cujus Resolutiones videri possunt relatae per accuratissimum Rigantium *Tom. II. ad Regulas Cancellariae Reg.* 24. §. 3. *a num.* 177. *ad* 185.

Episcopi Suburbicarii Suffraganeum non habentes, ad solum Urbis Vicarium Subditos suos Ordinandos dirigere possunt, ex Const. Alex. VII. 126.

§. 11. Speciale hoc jus Cardinalis Urbis Vicarii circa exteros in Urbe degentes, indeque abscedentes, ut alibi ad Ordines promoveantur vigore Literarum Dimissorialium a propriis Ordinariis obtentarum, alterum subsequitur jus circa subditos Episcoporum, qui Suburbicarii vocantur. Nonnulli ex his Suburbicariis Episcopis Suffraganeum habent, alii non item. Porro, juxta regulas generales, qui Suffraganeum non habent, possent suis subditis Dimissorias Literas dare, ut a quocumque Antistite ad Ordines promoverentur. Verum laudatus Praedecessor Alexander VII. in sua Constitutione, quae incipit *Apostolica sollicitudo*, et impressa est *Bullarii Tom. VI. num.* 126. decrevit, ne a Cardinalibus Episcopis Suburbicariis concederentur suis subditis Literae Dimissoriae ad Ordines sive Minores, sive Majores suscipiendos, alteri cuiquam directae, praeterquam Cardinali Urbis Vicario; volens nimirum, ut in Urbe omnino ordinentur, praemissis in religiosa domo ad id designata, ante cujuslibet Sacri Ordinis susceptionem, spiritualibus decem dierum Exercitiis. Quo vero ad illos ex Episcopis Suburbicariis, qui Suffraganeum habent, idem Alexander in citata Constitutione decrevit, canonicis quibusdam indictis poenis in eos, qui contra fecissent, neminem ex iis Dioecesibus posse per hujusmodi Suffraganeos ad Majorem quemcumque Ordinem promoveri, nisi peractis antea in Urbe, et in praefata domo, Exercitiis spiritualibus per decem dies ad unumquemque ex iisdem Majoribus Ordinibus.

In propriis tamen Dioecesibus manentes non prohibentur per se, vel per alium Ordinationes habere.

§. 12. Alexandrinae Constitutionis Litera satis perspicua est. Nam quoad Suburbicarios Episcopos, qui Suffraganeum non habent, statuit, ut ipsorum subditi *ad Minores, vel Sacros Ordines promovendi, cum Literis Dimissoriis sui Ordinarii, ad memoratum Vicarium, et non ad alium Antistitem, directis, ad Urbem accedant, ibique, et non alibi, ordinentur.* Quo vero ad eos, qui Suffraganeos habent, edicit, ne quis ex eorum subditis ad Majores Ordines promoveatur, *nisi prius etc. ad minus per decem dies a dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis, in eorum aedibus inclusus, ut supra, fuerit eruditus, ac literas testimoniales eorumdem Superiorum ad ipsum Suffraganeum detulerit.* Quum autem post Constitutionem Alexandrinam proposita fuerit quaestio, an liceat Cardinali Episcopo Suburbicario, ex his, qui Suffraganeum non habent, quum ad suam Dioecesim se confert, Clericorum Ordinationem inibi habere, vel etiam, dum ipse in suo Episcopatu se continet, alium Episcopum advocare, qui Ordinationem hujusmodi de ipsius Cardinalis licentia perficiat: affirmativum prodiit responsum, ut videre est apud Rigantium *loc. cit. num.* 175. et apud bon. mem. Card. Petra *Tom. V. pag.* 276. *n.* 79. *et pag.* 371. *n.* 98. ac denique penes Honorantem, qui unus est ex actualibus Administris Secretariae Cardinalis Vicarii *in sua Praxi cap.* 6. *pag.* 184. *et seqq.*

Suffraganeo autem existente quidem sed Ordinationem non habente nihilominus ad Urbis Vicarium Literae Dimissoriae diriguntur.

§. 13. Sane Religiosus vir, qui edito Tractatu *de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, occasionem Nobis praebuit hujus epistolae ad Fraternitatem Tuam conscribendae, omnibus, quae supra dicta sunt, assentitur; eaque etiam, ut solet, optime firmat; quemadmodum videre est *in cap.* 3. *quaest.* 10. Quin immo, quum in praecedenti *quaestione* 8. dubium illud scite proposuerit, an scilicet Cardinales Episc. Suburbic. qui Suffraganeum habent si ab hujusmodi Suffragan. non habeatur Ordinatio, teneantur Literas Dimissorias ad Cardin. Urbis Vic. dirigere, an potius valeant easdem cuilibet Catholico Antistiti directas concedere; quandoquidem Alexandrina Constitutio, quoad promovendos subjectos Episc. Suburbicariis, qui Suffraganeum habent, nil aliud expresse jubet, quam ut ante cujuslibet Sacri Ordinis susceptionem spiritualibus exercitiis per decennium in Urbe vacent: pro assueta sibi ingenuitate, admittit, atque fatetur, Cardinales Episcopos Suburbicarios, quoties ipsorum Suffraganei Ordinationes non celebrant, teneri Literas Dimissoriales ad Cardinalem Vicarium Urbis tantummodo dirigere; tum quia Alexander Pontifex ideo de hac facti specie in sua Constitutione mentionem non fecit, quia Ordinationes a Suffraganeis habendas fore pro certo habuit; tum quia compertum habens, hoc semper Episcopis Suburbicariis Suffraga-

neum habentibus, post Alexandrinam Constitutionem, in more positum fuisse, ut eorum Suffraganeis a Clericorum Ordinatione cessantibus, Dimissorias Literas ad Cardinalem Vicarium Urbis dirigerent, constantem hanc observantiam et consuetudinem magni aestimandam, et tamquam fidissimam Alexandrinae Constitutionis interpretem habendam censuit.

Recentioris Auctoris hac de re opinio, ejusque fundamenta.

§. 14. Quod si nihil praeterea affirmatum fuisset in praelaudato Tractatu *de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, nulla causa esset, cur in aliquo recederetur ab iis, quae Auctor ibidem docte admodum scripsit. Verum quum idem *in quaest.* 12. *cap.* 3. dubium hoc proposuerit — *An idem Episcopi*, nempe Suburbicarii *possint, immediate per se ipsos Ordines Minores conferre suis subditis in proprio Palatio Romae existente;* et affirmative respondendum censuerit — *Censeo, hos sex Cardinales Episcopos posse in propria Cappella intra fines sui Palatii Romae existentis, et non extra, conferre suis Subditis primam Tonsuram, et Ordines Minores* — hac scilicet allata assertionis ratione, quod Ædes, quas Romae inhabitant Cardinales Episcopi Suburbicarii, quamvis ad eorum Episcopatum non spectent, nihilominus *per fictionem juris* perinde haberi debeant, ac si Episcopatui adhaererent, et Cappella in hujusmodi aedibus erecta censenda sit tanquam Ecclesia ipsorum Titulo subjecta — *Palatium Romae existens talium sex Episcoporum, qui Romae residentiam habent, per fictionem juris censetur adhaerere suo Titulo, nempe suo Episcopatui, qui est eorum Titulus, et Cappella ibidem existens intra fines talis Palatii, est veluti Ecclesia subjecta tali Titulo* — adjectisque exemplis tum Cardinalium, qui Romae in suis Titulis Tonsuram, et Minores Ordines conferunt; tum Abbatum Regularium, qui erga suos subditos Regulares idipsum praestant: Haec sunt, quae Nos nequaquam sufficere judicamus, ut pro hujusmodi jure Episcopis Cardinalibus adstruendo, a Tridentini Concilii sanctionibus, et ab Alexandrina Constitutione sit recedendum; quum magnae Nobis difficultates se offerant adversus unamquamque ejusmodi assumpti partem.

Diluitur primum, nimirum excogitata fictio juris, Romanas Ædes Cardinalis Dioecesi Suburbicariae attribuens.

§. 15. Nam primo difficultatem offendimus in *fictione juris*: Tum quia, fictionem juris inducere, indeque aliquod veluti consequens elicere, privati cujusque auctoris atque doctoris potestatem excedit, et in eo dumtaxat admittitur, qui condendarum legum auctoritate pollet; unde vulgatum illud axioma: *Fictio legis non habet locum, nisi in casibus a jure expressis:* ut recte advertit Fagnanus *in Cap. In praesentia, num.* 23. *de Probationibus*. Tum quia excogitata juris fictio in proposita facti specie locum aliter habere nequit, quam si Cardinalis Episcopus Suburbicarius, dum in Urbe et in suis aedibus commoratur, in propria Cappella residens, animo sibi repraesentet, se in sua Dioecesi existere, quia Palatium Episcopatui adhaerens, et Cappella veluti Episcopatus hujusmodi Ecclesia, censeri debeant. Haec autem opinio in Cardinale Episcopo Suburbicario nimis improbabilis videtur; quum non ignoret, se Romae commorantem, in sua Dioecesi minime residere; et quidem persuasum habeat, se ideo desertae residentiae reatum non incurrere, vel quia Pontifex id sciens et patiens, ipsumque praeterea videns, non obstantibus muneribus, quibus pro Apostolicae Sedis utilitate occupatur, Suburbicariae Dioecesis regimen recte gerere posse, tacite cum eo dispensat; vel quia, ob easdem rerum circumstantias, declarat, praeceptum Divinum de residentia non comprehendere casum illius, qui certis muneribus in Urbe addictus, si non materialem residentiam in Dioecesi praesens adimplet, formali certe satisfacit, non solum adhibita in id Ministrorum opera, sed propria etiam adjecta praesentia, dum ad ipsam Dioecesim identidem visitandam percommode se confert; juxta ea, quae fuse discutit Cardinalis Brancaccius in sua Dissertatione *De optione sex Episcopatuum*, quaeque recte comprobat auctor ipse Tractatus *De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis Cap.* 4.

Diluitur alterum desumptum ab exemplo Cardinalium et Abbat. in suis Titulis, vel Ecclesiis Minores Ordines conferentium.

§. 16. Praeterea difficultas nobis occurrit in allatis exemplis, ex quibus nullum omnino est, in quo non statim se offerat Apostolicum Privilegium, quod et facultatem tribuat pro collatione Tonsurae, Minorumque Ordinum, et locum simul, atque personas definiat, quo in loco, et quas in personas Privilegiatus hujusmodi concessum sibi Privilegium valeat exercere. Nam si de Cardinalibus sermo sit, qui Tonsuram et Minores Ordines conferunt in suis Titulis, eorum jus deducitur ex Decretali *in Cap. His quae, de Majorit. et obed.* de qua disserit Episcopus Fonseca in suo Opere *de Basilica Sancti Laurentii in Damaso lib.* 2. *cap.* 9. cujus Decretalis auctoritate, si Sacerdo-

tali charactere sint insigniti, putant se posse in sua Titulari Ecclesia Tonsuram et Ordines Minores personis ejusdem Ecclesiae servitio addictis conferre; quemadmodum videre est in Disceptatione Cardinalis Albitii *De jurisdictione Cardinalium in suis Titulis num.* 71. *et seqq.* Si autem de Abbatibus Regularibus agatur, eorum privilegium conferendi Tonsuram, et Minores Ordines suis subditis Regularibus in propriis Ecclesiis, desumitur *ex Can. quoniam, dist.* 69. *ex Cap. cum contingat, de aetate et qualit. et Cap. statuimus, de supplen. neglig. et ex Cap. Abbates, de privilegiis in* 6. dummodo sint Sacerdotes, et Benedictionis munus ab Episcopo acceperint; vel saltem Apostolico Privilegio muniti sint, ad hoc, ut quamvis non benedicti, omnia praestare valent, quae fieri possunt ab Abbatibus rite benedictis; ut olim Nos ipsi ostendimus in quibusdam adnotationibus per nos exaratis, dum in minoribus existentes munus Secretarii Congregationis Concilii gerebamus, quae impressae habentur *in tomo III. Thesauri Resolutionum pag.* 33. *et seq.* Praeclarum quoque suppetit exemplum Cardinalis Archipresbyteri Basilicae S. Petri in Vaticano, qui, si Episcopali charactere praeditus sit, per se ipse, in dicta Basilica, Minores, Majoresque Ordines confert Canonicis, Beneficiatis, aliisque ejusdem Basilicae servitio addictis, praedicto autem charactere si careat, alium aliquem Episcopum advocat, qui praefatos Ordines in ipsa Basilica conferat; idque in vim Apostolicorum Privilegiorum, quae legi possunt *Tom. III. Bullarii ejusdem Basilicae nuper impressi pagin.* 340. Non sunt hae fictiones juris, sed Privilegia, certis, atque stabilibus fundamentis innixa. Quare si a collatione Ordinum Minorum, quam Cardinales in suis Titulis, Abbates, aliique peragunt, argumentum duci velit ad assertum jus adstruendum Cardinalibus Episcopis Suburbicariis, necesse est aut Privilegium ostendere, quo idipsum Episcopis Suburbicariis indulgeatur, aut titulum saltem Privilegio aequipollentem proferre. Quum autem alia non extet Apostolica Constitutio circa Cardinales Episcopos Suburbicarios, praeter saepedictam Alexandri VII. quae Cardinali Urbis Vicario reservat jus conferendi Minores Majoresque Ordines eorum subditis: cumque hactenus iidem Cardinales Episcopi neminem ad Ordines etiam Minores in Urbe promovere consueverint, absque expressa Cardinalis Vicarii licentia; nihil praeterea desiderandum videtur, ad hoc ut auctoris assumptum omni fundamento destitutum dicatur.

Recensentur absurda ex nova opinione facile profluentia.

§. 17. Et quidem ne illius sententiae quisquam adhaereat, multoque magis ne quis eamdem in praxim deducat, satis esse deberet illius insubsistentiam ostendisse: verum nec illa quoque spernenda est ratio, quod scilicet, admissa etiam speculative contra rei veritatem illius subsistentia, nihilominus in illius praxi plurimum inesset periculi. Quamvis enim auctor Tonsuram tantummodo, Minoresque Ordines, sententia sua complectatur, perfacilis tamen apertusque ab his ad Majores Ordines transitus esset. Nec praeterfugit accurati Auctoris prudentiam futurum hujusmodi absurdum; sed satis eidem occurrere se reputavit, dum ait, posse quidem ab Episcopo Suburbicario in privato Sacello conferri primam Tonsuram, et Minores Ordines; nequaquam vero Majores; propterea quod Tridentinum Concilium *sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.* decreverit, ut Ordinationes ad Majores Ordines, si quidem in Civitate fiant, in Cathedrali Ecclesia, assistentibus Canonicis, celebrentur; si autem illas in Dioecesi haberi contingat, insignior Ecclesia seligatur in qua praesente Clero loci, peragantur.

Iisdem satis non occurritur per Auctorem.

§. 18. Et haec quidem recte: At si Sancta Synodus de Ordinationibus Generalibus loquitur, uti expendunt Fagnanus *in Cap. In Ordinando, num.* 45. *de Simonia,* Monacellus *in Formulario Tom.* 1. *tit.* 3. *formul.* 1. *num.* 3. Si praeterea, ex mitiori interpretatione apud omnes recepta, non prohibetur Episcopus, quin justa aliqua suadente causa, possit aliquos privatim in Episcopii Sacello Majoribus Ordinibus initiare; quis poterit Cardinali Episcopo Suburbicario, post assertam ipsi facultatem conferendi suis subditis Tonsuram, atque Minores Ordines in Aedium suarum Cappella, inconsulto Cardinali Urbis Vicario, alterum illud jus denegare, celebrandi nimirum in eadem Capella particularem aliquam Ordinationem ad Ordines Sacros; quum praesertim Cardinalium Cappellae iisdem, ut minimum, praerogativis gaudeant, quibus fruuntur domestica Episcoporum Sacella; uti late demonstravit Cardinalis Brancaccius in altera ex suis Dissertationibus *De Cappellis Cardinalitiis*.

Immo fatetur vel Majores Ordines

§. 19. Argumenti vim agnoscit Auctor *cit. quaest.* 12. *pag.* 50. aperteque fatetur, quibus

in Urbanae Ædis Sacello posse a Cardinali Suburbicario conferri.

in casibus Episcopo licet in sui Episcopii Cappella Majores Ordines alicui conferre, licitum similiter fore Cardinali Episcopo Suburbicario idipsum in sua Cappella peragere: *etiam hi Cardinales idem possent*.

Quid exiode consequeretur incommodi demonstratur.

§. 20. Id autem, ut vere loquamur, nimis ultra recti fines progreditur. Quum enim in Episcopatibus Suburbicariis haud ita magnus sit numerus promovendorum ad Ordines Majores, possent singuli, qui his initiandi sunt, identidem se ad Urbem conferre; atque ita, per hujusmodi particulares paucorum Ordinationes, auctoritas ordinaria Cardinalis Urbis Vicarii penitus concuteretur. Neque proderit replicando subjungere, quod ut liceat Ordinationem etiam particularem ad Ordines Majores extra publicam Ecclesiam in privato Sacello peragere, necesse est, justam et legitimam causam adesse: huc enim redacta negotii difficultate, conclamatum de eo dici potest. Neque enim deerit, qui continuo suadeat, satis justam adesse causam, ne is, qui plurium milliarium iter, et quidem pedibus fortasse confecit, ut Ordinationis munus a proprio Episcopo susciperet, sua spe frustratus, nulla sua culpa aut demerito, ad propria reverti cogatur. *Nos, qui in Foro litibusque trivimus aetatem, multum malitiae, quamvis noluerimus, didicimus:* Haec Nos verba apud Plinium multis ab hinc annis legisse meminimus.

Conclusio Epistolae.

§. 21. Atque haec sunt, Venerabilis Frater Noster, quae inter plurimas, quibus obruimur, curas, colligere potuimus; non quidem ex ingenii libidine, ut auctorem oppugnaremus magnae existimationis, atque doctrinae, et adeo utiliter in tradenda rerum Ecclesiasticarum praxi a pluribus annis adlaborantem; sed ne ejusdem auctoritate suffulta invalesceret opinio, quae ad severiorem trutinam revocata contraria invenitur Concilio Tridentino, Constitutioni Alexandrinae, et consuetudini ad hunc diem retentae; quaeque Ordinariam labefactaret auctoritatem tuam, quam Nos, propugnare, ac tueri debemus. Hanc itaque Epistolam nostram a Fraternitate Tua in Tribunalis istius Tabularium illatam servari volumus, ut tibi, tuisque successoribus in promptu sit agendi normam ex ea desumere.

Epistola in futurorum eventuum normam penes acta custodiri jubetur.

Suburbicariorum Episcoporum facultas quoad collationem Primae Tonsurae tantum agnoscitur.

§. 22. Eidem vero Epistolae jam forte nimis in longum protractae finem imponentes, monendum te censemus, quae hactenus dicta sunt, locum sibi vindicare, quum agitur de Ordinibus Minoribus atque Majoribus; secus vero, ubi res esset de sola Clericali Tonsura: quo casu iidem ipsi auctores nostri superius citati, Rigantius, Cardinalis Petra, et Honorantes, allegatis etiam nonnullis Resolutionibus Congregationis Concilii, in eo consentiunt, ut liceat Cardinalibus Episcopis Suburbicariis per se ipsos eam solam suis subditis in proprii Palatii Cappella conferre; ex ea nimirum ratione, quod Alexandrina Constitutio de Ordinibus Minoribus, atque Majoribus diserte caveat; quaestio autem est non adhuc definita, utrum prima Clericalis Tonsura sit Ordo, nec ne. Denique Fraternitati Tuae, quam pleno cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die 15 febr. 1753

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die xv. Februarii 1753. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

BEATIFICATIO XII.

Ven. Servi Dei JOSEPHI A CUPERTINO Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

Æternus Dei Filius, etsi ante Mundi originem, Patri coaequalis, aeque semper regnaverit, in plenitudine tamen temporum ideo apparuit patefactus in carne, ut juxta Prophetarum vaticinia, collapsa reaedificando, et diruta instaurando, Regnum suum in ultimos usque Terrae fines contra antiqui hostis tyrannidem erigeret, et stabiliret. Quicumque igitur in hoc Regno, quod ex omnibus Linguis, et Populis colligendum erat, tamquam Cives adscribi satagunt, illud violenter expugnare, et assequi debent; cum hoc perpetuum edictum, et in omnem vitam ipsis promulgatum voluerit Christus Dominus, quod ignem venerit mittere in Terram, et quod nihil aliud peteret, nisi ut accenderetur, et arderet. Hoc solo Coelesti igne mentes hominum undequaque instaurantur, cum ardore Spiritus Sancti afflatae et succensae, terrenis cupiditatibus compressis atque devictis, in Dei amorem rapiuntur, at-

que in similitudinem, imaginemque ejus conformantur.

Commemorantur virtutes Beati Viri.

§. 1. Divinae hujus potentiae locupletissimum Testem habemus in Venerabili Servo Dei JOSEPHO A CUPERTINO Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Sacerdote professo, qui, cum in hoc Christi Regno ejus servituti se devoverit, veterem exuit hominem, et novum induit, et Ducem, et Antesignanum Franciscum, per altissimam paupertatem, per omnimodam sui abnegationem, per orationis instantiam, per Crucis meditationem, per arcta silentia, et per longas inedias imitari contendit. Verum cum penitus intellexisset, quod etiamsi tradidisset corpus suum, itaut arderet, nihil illi prodesset, nisi charitatem habuisset; hinc factum est, ut in hoc primo, maximo Deum diligendi mandato, cogitationes omnes, omnesque vires enixe conferret. Ex hac intima cum Deo unione adeo cor ejus Divinae charitatis igne corripiebatur, et incredibili internae dulcedinis amore totum deflagrabat, ut in ecstases, et raptus aliquando erumperet; et cum Incola teneretur in Terra, prae vehementissimo Dei sui desiderio, tamquam domesticus haberetur in Coelis.

Et praeserim ardens in Deum charitas.

Quapropter ejus nomen omnium sermone celebrari coepit, quod nec inaccessa loca, nec secretiora cubicula, in quibus quandoque moram obediendo traduxit, continere potuerunt; donec relictis Auximi in Piceno die decimanona Septembris anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio inter sodales suos mortalitatis exuviis, ad aeterna praemia vocatus, ad coelestem Patriam commigravit.

Approbatio Virtutum in gradu heroico.

§. 2. Percrebrescente itaque in dies ejus sanctimoniae clarissima fama, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum Causa deducta est; ubi cum de Virtutibus aestimandis, juxta Canonicas sanctiones, quaestio de more haberetur, fel. rec. Clemens PP. XII. Praedecessor Noster decimo octavo Kalendas Septembris anni MDCCXXXV. in gradu heroico constitutas eas esse pronunciavit. Porro coram Nobis ad universalis Ecclesiae regimen Divina miseratione vocatis, cum de Miraculis disceptaretur, non absque supremo consilio factum esse censemus, ut ea ipsa die, videlicet die decima nona elapsi Septembris, Generalis Congregatio super hac re coram Nobis cogeretur, qua Venerabilis Dei Servus sexagenario major, meritis cumulatus, mortalitatem explevit in Terris, et immortalitatem inchoavit in Coelis. Duo ex Miraculis, quae discutienda proponebantur, Consultorum suffragiis, et Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. praefatae Cardinalium sententiis consentientibus, probanda esse censuimus; et Decretum super eisdem Nostrum proferre, et promulgare voluimus die Sancto Francisco de Assisio sacra, postquam ad ejus Aram provoluti in Basilica SS. XII. Apostolorum de Urbe, Omnipotenti Deo Hostiam placationis obtulimus; quam diem eum in finem delegimus, ut Sanctitatem in hac Franciscana Familia a Seraphico Parente suo invectam, uberrimo Ecclesiae proventu, in ejus Alumnis in dies adolescere, novis atque mirificis argumentis constaret.

Item Miraculorum.

§. 3. Quapropter precibus tandem Regum, Episcoporum, aliorumque Principum, necnon dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Conventualium Paterna clementia annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, et assensu, auctoritate Apostolica, tenore praesentium indulgemus, ut idem Dei Servus JOSEPH A CUPERTINO in posterum BEATI nomine nuncupetur: ejusdem Corpus, et Reliquiae Venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendae) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur; ac de eo quotannis die decima octava Septembris, quam diem pro ejus Festivitate celebranda praescribimus, sub ritu duplici minori recitetur Officium, et Missa de Communi Confessoris non Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii et Missalis Romani: Recitationem autem Officii, et Missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus tum in proprio Minorum S. Francisci Conventualium Ordine, in quo solemni emissa Professione usque ad obitum permansit; tum in Ordine Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci Cappuccinorum (inter quos per aliquot annos commoratus est); ac de Observantia, Reformatorum, Recollectorum, et Excalceatorum, ac Tertii Ordinis nuncupatorum; tum in Oppido Cupertini, in quo Vir Dei in lucem prodivit, ac in tota Dioecesi Neritonensi: in Nostris etiam Civitatibus Assisii, illiusque Dioecesis Feretranae, Forosempronii, et illius Dioecesis, quae loca suo incolatu, ac virtutibus illustravit; tum denique in tota Dioecesi, et Civitate Auximana, in qua ipse obdor-

Beati omnes cultus et honores eidem decernuntur.

mivit in Domino; tum apud Archiconfraternitatem sub invocatione S. Antonii Patavini in eadem Basilica SS. XII. Apostolorum de Urbe, et Confraternitatem S. Stephani in Civitate Assisiensi canonice erectas, in quas cooptatus fuit; ab universis Christifidelibus tam Regularibus, quam Saecularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, et quoad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus in Ecclesias, in quibus Festum peragetur, confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce Literis, in Ecclesiis Fratrum Minorum Conventualium, caeterarumque Franciscanarum Familiarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, et Dioecesum Archiconfraternitatis, et Confraternitatis hujusmodi, solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio sub ritu duplici majori, et Missa, die ab Ordinariis respective constituta, postquam in Basilica Nostra S. Petri in Vaticano peracta fuerint, Solemnia, nempe die vigesima quarta currentis Mensis, celebrandi facimus potestatem.

Clausulae. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu etc. editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictae Congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo Praefecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. die 20. Febr. 1753. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Februarii MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

D. Card. Passionеus.

XII.* A MONSIGNOR

FERDINANDO MARIA DE ROSSI

Partriarca di Constantinopoli, e Vicegerente di Roma. Concernente la Compagnia degli Amanti di Gesù, e Maria.

Monsignor Ferdinando Maria de' Rossi Patriarca di Costantinopoli, e Vicegerente di Roma.

Avendo Noi con altro Nostro Chirografo segnato il dì 8. Gennaro dello scorso anno a Voi diretto fatta la donazione alla Compagnia de' Fratelli, e Sorelle denominata degl' Amanti di Gesù, e Maria eretta nella Chiesa di San Bonaventura del Ritiro de' Religiosi Riformati di Roma delle quattordici Cappellette costrutte nel Colosseo ad istanza del fu Padre Leonardo da Porto Maurizio, ci riservassimo di dare ulteriori provedimenti per il buon sistema di detta Compagnia: Ed essendosi per esperienza conosciuto non riuscire la riferita Chiesa nè proporzionata alla numerosità dei Fratelli, nè atta all' esercizio delle pie di lei funzioni senza turbare la solitudine, e silenzio, che con edificazione professano i Religiosi di quel Ritiro; Perciò i Fratelli della medesima Compagnia in coerenza anche della mente del detto Padre Leonardo, che già era a Noi nota, ci supplicarono, ed ottennero la Nostra licenza, di poter erigere un Oratorio in Campo Vaccino presso la Chiesa de' Santi Cosmo, e Damiano per l' unione degl' Uomini, e la destinazione della stessa Chiesa per quella delle Donne, e ne fosse successivamente da Voi con Nostra facoltà stipolato a nome di detta Compagnia Istromento di Locazione perpetua della Casa contigua a detta Chiesa, qual Casa ora facciamo a Nostre spese ridurre ad uso di Oratorio suddetto.

E volendo ora Noi dare ulteriori provedimenti per il buono, e durevole regolamento di detta Compagnia, avendo anche uditi, e sentiti il Padre Frà Rafaele da Lusagnano Commissario Generale de' Minori Osservanti, il Provinciale de' Francescani del Terz' Ordine, ed il Priore del Convento de' sudetti Santi Cosmo, e Damiano, ci siamo determinati stabilire gl' infradicenti ulteriori provedimenti da doversi perpetuamente osservare, ed eseguire. Pertanto avendo in questa Nostra Cedola per espresso, e di parola in parola inserto il tenore di detto Nostro primo Chirografo, e dell' Istromento di Locazione perpetua, come sopra stipolato, ed ogn' altra cosa quanto si voglia necessaria doversi esprimere di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema Potestà Apostolica, in primo luogo riserviamo sotto l' immediata Nostra Protezione e de i Nostri Successori la detta Compagnia, e Congregazione degl' Amanti di Gesù, e Maria, eretta in detta Chiesa di San Bonaventura, ed insieme vogliamo, et ordiniamo, che dalla medesima Compagnia, e sua Congre-

gazione perpetuamente vengano osservate, et adempite le seguenti Regole, e Disposizioni Nostre, cioè.

Primo. Che restando ferma la fondazione della Congregazione, e Compagnia in detta Chiesa di San Bonaventura, tutte le pie funzioni, che da detta Compagnia, e sua Congregazione si eserciteranno in avvenire debbano farsi nell' Oratorio, che a tal' effetto si erige contiguo alla Chiesa de' detti Santi Cosmo, e Damiano, e provisionalmente finchè questo sia del tutto compito, nel luogo assegnato dai Padri Provinciale, e Priore di detto Convento de i Santi Cosmo, e Damiano.

Secondo. Che dalla detta Compagnia, e nel di lei Oratorio s' osservino inviolabilmente le Regole prescritte, e stampate dal Padre Leonardo da Porto Maurizio per detta Congregazione degl' Amanti di Gesù, e Maria in tutte quelle parti però, che non sono contrarie alle presenti Nostre disposizioni.

Terzo. Che per mantenere la separazione degl' Uomini dalle Donne inculcata in dette Regole, l' unione delle medesime Donne si faccia in detta Chiesa de' Santi Cosmo, e Damiano, e l' unione degl' Uomini nel contiguo Oratorio, in cui dette Donne non possano avere ingresso per qualunque pretesto, o causa sotto pena di scomunica di lata sentenza. Qual separazione abbiasi anche a procurare con tutti i possibili mezzi nel praticarsi dalla Compagnia l' Esercizio della Via Crucis da farsi almeno in tutti i Venerdì, e Domeniche dell' Anno alle suddette Cappellette del Colosseo.

Quarto. Che essendo stato conceduto alla Compagnia l' uso del Sacco per quei soli Fratelli benemeriti, non possano, nè debbano essi usarlo, che nel solo caso di praticarsi dalla Compagnia il devoto Esercizio della Via Crucis, o nel portarsi la medesima il giorno 3. Maggio alla Chiesa di S. Croce in Gerusalemme. Dichiarando Noi, et espressamente decretando, che detta Compagnia non sia, nè s' intenda mai perciò compresa nel numero dell' altre Compagnie, che vestite di Sacco sogliono intimarsi per l' intervento alle pubbliche Processioni, dalle quali Noi espressamente, et in perpetuo l' esimiamo, et esentiamo.

Quinto. Che dovendo gl' Officiali essere eletti dalla Compagnia, come anche i Direttori dell' Oratorio, che sempre esser dovranno Sacerdoti Secolari ad esclusione di qualunque Persona Regolare anche Mendicante, ad impedire i disordini, che dalla moltitudine degli Aggregati potessero derivare, si formino due Congregazioni, l' una Generale, e l' altra Segreta, la prima composta di cento Fratelli ammessi al Sacco, la seconda de i soli Officiali della Compagnia, che verranno dichiarati di avere voto, e tutti i suddetti Officiali, e direttori per un anno dovranno esercitare i loro respettivi impieghi, e più oltre ancora se saranno confermati dalla Congregazione Generale, la quale in ogni principio d' anno dovrà venire alla nuova elezione degl' Officiali nel modo, che si dirà in appresso.

Sesto. La Congregazione Generale rappresentando l' intiero Corpo della Compagnia, avrà il carico di provedere alla manutenzione dell' Oratorio, e delle Cappellette della Via Crucis nel Colosseo con erogarvi le limosine, che si raccoglieranno dalle Cassette, e rispettivamente dai Fratelli, che stati ammessi fin' ora e da ammettersi in futuro all' uso del Sacco dovranno somministrare a ragione di bajocchi cinque il mese per ogn' un di loro da esigersi dal Depositario, o sia Esattore pro tempore di detta Compagnia per supplire alle suddette, et altre spese necessarie della medesima.

Settimo. Apparterrà alla Congregazione Generale il dritto di prescegliere per Officiali, e Direttori dell' Oratorio i Fratelli, che dalla Congregazione Segreta saranno proposti a detta Generale in numero però di trè per ciascuno Officio, che sempre debbano essere Fratelli di Sacco, come anche dalla detta Congregazione Segreta proporre debbansi a detta Generale trè Soggetti per riempire ciascun luogo, che sarà per vacare nel numero dei cento Fratelli, che devono come sopra comporre la Congregazione Generale.

Ottavo. La Congregazione Secreta avrà cura di regolare tutte le funzioni della Compagnia, et ancora quelle dell' Oratorio, come pure abbia l' Amministrazione Economica delle limosine, e delle spese ordinarie per doverne poi render conto alla Congregazione Generale.

Nono. Sarà cura privativa della detta Congregazione Segreta d' ammettere i Fratelli, che come sopra saranno stati dalla Congregazione Generale approvati, all' uso, o sia vestizione del Sacco, dovendo questo per la prima volta ricevere, e vestirsene per mani del Direttore Sacerdote di detto Oratorio, et alla medesima

Congregazione Segreta apparterrà il deputare le Maestre Direttrici per le Donne, che unite nella Chiesa dei SS. Cosmo, e Damiano dovranno recitare la Coroncina, et altre Orazioni, che le saranno prescritte dalle suddette Direttrici.

Decimo. Il solo Esercizio della Via Crucis da farsi in tutti i Venerdì, e Domeniche dell'Anno, ed in ogn' altra occasione straordinaria al Colosseo dalla detta Compagnia resti riservato alla privativa direzione del Padre Guardiano pro tempore di detto Convento di S. Bonaventura, che lo constituviamo, e deputiamo per Direttore perpetuo, dopo però, che sarà cessata la deputazione da Noi fatta del Padre Natale da Roma, et il detto Guardiano pro tempore possa non solo per se stesso, e suo Compagno Sacerdote dirigere il devoto Esercizio della Via Crucis, e fare in tale occasione un breve spirituale discorso, che non oltre passi un terzo d'ora, ma anche per mezzo d'altro Religioso, e Compagno da destinarsi da lui, e durante detta funzione, come anche nell' accesso, e recesso dal Colosseo all' Oratorio debba precedere ad ogn' altra persona, ancorchè in dignità Ecclesiastica costituita.

Undecimo. Che ogni qual volta dovrà la Compagnia portarsi a fare la Via Crucis, debbino ad ora conveniente trasferirsi quattro, o sei Fratelli di Sacco a S. Bonaventura per accompagnare, e condurre il Padre Direttore, e suo Compagno all' Oratorio, da dove partirà in appresso la Compagnia, e ritornatavi, data, che averà il P. Direttore la Benedizione con la Santissima Croce alle Donne sulla Porta del medesimo Oratorio, e poi dentro di esso dopo le solite Preci agl' Uomini dovranno egualmente detti Fratelli accompagnarlo al Convento di S. Bonaventura.

Duodecimo. Accadendo il caso, che per la pioggia, o altra stravaganza del tempo venisse impedito alla Compagnia di portarsi al Colosseo per il solito Esercizio della Via Crucis sia in tal caso in libertà della Compagnia portarsi a praticarlo nella Chiesa di S. Maria d'Araceli, ed allora solamente per Direttore della pia devozione in essa Chiesa sia il Religioso, che sarà destinato dal P. Guardiano di quel Convento d'Araceli, a cui ne sarà antecipato l'avviso, ne il Padre Direttore Ordinario del Ritiro abbia allora altra ingerenza, che d'accompagnare nell' Accesso, e recesso la Compagnia, e debba cedere alla Porta della Chiesa d'Araceli il Luogo al Padre Direttore straordinario Minore Osservante. E volendo Noi, che tutte, e singole di sopra espresse nostre disposizioni vengano prontamente eseguite, et osservate, di simil Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Apostolica autorità comandiamo, ed ordiniamo a Voi, che facciate eseguirle, ed osservarle anche con piena autorità in nome Nostro secondo le circostanze, e casi di potere Voi ordinare, aggiungere, dichiarare, e stabilire tutt'altro, che tenda alla loro esatta osservanza, vantaggio, e buon Regolamento della Compagnia, e dell' Esercizio della Via Crucis, comunicandovi perciò tutte le necessarie, et opportune facoltà. Ed affinchè nel doversi ora formare le due Congregazioni indicate venga tolto qualunque disordine, o discrepanza tra Fratelli di detta Compagnia, ci siamo perciò determinati voler Noi per questa prima volta nominare i Fratelli, che devano comporre ambedue le Congregazioni, siccome li abbiamo già nominati nel foglio, o sia Catalogo formatone, che da Voi in nome Nostro verrà publicato, ordinando Noi fin d'adesso, e per quando avrete fatta tal pubblicazione a tutti, e singoli Fratelli, e Sorelle della riferita Compagnia, che debbano riconoscere, e ricevere per Officiali, e Deputati tutte quelle Persone, che da Noi in conformità dell' accennato Catalogo sono state destinate a rispettivi Officj, et Incombenze et a rappresentare l' una, e l' altra di dette Congregazioni, come se detto Catalogo fosse stato di parola in parola inserto nella presente nostra Cedola di Moto proprio, essendo così mente, e volontà Nostra precisa. Volendo, e decretando, che a questa Nostra Cedola di Moto proprio, benchè non ammessa, e registrata in Camera, e suoi Libri secondo la disposizione della Bolla di Pio Quarto Nostro Predecessore *de registrandis* non possa in alcun tempo opporsi di surrezione, orrezione, ne d' altro qualunque vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, ma che vaglia, e debba avere sempre il suo vigore, ed esecuzione colla nostra semplice sottoscrizione, e che così, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi, et interpretarsi da qualsisiano Tribunali, anche dalla nostra Ruota, e Camera, Camerlengo, Nostro Vicario, Senatore, e Conservatori di Roma, ed ancora dai Legati a Latere, Vice-Legati, e

Nunzj Apostolici, togliendo loro, et a ciascuno d' essi la facoltà, et autorità di giudicare, definire, et interpretare diversamente, dichiarando Noi sin d'adesso preventivamente nullo, ed invalido tutto ciò che scientemente, o ignorantemente si facesse, o tentasse fare in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, ne sentiti i Fratelli di detta Compagnia, et altre qualsisiano persone, ancorchè Ecclesiastiche, o Regolari, che avessero, o pretendessero avere interesse nelle cose di sopra espresse, supplendo Noi il loro consenso quante volte si richiedesse colla pienezza della Nostra Suprema Potestà, non ostanti le Regole della nostra Cancellaria, la detta Costituzione di Pio Quarto *de registrandis*, e qualsisiano altre Costituzioni, et Ordinazioni Apostoliche nostre, e de nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, Usi, Stili, e Consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse far in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra Suprema Potestà a qualunque vizio, e difetto si sostanziale, che formale, che potesse intervenirvi, questa volta sola per l' effetto suddetto pienamente deroghiamo. Dato dal Nostro Palazzo Apostolico del Quirinale questo dì 28. Febbrajo 1755.

BENEDICTUS PP. XIV.

XII.** LITERÆ APOSTOLICÆ

In forma brevis quibus Sanctitas Sua ex speciali gratia Superioribus et Missionariis Societatis JESU Assistentiae Hispaniae in Indiarum Provinciis nunc, et pro tempore Catholici Regis dominio subjectis Quitensi in America, Insularum Philippinarum in Asia, Mexicana, Peruensi, Chilensi, Paraquaria, et novi Regni Granatensis, seu Sanctae Fidei in America constitutis facultatem concedit conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam conditionibus, clausulis, et circumstantiis in iisdem Literis Apostolicis fusius declaratis; nec non dispensandi in trina proclamatione cum Indis Fidelibus ante Matrimonium; ac demum celebrandi quotannis Festum Praesentationis B. M. V. sub ritu duplici secundae classis cum Octava.

Dilecto Filio Ignatio Vicecomiti Moderno, et pro tempore existenti Praeposito Generali Societatis Jesu.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quo luculentioribus Religiosarum virtutum exemplis, ac praesertim singulari erga Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia, et obedientia in dies increscere Te, Dilecte Fili, et inclytam Societatem JESU, cui tanta cum nominis tui laude praeesse et advigilare pergis, magna cum Pontificii animi Nostri laetitia intelligentes gratulamur, eo amplioribus Apostolicae benignitatis, potestatisque argumentis par aequumque esse ducimus, ut Te, ejusdemque Societatis Tuae Religiosos Alumnos in vastissimis Provinciis Catholico Hispaniarum Regi subjectis, necdum ad Orthodoxam Fidem adductis assiduos labores sedulamque operam navantes prosequamur.

2. Quoniam autem Dilectus Filius Josephus de Lara ejusdem Societatis Tuae Presbyter, et Assistentiae Hispaniae Procurator nuper Nobis humiliter exposuit, quod eadem ferme momenta, quibus Nos adducti fuimus, et pro nonnullis Missionibus Provinciae et Praefecturae Quitensis in America ad suam Hispanam Assistentiam pertinentibus quamplurimas Apostolicae benignitatis auctoritatisque largiti sumus facultates, reperiantur in reliquis ejusdem Assistentiae Provinciis, nempe Insularum Philippinarum in Asia, Mexicana, Peruensi, Chilensi, Paraquaria, et novi Regni Granatensis, seu Sanctae Fidei in America, quas Venerabiles Fratres residentiales Antistites vel nunquam aut per se ipsos, aut per alios visitarunt, vel raro accidit ut quispiam Episcopus ad illas visitandas accesserit: Eapropter Nobis humiliter supplicavit, ut easdem facultates non solum ad easdem Provincias suae Assistentiae Hispanae, prout in praesentia sunt, sed ad eas quoque Provincias et Missiones, quae ex mutua concordia aut permutatione inter carissimos in Christo Filios Nostros Hispaniarum Regem Catholicum, et Portugalliae et Algarbiorum Regem Fidelissimum sive jam facta, sive facienda, ad ejusdem Regis Catholici dominium fortasse pervenerint, et memoratae So-

cietatis Jesu Missionariis commissae fuerint, sub iisdem modo, forma, conditionibus, et limitationibus extendere, et concedere de benignitate et auctoritate Apostolica dignaremur.

3. Nos itaque Te, Dilecte Fili, tuamque inclytam Societatem, atque ejusdem Religiosos Viros in excolenda Jesu Christi vinea adlaborantes Apostolicae laudationis praeconiis celebrantes, nec non majoribus gratiarum favoribus adaugentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus ab eodem Dilecto Filio Josepho de Lara Procuratore Nobis humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apostolica tenore praesentium Superioribus cujuscumque Missionis antedictarum pro tempore existentibus, et eorumdem superioritatis muneribus durantibus, cum ad visitandas hujusmodi Missiones accesserint, ut Sacramentum Confirmationis Chrismate etiam antiquo si novum haberi non possit, per Catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus uniuscujusque Missionis juxta Ritualis Romani ritum libere et licite conferre, et administrare possint et valeant, facultatem ea tamen lege tribuimus et impertimur, ut in iis quidem Missionum Provinciis, quae habentur in districtu Dioecesum, et sub jurisdictione Venerabilium Fratrum Antistitum, ab eo Antistite, in cujus Dioecesi, et sub cujus jurisdictione Missio illa reperitur, licentia semel, quoad ipse Ordinarius Antistes vixerit, petatur; hoc autem defuncto, ab ejusdem pro tempore successore pari modo semel etiam petatur, gratis semper concedenda.

4. In iis vero Missionum Provinciis, quae nullius Antistitis jurisdictioni subjectae ipsis dumtaxat Societatis ejusdem Missionariis ab hac Apostolica Sede creditae sunt, antedicta licentia minime necessaria est, nisi fortasse aliquando contingeret in iisdem Provinciis vel Residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios Episcopali charactere et auctoritate insignitos ab eadem Apostolica Sede deputari, a quibus, cum illuc accedere non valeant, tunc licentia antedicta pari modo peti, et concedi debet.

5. Praeterea, si forte evenerit, ut Superior quilibet cujusvis Missionis quibuscumque legitimis canonicisque impedimentis detentus sit, quominus injunctum sibi Visitationis Ministerium explere valeat, auctoritate et tenore paribus concedimus, et facultatem impertimur ipsi Superiori impedito, ut unum vel plures digniorem vel digniores ejusdem Societatis Missionarios, a quo vel quibus Sacramentum Confirmationis, ut praemittitur, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, administrari possit, pro suo arbitrio et conscientia, durantibus tamen impedimentis, deputet, et constituat.

6. Insuper omnibus et singulis earumdem Missionum Missionariis Sacerdotibus laudatae Societatis eamdem conferendi Sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli in evidenti periculo vel articulo mortis constituto facultatem tribuimus.

7. Praeterea tenore et auctoritate paribus facultatem tribuimus, et impertimur cuilibet Missionario ejusdem Societatis in saepedictis Locis vice Parochi fungenti, ut cum Indis Fidelibus dispensare possit super tribus proclamationibus ante Matrimonium contrahendum fieri solitis, dummodo ea intercesserint momenta, propter quae dispensatio hujusmodi, prudenter tamen adhibenda, necessario concedi posse existimatur.

8. Insuper omnibus et singulis earumdem Provinciarum, et Insularum Societatis Jesu Sacerdotibus, atque iis, qui ad Horas Canonicas tenentur, tenore, et auctoritate similibus indulgemus, ut Festum Praesentationis Beatae Mariae Virginis quotannis sub Ritu Duplici secundae Classis cum Octava, tam quoad Horas Canonicas, quam quoad Missam recitare, et celebrare valeant, ac possint.

9. Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etia causarum Palatii Apostolici Auditores, S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec

non Apostolicae Sedis Nuntios, et alios quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

10. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictae Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

11. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, vel manu et sigillo alicujus Superioris Missionum praefatarum, vel Provincialis Provinciae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

12. Interim Tibi, dilecte Fili, ipsi Josepho Procuratori, caeterisque Superioribus et Missionariis antedictarum Provinciarum, ad prosperi successus auspicium, et Orthodoxae Religionis incrementum, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Martii MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Cajetanus Amatus.

Loco ✠ Sigilli.

XIII. CONFIRMATIO

Et innovatio Privilegiorum, Gratiarum, et Jurium, Militaris et Hospitalis Ordinis SANCTI JOANNIS JEROSOLYMITANI: Cum aliquibus declarationibus, et ampliationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter illustria Religiosae Professionis Instituta, quorum concordi varietate circumdata nitet Ecclesia Christi, decet Nos Hospitalem Militiam Sancti Joannis Jerosolymitani specialis benevolentiae affectu complecti, quae in charitate fundata, virtute roborata, sub Omnipotentis Dei protectione, adjuvantibus Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, ac Religiosissimis Principibus, cunctisque Populis Christianis omni ope adnitentibus, ad summum splendoris et gloriae fastigium pervenit; dum generosi illius Fratres, ac Milites, animo ad pietatis officia demisso, ad belli munera invicto, Christifidelibus humile hospitalitatis ministerium, ac strenuum defensionis praesidium pari studio praestantes, novo et inaudito exemplo, miram declarant vim Religionis Christianae; quae pietatem armis sociat, bellum cum charitate conjungit, ac viros exhibet castra sequentes, Evangelicae perfectionis disciplinam, pro militari Sacramento, solemni ritu profitentes. Horum operam universae Christianorum Reipublicae, et Apostolicae Sedi apprime utilem cum saepe iidem Praedecessores Nostri agnoverunt, tum etiam Nos ipsi non una in re experti sumus; adjectis insuper ex parte Dilectorum Filiorum ejusdem Militiae Magni Magistri, et Conventus, perspicuis in nos obsequii et observantiae argumentis, ac recurrentibus mutuis erga illos amoris Nostri officiis et significationibus. Cum autem ipsi de perpetua firmitate Privilegiorum et Indultorum jam pridem ab hac eadem Apostolica Sede, ac etiam recenter a Nobis ipsis, eidem Militiae concessorum, tam pro eorum Ordinis dignitate et utilitate, quam pro felici et libero injunctorum sibi munerum exercitio, in commune Christianae Rei bonum, merito solliciti, plurimum optaverint, eadem per Nos recognita et recensita, novo confirmationis Nostrae munimine roborari, ac sicubi opus fuerit, declarari et ampliari; Nos eorumdem supplicationibus inclinati, plerasque Praedecessorum Nostrorum Literas et Concessiones, favore Hospitalis ejusdem Sancti Joannis Jerosolymitani, atque illius Militiae et Personarum, diversis temporibus emanatas, Nobis repraesentari jus-

Prooemium.

Ordinis S. Joannis Jerosolymitani laudes recensentur.

Preces dicti Ordinis pro generali confirmatione privilegiorum et jurium ei competentium.

Pontifex praemisso omnium examine votis dicti Ordinis annuit.

simus; ac diligenti praemisso examine, easdem partim in genere, partim distincte et expresse, sub ea forma, quam praesenti temporum conditioni, et ejusdem Ordinis ac Militiae statui, magis aptam judicavimus, confirmare, innovare, seu respective declarare, et ampliare, ac etiam ex integro, ut infra, statuere et indulgere decrevimus.

§. 1. Itaque de Apostolicae auctoritatis plenitudine, et ex Nostra certa scientia, eosdem Dilectos Filios praedictae Hospitalis Militiae Magnum Magistrum, nec non Bajulivos, Priore, Castellanum Empostae, Praeceptores, Milites, Fratres, Cappellanos, Donatos, et Servitores, omnesque et singulas dicti Hospitalis et Militiae personas, a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; nec non omnium Literarum, Concessionum, atque Declarationum per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, et Sedem Apostolicam, seu alia quacumque auctoritate, favore ejusdem Hospitalis, ac Militiae, eorumque Magni Magistri, et Conventus, ac personarum hujusmodi, nec non Locorum, bonorum, ac rerum, sub quacumque forma editarum, tenores et datas praesentibus pro sufficienter expressis, ac etiam insertis habentes; Omnia et singula Privilegia, Immunitates, Exemptiones, Praerogativas, et alias quascumque gratias, concessiones, facultates, favores, et indulta, terram, mareque concernentia, eidem Hospitali, et illius Militiae, Prioratibus, Castellaniae Empostae, Bajuliviis, Praeceptoriis, Domibus, Hospitalibus, Administrationibus, Officiis, Ecclesiis, Cappellis, Oratoriis, Locis, et Membris quibuslibet, ac pro tempore existentibus Magno Magistro, et Conventui, dictaeque Militiae Fratribus Militibus, Professis, atque Novitiis, nec non Priori Ecclesiae, Cappellanis, Donatis Servitoribus, Vassallis, atque Colonis, ac dictos Prioratus, Castellanam, Bajulivias, Praeceptorias, Domos, Administrationes, Officia, Ecclesias, Cappellas, et Membra praefata obtinentibus, per eosdem Praedecessores Nostros Romanos Pontifices, ac dictam Sedem, seu per Nos ipsos, usque in praesentem diem, in genere, vel in specie concessa et elargita, seu per eosdem a pro tempore existentibus Imperatore, Regibus, et Principibus, aliisque Christifidelibus obtenta, quatenus sint in usu, nec sint expresse revocata, aut Concilii Tridentini Decretis, et dictae Sedis Apostolicae Constitutionibus, nec non aliis Ordinationibus, in quibus de eadem Militia Hospitali expressa mentio fiat, seu praesentium Literarum Nostrarum tenori, adversantia: Indulgentias quoque, et peccatorum remissiones, aliasque spirituales gratias, hactenus eis per dictos Praedecessores Nostros, seu per Nos ipsos, concessas; praesertim Plenariam semel in vita, et in mortis articulo, pro eis eorumque Servitoribus, et Ministris, contra infideles et Christianae Reipublicae hostes pugnantibus, a fel. rec. Praedecessore Nostro Sixto Papa IV. aliasque Indulgentias pro visitantibus Domos, Ecclesias, seu Cappellas ipsius Hospitalis, ab eadem Sede Apostolica diversis temporibus elargitas, servatis tamen earumdem concessionum temporibus, conditionibus, et formis, ac dummodo non sint revocatae, seu sub aliqua generali revocatione comprehensae: Praeterea fundos, agros, possessiones, dominia, praedia, jura, decimas, fructus, redditus, proventus, aliaque mobilia, et immobilia bona, sive in terra, sive in mari existentia, et ad Hospitale, Prioratus, Castellaniam, Bajulivias, Praeceptorias, aliaque membra hujusmodi, in genere, vel in specie spectantia; Jurisdictiones quoque, etiam spirituales Ordinariam et quasi Episcopalem in Clerum et Populum, si quibus in Terris, Locis, atque Districtibus eadem ipsis competere dignoscitur: Insuper omnia et singula laudabilia stabilimenta, ordinationes, et decreta, in Capitulis Generalibus ejusdem Militiae, tam ante annum Domini MDLVIII. quam post dictum annum usque in praesens celebratis, condita et edita, quae scilicet in usu esse dignoscuntur, ac in iis tantum partibus, in quibus praedicti Concilii Tridentini, ejusdemque Sedis Constitutionibus, et Ordinationibus, et praesentium Literarum tenori, contraria non sint, illorum omnium tenores praesentibus pariter pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; nec non sententias, censuras, et poenas in ipsis adversus contrafacientes indictas; Earumdem praesentium serie approbamus, laudamus, ratificamus, confirmamus, ac etiam de novo concedimus, ac respective statuimus; omnes-

Confirmatio generalis omnium Privilegiorum etc.

Item Indulgentiarum

Ac bonorum et rerum ad dictum Ordinem pertinentium: ac etiam jurisdictionum.

Stabilimentorum quoque Ordinis tam ante annum 1558. quam post dictum annum usque ad praesens editorum.

que et singulos defectus, si qui forte in eis intervenerint, dictae auctoritatis Nostrae plenitudine supplentes, praedicta omnia et singula valida et efficacia existere et fore, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, suosque debitos effectus sortiri, ac pro tempore existentibus Magno Magistro, Bajulivis, Prioribus, Castellano, Praeceptoribus, Commendatariis, Militibus, Priori, Cappellanis, Donatis, Servitoribus, Vassallis, atque Colonis praedictis plenissime suffragari; eosdemque illis libere perpetuo uti posse: Ac omnia et singula Privilegia, et indulta hujusmodi ab universis Christifidelibus, tam Clericalis Ordinis, quam temporalis potestatis Saecularibus, ac etiam aliis cujuscumque Ordinis, et Instituti, personis Regularibus; praedicta vero stabilimenta, ordinationes, et decreta, ab omnibus et singulis dictae Militiae Fratribus, quacumque dignitate, ac praeeminentia fulgentibus, Militibus, Cappellanis, Donatis, Servitoribus, aliisque personis ipsius Hospitalis subditis, sub sententiis, censuris, et poenis in iis contentis, perpetuo inviolabiliter observari, et secundum eadem stabilimenta et decreta, in causis ipsius Militiae, et Personarum ei adscriptarum, et subjectarum, omnino judicari et censeri debere, volumus, mandamus, et respective decernimus.

Nova successio Ordinis, illius Personarum ac rerum, sub immediata Apostolicae Sedis protectione.

§. 2. Ipsumque Hospitale, ac illius Priorâtus, Castellaniam Empostae, Bajulivias, Praeceptorias, Domos, Hospitalia, Ecclesias, Cappellas, Oratoria, ac Loca et Membra quaecumque; nec non Magistrum, Bajulivos, Priores, Castellanum Empostae, Praeceptores, Milites, Cappellanos, Donatos, et Servitores, nunc et pro tempore existentes, etiam Saeculares Clericos, et Presbyteros, juxta praescriptum dicti Concilii Tridentini, eorum Ecclesiis, Cappellis, et Oratoriis quoquomodo deservientes, quamdiu in eorum obsequiis erunt, et in ipsorum Domibus residentes, sub eorumdem obedientia vivent; ad illorum res, animalia, praedia, domos, et bona quaecumque, quae obtinent et possident, ac in futurum canonice obtinebunt, ac possidebunt, sub Beati Petri, et dictae Sedis, ac Nostra immediata protectione confirmamus, ac de novo suscipimus; nec non ab omni jurisdictione, correctione, onere, statutis, bannis, dominio, superioritate, et potestate quorumcumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et Praelatorum, praeterquam in casibus in Apostolicis Constitutionibus, et dicti Concilii Tridentini Decretis literaliter, aut in specie declaratis, nec non quorumcumque temporalium Dominorum quavis potestate, etiam Imperiali, Regali, et Ducali fulgentium, ac Universitatum, et illarum Regentium, aliorumque, praeterquam dicti Hospitalis, Superiorum Ordinariorum, tam spiritualium, quam temporalium, ubicumque, tam citra, quam ultra Montes, et Mare constitutorum, cujuscumque Dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existant, illorumque Vicariorum, et Officialium, Locotenentium, et Judicum nunc et pro tempore existentium quorumlibet, eximimus et liberamus.

Exemptio Ordinis a cujusvis jurisdictione.

Inhibitio specialis contra quoscumque exemptionem hujusmodi perturbantes.

§. 3. Itaut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, Ordinarii, Vicarii, Officiales, Locotenentes, et Judices praefati, nullam in eos, vel ea, jurisdictionem, correctionem, visitationem, superioritatem, dominium, seu potestatem, praeterquam in his, quae ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, aliisque in casibus per dictum Concilium, seu per Apostolicas Constitutiones, aliasque Ordinationes praefatas expressis et declaratis, exercere, aut excommunicationis, aliasve sententias, censuras, et poenas promulgare, (etiamsi forsan hactenus per abusum seu alterius Privilegium, aut negligentiam, etiam per longum tempus, taliter observatum non fuisset, seu dicti Hospitalis, ejusque membrorum Ecclesiae non Parochiales, in quibus Sacramenta Fidelibus non administrantur, pluries fuissent a Praedecessoribus Episcopis visitatae), nullatenus possint, aut valeant, ipsique Magister et Conventus, nec non Prior Ecclesiae, aliique Priores, Bajulivi, et Praeceptores, intra limites suarum jurisdictionum et administrationum, etiamsi nulla forsan in Clerum, et Populum jurisdictione ibidem potiantur, quoad personas tamen eisdem vere subditas, et sub eorumdem obedientia in ipsorum Domibus viventes Ordinarii Superiores, seu Praelati, juxta formam Privilegiorum, et stabilimentorum praedictorum, existant et esse censeantur; neque alii quicumque, cujusvis Ecclesiasticae, vel mundanae Dignitatis, aut praeeminentiae, status, vel conditionis existant, sub excommunicationis latae sententiae poena per contrafacientes eo ipso incurrenda, eos in judicio, vel extra, super praemissae exemptionis usu, seu pos-

sessione, vel quasi, quacumque etiam longi temporis contraria praescriptione nihil obstante; neque demum aliqui Magistratus, Rectores, Gubernatores, Praesidentes, Vice-Legati, ac etiam S. R. E. Cardinales de Latere Legati, per Loca, Civitates, atque Provincias Ditionis Nostrae Ecclesiasticae constituti, eosdem Fratres Milites super delatione armorum quorumcumque, pro sui defensione, et Hostium Sedis Apostolicae offensione, in quibuscumque locis Nobis et eidem Apostolicae Sedi mediate vel immediate subjectis, ad formam tamen providae Constitutionis per fel. rec. Praedecessorem Nostrum Alexandrum VIII. Anno Incarn. Dom. MDCXC. Idibus Augusti editae, quae incipit — *Et si cuncta* — nullo umquam tempore, directe vel indirecte molestare, impedire, vexare, aut alias quomodolibet impetere praesumant, debeant, seu possint, aut valeant.

Privilegium deferendi Arma.

§. 4. Utque etiam in posterum quibusvis Christifidelibus in quibuscumque Civitatibus, Locis, et Dioecesibus, liceat Praeceptorias, Domos, et Hospitalia, sub dependentia et subjectione dicti Hospitalis, per illius Fratres obtinenda, quae eisdem exemptionibus, privilegiis, libertatibus, praerogativis, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus, et indultis, quibus aliae dicti Hospitalis Praeceptoriae, Domus, et Hospitalia utuntur, potiuntur, et gaudent, uti, potiri, et gaudere debeant, assignata illis congrua dote, Ordinariorum Locorum, et quorumvis aliorum licentia minime requisita, et nulla praeterea iisdem Ordinariis jurisdictione in illis, aut oneris imponendi facultate reservata, fundare, erigere, et construi facere; dictique Magister, et Conventus, hujusmodi fundationes et erectiones, alterius cujusvis licentia aut consensu minime requisitis, approbare et acceptare, possint et valeant, plenam et liberam iisdem facultatem et auctoritatem concedimus, et impertimur.

Facultas erigendi novas Domos et Præceptorias Ordinis, aliaque loca cum iisdem prærogativis.

§. 5. Presbyteri vero tam saeculares, quam ejusdem Hospitalis Militiae Cappellani, et in ea expresse Professi, qui per Priores, Castellanum, Bajulivos, Praeceptores, aliosque Milites Commendatarios, juxta eorum facultates inferius declarandas, ad deserviendum Parochialibus, et aliis Ecclesiis, Cappellis, et Oratoriis Hospitalis hujusmodi, ac membrorum ejus, tam nunc existentium, quam in posterum erigendorum, pro tempore deputabuntur, per Locorum Ordinarios, ad nominationem seu praesentationem dictorum Priorum, Castellani, Bajulivorum, Praeceptorum, aliorumque Commendatariorum, praemisso dumtaxat examine quoad idoneitatem ad ea, quae pertinent ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem, ad formam Decretorum Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum per Praedecessores Nostros Romanos Pontifices, ac per Nos ipsos desuper editarum, absque aliqua exactione, et oneris impositione, institui, ac recipi, et admitti volumus, et mandamus.

Demandatur institutio Presbyterorum, qui per Commendatarios Ordinis ad Beneficia erunt nominati, sine ulla exactione etc.

§. 6. Ac insuper eisdem Fratribus Cappellanis in eadem Militia expresse Professis, ut omnes etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines a quocumque maluerint Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, et in propria Dioecesi residente, vel in aliena de Dioecesani Loci consensu Pontificalia exercente, etiam extra tempora a jure statuta, annique curriculo minime expectato, et tribus diebus Festivis, aliquo temporis spatio, arbitrio dicti Antistitis definiendo, interpolatis, servato tamen fel. rec. Clementis VIII. Praedecessoris Nostri Decreto die xv. Martii Anni MDXCVI. edito, Nostraque super his edita Constitutione, quae incipit — *Impositi Nobis* — data Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI. tertio Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno VII. aliisque de jure servandis, recipere possint et valeant, earumdem praesentium serie concedimus et indulgemus.

Facult Fratribus Cappellan professis scipiendi dines ex tempora dinationu

§. 7. Praeterea nullus omnino ex praedicti Hospitalis Fratribus, Militibus, seu Cappellanis, aliisve personis ipsius Hospitalis subditis, in Prioratibus, Castellania Empostae, Bajuliviis, Praeceptoriis, Dominibus, Membris, Beneficiis, Praediis, sive Granciis quomodocumque a dicto Hospitali dependentibus, ubicumque, et infra limites jurisdictionis quorumcumque Patriarcharum, Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Praesulum, sive Universitatum, Hospitalium, aut Rectorum Ecclesiarum constitutis, quascumque Decimas, taxas, et jura, etiam Synodalia, seu Canonicas portiones, aut quartas nuncupatas, Procurationes, subsidia etiam charitativa, seu alias quascumque collectas et contributiones, etiam ratione jucundi adventus nuncupati, aliudve onus personale, seu mixtum, ab Ordinariis ubicumque, et ex quacumque causa imposi-

Exemptio neralis Bo rum Ordi a quibus Decimis impositio bus Eccles sticis.

tum, vel imponendum, tam ex antiquis eorum culturis, quam recenter cultis novalibus, aliisque terris, fundis, possessionibus, et animalibus, etiamsi terrae et possessiones hujusmodi ad quantumcumque longum tempus, non tamen in perpetuum feudum, aut Emphyteusim, concessae fuerint; sive ex propriis patrimonialibus bonis eorumdem Magni Magistri, Priorum, Castellani Empostae, Bajulivorum, Praeceptorum, aliorumque Fratrum Militum et Cappellanorum, tam acquisitis, quam in posterum acquirendis, aut ad eos quovis modo, etiam ex concessione Apostolica, vel Magistrali, pertinentibus, alicui quovis modo solvere teneantur: A quibus omnibus exactionibus, collectis, contributionibus, oneribus, et impositionibus quomodocumque nuncupatis, omnia et singula dicti Hospitalis loca ac bona, ut praefertur, nec non Ecclesiarum ab ipso Hospitali quomodolibet dependentium fabricas, semper et perpetuo; praedictorum autem patrimonialia bona, a die emissae per supradictorum singulos Professionis: libera, immunia, et exempta, sicut per Praedecessores Nostros Rom. Pontifices fuisse, ita modo esse, et in posterum fore declaramus et volumus.

Item ab eribusLaibus.

§. 8. Eademque ipsius Militiae Hospitalis loca, praedia, possessiones, et bona, ubicumque, etiam sub nostra, et Apostolicae Sedis, sive aliorum quorumcumque Supremorum Principum, Rerumpublicarum, et Universitatum Ditione, et jurisdictione consistentia, ab omnibus et singulis oneribus, impositionibus, et gravaminibus ordinariis et extraordinariis, tam Fiscalibus, seu Cameralibus, quam etiam Communitativis, seu pro Communitatum et Universitatum Laicalium ordinariis aut extraordinariis usibus, et indigentiis hactenus impositis, et imponendis, nisi forsan auctoritate Apostolica cum eorumdem bonorum Hospitalis praedicti expressa comprehensione, imposita fuerint, aut imponantur in posterum, seu eadem bona illorum solutioni et supportationi subjecta esse aut fore, etiam expresse per dictam Sedem declaratum fuerit; praedictorum autem Magni Magistri, aliorumque Militum Professorum patrimonialia bona, donec in eorumdem peculiari censu existent, nec in commune dominium et proprietatem Hospitalis praedicti re ipsa translata fuerint, a Communitativis dumtaxat oneribus et collectis, quae scilicet pro earumdem Communitatum et Universitatum Laicalium usibus et indigentiis primitus imposita, nequaquam deinde Fisci et Camerae juribus applicata fuerint, plenarie similiter exempta, libera, et immunia esse et fore, statuimus, atque decernimus.

Bonorum trimoniaum Militum profesum ab oribus Communitativis merae non plicatis.

Revocatio amplissima quorumvis Indultorum exemptionis et subjectione Magni Magistri et superiorum Ordinis.

§. 9. Et quoniam praemissae exemptiones non alia de causa a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Hospitali praedicto, ejusque Personis, ac rebus concessae, ac pluries confirmatae, et a Nobis ipsis, ut praefertur, innovatae fuerunt, quam ut ejusdem Militiae status et ordo sub ipsius Magni Magistri, ac Praelatorum regimine, in publicum Christianae Reipublicae bonum feliciter procedat, simulque illius bona, ad communes impensas pro Fidei defensione, et Religionis praesidio sustinendas sufficiant; Ideo Nos eorumdem Praedecessorum vestigiis inhaerentes, omnes et singulas exemptiones Priorum, Bajulivorum, aliorumque Fratrum Militum, seu Cappellanorum, aliarumque Personarum dicti Hospitalis subditarum, ubicumque, tam citra, quam ultra Montes et Mare, nunc pro tempore constitutorum, et commorantium, a superioritate, jurisdictione, obedientia, et correctione Magni Magistri et Conventus, praedictorum, ac aliorum Praelatorum ipsius Hospitalis, etiam cum eorum receptione in protectionem dictae Sedis, itaut illi solummodo sint subjecti, quodque Magno Magistro, et Conventui, et Praelatis praefatis parere, et ad Hospitale praedictum accedere non teneantur; quacumque ratione vel causa, etiam obsequiorum per eos Fidei, ac Sedi, et Hospitali praedictis impensorum, aut alia consideratione, etiam cum quibusvis clausulis, et derogatoriarum derogatoriis, hactenus forsan concessas; quarum quidem exemptionum Indulta, utpote in Regularis disciplinae et status praedictae Militiae eversionem, ac etiam forte in damnum et detrimentum totius Christianae Reipublicae tendentia, nunquam in posterum a Successoribus Nostris concedenda fore pro certo confidimus; praedicta auctoritatis plenitudine, et earumdem praesentium serie, revocamus, cassamus, abolemus, et annullamus, ac pro infectis et nullis haberi volumus; atque illius, quibus concessa fuerint, minime suffragari, quominus, iisdem non obstantibus, praedicto Magno Magistro, ac Conventui, et Praelatis praefatis quandocumque liceat plenariam et omnimodam in eos jurisdictionem et superio-

ritatem, in stabilimentis Ordinis eisdem attributam, exercere; seu quominus omnes, et singuli praedicti iisdem Magno Magistro, conventui, et Praelatis, tam personaliter, quam realiter, omni exceptione cessante, perinde ac si Indulta exemptionum hujusmodi nunquam concessa fuissent, firmiter parere et obedire teneantur; iisdemque Magno Magistro, Conventui, ac Praelatis praedictis, contra Rebelles, ac etiam sub hujusmodi Indultorum obtentu, mandatis suis non obedientes, servatis consuetis terminis ad docendum se paruisse et satisfecisse in loco Conventus Hospitalis hujusmodi, aliisque de jure, et juxta stabilimenta praedicta servandis, ad mulctas et poenas in eisdem stabilimentis praescriptas procedendi, easque re ipsa exequendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem tribuimus et impertimur.

Facultas extraendi subditos delinquentes e Locis immunibus.

§. 10. Pro quorum omnium, aliorumque sub temporali eorumdem Magni Magistri et Conventus jurisdictione in Insulis Melitae et Gauli existentium debita coercitione, et expedito justitiae cursu, Nos earumdem praesentium Literarum tenore, et auctoritate praedicta, Apostolicas Constitutiones tam Praedecessorum Nostrorum Benedicti Papae XIII. quae incipit — *Ex quo Divina* —, datam Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXV. sexto Idus Junii, et Clementis Papae XII. cujus initium est — *In supremo justitiae solio* —, datam ejusdem Dominicae Incarnationis Anno MDCCXXXIV. Kalendis Januarii, pro eo quod pertinet ad immunitatem localem et personalem; quam etiam Nostram Anno similiter Incarnationis Dominicae MDCCXLIX. Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno X. editam, quae incipit — *Officii Nostri ratio* —, cum omnibus Decretis, Clausulis, et Derogationibus in eis contentis, quatenus opus sit, ad ipsam Hospitalem Militiam, ejusque Personas ubique constitutas, necnon ad dictas Insulas Melitae et Gauli, expresse extendimus et ampliamus.

Extensio Constitutionis super Duellorum abusu ad Milites ejusdem Ordinis.

§. 11. Ac insuper ejusdem Militiae laudabilia statuta adversus Duellorum abusum edita magnopere comprobantes, novissimam quoque Constitutionem Nostram, quae incipit — *Detestabilem* —, datam quarto Idus Novembris proxime elapsi, ipsius quoque Fratres Milites, et Subditos quoscumque arctare et afficere, statuimus et declaramus.

§. 12. Ad asserenda vero communis Aerarii, Thesauri nuncupati, Hospitalis praedicti jura, quum alias ejusdem Militiae stabilimentis et usibus, seu Privilegiis, Indultis, et Literis Apostolicis, eisdem Hospitali, ejusque Magno Magistro, et Conventui concessis, expresse cautum fuerit, quod provisi, ac provisiones, commendas, seu alias dispositiones de Praeceptoriis, aliisque Beneficiis dicti Hospitalis sibi pro tempore factas prosequentes, certa jura vacantia, seu mortuaria, aut alias nuncupata, forsan duplicata, communi Aerario hujusmodi persolvere, ac quaedam alia ibidem expressa onera subire tenerentur, quodque de redditibus, fructibus, et proventibus hujusmodi Praeceptoriarum, primo et secundo, et forsan aliis annis provenientibus disponere, seu illos percipere minime possent, sed illi dicto Aerario; ac alias in usum et utilitatem Hospitalis, ac illius Militum, seu Mensae applicari, pro illius necessitatibus sublevandis, ac tuitione Fidei adversus Christianae Reipublicae Hostes, aliisque oneribus Hospitali praedicto incumbentibus, impendi deberent; ac insuper Prioratus, Castellaniam Empostae, Bajulivias, Praeceptorias, et alia illius Beneficia quaecunque, pro tempore qualitercumque obtinentes, certas responsiones, ac ordinarias, et extraordinarias impositiones eidem communi Aerario annis singulis solvere tenerentur: ipsisque Prioratibus, Castellania, Bajuliviis, Praeceptoriis, aliisque Beneficiis hujusmodi, per obitum seu alias quomodocumque vacantibus, illorum fructus, redditus, et proventus, prout in uno, vel altero anni tempore vacaverint, usque ad certam respective diem eidem Aerario cederent: Volumus in posterum nullas omnino exemptiones ab hujusmodi solutionibus cuilibet indulgeri, et quatenus concedantur, ex nunc decernimus et declaramus, easdem nullius roboris et momenti fore et censeri debere; sed, non obstantibus futuris forsan Indultis et gratiis hujusmodi, etiam quibusvis clausulis, et derogationibus muniendis, omnes et singulos Prioratus, Bajulivias, Castellaniam, Praeceptorias, et alia Beneficia hujusmodi, seu illorum membra, et ab illis dependentia obtinentes, et in illis regressus, accessus, coadjutorias, et alias gratias, quavis etiam Apostolica auctoritate concessas habentes, seu illorum fructus, et proventus, aut alia jura loco pensionis annuae, vel pensiones ipsas super eorumdem fructibus, redditibus, et pro-

Jura et proventus communis Aerarii asseruntur.

ventibus forsan impositas, et imponendas percipientes, cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant, ac etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, pro rata fructuum, et pensionum earumdem, de omnibus et singulis annatis, vacantibus, mortuariis, et aliis quibuscumque juribus per eos dicto communi Aerario quomodolibet debiti satisfacere debere: nec etiam vigore Indultorum, gratiarum, et derogationum hujusmodi, a solutione et praestatione fructuum, censuum, passagiorum, annatarum, vacantium, et mortuariorum, aut aliorum quorumcumque jurium, seu responsionum, aut ordinariarum vel extraordinariarum impositionum, dictorum stabilimentorum et privilegiorum vigore debitorum, in toto vel in parte se eximere, vel liberare, aut alias communi Aerario Hospitalis hujusmodi, seu illius juribus in aliquo praejudicare posse, seu praejudicatum censeri; sed omnes et singulos praedictos de caetero, etiam hujusmodi gratias et derogationes pro tempore habentes, ad exhibitionem et relationem fructuum, ac pensionum hujusmodi eidem communi Aerario faciendam, teneri et adstrictos fore: et ad id etiam per censuras et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, cogi et compelli posse.

evocatio ienatio- am Bono- em Ordinis sque con- nsu M. agistri et onventus cienda- im.

§. 13. Bonorum autem et jurium ejusdem Hospitalis perpetuae conservationi tutius consulere volentes, quascumque donationes, concessiones, locationes ultra tempus in praefatis ejusdem Militiae stabilimentis permissum, et investituras, et alias alienationes bonorum immobilium, seu censuum, reddituum, jurium, et jurisdictionum ad Prioratus, Castellaniam Empostae, Bajulivias, Domos, Hospitalia, Beneficia, et loca Hospitalis hujusmodi pertinentium, in illorum laesionem, jacturam, vel detrimentum, et alias sine consensu et expressa licentia Magni Magistri et Conventus praedictorum, etiam per personas dictae Religionis faciendas, etiam cum renunciationibus, pactis, juramentis, et poenis desuper impositis, et adjectis, ac instrumentis et Literis desuper confectis, quacumque etiam longi temporis praescriptione, seu pacifica possessione, et detentione non obstantibus, ipso jure nullas, nulliusque roboris vel momenti existere, et fore, decernimus et statuimus; ac census, reditus, jura, jurisdictiones, et bona alienata hujusmodi, seu per quoscumque etiam Saeculares occupata, usurpata, et detenta, ad jus et proprietatem dicti Hospitalis, seu illius Prioratuum, Bajuliviarum, Praeceptoriarum, aliorumque Beneficiorum, ac membrorum reducimus, illudque et illa adversus alienationes, investituras, occupationes, et detentiones hujusmodi, in integrum, ac in pristinum, et eum statum, in quo antea erant, restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus, illarumque detentores, cujusvis Dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, ad illorum restitutionem, dimissionem, et relaxationem, per censuras Ecclesiasticas, et alia juris remedia, cogi, et compelli posse volumus. Similes vero alienationes de caetero, sine licentia, et beneplacito dictae Sedis, nunquam absque evidentis ipsius Hospitalis utilitatis cognitione, et expresso Magni Magistri et Conventus praedictorum consensu concedendis, sub excommunicationis latae sententiae, et privationis Beneficiorum per eos obtentorum poenis, per contrafacientes eo ipso absque aliqua declaratione incurrendis, ac nullitatis omnium aliter gestorum, fieri districte prohibemus.

Prohibitio novarum alienationum absque dicto consensu.

§. 14. Jam vero liberam quorumcumque Officiorum, et Beneficiorum Regularium ipsius Militiae, nec non reddituum et emolumentorum eisdem adnexorum dispositionem, atque dispensationem pro meritis et justitia faciendam, eisdem Magno Magistro, et Conventui, seu aliis ad quos, juxta statuta, consuetudines, et privilegia Militiae hujusmodi, pertinere dignoscitur, asserere etiam, et confirmare volentes; perpensis illis, quae olim fel. rec. Innocentius Papa VIII. Praedecessor quoque Noster eidem indulsit; simili auctoritate, ac praesentium tenore, Prioratus, Castellaniam Empostae, Bajulivias, Praeceptorias, Cameras, caeteraque quomodolibet nuncupata ejusdem Militiae Hospitalis Officia, Beneficia, et Membra Regularia quaecumque, nunquam de caetero perpetuis futuris temporibus, sub quibusvis, generalibus vel specialibus reservationibus Apostolicis, etiam per Regulas Cancellariae Apostolicae factis, et quas pro tempore fieri contingat, de Beneficiis Ecclesiasticis etiam apud Sedem praedictam pro tempore vacantibus, nec sub quibusvis Literis dictae Sedis, aut Legatorum ejus, utpote vere Regularia, et non collativa, ac etiam ad Hospitalitatem, et fidei tuitionem ordinata, ullatenus includi,

Exemptio Commendarum et officiorum Ordinis tamquam non collativorum, a quibusvis reservationibus et affectionibus Apostolicis.

seu inclusa et comprehensa censeri, nec reservata vel affecta existere, aut hujusmodi reservationum, seu Regularium, aut Literarum vigore, per quempiam acceptari, seu alicui de illis provideri posse, decernimus, et declaramus; sed quoties per ea obtinentium cessum vel decessum, seu etiam per resignationem in manibus Nostris, et Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum factam, Commendae vel deputationes ipsae pro tempore qualitercumque cessaverint, seu vacare dicantur, tam in Romana Curia, quam extra eam; toties per pro tempore existentem Magnum Magistrum et Conventum praedictos, seu per alios ejusdem Ordinis ad id facultatem habentes, et non alium, seu alios, juxta stabilimenta praedicta, ejusdemque Hospitalis consuetudines, usus, et naturas, et illi concessa Privilegia et Indulta, Fratribus dicti Ordinis, in administrationem et Commendam, ut moris est, itaut nunquam Beneficiorum collativorum naturam assumere, nec ab ea obtinentibus in titulum perpetui Beneficii Ecclesiastici retineri, aut, ipsis cedentibus vel decedentibus, ex eorumdem personis vacare censeantur, de ipsis disponi, et provideri, volumus, concedimus, et respective statuimus: Necnon reservationes, ac provisiones, collationes, commendas, deputationes, uniones, et quascumque alias similes vel dissimiles dispositiones, quacumque ratione vel causa, etiam motu et scientia similibus, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, etiam per Nos, aut Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, seu per dictae Sedis Legatos, auctoritate Apostolica, aut alia quacumque, et quandocumque faciendas, nullius penitus roboris et momenti existere, et haberi prorsus pro infectis; quasque per alios, quam per dictos Magnum Magistrum et Conventum, aliosque ipsius Ordinis, ut praefertur ad id facultatem habentes, fieri contingat, illis, quibus sic fierent, nullum jus, nullumque coloratum titulum possidendi tribuere, et eos, quoad omnes effectus, etiam Nostrae et Cancellariae praedictae Constitutionis et Regulae, de triennali possessore non molestando, pro meris Detentoribus sine titulo haberi et reputari. Nec non omnes et singulas expectativas, antianitates, mandata de providendo, seu Coadjutorum deputationes etiam de consensu personarum eadem pro tempore obtinentium, regressus, accessus, aliasque praeventivas gratias, facultates, et Literas Apostolicas, super iisdem Prioratibus, Castellania Empostae, Bajuliviis, Praeceptoriis, Cameris, Commendis, et quibusvis aliis Beneficiis Regularibus dicti Hospitalis vacaturis, in favorem etiam Fratrum Militum dictae Militiae, cujuscumque gradus, et ordinis, ac Ecclesiasticae, etiam Cardinalatus, seu mundanae dignitatis, et conditionis fuerint, quomodocumque et qualitercumque, absque Magistri et Conventus praedictorum consensu, etiam ex quibusvis justissimis et urgentissimis causis, quantumvis onerosis, et quorumcumque meritorum, etiam erga Fidem, ac Sedem, et Militiam praefatas, seu damnorum passorum intuitu, et quorumcumque, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum, seu Universitatum Studiorum consideratione, aut pro sedandis litibus, etiam per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore futuros, Nostrosque, seu eorumdem Successorum Legatos, concessas, et concessa, seu concedendas, et concedenda, etiam quascumque clausulas illarum ab hujusmodi revocationibus praeservativas, in se continentes et continentia; motu, scientia, et potestate similibus etiam perpetuo revocamus, cassamus, et annullamus; et nemini suffragari, nec illarum praetextu, etiamsi ex tunc, prout ex diebus vacationum eorumdem, factae, seu facta comperiantur, aliquem ex Prioratibus, Castellania, Bajuliviis, Praeceptoriis, Cameris, Commendis, aliisque Beneficiis Hospitalis hujusmodi, acceptari, vel assequi, aut jus in re, vel ad rem, cuiquam acquiri potuisse seu posse; sed, illis non obstantibus, praedictos Magnum Magistrum, et Conventum, aliosque dicti Ordinis ad id facultatem habentes, ut praefertur, conjunctim seu divisim, juxta consuetudines et stabilimenta ejusdem Hospitalis, de ipsis Prioratibus, Castellania, Bajuliviis, aliisque praemissis, libere disponere potuisse et posse, ac sic judicari debere, et quidquid secus super his attentari contingat, irritum et inane decernimus.

Revocatio gratiarum preventivarum, et Coadjuto factarum, et faciens absque consensu M. Magistri et Conv.

§. 15. Praedictis autem Magno Magistro, et Conventui dumtaxat, eorumdem Prioratuum, Castellaniae, Bajuliviarum, aliorumque Regularium dicti Hospitalis Beneficiorum hujusmodi resignationes admittendi, ac recipiendi, illaque resignantibus, denominationem, seu titulum, ac omnes eorum fructus,

Facultas M. Magistri et Conv. admittendi resignationes Commendarum et Officior. regularium Ordinis, et Pensiones reservandi.

seu partem, aut super illis quascumque pensiones annuas, quae etiam transeant ad successores in eis, etiam sub censuris et poenis Ecclesiasticis, etiam privationis, in talibus apponi solitis, ad vitam, vel ad tempus, reservandi, concedendi, constituendi, et assignandi, et quod altero decedente, superstes in Beneficii possessione succedat, indulgendi, seu regressum ad illud concedendi, liberam facultatem et auctoritatem, earumdem praesentium tenore concedimus et impertimur.

Prohibitione super Commendis Ordinis Pensiones: Praeterquam in favorem Militum reservantur.

§. 16. Decernentes nihilominus, super eorumdem Prioratuum, Castellaniae, Bajuliviarum, aliorumque praemissorum fructibus, redditibus, et proventibus, nullas pensiones annuas, seu eorumdem fructuum, reddituum, et proventuum portiones, in quarumvis personarum saecularium, seu alterius Ordinis, praeterquam dicti Hospitalis et Militiae Regularium, cujuscumque status, gradus, ordinis, nobilitatis, praeeminentiae, vel Ecclesiasticae, aut mundanae dignitatis, aut conditionis fuerint, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, favorem, commodum, et utilitatem, quamvis etiam Supremorum Principum, ut supra, vel aliorum consideratione, et intuitu, seu ex quacumque etiam onerosa et meritorum causa, per ipsos Magnum Magistrum, et Conventum praefatos, seu per dictam Sedem, reservari, constitui, et assignari ullatenus posse; et si reservari, concedi, constitui, et assignari contigerit, reservationes, concessiones, constitutiones, et assignationes hujusmodi factas, et faciendas, pro nullis et irritis haberi, nulliusque roboris et momenti esse et fore, nec ulli suffragari, aut jus easdem pensiones, seu fructus exigendi tribuere, nec quemquam earum vigore ad earumdem pensionum, seu fructuum solutionem et praestationem compelli posse.

Facultas deputandi Fratres Cappellanos in Ecclesiis dependentibus et annexis, et illos amovendi.

§. 17. Caeterum Magnus Magister, et singuli Priores, Castellanus Empostae, Bajulivi, Praeceptores, Milites, et Fratres Hospitalis hujusmodi, tam Parochiales, quam etiam sine cura Ecclesias, vel earum Vicarias, aut Cappellas, vel Altaria, seu alia Beneficia simplicia, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem ratione Prioratuum, Castellaniae, Bajuliviarum, Praeceptoriarum, etiam Camerarum Magistralium nuncupatarum, Hospitalium, Domorum, et aliorum Beneficiorum dicti Hospitalis per eos pro tempore obtentorum, de jure, statuto, consuetudine, fundatione, aut privilegio, vel alias quomodolibet spectantia, et pertinentia, et ab ipsis Prioratibus, Cappellania, Bajuliviis, Praeceptoriis, Domibus, Hospitalibus, et aliis Beneficiis Regularibus vere dependentia, et subjective annexa, quae juxta ejusdem Ordinis Statuta, Fratribus saltem Cappellanis ipsius Hospitalis concedi semper debuissent, quamtumvis a longo et forsan longissimo tempore, per abusum, aut ex defectu Fratrum Cappellanorum hujusmodi ad id idoneorum, Clericis, seu Presbyteris Saecularibus conferri, et per dictos Presbyteros, seu Clericos saeculares obtineri consueverint, in posterum etiam Fratribus dicti Ordinis Cappellanis, si alias ad id idonei et habiles reperiantur, concedere et assignare, eosque ad illorum curam, regimen, et administrationem deputare, ac etiam, justis concurrentibus causis, tam Saeculares Clericos, seu Presbyteros, quam Fratres Cappellanos hujusmodi, ab eorumdem cura, regimine, et administratione amovere, et alios in illorum loca subrogare; ipsique Fratres Cappellani, non secus ac Saeculares Clerici, seu Presbyteri, eadem recipere et administrare, non tamen in titulum perpetui Beneficii Ecclesiastici retinere, illisque respective deservire, et animarum curam hujusmodi Beneficiis forsan annexam exercere libere et licite respective possint et valeant.

In Causis inter Militiam et Milites, ac super receptione ad habitum, duae Sententiae conformes vim trium obtinere debent.

§. 18. Denique causas, lites, et controversias quascumque, tam inter ipsam Religionem, seu Hospitalem Militiam, ejusque Conventum, aut commune Ærarium ex una, et singulas personas Fratrum Militum ejusdem Militiae, cujuscumque gradus, dignitatis, et praeeminentiae existant, aut Cappellanos, aliasque dicti Hospitalis personas ex altera partibus, quam inter ipsos nunc existentes, et futuros Fratres Milites Cappellanos, et personas hujusmodi, hinc inde, super quibusvis rebus et juribus; ac etiam inter eamdem Militiam, seu illius Fratres ex una, et quascumque alias Saeculares, aut Regulares personas ex altera, super receptione ad habitum ipsius Militiae, motas et movendas, et coram ejusdem Militiae Judicibus, et Tribunalibus Ordinariis, seu commissariis, jam nunc introductas, atque pendentes, seu quandocumque introducendas, et agitandas, celerem et expeditum cursum et finem, prout ad ipsius Militiae, ejusque Fra-

trum tranquillitatem, et utilitatem maxime convenit, sortiri et obtinere volentes; statuimus atque decernimus, a sententia in hujusmodi causis lata per Judicem secundae instantiae, nullam appellationem in suspensivo admitti, seu concedi, nisi quatenus ea sententia sit infirmatoria primae sententiae definitivae, seu vim definitivae habentis, et in ea parte dumtaxat, quae hujusmodi infirmationem importet; Sed, ubi duae Sententiae conformes inter se esse dignoscantur, easdem habere vim trium, et rem facere judicatam; quae, nisi succumbens intra tres menses tunc proximos, speciali citatione coram Nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis Auditore expedita, et parti victrici legitime praesentata, illius executionem suspendi obtinuerit, debitae executioni mandari possit, ac etiam debeat: Declarantes nihilominus, ab electione Fratrum Militum, et Praeceptorum, seu Commendatariorum, in Bajulivos Magnae Crucis nuncupatos, nullam appellationem seu recursum in suspensivo recipi, aut admitti, juxta statutum XX. Consilii generalis dictae Militiae, quod per easdem praesentes hac in parte expresse approbamus et confirmamus. Nullas vero sententias, resolutiones, decreta, aut res judicatas quorumcumque Tribunalium, etiam Auditorii Causarum Palatii Nostri Apostolici, aliorumque Judicum Romanae Curiae, praedictis Magno Magistro et Conventui, ac Militiae, ejusque communi Ærario, super Jurisdictione, ac praemissorum privilegiorum et jurium civili possessione, vel quasi, nisi eadem Militia, citato in actibus substantialibus illius Procuratore in ea Curia constituto, et commorante, specialiter ad causam vocata fuerit, ullatenus praejudicare posse, aut ipsis per ea praejudicatum censeri; sed eosdem semper et quandocumque, sententiis et rebus judicatis hujusmodi nihil obstantibus, super possessorio agere, ac etiam de spolio dare posse. Quod ne ab aliquibus in hoc interesse habentibus, aut habere praetendentibus, ignorari valeat; volumus, hujusce dispositionis nostrae tenorem, per Edictum typis impressum, et in consuetis locis publicis hujus Almae Urbis, aliarumque Curiarum, ubicumque opus fuerit, nec non ad valvas Ecclesiarum Prioratuum, Bajuliviarum, et Praeceptoriarum dictae Militiae per Orbem constitutarum, infra novem Menses proximos affigendum, ad publicam omnium notitiam deduci debere: Quo facto, dispositio Nostra hujusmodi omnes perinde arctet, ac si personaliter singulis interesse habentibus, aut habere praetendentibus, intimata fuisset.

Nisi infra tres menses executio rei judicatae per Auditorem Pontificis suspensa fuerit.

Nulla appellatio in suspensivo admittatur ab electione in Bajulivorum Magnae Crucis.

In causis in quibus agitur de interesse Ordinis, illius Procurator citandus erit.

Dispositio hujusmodi per Edictum publicum ad omnium notitiam deduci debet.

§. 19. Ad quorum omnium perpetuam firmitatem, nec non bonorum et jurium ipsius Militiae indemnitatem magis asserendam, ejusdem nunc et pro tempore existentibus Bajulivis, Prioribus, Castellano Empostae, Praeceptoribus, et Fratribus Militibus, ut omnes et singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, et eorumdem Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum Vicarios, seu Officiales, aliasque personas in Dignitate Ecclesiastica ubilibet constitutas, nec non Canonicos Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum, qui in Conciliis Provincialibus, aut Dioecesanis, juxta saepedicti Concilii Tridentini Decretum, vel etiam extra hujusmodi Concilia in casibus per Apostolicas Constitutiones permissis, Judices electi, seu designati fuerint, dummodo in eadem Civitate aut Dioecesi sint constituti, semper et quandocumque opus fuerit, servata forma Constitutionis a fel. rec. Praedecessore Nostro Gregorio Papa XV. hac super re editae, in suos, et Privilegiorum, bonorum, et jurium hujusmodi Conservatores, et Judices eligere possint, qui ipsos adversus inferentes eis injurias, seu gravamina et damna in personis, rebus, et bonis, ac juribus hujusmodi, manutenere, et conservare, ac ipsi sic ab eis electi, omnibus privilegiis, facultatibus, et gratiis, quibus aliorum Ordinum non Militarium Conservatores uti, potiri, et gaudere debeant, earumdem praesentium serie, et auctoritate praedicta, plenam et liberam facultatem concedimus et indulgemus.

Facultas d putandi J dices Co servatores

§. 20. Utque praeterea in iis locis, in quibus Judices particulares eorumdem Fratrum Militum, et Cappellanorum, ac Inservientium Hospitalis praedicti, per Priores, aut Bajulivos, aliosve ad id facultatem habentes, deputati, Tribunal apertum retinere actu consueverunt; iidem Fratres Milites et Cappellani, ac Inservientes, in omnibus Civilibus Causis, in quibus ipsi Rei fuerint, coram hujusmodi Judicibus in prima Instantia privative etiam de caetero conveniri debeant, salva observantia Decreti in eadem Tridentina Synodo Sess. VII. Cap. XIV. editi, quoad causas mercedum et miserabilium personarum: et salvo jure legitimae Appellationis in secunda, et ulterioribus

In Causis passivis, Personae Ordinis coram propriis Judicibus conveniri debeant.

Instantiis, ad Nos, et Sedem Apostolicam, statuimus etiam, atque decernimus.

Clausulae aplissimae o praemissorum firmitate.

§. 21. Ipsas quoque praesentes Literas, atque omnia et singula in eis contenta et expressa, seu per eas confirmata et innovata Privilegia et Indulta semper et perpetuo firma, valida, et efficacia existere et fore, nec umquam sub generalibus Privilegiorum et Indultorum hujusmodi revocationibus, aut derogationibus, seu contrariis Constitutionibus, Ordinationibus, Legibus, et dispositionibus, in quibuscumque Apostolicae Sedis Literis, aut Conciliorum etiam Generalium Decretis, praeterquam Concilii Tridentini, cujus Decreta in omnibus et per omnia salva, et praeservata esse volumus, comprehendi, nec ipsam Hospitalem Militiam ex his arctari et affici, nisi de iisdem Privilegiis et Indultis, ac de ipsa Hospitali Militia expressa mentio fiat, ac etiam quoad aliqua ex superius expositis, illius Magni Magistri, et Conventus praedictorum expressus ut praefertur, consensus accedat: Et ita, ac non alias, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores praedictos, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, et alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, officio, et Ecclesiastica, seu mundana dignitate fungentes, ac praerogativa, privilegio, praeeminentia, et honore fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque Curia, et in qualibet instantia, judicari et definiri debere decernimus, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 22. Non obstantibus Nostris, et Cancellariae praedictae in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis regulis, et quibusvis aliis in contrarium eorumdem praemissorum, etiam Apostolicis, seu in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quarumvis Archiepiscopalium, et Episcopalium Ecclesiarum juribus ac consuetudinibus, etiam longo temporis spatio praescriptis, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, illis, eorumque Praesulibus, aliisque Personis, etiam speciali nota dignis, ac Regnis, Provinciis, Civitatibus, ac Locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam Consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque Literas Apostolicas, etiam motu simili, deque pari Apostolicae potestatis plenitudine pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias clausulas in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum. Quibus omnibus et singulis, quamvis de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso hic inserti forent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, earumdem tenore praesentium derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 23. Volumus autem, ut earumdem praesentium Transumpta, sive exempla, etiam impressa, manu Vicecancellarii ejusdem Conventus, seu alicujus Notarii publici subscripta, et pro tempore existentium ejusdem Militiae Magni Magistri, vel cujusvis ex Bajulivis, Prioribus, aut Castellano praedictis, seu alterius Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae, sigillo munita, eamdem ubique fidem, et auctoritatem obtineant in judicio et extra, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum absolutionis, confirmationis, approbationis, exemptionis, liberationis, concessionis, indulti, mandati, facultatum impertitionis, extensionis, ampliationis, declarationis, statuti, prohibitionis, revocationis, cassationis, annullationis, decreti, dero-

gationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pont. An. XIII. die 12. Martii 1753.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII. Quarto Idus Martii, Pontificatus Nostri anno decimotertio.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

XIII.* Sopra la destinazione de' Luoghi di Monte di Roma, e di Bologna già dismembrati dall' Asse ereditario della ch. mem. del Cardinale Pompeo Aldrovandi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu Proprio etc.

Dopo aver Noi con altra Cedola di Nostro Moto proprio segnata li 3. Ottobre dello scorso Anno 1752. moderate, commutate, e ridotte a stato, e forma eseguibile le molte, e varie disposizioni in diversi tempi fatte dal fu Cardinal Pompeo Aldrovandi, e fra le altre cose, stabilito, e determinato, che dall' Asse ereditario di esso Cardinale, quale applicammo sotto certe condizioni, e leggi in essa Cedola distintamente espresse al Conte Senatore Raniero Aldrovandi, e suoi, restassero fin d' allora separati in perpetuo, e dismembrati i Luoghi di Monte non Vacabili, tanto Camerali, che Comunitativi, quali cantavano liberamente, e senz' alcun vincolo in credito di detto Cardinale al numero in tutto di Luoghi quattrocento e cinque, Cent. 66., e ba. 85., cioè Luoghi quaranta S. Pietro primo, Luoghi cinque, e Cent. 44., e ba. 25. S. Pietro terzo, Luoghi cinquantadue, e Cent. 11. S. Pietro quarto, Luoghi quattordici Cent. 11., e baj. 60. S. Pietro sesto, Luoghi cento ottantasei S. Pietro settimo, Luoghi cinque S. Pietro ottavo, e Luoghi settantatre S. Pietro nono, e altri Luoghi trenta del nuovo Monte delle Comunità, ed in oltre un Capitale di scudi duemila sul Monte Giulio della nostra Città di Bologna con li frutti di essi Monti, e Capitale fin' allora decorsi, e non esatti, e da decorrere in avvenire.

Narrativa della dismembrazione già fatta nel Moto proprio dei 3 Ottobre 1752 dalla Eredità del Cardinale Aldrovandi di Luoghi di Monte 405. 66. 85. non vacabili Camerali, e Comunitativi, e di due mila scudi del Monte Giulio in Bologna co' frutti decorsi, e da decorrere.

Volendo in oggi, che mediante la congrua applicazione di detti Capitali, come sopra, dismembrati, e co' frutti de' medesimi, che sono decorsi fino a tutto il mese di Febbrajo del corrente anno 1753., si adempia senz' altro indugio, e per quanto è possibile, la buona, e lodevole intenzione del Defonto verso l' Insigne Collegiata Chiesa di S. Petronio, e l' altra parimente Collegiata di S. Maria Maggiore, ambedue di Bologna, come pure si promova sempre più lo Studio delle Arti liberali in essa Città, già sua, e similmente Nostra dilettissima Patria, Ci siamo risoluti, e determinati di ordinare e stabilire, come in appresso.

Applicazion ideata di det to Capitale e frutti a te nore, pe quanto è pos sibile, dell intenzioni de Cardinale.

Avendo pertanto nella presente Cedola per espresso, e di parola in parola inserito, e registrato lo intiero tenore di tutte, e singole Disposizioni fatte dal defonto Card. Pompeo parte fra Vivi, ma però sempre revocabili a suo piacimento, e parte in forma di ultima Volontà: Del suddetto Nostro precedente Moto proprio delli 3. Ottobre 1752.: Della esecuzione già data al medesimo, e specialmente dell' Obligo fatto in sequela di esso da detto Conte Senator Raniero per publico Istromento rogato per gl' Atti del Paparozzi Notaro A. C. li 4. dello stesso mese, di assumere in se, e liberare anche del proprio da ogni lite, e molestia li Capitali, come sopra, dismembrati (qual obbligo vogliamo, che resti sempre, ed in perpetuo valido, e fermo) e finalmente d' ogni altra cosa, e circostanza, che fosse necessaria inserire, ed esprimere.

Rinuova l' obbligo a Senatore Conte Raniero Aldrovandi di an tistare a qualunque lite o molestie sopra dett Capitali.

Di Nostro Moto proprio, certa Scienza, e pienezza della Suprema Nostra Podestà, preservando di nuovo il sudetto Senatore Raniero Aldrovandi, suoi Figlioli, e Discendenti, il Capitolo, e Canonici tanto di S. Petronio, quanto di S. Maria Maggiore, et ogni altra Persona, Collegio, e Comunità, per cui faccia bisogno, dall' incorso di qualunque pena, e caducità ingiunta dal Cardinale in dette sue Disposizioni: Come pure confermando tutte e singole disposizioni da Noi date, e prescritte nel suddetto precedente Moto proprio: Vogliamo primieramente, et ordiniamo, che si vendano tutti li sudetti Luoghi de' Monti, tanto Camerali, quanto delle Comunità al prezzo corrente in questa nostra Città di Roma; come

Dichiarazioni, preserve e conferme delle disposizioni del suddetto Moto proprio.

Ordina la vendita dei LL. di Monte di Roma al prezzo corrente, e la esazione dei frutti decor-

pure si riscuotano, et esigano tutt' i frutti de' medesimi decorsi, e non esatti a tutto il mese di Febbrajo prossimo passato; e che il denaro indi proveniente, detratte le necessarie Spese, si trasporti, e depositi nel nostro Monte di Pietà di Bologna, e così parimente si riscuotano, e depositino in esso Monte li frutti decorsi, e non esatti a tutto il sudetto Mese di Febbrajo dell' altro Capitale di sc. 2000. sul Monte Giulio, con dichiararsi nella partita, o partite di Deposito, che il denaro proviene dalla vendita di essi Monti, e da i frutti sudetti.

Del denaro poi, che sarà, come sopra, depositato, quale si calcola possa ascendere in tutto a scudi cinquantadue mila settantadue, e ba. 50. in circa, vogliamo se ne investano in tanti Luoghi di Monte di Bologna scudi trentadue mila quattrocento tre, e ba. 84., o altra minor somma, come dichiareremo in appresso, a comodo, e benefizio della Chiesa di S. Petronio: Altri scudi undicimila scicento sessantasei, e ba. 66. a comodo, e benefizio della Chiesa, e de' Poveri di S. Maria Maggiore, e li restanti scudi ottomila a comodo, e benefizio dell' Istituto delle Scienze di Bologna, al quale in oltre vogliamo, che resti perpetuamente applicato il riferito Capitale di scudi 2000. sul Monte Giulio: Il tutto però colle condizioni, e leggi, e nella forma seguente, cioè.

Delli detti scudi trentadue mila quattrocento tre, e ba. 84. in circa, quali assegniamo alla Chiesa di S. Petronio, vogliamo, che la rata di scudi cinque mila debba investirsi, come sopra, con legge, e condizione, che l' annuo loro fruttato di scudi cento cinquanta debba fedelmente erogarsi per celebrare ogni anno in detta Collegiata di S. Petronio il giorno, che passò a miglior vita il prelodato Cardinale, o essendo detto giorno impedito, il primo giorno susseguente non impedito, un Solenne Anniversario in suffragio dell' Anima, e secondo l' ordinazione di esso Cardinale, con spendersi scudi cinquanta per la Cera, e li restanti scudi cento distribuirsi ai Capitolari interessenti nel modo istesso, che si pratica in d. Chiesa per altri Anniversarj, comprendendo però in questa distribuzione ancora i Mansionarj, ed anche il nuovo Canonico, e Mansionario da istituirsi in detta Collegiata, come in appresso.

Che altra simile rata di scudi cinquemila investita, come sopra, si applichi, et assegni per la fondazione di un nuovo Canonicato, e di una nuova Mansionaria, l' uno, e l' altra da erigersi in detta insigne Collegiata Chiesa di S. Petronio ad istanza di detto Conte Senator Raniero Aldrovandi dal nostro Vicario Generale di Bologna, con assegnare al Canonico pro tempore tanti Luoghi di Monte, che rendano scudi cento, e respettivamente al Mansionario quanti rendano scudi cinquanta ogni anno, con l' obligo, e peso di celebrare ciascheduno di essi una Messa la Settimana in suffragio dell' Anima di esso Cardinale, giusta il disposto dal medesimo ne suoi Codicilli delli 5. Giugno 1749. *al §. Il frutto poi residuale;* E con doversi nell' atto, e decreto di essa Fondazione reservare in perpetuo la Nomina, e Presentazione, tanto del Canonico, che del Mansionario al detto Conte Senatore Raniero, e di poi al Successore pro tempore nella Primogenitura istituita dal medesimo Cardinale, non ostante qualunque riserva Apostolica, anche per capo di Vacanza in Curia, da instituirsi l' uno, e l' altro dall' Ordinario, purchè però i Presentati non abbiano bisogno di qualche dispensa Apostolica, poichè in tal caso vogliamo, che debbano spedire le Bolle di Loro provisione nella nostra Dataria.

Un altro Capitale di scudi 5000. per la fondazione di un nuovo Canonicato, e Mansionaria in S. Petronio da farsi dal Vicario Generale di Bologna ad istanza del predetto Senatore Aldrovandi, sotto l' obbligo ingiunto dal Cardinale di una Messa per ogni settimana in suffragio dell' Anima sua, e con la riserva ad esso Senatore, e suoi Successori nella Primogenitura in perpetuo della nomina, e presentazione del Canonico, e Mansionario, da istituirsi l' uno, e l' altro dall' Ordinario, quando non bisogni dispensa Apostolica.

Che un' altra rata di scudi mille investita, come sopra, debba assegnarsi agli Amministratori pro tempore lasciati dal defonto Cardinale della sua Cappella esistente in essa Collegiata di S. Petronio, ad effetto di erogarne l' annuo frutto di scudi trenta, assieme colle altre rendite già applicate per lo stesso fine dal medesimo Cardinale nella manutenzione della Fabbrica di essa Cappella, con legge però, e condizione, che negli Anni, ne i quali occorrerà alcuna spesa, o ne' quali resti alcun sopravanzo tutto il sopravanzo si debba da' detti Amministratori investire, e moltiplicare a comodo, e benefizio della Fabbrica medesima.

Un altro Capitale di scudi 1000. per mantenimento della Fabbrica della Cappella del Cardinale.

E finalmente, che li scudi ventun mila quattrocento tre, e ba. 84. in circa, residuo di detti scudi 32403. 84. applicati, come sopra, a comodo, e benefizio della più volte nominata Chiesa di S. Petronio, investiti, che saranno in tanti Luoghi di Monte di Bologna, debbano assegnarsi, ed applicarsi in perpetuo, come Noi fin da ora per allora gli assegniamo, ed applichiamo, al Capitolo della medesima Chiesa di S. Petronio, con legge, che l' annuo frut-

Un altro Capitale di scudi 21403. 80. in circa per distribuzione degli annui frutti ai Canonici di libera collazione, esclusi le Dignità tutte, ed ai Mansionarj similmente di libera collazione, con cer

proporzione di riparto fra gli uni, e gli altri, conforme al praticatosi per la Eredità Guenzi.

to di detto Capitale sia ogni anno ripartito frà li diecinove Canonici, che godono, e goderanno in avvenire li diecinove Canonicati di libera Collazione, e frà li Mansionarj parimenti di libera Collazione, con quella stessa proporzione frà li Canonici, e Mansionarj suddetti, che fù da Noi prescritta, allor quando applicammo al medesimo Capitolo l' Eredità *Guenzi*, escluse affatto da questa partecipazione le Dignità tutte; E di più con altra legge, ed obbligo, che li Canonici, e Mansionarj, quali parteciperanno del fruttato di detti scudi 21403., e ba. 84., debbano ogni giorno dopo recitata, o cantata *Prima*, recitare, o cantare il Salmo *Deprofundis* con l' Orazione conveniente in suffragio dell' Anima del fu Cardinal Pompeo Aldrovandi Benefattore, e che mancando in qualche giorno, siano tenuti alla restituzione della rata corrispondente. Ma perchè facilmente può avvenire, che la somma, come sopra, calcolata in scudi cinquantadue mila settantadue, e ba. 50., detratte le spese, che occorreranno per rimetterla in Bologna, e per la diversa valutazione della moneta nell' acquisto dei Luoghi di Monte di quella Città, si riduca a somma minore: Perciò vogliamo, e dichiariamo, che quanto avverrà, che cali, e sminuisca detta somma di scudi 52072. 50. per le cause suddette, altrettanto cali, e si sminuisca la detta rata di sc. 21403. 84., qui sopra da Noi assegnata alli Canonici, et Eddomadarj di S. Petronio: Di maniera che niun danno, o diminuzione debbano perciò risentirne le altre Opere, e Fondazioni stabilite nel presente Moto proprio.

Dichiarà, che quest' ultima partita di sc. 21403. 80. in circa sia la sola soggetta alla diminuzione, che accaderà per le spese occorrenti.

E così vogliamo, che si faccia, et eseguisca rispetto alli scudi trentadue mila quattrocento tre, e bajocchi 84. in circa, quali abbiamo, come sopra, applicati, ed assegnati a comodo, e benefizio della Chiesa di S. Petronio. Rispetto poi agli altri scudi undici mila seicento sessantasei, e b. 66., quali con la presente assegniamo, et applichiamo in perpetuo all' altra Collegiata Chiesa di S. Maria Maggiore, e alli Poveri di quella Parocchia, vogliamo, ed ordiniamo, che per la rata di scudi cinquemila debbano similmente investirsi in tanti Luoghi di Monte di Bologna per la fondazione di un nuovo Canonicato, e di una nuova Mansionaria in essa Chiesa di S. Maria Maggiore, colla riserva del Giuspatronato Laicale in favore del Conte Senatore Raniero, e suoi Successori nella Primogenitura, e ad istituzione dell' Ordinario con il peso, et obbligo di Messe, e in tutto, e per tutto, come abbiamo poc' anzi ordinato, e disposto per il nuovo Canonicato, e la nuova Mansionaria nella Chiesa di S. Petronio; e che li residuali scudi 6666. 66. s' investano, come sopra, in tanti Luoghi di Monte, e poi si assegnino, come Noi sin da adesso gli assegniamo, alli Poveri della Parocchia di detta Chiesa di S. Maria Maggiore, ne' quali dovranno restare perpetuamente intestati, con la riserva de' frutti per la metà ai Deputati pro tempore di essa Parocchia, e per l' altra metà al detto Senator Raniero Aldrovandi, e suoi Successori nella Primogenitura ad effetto di erogare, e distribuire fedelmente, ed intieramente tanto l' una, che l' altra metà frà li Poveri sudetti in tre volte l' anno ne i giorni prescritti dal più volte nominato Cardinal Pompeo in detti suoi Codicilli dei 5. Giugno 1749. *al* § *Primieramente*, detratta solamente una picciola ricognizione da usarsi a Chi esigerà li frutti di detto Capitale.

Dell' investimento sudetto per la Chiesa, e Poveri di Santa Maria Maggiore assegna cinquemila scudi per la fondazione di un nuovo Canonicato, e Mansionaria in detta Chiesa nel modo, e con gli obblighi, come sopra.

E scudi seimila seicento sessanta sei ba. 66. per distribuirsene i frutti tre volte l' anno ai Poveri della Parocchia, la metà dai Deputati pro tempore della medesima e l' altra metà dal predetto Senator Aldrovandi e suoi Successori nella Primogenitura.

Perchè poi dalle fondazioni di detti nuovi Canonicati, e Mansionarie non insorga alcuna controversia cogli antichi Canonici, e Mansionarj di dette due Collegiate: Vogliamo, dichiariamo, ed ordiniamo, che li sudetti nuovi Canonici debbano ammettersi, et incorporarsi nelli detti due rispettivi Capitoli, aver ne' medesimi il Voto attivo, e passivo, e godere tutte le altre prerogative, e preeminenze tanto dentro, che fuori delle loro rispettive Chiese, di cui godono, e possono godere i Vecchi Canonici; E così parimente li nuovi Mansionari debbano essere ammessi, et incorporati nel Ceto degli altri Vecchi Mansionarj con Abito uguale, e con tutte le altre prerogative de' medesimi; E tanto i nuovi Canonici, quanto i Mansionarj, sebbene nel primo ingresso dovranno sedere nell' ultimo Stallo, mancando però alcuno de' Vecchi Canonici, e Mansionarj o per cesso, o per decesso, o in altro qualunque modo, vogliamo, che possano, e debbano ascendere di mano in mano alli Stalli superiori nel rango loro, secondo la loro anzianità. Maneggieranno pure li detti nuovi Canonici, e Mansionarj, et esigeranno da per se stessi il fruttato dei Capitali, come sopra, assegnati per fondazione dei loro Canonicati, e Mansionarie, con che però debbano mettere in massa comune a titolo di Distribuzioni quo-

Regolamento per i nuovi Canonici, e Mansionarj di nomina Aldrovandi

tidiane tanto quanto vi debbono mettere, e vi metteranno gli altri vecchi Canonici, e Mansionarj, anche per quella maggior porzione, che loro crescerà in virtù della presente, secondo la Tassa, che ne farà tanto per li Vecchi, quanto per li nuovi l'infrascritto Esecutore; Cosicchè li vecchi, e nuovi Canonici debbano ugualmente, e vicendevolmente godere il lucro delle fallenze; E così anche i nuovi Canonici, e Mansionarj, ancorchè di Giuspatronato Laicale della Casa Aldrovandi, goderanno al pari degli altri Canonici, e Mansionarj Vecchi della distribuzione dell'Anniversario Aldrovandi sudetto, e d'ogni altro Anniversario, o Legato, che sarà in avvenire istituito, e lasciato alle due rispettive Collegiate; e solamente rispetto agli Anniversarj, e Legati già lasciati, et istituiti, eccettuato solamente il sopradetto Anniversario del Cardinal Aldrovandi, resteranno esclusi dalla partecipazione di alcuna distribuzione; Ma però neppur saranno obbligati ad intervenire.

Adempiute che sieno le Fondazioni, e Ordinazioni suddette, il residuo di detta somma di sc. 52072. 50 resterà in scudi ottomila, e di più resterà l'altro Capitale di scudi 2000. già collocato, et investito sul Monte Giulio di Bologna, quali due partite compongono la somma di scudi dieci mila. Non essendo pertanto possibile per le ragioni accennate in detto nostro precedente Moto proprio, che si fondi una nuova Accademia di Arti liberali a tenore della Disposizione fatta dal Cardinale predetto nell'enunciato suo Codicillo dell'anno 1749.; Et all'incontro essendovi già nell'Istituto delle Scienze di Bologna eretta, e fondata l'Accademia Clementina, in cui, toltane la Fabbrica degli Arazzi, s'insegnano da lungo tempo le medesime Arti liberali di Scultura, e Pittura, ed anche d'Architettura: Quindi è, che ad effetto di secondare, per quanto possiamo, la buona intenzione del medesimo Cardinale, abbiamo risoluto, e determinato di sostituire, e surrogare quanto al detto rimanente Capitale di scudi 10000., come in virtù della presente surroghiamo, e sostituimo in perpetuo in vece e luogo di detta nuova Accademia desiderata dal Cardinale, l'Istituto delle Scienze, e la prelodata Accademia Clementina, ad effetto che coll'annuo frutto dei Luoghi di Monte di Bologna, ne quali vogliamo s'investa la detta partita di scudi 8000., e dell'altro Capitale già investito sul Monte Giulio, restino accresciute le altre rendite di esso Istituto, e possa sempre più promoversi, e coltivarsi in essa Accademia Clementina lo Studio delle Arti predette.

Non essendo eseguibile la istituzione dell'Accademia di Pittura, Scoltura, e Fabbrica di Arazzi ideata dal Cardinale; assegna all'Istituto delle Scienze, e all'Accademia Clementina di Pittura, Scoltura, ed Architettura in Bologna un Capitale di sc. 10000., e gli annui frutti a quello corrispondenti.

Anzicchè essendo Noi pienamente informati, che, non ostanti le donazioni, ed applicazioni di diverse rendite, et Eredità fin'ora fatte in favore di detto Istituto delle Scienze da Clemente XI., e da Clemente XII. nostri Predecessori di fel. mem., dal fù Generale Marsigli, dal fu Marcantonio Fiori, e da Noi medesimi: Tuttavia l'Instituto predetto sbilancia ogni anno nella somma considerabile di quasi scudi trecento, atteso che per il grande accrescimento delle cose raccolte, e che si vanno tutto dì raccogliendo, è stato il medesimo obbligato di soccombere a spese gravissime di Fabbrica, di Ministri, ed altro; Perciò sebbene il prelodato Clemente XI. nostro Predecessore nel Breve da lui spedito li 8. Ottobre 1711. non approvasse il Senato Consulto, emanato per altro con legitimo partito li 29. Ottobre 1709., et ammesso dal Cardinal Legato di quel tempo, in quella parte, in cui era stato risoluto, che la Congregazione della Gabella dalla Cassa dello Studio di Bologna dovesse pagare ogni anno all'Istituto la somma di scudi cinquanta; Nondimeno sapendo Noi, che in tanto il detto Senato Consulto non era stato approvato, in quanto che il medesimo Clemente XI. con suo Chirografo delli 18. Luglio 1711. credette già avere abbastanza provveduto al bisogno di esso Istituto con destinare, anche per mantenimento, e sussistenza della Accademia Clementina, un Capitale di scudi venticinque mila sopra il Monte Sussidio secondo, ma sapendo altresì, che questo Capitale è stato già consumato, e distratto per erogarlo in dette Fabbriche, et altre cose necessarie: Abbiamo perciò destinato, e risoluto di reintegrare, confermare, et approvare, come in fatti reintegriamo, approviamo, e confermiamo il sudetto Senato Consulto delli 29. Ottobre 1709., e in sequela di questa nostra reintegrazione, approvazione, e conferma, ordiniamo, e comandiamo agli Amministratori, che sono, e saranno pro tempore di detta Gabella, che dalla Cassa dello Studio debbano per lo avvenire ogni anno pagare, e sborsare senza ritardo, e senza eccezione veruna all'Assunteria dell'Istituto la detta somma di scudi cinquanta.

Sbilancio annuo dell'Istituto.

Conferma il Senato Consulto del 1709., ed ordina alla Congregazione di Gabella il pagamento di annui sc. 50. dalla cassa dello studio alla Assunteria dell'Instituto.

Ad effetto poi, che con questo annuo accrescimento di scudi trecento sopra l' Eredità Aldovrandi, e di altri scudi cinquanta sopra la Gabella si ottenga il fine non meno da Noi desiderato, che dal defonto Cardinale, vogliamo, et ordiniamo alla suddetta Assunteria dell' Istituto, che debba puntualmente ogni anno sborsare, e pagare all' Accademia Clementina in denaro contante la somma di scudi ottanta, con che essa Accademia sia tenuta, ed obbligata di fare, e soccombere a tutte le spese, che occorreranno per Modelli, Bidelli, Lumi, Fuoco, e d' ogni altra cosa necessaria, tanto per l' esercizio del Disegno, e per lo Studio della Scultura sopra le Statue celebri, delle quali con nostra grave spesa se ne formano i Modelli per mandarli al detto Istituto di Bologna, come anche per l' Accademia del Nudo, che non solo dovrà farsi, secondo il costumato fin' ora, nei Mesi d' Inverno, ma ancora in altri due Mesi di Estate, che saranno stabiliti dall' Assunteria dell' Istituto, uditi prima li Direttori dell' Accademia.

Vuole, che l' Assunteria dell' Istituto paghi ogni anno all' Accademia Clementina scudi 80. per tutte le spese occorrenti ad essa Accademia, compresa anche quella dell' Accademia del Nudo da tenersi, oltre l' Inverno, in due Mesi di Estate.

In oltre comandiamo, et ordiniamo alla medesima Assunteria dell' Istituto, che debba soccombere ogni anno alla spesa dell' Apparato, e d' altro nel giorno dell' Accademia, e che nel medesimo giorno debba sborsare parimente ogni anno in denaro contante ad essa Accademia Clementina altri scudi settantasei, da ripartirsi fra li di lei Offiziali, oltre a quello, che già ritraggono annualmente dall' Eredità di Marcantonio Fiori nel modo seguente, cioè: scudi quattordici al Principe: scudi otto al Vice-Principe: scudi trentadue agli otto Direttori a ragione di scudi quattro per cadauno: scudi dodici alli due Proveditori a ragione di scudi sei per ciascheduno: scudi quattro al Sindaco, e scudi sei al Custode dell' Istituto per la Custodia, che avrà delle Statue, quali Noi pensiamo di donarli: Con dichiarazione, che li presenti Accrescimenti, che Noi facciamo in favore di detti Offiziali dell' Accademia, siano, e s' intendano senza pregiudizio di Coloro, ai quali era solito darsi dall' Istituto una Medaglia, e parimente senza pregiudizio delle Medaglie solite a darsi in premio ai tre Giovani di prima Classe riputati migliori in Disegno, e agli altri tre Giovani approvati in seconda Classe: Volendo Noi, che in ciò si osservi il solito.

E che in oltre detta Assunteria soccomba alla spesa dell' apparato per la distribuzione de' premi, ed in tal giorno paghi a detta Accademia altri sc. 76. da ripartirsi fra suoi Uffiziali, senza pregiudizio de' soliti assegni per la Eredità Fiori, e delle Medaglie solite a dispensarsi in tale funzione.

Anzi per animare maggiormente li Giovani suddetti, vogliamo di più, ed ordiniamo, che l' Assunteria dell' Istituto debba spendere ogni anno altri scudi quarantuno, e bajocchi 40. in altre Medaglie d' Argento nel modo, e forma, che sarà divisato dall' infrascritto Esecutore, e di due diverse qualità, cioè quattro del valore di scudi tre, e bajocchi 20., da distribuirsene tre agli tre Giovani di prima Classe, che avranno ottenuto il Premio, una per ciascheduno, e la quarta a chi farà l' Orazione nel giorno dell' Accademia: E altre tredici di valore di scudi due, e baocchi 20. per ciascheduna da distribuirsi una per uno a i tre Giovani approvati in seconda Classe, ed una per uno agli otto Direttori, una al Segretario, et un' altra al Depositario di essa Accademia.

E finalmente, che detta Assunteria spenda ogni anno sc. 41. 40. in dieci sette Medaglie d' Argento di due diverse qualità, nel modo, e forma che sarà divisata dall' infrascritto Monsignor Esecutore per distribuirle ai Soggetti indicati.

Speriamo senz' altro, che gli otto Direttori interverranno personalmente nelle Settimane a Loro destinate agli Esercizj dell' Accademia, e specialmente per collocare il Modello del Nudo, e così gli altri Offiziali di essa Accademia adempiranno bene, e puntualmente ciascuno la sua incombenza: Altrimenti, rinovando Noi e confermando quanto fu providamente stabilito dal prelodato nostro Antecessore Clemente XI. in detto suo Breve in data degli 8. Ottobre del 1711., vogliamo, e strettamente comandiamo, che se mai alcuno di essi mancasse volontariamente alla propria incombenza nella Carica a lui appoggiata, resti, a giudizio dell' Accademia, privato ipso facto, e decaduto dall' Uffizio, e perpetuamente inabile, et incapace ad averne in avvenire, se non quando ne venga reintegrato per Partito dall' Accademia medesima.

Ingiunge a Direttori dell' Accademia la personale assistenza agli esercizj della medesima; e a tutti gli altri Uffiziali l' adempimento delle loro incombenze sotto le pene intimate nel Breve di Clemente XI. degli 8. Ottobre 1711.

Finalmente ad effetto, che le applicazioni, come sopra, da Noi fatte a comodo, e benefizio di detto due Collegiate, e dell' Istituto delle scienze, et Accademia Clementina, nel decorso del tempo, non si rendano inutili per mancanza dei Capitali assegnati: Vogliamo, et ordiniamo, che tanto il detto Capitale di scudi due mila già investito sul Monte Giulio, che i Luoghi di Monte di Bologna, nei quali abbiamo ordinato, che s' investa la detta somma di scudi 52072., e bajocchi 50. circa, non possano mai per qualunque causa, colore, o pretesto alienarsi, distrarsi, o ipotecarsi, nè quanto al capitale, nè quanto alla comodità de' frutti; E qualora da chicchessia si facesse istanza di alienarli, o in tutto, o in parte sotto il pretesto di maggior utilità per depositarne, e rinve-

Proibisce l' alienazione de' LL. di Luoghi destinati alle cause, come sopra, e prescrive le condizioni da osservarsi in caso di alienazione.

stirne il prezzo o in Stabili, o Censi perpetui, Vogliamo, e comandiamo, che non se ne permetta l'Alienazione, se non che provate, e verificate rigorosamente avanti l'Arcivescovo pro tempore le infrascritte due condizioni, cioè, che li Stabili si vendino, e rispettivamente i Censi s'impongano da Chiese, o Luoghi Pii, quali sieno certamente idonei a prestarne l'evizione, et esigibilità, tanto de jure, che de facto; E l'altra, che i Stabili da comprarsi, e li Censi da imporsi, detratte tutte le spese, non solo necessarie, ma ancora verisimili, rendano un frutto notabilmente maggiore del fruttato de' Luoghi, e non mai altrimenti.

Monsignor Millo Datario di Sua Santità delegato Esecutore del Moto proprio, e sue facoltà.

Esecutore di questa nostra Suprema, et assoluta determinazione, in virtù della quale vogliamo, che le disposizioni da Noi prescritte nella presente Cedola di Moto proprio, si abbiano, e debbano avere, come se così, e non altrimenti, fossero state ordinate, prescritte, e disposte dal più volte nominato Cardinale Pompeo Aldrovandi, facciamo, eleggiamo, e deputiamo Monsignor Giovanni Giacomo Millo nostro Datario, dando, e comunicando al medesimo ogni più ampla facoltà, ancorchè ricercasse spezial menzione, di riscuotere per se, o anche per mezzo di qualunque altro, che piaccia a Lui sostituire, tutti, e singoli frutti decorsi, e non esatti sino a tutto il mese di Febbrajo prossimo passato, di tutti li sopra enunciati Luoghi di Monti tanto Camerali, che delle Comunità, come anche del sudetto Capitale di scudi 2000. sul Monte Giulio: di alienare, e rassegnare liberamente li medesimi Monti tanto Camerali, che Comunitativi al prezzo corrente, e questo depositare nel nostro Monte di Pietà di Roma, o Banco di S. Spirito a sua libera disposizione, e poi trasportare, e rimettere o tutto insieme, o in più volte, e partite alla Città di Bologna, senza però alcun suo rischio, e pericolo, in quella forma, e modo, che a Lui sembrerà più utile, e vantaggiosa, perchè ivi si depositi parimente nel Monte di Pietà colla dichiarazione della sua provenienza, e con legge, e vincolo di non potersi amuovere da esso Monte, se non che con Ordini sottoscritti da esso Esecutore, et ad effetto d'investirsi in tanti Luoghi di Monti di Bologna liberi, e netti da ogni altro vincolo: Di assegnare in appresso alla Collegiata di S. Petronio, et all'altra di S. Maria Maggiore, e rispettivamente all'Instituto delle Scienze il detto Capitale sul Monte Giulio, e li medesimi Luoghi di Monti di Bologna, ne' quali saranno stati investiti il prezzo sudetto dei Monti Camerali, e Comunitativi, e li frutti di detti Capitali, secondo ch'è stato da Noi disposto in questa nostra presente Cedola: Di sostituire altri in luogo suo con quelle facoltà, che a Lui pareranno, e finalmente di ordinare, decretare, e fare tutt'altro, che pel totale adempimento, e perpetua fermezza di esso Nostro Moto proprio, e delle cose in esso contenute, stimerà in qualunque modo necessario, ed opportuno, essendo così mente, e volontà nostra espressa.

Clausole, preserve, e deroghe generali.

Volendo, e decretando, che alla presente nostra Cedola di Moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in Camera, e ne' suoi Libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio, o difetto della nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, possa essere impugnata, moderata, o rivocata, e che così, e non altrimenti, debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazioni de' Reverendissimi Cardinali, Camerlengo di S. Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, e qualunque altro, togliendo Loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare in contrario: Dichiarando Noi sin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia Autorità, scientemente, o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e disposizione della presente nostra Cedola di Moto proprio, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la semplice nostra Sottoscrizione, benchè non vi sieno stati chiamati, sentiti, o citati il detto Senator Conte Raniero Aldrovandi, e gli altri Sostituiti alla detta Primogenitura, il detto Capitolo, et Insigne Collegiata di S. Petronio, e l'altra parimente Collegiata di S. Maria Maggiore di Bologna, li Protettori, Direttori, e Ministri dal defonto Cardinale deputati, e nominati nelle sue Disposizioni, gli altri Legatarj del medesimo Cardinal Aldrovandi, ed altre qualsisieno Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, che vi avessero, o pretendessero avervi Interesse, e che per comprenderle facesse bisogno di spezial menzione: Non ostanti la Primogenitura eretta dal detto Cardinal Pompeo Aldro-

vandi, sostituzioni, proibizioni di alienare, obbligare; li Moltiplichi ordinati, la pena di caducità, e privazione in caso contrario; le Erezioni di Accademia, e Prelatura, di altri Canonicati, Mansionarie, e Cappellanie, ed altri pesi, e vincoli risultanti dalle di lui sovra enunciate Disposizioni, a quali tutte, nelle parti però, che sono contrarie, ed in qualunque modo ripugnanti alla presente nostra disposizione, espressamente deroghiamo, la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore de registrandis, la Regola della nostra Cancellaria de jure quaesito non tollendo, e qualsisieno altre Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche, nostre, e de' nostri Predecessori, Leggi, Statuti, riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore quì per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della nostra Potestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, o formale, che vi potesse intervenire, per questa sola volta, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella nostra presente Cedola di Moto proprio, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Data dal Nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 15. Marzo 1753.

BENEDICTUS PAPA XIV.

SOMMARIO

Dopo aver la S. V.; con altra Cedola di Moto proprio segnato li 3. Ottobre dello scorso Anno 1752., fra le altre cose, determinato, che dall' Asse ereditario del fù Cardinal Pompeo Aldrovandi, quale si degnò applicare sotto certe condizioni, e leggi in essa Cedola distintamente espresse, al Conte Senatore Raniero Aldrovandi, e suoi, restassero fin d' allora separati in perpetuo, e dismembrati i Luoghi de' Monti non Vacabili tanto Camerali, chè Comunitativi, quali cantavano liberamente, e senz' alcun vincolo in credito di detto Cardinale al numero in tutto di Luoghi 405. 66. 85.; ed in oltre un Capitale di scudi 2000. sul Monte Giulio della Città di Bologna, con i frutti di essi Monti, e Capitale fino allora decorsi, e non esatti, e da decorrere in avvenire. Volendo in oggi, che mediante la congrua applicazione di detti Capitali come sopra dismembrati, e co' frutti de' medesimi, che sono decorsi a tutto il mese di Febbrajo del corrente anno 1753. si adempia senz' altro indugio, e per quanto è possibile, la buona, e lodevole intenzione del defonto Cardinale, si degna primieramente ordinare, che si vendano tutti i suddetti Luoghi de' Monti al prezzo corrente; come pure si esigano tutti i frutti de' medesimi decorsi, e non esatti a tutto Febbrajo prossimo passato; e che il denaro indi proveniente, detratte le necessarie Spese, si trasporti, e depositi nel Monte della Pietà di Bologna, e così parimente si riscuotano, e depositino in esso Monte i frutti decorsi, e non esatti a tutto detto Mese dell' altro Capitale di scudi 2000. sul Monte Giulio; Del denaro poi, che sarà come sopra depositato, quale si calcola possa ascendere in tutto a scudi cinquantadue mila settandue, e bajocchi 50. in circa, si degna ordinarne l' Investimento in tanti Luoghi de' Monti di detta Città di Bologna; Per la rata cioè di scudi 32403. 84. o altra minor somma in sequela di quello importeranno le spese suddette, a comodo e benefizio della Chiesa Collegiata di S. Petronio di Bologna; Per altra rata di scudi 11666. 66. a comodo, e benefizio della Chiesa, e de' Poveri di S. Maria Maggiore similmente di detta Città, e per la restante rata di scudi 8000. a comodo, e benefizio dell' Istituto delle Scienze, et Accademia Clementina della medesima Città, al quale Istituto, et Accademia in oltre si degna applicare in perpetuo il riferito Capitale di scudi 2000. sul Monte Giulio: il tutto però colle condizioni, e leggi, e nella forma, e colle deroghe, preserve, facoltà, giussi, et altro più diffusamente espresso nella presente Cedola di Moto proprio, per Esecutore della quale si degna finalmente deputare Monsignor Millo Suo Datario con ogni più ampla facoltà, ancorchè ricercasse special menzione.

LITERAE APOSTOLICAE XIII.**

In Forma brevis in quibus conceditur Indulgentia Plen. omnibus Christifidelibus quoties in Societatis JESU Domibus professis, Collegiis sive Secessibus in hunc finem destinatis Exercitia S. IGNATII per decem, et ad minimum per quinque dies, immo etiam per unicum diem peregerint, ut alicubi semel in mense fieri solet, et vocatur Exercitium praeparationis ad mortem. Item Confessariis ejusdem Societatis JESU ea occasione a suis Superioribus deputatis, et ab

Episcopis loci ad audiendas Confessiones approbatis datur facultas absolvendi a quibuscumque peccatis, etiam a casibus reservatis (exceptis illis, qui in Bulla Coenae exprimuntur) cuicumque dicta peccata reservata sint, sive ipsi Exercitia S. IGNATII aut diem Praeparationis ad mortem peragentes Laici sint, sive cujusvis ordinis aut Instituti Regulares.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quantum Secessus illi ab omni mundanarum rerum strepitu remoti, in quo Christifideles sese interdum recipientes, in meditationibus exercentur aeternis ad vitam sive male actam corrigendam, sive in melius confirmandam, et ad aeternam salutem facilius comparandam semper profuerint, experientia ipsa tam compertum exploratumque est, ut Sancti Patres et spiritualis vitae magistri atque ipsi Romani Pontifices Praedecessores Nostri non solum ad eos saepissime frequentandos verbis, et exemplis, verum etiam coelestium munerum thesauris eosdem Christifideles excitare, adhortari, et allicere non destiterint.

II. Suae postquam Sanctus Ignatius Societatis Jesu Fundator in ipso suae ad Deum adhaesionis initio homo literarum plane rudis admirabilem illum composuit exercitiorum librum Apostolicae hujus Sanctae Sedis judicio et omnium utilitate comprobatum, in quo saluberrima eorumdem spiritualium exercitiorum cum profectu peragendorum via ac ratio traditur, nulla certe Religiosorum ordinum familia fuit, quae salutare hujusmodi institutum non fuerit amplexa.

III. Religiosi vero Societatis JESU Alumni praeclaris monitis et exemplis sibi a fundatore S. Ignatio relictis pressius inhaerentes tanto cum ardore, tanto cum studio, tanta cum charitate, sedulitate, vigilantia ac labore in pium ejusmodi opus incumbere satagunt, ut praeter proprias Domus, et Collegia (in quas vel quae admittere solent quoscumque spiritualibus exercitiis vacare cupientes) alias quoque Domus seorsim a populorum frequentia, quantum ipsis licuit, dissitas construxerint, spirituales Secessus *Domus exercitiorum* dictas, ut in iisdem, quemadmodum in memoratis Domibus vel Collegiis atque earumque Ecclesiis et Cappellis publice etiam exercitia hujusmodi dari in more positum est per dies decem, octo, quinque in singulos annos, et per diem unum semel in mense pro exercitio, quod appellant praeparationis ad mortem, commorantes piis meditationibus tranquillam operam navare valeant.

IV. Quoniam autem sicut Dilectus Filius Ignatius Vicecomes ejusdem Inclytae Societatis Generalis Praepositus nuper Nobis humiliter exponi fecit, tam proficuum jamque consentaneum ad fructus Christiana poenitentia dignos faciendos ac Coelestem in terris vitam agendam hujusmodi institutum, quod ipse Ignatius semper ac potissimum dum Provincialis primum Provinciae Mediolanensis, deinde Assistentiae Italiae Assistentis, tum totius Societatis Vicarii Generalis munere fungeretur, pro viribus promovere studuit, in dies magis magisque augeretur ita, ut non tam saeculares, quam Ecclesiastici viri etiam cujusvis Ordinis et Instituti Regulares frequenter accedant ad ejusdem Societatis JESU Collegia, Domus ac praesertim spirituales Secessus et Exercitiorum Domus, sive spiritualia S. Ignatii nuncupata Exercitia per plures dies in singulis annis, sive Exercitium praeparationis ad mortem semel in mense peracturi. Praepositus Generalis semper hujusmodi exercitia studuit promovere.

V. Idem Ignatius Praepositus Generalis certior factus, quod majori certe cum frequentia pergant ad eas Societatis suae Domus vel Secessus, in quibus et Coelestium munerum thesauros abundatiori Apostolicae benignitatis copia concessos lucrari possint, et a peccatis quibuscumque absolvendi facultatem Apostolica auctoritate impertitam fuisse consiterit confessariis eadem Exercitia tradentibus: eapropter Nobis humiliter supplicari fecit, ut ea omnia Apostolicae charitatis et potestatis munera, pro nonnullis ejusdem Societatis Domibus ac nuper a Nobis pro Regno Siciliae ultra Pharum, et Insula Melita erogata, ad omnes, et singulas saeped. Societatis Domus Collegia ac praesertim spirituales Secessus et exercitiorum Domus, tam hactenus erectas, quam imposterum erigendas extendere, vel de novo elargiri de benignitate et auctoritate Apostolica dignaremur. Gratias pro aliquibus locis concessas rogat ad totam Societatem Jesu extendi.

VI. Nos itaque, qui non solum memoratum Ignatium Praepositum Generalem praecipua ob eximias Religiosasque suas virtutes, Pontifex Generalem et Religiosos Societatis Je-

Ea praecipua benevolentia prosequitur.

universamque Societatem in amplissima vinea Dei Sabbaoth ubique terrarum per suos Alumnos accurate excolenda assidue adlaborantem, benevolentia prosequimur, verum etiam ejusmodi institutum tam pium, tam religiosum, et medendis animarum languoribus tam opportunum et salutare, Apostolicis laudibus commendantes, ipsumque Ignatium Generalem Praepositum amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ab eodem Ignatio Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, atque ut majori cum fructu spirituale ejusmodi opus fiat, ad augendam eorumdem Christifidelium devotionem, et animarum salutem Coelestibus Ecclesiae muneribus comparandam pia charitate intenti.

Quoties Exercitia Spiritualia, vel diem praeparationis ad mortem fideles peregerint, toties Indulgentiam plenariam consequuntur.

VII. Iis omnibus sive singulis, qui in aliquo Collegio, Domo, aut Secessu, vel in publica etiam Ecclesia seu Cappella dictae Societatis ubicumque locorum existentibus, et tam hactenus erectis, quam in posterum erigendis, *quoties* Spiritualia ejusmodi Exercitia, ut praemittitur, per quodcumque dierum spatium semel aut pluries in anno, vel per unum etiam diem semel in mense peregerint, et vere poenitentes et confessi, ac Sacra Communione refecti Ecclesiam, sive Oratorium ejusdem Collegii vel Domus, vel Secessus visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effunderint, *toties* plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii Fidelibus Defunctis applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

Et Confessariis a Superioribus denuonti absolvere possunt etiam a casibus reservatis.

VIII. Praeterea Superioribus cujusvis Collegii, vel Domus, vel Secessus ejusdem Societatis pro tempore existentibus, et uni vel pluribus dictae Societatis Sacerdotibus probitate, prudentia, et doctrina conspicuis, ad audiendas quoque Christifidelium Confessiones ab Episcopis Ordinariis locorum approbatis, prout unicuique Superiori magis expedire in Domino visum fuerit, quoscumque tam Seculares, quam cujusvis Ordinis et Instituti Regulares in quolibet Collegio, Domo, aut Secessu, vel publica etiam Ecclesia, seu Cappella saepedicta Spiritualia Exercitia peragentes, eorum confessionibus diligenter auditis, *a quibuscumque* ipsorum *peccatis*, excessibus, ac delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, *et cuicumque*, etiam Sedi Apostolicae (non tamen per literas die Coenae Domini legi solitas) *reservatis* in foro conscientiae tantum, poenitentia tamen salutari pro modo culpae, aliisque quae injungenda fuerint, eis injunctis, *absolvendi* facultatem perpetuis futuris temporibus valituram auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausul pro liter rum Apost licarum v ditate.

IX. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quorumvis Ordinum, Congregationum, et Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides tra sumptis a hibenda.

X. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis seu exemplis (etiam impressis) manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum 2 Martii 175

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxix Martii MDCCLIII. Pont. Nostri Anno Decimotertio.

Cajetanus Amatus

Loco ✠ Sigilli.

WILNENSIS COLLEGII. XIV.

Seu Seminarii Apostolici, a Gregorio XIII. pro Adolescentium Ruthenorum et Moscovitarum educatione et institutione erecti, optimo regimini providetur.

De hujus Seminarii Alumn. vide infra Const. XIX.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Eximium Gregorii XIII. stu

Commendatissimum studium, et incredibilem Apostolicae solicitudinis zelum felic. recordat.

Gregorii Papae XIII. Praedecessoris nostri, qui ad perenne orthodoxae religionis praesidium atque incrementum, tot Collegia, Seminaria nuncupata, tam in hac Alma Urbe, pro remotissimarum Nationum adolescentibus, quam alibi in Germania, Bohemia, Polonia, Transylvania, atque in Civitate quoque Wilna Provinciae Lithuaniae, a fundamentis erigenda, consentaneis legibus munienda, et annuis redditibus pro adolescentibus inibi educandis, instituendisque dotanda curavit, semper, etiam dum in minoribus essemus, admirati, adhuc in suprema Sacrosancti Apostolatus Cathedra per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, constituti, suscipimus, et Apostolicis laudibus prosequentes vehementer dolemus, quod propter asperas temporum rerumque calamitates, emulari non valeamus.

§. 1. Etsi autem maximi momenti opus esse non ambigitur hujusmodi Collegia, sive Seminaria bene constituere; non minimi tamen ponderis est adlaborare, ut eadem Collegia, sive Seminaria juxta intentam primaevae fundationis institutionem, conditasque provida maturitate regulas, sarta tectaque serventur, et administrentur. Ab inita sane summa Catholicae Ecclesiae procuratione inter gravissimas tot negotiorum undique sese oggerentium curas, non omisimus sedulam vigilemque operam impendere, ut de omnium ejusmodi Collegiorum, sive Seminariorum rationibus, tum ad rectam piorum morum, sacrarumque doctrinarum disciplinam, tum ad fidelem bonorum temporalium administrationem pertinentibus, plenissime edoceremur, et Apostolicae providentiae, auctoritatisque partes, ubi opus erat, opportune collocaremus.

§. 2. Quoniam autem, sicut accepimus, in Pontificium Collegium, sive Seminarium, quod a laudato Gregorio Praedecessore nostro Wilnae erectum, et institutum fuit, ut Juvenes scholares Rutheni, et Moscovitae fidem ipsam catholicam, et doctrinam, ac bonas literas condiscerent, optimisque moribus, et disciplinis erudirentur, amplius Juvenes Moschovitae, fortasse ob vitae poenam quibuscumque Moschovitis catholicam religionem amplectentibus et profitentibus, juxta suas leges, infligendam, non recipiuntur, et admittuntur; inde factum esse existimatur, ut pluribus abhinc annis, praeter quatuor Monachos Ordinis S. Basilii Magni ex Natione Ruthena in eodem Collegio, sive Seminario educari solitos, Superiores ipsius Collegii, sive Seminarii, loco et vice Adolescentium Moschovitarum, alios Latini ritus Juvenes in eodem Collegio, sive Seminario alendos, instituendosque suscipiant.

§. 3. Hujusmodi vero providentiae ratio etsi non contemnenda, haud tamen talis est, ut expressae tanti Pontificis Fundatoris voluntati, praescriptaeque legi superiores memorati Collegii, sive Seminarii, pro suo arbitrio derogantes, injuncto salutari operi satisfacere valeant; cum Apostolicam hanc Sanctam Sedem consulere debuissent, et loco, ac vice Adolescentium Moschovitarum non amplius concurrentium, subrogari potius debuissent totidem Adolescentes Nationis Ruthenae Graeci ritus, ea potissimum de causa, quod et Episcopale Seminarium pro Adolescentibus ritus Latini Wilnae, atque alia alibi, erecta instructaque reperiantur; nec tanta, quoad ritum Latinum, urgeat necessitas, quanta omni procul dubio est illa Nationis Ruthenae. Haec enim non solum plures complectitur Dioeceses, sed ipsae etiam Dioeceses tot refertae sunt Parochialibus Ecclesiis, ut in sola Metropolitana Kyoviensi earumdem Parochialium Ecclesiarum numerus sit millium nongentarum vigintiquinque. Accedit quoque maxima Ruthenorum Antistitum inopia, propter quam Collegia, sive Seminaria Dioecesana sibi erigere, et instruere haud valent. Insuper ut major inter ipsos Ruthenae Nationis Ecclesiasticos Viros, maxime rerum Ecclesiasticarum, sacrarumque doctrinarum, peritia floreat; cum amplissimae Dioeceses orthodoxis, schismaticisque hominibus permixtae reperiantur.

Plures tamen causae praeferendo sunt Ruthenos Graeci Ritus.

Praesertim Nationis Ruthenae necessitatem.

§. 4. Porro de hisce omnibus certiores facti, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi Propagandae Fidei praepositis per duas generales Congregationes accuratissime examinanda commisimus. Hinc factum est, ut attentis tot rationum tam a Nobis, quam ab ipsis Cardinalibus discussarum gravissimis momentis, de eorumdem Cardinalium pariter consilio, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium, prout infra, statuamus, et decernamus.

Pontifex, de Concilio Congregationis de Propaganda Fide, statuit, ut infra.

§. 5. Ac primum quidem memoratas Gregorii Praedecessoris literas, quoad omnia, et singula in ipsis contenta, et statuta, dummo-

Gregorii XIII. Literas confirmat.

do iis, quae per easdem praesentes nostras literas, ut infra, statuuntur, et decernuntur, non adversentur, quatenus opus sit, confirmamus, et apostolicae firmitatis praesidio munimus.

Ruthenos et Moscovitas solummodo in Collegium recipi deinceps jubet.

§. 6. Deinde vero omnibus, et singulis modernis, et pro tempore existentibus saepedicti Collegii, sive Seminarii Pontificii Wilnensis Superioribus, et Officialibus, districte inhibemus, ut deinceps nullum omnino adolescentem in ipsum Collegium, sive Seminarium, nisi Nationis Ruthenae, et Moscovitae (si quando aliquem ejusdem Nationis Moscovitae adolescentem recipiendum, admittendumque contingeret) recipiant, et admittant.

Rutheni quibus ex Diocesibus sint cooptandi.

§. 7. Porro Diocceses Nationis Ruthenae, ex quibus adolescentes in Collegium, sive Seminarium antedictum deinceps admittendos, recipiendosque dumtaxat (dummodo ex Natione Moscovitica non sit, qui admitti, et recipi petat) esse, statuimus et districte mandamus, sunt Kyoviensis et Haliciensis Metropolitana totius Russiae, Polocensis et Vitebscensis Archiepiscopatus, Smolescensis Archiepiscopatus, Valdimiriensis, et Brestensis Episcopatus, atque Episcopatus Chelmensis. Tres vero Episcopatus Luceoriensem, Premisliensem et Samboriensem, ac Leopoliensem, inter Dioeceses ejusdem Nationis Ruthenae adscriptos, ideo exclusos esse statuimus et mandamus, quod pro nonnullis uniuscujusque eorumdem adolescentibus Alumnis statutus sit locus in Collegio sive Seminario Leopoli pro Ruthenis et Armenis fundato, cui annuum nec mediocre ab eadem Congregatione Propagandae Fidei pro dictis Alumnis subsidium solvitur, unde par aequumque videtur, ut de hisce tribus Dioecesibus, quae hujusmodi commodum habent, nullus admittatur, recipiaturque; sed de primodictis solummodo Dioecesibus, in quibus major necessitas urget.

Alumnorum numerus ad minus vicenarius statuitur.

§. 8. Verum ut deinceps quoad admissionem, receptionemque Alumnorum, nulla suboriantur dissidia, et partium studia; cum numerus viginti Alumnorum in laudato Collegio sive Seminario de praesenti existentium sit, quamvis de praeterito idem numerus, juxta majorem, vel minorem rerum abundantiam, vel inopiam, interdum major, interdum minor fuerit; ipsum viginti Alumnorum numerum, quomodolibet imposterum sese habeat annona, nunquam minorem, sed si redditus, et proventus augeantur, majorem etiam esse volumus, et statuimus: cum oeconomiae ratio postulet, ut inopia unius anni suppleatur alterius anni abundantia.

Fit Locorum distributio, juxta decretum Congr. de Prop. Fide.

§. 9. Ab hoc itaque constituto, ut praemittitur, viginti Alumnorum numero, exceptis quatuor Ordinis Sancti Basilii Magni Monachis in eodem Collegio, sive Seminario ut pariter praemittitur, retineri, et educari solitis, quos semper in futurum ex eodem Ordine, et Congregatione Ruthena admittendos, recipiendosque pari modo et forma volumus, et mandamus, ut Magistros, et Praeceptores habeant aptos, et idoneos; reliquos sane sexdecim Alumnos, qui admittendi, recipiendique sunt, distributos esse volumus et mandamus, juxta Decretum ejusdem Congregationis Propagandae Fidei, quod est tenoris sequentis — *In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita die* 12. *Februarii* 1753. *decretum fuit, ut sequitur: Ad Collegium Wilnense, ultra quatuor Monachos Basilianos, et donec aliter provideatur, esse imposterum admittendos Ruthenos tantum ex infrascriptis Dioecesibus; nempe ex Archiepiscopali Kyoviensi sex, quorum unus ex Palatinatu Wilnensi, alter vero ex Palatinatu Novogrodensi, et alter ex Palatinatu Minscensi: alii vero tres ex reliqua ejusdem Dioecesis Kyoviensis parte, et praesertim ex Ukraina. Ex Dioecesi Archiepiscopali Polocensi duo, quorum unus ex Palatinatu Polocensi, alter ex Palatinatu Vitebscensi. Ex Dioecesi Archiepiscopali Smolescensi duo. Ex Dioecesi Episcopali Vladimiriensi, seu Podlachiae parte, alter ex Palatinatu Brestensi. Ex Dioecesi Chelmensi duo, quorum unus ex Terra Chelmensi, alter de Palatinatu Belzensi. Ex Dioecesi Episcopali Pinscensi duo* — Distributionem autem eorumdem sexdecim Alumnorum ex qualibet Dioecesi respective eligendorum, per praeinsertum dictae Congregationis Decretum, factam, tanquam utilem, et salutarem non solum approbamus, et apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus; verum etiam districte servandam esse praecipimus, et mandamus.

Alumni quo ordine sint prima vice recipiendi.

§. 10. Praeterea ad omnem penitus e medio tollendam dissensionem, confusionemque, statuimus, et ordinamus, ut distributio ita omnino, et non aliter fiat, nimirum, ut, cum quilibet Alumnus ritus latini in saepedicto Collegio, sive Seminario commorans, sive elapso tempore, quo inibi educari debet, sive aliter

quomodolibet ex eodem Collegio, sive Seminario egressus fuerit, statim in illud admittatur recipiaturque Alumnus ex Metropolitana Kyoviensi Nationis Ruthenae, et sic deinceps usque ad numerum pro eadem Metropolitana Kyoviensi juxta praeinsertum Decretum supra statutum; deinde ex Dioecesi Archiepiscopali Polocensi, atque eodem pacto, et ordine ex aliis Dioecesibus antedictis. Postquam vero integrum sexdecim Alumnorum numerum completum esse constiterit, cum vacatio cujusvis Alumnatus evenerit, non admittatur recipiaturque nisi adolescens Nationis Ruthenae ex illa Dioecesi, ex qua Alumnus antecedens locum dedit vacationi.

Executores designantur.

§. 11. Caeterum ut praescripta, et praemissa omnia debitae exequutioni demandentur, Venerabili Fratri Ordinario nostro et Apostolicae hujus Sanctae Sedis in Polonia Nuntio, et Dilecto Filio regenti ejusdem Collegii, sive Seminarii, modernis, et pro tempore existentibus, injungimus, ut, salva semper dictae Congregationis Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum auctoritate, omnia, et singula in hisce nostris in forma Brevis literis, quas etiam typis impressas in conspicua dicti Collegii, sive Seminarii parte, ut ab omnibus legi possint, apponi volumus et mandamus, contenta et expressa, exacte servari faciant et curent.

Clausulae praemissarum firmitas.

§. 12. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere: ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Gregorii Praedecessoris nostri literis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariis.

§. 13. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Exemplorum fides.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die v. Aprilis MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio. Dat. die 5. Apr. 1753. Pont. XIII.

Cajetanus Amatus.

MONACHI S. BASILII XV.

Nationis Ruthenae solvuntur a lege emittendi quartum votum de non acceptandis Episcopatibus, vel Archimandriis, absque assensu suorum Superiorum: Abrogatisque Statutis poenalibus super hoc editis, Canonicae Sanctiones innovantur, ac inculcantur.

Dilectis Filiis, Proto-Archimandritae, Archimandritis, et Monachis Ordinis S. Basilii Magni Nationis Ruthenae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Inclytum quidem Sancti Basilii Magni Ordinem non minus antiquitate, quam religiosa pietate, sacra doctrina, disciplinaque regulari in Catholica Ecclesia commendatissimum, singulari semper etiam dum in minoribus essemus, studio prosequuti, ex quo ad sublimem Sacrosancti Apostolatus Cathedram, meritis licet imparibus, evecti fuimus, non omisimus quamplurimis Apostolicae auctoritatis benignitatisque documentis ornare. Congregationem vero vestram Nationis Ruthenae, quae ejusdem Sancti Doctoris institutum tanta cum laude, praesertim in florentissimo Poloniae Regno, et Lituaniae Ducatu, profitetur, paribus Pontificiae caritatis, ubi opportuna sese dedit occasio, testimoniis complecti studuimus: fore in Domino confisi, ut vestra Congregatio majori alacritate et constantia, non solum schismaticis ejusdem Ordinis Basiliani Monachis sese opponeret, verum etiam eosdem ad Orthodoxae Pontificis studium pro Basiliani Ordinis utilitatibus, et incrementis.

Fidei sinum allicere, ac perducere adniteretur. Quoniam autem veremur, ne ea, in ipsa Congregatione vestra, accidere possent, quae non tam exoptata a Nobis religiosarum virtutum incrementa impedire, quam gravia quoque detrimenta afferre valeant; eapropter haud patimur consentanea Apostolicae providentiae, potestatisque officia a vobis desiderari.

Episcopatibus et Archimandriis nationis Ruthenae soli Monachi S. Basilii praeficiuntur.

§. 1. Ac primum quidem Vobis notum esse cupimus, Nos, quemadmodum non ignorare consuetudinem illam in Natione Ruthena vigentem, nimirum vacantibus Cathedralibus Ecclesiis, et Archimandriis ejusdem Nationis Ruthenae, non praeficiendi Antistites, et Archimandritas, nisi solos Monachos ex Ordine vestro professos; ita perspectum habere, tum ipsas Cathedrales Ecclesias ad Regiam Nominationem conferri, tum Archimandrias, vel Regiae Nominationis, vel Jurispatronatus nobilium personarum esse, et haberi.

Quartum votum Monachis praescriptum.

§. 2. Deinde Nobis facile persuademus, non aliam fortasse ob causam a Superioribus Congregationis vestrae quartum tribus aliis Votum fuisse additum in solemni cujusque Monachi professione emittendum, ne scilicet quisque Monachorum Episcopatus, vel Archimandrias sibi quomodolibet procuraret, neque si ad illos, vel illas quomodolibet etiam nominari, vel promoveri contingeret, nisi prius approbationem, assensumque suorum Superiorum impetrasset, omnino acciperet, quam ut omnis ambitioni occluderetur aditus. Quo firmius praeterea ejusmodi a Superioribus vestris statuta quartum Votum addendi lex subsisteret, a fel. rec. Benedicto Papa XIII. Praedecessore Nostro Procurator tunc temporis existens Generalis laudati Ordinis S. Basilii Magni Apostolicas in simili forma Brevis literas die XV. mensis Decembris Anno MDCCXXVIII. hac super re dandas curavit, quarum vigore ad Officia, et Dignitates, Monachos omnes memorati Ordinis, qui sine expressa Superioris Generalis, seu Proto-Archimandritae pro tempore existentis, et memorati Ordinis consensu, sibi Archiepiscopatus, Episcopatus, Archimandrias, aut quascumque alias Dignitates procurarent, eo ipso ad illas inhabiles esse, ac fore declarabatur.

Sanctio poenalis Benedicti XIII. contra Voti transgressores.

§. 3. Insuper eam profecto, quae ex Statutis, decretisque antedictis redundatura reputabatur, utilitatem, et regularis disciplinae observantiam, non solum minime provenisse, ex certis documentis rescivimus, verum etiam maximopere dolemus, duas inde non leves, sed gravissimas ortum habuisse inordinationes. Ac prima quidem, quod Monachi ad Archiepiscopatus, Episcopatus, et Archimandrias promoveri cupientes, praeter illas, quas prius apud eos, qui Jus nominandi habebant, ut nominarentur, adhibebant partes, preces, et officia, novis quoque partibus, et officiis apud Superiores Ordinis contendunt, ut ab hisce licentiam nova lege praescriptam consequantur. Altera vero inordinatio ex prima omnino exsurgit, quod ii, quibus nominandi, sive praesentandi Jus inesse non ambigitur, merito queruntur, debitum sibi ejusmodi Jus, propter novam antedictam legem, plurimum imminutum esse, cum ablatam sibi experiantur pristinam libertatem nominandi sive praesentandi ad Archiepiscopatus, Episcopatus, et Archimandrias eos Monachos Ordinis vestri professos, quos sibi in Domino existimant benemeritos, atque idoneos, sed illos dumtaxat, qui a Superioribus suis saepedictam licentiam obtinuissent.

Ambitus per eam non tollitur, sed augetur.

Querelae habent jus nominandi, seu praesentandi.

§. 4. Eapropter praecipuum Apostolici ministerii nostri munus esse intelligimus, non minorem pro recta disciplina a Nobis adhibendam esse curam, quam ut dissensiones maxime omnes auferantur, ut omnia pro aequitate, ac justitia procedant, neque ullae prorsus audiantur querimoniae. Cum autem per Sacros Catholicae Ecclesiae Canones satis superque consultum sit, ut omnis, quoad consequendos Archiepiscopatus, Episcopatus, caeterasque dignitates Ecclesiasticas, excludatur ambitus, statutis inflictisque etiam contra ambitiosos poenis; cupientes Nos omnia, et singula prout harum praesentium nostrarum in forma Brevis literarum tenore Apostolica auctoritate nostra reducimus, ad commune Jus, sanctionesque Canonicas reducere; proindeque tenore, et auctoritate paribus, nec non motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnibus, et singulis statutis, et consuetudinibus antedictis, atque ipsis memoratis Benedicti Praedecessoris literis derogantes, et derogatum esse declarantes, volumus, et districte mandamus, ut deinceps id omne unice servetur; et exacto custodiatur, quod per Sacros Canones praescriptum, ubique debitae exequutioni mandatur, nec aliae poenae hac in re

Sublato proinde Voto, et poenis Canonicae Sanctiones restituuntur.

locum habeant, quam quae in ipsis Sacris Canonibus statutae sunt.

Firmis tamen manentibus legibus circa ambitum penisque in decretis.

§. 5. Porro Monachis Ordinis vestri professis notum esse volumus, et aperte declaramus (ne sua illos eapropter falsa decipiat opinio) non eam sibi per Nos libertatem restitui, per quam ipsis liceat ad Archiepiscopatus, et quascumque Dignitates Ecclesiae, et Ordinis sui niti, et officiis omnibus contendere; sed potius in memoriam illis revocamus, quod si ambitus ad seculares etiam dignitates, et honores, a civilibus legibus prohibetur Laicis, quanto magis ambitus ad Archiepiscopatus, Episcopatus, et Dignitates Ecclesiasticas prohibitus esse debeat Clericis, et Religiosis Viris. *Nullus itaque* (verba sunt *Can. Nullus* 1. *q.* 1.) *per ambitum ad Episcopalem honorem permittatur accedere; nam cum hic excessus in laica conversatione culpetur, quis putat, quin Religiosis, et Deo servientibus incutiat opprobrium.* Nec ob eorum oculos objicere omittimus praeclara exempla Sanctorum Cypriani, Augustini, Fulgentii, Caesarii, Epiphanii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Theodoreti, et Johannis Chrysostomi, ut caeteros praetereamus, qui, quamvis meritis eximiis insigniti, tamen tantum abest, ut ad Episcopatum assequendum contenderint, quin omnem imo operam, studiumque adhibuerint, ne vel inviti ad Episcopatum pertraherentur.

Episcopatu digeus est, si illum petit, vel appetit.

§. 6. Neque unusquisque ignorare debet, a peccati culpa immune non esse desiderium ipsum Episcopatus, tum quia, quamvis desiderium aliis juvandi, in his praesertim, quae ad Deum sunt, et salutem Animarum, laudabile est, et maximopere commendatur; tamen cum hoc adjumentum praestari non valeat sine ipsa Episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio insitae de suis viribus praesumptionis ortum habet; tum quia nemo se iis virtutibus, quae ad Episcopatus ministerium necessario requiruntur, ornatum esse, sine peccato existimare potest; atque hujusmodi desiderium semper est vitiosum, juxta Angelici Doctoris doctrinam 2. 2. *quaest.* 183. *art.* 1. *in corpore*, *in Quodlibet.* 2. *art.* 11. *in corpore*, *in Quodlib.* 3. *art.* 9. *in corpore.* Atque haec communis est doctrina omnium eorum, quos retulimus in Tractatu nostro de Canonizatione Sanctorum *lib.* 3. *cap.* 31. *num.* 6. *et seqq.* Demum eorumdem oculis exponimus auream Sancti Basilii Caesareae Episcopi inclyti Ordinis vestri Fundatoris doctrinam, traditam in Constitutionibus Monasticis *cap.* 9. *tom.* 2. editionis Monachi Johannis Garnier — *Caeterum*, inquit Sanctus Doctor, *nequaquam convenit, ut Asceta cupiat unquam ingredi in Clerum* (ecce Episcopatus desiderium) *aut Fratribus praefici* (ecce desiderium Archimandriae): *nam diabolica haec pestis est, labesque libidinis dominandi, quae res summae Diaboli nequitiae insigne est* — Et postquam gravissima ex hujusmodi desiderio proventia damna explicavit, addit — *Cognito itaque detrimento, hanc absurdam cupidinem fugiamus* — Denique hoc Capitulum hisce absolvit verbis — *Quod si Deus aliquando eligat quempiam ad ejusmodi munera, novit, cum sit industrius ac sagax, quemadmodum etiam ipsum praesturus sit dignum. Nos autem conscii esse debemus Nobismetipsis, nunquam Nos aliquid tale appetivisse, neque ullo modo ejusmodi desiderium in animo habuisse; Nam et hic animae morbus gravissimus est, et facit, ut a bonis excidamus* —.

Ad Ecclesiasticas dignitates, dignio-res sunt cooptandi.

§. 7. Tandem cum Apostolica hujusmodi nostra dispositio, ac Sanctio, eorum quoque Jus respiciat, qui ad Archiepiscopatus, Episcopatus, et Archimandrias nominandi, vel praesentandi jus quomodolibet habere dignoscuntur, iisdem salutare S. Bernardi monitum indicimus, reputandi nimirum Ecclesiasticis dignitatibus indignum eum, qui vel per se ipsum vel per alios, ad earumdem dignitatum consequutionem sese commendat — *Alius pro alio, alius forte et pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus: qui ipse rogat pro se jam judicatus est* — Verba sunt ejusdem S. Bernardi *lib.* 4. *de consideral. c.* 4. quibus apprime consonant verba Sancti Thomae Aquinatis 2. 2. *qu.* 100. *art.* 5. *ad tertium* — *Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus* — Postremo addere praestat verba Concilii Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 1. — *Omnes vero, et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum, quodcumque jus quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant, nihil in iis pro praesenti temporum ratione, innovando, hortatur, et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus,*

sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 8. Haec sane sive statuenda, sive mandanda, sive monenda habuimus, decernentes omnia, et singula in iisdem praesentibus nostris literis contenta, semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab aliis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Sedis Apostolicae Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere: ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§. 9. Non obstantibus praefatis Benedicti Praedecessoris Nostri literis, et quibuscumque statutis, et decretis in contrarium praemissorum in Conciliis, et Synodis Nationis Ruthenae forsan editis; et Ordinis vestri, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum auctoritas.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. Pont. an. XII. die 12. Apr. 1753.

Interim Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Aprilis MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Cajetanus Amatus.

LITERÆ APOSTOLICÆ XV.*

In forma brevis quibus confirmatur Sententia emanata in Congregatione particulari coram Sanctitate Sua sub die 13. Martii 1753. in Causa Ordinis Eremitarum S. Augustini Calceatorum Provinciae Portugalliae, et Algarbiorum.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Immensa Supremi Pastorum Principis Jesu Christi, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, caritas urget Nos, ut, tamquam debitores sapientibus et insipientibus, ea omnia, quae alias a Nobis post exactam rerum omnium discussionem cognitionemque statuta et confirmata fuerunt, iterum, cum a Nobis sive moderanda sive confirmanda a quibusvis petitur, rursus post requisitam earumdem rerum plenissimam notitiam authenticis etiam documentis instructam non solum per Nos ipsos, sed per alios quoque, ac praesertim per Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales accurate expendenda curemus, fore in Domino confidentes, ut omnia ad majorem divini honoris cultum, et aeternam animarum salutem, benedicente bonorum omnium largitore Deo, redundarent. Tanta sane cum Apostolica sollicitudine, vigilantia, cura et maturo examine plures Nostras Apostolicas in simili forma Brevis literas pro dissidiis et partium studiis, inordinationibus et detrimentis e medio tollendis, ac pristina concordia concilianda, tranquillitate restituenda, regulari disciplina instauranda, Religiosarum virtutum splendore provehendo, ac doctrinarum disciplinarumque incremento procurando in insigni dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Calceatorum nuncupatorum Provincia Portugalliae dederamus, ut nunquam alias. Non solum enim postulata quamplurimorum Fratrum reformationem ejusdem Provinciae exoptantium ad Nos perlata fuerant, quibus preces etiam Augustini Gioja, dum viveret, totius Ordinis Prioris

Generalis adjicebantur; sed clar: mem: Johannis, dum in humanis ageret, Portugalliae et Algarbiorum Regis Fidelissimi de omnium Regularium in Regnis suis existentium reformatione et adaucto rerum Sacrarum cultu meritissimi vota saepe renovata jam praecesserant. Quae quidem omnia diu perpensa etsi tanti momenti fuissent, ut Nos negotium hujusmodi jam confectum esse tuto reputare possemus; tamen Apostolicas Nostras in simili forma Brevis literas ea super re die XVIII. mensis Februarii anno MDCCXLVI. dedimus ad Venerabilem Fratrem Lucam Melchiorem Archiepiscopum Nicomediensem Ordinarium nostrum et Apostolicae hujus Sanctae Sedis in Portugallia Nuntium, eidem committentes et mandantes, ut sive per se sive per alios omnia et singula in iisdem contenta, postquam vera esse, et ad majorem ejusdem Provinciae utilitatem religiosamque observantiam profutura constitisset, debitae executioni demandarentur. Quod certe ea, qua par erat, sedulitate et studio praestitum fuit a Venerabili Fratre Michaele Archiepiscopo Eborensi olim dictae Provinciae et Ordinis Alumno per laudatum Lucam Melchiorem Archiepiscopum et Nuntium subdelegato; quo deinde Michaele Archiepiscopo, ut a Nobis omnia abs se acta confirmarentur, supplicante, Nos rursus plenissime tunc edoceri voluimus, et tum laudati Johannis Regis sensus, tum memorati Augustini Prioris Generalis mentem exquisivimus, ac postmodum Apostolica Nostra auctoritate per alias Nostras in simili forma Brevis literas confirmavimus. Porro post plures annos supplicem Nobis pro parte assertorum Zelantium ejusdem Provinciae Fratrum adversus antedicta omnia et modernum regimen reclamantium oblatum libellum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praepositorum remisimus ad finem ut, postquam omnia et singula ad negotium hujusmodi legitimis authenticisque documentis transigendum necessaria collecta et expensa fuissent, ad Nos referrentur. Hisce itaque ad Nos relatis, et per Nos expensis, nonnullos ejusdem Congregationis Cardinales, nempe Rainerium de Ilcio, Josephum Spinellium, et Carolum Albertum Cavalchinum dictae Congregationis Praefectum, cum Venerabili Fratre Josepho Maria Archiepiscopo Damasceno Secretario selegimus, ut Nos convenientes una insimul expenderemus momenta omnia in Causa Ordinis Eremitarum S. Augustini Provinciae Portugalliae et Algarbiorum vertente inter Fratrem Johannem Sottomayor Visitatorem Apostolicum et Provincialem ejusdem Provinciae ex una, et Fratrem Marcum a Sancto Antonio Procuratorem nonnullorum assertorum Zelantium ipsius Provinciae ex altera partibus de et super petita moderatione seu limitatione Brevium emanatorum pro Reformatione ac recto regimine enunciatae Provinciae aliisque hujusmodi. In hac igitur particulari Congregatione a Nobis deputata, et coram Nobis in Palatio Nostro Apostolico Quirinali die XIII. mensis Martii proxime elapsi currentis anni MDCCLIII. habita, re mature discussa ac undique perpensa, auditis etiam praefatorum Cardinalium sententiis, mandavimus nihil innovandum, et Brevia omnimodae executioni demandanda esse. Quoniam autem dilectus filius Josephus a Sancta Maria Frater expresse professus ejusdem Ordinis et Provinciae Portugalliae et Algarbiorum Nobis deinde tam suo, quam Johannis Sottomayor Visitatoris et Provincialis praefati nomine humiliter supplicari fecit, ut omnia praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, per Apostolicas etiam Nostras in forma Brevis literas confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque, qui utrumque Johannem scilicet Sottomayor, ac Josephum a Sancta Maria plurimi facimus, amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Apostolica auctoritate tenore praesentium latam pronuntiatamque a Nobis sententiam, nihil nimirum innovandum, et Brevia omnimodae executioni demandanda esse continentem, ad majorem stabilitatem confirmamus et approbamus, et inviolabilis Apostolicae firmitatis praesidio munimus. Mandantes propterea in virtute Sanctae Obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis omnibus et singulis saepedicti Ordinis et Provinciae Superioribus, Fratribus et Perso-

nis, aliisque, ad quos spectat et spectabit in futurum, ut non solum omnia et singula in eisdem literis Nostris contenta et confirmata omnino servare et exequi studeant; verum etiam ipsi moderno et pro tempore existenti Priori Provinciali in omnibus faveant et assistant, ac pareant et obediant, ejusque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin Sententiam sive poenam, quam rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quocirca eidem Venerabili Fratri Lucae Melchiori moderno et pro tempore existenti in Portugallia Nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus eidem Johanni Visitatori Apostolico et moderno ac pro tempore existenti Priori Provinciali in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate Nostra omnia in ipsis Nostris literis contenta, et a Nobis, ut praemittitur, iterum confirmata omnimodae executioni demandari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, necnon Sedis Apostolicae Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, ejusdem Ordinis et Provinciae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Aprilis MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Cajetanus Amatus.

Loco ✠ Sigilli.

Confirmatur Statutum seu Decretum Collegii Mercatorum Urbis conditum in Congregatione habita die 12. Februarii 1744. pro bono regimine, et utilitate ejusdem Collegii. XV.**

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Ad Pastoralis Dignitatis fastigium nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem Divinae Sapientiae, atque Clementiae abundantiam evecti ea, quae a Christifidelibus, quibus pro salubri, felicique Societatum quarumlibet praesertim in Alma Urbe nostra, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes promanant, institutarum, uberesque Pietatis, et Christianae Charitatis fructus adjuvante, et incrementum largiente Domino proferre laudabiliter satagentium regimine, et directione provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata permaneant Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur libenter constabilimus. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Officialium Universitatis Mercatorum, Merciumque Venditorum vulgo Mercanti, e Merciarii de Urbe canonice, ut asseritur, institutae Nobis expositum fuit, quod ipsi inhaerentes facultatibus sibi vigore Cap. XLVI. Statutorum dictae Universitatis competentibus ad effectum remedium afferendi nonnullis incommodis, seu inordinationibus in concessione, et usu Patentium, ac mediarum Patentium, quae dari solent iis, qui Universitati praedictae aggregari; seu in illa admitti, ac Artem Mercatoris, seu Mer-

cium Venditoris exercere cupiunt exortis, quoddam Statutum, seu Decretum condiderunt, quod in duabus Secretis die 11., et 12. mensis Februarii proxime elapsi, et subinde in Generali dictae Universitatis Congregationibus die 23. ejusdem mensis habitis confirmatum fuit, tenor autem Decreti, seu Statuti hujusmodi est qui sequitur videlicet — Fidem facio per praesentes Ego C. C. C. Notarius pub. infrascriptus, ac Nobilis Collegii DD. Mercatorum Fundacalium Urbis Secretarius, qualiter in libro Regestri Congregationum adsunt infrascripta videlicet—Die 11. Februarii 1744. Fù tenuta la Congregazione Segreta de' Signori Mercanti Fondacali nel solito luogo, ove intervennero li Signori Gio: Maria Tritoni, Francesco Amici, Pietro Cantalice Consoli, Signor Carlo Casini Camerlengo, Sig. Gioacchino Palura, Sig. Gaetano Lazzarini, Sig. Ludovico de Sanctis, Sig. Pietro Toni, Sig. Scipione Braccini, Sig. Flavio Lucangeli; ed implorato il Divino ajuto fu proposto, che per ovviare agl' inconvenienti, che tutto giorno nascono in pregiudizio del Collegio sopra la spedizione, ed uso delle Patenti fosse necessario di fare un Decreto da osservarsi inviolabilmente da tutti l' Aggregati del nostro Collegio del seguente tenore: Se bene il nostro Statuto al Cap. 32. chiaramente determini il modo da osservarsi nella spedizione delle Lettere Patenti, e mezze Patenti a quelli, che vogliono esercitare la Mercatura in Roma, ed aggregarsi alla nostra Chiesa, ed Università, eguale sia l' uso delle medesime, cioè, che qualunque Persona, che esercita, e vuole esercitare Bottega dell' Arti pertinenti al nostro Collegio debba prendere la Patente, e pagare per essa in mano del nostro Camerlengo scudi tre, e ba: 20., quelli poi che vendono, ò vogliono vendere Merci per Roma, ovvero in Casotti di legno, impropriamente chiamate mezze Botteghe, o sopra Banchetti nelle Piazze, e Strade di Roma debbano pigliare le mezze Patenti, e pagare per essa in mano del nostro Camerlengo soli giulii sedici, nientedimeno essendosi riconosciuto con esperienza, che molti dopo aver presa la mezza Patente, che serve unicamente per quelli che esercitano la Mercatura in Casotti di legno; e sopra Banchetti, e vanno vendendo per Roma si sono fatti lecito in pregiudizio della nostra Chiesa, e contro la lettera dello Statuto aprir Bottega ad uso di Mercante, o Merciaro, e molti altri affatto incapaci della Mercatura sotto varii pretesti hanno ottenute dalli nostri Camerlenghi pro tempore le lettere Patenti, e col mezzo d' esse hanno aperte Botteghe ad uso di Mercanti, nelle quali non sapendo sostenersi a motivo della loro inabilità, sono poi con facilità somma mancati di Credito in gran pregiudizio, e disdoro della Mercatura di Roma, che compone il nostro Collegio: Quindi per ovviare i tali inconvenienti, ed altri maggiori, che col tratto del tempo potrebbero succedere, inerendo al Capitolo XLVI. di d. nostro Statuto col presente Decreto da osservarsi inviolabilmente stabilimo, e decretamo, che in avvenire non possa, nè debba spedirsi la mezza Patente se non a quelli, che esercitano la Mercatura in Casotti, e sopra Banchetti di legno, ò vanno vendendo per le Strade, e Piazze di Roma, e che nel corpo della stessa mezza Patente debba esprimersi, che vaglia unicamente per d. esercizio, ed esigere per essa l' emolumento di soli paoli sedici, tutti gli altri poi niuno eccettuato, compresi quelli anche, che avessero spedita la mezza Patente, che vorranno aprir Bottega, ritenere Magazzeno, o fare mercimonio in Casa di cose attinenti alla nostra Università, e Collegio vogliamo, e decretiamo, che non possino esser ammessi in tal'esercizio, se prima non averanno presa l' intera Patente, e pagato per essa in mano del nostro Camerlengo li suddetti scudi tre, e ba: 20. à tenore dello Statuto, e se in alcun tempo si dasse il caso, che qualche Camerlengo, o altro Officiale del nostro Collegio spedisse mezza Patente a qualche Mercante, Droghiere, Merciaro, o altro qualsivoglia Negoziante, che ritenesse Bottega di cose attinenti alla nostra Università; di mezza Patente, sia ipso jure nulla, e di niun valore, nè possa l' Aggregato, a di cui favore sarà stata spedita, valersi della medesima in conto alcuno per aprir d. Bottega, ma debba spedire l' intiera Patente da darseli dal nostro Collegio con il pagamento di paoli trentadue, e l' Officiale, che l' averà spedita, oltre la privazione dell'Officio cada in pena di scudi dieci da erogarsi in beneficio della nostra Chiesa; e perchè resti ancora moderato l'abuso inconveniente di ammettere alla nostra Università quelle Persone, che non hanno esperienza alcuna della Mercatura, decretiamo, ed ordiniamo, che niuno in avvenire possa aprir Bottega ad uso di Mercante, Merciaro, Setarolo,

Banderaro, Trinarolo, Guantaro, Berrettaro, Droghiere, e di qualunque altra specie di Mercanzia sottoposta alla nostra Università, e molto meno esercitare dd. mercimonii in Casa, Magazzeni, o in altra qualunque forma, se prima non avrà per lo SPAZIO DI DIECI ANNI ALMENO esercitata in qualunque Bottega di Roma la Professione, alla quale vorrà farsi aggregare, sarà stato approvato per idoneo da'Consoli pro tempore del Collegio, a carico de'quali vogliamo, che sia l'esaminarlo rigorosamente, e conosciuta la di lui idoneità dovranno fargliene un' Attestato giurato, in vigore del quale, e non altrimenti potrà il nostro Camerlengo spedirli la sua Patente con espressa dichiarazione, che qualunque Aggregazione, che si facesse, non servata la forma suddetta sia irrita, nulla, e di niun valore, e l'Officiale, che avrà mano in essa, cada nella pena di scudi dieci d' applicarsi come si è detto di sopra etc. —E fù risoluto da' Signori Congregati di correre sopra di ciò il partito con dichiarazione, che chi desidera lo stabilimento del Decreto debba dare la Palla bianca, chi nò la nera; in seguito di che corso il Bussolo furono ritrovate tutte le Palle bianche, tal che a pieni Voti fù approvato d. Decreto. Die duodecima Februarii MDCCXLIV.—Fù tenuta la Congregazione nel solito luogo etc. dove intervennero l' infrascritti cioè: Signor Gio: Maria Tritoni, Signor Francesco Amici, Sig. Pietro Cantalice Consoli, Sig. Carlo Casini Camerlengo, Sig. Scipione Bravini, Sig. Flavio Lucangeli, Sig. Loreto de Sanctis, Sig. Pietro Toni, Sig. Mauro Fontana, Sig. Gio. Luiggioni, Sig. Bernardo Egidij, Sig. Gio: Antonio Rosarij Bardi, Sig. Errico Nepoti, Sig. Gioacchino Palura, ed implorato il Divino ajuto fù dato principio, cioè essendosi nella Congregazione tenuta jeri undici del corrente fatto il Decreto, con cui si determina, che in avvenire non possino darsi Patenti a veruna Persona, se prima non si sarà sottoposto all' esame, e sarà stato riconosciuto per idoneo dalli Signori Consoli pro tempore, come pure, che le mezze Patenti non si diano se non a quelli, che esercitano la Mercatura in Casotti di legno, o sopra Banchetti, e vanno vendendo per le Piazze, e Strade di Roma, fù proposto alli Signori Congregati la conferma di d. Decreto con averne letto l'intero tenore colla dichiarazione, che chi desidererà la conferma, debba dare la Palla bianca, e chi nò la nera, e corso sopra di ciò il Bussolo fù trovato Palle bianche num. quindici, e nere nessuna; sicchè restò confermato a pieni Voti il d. Decreto—Die vigesima tertia Februarii 1744. — Fù tenuta la Congregazione Generale da'Signori Mercanti Fondacali di Roma nel solito luogo, ove intervennero l' infrascritti, cioè; Signor Gio: Maria Tritoni, Sig. Francesco Amici, Sig. Pietro Cantalice, Sig. Filippo Liberati Consoli, Sig. Carlo Casini Camerlengo, Sig. Antonio Vivier Archivista, Sig. Francesco Acquaroni, Sig. Pietro Angelo Crivelli, Sig. Lazzaro Lazzarini, Sig. Gio: Battista Porta, Sig. Paolo Candolfini, Sig. Prospero Berretta, Sig. Defende Ravelli, Sig. Nicola Giorgi, Sig. Gio: Luiggioni, Sig. Angelo Buccetti, Sig. Camillo Topai, Sig. Defendente Lironi, Sig. Carlo Marsilj, Sig. Lorenzo de Sanctis, Sig. Giuseppe Priori, Sig. Gio: Airoldi, Sig. Agostino Jannucci, Sig. Michele Terribilini, Sig. Carlo Barolli, Sig. Francesco Brizzii, Sig. Antonio Agosti, Signor Gioacchino Polura, Sig. Giuseppe Balducci, Sig. Sebastiano Porrena, Sig. Carlo Tonetti, Sig. Gaetano Lazzarini, Sig. Michele Brontus, Sig. Gaetano Platanini, Sig. Errigo Nepoti, Sig. Carlo Baduelli, Sig. Pietro Toni, Sig. Giuseppe Rossi, Sig. Andrea Botti, Sig. Gio: Lenzi, Sig. Bernardo Egidj, Sig. Gio: Rosati Bardi, Sig. Flavio Lucangeli, Sig. Angelo Trucchi, Sig. Pietro Bartolotti: ed implorato il Divino ajuto fù dato principio — Propostosi, e publicamente lettosi il Decreto fatto nelle due Congregazioni Segrete tenute l' undici, e dodici del corrente mese fù risoluto correre il Bussolo per l'approvazione di d. Decreto con dichiarare la Palla bianca favorevole, la negra contraria, e corso il Bussolo furono trovate Palle quarantadue bianche, e tre negre, per il che vien confermato il suddetto Decreto, et prout latius in d. libro Regestri Congregationum, actisque mei etc. ad quae etc. In quorum etc. Datum Romae hac die IV. Martii 1744.—Ita est Pro D. Successore olim Petri Nicolai Cantarelli in Curia Capitol. Not., et dicti Nobilis Collegii Secretario—Anicetus Berti Not. Administ. Deputatus—Quoniam autem exponentes praedicti, quo Statutum, seu Decretum praeinsertum firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae Patrocinio communiri summopere desiderant. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere vo-

lentes, et eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantùm consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum Decretum, seu Statutum cum omnibus, et singulis in eo contentis authoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandoque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Universitatis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis illorum tenore praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris hac die XXIX. Aprilis MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno quarto.

D. Card. Passioneus.

Loco ✠ Sigilli.

XVI. REGULÆ OBSERVANDÆ

In Anglicanis Missionibus, ab Apostolicis Vicariis, nec non a Sacerdotibus Missionariis Saecularibus, ac Regularibus.

Venerabilibus Fratribus, Episcopis, Vicariis Apostolicis, et Dilectis Filiis, Sacerdotibus tam Saecularibus, quam cujusvis Ordinis et Instituti, etiam Societatis Jesu, Regularibus, Missionariis Apostolicis Anglicanarum Missionum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Mutuae charitatis studium in primis exposcit Apostolicum Ministerium.

Apostolicum ministerium, quod vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, tanta cum alacritate suscepistis, satis superque admonere vos, et assidue in memoriam revocare non dubitamus, praeceptum mandatumque Supremi Pastorum Principis JESU CHRISTI Apostolos suos edocentis, cujus divina legatione in procuranda aeterna Christifidelium salute fungimini cooperatores; nimirum, ut mutua vosmetipsi invicem charitate diligentes, opus vobis injunctum consummare satagatis, quo debitam laboribus vestris mercedem in Coelis a justo remuneratore Deo recipere valeatis. Nobis sane, qui gravissimas Sacrosancti Apostolatus curas, et omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerentes, pene deficimus, nihil accidere potest molestius, quam cum accipimus scissuras esse inter vos, propter quas propagatio Catholicae Fidei, et Christifidelium salus retardatur. Eapropter, ut opportunum, consentaneumque praescindendis et e medio auferendis dissidiis, quae jamdudum inter vos exorta, saepe saepius emergere, ac magis invalescere plenissime docti vehementer dolemus, et pristinae animorum concordiae conciliandae, et in perpetuum confirmandae remedium afferremus; primum quidem non solum exhibita Nobis utriusque partis rationum momenta per Nos ipsos accurate expendimus; sed nonnullis etiam Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Congregationis Propagandae fidei praepositis examinanda mandavimus; deinde vero iisdem Cardinalibus ad Nos accitis, eorumdem sententiam consiliumque requisivimus. Quos postquam Nobiscum convenire, et consentire comperimus, haec, quae sequuntur, statuimus, decrevimus, et a vobis districte servanda proponimus, et mandamus.

Dissidiorum causas examinat Pont. cum consilio Congreg. de Propag. Fide ac deoique statuit, ut infra.

§. 1. Cum ab anno 1688 constituum fuerit,

Quatuor Vicariis Apostolicis commendata remaneat Anglicanae Missionis administratio.

ut Missio Anglicana per quatuor Apostolicos Vicarios administretur, qui Episcopi in *Partibus* Infidelium existant; cumque sui limites, et confinia praescripta sint, in quibus ipsorum singuli suo munere perfugantur, nihil omnino immutetur in iis omnibus, quae pertinent ad eosdem Vicarios Apostolicos, eorumque deputationem, et limites, quos modo indicavimus.

Collegia erecta ad eruendos per Anglicanis Missionibus Alumnos, optimis legibus firmantur.

§. 2. Cum nonnulla Seminaria, et Collegia instituta sint, ex quibus Missionarii Cleri Secularis in Angliam mittuntur, nulla diligentia, et cura praetermittatur, ut Alumni ad Sacras Missiones obeundas destinati, optimis moribus, pietate, ingenio, doctrina exornentur, et ut periti sint in exercendis Functionibus Ecclesiasticis, et Cantu Gregoriano, quantum fieri poterit, imbuti. Praeses Collegii Duacensis in Belgico, Literis datis die 15. Januarii, Congregationem de Propaganda Fide sincere certiorem fecit de ratione, qua Alumni in praedicto Collegio instituuntur. Hisce proinde Literis perhonorificum responsum redditum fuit. Romae existit Collegium Anglicanum a Sancto Thoma nuncupatum, curae ac disciplinae Patrum Societatis Jesu commissum, cujus visitationem susceperunt jussu Praedecessoris nostri Clementis XII. duo Cardinales vita jam functi, Davia scilicet, et Riviera, sustinuitque Secretarii munus Cardinalis Monti vitam adhuc agens, qui id temporis munus a Secretis Congregationis de propaganda Fide gerebat. Itaque plurima statuta fuere, peculiari Decreto Summi Pontificis confirmata, quod die 28. Septembris anno 1739. in lucem emanavit. Sancitum in primis est, ut eodem in Collegio duo Praeceptores in posterum commorentur, quorum unus Controversiis, et Sacris Scripturis explanandis, alter Theologiae Morali tradendae incumberet, eorumque Lectiones Anglicanae Missionis utilitati forent maxime accomodatae. Quamobrem operam suam impendet Cardinalis, cujus in fide, et patrocinio Collegium *pro tempore* recipitur, ut executioni mandentur quae eadem in Visitatione salubriter decreta fuere; atque illud in primis, quod paulo ante innuimus, quippe quod ad finem propositum unice conducere videatur. Pariter compertum est, Collegium Ulissippone Anglis recipiendis erectum esse; alterum Parisiis, Hispali unum, Vallisoletti alterum. Verumtamen cum eorumdem institutio, atque existentia, nihil praeterea, innotescat, curae erit a Secretis Congregationis de Propaganda Fide, consiliis cum Cardinale primo Pontificiae ditionis Administro collatis, ut dentur Literae Nunciis Apostolicis in Lusitania, Gallia, et Hispania comorantibus, ut impensius de praedictis Collegiis inquiratur, eorumque gubernatio omninò explorata fiat. Neque id eo tendere opinandum est, ut quidquam detrahatur auctoritati, vel regimini cujuscumque, qui legitima ipsorum fruatur possessione; sed eo dumtaxat fine, ut inter Nos, eosdemque plenissime conveniat iis in rebus, quae ad Alumnos spectant ex Seminariis in Angliam ad Missiones obeundas profecturis.

Regulares idonei in Anglia mittantur ad certa dumtaxat officia exercenda, ex iis tantum Ordinibus qui propriae nationis Coenobia in Catholicis Regionibus habent.

§. 3. Quoniam vero versantur in Anglia Missionarii ex Familiis Regularibus, scilicet Societatis Jesu, Sancti Benedicti, S. Dominici, S. Francisci, Carmelitarum Excalceatorum; cavere omnino debent earum Provinciales, ne in Missionarios deligant, nisi viros numeris omnibus absolutos, singulari nimirum pietate, ingenii dotibus praeditos, quae ad tantam Provinciam, tamquam laboriosam requiruntur. Quamobrem ne ob immodicum eorum numerum perturbationes, et incommoda oboriantur, ipsis Regularium Provincialibus immutabiliter praescribitur, ut eos dumtaxat in Angliam mittant, qui vel Sacellis Regiis praefici debeant, aut apud aliquem nobili sanguine natum versari, aut in Locis, quae pro Regularibus fundata, et constituta sunt. Porro a Missionibus Anglicanis se repelli intelligant Regulares, qui ex propria Natione non obtinent Coenobium, vel Provinciam in Catholicis Regionibus: iis tamen, qui ibidem in praesentiarum commorantur, revertendi necessitas non infertur. Enim vero cum Hiberni Sacerdotes ad sustinendam Insulae ejusdem Missionem deputentur, quae plurimos, sapientesque expetit Operarios; cumque in Anglia permulti sint Sacerdotes indigenae tam Saeculares, quam Regulares, consentaneum esse arbitramur, si iidem ipsa in Patria labores suos potissimum impendant, et praedicti Hiberni Sacerdotes Missionariis Anglis tunc solum cooptentur, cum horum paucitas id exigere videatur; ideoque a Vicariis Apostolicis Angliae ad Missionem exoptentur, et evocentur.

Hiberni Missionibus Angliae non adhibeantur nisi a Vicariis Apostolicis in subsidium vocentur.

§. 4. Sed, ut ad Vicarios Apostolicos revertamur, praeter eam omnem auctoritatem, quae ipsis communis est in propriis confiniis cum quolibet Ordinario in sua Civitate, et

Vicariorum Apostolicorum Ordinaria et delegata auctoritas pro regionis necessitate sufficiens.

Dioecesi, Apostolica Sancta Sedes facultates *formulae secundae* ipsis elargitur, cum potestate illas simplicibus Sacerdotibus, qui idonei videbuntur, communicandi, iis tamen exceptis, quae vel in Ordinem Episcopalem unice spectant, vel exerceri sine Sacrorum Oleorum usu minime possunt. Nihil proinde recensitis Vicariis deest, quod ad sanum regimen, et directionem tam Regularium, quam Cleri Saecularis conducat, qui nullas in hanc diem controversias excitavit, quae debitam Vicariis Apostolicis obedientiam, et subordinationem labefactarent.

Regulares privil. ab ordinaria episcopi judicl. exempti.

§. 5. Attamen quoniam inter privilegia, quibus gaudent Regulares, cuilibet peculiari Ordini a Summis Pontificibus attributa, illud adnumeratur, per quod Regulares Familiae ab Episcopali, vel Ordinaria auctoritate eximuntur, vel Sanctae Sedis Jurisdictioni immediate subjiciuntur, ne altercationes ea de re in posterum enascantur, quas plurimas elapsis temporibus constant extitisse, et in dies suboriri, necessitas postulat; ut finis aliquando iis imponatur: quod ita praestari oportet, quemadmodum inferius exponemus.

Attamen missionarii regulares se vicariis Apostolicis sistere et testimoniales superiorum exhibere tenentur.

§. 6. Itaque Regulares Missionarii cum Provinciam adventaverint, ubi Sacras Missiones obire debent, Apostolicum Vicarium convenient, uti facere semper consueverunt, in cujus ditione Ministerium Apostolicum susceпturi sunt. Siquidem institutum Canonicum est, Sacri Concilii Chalcedonensis auctoritate firmatum, nemini advenae in Sacris constituto licere, Ordinem, quo se insignitum asserit, exercere, adeoque Sacrum peragere, si Sacerdotem se esse profiteatur, nisi Literas authenticas Ordinarii palam faciat, testimoniumque exhibeat, se nullo suspensionis, vel irregularitatis vinculo irretiri. Ita *Canon.* 7. *dist.* 71., cui apprime consentit Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 22. *de Sacrificio Missae;* Decreto *de observandis, et evitandis in celebratione Missae, et cap.* 13. *Sess.* 23. *de Reformat.* Porro hujusmodi praescriptum Regulares etiam respicit, quoties extra Dioecesim versantur, in qua ad Sacros Ordines promoti fuere, proindeque susceptum Ordinem exercere minime possunt, praesertim in Ecclesiis, quae ad propriam Sodalitatem non spectant, nisi prius Episcopis, aut Vicariis Generalibus, vel Foraneis, Superiorum suorum documenta proferant, quibus et obtenti ordinis testimonium, et libertas ab omni Canonico impedimento irregularitatis, vel suspensionis perspecta fiat. Quamobrem id etiam est in mandatis Regularibus Missionariis, ut nimirum Vicariis Apostolicis, ea ratione, qua dictum est, sese exhibeant, ubi ad Missionis locum pervenerint.

Regulares atque ac Saeculares Sacerdotes, ad excipiendas Saecularium confessiones approbatione indigent Ordinarii loci.

§. 7. Nullus Saecularis Sacerdos poenitentiae Sacramentum administrare potest, qui actualis Parochus non existat, vel idoneus ad id in praemisso examine repertus non fuerit, quod Ordinarius Loci, ubi Confessiones excepturus est, de eo habere potest. Idem et Regularibus Sacerdotibus edicitur, quoties velint Saecularium Confessiones audire, quemadmodum ad literam decernitur a Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. *de Reformat.* quo in loco derogat Sacrum Concilium privilegio cuicumque, et consuetudini immemorabili, quae contrarium praeseferet, inquiens: *privilegiis, et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Idque eo vel magis, quod a Summo Pontifice Sancto Pio V. ea in Constitutione, cui initium est *Romani Pontificis* 133. *Bullarii Romani tom.* 2. declaratum est, praedictam Concilii Tridentini sanctionem ad omnes quoscumque Regulares extendi, vel Mendicantes, vel non Mendicantes, quamvis Lector, atque Magister in Sacra Theologia praefulgeat, et potestas Saecularium Confessiones excipiendi illi facta fuerit a suis Superioribus Regularibus. Sancto Pio V. omnino consonat Urbanus VIII. in Constitutione, quae incipit; *Cum sicut accepimus* 92. *Bullarii tom.* 4., per quam amplissime rescidit privilegium quodcumque alias Regularibus attributum, cujus praetextu Saecularium Confessiones exciperent, priusquam examen sustinuerint, et consensum ab Ordinario Dioecesano impetraverint. Ac ne Regularium Familiae, quae nisi expresse nominentur, se minime comprehendi putant, ab eadem Constitutione immunes se jactarent, eas nominatim, et singulas recensendas optimum duxit. Ultimo tandem S. Pontifex Clemens X. edita Constitutione *Superna* 7. *in Bullario Romano tom.* 6. §. 4 ita firmavit: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Saecularium in sua Dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia eas absque Episcopi Dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.*

Qui potest utrosque ad examen vocare.

§. 8. Quare si insistamus Canonicis institutis, quae superius numeravimus, nullum af-

ferri potest impedimentum Ordinario, quominus examen indicat Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus, per quos Poenitentiae Sacramentum in Locis ipsius Jurisdictioni subjectis administrandum est; Regulares, inquam, in examen vocare potest Ordinarius, si velint Saecularium Confessiones excipere. At vero quoniam Missionarii, et inprimis Regulares, longa et difficilia suscipiunt itinera, relictis Coenobiis, in quibus versantur, ut in Angliam ad obeundas Missiones se conferant, ne dubietas admissionis ad Confessiones audiendas in subeundo examine, illos ab Apostolico munere deterreat, cavebunt in posterum, antequam relinquant Monasteria, in quibus degunt, et in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad Confessiones Saecularium audiendas subire coram Ordinario, et Examinatoribus Loci, in quo situm est Monasterium, et consequi testimonium, quo idonei declarentur; quod insuper poterit indicari Vicariis Apostolicis, in Anglia commorantibus per Literas Ordinarii, qui ad examen eos excepit, et peritos, idoneosque judicavit. Quod si cuiquam ex Regularibus commodius, atque itineri opportunius videretur Bruxellis ante Apostolicum Nuncium propriae scientiae periculum facere, id erit eorum in libitum; cum utraque ratione duplex auferatur incommodum; unum scilicet, ne Regulares animum mentemque dimoveant a Missionibus Anglicanis, eo timore, ne a Vicariis Apostolicis admittantur ad Saecularium Confessiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii destituantur auctoritate adprobandi illos, qui intra limites suae Jurisdictionis Poenitentiae Sacramentum velint administrare. Etenim duos omnino actus complectitur adprobatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Proprium enim est intellectus, debita, ac necessaria scientia in Examinato deprehensa, illum Confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem Confessionum audiendarum liberam, plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui Adprobatori subjicitur. Primum itaque ab Examinatore praestatur; cujus fidei, et integritati innititur, atque acquiescit, qui Confessiones audiendi facultatem, in limitibus, et confiniis sibi assignatis, impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cujus est praedictam facultatem concedere.

Anglicanis tamen Missionariis datur ut coram Nuntio Ap. Bruxell. constituto, vel coram Episcopo loci, ubi situm est eorum Monasterium, examinentur.

§. 9. His itaque constitutis, cum Regularis examinatus jam, et idoneus judicatus, uti diximus, sese offerat Vicariis Apostolicis, cumque id perpendi minime debeat tanquam urbanitas aliqua, seu coeremonia; cum insuper Vicarius Apostolicus opportunam facultatem elargiri intelligat ad suscipiendas Fidelium Confessiones, qui ditione sua continentur: absoluta penitus hac ratione controversia omnis judicari deberet. Caeterum Confessarii munus Regularibus deferri potest sine temporis determinatione, vel cum limitatione: quod luculenter constat tum ex Brevi a Summo Pontifice Urbano VIII. dato Cardinali de Sandoval anno 1639. inserto a Cabasutio in Theoria, et Praxi Juris Canonici *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 13. tum ex recensita Constitutione Clementis X. *Superna, ad* §. 4. Porro hujusmodi facultates ad praestitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, jus competit Ordinario vel abrogandi, vel eas renovando, Sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatae, nonnisi cum ipso officio desinunt, nec suspendi propterea possunt sine nova causa, quae Confessiones directe respiciat, quemadmodum patet ex Constitutione: *Cum sicut accepimus*, ab Innocentio X. in lucem edita 32. §. 2. *Bullarii tom.* 4. *An Episcopus Regularem pro Confessionibus semel approbatum, sine nova causa, suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis? Respondetur, Regulares alias libere ab Episcopo, praevio examine, approbatos ad audiendas Confessiones Personarum Saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente.* Quae cum ita sint, ut omni dissidio aditus occludatur, decernimus, atque statuimus, ut facultas superius exposita, a Vicariis Apostolicis Regulari examinato, et approbato concedenda, ad sexennium extendatur, atque ad aliud sexennium sine praevio examine confirmetur, cum Regulares Missionarii, iis peractis, quae *num.* 20. exponentur, Anglicanae Missionis exercitium denuo suscipient.

Verum facultas audiendi Confessiones a Vicariis Apostolicis obtinenda.

Sed cum eadem, et indefinite, et cum praefinitione temporis dari possit.

Statuitur, ut Missionariis ad sexennium concedatur, et ad aliud sexennium prorogetur absque novo examine.

§. 10. In medium igitur proferri minime potest tam Breve Summi Pontificis Urbani VIII. quod incipit: *Britannia:* vulgatum anno 1631. quam Bulla ejusdem Pontificis: *Plantata*, edita anno 1633. aut aliud quodcumque documentum ad firmandam Regularium independentiam a Vicariis Apostolicis in administra-

Privilegia super hoc ab Urbano VIII. Regularibus concessa, praesenti temporum conditioni aptari non possunt.

tione Poenitentiae Sacramenti, aliorumque Sacramentorum. Brevia enim, et hujusmodi documenta emissa fuere, antequam quatuor Vicarii Apostolici in Anglia constituti forent, cum omni auctoritate, quae competit cuilibet Ordinario in sua Civitate, et Dioecesi. Quamobrem sancito libero, et tranquillo ordinariae Episcoporum auctoritatis exercitio, eo ipso desinit Regularium immunitas pro Sacramentis administrandis, quae tunc temporis iisdem concessa fuit, cum praedictum liberum exercitium nullatenus permittebatur; quemadmodum Regulares ipsi luculenter agnoverunt, et confessi sunt in celebri disputatione Parisiis habita, quae in Collectione Judiciorum *tom.* 3. *pag.* 45. continetur. Accedit praeterea, quod idem prorsus decretum fuit pro statuendo Indiarum Orientalium regimine, nequicquam refragantibus amplis Sancti Pii V. et Gregorii XIV. privilegiis, ut legere cupienti innotescet ex nostra Constitutione: *Quamvis ad confirmandum*, *tom.* 2, *nostri Bullarii*. Eadem plane ratione cum in praesentiarum constitutum sit regimen Vicariorum Apostolicorum, finem habere debet recensita Regularium Missionariorum immunitas, iis delata, antequam praedictis Vicariis Apostolicis regimen, et ordinaria auctoritas tribueretur, et sua cuilibet confinia assignarentur. Notae, et pervulgatae sunt controversiae agitatae, et discussae in Congregatione de Propaganda Fide anno 1701. et 1702. inter Macai Episcopum, Vicarios Apostolicos Sinarum, atque Regulares Missionarios, qui tueri conebantur, ob sua privilegia licitum sibi esse Sacramenta administrare, et quolibet Parochiali officio perfungi, quin ab Episcopo, et Vicariis Apostolicis dependerent. Porro cum sapienter Congregatio animadvertisset, ab Innocentio XII. fel. rec. suos praefinitos fuisse limites cuilibet Vicario Apostolico, decrevit, atque mandavit, ne cuiquam Missionario vel Saeculari, vel Regulari in posterum liceret Poenitentiae Sacramentum Saecularibus impertiri, vel aliis Parochialibus officiis fungi, quidquid in contrarium praeseferrent privilegia iis concessa, quin prius facultatem obtinuisset ab Ecclesiastico Superiore; ab Episcopo nimirum quoties Sacramenta administranda essent in ejus Dioecesi, vel a Vicario Apostolico, si in ipsius ditione id foret peragendum. Haec enim habet decretum vulgatum die 14. Februarii anni 1702. *Missionariis autem, sive Saecular. sive Regular. etiam Societatis Jesu non liceat etiam vigore suorum privilegiorum Sacramenta administrare, aut alia munia Parochialia obire, nisi de licentia praefatorum Ordinariorum, sive Vicariorum Apostolicorum, in quorum respective Provinciis, aut Dioecesibus eosdem Missionarios commorari contigerit.* Haec profecto luculenter ostendunt nullatenus esse provocandum ad immunitatis privilegia, Anglicanis Missionariis concessa, antequam in Anglia Vicarii Apostolici constituerentur. Idque discussum etiam fuit in peculiari Congregatione de his negotiis habita *die* 6. *Octobris anno* 1695. cujus Decreta Innocentius XII. Brevi dato *die* 5. *Octobris anno* 1696. confirmavit. Accedit Decretum emissum ab universa Congregatione de Propaganda Fide *die* 16. *Augusti anno* 1645. quod nostro Brevi sub *die* 5. *Septembris anno* 1745. firmatum fuit.

ilia prigia abcofuerunt; ad Regio- Indiaalias- ubi Orrii aut arii Ap. sdictiolibere cent.

§. 11. Cum ab hac Sancta Sede animadversum sit, plurima saepe contingere in Regionibus longe dissitis, quibus ut consulatur, peculiares dispensationes, et privilegia quandoque opportuna; quandoque etiam ad animarum regimen necessaria requiruntur; ad quae obtinenda difficile est Romam confugere, eadem Sancta Sedes in more habuit, habetque in praesenti, Episcopis in remotioribus Provinciis commorantibus quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate, vel per inferiores Sacerdotes a se designatos: atque idem plane cum Missionum Praefectis, atque Apostolicis Vicariis facere consuevit. Verumtamen, cum nec Episcopi, nec Missionum Praefecti in Anglia hoc tempore versentur, supervacaneum est facultates recensere, quae his, vel illis deferuntur. Sedem habent in Anglia Vicarii Apostolici, qui sibi commissis Provinciis praesunt, atque iis dumtaxat *Formulae secundae* facultates tribuuntur; proindeque Regulares Angliae Missionarii iis solum Facultatibus perfruuntur, quas obtinent ab Apostolicis Vicariis, qui sane eas communicare aliis possunt, uti ex *Formula secunda* manifestum est: *Praedictas Facultates communicandi, non tamen illas, quae requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in ejus Dioecesi laborabunt.* In recensitis notatu dignum imprimis est vocabulum illud *idoneis*, quo cognitio indicatur, quam Largitor facultatum habere debet de illo, qui ipsas consequitur, an

Facultates pro Angliae Missionibus opportunae solis Vicariis Ap. immediate ab Ap. Sede concedunlur, adjecta facultate subdelegandi

Hinc ante subdelegationem Missionarios examinare

possunt, atque his facultates magis vel minus amplas conferre, suspendere, et adimere.

videlicet idoneus existimetur. Hinc et arbitrium examinis de illo instituendi subsequitur, quoties ejus scientia ad facultatem exercendam aliunde non innotescat. Observationem illud etiam exigit, quod necessitas non infertur Vicario Apostolico, ut omnino praedictas facultates communicet; sed, veluti commodum quoddam, hujusmodi potestas illi delata est pro animarum utilitate: quod quidem nunquam non opportunum, saepius etiam necessarium est, cum Superior omnia per sè praestare minime valeat. In arbitrio Vicarii Apostolici positum quoque est, vel omnium suarum facultatum Sacerdotem participem faceré, vel aliquas tantummodo communicare. Nam Vicarius Apostolicus, in hoc facultatum genere, specialis Sanctae Sedis Delegati Personam gerit, cui liberum est subdelegare, nedum ex communi jure, verum etiam ex singulari auctoritate illi demandata: cumque in delegantis potestate constitutum sit suspendere, vel omnino etiam auferre factam Delegato procurationem, ex his omnibus illud consequitur, in Anglia scilicet, quod jam dictum est, eas tantum facultates per Vicarium Apostolicum collatas a Missionariis exerceri posse: Ille siquidem cum Apostolicus Depositarius earumdem existat, communes eas facturus cum Sacerdotibus Saecularibus, aut Regularibus, jus retinet (quod repetere supervacaneum non erit) dignoscendi, an revera idonei sint; aliquas tantummodo, non omnes communicandi, ac denique eas suspendendi, penitusve auferendi. Attamen summopere commendatur humanitas in examine peragendo; insuper debita, et prudens cautio in suspendendis, vel adimendis facultatibus, quae semel concessae fuerunt. Nec opus est, ut facultates exprimantur, quas Vicarius sibi reservare, aut quas Sacerdotibus Saecularibus, vel Regularibus elargiri debet, quaeve uni potius, quam alteri sint impertiendae; id enim arbitrio relinquitur Vicarii Apostolici, qui, eum in loco consistat, et Personas dignoscat, quibus facultates conceduntur, animarum necessitates animadvertat, et casuum frequentiam, decernere facilius potest, quae magis opportuna, et salutaria videantur. Inter caeteras illa adnumeratur facultas, per quam copia fit Sacerdoti bis Sacrum peragendi uno eodemque die, licet id expresse prohibeatur *capit. Consuluisti, de celebratione Missarum;* cui tamen derogatur ob necessariam causam, videlicet ob

Facultas bis celebrandi eodem die, sola necessitatis Populi causa concedi debet.

Sacerdotum paucitatem, vel cum eorum numerus, qui diebus festis tenentur sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut, nisi alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato plures non satisfacerent: quod copiose declaratum est *Constitutione* 3. in praesenti nostro Pontificatu emissa, et Oscensi Episcopo inscripta *Tom.* 2. *Bullarii*. Hinc facile apparet abusio intolerabilis, quae patraretur, si cuiquam Sacerdoti rem divinam faciendi bis in diem facultas tribueretur, eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret, quantoque magis Sacerdos peccaret, si Missae Sacrificium bis uno die conficeret sine opportuna Vicarii Apostolici concessione; vel sub Populi necessitatis pretextu eam peteret, atque obtineret, licet reipsa plurium eleemosynarum cupiditate ad id moveretur.

§. 12. Adprobationis necessitatem, quam diximus competere cuilibet Vicario Apostolico in sua Provincia, non solum quoad Saeculares, sed etiam quoad Regulares Sacerdotes, qui Saecularium Confessiones sint excepturi; necessitatem pariter ab ipsis accipiendi facultates *Formulae Secundae*, quae praedictis Vicariis Apostolicis a Sancta Sede tribuuntur, una cum potestate eas communicandi Sacerdotibus Saecularibus, et Regularibus, ut illis solummodo Missionarii utantur, quemadmodum superius exposuimus, has, inquam, necessitates subsequitur actualis administratio curae Animarum, et Sacramentorum; ac proinde in iis, quae ad utrumlibet horum capitum spectant, nedum Missionarii Saeculares, sed etiam Regulares subjiciuntur, jurisdictioni, et correctioni Vicariorum Apostolicorum. *Personae tam Regulares, quam Saeculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediate, in iis, quae ad eamdem curam, et administrationem Sacramentorum pertinent, jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cujus Dioecesi sitae sunt:* Haec ferme habet *Concilium Tridentinum sess.* 25. *de Regularibus cap.* 11.

Vicariorum jurisdictioni et correctioni subsunt Missionarii etiam Regulares concernentibus curam Animarum, et Sacramentorum administrationem

§. 13. Quamvis autem in hoc *cap.* 11. non derogaretur privilegiis, quae hanc in rem producere possent Regulares, nihilo tamen minus, quia hujusmodi derogatio apertis verbis exprimitur *cap.* 22. *novissimo ipsius sessionis* 25. *de Regularibus;* ideo haec ipsa complectitur singula capita anteriora *ipsius sessionis* 25. *de Regularibus*, ac propterea recensitum etiam

Contrario Regularium privilegiis derogavit Tridentinum.

caput undecimum, quemadmodum enunciatum est Constitutione Innocentii XIII., quae incipit *Apostolici Ministerii*, confirmata a Benedicto XIII. in altera, quae incipit; *In supremo* data anno 1724. *num.* 23. *Sciant omnes derogationem hujusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite* (idest 22.) *continentur; sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus* (adeoque etiam in cap. 14.) *ejusdem sessionis constituta sunt.*

§. 14. Superioribus annis suscitata a nonnullis fuit infirma nimis controversia, nempe in dubium revocata fuit praedicta Concilii Tridentini dispositio, et contendebatur eos tantum Regulares affici, qui Parochi existant, alios vero Regulares Sacerdotes, qui licet Parochi non sint, tamen Sacramentum aliquod Secularibus administrent, vel nullimode comprehendi, vel si comprehendantur, id referendum esse ad eos solummodo, qui rem *de facto* agerent, et sine praevia Ordinarii facultate; verum Gregorius XV. edita Constitutione *Inscrutabili*, quae est 17. *Bullarii Romani tom* 3. declaravit Regulares Sacerdotes, qui vel Parochi sunt, vel aliquod administrant Sacramentum, *sive alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex iis, ministrent*, sive id praestent *praevia Episcopi licentia, et approbatione*, aut agant *de facto absque ulla auctoritate*; subesse debere in iis omnibus, quae curam, vel administrationem Sacramentorum spectant jurisdictioni, et correctioni Ordinarii tanquam Sedis Apostolicae Delegati; *In his, quae hujusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi, et correctioni Dioecesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicae Delegati, plene in omnibus subjiciuntur*. Idem prorsus renovatum est in Bulla *Cum sicut* 34. Innocentii X. §. 4. *in Bullario Romano tom.* 5., tum in Constitutione *Firmandis*, 109. §. 3. *Bullarii tom.* 1. in presenti Pontificatu evulgata.

§. 15. Jus hujusmodi in Regulares Sacerdotes delegatum in iis, quae animarum curam, Sacramentorumque administrationem concernunt, cessare certum est, cum eorum quiquam sui Regularis instituti observantiam aliquo modo violaret; id enim Ordinarii muneris non est, sed respectivi Superioris Regularis: *Cujus quidem agendi rationem in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius Regularis Instituti*, non est Episcopi inquirere, cum ad ipsum Superiorem *Regularem privative id pertineat*; Verba ipsa sunt recensitae Constitutionis *Firmandis* §. 8. Non ignoramus Sacrum Concilium Tridentinum, *Sess. 6. cap. 3. de Reformatione*, nulla admissa distinctione, decrevisse, quod Regularis *extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii pretextu, si deliquerit, ab Ordinario Loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, et corrigi valeat*: atque hinc factum esse, ut dubium a nonnullis proponeretur, utrum commorantes Missionarii Regulares apud privatos, atque ut plurimum seorsim, ut in Anglia contingit, utrum, inquam, praedicti Regulares, veluti Religiosi extra Monasteria viventes censendi sint, ac propterea Ordinarii jurisdictioni tanquam Apostolici Delegati in omnibus subjecti, quod definitum est in allata Innocentii X. Constitutione 34. *cum sicut* §. 15. Quandoquidem tamen illud perpendi debet, Regulares scilicet Anglicanae Missioni destinatos, illuc proficisci in bonum Sanctae nostrae Religionis, eorumque mansionem in privatis domiciliis, non item in Monasteriis, ex publici regiminis Legibus dimanare, quibus Coenobia quaecumque prohibentur; aequum profecto est, ut recenseri non debeant adinstar illorum, qui extra proprium Monasterium vitam agunt, atque hinc subsunt omnimodae Ordinarii jurisdictioni, quemadmodum sancitum fuit a Summo Pontifice Clemente VIII. in suis Literis Apostolicis in forma Brevis editis anno 1601. quae incipiunt: *Quorumcumque Religiosorum* recensitis in Constitutione: *Quamvis:* Quae ordine est *prima* praesentis nostri Pontificatus *tom.* 2. *Bullarii:* Quamobrem cum iis potius procedendum est veluti cum Regularibus in propriis Monasteriis degentibus, qui, si aliquod crimen foris patrarent, scandalum Populo afferens, insistente Ordinario, ut puniantur, plecti debent a suo Superiore Regulari, qui insuper tenetur inflictam castigationem ipsi Ordinario indicare: *Regularis intra Claustra Monasterii degens, si extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur; ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit:* Haec habet Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 14. Quibus apprime insistens ipsemet Summus Pontifex Clemens VIII.

Nisi habitent extra Claustra.

In Anglia tamen Missionarii Regulares perinde habendi ac si in Claustris degerent.

Eorumque correctio, si forte deliquerint a Superioribus Regularibus expetenda.

alteram vulgavit Constitutionem, cui initium fecit *Suscepti muneris* 39. *Bullarii Rom.* 3. ubi accurate animadvertit, atque enunciavit quidquid ad eorum executionem conducere videretur.

Privativa et cumulativa jurisdictio Vicarii Apostolici, et Superioris Regularis, definitur.

§. 16. Harum ope regularum, quae non ad libitum effictae, nec recentes, sed juris Canonici, et Sacri Tridentini Concilii auctoritate suffultae, nec non anteriorum Pontificum Constitutionibus firmatae sunt, dubitandum non est, quin perfecta interesse debeat consensio inter Episcopos, et Regulares Missionarios, eorumque Superiores, dummodo reipsa in eorum animis vigeat, quod juvat sperare verum pacis, et concordiae desiderium. Atque ea animorum conjunctio eo vel magis speranda, quod ipsorum juri, atque auctoritati certi limites, et confinia praefinita sint. Siquidem non deest Superioribus Regularibus privativum jus in proprios Religiosos, qui sui Instituti observationem perfregerint. Quod si ab iisdem quodquam gravioris notae crimen perpetretur, atque in primis, si contra bonos mores deliquerint, non destituuntur Superiores eos castigandi facultate; nec conquerendi locus Vicario Apostolico relinquitur, si ab eodem Superiore post acceptam facti notionem debita punitio non omittatur: adeoni Vicarius Apostolicus, quod supra indicatum est, se in eam rem ingerere nullatenus possit; nisi forte contingeret, ut Regularis Superior vel nihil praestaret, vel aequas poenas a reo minime desumeret. Habent itidem Vicarii Apostolici, utpote Sanctae Sedis Delegati, potestatem supra Regulares in iis omnibus, quae animarum curam, et Sacramentorum administrationem respiciunt. At vero hujusmodi jus non solum iis competit; verum etiam Regularibus Superioribus, quibus concessum est suos Religiosos animarum regimen, sive Sacramentorum administrationem male exercentes punire. Porro Jus Privativum Ordinarii complectitur tantum actus, quos ipse ratione Ministerii sui teneatur peragere in bonum populi disciplinae Regularis Parochi demandati.

Norma exercendae Jurisdictionis cumulativae.

§. 17. Ne autem de jure cumulativo, quod habent tam Vicarii Apostolici, quam Regulares Superiores in Regulares, qui vel Parochi existunt, vel qui Sacramenta administrant, ulla oboriatur disceptatio, decretum jam est, ut dissidente Ordinario Superiore, vel Episcopus ille sit, sive Vicarius Apostolicus, a Regulari Superiore, prioris sententia alterius praestet opinioni; itidemque, ut cum velit Superior Regularis, ab animarum regimine, et Sacramentorum administratione Regularem sibi subditum removere, efficere id possit, quin prius Ordinarium de causa certiorem faciat: quod vicissim ab Ordinario fieri posse tenendum est, secluso debito causam patefaciendi Regulari Superiori. Adeatur superius recensita Constitutio *Firmandis* 109. §. 10. *et* 11. *Bullarii tom.* 1. praesentis nostri Pontificatus, ubi auctoritate veterum decretorum id fusius declaratum, et confirmatum est. Nec Regularis ab officio suspensus, vel amotus, ullimode valet appellationis beneficio Mandati executionem impedire, vel protrahere; sed post praestitam obedientiam, ad proprium tuendum nomen, innocentiamve vindicandam, si eam laesam existimaret, reclamationibus unice locus erit, et excusationibus, suo Judici competenti ferendis, uti praescribitur in superius allata Constitutione: *Inscrutabili:* Gregorii XV. atque in alia posteriori, cui initium *Ad militantis*, in praesenti nostro Pontificatu vulgata scilicet 18. §. 19. *Bullarii tom.* 1.

Regulari a Officio su spenso no datur su spensiva ap pellatio.

§. 18. Ne felici Britanniae Missionum regimini quicquam deesse videatur, subsequentes adnectuntur regulae, quibus praetermissis, haud omnino obtineretur, quod vehementer exoptatur. Sedulo igitur incumbant Vicarii Apostolici, ut Missionarii Saeculares probe, honesteque in omnibus se gerant, quo aliis bono exemplo sint; et imprimis Sacris Officiis celebrandis, opportunisque Institutionibus Populo tradendis, atque infirmis opera sua sublevandis praesto sint, ut a publicis otiosorum coetibus, et cauponis omnimode caveant; addita etiam suspensionis poena cuilibet, si quis ad easdem divertere non vereretur. At potissimum ipsimet Vicarii, omni, qua possunt ratione, severe tamen, illos puniant, qui de publico Regimine cum honore sermonem non haberent. Quandoquidem illi in Anglia versantur, non ad rumores, et perturbationes excitandas, sed Sanctae Catholicae Religionis servandae causa, eosque excipiendi, qui Divino Spiritu afflati, et Sanctis Fidei Mysteriis apprime instructi, se promptos, paratosque ad eam amplectendam exhibent; cum interim a quibuslibet conversionibus debeant abstinere, quae utpote sine praeviis, debitisque conditionibus peractae, non modo nullam utilitatem,

Saeculare Missionarii quibus rebu incumbere et a quibu abstinere de beant; alio quin a Vica riis severe puniendi.

sed damna potius, et incommoda plurima solent afferre. In iis autem, quae Missionarios Regulares spectant, munus suum Vicarii Apostolici prae oculis semper ferant, quo tenentur in eorum actiones intendere semper in illis, quae animarum curam, Sacramentorumque administrationem respiciunt; necnon auctoritatem pariter sibi delegatam comminiscantur. Caeteras vero praedictorum Regularium corruptelas, si quae contigerint, si nimirum eorum quisquam cauponas, et coetus frequentaret, seu publico Regimini obloqueretur, sive denique alienis negotiis sese immisceret; has, inquam, corruptelas reparare studeant remediis superius expositis, atque a Concilio Tridentino desumptis, quibus Regulares afficiuntur in Monasteriis degentes, et qui extra Septa ipsius Monasterii scandalum aliquod committunt.

§. 19. In primis curae sit Superioribus Regularibus Missionarios indistincte nequaquam mittere, sed quod dictum jam est, eos deligere, qui et vitae probitate, atque sufficienti opportunae doctrinae copia tales existant, ut sibi traditum Ministerium probe complere valeant: Praeterea studeant praeficere in Anglia unum ex Religiosis, cui visitatio sibi subditorum singulos in annos obeunda committatur, qui diligenter eorum vivendi rationem ad examen revocet, et congestarum eleemosynarum usum perscrutetur. Sic enim fiet, ut quaelibet negotiationis suspicio de medio tollatur, incommodis quibuslibet, et malis provide consulatur; Porro Visitator ipse de his, quae gerenda sunt, conferat cum Vicariis Apostolicis, ut et ipsi auxiliarem manum praebeant, atque ita scandalis quibuslibet aditus occludatur.

§. 20. Quandoquidem, degentibus Missionariis Regularibus in Anglia extra Monasteria in privatis domiciliis, et saeculares vestes adhibentibus, et ea libertate utentibus, qua sane carerent, si in Monasteriis degerent, inauditum minime esset, si etiam religiosa corda mundano pulvere sordescerent, ideo edicitur cuilibet Missionario, ut post singula sexennia ad Catholicas Regiones sese restituat, propriae Familiae Regularis Claustra subeat, Religiosum induat habitum, ibique per tres integros menses commoretur, atque interim Spiritualibus Exercitiis per quindecim dies sedulo incumbat. Hinc est, quod Vicarii Apostolici, quorum arbitrio, atque prudentiae, uti expositum est, committitur potestas communicandi Missionariis facultates *formulae secundae*, ipsam *ultra sexennium* non debebunt prorogare, sed impertiri ad summum *ad sexennium*, *et interim ad libitum*, eamque, si consentaneum judicaverint, simili modo restituere, cum Regulares absoluto jam praescripti secessus tempore ad Missionem revertentur.

Ideo statutum, ut Facultates ad sexennium tantummodo ipsis delegentur.

§. 21. Etsi Regularis Superior, qui statuit aliquem ex suis Religiosis a Sacramentis administrandis, sive a Missionibus exercendis removere, ex superius allatis, non teneatur remotionis causam Vicario Apostolico significare, et eadem ratione liberum sit Vicario Apostolico, insciis, atque inconsultis iisdem Superioribus contra Missionarios Regulares, quos delinquentes in Sacramentis administrandis, vel ineptos, atque rudes, negligentesve in suo munere adimplendo deprehenderit, animadvertere, prout ipsi expedire videbitur, tamen consentaneum erit, si unanimi voluntate, et consensu rem gerant, ne Missiones Operariis destituantur, et uni Missionario amoto alter continuo subrogetur, qui ejus subeat vices; idemque exhibeatur officium a Superioribus Regularibus cum Apostolicis Vicariis, ubi velint suos in alium Locum transferre, vel eos revocare in Catholicas Regiones, atque uno eodemque tempore successores expediant, videlicet ne Missio necessariis Operariis careat.

Remotiones Missionariorum Regularium, quantum fas erit, communi consensu fiant, et sine Missionis detrimento.

§. 22. De Fundationibus nihil omnino innovetur; sed tam Saeculares, quam Regulares in earum possessione perseverent, quas in praesentiarum obtinent; atque adeo Sacramenta, etiam Confessionis omnibus indiscriminatim per eos administrentur in Urbibus, et Oppidis muro circundatis, ubi limites praefiniti non sunt; ea plane ratione, qua in nostris Civitatibus ad Confessionem adprobati ab Episcopo sine ulla Loci, vel peculiaris Ecclesiae limitatione, in qua Confessiones possint excipere, in qualibet Urbis Ecclesia Confessiones audiunt, debitis tamen officiis cum ipsius Rectore antea persolutis. Verum Missionariis, in Pagis, et apud Ruricolas commorantibus non liceat Sacramenta, nec etiam Poenitentiae extra praescriptos limites administrare; cum ad Confessiones extra confinia excipiendas necessaria omnino sit Vicarii Apostolici licentia, cui illa subjicitur Provincia. Etenim apud Nos etiam Confessarius ab Episcopo pro Saecularibus adprobatus in sua Dioecesi, extra Dioecesim eam facultatem exercere nequit sine alte-

Fundationes undecunque requisitae, possessoribus maneant.

Sacramenta a Sacerdotibus approbatis in Urbibus et Oppidis sine limitatione administrentur.

In Pagis et agris nemo deputationis suae limites transcendat.

rius Episcopi adprobatione, in cujus ditione Poenitentiae Sacramentum administratur, etiamsi Poenitens subsit Episcopo, qui illum ad Confessiones excipiendas adprobavit. Idque constat ex Bulla *Superna*, Clementis X. quae est 6. *tom.* 6. *Bullarii Romani* §. 4. solus enim Parochus a Moralis Theologiae Scriptoribus eximitur, si qui forte extra Dioecesim versetur, sui Parochiani ibi degentis Confessiones potest audire, quamvis ab Episcopo Loci, ubi sui Parochiani se praebet Confessarium, adprobationem ad Confessiones non obtinuerint. Necessaria igitur omnino est Vicariorum Apostolicorum licentia, ut Missionarii in Pagis, vel Agris commorantes, Poenitentiae Sacramentum ministrent intra limites cuilibet illorum respective subjectos. Attamen ipsosmet Vicarios Apostolicos hortari non praetermittimus, ut meminerint valde consentaneum esse (nisi aliqua legitima causa contrarium persuaserit) facultates illis elargiri saltem ad Confessiones excipiendas. Quandoquidem vero licentiae administrandi Sacramenta, quae conceduntur Missionariis Campestribus, ut plurimum certis limitibus arctari solent, extra quos nulla ipsis ministrandi facultas permittitur, quamvis Locus, ubi Sacramenta vellent conferre, intra limites Vicario Apostolico subjectos contineretur, qui permissionem ministrandi impertitus est, tamen Vicarium Apostolicum adhortamur, ut facilem se praebeat Missionario Campestri Sacramenta aliquando conferendi extra limites ipsi praefinitos, nisi forte legitimum aliquod impedimentum id fieri prohibeat.

Vicariis Ap. suadetur facilitas in delegatione facultatum.

§. 23. Haec omnia proficuam animarum curam, et pacem, concordiamque inter Missionarios; faustum denique Vicariorum Apostolicorum regimen respiciunt. At quoniam a Viris optimis, et fidei dignis indicatum fuit consentaneum fore, si definiatur, utrum Regularibus, qui vel in Regiis Sacellis, vel in Locis pro illis fundatis, sive apud Nobiles, commorantur, liceat Indulgentias suis Ordinibus concessas evulgare, ideo, ut omnes molestae tricae evitentur, sequens regula proponitur, quae executioni demandari omnino debet. In bonum Anglicanae Missionis adprobantur quilibet pietatis actus, preces, jejunia, atque opera meritoria, quae a Sancta Romana Ecclesia comprobantur. Ad Indulgentias quod spectat ipsis operibus adnexas ratione privilegiorum, quae uni, vel alteri Regularium Ordini a Summis Pontificibus concessa fuerunt, suspenduntur, atque, ut Fideles spirituali Sanctarum Indulgentiarum emolumento tranquille, et copiose simul perfruantur, cuilibet Vicario Apostolico auctoritas in ditione sui Vicariatus conceditur, ut quater in annum in iis Solemnitatibus, quae ipsis magis opportunae videbuntur, Indulgentiam Plenariam impertiantur, quam lucrari possint quicumque Poenitentiae Sacramento expiati, et Sacra Eucharistia refecti Sacellum aliquod visitabunt, ubi Missae Sacrificium celebratur, pacem Ecclesiae suae a Deo rogabunt, paratique erunt pauperes aliqua eleemosyna pro suis viribus sublevare, vel Catechismo, et Sacris Concionibus frequenter interesse, quoties absque gravi incommodo id fieri liceat, sive infirmis, aut morti proximis operam suam christiana charitate praebere; et quoniam non deerunt, qui vel carcere, aut gravi morbo, sive alia legitima causa impediti, praescripta pietatis officia minime poterunt adimplere, singuli Vicarii Apostolici potestatem habeant ea commutandi, et alia, quae perfici valeant, decernendi. Porro ne morientes e vita decedant sine Benedictione *in articulo mortis*, et sine Indulgentia ipsi conjuncta, eiisdem Vicariis Apostolicis facultas conceditur, ut illam impertiant, atque etiam Sacerdotes alios subdelegare possint, qui eam morientibus elargiantur, servata tamen forma, quae indicitur in Constitutione hujus nostri Pontificatus tempore in lucem evulgata, quam hisce regulis ad majorem commoditatem adjungimus.

De Indulgentiis.

Suspenduntur in Anglia Indulgentiae, Re-

gularibus e communicand. publicandum siv concessae.

Vicariis Apo stolicis dele gatur largiti Indulgentia plenar. qua ter in anno

Et in articu lo mortis.

§. 24. Ultimo tandem, cum Anglicanae Missionis perduratio Principum Catholicorum Ministris, Nobilibus Catholicis, Fundationibusque jam constitutis accepta referri debeat; eos magnopere adhortamur, ut illos tantum Sacerdotes Saeculares, vel Regulares suis Sacellis inservire permittant, qui se prius obtulerint Vicariis Apostolicis, et obtentas ab illis adprobationes exhibuerint: secus enim contingere posset, ut praeter eorum voluntatem admittatur celebrando Missae Sacrificio in Sacellis, et ministrandis Sacramentis, qui vel Sacerdos minime existat, vel si fuerit Sacerdos, suspensionis fortasse, vel irregularitatis vinculo obstringatur.

Suadet Legatis pri cipum et N bilibus C tholicis ullos in su Sacellis c lebrare, ministr. pe mittant, o si a Vicar Apost. a probatos.

§. 25. Porro omnia et singula hujusmodi a Nobis, prout praemittitur statuta et decreta,

Clausulae Derogatio nes.

quo firmius subsistant, et serventur exactius, tenore praesentium Apostolica auctoritate, quatenus opus sit, confirmamus, et Apostolicae firmitatis robore communimus et districte servanda praecipimus et mandamus, salva tamen in praemissis nostra Successorumque nostrorum Romanorum Pontificum, et ejusdem Congregationis Cardinalium Propagandae Fidei auctoritate. Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et a vobis et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et ejusdem S. R. E. Cardinales, eorumdemque Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis sive sub Plumbo, sive in simili forma Brevis expeditis quorumcumque Praedecessorum nostrorum Literis, et praesertim felicis recordat. Urbani Papae VIII. quarum initium est: *Britannia non minus etc.* necnon: *Plantata in Agro Dominico etc.*; aliisque Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, et Institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis et statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

animorum ecordia mmenda- Vicariis et Mis- oariis in glia.

§. 26. Caeterum Vos, Venerabiles Fratres Dilecti Filii, per Domini Nostri Jesu Christi charitatem, qui animas nostras pretioso Sanguine redemit, rogamus, et in Domino hortamur, ut non in contentione et aemulatione, sed induentes eumdem Dominum Nostrum Jesum Christum, perficiatis opus vestrum. Ad cujus prosperi successus auspicium Apostolicam Benedictionem studiosae nostrae voluntatis pignus Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Fides habenda transumptis.

§. 27. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et ab ejusdem Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Praefecto, et Secretario pro tempore existentibus subscriptis, ac Sigillo ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. Pont. An. XIII. die 30. Maji 1753.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Maji MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo tertio.

Cajetanus Amatus.

DE BENEFICIIS XVII.

Et Officiis Curatis per Indiarum Occidentalium Regiones, Saecularibus etiam Clericis, sublato asserto Regularium privativo jure, conferendis: Apostolicae Literae jam editae (*quas vide Tom. III. num.* 51.) confirmantur, et declarantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Catholici Regis alias proposita petitio.

Cum alias nempe de Anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo ex parte Charissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi VI. Hispaniarum Regis Catholici Nobis repraesentatum fuisset, non eas adhuc in Indiarum Occidentalium Regni, atque Provinciis ipsius Dominio subjectis rerum circumstantias subsistere, ob quas olim Sanctae memoriae Pius V. ad instantiam tunc existentis Catholici Hispaniarum Regis, aliique deinceps Romani Pontifices Praedecessores Nostri statuerunt, earum Regionum Parochias, Doctrinas, aliaque mu-

nia et officia ad Animarum Curam pertinentia, per Regulares Personas obtineri, et administrari debere, quin immo Saecularem Clerum illarum Partium a multo jam tempore adeo et numero excrevisse, et moribus, atque doctrina conspicuum, proindeque ad obtinenda et gerenda ejusmodi munia idoneum se praebere, ut nihil jam obstare videretur, quo minus earumdem Parochiarum, Doctrinarum, aliorumque Officiorum provisio, et dispositio, ad eam, quae generaliter per Orbem vigere dignoscitur, Ecclesiasticae disciplinae formam, prout non solum ipse Ferdinandus Rex, sed etiam Archiepiscopi, et Episcopi, per easdem Indiarum Regiones constituti magnopere optabant, revocari posset; Nos omnibus mature perpensis, quum Regiam hanc petitionem non modo generalibus Ecclesiae Institutis, verum etiam praedicti Sancti Pii, aliorumque Pontificum Praedecessorum Nostrorum menti, ac saepe declarato Sedis Apostolicae sensui, conformem agnoverimus; per Nostras sub Plumbo editas Literas, quarum initium est — *Cum nuper* — datas apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLI. sexto Idus Novembris; Pontificatus Nostri Anno XII. decrevimus, atque permisimus, ut, non obstantibus dicti Sancti Pii V. praedecessoribus Literis, aliisque in earum confirmationem ab Apostolica Sede emanatis (quibus etiam, quatenus opus esset, expresse derogavimus) Saeculares etiam Clerici, seu Presbyteri quicumque, quos scilicet praedicti Archiepiscopi, et Episcopi, aliique locorum Ordinarii in Indiis Occidentalibus constituti, praevio examine, juxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos et habiles reperiissent, ad Parochias, Doctrinas, et alia quaecumque munia, et Officia ad animarum Curam pertinentia, in posterum admitti et assumi, eisque etiam Parochiales Ecclesiae hujusmodi, aliaque Ecclesiastica perpetua Beneficia, quibus Animarum cura imminet, in titulum conferri possent et valerent; prout in dictis Literis Nostris latius continetur.

Pontificis Decreta per Literas Apost. edita an. 1751.

§. 1. Cum autem nuper idem Ferdinandus Rex Nobis exponi fecerit, quod ipse, qui ex juribus suae Regiae Coronae, Jus Patronatus, ac nominandi, et praesentandi ad omnia dictarum Regionum Beneficia Ecclesiastica, et Officia Curata ejusmodi ex fundatione, seu dotatione, aut Privilegiis Apostolicis actu vigentibus, aliisque legitimis titulis, competit, in dies magis magisque agnoscens ad rectum disciplinae Ordinem, et ad promovenda in Clero Saeculari dictarum Partium Sacrarum Doctrinarum studia, aliosque communis utilitatis effectus, magnopere proficuum fore, si Saeculares hujusmodi Clerici, seu Presbyteri ad omnia vel pleraque Beneficia et officia praedicta, per ipsum, ejusque successores Catholicos Reges, nominentur, et praesententur, decreverit et constituerit, praedictis S. Pii V. aliorumque Romanorum Pontificum Indultis et facultatibus, in favorem Regularium, vel nullo modo, vel saltem parcissime, et in locis et casibus dumtaxat, in quibus forsan Saecularium Clericorum defectus reipsa subsistere dignoscatur, in posterum uti; ideoque easdem priores literas Nostras, novo ac perpetuo confirmationis Nostrae munimine roboratis, uberius per Nos declarari, et ut infra, super his provideri desideret; Nos ejusdem Ferdinandi Regis supplicationibus inclinati, praesentium tenore, et auctoritate simili, primodictas Nostras Apostolicas Literas, cum omnibus et singulis decretis et declarationibus in ipsis contentis, et expressis, perpetuo confirmamus, ac iterato Apostolicae auctoritatis Nostrae robore communimus; decernentes, nullum in posterum jus, nullamque actionem, aut exceptionem, in vim praedictarum Literarum Sancti Pii Papae V. aliarumque, ut supra, ab aliis Romanis Pontificibus editarum, praedictis Regularibus competere, ut sive in petitorio judicio, sive in possessorio, privativam facultatem obtinendi, et administrandi Parochias, et Doctrinas ejusmodi, aliaque Officia Animarum curam concernentia, sibi, suisque Ordinibus asserere, aut se in illarum illorumque possessione confovere possint; sed tam eos, qui nunc Parochias, Doctrinas, et Officia praefata obtinent, quam quibus forsan in posterum ejusmodi Curata Beneficia et officia, servatis de jure servandis, committi, et demandari contigerit; tamquam ad nutum amovibiles, posse tum ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, tum etiam a propriis Regularibus Superioribus, justis concurrentibus causis, (super quarum subsistentia illorum conscientiam oneramus, sed nunquam illos ad earum declarationem, aut verificationem compelli posse volumus et decernimus), ab earumdem Parochiarum, doctrinarum, et Officiorum regimine et exercitio removeri; eveniente autem remotio-

Catholici Reges propositum saecularib. Clericis favorabile.

Pont. anno endo decla rat, nullu jus neque i petitorio, neque in pos sessorio, Re gularibus competere ad Benefic et Officia Curata In diarum Oc cid. obtinen da, aut ret nenda.

ne, liberum fore Catholicis Regibus, alios quoscumque idoneos Saeculares, aut Regulares Clericos, seu Presbyteros, juxta legitima eorum Regii Patronatus jura, ad hujusmodi Curata Beneficia, et Officia nominare et praesentare, ac respective Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, hujusmodi Clericos, seu Presbyteros, praevio examine, aliisque servatis de jure servandis ad illa admittere et assumere, seu, quatenus Saeculares fuerint, ipsis etiam in Titulum eadem conferre, et de iis providere.

gulares usmodi rochiis, Offic. epositi, bus in re- Superio- Regulari vative su- ciantur.

§. 2. Volumus autem, ut omnes et singuli, cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Societatis, et Instituti, etiam expresse nominandi, Regulares, qui hujusmodi Parochiarum, Doctrinarum, et Officiorum regimine et exercitio retinebuntur, seu quos ad eadem in posterum assumi, et admitti contigerit, (juxta ea, quae tam in citatis Nostris Literis incipientibus — *Cum nuper*, — quam in aliis Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, decimo Kalend. Decembris editis, quarum initium est — *Firmandis, atque asserendis*, — a Nobis decreta et declarata fuerunt) noverint, se in iis quidem, quae concernunt eorum Regularis Instituti observantiam, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis nullatenus subjectos esse, sed a suis Superioribus Regularibus quoad haec privative dependere. In his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae Animarum, vel etiam ad eorum vitam, et mores pertinent, Episcopis quoque, aliisque Ordinariis Locorum Praesulibus subjectos esse; ideoque ab iisdem Episcopis, et Ordinariis, nec non Vicariis, et Visitatoribus ab iis deputatis, aeque ac a suis Regularibus Superioribus in his omnibus judicari, et corrigi posse; et quidem ea lege, ut quatenus unius et alterius Superiorum hujusmodi judicia inter se non conveniant, Episcopalis seu Ordinariae Curiae Processus, atque Sententia, Regularis Praelati judicio et actis omnino praevalere debeant; ac reipsa praeferantur, et executioni demandentur.

m quibus em Ordi- ii jurisdi- ni et cor- tioni cu- lative sint.

Ordinarii erogati- , in casu repantiae icii.

erius sta- a confirm.

§. 3. Praesentes quoque Literas, et in eis contenta quaecumque, nulla umquam ex causa, colore et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam ex eo quod quicumque in praemissis jus vel interesse habentes, aut habere praetendentes, cujusvis status, aut Ordinis, Congregationis et Instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque Causae, propter quas praesentes emanaverint, satis adductae, probatae, aut verificatae fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut consensus interesse habentium, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam, et judicium etiam ad effectum obtinendae aperitionis oris, aut restitutionis in integrum, adduci posse: sed semper et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari, atque etiam ab omnibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit in posterum, inviolabiliter observari, volumus et decernimus. Sicque et non aliter in praemissis judicari, et censeri per quoscumque Ordinarios, et Delegatos Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, eorumque Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Legatos, seu Nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, ac etiam irritum et inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium judicari, et decerni, seu scienter, vel ignoranter attentari contigerit.

Aliter judicari prohibetur.

§. 4. Non obstantibus praedictis Sancti Pii V., aliisque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum in eorumdem confirmationem etiam in forma specifica, editis Literis, Nostraque, et Cancellariae Apostolicae regula de non tollendo jure quaesito, aliisque Apostolicis, seu in universalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis, generalibus aut specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiarum, seu Ordinum, Congregationum, et Institutorum, etiam specialiter exprimendorum, quantumvis juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus, et Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut sub quibusvis, formis, et verborum tenoribus, seu clausulis, et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu proprio, et de Apostolicae

Contrariis amplissime derogatur.

potestatis plenitudine, seu consistorialiter, aut ad Regum, aliorumque Supremorum Principum instantiam, vel peculiarium quorumcumque meritorum intuitu, aliove titulo, etiam oneroso, quibuscumque personis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, etiam Societatis Jesu, vel Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro expressis, insertis, et specificatis habentes, pari motu, et Apostolicae auctoritatis plenitudine ad praemissorum effectum plenissime derogamus, eaque respective, quatenus praesentibus adversantur, de medio tollimus et abolemus per praesentes. Quarum Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eamdem fidem ubique Locorum et gentium, in judicio, et extra, haberi volumus, quae eisdem praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Transumptis fides.

Sanctio.

§. 5. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Declarationum, Decretorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 9. Junii 1753. Pont. XIII.

Datum in Arce Gandulfi Albanen. Dioecesis Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, quinto Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

Pro D. Card. Passioneo.

J. Florius Substitutus.

J. Datarius.

Visa de curia

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

XVIII. VENETIARUM

Reipublicae conceditur Jus nominandi ad Ecclesias Torcellanam, Caprularum, et Clodiensem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Sinceritas Fidei, et devotionis affectus, quibus dilecti Filii Nobiles Viri Dux et Respublica Venetiarum erga Catholicam Religionem, et Ecclesiam Romanam omni tempore se conspicuos praestiterunt, quibusque recentia Zeli ac pietatis suae argumenta, non sine filialis in Nos observantiae significationibus, addiderunt, Nos quodammodo impellunt, ut ea ipsis favorabiliter concedamus, quae ab Ecclesiarum utilitate, quemadmodum pro certo confidimus, minime sejuncta, ad meritum eorumdem honoris augmentum pertinere, et publicis eorum votis salubriter respondere conspicimus.

Jus nomi
nandi ad Ec
clesiam Pa
triarc. Vene
tiar. Duci
Reipub. con
cessum a Pi
IV.

§. 1. Cum itaque ipsi quibus ex Apostolico fel. rec. Praedecessoris Nostri Pii Papae IV. Indulto, cui non est hactenus in aliquo derogatum, et ex antiqua consuetudine, jus competit, ad Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum, quoties illam vacare contingat, nominandi et praesentandi Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti Personam idoneam, per Nos, seu per Romanum Pontificem hujusmodi, ad eamdem Patriarchalem Ecclesiam pro tempore etiam promovendam, eique praeficiendam, Nobis humiliter, et enixe supplicari fecerint, ut Indultum etiam nominandi ad tres infrascriptas Cathedrales Ecclesias, Torcellanam nempe, Caprularum, et Clodiensem, in earum vacationum casibus futuros illarum respective Episcopos, ipsis concedere dignaremur.

Indultu
hujusmod
petitur p
tribus Eccl
siis Patria
chae Suffr
ganeis. V
netorum D
cum et Re
pub. antiq
merita
easdem E
clesias.

§. 2. Nos attendentes, pro eo quod pertinet ad primodictam Torcellanam Ecclesiam, quod olim destructa Altinensi Civitate, ejusque Episcopali Cathedra, et Sede Torcellum translata, nova Cathedralis Ecclesia ibi per bo: mem. Petrum tunc Venetiarum Ducem aedificata, ac etiam Episcopo ibidem de congrua habitatione provisum fuit; alterius vero, Caprularum videlicet, Ecclesiae initia ex eo derivari, quod olim existens Concordiensis Episcopus Joannes nomine a sua Civitate profugus, propterea quod schismati adhaerere nollet, in eo Oppido exceptus, Episcopalis Sedis ibidem stafuendae commodum obtinuerit; ac demum, quod spectat ad Clodiensem Ecclesiam, hujus

constitutionem praecipue acceptam referri bo: mem: Ordelafo Faletrio Venetiarum pariter Duci, cujus favore et auxilio factum est, ut, quum Insula Metamauci, vulgo *Malamocco*, marinis fluctibus submersa fuerit, illius quondam Episcopus in Flossa Clodia consistere, ibique Episcopalem Sedem stabilire potuerit.

idem nu-, instante nt. Catho- e Religio- indemni- in Dal- tia con- uerunt.

§. 3. Cumque etiam debita consideratione pensare non omiserimus, quod paucis abhinc mensibus, quum quidam schismaticus Papas Simon Conzacovich nuncupatus, a schismatico Graecorum Pseudo-Patriarcha in Dalmatiam missus fuisset, ut ibi Sedem figeret; id quod, si forte evenisset, in magnam Sanctae Catholicae Religionis nostrae perniciem, et grave Apostolicae Sedis praejudicium, cum intolerabili Latinorum Episcoporum perturbatione cessisset, quemadmodum Nos praedicto Duci et Senatoribus, tum a dilecto Filio Nobili Viro Petro Andrea Cappello Equite ejusdem Reipublicae apud Nos et Apostolicam Sedem Oratore; tum etiam a Venerabili Fratre Archiepiscopo Chalcedonensi, Nostro et ejusdem Sedis Nuntio apud ipsam Venetam Rempublicam constituto, repraesentari curavimus; publico ac solemni Senatus Decreto, eidem schismatico Pseudo-Pastori denunciatum fuit, ut a praedictis Dalmatiae Regionibus sine mora abscederet.

§. 4. His omnibus mature perpensis, ac etiam Paterna Nos impellente affectione, qua eamdem inclytam Venetorum Rempublicam ex animo prosequimur; praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. effectum etc. censentes; praesentium Literarum tenore, ac de Apostolicae auctoritatis plenitudine, non modo praefatum jus nominandi, et praesentandi ad Patriarchalem Venetiarum Ecclesiam pro tempore vacantem, prout alias per dictum Pium IV. Praedecessorem eisdem Duci et Reipublicae concessum fuit, confirmamus et innovamus; verum etiam eisdem, in sinceritate Fidei, et dictae Romanae Ecclesiae devotione persistentibus, ut, quando et quoties praedictas tres Ecclesias Torcellanam videlicet, Caprularum, et Clodiensem, seu earum quamlibet quocumque vacationis modo, praeterquam per obitum cujuslibet earum Episcopi in Romana Curia, vacare, seu Pastore ac Praesule orbari contigerit; toties perpetuis futuris temporibus jus habeant nominandi Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti idoneam Personam Ecclesiasticam ad unamquamque Ecclesiam hujusmodi respective promovendam, eique praeficiendam, concedimus et indulgemus, ac nominationes hujusmodi idonearum Personarum Ecclesiasticarum, per Nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, acceptandas fore, et ad effectum perduci decernimus, servatis omnibus servari solitis, ac mediante propositione in Consistorio Secreto, et Literarum Apostolicarum expeditione in forma consueta; volentes hujus novi juris exercitium a nominatione ad Ecclesiam Cathedralem Clodiensem, quae ab aliquo jam tempore Pastoris solatio destituta est, per eosdem Ducem, et Rempublicam facienda de idonea Persona Ecclesiastica, ut praefertur, ad ipsam Ecclesiam Clodiensem per Nos promovenda, eique praeficienda, initium capere debere.

onfirma- Indul- Pii IV. Ecclesia iarc. Ve-

t novum ceditur ad tres edictas edr. Ec- ias.

§. 5. Porro minus justam opinionem habere videremur de egregia ipsius Reipublicae pietate et orthodoxia, deque perpetuo ejusdem studio erga Sanctam Apostolicam Sedem, si iteratis hortationibus etiam, atque etiam ipsi commendaremus assiduam, quam semper praestitit, vigilantiam adversus insidias, et attentata Graecorum schismaticorum Dalmatiae Regionibus imminentium. Attamen, ut aliquam hujus rei mentionem faceremus, duae Nos gravissimae causae coegerunt; una nimirum ex officii Nostri debito petita, quo scilicet pro tuenda Sanctae Religionis nostrae integritate vitam et sanguinem profundere tenemur; Altera vero ex insigni ipsius Reipublicae laude desumpta, cui jam usque a septimo Ecclesiae saeculo Praedecessor Noster Honorius Papa, propter illius constantem cum Romana Ecclesia conjunctionem, invictamque a schismaticis aversionem, praeclarum Christianissimae Reipublicae nomen attribuit.

Venetorum pietas excitatur ad Catholicam Religionem de more defendendam.

§. 6. Supervacaneum praeterea videri potest eidem Reipublicae ob oculos ponere satis notum miseriae statum, ad quem vel omnes, vel saltem duae ex tribus praedictis Cathedralibus Ecclesiis redactae conspiciuntur; Siquidem non sine fundamento sperare licet, idonea ipsis auxilia a publica liberalitate, opportunis temporibus praestanda fore, quibus necessariae earumdem Praesulum sustentationi ac dignitati, ut par est, consulatur; Quum perspicua scriptorum monumenta testentur, quantum ab antiquis ipsius Reipublicae Patribus, instante San. mem. Gregorio Papa VII. Prae-

Item ad consulendum statui valde misero earumdem Ecclesiarum.

decessore Nostro, praestitum fuerit in Beneficium Patriarchalis Venetiarum Ecclesiae, ad deplorandam paupertatis conditionem antea redactae.

Denique iis, qui in electionibus nominandorum suffragaturi erunt Canonicae sanctiones in memoriam revocantur.

§. 7. Hoc demum pro Apostolici ministerii Nostri Officio, omnibus et singulis, qui in electionibus personarum ad easdem Ecclesias quandocumque vacantes pro tempore nominandarum, suffragium ferre debebunt, studiosissime commendatum volumus, ut Sacrosancti Tridentini Concilii monitum, et respective praeceptum prae oculis habeant, quod in *sess. 24. de Reformat. cap. 1.* sequentibus verbis expressum legitur: *Omnes vero et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque jus quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant, hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint.*

Clausulae de perpetuo Indulti vigore.

§. 8. Praesentes autem literas, et in eis contenta hujusmodi nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, seu substantiali, aut solemnitatum defectu impugnari, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu illis ex quavis causa derogari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, eisdemque Duci et Reipublicae perpetuo suffragari; sicque et non aliter per quoscumque Judices, et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, ac ipsummet Consistorium, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari et definiri debere volumus, et decernimus: irritum quoque et inane quidquam secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes generales et speciales.

§. 9. Non obstantibus Apostolicis, ac quibusvis reservatoriis, et revocatoriis, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, et clausulis editis, et edendis, nec non universalium, Provincialium, ac Synodalium Conciliorum generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictarum Torcellanae, Caprularum, et Clodiensis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, eorumque Capitulis, et Cleris sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, confirmationis, innovationis, concessionis, indulti, hortationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulfi Albanen. Dioecesis Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio Idibus Junii, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

Dat. die I Junii 175 Pont. XIII

Pro D. Card. Passionei.

J. Florius Substit.

J. Datarius.

VISA.

De Curia J. C. Boschi.

Registrata in Secretaria Brevium.

METHODUS XIX.

Praescribitur in examine, ac proscriptione librorum a Congregationibus Romanae Universalis Inquisitionis, et Indicis servanda, certaeque Relatoribus ac Consultoribus proponuntur Regulae, quas in examine, judicioque ferendo sequantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ra Prae- ssor. tific. in criben- ooxiis li-

Sollicita ac provida Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christifideles ab eorum Librorum lectione averteret, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus ac doctrinis, quae vel morum integritati, vel Catholicae Religionis Dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus Sancti Gelasii I. Decretum, quaeque jam pridem a Gregorio IX. aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur, quae fuerint a Praedecessoribus Nostris Pio IV. Sancto Pio V. et Clemente VIII. diligentissime praestita, ut saluberrimum opus a Sacrosanctae Tridentinae Synodi Patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitae lectionis Librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac regulis communirent. Quod quidem negocium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet; ad id deputatis duabus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Romanae Universalis Inquisitionis a Paulo IV. commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de Libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, Sanctum Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis Institutorem, quem subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V. et Clemens VIII. confirmarunt, variisque privilegiis et facultatibus auxerunt: Ejusque proprium, ac fere unicum Officium est, in examen Libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

(aec cura gata est Con- Univ. isition. alteri cis a S. V. insti- ne.

Utriusque greg. cir- msp. in ncr. libris.

§. 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione Universalis Inquisitionis de proscribendis vel dimittendis Libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum Nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; Nam in minoribus constituti, de Libris nonnullis in ea censuram tulimus, et Consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus, postremo inter Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales cooptati, Inquisitoris Generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo censorum animadversiones in Libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quae singulis Feriis quintis coram Nobis habentur, Cardinalium sententias atque suffragia, antequam de iisdem Libris quid decernatur, audire et excipere consuevimus. Haud minoris diligentiae testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis Librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi Censoris, seu Relatoris Officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem Supremum Pontificatum gerimus, nullius Libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui Libri materiem, Revisorum censuras, Cardinalium judicia et suffragia, accurate Nobis exponeret.

Pont. certas ad id Regulas perpetuo servandas statuere deliberat.

§. 2. Sed quoniam compertum est Nobis, atque exploratum, multas Librorum proscriptiones, praesertim quorum Auctores Catholici sunt, publicis aliquando injustisque quaerelis in reprehensionem adduci, tanquam si temere ac perfunctorie in Tribunalibus Nostris ea res ageretur; operae pretium duximus, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, certas firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps Librorum examen judiciumque peragatur; tametsi plane affirmari posset, idipsum jampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia aequipollenti, constanter actum fuisse.

Inquisitionis Congregatio quibus viris constet, quibusve de rebus in ea agatur.

§. 3. Porro Romanae Universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii Sacrae Theologiae, alii Canonici Juris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanae Curiae exercitatione, prudentiae demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanae Curiae Praesulibus, quem Assessorem vocant; unus etiam ex Ordine Praedicatorum Sacrae Theologiae Magister, quem Commissarium appellant; cer-

tus praeterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero Saeculari ac Regulari assumuntur; alii demum praestantes doctrina Viri, qui a Congregatione jussi, de Libris censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in praefata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de Causis Fidei, ac de Personis violatae Religionis reis. At cum Librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; Nos, inhaerentes Decreto lato ab eadem Congregatione Feria quarta Kalendis Julii Anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a Nobis confirmato Feria quinta insequente, hac ratione et methodo judicium institui mandamus.

Methodus a Congregatione Inquisitionis servanda in librorum proscriptione.

§. 4. Primo nimirum uni ex Qualificatoribus aut Consultoribus a Congregatione designando, Liber tradatur, quem is attento animo legat ac diligenter expendat, tum Censuram suam scripto consignet, locis indicatis et paginis, in quibus notati errores continentur. Mox Liber cum animadversionibus Revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis Feriis secundis in Ædibus Sancti Officii; de Libro et Censura Sententiam dicant: Ipsa deinde Censura, cum Libro, et Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in Congregatione, quae Feria quarta haberi solet in Fratrum Praedicatorum Coenobio Sanctae Mariae supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab Assessore Sancti Officii Acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvetur.

Ulterioris cautelae adhibendae, si de Auctoris Catholici libro agatur.

§. 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut Auctoris Catholici Liber non unius tantum Relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam praefati Decreti mensis Julii Anni Millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari, ita ut si primus Censor Librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eamdem sententiam conveniant, nihilominus alteri Revisori ab eadem Congregatione electo Liber et Censura tradantur; suppresso primi Censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus Revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de Libro decernant: At si secundus a primo dissentiat, ac Librum dimittendum existimet, tertius eligatur Censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem Relatio, si a priore Consultorum Sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant. Sin minus, iterum Consultores, perspecta tertia Censura suffragium ferant; idque una cum omnibus praefatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in Libro agitur, gravitatem, vel quia id Auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, Libri judicium coram se ipso in Congregatione Feriae quintae habendum decrevit; quod saepe a Nobis factum fuit, et quoties ita expedire judicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus Libri censuras, et Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis Feriae quartae, ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus: Nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

Indicis Congregatio, ceraque ejus dem munera

§. 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus praeditos, quibus S. Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem Congregationis Praefectus existit; Assistens vero perpetuus est Magister Sacri Palatii; Secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in praesentem diem, ex Ordine Fratrum Praedicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt praeterea ex utroque Clero Saeculari et Regulari ejusdem Congregationis Consultores, et Relatores selecti; et quidem, ubi aliquis Librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio, laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

Iterata Pontificis consilia de sta

§. 7. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea Nos subiit cogitatio, ut certam aliquam

et immutabilem methodum pro examine judicioque Librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti Filii Nostri Angeli Mariae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Quirini nuncupati ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecarii, et dictae Congregationis Praefecti, qui pari prudentia et doctrina suum. Nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquot ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto Filio Josepho Augustino Orsi Ordinis Praedicatorum, tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quae pariter scripto concepta, Nobis jam tunc exhibita fuit. Cumque haec omnia diligenter apud Nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem Nostram resumentes, quemadmodum ea, quae ad librorum examen, atque judicium in primodicta Congregatione Sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate Nostra constabilivimus; ita etiam ea, quae ad Congregationem Indicis, et ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possunt, opportunis Decretis constituere volentes, praelaudati Cardinalis Praefecti consiliis, dictorumque Consultorum votis inhaerendo, haec deinceps servanda decernimus.

§. 8. Cum Congregatio Indicis ad Librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera Sancti Officii Congregatio, quae ob causarum et negotiorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea Secretario peculiare munus et officium recipiendi Librorum denunciationes, ut fieri jam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a Libri Relatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet; tum Librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositae accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, praevia Summi Pontificis, aut Cardinalis Praefecti, vel ejus, qui Praefecti vices supplet, approbatione eligendis: Quorum collato consilio, si Liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis Relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in Libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus Censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, Nos autem *Praeparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad Librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam saepius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra praedicti Coenobii Ædes, ubi is commoratur. Eique semper intererit Magister Sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti et materiae, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, et de Relatore constitutum est, a Secretario eligendi; praeter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum Relatoris Censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quae superius statuta sunt pro Congregatione Sancti officii circa Librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem Sancti officii pertinet, de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties haec Librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, praevia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

Subsequitur Congreg. praeparatoriae examen.

Quinam huic intersint, et quando, ac ubi convocanda.

Postremum Generalis Congreg. Judicium a Secretario Pontifici deferendum.

§. 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola Librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda adjudicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quae tamen ab altera etiam Congregatione Sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiae se offerant, aeque observanda erunt. Quotiescumque agatur de Libro Auctoris Catholici, qui sit integrae famae, et clari nominis, vel ob alios editos Libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat; prae oculis habeatur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi Librum, adjecta clausula — *Donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave

Clausula, DONEC LIBER CORRIGATUR quando prescript. decreto apponenda.

quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur Decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum Auctore, vel quovis altero pro eo agente, et rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo Auctoris nomine compareat, vel ipse aut alter pro eo agens, injunctam correctionem Libri detrectet, congruo definito tempore Decretum edatur. Si vero idem Auctor, ejusve Procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit Libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis Decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primae editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundae vero jam emendatae permissa.

Auctor Catholicus libri ad examen delati non necessario, sed recte tamen auditur, vel operis Defensor ex officio deputatur.

§. 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod Librorum judicia et proscriptiones, inauditis Auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelae responsum fuisse novimus, nihil opus esse Auctores in judicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo Fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod nocua Librorum lectione facile incurritur; Si qua vero ignominiae labe Auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex Libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi Librorum prohibitiones, inauditis Auctoribus, factas; quum praesertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinae suae defensione potuisset Auctor afferre, id minime a Censoribus, atque Judicibus ignoratum, neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod saepe alias, summa aequitatis et prudentiae ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de Auctore Catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel Auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui *ex Officio* Operi patrocinium, defensionemque suscipiat.

Casus pr pou. in qu bus licet datis Regu nonnihil r cedere.

§. 11. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione Sancti Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de Libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur; quod erit Nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet Feria quinta coram Nobis habeatur; sic et Indicis Congregationi praesentiam Nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel Haeretici hominis Liber denunciatur, in quo Auctor errores Catholico dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur; vel Opus aliquod in examen adducitur, quo rectae morum regulae labefactantur, ac vitiis, et corruptelis fomenta praebentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed haeretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis Decretum illico sanciendum erit, juxta primam, secundam, et septimam Indicis Regulas, Sacrosancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

Secretu omnibus Congr. Jud cis senate tiam feren bus impon tur, ad inst Congreg. Officii.

§. 12. Cum in praelaudata Congregatione Sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; Nos hanc eamdem silentii legem a Relatoribus, Consultoribus, et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam praecipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in Libros censurae subjectos, eorum Auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat; suppressis semper Denunciatoris, Censorisque nominibus.

Quales e se oporte Revisores Consult. Congreg.

§. 13. Examinandis, corrigendisque Libris peropportuna sunt, quae decem Regulis Indicis a Patribus Tridentinae Synodi confectis, atque editis continentur. In Instructione autem felicis recordationis Clementis Papae VIII. ejusdem Regulis adjecta, *Tit. de correctione Librorum* §. *V.* Episcopis, et Inquisitoribus cura committitur, ut ad Librorum edendorum examen *spectatae pietatis et doctrinae Viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.* His porro virtutibus animique dotibus, si non majori, at pari certe de causa, praestare opor-

tet hujus nostrae Congregationis Revisores, et Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitae integros, probatae doctrinae, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui aequitatem, libertatemque judicandi, cum prudentia et veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus et constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat: Hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores, ex utroque Clero, Saeculari nempe, et Regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra et profana eruditione praestantes, ut ex eorum coetu, pro varietate Librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque judicium.

§. 14. Ipsos autem Regulares, Consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, judicioque Librorum, sequentes Regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

§. 15. I. Meminerint, non id sibi muneris onerisque impositum, ut Libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum judicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§. 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum, et consulendum in praedicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas Libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices judicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a Censore aut Consultore electo, ex ipsa Libri lectione deprehendatur; noverit is, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut Secretario aperiat, seque ad ferendam de hujusmodi Libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: Quo tantum abest, ut existimationis suae dispendium apud Pontificem et Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, et candoris opinionem et laudem sibi sit conciliaturus.

§. 17. III. De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque Libro contentis, animo a praejudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse sciant. Itaque Nationis, Familiae, Scholae, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum Generalium Decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, et Orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant; hoc de caetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quae uni Scholae, Instituto, aut Nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo Fidei aut Religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris rejiciuntur atque impugnantur, oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quae unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

Neque ad proprii instituti, sive Scholae opinionem, sed ad Ecclesiae Dogmata, et communem Catholicorum doctrinam exigatur.

§. 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero Auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius Liber legatur; quaeque diversis in locis posita et collocata sunt, inter se comparentur; universum praeterea Auctoris consilium et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quae in eodem Libro continentur, considerata et expensa, de eo pronunciandum esse: Saepe enim accidit, ut quod ab Auctore in aliquo Operis loco perfunctorie, aut suboscure traditum est, ita alibi in loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offusae priori sententiae tenebrae, quibus involuta, pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

Omnibus perspectis, ac simul expensis, efformetur.

§. 19. V. Quod si ambigua quaedam exciderint Auctori, qui alioquin Catholicus sit, et integra Religionis doctrinaeque fama, aequitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne,

Ambigua dicta Catholici, probatique Auctoris in aequam partem accipiantur.

quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§. 20. Has porro, similesque regulas, quae apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant Censores et Consultores; quo valeant, in hoc gravissimo judicii genere, conscientiae suae, Auctorum famae, Ecclesiae bono, et Fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quae hoc loco adjungenda omnino esse judicamus.

Quid de libris statuendum, in quibus reprobata dogmata afferuntur, nec refutantur.

§. 21. Prodeunt aliquando Libri, in quibus falsa et reprobata dogmata, aut sistemata, Religioni vel moribus exitiosa, tanquam aliorum inventa et cogitata, exponuntur et referuntur, absque eo quod Auctor, qui Opus suum pravis hujusmodi mercibus onerare fategit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni aut censurae obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut ajunt, opinionibus nihil ipsi affirment, sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo et consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in Tribunalibus ad coercenda crimina institutis jus dicunt; dubitari certe non potest, magnam ejusmodi Libris in Christianam Rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis Lectoribus venena propinent, nullo exhibito vel parato, quo praeserventur antidoto. Subtilissimum hoc humanae malitiae inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur; quam diligentissime Revisores advertant, ac censurae subjiciant; ut, vel hujusmodi Libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur, vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

Jurgia et convicia a dissidentibus Auctoribus adhibita expungantur.

§. 22. In ea, quam superius laudavimus, Praedecessoris Nostri Clementis Papae VIII. Instructione, *Tit. de Correctione Libror.* §. 2. sapientissime cautum legitur ut *quae famae proximorum, et praesertim Ecclesiasticorum, et Principum, detrahunt, bonisque moribus et Christianae disciplinae sunt contraria, expungantur.* Et paulo post: *Facetiae etiam, aut dicteria, aut praejudicium famae, et existimationis aliorum jactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum lucemque hominum Libri ejusmodi in hac temporum licentia, et pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes Auctores mutuis se jurgiis, conviciisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios, eorumque Scholas, ac Coetus sugillant, et pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, haereticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se Catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, praesertim cum Librorum numerus continenter augeatur — *Faciendi enim plures Libros nullus est finis*, ut est apud Ecclesiasten *Cap.* 12.; compertum praeterea Nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse: modum tamen in defendendis opinionibus, et Christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Augustinus in Enchirid. cap. 59. prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se credere, quod nesciunt.* Qui veritatis studium, et purioris doctrinae zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicae mansuetudinis, et Christianae Charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est: non irriratur, non aemulatur, non agit perperam, (utque addit idem Augustinus, Lib. contra Literas Petiliani Cap. 29. n. 31.) — *Sine superbia de veritate praesumit, sine saevitia pro veritate certat* — Haec magnus ille non veritatis minus, quam charitatis Doctor, et scripto et opere praemonstravit. Nam in suis adversus Manichaeos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiae adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavit, ne quempiam eorum injuriis, aut conviciis laederet, atque exasperaret. Qui secus scribendo, vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi praecipue cordi esse, nec charitatem sectari se ostendit.

Nec cuiqu liceat suas piniones luti Eccles dogmata v ditare alie erroris i mulare.

§. 23. Ii quoque non satis idoneam justamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres Doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur; Nam si carpere novos audeant, forte ab laedendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent, quod praeclare animadversum est ab Auctore Operis imperfecti in Matthaeum Homil. 42. *Cum audieris*, inquit, *aliquem beatificantem antiquos Doctores; proba qualis sit circa suos Doctores: Si enim illos, cum quibus vivit,*

sustinet, et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset. Si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, et illos contempsisset. Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter ac sapienter a Ven. Servo Dei Praedecessore Nostro Innocentio Papa XI. praescriptum est in Decreto edito die secunda Martii Anni Millesimi sexcentesimi septuagesimi noni — *Tandem*, inquit, *ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum abstineant, ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctae Obedientiae eis praecipit, ut tam in Libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, ac praedicationibus, caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quae adhuc inter Catholicos controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitae sint, et super eis judicium proferatur* — Cohibeatur itaque ea Scriptorum licentia, qui, ut ajebat Augustinus Lib. 12. Confes. Cap. 25. num. 34. *Sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est*, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiae Dogmata, a quopiam in Libris obtrudi, opposita vero erroris insimulari; quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter Doctores aut feruntur, aut foventur, et Christianae charitatis vincula persaepe obrumpuntur.

gelici
oris,
dum
oitur.

§. 24. Angelicus Scholarum Princeps, Ecclesiaeque Doctor, S. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Caeteras vero tanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter demereri; Nam si quid durius, ambiguum, obscurumque eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando, emolliebat atque explicabat. Si autem Religionis ac Fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet, ac refutaret, tanta id praestabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam Catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari Magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu, studioque, gaudemus) ii sibi ad aemulandum proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi disputandique rationem. Ad hanc caeteri quoque sese componere studeant, qui ab ejus Schola doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositae sunt: Cumque Angelicus Doctor Sanctorum Albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen in contrariam in agendo, ac disputando rationem ínire omnino non licet. Nimium interest publicae tranquillitatis, proximorum aedificationis, et Charitatis, ut e Catholicorum scriptis absit livor, acerbitas, atque scurrilitas, a Christiana institutione ac disciplina, et ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in hujusmodi Scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant Revisores Librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo et potestate coerceant.

Ediciturque ut nimia coerceatur Scriptorum licentia.

§. 25. Quae hactenus a Nobis proposita ac constituta sunt, Praedecessorum Nostrorum Decretis plane consona, Congregationum quoque Nostrarum legibus et consuetudinibus comprobata, in Librorum examine ac judicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus; Mandantes universis et singulis, qui in praefatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam praestant, ut adversus praemissa sic a Nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare praesumant, absque Nostra, vel Successorum Nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

Religiosa injungitur praemissorum observantia.

§. 26. Non obstantibus contrariis quibusvis etiam Apostolicis Constitutionibus, et ordinationibus, necnon earumdem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis Decretis, usibus, stilis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Derogatio contrariis.

§. 27. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrorum Decretorum, Mandatorum, Statutorum, voluntatum ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Dat. die 9. Julii 1753. Pontif. anno XIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die 23. ejusdem Mensis et Anni.

XX.

VENERABILIBUS

Fratribus Metropolitae, Archiepiscopis, et Episcopis Nationis Ruthenae in Regno Poloniae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pontificis studium erga Ruthenorum Nationem.

Quae, Venerabiles Fratres, pro pristino inclytae Nationis vestrae Ruthenae decore conservando, confirmanda Catholicae Religionis adversus Schismaticos constantia vestra, dissidiis sive componendis, sive propulsandis, rationibusque Dioecesum vestrarum adaugendis a Nobis, nostroque nomine a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum adhibita fuerunt Apostolicae providentiae remedia, et auctoritatis officia, Nos facile adducunt, ut credamus, vobis satis superque comprobasse, quanti Nationem vestram faciamus.

Specialis cura pro Clericorum Ruthenorum educatione in Seminario Wilaensi.

§. 1. Verum fore in Domino confidimus, ut incredibilem Pontificiae caritatis, qua eamdem catholicam Nationem Ruthenam prosequimur, magnitudinem magis magisque intelligatis ex aliis Apostolicis nostris in simili forma Brevis literis die quinta Aprilis MDCCLIII. Pontificatus Nostri anno decimotertio ad futuram rei memoriam datis, quarum initium est: *Commendatissimum studium:* et quarum exempla typis ejusdem Congregationis impressa una insimul hisce nostris, typis etiam dictae Congregationis impressis, adligata ad vos transmittenda mandamus. Porro praeter easdem literas nostras in mandatis dedimus, ut pro magis consentaneo Adolescentibus vestrae Nationis in Collegio Wilnensi juxta ritum vestrum instituendis profecto a laudata Congregatione de Propaganda Fide Constitutiones, et Regulae edantur, quae ad majorem utilitatem, quemadmodum Nobis in Domino auguramur, profuturae censentur.

Cujus Constitutiones et Regula quamprimum edendae nuncia tur.

Episcoporum zelus excitatur, ut Cleri Secularis praecipuam curam suscipiant.

§. 2. Sed omnia et singula a Nobis sive statuta hujusmodi, sive statuenda, timendum est, ne exoptatum a Nobis sortiantur effectum, nisi provida etiam Fraternitatum vestrarum solicitudo, assidua vigilantia, et accurata diligentia accesserit. Eapropter vos, Venerabiles Fratres, rogamus, et in Domino hortamur, ut primum omnium maximam Cleri secularis, in cujus subsidium Clerus Regularis vocatus fuit, curam alacriter suscipiatis susceptamque strenue urgere satagatis.

Clerus ignorantia torpet in Mag. care et in offi distributio ne negli tur.

§. 3. Vobis sane praesentibus magis, quam Nobis absentibus compertum est, ac rebus ipsis exploratum, quanta apud vos sit Cleri secularis ignorantia: quam non aliunde ortum, causamque habere non ambigimus, quam partim ex magistrorum illos edocentium penuria, partim ex nulla ipsis injuncta rerum gerendarum cura, partim ex nulla erga eosdem illorum, qui praesunt, diligentia et solicitudine, qua suaviter fortiterque ad studia capessenda, et negotia ecclesiastica obeunda oblectentur, et incitentur.

Synodus Zamosciae decrevit, quilibet Episc. Officialem secularem haberet.

§. 4. Ad haec omni procul dubio Venerabiles Fratres vestros, qui Synodum Zamosciae tanta cum Nationis vestrae laude, atque utilitate celebrarunt, extirpanda mala, et bona semina spargenda respexisse, pro certo habemus, cum sess. 3. tit. 7. *de officialibus*: statuerunt, ut quilibet Episcopus Officialem habeat secularem, si inter seculares quispiam ad hoc officium idoneus inveniatur.

Episcopi Rutheni ob sine cau Regularibu potius utu tur.

§. 5. Quoniam autem in sua quisque vestrum Dioecesi (sunt tamen, qui plures habent Ecclesias Cathedrales) quamplures retinere debet Ministros et Officiales, quorum opera in recta earumdem Dioecesum vestrarum procuratione, et negotiis uti valeatis, Fraternitates Vestrae viros Regulares potius, quam Seculares ad ministeria hujusmodi substinenda eligere optatis. Nec Nos, qui aequa lance res expendimus, fallit, Fraternitates vestras ideo

hanc tenere rationem, quod Regulares magis apti, et idonei apud vos reperiantur: nec propterea susceptum consilium institutumque vestrum damnamus; imo, sicut laudamus, ita ob oculos vobis ponere non omittimus, ex neglectu, ut ita dicamus, Cleri secularis ejusdem provenire ignorantiam. Quisque enim ex Clero seculari animum despondet, otioque diffluit, cum cogitat, Regulares potius constitui in iis muneribus obeundis, quae quilibet secularis non repente, sed paulatim sub Magistri et Praeceptoris disciplina instructus, et idoneus aliquando exercere possit.

Saecu- s negli- do ho- ı otium ignoran- ı fove- t.

§. 6. Pastoralis itaque sollicitudinis vestrae partes hac in re adimplendas esse in Domino existimamus, ut curam omnem, studiumque vestrum collocetis, ne Adolescentes Alumnos Nationis vestrae ex memorato Wilnensi Seminario deinceps, exacto studiorum curriculo, egressos, aliqua Ecclesiastici Ordinis et Officii procuratione destitui patiamini: sed statim quodcumque opus, quodcumque ministerium ad ecclesiasticas res pertinentia illis demandetis oportet, ut injuncto quisque priori muneri satisfacere, deinde ad majora per gradus etiam gravissima promoveri possit officia. Haec profecto agendi ratio tanquam lucidissimum exemplum ab aliis spectata unicuique (ducitur enim juventus maxima spe gloriae, et utilitatis) erit incitamento non levi, ut quisque, dummodo non sit ingenio malo, pravoque praeditus, bellum otio, vitiisque indicat, et ad labores perferendos, virtutesque assequendas hilari, promptoque animo contendat, et adnitatur. Verum commendationem hanc nostram, et exhortationem pro Alumnis Collegii Wilnensis ad Officia, et munera in Curiis vestris, quoad vobis integrum erit, promovendis non ita accipiendam esse volumus, et declaramus, ut iidem Alumni existiment, se ad illa officia, et munera dumtaxat eligi debere, sed in primis teneri, imo, quatenus opus fuerit, cogi etiam ad sustinenda, et administranda Parochorum onera, et animarum salutem procurandam.

que ipsis letur, ut ua Ecc. cia de- ident A- nis Se- arii Wil-

Qui tamen erint se ecipue ad marum am desti- os esse.

§. 7. Caeterum, Venerabiles Fratres, dum majora nobis a perspecta sapientia, prudentia, zeloque vestro pro certo pollicemur hac in re argumenta, Fraternitatibus vestris Apostolicam Benedictionem studiosae nostrae voluntatis pignus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Cajetanus Amatus.

JURISDICTIO XXI.

Rectoris Carpenctoraten. in Causis Civilibus, Criminalibus, et Mixtis, nec non in oeconomicis rebus definitur, ac circumscribitur.

Venerabili Fratri Nostro Silvio S. R. E. Cardinali Valenti Episcopo Sabinensi, Status nostri Ecclesiastici Secretario, ejusdem S. R. E. Camerario, et Congregationis Status nostri Avenionensis Praefecto.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Tibi prae caeteris Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Collegis tuis, Venerabilis Frater noster, quem in cunctis Apostolicae hujus Sanctae Sedis, et Catholicae Ecclesiae negotiis summa cum fide, sollicitudine, vigilantia, prudentia, ac zelo obeundis, transigendisque magna cum Pontificii animi nostri voluptate, ac levamine experimur alacrem, et integerrimum Ministrum, et Coadjutorem, rebus ipsis, in quarum omnium partem nobiscum advocaris, magis magisque compertum exploratumque est, quibus in dies Nos urgemur curis, quibus obruimur laboribus, ut praeter incredibilem omnium Ecclesiarum sollicitudinem, omnem operam studiumque in primis collocemus, quo, e medio sublatis dissidiis, litibus, et contentionibus Status nostri Ecclesiastici non solum Praesides, et Ministri, Gubernatores, Rectores, ac Vicelegati iis, quibus decet, observantiae et honoris argumentis inter se invicem prosequentes, collata sibi quisque munera pro dignitate, pace, ac tranquillitate exercere valeat; sed Cives etiam, et Subditi debita ipsis obsequia, et officia deferentes, eosdem majori cum veneratione spectent, adeant, et tanquam patres potius quam superiores diligant, et honorent.

Exordium.

§. 1. Quoniam autem, sicut jamdudum accepimus, et Fraternitati tuae perspectum est,

Controversiae inter Vice-legatum

Avenion. et Rectorem Carpenctoratens. exortae.

variae, nec contemnendae controversiae, ac dissensiones inter dilectos Filios Magistrum pro tempore existentem Vicelegatum nostrae Civitatis, et Status Avenionensis, ac pro tempore itidem existentem Rectorem nostrae pariter Civitatis Carpenctoratensis, et Comitatus Vindascini exortae sunt, quae non minus Jurisdictionem civilem, et criminalem ejusdem Rectoris, quam nonnulla honorificentiae jura respiciunt. Nos sane, ut justam, stabilemque hisce in rebus servandam normam, regulamque praescriberemus, qua fieret, ne futuris temporibus ullae prorsus hac in parte controversiae, et contentiones inter duos Apostolicae hujus Sanctae Sedis Ministros, etiam cum non levi publicae pacis, boni, atque utilitatis praejudicio, ac detrimento, exoriantur, particularem nonnullorum Cardinalium, et Romanae Curiae Praelatorum Congregationem deputavimus, apud quam iidem contendentes sua quisque rationum momenta controversaque jura adduxit.

Definiuntur a Pontifice nihil laesis, immo confirmatis Civium privileg.

§. 2. Hisce vero omnibus accurate discussis, et expensis, atque ad Nos relatis, ac per Nos pariter consideratis; in eam tandem devenimus resolutionem, determinationem, ac sententiam, ut infra, aperte tamen declarantes per infra statuendam resolutionem, determinationem, et sententiam ne minimam quidem laesionem, aut praejudicium privilegiis, et exemptionibus a quibuscumque Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris quocumque tempore dilectis Filiis habitatoribus Comitatus Vindascini, et Civibus dictae Civitatis Carpenctoratensis quomodolibet concessis illatum esse, aut fore inferendum; quin imo privilegia, et exemptiones hujusmodi (dummodo actu sint in usu, et viridi observantia) tenore praesentium Apostolica auctoritate expresse confirmamus, et quatenus opus sit, iterum concedimus.

Rectoris Ordinaria Jurisdict. in Causis Civilibus, Criminal. et Mixtis.

§. 3. Itaque motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, et Apostolica quoque auctoritate volumus, statuimus, et mandamus, ut modernus, et pro tempore existens Civitatis Carpenctoratensis, et Comitatus Vindascini Rector, quippe qui per Apostolicas in simili forma Brevis Literas a Romano pro tempore existente Summo Pontifice deputatur, et constituitur, eam Jurisdictionem habeat, atque exerceat, quae eidem praescripta reperitur in Apostolicis sub plumbo literis anno MD. a fel. rec. Julio Papa II. Praedecessore nostro datis, nimirum ut non solum ipse modernus Rector a Nobis alias deputatus, et constitutus, verum etiam alii deinceps a Successoribus nostris Romanis Pontificibus in futurum in Civitate Carpenctoratensi, et Comitatu Vindascino deputandi, et constituendi ordinariam suam tam in Causis civilibus, quam criminalibus, ac mixtis Jurisdictionem, sub infra statuendis tamen modificationibus, omnino exercere possint, ac valeant.

In Crim Sentent. Decreta no exequitur nisi confir mata sit Congregatio ne Crimina li, et Vice Legato.

§. 4. Ac primum quidem, ut in Causis criminalibus, in quibus poena corporis afflictiva necessario infligenda erit, ipse Rector suam sententiam, sive Decretum, quamvis inquisiti ad nostram Avenionensem Legationem minime appellent, executioni demandare non valeat, nisi prius Sententia, sive decretum ejusmodi fuerit expensa, vel expensum, atque confirmata, vel confirmatum a solita Congregatione Criminali in eadem Civitate Avenionensi; et ab ipso Magistro Vice-legato nostro, a quo in hujusmodi jurisdictionis exercitio memoratus Rector dependere debet, ac tenetur.

Qui causa Criminales et Processu confectionem potest Rectore avocare.

§. 5. Deinde, ut idem Rector Causas criminales tunc dumtaxat cognoscat, earumque processus conficiat, cum Magister Vice-legatus saepedictus cognitionem, confectionemque hujusmodi ad se avocare nolit; ita tamen, ut avocatio cognitionis, confectionisque praefatae justis de causis, facienda minime interdicta censeatur Legatis, sive Vice-legatis Avenionensibus, juxta resolutionem ab hac Congregatione nostra Avenionen. die IX. mensis Septembris anno MDCCIV. initam, et praeceptam.

Quas causas civiles cognoscat Rector in prima instantia.

§. 6. Praeterea quoad Causarum civilium cognitionem, quae quidem respiciunt Cives et habitatores Civitatis, et districtus Carpenctoratensis, debet ipse Rector tanquam Judex ordinarius in prima Instantia procedere, dummodo ad quemlibet litigantium non competat privilegium legis *Unica*, vel aliud legale privilegium, cujus vigore de Jure valeat forum Judicis ordinarii declinare, et immediate ad superiorem Judicem appellare.

Quasve in secunda vel ulteriori.

§. 7. In iis vero Causis civilibus, de quibus jam Baronales Judices, aliique Judices, et Tribunalia subalterna suam protulerunt sententiam, ad eumdem Rectorem cognitio causarum in secunda, vel tertia instantia competit, si Reus, omisso medio immediate ad Tribunal Vice-legati appellare nolit.

rthelli si-citatio-: quando esse sit ce-Legati nu subsc.

§. 8. Insuper quod in Causis criminalibus tunc dumtaxat necessarium sit Carthellos, sive Citationes propria manu Vice-legati subscribi debere; cum agi contingit de impedienda, sive suspendenda prosecutione processus in sua ordinatoria, quemadmodum in sua Regula, sive ordinatione anno MDCLX. proposita bon. mē. Magister Nicolinus praescripserat.

id si aga-de appel-one a tentia Decreto ositivo ctoris.

§. 9. Secus vero in caeteris casibus, videlicet cum agitur de Recursu, sive appellatione a quolibet Decreto, sive Sententia definitiva Rectoris ad Vice-legatum faciendo, sive interponenda, hujusmodi subscriptio Vice-legati haud necessaria reputatur, cum satis sit simplex, vel authenticum Decreti, sive Sententiae exemplar producere, vel exhibere.

tationes a e-legato, a Curia nana ex-itae non t.

§. 10. Porro volumus, et mandamus, ut Carthelli, Citationes, et Mandata quaecumque, a Vicelegatione Avenionensi, multo magis ab hac Romana Curia expedita, in Civitate Carpenctoratensi, et universo Comitatu Vindascino, absque ulla prorsus Rectoris fortasse praetendentis *Visa*, sive *Exequatur*, debitae executioni demandari possint, et debeant.

ice-legati tabellas onum ap-are.

§. 11. Ad Vice-legatos sanè pro tempore existentes spectat, atque ipsi debent recognoscere, et approbare tabellas rationum non solum saepedictae Civitatis Carpenctoratensis, verum etiam omnium Communitatum Comitatus Vindascini; neque ullam de quacumque alia recognitione, et approbatione, a quocumque sive facta, sive facienda rationem habere.

ctores in-ulto Vi-egato imenta propo-t.

§. 12. Rectores vero pro tempore existentes nequeunt proponere, et publicare, neque bannimenta quaecumque pro Gubernio, etiamsi oeconomico Civitatis Carpenctoratensis, neque Bannimenta, neque Edicta generalia, quae Comitatum Vindascinum respiciunt, nisi prius Vice-legati, de iisdem instructi, eadem approbaverint.

§. 13. Rectores pariter, neque in publicis Actis, neque in qualibet etiam occasione debent sibi tribuere titulum, sive denominationem Gubernatoris Comitatus, sed dumtaxat Rectoris Carpenctoratensis, et Comitatus Vindascini; quemadmodum neque debent praetendere, et uti titulo Illustrissimi, et Reverendissimi insimul, sed solo Illustrissimi; neque uti, et deferre habitum Praelatitium, sive violaceum, sive nigrum, cum Rocheto, et Mantelletta, quamvis privilegio Notarii, Prothonotarii nuncupati, insigniti.

§. 14. Volumus tamen, iis in locis, et casibus, in quibus de praeterito Rectores per abusum habitum ejusmodi Praelatitium deferre consueverant, deinceps nonnisi uti Mantellone violaceo, ad instar nostrorum Cubiculariorum ab honore dictorum.

§. 15. Nunquam Rectoribus licitum esse volumus, quinimo inhibemus dare quoscumque *salvos conductus*, sive *concessiones Territorii* dictas, iis, qui sibi perfugium quaerunt in Comitatu Vindascino; elargimur tamen ipsis facultatem concedendi formulam illam *Pareatis*, vel *Exequatur* in casibus civilibus tantum, dummodo fuerint requisiti per solitas literas requisitoriales a Judicibus, sive aliis personis, diverso dominio subjectis. SALVOS CONDUCTUS concedere nequeunt.

§. 16. Itidem Rectoribus inhibitum esse declaramus, se se in rebus ad Cameram Carpenctoratensis Civitatis, et Comitatus Vindascini pertinentibus quomodolibet immiscendi, et ingerendi; cum negotia hujusmodi ad Praesidentem Apostolicae Camerae Carpenctoratensis dumtaxat spectent. Nec se immiscere rebus spectantibus ad Cameram Carpenctoratens. et Vindascinam.

§. 17. Quoad autem propinas in casibus a Rectoribus percipiendas, exigendasque, servetur omnino taxa statuti, et taxa quoque clar. mem. Octavii Cardinalis Aquaviva. In propinis quae taxa servanda.

§. 18. Quoad vero homagia obedientiae, et fidelitatis a tribus Venerabilibus Fratribus Comitatus Vindascini Episcopis, et Baronibus, et Feudatariis Feuda in eorum Comitatu possidentibus, et a Consulibus, Magistratibus, et Universitatibus praestanda, nomine Apostolicae hujus Sanctae Sedis excipere possunt Rectores; solo dumtaxat induti habitu praedicto Mantellone, quo utuntur nostri ab honore Cubicularii. Homagia tamen excipiunt nomine S. Sedis.

§. 19. Porro electio, et deputatio Ministrorum Justitiae, aliorumque Officialium Carpenctoratensis Civitatis praeter unicos lictores, Satellites sive Apparitores, Birri dictos, a Rectoribus eligendos, et deputandos, iisdem inhibita quoque est. Quos deputent Justitiae Ministros.

bus titu-et insi-us utan-

§. 20. Electionem vero Consulum ipsius Civitatis Carpenctoratensis, quae alias ita fieri solebat, nimirum, ut ex tribus personis per Rectores propositis una a Consilio Carpenctoratensi eligeretur in Consulem, volumus, et mandamus, ita deinceps habendam esse, ut tres personae a Rectoribus proponendae, prius a Vicelegatis approbatae esse debeant, ac sint. Consulum Electioni forma praescribitur.

§. 21. Quamvis demum deliberationes quas-

Deliberationes Consilii Civitatis Carpenctoraten., et Comitatus Vindascini a quibus probandae.

cumque a Consiliis tam Civitatis Carpenctoratensis, quam omnium Communitatum Comitatus Vindascini, etiam oneribus, sive impositionibus Censuum, Tributorum, vulgo Tagliarum, sive Collectarum, atque aliorum similium antehac susceptas factasque, Rectores pro tempore existentes approbare et confirmare soliti fuerint; tamen, attentis abusibus, et inordinationibus, quae usque ad hanc diem intercesserunt, volumus pariter, et mandamus, ut deinceps cum deliberationes hujusmodi Consiliorum videantur complecti, et continere considerabiles sumptus, et onera, sive impositiones Censuum, novorumque Tributorum, sive Tagliarum, Collectarumque, dictae deliberationes expresse approbari, et confirmari debeant vel a Vice-legatis, vel ab ipsa Congregatione Avenionensi; nec umquam sufficiat approbatio, et confirmatio Rectorum.

Designatur Executor cum facultatibus.

§. 22. Quocirca, ut omnia, et singula antedicta a nobis declarata, statuta, praescripta, ac mandata, debitae executioni demandentur, et serventur exactius, Tibi, Venerabilis Frater noster, committimus, et injungimus, ut pro tua, et nostra in praemissis auctoritate praesentes nostras literas, postquam typis impressae fuerint, in ipsa Civitate nostra Avenionensi, et Civitatibus, et locis Carpenctoratensis, et Comitatus Vindascini publicari et proponi, exactamque omnium et singulorum in ipsis Literis nostris contemptorum dispositionem observari facias, cures, et praecipias; contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; Tibi namque, venerabilis Frater noster, facultates omnes ad hujusmodi negotium necessarias, et opportunas, motu, et potestate, et auctoritate similibus impertimur.

Firmat superius Statuta.

§. 23. Decernentes praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, obtinere, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra, et Cancellariae nostrae Apostolicae regula de Jure quaesito non tollendo, dictarumque Civitatum et Comitatus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatur contrariis.

§. 24. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quae ipsis Praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Fides exemplis asseritur.

Interim Fraternitati tuae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Augusti MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Dat. Pont. anno XIV. die 28. Aug. 1753.

Cajetanus Amatus.

Loco ✠ Sigilli.

LITERÆ APOSTOLICÆ XXI.*

Per quas designantur usus, et applicationes Bonorum a quondam Martha Dominica Bovetti Porta Taurinen. relictorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dum pias Christifidelium defunctorum voluntates, Apostolicae auctoritatis nostrae praesidio, ita tueri studemus, ut ad divini cultus augmentum, Ecclesiaeque Sanctae utilitatem, suum debitum sortiantur effectum; si tamen eorum vota id maxime spectasse intelligimus, quod certis objectis difficultatibus, ad optatam executionem perduci nequeat; minime recusamus in locum eorum, quae nusquam implenda fore dignoscuntur, alia pia opera subrogare, quae Testatorum menti, ac rerum, et tem-

porum conditioni magis convenire judicamus; ut nec eorum piae voluntatis fructus pereat, et majori Divini Nominis gloriae, Piorum Locorum emolumento, ipsorumque defunctorum suffragio consulatur; prout, omnibus diligenter cognitis, et mature pensatis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Sane ex parte Dilecti Filii Caroli Antonii Saccarelli Presbyteri Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis expresse professi, et Causae Canonizationis Beatae Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Ordinis Monialium Visitationis Beatae Mariae Virginis Fundatricis Postulatoris, Nobis nuper expositum fuit, quondam in humanis agentem Martham Dominicam Bovetti, dum viveret, Viduam relictam quondam Hieronymi Ludovici Porta Taurinen. in sua ultima, sub qua ipsa ab humanis decessit, Testamentaria dispositione sub die decimaseptima Decembris Anni Domini millesimi septingentesimi quinquagesimi exarata, post electionem Sepulturae, et nonnullorum suffragiorum ordinationem, spe fretam, Dilectum etiam filium Josephum Bartholomaeum Muzio Presbyterum Taurinen., seu alterius Civitatis, vel Dioecesis, pia opera, quae ipsa illi secreto significaveverat, adimpleturum fore, dictum Josephum Bartholomaeum in omnibus suis bonis, juribus, et actionibus, ubicumque essent, et consistere possent, suum universalem Haeredem instituisse: Deinde vero post dictae Marthae Dominicae obitum, eumdem Josephum Bartholomaeum, cui, ut praedictae piae Testatricis mentem declararet, authoritate Venerabilis fratris Nostri Archiepiscopi Taurinen. demandatum fuerat, sub die quarta mensis Aprilis proxime praeteriti, per Scripturam proprio ipsius Josephi Bartholomaei charactere subscriptam declarasse, quod omnia Bona Haereditaria dictae Marthae Dominicae, detractis legatis ab ipsa Testatrice specialiter volitis, eidemque significatis, valorem in proprietate librarum centum quinquaginta septem millium monetae illarum partium constituebant, ac illorum redditus ad sex mille quingentas libras dictae monetae circiter annuatim ascendebant, quodque voluntas dictae Marthae Dominicae ea fuerat, et erat, ut ipse Joseph Bartholomaeus novam summopere ab ipsa dum viveret exoptatam in Civitate Taurinen. erectionem alterius Monasterii Monialium praedicti Ordinis Visitationis B. Mariae Virginis procuraret, ac pro Monasterii erigendi hujusmodi Dote, omnia dicta Bona Haereditaria assignari deberent, suspensa tantum traditione illius partis fundi, ex qua provenire possent annuae summae, pro solutione legatorum, quae ipsa ad certum tempus, seu ad nonnullarum personarum vitam persolvenda mandaverat, quousque illa perdurassent. Interim vero, ac quatenus erectio hujusmodi non ultra Decennium ex tunc proximum differretur, redditus praedicti, comprehensa etiam rata fructuum, quae ex cessatione dictorum Legatorum obvenire posset; praevia praedicti, et tunc existentis Archiepiscopi Taurinensis approbatione; pro una, in augmentum Assis Haereditarii dictae Marthae Dominicae, in aliis fundis fructiferis investiri, pro altera vero medietatibus dictorum reddituum, in subsidia Dotalia pro Puellis, quae in aliquo Monialium Monasterio profiteri vellent, et in earum defectum, in subsidia pro Puellis in Matrimonium collocandis, impendi deberent: Si quid autem reliquum foret, in eleemosynas distribueretur. Elapso autem Decennio, dictum augmentum cessaret, ac integri redditus in Subsidia Dotalia, et eleemosynas, prout supra, cum praelatione ad dicta Subsidia consequenda aliquarum Personarum, convertendi essent. Ac tandem, quatenus erectio hujusmodi durante vita dicti Josephi Bartholomaei minime peracta fuisset, tunc dicta Bona haereditaria ad Monasterium Monialium praedicti Ordinis in dicta Civitate Taurinen. jam erectum transire deberent; cum expressa tamen obligatione procurandi novam alterius Monasterii hujusmodi erectionem, illique omnia Bona praedicta applicandi, ac interim, quousque nova erectio hujusmodi fieret, reservata pro eodem Monasterio annua summa mille librarum dictae monetae, reliqui fructus in dotalia subsidia, et eleemosynas, ut praefertur, erogari deberent, idque fieret donec dicta nova sequeretur erectio: Prout in dicta Testamentaria dispositione, ac ejusdem Josephi Bartholomaei declaratione, quarum authentica exempla nobis fuerunt exhibita, plenius respective continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ob varias, et graves causas, inter quas ea etiam recenseri debet, quod dicta Bona Haereditaria ad valorem in proprietate centum quinquaginta septem millium librarum mone-

tae praedictae ascendentia, quae triginta et unum millia scutorum monetae Romanae circiter constituunt, cum augmento quoque medietatis fructuum, qui per integrum decennium ex ipsis obvenire possunt, ad aedificandum ex integro Monasterium cum Clausura, et Ecclesia, et ad illius congruae Dotis constitutionem, imparia fore dignoscuntur, nova erectio hujusmodi ad effectum perduci nequeat; Nobis propterea per eumdem Carolum Antonium, infrascriptorum etiam Monasteriorum praedicti Ordinis nomine, humiliter supplicatum fuit, ut circa praemissa authoritatis Nostrae subsidium interponere dignaremur.

Nos autem, antequam quidquam super hac re decerneremus, de actuali subsistentia dictarum Causarum, aliisque opportune verificandis, uberiorem notitiam habere cupientes; tam dictum Archiepiscopum, quam dilectum Filium, Nostrum, et Apostolicae Sedis Nuntium in Civitate Taurinensi commorantem, super his audiendos censuimus: Ex quorum relationibus quum easdem Causas actu subsistere, ac demandatae erectioni in futurum quoque tempus plurimum impedimento fore deprehenderimus; omnibus rei circumstantiis mature perpensis, ne pia dictae Marthae Dominicae voluntas absque omni effectu permaneat, et interim Bona per ipsam relicta detrimentum aliquod patiantur, in hoc tandem consilium devenimus, ut omissa penitus novi Monasterii erectione, quam eadem Testatrix, hujusmodi difficultatibus minime praevisis, frustra exoptasse dignoscitur; factaque de illius Bonis haereditariis apta distributione, et assignatione diversis Monasteriis jampridem erectis Monialium praedicti Ordinis ab ea praecipue dilecti, juxta eorum indigentiam Nobis notam, aliasque considerationes animum Nostrum digne moventes, ejusdem Ordinis utilitati, et incremento, piis ejusdem Testatricis Votis, quantum fas esset, obsecundando, consuleremus.

Itaque praedictae Testamentariae dispositionis ejusdem Marthae Dominicae, nec non per dictum Josephum Bartholomaeum factae declarationis, integros tenores praesentibus pro expressis, ac totaliter insertis habentes; ac Causas propter quas voluntas dictae Marthae Dominicae, prout a dicto Josepho Bartholomaeo declarata fuit, vel nullo modo, vel saltem non sine maxima difficultate ad effectum perduci valeat, pro justificatis, et verificatis habentes, itaut ad illarum justificationem, et verificationem nemo deinceps etiam perpetuis futuris temporibus teneatur; Necnon eidem voluntati dictae Marthae Dominicae per dictum Josephum Bartholomaeum, ut praefertur, declaratae, significatae, et expositae, de Apostolicae auctoritatis plenitudine derogantes, eamque, prout infra, commutantes; ac Dilectas in Christo Filias infrascriptorum quinque Monasteriorum Superiorissas, et Moniales, a quibusvis Excommunicationis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; Motu proprio et ex certa scientia, ac de ejusdem Apostolicae potestatis plenitudine, juxta modum infrascriptum, de integro dictae Marthae Dominicae Asse Haereditario disponere statuimus: Videlicet, quoad ea Bona Assis haereditarii hujusmodi, quae in Locis Montium Civitatis Taurinen. consistunt, quaeque ad valorem in proprietate librarum sexaginta millium monetae primodictae ascendunt, et scuta duodecim millia monetae Romanae praedictae constituunt, Illa pro una rata viginti duarum millium et quingentarum librarum monetae primodictae, summam scutorum quatuor millium et quingentorum monetae Romanae constituentium, Monasterio *primo* nuncupato Monialium praedicti Ordinis Oppidi Annecii Gebennen. Dioecesis, in cujus Ecclesia Corpora Sancti Francisci Salesii Episcopi, et dictae Beatae Joannae Franciscae pia Fidelium veneratione coluntur: Item pro alia rata librarum decem millium monetae primodictae, constituentium scuta bismille monetae Romanae hujusmodi, Monasterio *secundo* nuncupato Monialium ejusdem Ordinis Oppidi praedicti: Item pro alia rata aliarum librarum decem millium monetae primodictae, etiam scuta bismille secundodictae Monetae constituentium, Monasterio ipsius Ordinis Loci de Rumillj, dictae Gebennen., seu alterius Dioecesis: Ac tandem pro reliqua rata septemdecim millium quingentarum librarum monetae primo dictae, constituentium scuta ter mille quingenta ejusdem monetae Romanae de juliis decem pro quolibet scuto, Monasterio Monialium saepedicti Ordinis Civitatis Augustae Praetoriae, vulgo *Valdosta*, cum omnibus, et singulis illorum respective fructibus hactenus de-

cursis, et inexactis, si qui sint, aut alias extantibus: Quo vero ad alia, et reliqua Bona dicti Assis Haereditarii in diversis Fundis consistentia, quaeque, ut accepimus, ad valorem librarum nonaginta septem millium monetae primodictae ascendunt, et scuta novendecim mille et quadringenta monetae Romanae constituunt; Illa, et omne id, quod ad Haereditatem dictae Marthae Dominicae spectat, et pertinet, ac quocumque titulo, et jure spectare potest, et poterit in futurum, praedicto Monasterio dictae Civitatis Taurinen. in cujus Ecclesia eadem Martha Dominica Sepulchrum sibi elegit, cum omnibus similiter illorum fructibus, redditibus, et proventibus hactenus maturatis, et inconsumptis, seu quoquo modo superextantibus, sub infrascriptis tamen oneribus, harum serie in perpetuum respective concedimus, et assignamus.

Ad quorum effectum tam prioribus quatuor Monasteriis, supradictas ratas dictorum Bonorum in dictis locis Montium, ut praefertur, consistentium, quam ultimo dicto Monasterio hujusmodi, alia, et reliqua Bona dicti Assis Haereditarii, in augmentum Dotis, seu Patrimonii eorumdem Monasteriorum respective cessuras, atque cessura; ita quod liceat praefatis, et pro tempore existentibus quinque Monasteriorum hujusmodi Superiorissis, priorum videlicet quatuor, dictorum locorum Montium, juxta illorum ratas singulis prioribus quatuor Monasteriis, ut praefertur, assignatas, etiam per opportunam eorumdem locorum Montium, in dictorum priorum quatuor Monasteriorum respective creditum, translationem; ac ultimo dicti Monasterii hujusmodi respective Superiorissae, eorumdem reliquorum Bonorum, veram, realem, et actualem possessionem, per se ipsas, seu alios, earum, uti dictorum quinque Monasteriorum Superiorissarum, respective nominibus, ipsarum vigore praesentium, propria authoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere; Illorum vero respective fructus, redditus, et proventus etiam jam maturatos et inexactos, seu alias existentes, ut supra, percipere, exigere, levare, ac, supportatis iisdem infrascriptis oneribus, in eorumdem Monasteriorum respective usus, et utilitatem convertere; eadem authoritate etiam perpetuo applicamus, et appropriamus, ac cum caeteris dictorum quinque Monasteriorum Bonis incorporamus.

Porro, ut ejusdem Marthae Dominicae voluntas, ex integra ejus Bonorum in dictorum quinque Monasteriorum subsidium concessione, et assignatione per Nos ut praefertur factis, excepta dumtaxat erectione dicti novi Monasterii, aliisque ad id relationem habentibus, quoad reliqua plenarium sortiatur effectum, ac dicta Martha Dominica haud minora, quam post factam forsan alterius Monasterii hujusmodi erectionem, a futuris illius Monialibus obtinuisset, suffragia consequatur, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, per praesentes statuimus, et mandamus, quod ultimo dictum in Taurinen. Civitate existens Monasterium, omnia, et singula legata per dictam Martham Dominicam relicta, seu volita, ac per eumdem Josephum Bartholomaeum quomodocumque declarata, et in eventum etiam erectionis dicti novi Monasterii adimplenda, adimplere, illisque satisfacere; ac etiam alia Onera, nonnullas videlicet in pauperum subventionem eleemosynas erogandi, necnon certa Dotalia subsidia Puellis distribuendi, cum approbatione dicti Archiepiscopi, et dependentia ab eo, juxta facultates ei per nos ut infra delegandas, ac habito respectu Personarum, quae ab eodem Josepho Bartholomaeo designatae, seu nominatae fuerint, etiam subire, et supportare; Necnon tam in ipsius ultimodicti, quam in aliis priorum quatuor Monasteriorum praedictorum Ecclesiis, praefatae modernae, et pro tempore existentes illorum Superiorissae unam Missam de requie cum cantu, cujus celebrationis onus ex nunc inter alia uniuscujusque ex dictis quinque Monasteriis onera in Tabella eorum respective Ordinariis in actu visitationis exhibenda descripta, referatur, et annumeretur, singulis annis celebrari facere respective debeant, et teneantur: Ac etiam statuimus, quod in dictis quinque Monasteriis eodem die celebrationis dictae Missae, Communio generalis Monialium, aliarumque in illis degentium habeatur; Nos enim ad augendam illarum devotionem, omnibus, et singulis dictorum quinque Monasteriorum Monialibus nunc et pro tempore existentibus, aliisque etiam in illis pro tempore degentibus, vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, quae ipso die ejusdem Missae celebrationi praesentes fuerint, ac ea durante, pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, Sanctae Matris Ecclesiae

exaltatione, ac pro Animabus in Purgatorio existentibus pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, quae per modum suffragii pro Animabus in eodem Purgatorio existentibus applicari valeat, perpetuis futuris temporibus in Domino concedimus, et elargimur.

Demum praedicto Archiepiscopo per praesentes committimus, et mandamus, ut ipse, omnibus perpensis, et audito dicto Josepho Bartholomaeo, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figura judicii, divisionem praedicti Assis haereditarii, et dictarum ratarum praefixionem, et onerum ultimodicto Monasterio hujusmodi incumbentium adimplementum; Ac, reservata sibi, suisque Successoribus Ecclesiae Taurinen. Archiepiscopis pro tempore existentibus directione, seu Praesidentia super dictorum onerum adimplemento, in omnibus, et per omnia praesentes nostras Literas, et in eis contenta quaecumque, authoritate Nostra exequi curet. Ad quorum effectum Nos eidem Archiepiscopo, ejusque Successoribus praedictis, opportunas authoritatem, et potestatem tribuimus, et delegamus: Eisque etiam injungimus, quatenus ipsi, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum quinque Monasteriorum Superiorissarum pro tempore existentium, vel alicujus earum, fuerint requisiti, ei, vel eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant authoritate nostra praedicta easdem praesentes, et in eis contenta hujusmodi, ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac dictorum quinque Monasteriorum Superiorissas nunc et pro tempore existentes, ac alios, et alias Personas in praemissis interesse habentes, illis pacifice frui, et gaudere; Non permittentes ipsas, et earum quamlibet, per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari: Contradictores quoslibet, et Rebelles, per Sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis.

Praesentes quoque Literas, et in eis, ut praefertur, contenta, nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod Causae propter quas emanaverint, coram aliquo a Sede Apostolica Delegato judicialiter examinatae, verificatae, et approbatae non fuerint, nec dictus Joseph Bartholomaeus, ac forsan alii in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, praesentibus consenserint, sive alias ex quibusvis Causis quantumvis legitimis, et Juridicis, de nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in Jus, vel controversiam revocari, ad terminos Juris reduci, vel adversus illa quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari posse, neque sub similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum expressionibus, et formis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, pro tempore factis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et censeri, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere debere; Sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et authoritate, in quavis Causa, et Instantia, judicari, et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, dictae Marthae Dominicae voluntate, ac illius declaratione per dictum Josephum Bartholomaeum, ut praefertur, facta, necnon rec. mem. Bonifacii PP. VIII. Praedecessoris Nostri, in qua cavetur expresse, ne quis extra suam Civitatem, vel Dioecesim, nisi in certis expressis causis, et in illis ultra unam Dietam a fine suae Dioecesis, ad Judicium evocetur, seu ne Judices a Sede Apostolica praedicta deputati, extra Civitatem, vel Dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere praesumant; Et in Concilio Generali edita de duabus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis vigore praesentium ad Judicium non trahatur; Ac Nostris, de Jure quaesito non tollendo, et applicationibus ad Partes committendis,

vocatis, quorum interest; aliisque Apostolicis, ac etiam in Provincialibus, Synodalibus, et Universalibus Conciliis editis Specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus: Privilegiis quoque Indultis, et Literis Apostolicis etiam Fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, vel aliis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis Clausulis, necnon irritantibus, et aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, et potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in eis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque: Aut si quibusvis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, nisi per Literas Apostolicas facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo dicti Archiepiscopi Taurinen., seu alterius Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, incorporationis, statuti, mandati, elargitionis, commissionis, delegationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio Pridie Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri anno quartodecimo.

Pro D. Card. Passioneo.
J. Datarius.

Joannes Florius Substitutus.
Visa De Curia
J. C. Boschi.
Loco † Plumbi.
J. B. Eugenius.

Confirmantur Resolutiones, et Decreta praescripta in Comitiis Generalibus Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Lateranensis habitis in Civitate Bononiensi Anno 1752. XXI.**

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Injuncti Nobis per abundantiam divinae clementiae Pastoralis Officii sollicitudo postulat, ut in his per quae Religiosorum Virorum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium prospero statui consulitur, Apostolicae nostrae procurationis partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi si quidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Benedictus Latilla Abbas Generalis, ac Definitorium Generale Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini Congregationis Lateranensis, quod in Capitulo Generali ejusdem Congregationis anno proxime praeterito in Civitate nostra Bononien. celebrato Vocales in eo canonice congregati omne studium, curam, diligentiamque adhibuerunt non solum pro electione Abbatis Generalis, verum etiam pro reparandis quamplurimis magni momenti sumptibus, atque incommodis, quibus publicum memoratae Congregationis aerarium in dies gravabatur. Quoniam autem ob temporis angustias confusis, vel dissentientibus per multitudinem consiliis, publici aerarii hujusmodi negocium minime absolvi potuit, saluberrime tamen constitutum fuit, ut ea, quae ad publicam utilitatem a Generali Capitulo juxta ipsius Con-

gregationis Constitutiones auctoritate Apostolica confirmatas decerni poterant, a proximis habendis cogendisque Comitiis pari auctoritate statuerentur quidquid Generali Capitulo hujusmodi libuit, a novissimis dictae Congregationis Comitiis adamussim adimpletum est, dispunctisque universis publici aerarii praedicti rationibus, ea quae potissima erant pro spirituali temporalique Congregationis praedictae regimine, gubernio, et administratione potissimum definita fuerunt sequentem in modum videlicet: Primo itaque definitum est, ut Comitia quae hactenus cogi quotannis consueverant, nonnisi quam elapso triennio post Generale Capitulum cogerentur. Id autem pecuniae, quod in eorumdem Comitiorum causam Monasteria Congregationis praestabant publico deinceps aerario, seu Capsae Romanae persolvant in annua quingenta scuta. Secundo, ut unaquaelibet Monasteriorum Familia duret a Generali Capitulo ad triennalia usque Comitia, et a Comitiis ad Capitulum. Tertio, Praesules qui nunc Monasteria regunt usque ad proxima Comitia consistant in munere; Si autem qui praeesse Monasteriis debent ultra tempus Generalis Capituli in sequentibus inde Comitiis muneri suo valedicant, ad hoc ut sublata temporis, et annorum imparitate cujuslibet Monasterii regimen in Generali Capitulo, et in triennalibus expiret Comitiis. Quarto: Abbatis Generalis, Visitatoris, ac Definitoris vocalis cujuslibet Provinciae jus sit eas nunc de Confessariis Monialium electiones faciendi, quae a Lateranensium Constitutionibus attribuuntur Definitorio, ut, quo citius fieri possit, hujus etiam muneris cursus a Capitulis, et Comitiorum tempore metiatur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes, ne dictae Congregationis aerarium, quod dilapsum jam ferme norunt, gravius inde in praeceps ruat, supradictas, caeterasque pro eadem administratione in dictis Comitiis captas resolutiones, tametsi memoratis Congregationis praefatae Constitutionibus plerumque adversentur, quo firmius subsistant, et serventur exactius Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequen. harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas, caeterasque resolutiones nuper, ut praefertur, praescriptas, tametsi Constitutionibus praedictis in omnibus adversentur, auctoritate Apostolica approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, dicta auctoritate supplemus, et sanamus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, etdefiniri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac memoratae Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu Procuratoris Generalis dictae Congregationis subscriptis, et Sigillo ejusdem Procuratoris munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vi. Septembris MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

D. Cardinalis Passioneus.

XXI.*** LITERAE APOSTOLICAE

In forma brevis in quibus collegia, et Seminaria erecta et erigenda sub Cura Patrum Societatis Jesu in Indiis Regi Fidelissimo subjectis declarantur exempta et libera ab omni Parochorum Jurisdictione.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

1 Summi Pontifices, et Reges Collegia et Seminaria semper promovere studuerunt.

I. Collegia, et Seminaria ad pueros, et adolescentes in Christianae pietatis, et Sacrosanctae Religionis studiis, ac scientiarum doctrinis, disciplinisque erudiendos salutaria, et opportuna semper visa, atque adeo ubique locorum tam a Summis Pontificibus Praedecessoribus nostris, quam ab ipsis Regibus, et Summis Laicorum potestatibus fundata, et erecta, quantum revera prosint, tam ipsi Praedecessores Nostri, quam Reges quoque considerantes, non solum nova erigere et fundare studuerunt, verum etiam indultis, privilegiis, praerogativis, honoribus, immunitatibus, et exemptionibus insignire, et cumulare non destiterunt.

2 Procuratur Brasiliae pro Collegiis et Seminariis in America Lusitana aliquas exemptiones postulat.

II. Quoniam autem, sicut dilectus Filius Joannes Honorato Presbyter Regularis Societatis Jesu Procurator negotiorum Brasiliae suae Provinciae Nobis nuper exponi fecit, in ipsa Brasilia, et Maranonia ditionis, et dominii charissimi in Christo Filii nostri Josephi Portugalliae, et Algarbiorum Regis Fidelissimi nonnulla ejusmodi Collegia, et Seminaria per memoratae Societatis Presbyteros, et Missionarios sub eorumdem cura, gubernio, et directione erecta, et instituta reperiuntur, ac nova in dies ejusdem Josephi Regis jussu fundari debent, ac proinde ipse Joannes Procurator Collegia, et Seminaria hujusmodi sive erecta, et fundata, sive deinceps erigenda, et fundanda, et sub eisdem cura, gubernio, directione, et educatione administranda, iisdem immunitatibus, et exemptionibus, ac indultis, quae Nos per quasdam Nostras in simili forma Brevis die xx. Novembris MDCCXLIX. expeditas Literas Collegio Nostro Illyrico Civitatis Nostrae Lauretanae inter caetera concessimus, insignire plurimum desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

3 Pontifex benigne annuit.

III. Nos igitur piis ejusdem Joannis Procuratoris votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

4 Collegia et Seminaria in Indiis Regi Fidelissimo subjectis eximit a quibuscumque juribus Parochialibus.

IV. Collegia, et Seminaria per memoratos ejusdem Societatis Presbyteros jam erecta, et fundata, ac alia similia tum jussu, et mandato ejusdem Josephi, et pro tempore existentis Portugalliae, et Algarbiorum Regis Fidelissimi in Indiis sub cura, regimine, gubernio, administratione, et educatione Presbyterorum, et Missionariorum dictae Societatis in posterum erigenda, et fundanda, necnon illorum Collegiales, et Ministros a quibusvis Juribus Parochialibus exempta, et exemptos auctoritate Apostolica tenore praesentium esse decernimus, et declaramus, ac ipsa Collegia, et Seminaria jam erecta, et alia, sicut praemittitur, erigenda, ac omnes, et quoscumque illorum Ministros, Officiales, Rectores, Magistros, seu Lectores, Alumnos, et Convictores, aliosque illis inservientes, intra tamen Collegiorum, et seminariorum hujusmodi septa degentes, a Parochiis, seu Parochialibus Ecclesiis, intra quarum limites existunt, et pro tempore erunt fundanda, ac modernis, et pro tempore existentibus illarum Rectoribus, seu Parochis, auctoritate, et tenore praedictis perpetuo eximimus, et liberamus, eosque sic exemptos, et liberatos modernis pariter, et pro tempore existentibus eorumdem Collegiorum, seu Seminariorum Rectoribus, seu aliis ab illis deputandis in iis, quae ad administrationem Sanctissimae Eucharistiae etiam pro viatico, ac Extremae Unctionis Sacramentorum, aliisque omnibus, quae ad animarum curam spectant, penitus, et omnino subjicimus.

5 Rectori pro tempore curam opportunam commendat; et Parochis districte prohibet ne in aliqua re se ingerant.

V. Quapropter dictis modernis, et pro tempore existentibus Parochis districtius inhibemus, ne in posterum se in praemissis ingerere, ac desuper Collegia, et Seminaria praedicta sive erecta, sive deinceps erigenda, ac personas praedictas in illa degentes, seu eorum aliquem molestare audeat, seu praesumat. Prae-

terea iisdem modernis, et pro tempore existentibus praedictorum Collegiorum, et Seminariorum Rectoribus, ut in privato cujuscumque Collegii, seu Seminarii hujusmodi Oratorio, dummodo decenter ornatum, sacrisque supellectilibus munitum reperiatur, super quo eorum conscientiam oneramus, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ac Sanctum Oleum, seu Oleum Infirmorum ab Episcopo benedictum facultatem asservandi, et retinendi, auctoritate et tenore praedictis concedimus, et impertimur, ita tamen ut ante Ciborium Lampas accensa diu, noctuque detineatur, ac ejusdem Ciborii clavis per eumdem cujuscumque Seminarii, seu Collegii Rectorem, seu alium ab ipso deputandum in Sacro Presbyteratus Ordine constitutum custodiatur.

6 Clausula pro literarum Apostolicarum validitate.

VI. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod Moderni Parochi, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum praedictarum, aliique in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, dignitatis, seu alias speciali, et individua mentione digni illis non consenserit, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes Literae emanarint, adductae, specificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, alioque quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, ac ex certa scientia, et potestatis plenitudine concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti posse; sed ipsas praesentes Literas, et in eis contenta hujusmodi semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter, et inconcusse observari.

7 Sublata omnibus aliter judicandi facultate.

VII. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicae Nuntios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

8 Non obstantibus quibuscumque in contrarium.

VIII. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, ac Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon dictarum Parochialium Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis eisdem Parochialibus Ecclesiis, illiusque Parochis, seu Rectoribus, aliisque quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam Derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, et alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis.

9 Quibus omnibus amplissime derogatur.

IX. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

10 Fides transumptis adhibenda.

X. Volumus autem quod earumdem Literarum transumptis, seu Exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, seu dilecti

filii moderni, et pro tempore existentis Secretarii Generalis dictae Societatis subscriptis, et sigillo dictae Societatis munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. 7. Sept. 1753. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo Quarto.

D. Card. Passioneus.

XXII. EXEMPTIO

Canonicorum Regularium et Monialium Ordinis Praemonstratensis ab omni Superioritate, Jurisdictione, Visitatione quorumcumque Ordinariorum per Praedecessores Pontifices, et praesertim Alexandrum V. concessa, innovatur ac confirmatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

rooemium. In supereminenti Apostolicae Dignitatis Solio, Divina disponente Clementia, meritis licet imparibus constituti, illiusque vices in Terris gerentes, qui gloriosus regnat in Coelis, ad ea, per quae Religiosorum Ordinum, praesertim meritorum gloria, et sanctitatis gratia redolentium quies et tranquillitas procurari jugiter valeat, peculiari affectione libenter intendimus, ac propterea gratias, et exemptionis privilegia eis a Summis Pontificibus concessa, quamvis aliqui eadem impugnare forsan contendant, auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, confirmare non dedignamur, ac alias Pastoralis Officii Nostri partes favorabiliter interponimus, prout eorumdem Ordinum, eorumque Monasteriis Praesidentium Personarum qualitatibus matura deliberatione pensatis, ad Omnipotentis dei laudem, et gloriam, Ordinum quoque hujusmodi conservationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

egularium emptio et ivilegia aibus fun- amentis in- ita.

mplissima emptio nonicis aedeces-

§. 1. Sane pro parte Dilecti Filii *Nicolai Meyers moderni Procuratoris Generalis Canonicorum Regularium Praemonstratensium Ordinis Laudunen., aliarumque Civitatum, et Dioecesum* Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias videlicet de Anno Domini Millesimo quadringentesimo nono felicis recordationis *Alexander Papa V.* Praedecessor Noster per binas suas Literas Apostolicas, Monasterium dicti Ordinis Laudunen. Dioecesis, illiusque Abbatem, et Conventum, ac universum Ordinem hujusmodi una cum omnibus bonis, et Personis etiam utriusque sexus ab omni superioritate, dominio, Jurisdictione, ac Visitatione cujuslibet Ordinarii exemit, et respective exemptos declaravit, ac Sedi Apostolicae immediate subjecit, quod etiam alii Romani Pontifices praefati Alexandri Successores, et Praedecessores Nostri, et in Concilio Generali Basileen. piae memoriae Martinus Papa etiam V. Praedecessor Noster respective declararunt, quarum quidem literarum praefati Alexandri Praedecessoris primo loco editarum tenor est, qui sequitur.

scribus Pontificibus praesertim vero ab Alexandro V. concessa.

§. 2. » *Alexander Episcopus Servus Servorum Dei*. Ad futuram rei memoriam: Exci- » tat nostrae mentis arcanum specialis affectio, » qua Dilectos Filios Abbatem, et Conventum » Monasterii Praemonstratensis Laudunensis » Dioecesis sumus hactenus prosequuti, et pa- » terno prosequi studio non cessamus, ut eir- » ca statum ipsorum, nec non Dilectorum Fi- » liorum Abbatum, Praelatorum, Priorum, » Praepositorum, Decanorum, Canonicorum, » Conversorum, Donatorum, ac Dilectarum » in Christo Filiarum Abbatissarum, Prioris- » sarum, Monialium, Conventuum, et Per- » sonarum in humilitatis spiritu in Monaste- » riis, sive in Locis ejusdem Ordinis Domino » famulantium attentae considerationis intui- » tum dirigentes, eo circa ipsorum quietem » ferventius laboramus, ut foecundius illo- » rum Religio fructum in eis afferat saluta- » rem, et laudabilibus possint in Domino pro- » ficere incrementis.

Ejusdem literae inseruntur.

Causae indulgendae exemptionis.

§. 3. » Hinc est, quod Nos nonnullorum » Romanorum Pontificum Praedecessorum No- » strorum vestigiis inhaerentes, praedictos Ab- » bates, Priores, Praelatos, Praepositos, De- » canos, Canonicos, Conversos, Donatos, Ab- » batissas, Priorissas, Moniales, et Personas » cum omnibus Membris, Curtibus, Granciis, » Domibus, Possessionibus, et Personis degen- » tibus in eisdem, nec non bonis mobilibus, » et immobilibus, ac aliis rebus quibuscum-

Personalis, Realis, et Localis exemptio a quibuscumque Superioribus, et receptio sub Protectione S. Sedis.

» que, quae in praesentiarum possident, ac » in futurum, dante Domino, poterunt legitime adipisci, nec non Ecclesias, ac alia loca » ab eisdem Monasteriis dependentia ab omni » superioritate, dominio, jurisdictione, nec » non visitatione quorumcumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et » aliorum quorumlibet Judicum Ordinariorum, et Officialium Ecclesiasticorum plenarie de specialis dono gratiae cum moderatione infrascripta eximimus, et totaliter liberamus, illaque ad jus, et proprietatem Beati Petri Apostoli, et Sedis Apostolicae, ac » sub eorum speciali protectione suscipimus, » atque nostra; Decernentes Praemonstratense, et alia Monasteria, nec non Abbates, » Praelatos, Priores, Praepositos, Decanos, » Canonicos, Conversos, Donatos, Abbatissas, Priorissas, Moniales, Conventus, Personas cum Membris, Curtibus, Granciis, » Domibus, Possessionibus, Bonis, Rebus Ecclesiasticis, et aliis locis supradictis praefatae Sedi soli, et immediate subjacere, ita » quod Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, » Judices Ordinarii, et Officiales praedicti » etiam ratione delicti, aut contractus, vel » rei, de qua agi continget, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut » res ipsa consistat, non possint authoritate » Ordinaria in Abbates, Praelatos, Priores, » Praepositos, Decanos, Canonicos, Conversos, Donatos, Abbatissas, Priorissas, Moniales, Conventus, Personas, Monasteria, » Prioratus, Membra, Ecclesias, aut loca » praedicta, utpote prorsus exempta, excommunicationis, suspensionis, aut interdicti » sententias promulgare, aut potestatem, dominium, seu jurisdictionem aliquam exercere, felicis recordationis *Innocentii Papae IV.* Praedecessoris Nostri circa exemptos edita, quae incipit *Volentes*, ac aliis Constitutionibus Apostolicis in contrarium editis non » obstantibus quibuscumque.

Cujus ratione annuus Census pen- standus.

§. 4. » Volumus autem, quod Abbas, qui » nunc est, et Successores sui Abbates, qui erunt » pro tempore dicti Monasterii Praemonstratensis, ac hujusmodi Conventus, ad judicium perceptae a Nobis hujusmodi libertatis » sex florenos auri de Camera in Festo Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum annis singulis Camerae Apostolicae solvere teneantur.

Irrita declarantur quaecumque contra sic exemptos contigerit attentari.

§. 5. » Decernimus insuper quaslibet excommunicationum, suspensionum, et interdicti sententias, ac processus quoscumque, » quasvis poenas, atque sententias continentes, quos, et quas contra Abbates, Praelatos, Priores, Praepositos, Decanos, Canonicos, Conversos, Donatos, Abbatissas, Priorissas, Moniales, Conventus, Personae praesentes, et posteros, Monasteria, Prioratus, » Membra, Ecclesias, et Loca supradicta, contra tenorem exemptionis hujusmodi, quomodolibet promulgari, et haberi contigerit, » irritos et inanes, quoque per hujusmodi » exemptionem, et alia supradicta, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, et Indulgentiis, Abbatibus, Praelatis, Prioribus, » Praepositis, Decanis, Canonicis, Conversis, » Donatis, Abbatissis, Priorissis, Monialibus, » Personis, Conventibus, Monasteriis, Prioratibus, Membris, Ecclesiis, et Locis praedictis concessis, et quae in suo robore permanere volumus, ac quoad procurationes » in locis, seu Ecclesiis Monasteriorum, et » Membrorum praedictorum recipi consuetas, » et quo ad Jurisdictionem omnimodam, in » eisdem Parochialibus Ecclesiis, quantum ad » ea, quae Curam animarum concernunt, » etiamsi Cura hujusmodi per Canonicos dicti » Ordinis exerceri consueverit, Dioecesanis » Locorum, seu quibusvis aliis nullum praejudicium generetur.

Opportuna exemptionis moderatio.

Praesertim in concernentibus curam animarum.

§. 6. » Praeterea omnes libertates, et immunitates a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, nec non Patriarchis, » Archiepiscopis, et Episcopis, eisdem Monasteriis, Prioratibus, Membris, Ecclesiis, » et Locis concessas, nec non libertates, et » exemptiones Saecularium exactionum a Regibus, aut Principibus, vel aliis Christifidelibus rationabiliter eisdem Abbatibus, Prioribus, Praelatis, Praepositis, Decanis, Canonicis, Conversis, Donatis, Abbatissis, Monialibus, et Personis, nec non Monasteriis, » Prioratibus, Membris, et locis hujusmodi » indulta, ac etiam eorumdem Abbatum, Priorum, Praelatorum, Praepositorum, Decanorum, Canonicorum, Conversorum, Donatorum, Abbatissarum, et Personarum antiquas, et rationabiles consuetudines, authoritate praedicta confirmamus, et praesentis » Scripti patrocinio communimus.

§. 7. » Nulli ergo omnino hominum liceat

» hanc paginam nostrae exemptionis, libera-
» tionis, Constitutionis, suspensionis, volun-
» tatis, confirmationis, et communitionis in-
» fringere, vel ei ausu temerario contraire;
» Si quis autem hoc attentare praesumpserit,
» indignationem Omnipotentis Dei, ac Beato-
» rum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se no-
» verit incursurum. Datum Pisis secundo Ka-
» lendas Augusti Pontificatus Nostri Anno pri-
» mo.

iteratae Alexand. Litterae.

§. 8. Aliarum vero Literarum Apostolica-
rum ejusdem Alexandri Praedecessoris secun-
do loco editarum tenor etiam sequitur, et est
talis.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei.
Ad futuram rei memoriam.

» Cum de indultis, et gratiis Apostolicis
» dubitatur, decet, ut dubia hujusmodi, ora-
» culo Summi Pontificis declarentur. Sane du-
» dum nonnullorum Romanorum Pontificum
» Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhae-
» rentes, Monasterium Praemonstratense Lau-
» dunen. Dioecesis, nec non Dilectos Filios
» Abbates, Priores, Praepositos, Decanos,
» Canonicos, Conversos, Donatos, et Dilectas
» in Christo Filias Abbatissas, Priorissas, Mo-
» niales, et Conventus Monasteriorum, et Lo-
» corum Praemonstratensis Ordinis, cum om-
» nibus Membris, Curtibus, Granciis, Domi-
» bus, Possessionibus, et Personis degentibus
» in eisdem, nec non Bonis mobilibus, et im-
» mobilibus, ac aliis rebus quibuscumque,
» quae tunc possidebant, et in futurum, dan-
» te Domino, possent justo titulo adipisci, nec
» non Ecclesias, et alia Loca ab eisdem Mona-
» steriis dependentia ab omni superioritate,
» dominio, Jurisdictione, nec non Visitatione
» quorumcumque Patriarcharum, Archiepi-
» scoporum, Episcoporum, et aliorum quo-
» rumcumque Judicum Ordinariorum, et Of-
» ficialium Ecclesiasticorum plenarie cum mo-
» dificatione infrascripta per alias nostras Li-
» teras eximimus, et totaliter liberavimus;
» ita quod Patriachae, Archiepiscopi, Episco-
» pi, Judices Ordinarii, et Officiales praedi-
» cti, etiam ratione delicti, aut contractus,
» vel rei, de qua agi contingeret, ubicumque
» committeretur delictum, iniretur contractus,
» aut res ipsa consisteret, non possent autho-
» ritate Ordinaria in Abbates, Praelatos, Prio-
» res, Praepositos, Decanos, Canonicos, Con-
» versos, Donatos, Abbatissas, Priorissas,

«Concessa in superioribus literis exemptio.

» Moniales, Conventus, Personas, Monaste-
» ria, Prioratus, Membra, Ecclesias, et Loca
» praedicta, utpote prorsus exempta excom-
» municationis, suspensionis, et interdicti sen-
» tentias promulgare, aut potestatem, domi-
» nium, seu Jurisdictionem aliquam exercere, Ac moderat. commemora-tur.
» quodque per hujusmodi exemptionem, et alia
» supradicta quoad procurationes in Locis, seu
» Ecclesiis Monasteriorum, et membrorum
» praedictorum recipi consuetas, et quoad Ju-
» risdictionem omnimodam in eisdem Paro-
» chialibus Ecclesiis quantum ad ea, quae cu-
» ram Animarum concernerent, etiamsi Cura
» hujusmodi per Canonicos dicti Ordinis exer-
» ceri consuevisset, Dioecesanis Locorum, seu
» quibusvis aliis nullum praejudicium gene-
» raretur, prout in ipsis Literis plenius conti-
» netur.

Exortaeque de ea controversiae opportuna declaratione tolluntur.

§. 9. » Cum autem, sicut accepimus non-
» nulli de modificatione hujusmodi disceptan-
» tes, Dioecesanos praedictos nedum in Cano-
» nicos Monasteriorum, seu Locorum praedi-
» ctorum, qui pro tempore curam exercerent,
» et Ecclesias, seu Loca regunt, antedicta ra-
» tione Curae hujusmodi Jurisdictionem, po-
» testatem, et dominium habere; verum etiam
» Abbates, Priores, Praepositos, Decanos,
» Canonicos, Conversos, Donatos, Abbatissas,
» Priorissas, Moniales, Conventus, Personas,
» Monasteria, Prioratus, Membra, Ecclesias,
» et Loca praedicta quoad certas procuratio-
» nes, et alia jurisdictionalia praestanda, di-
» cta exemptione non obstante, ipsis Dioece-
» sanis subesse praetendant: Nos ad omne am-
» biguitatis tollendum dubium in praemissis,
» quod si Canonici, qui curam exercebunt,
» et Ecclesias, seu loca hujusmodi regent pro
» tempore, Dioecesanis, aut aliis locorum Or-
» dinariis hujusmodi, quoad exercitium hu-
» jusmodi Curae Animarum dumtaxat, subes-
» se, et ratione earumdem Ecclesiarum Epi-
» scopalia jura solvere, aliaque ipsarum Ec-
» clesiarum onera supportare, et respondere
» teneantur: Abbates tamen, Priores, Prae-
» positos, Decanos, alios Canonicos, Conver-
» sos, Donatos, Abbatissas, Priorissas, Mo-
» niales, Conventus, personas, Monasteria,
» Prioratus, Membra, Ecclesias, et loca prae-
» fata a praestatione procurationum, et alio-
» rum Jurisdictionalium quorumcumque, nec
» non jurisdictione, potestate et dominio prae-
» fatis, liberos, et immunes existere auctori-

» tate Apostolica tenore praesentium declara-
» mus. Decernentes ex tunc irritum, et ina-
» ne, si secus super his a quoquam quavis
» auctoritate scienter, vel ignoranter contige-
» rit attentari. Nulli ergo omnino hominum
» liceat hanc paginam nostrae declarationis,
» et Constitutionis infringere, vel ei ausu te-
» merario contraire; si quis autem hoc atten-
» tare praesumpserit, indignationem omnipo-
» tentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apo-
» stolorum ejus se noverit incursurum. Da-
» tum Bononiae Kalendis Martii, Pontifica-
» tus Nostri Anno secundo.

Exeltatis iterum, vel praevisis de eadem exemptione controversiis.

§. 10. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nonnulli locorum Ordinarii, non obstantibus exemptione, et declaratione hujusmodi, exemptionem praefatam impugnare forsan praetendant, proptereaque dictus Nicolaus plurimum cupiat binas supradictas Literas Alexandri Praedecessoris praefati ad quascumque difficultates, et praetensiones super exemptione praefata, qua dictum Ordinem semper gavisum fuisse, et gaudere Nobis est notum, ab eisdem Ordinariis excitatas tollendas, et pro exemptionis praefatae majori subsistentia per Nos, et Sedem Apostolicam, ut infra, approbari, et confirmari. Quare pro parte dicti Nicolai Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui quantum cum Domino possumus, singulorum Ordinum pacem, et in securitate conservationem per Privilegiorum eisdem concessorum stabilitatem paternis, et sinceris desideramus affectibus, eumdem Nicolaum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat, consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati binas praefatas Literas dicti Alexandri Praedecessoris, et in eis contenta quaecumque Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Occurrit Pontifex confirmando superius relatas Alexandrinas Literas.

Clausulae et Decreta pro praemissorum firmitate.

§. 11. Praesentes quoque Literas Apostolicas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, et singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat, et spectabit pro tempore in futurum, firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo, quod quicumque locorum Ordinarii, aut alii in praemissis, et circa ea quomodolibet, et ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione Jus, vel interesse habentes, aut habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, et auditi fuerint, et causae, propter quas eaedem praesentes literae emanaverint, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut Jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, ac individuam mentionem, et expressionem requir. defectu, aut ex quocumque alio capite notari, impugnari, invalidari, retractari, aut ad viam, et terminos Juris reduci in Judicio, vel extra posse, neque ipsas praesentes Literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori Data per dictum Nicolaum modernum, ac pro tempore existentem primodicti Monasterii Abbatem, quandocumque eligenda concessas esse et fore, sicque et non alias in praemissis omnibus, et singulis, per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios judicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Aliter judicari prohibetur.

§. 12. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, generalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac primodicti Monasterii, et Ordinis praefati etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis fir-

Derogatio contrariis.

mitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis quibusvis Superioribus, et personis in genere, vel in specie etiam in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut etiam aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. anno XIV. die II. Sept. 1753.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, Tertio Idus Septembris Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

Ph. Rinaldi. *Ph. Frigerius.*
F. Pratesi. *I. Rey.*
I. Miliatus. *I. M. Travagli pro Rmo. Correctore.*
Loco ✠ Plumbi. *I. Rosa.*

XXIII. OPPIDUM MATHELICÆ

In Picaeno ad primaevum Statum Civitatis reintegratur, et quatenus opus sit, ex integro erigitur, ac instituitur, cum omnibus honoribus, juribus, et praerogativis, caeteris ditionis Pontificiae Civitatibus competentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum Dispensatoris providentia devotos, et fideles suos, et Temporalis S. R. E. Ditionis Subditos, praesertim illos, qui sinceræ fidei, et devotionis affectum erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem gerere comprobantur, amplioribus honoris, decoris, et honorificentiae Titulis, nec non specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout Personarum, Locorumque qualitatibus, et meritis conspicit convenire. Proœmium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Confalonerius, et Priores Terrae nostrae Mathelicae, repraesentantes etiam dilectos Filios illius Universitatem, et Homines, quod Terra praedicta transactis temporibus, non solum titulo, verum etiam honoribus, et praerogativis, quibus Nobiles, et praecipuae Civitates, potissimum ejusdem Status Nostri Ecclesiastici gaudere solent, semper fuerit gavisa, quod autem dictos honorem, et Titulum Civitatis alias meruerit, manifestum apparet tum ob illius ab ultima antiquitate fundationem, prout Historici multa eruditione clari; illam nempe post saeculum ab Urbe condita, evenisse asserunt, tum quia tempore Romanae Reipublicae, et Imperatorum inter magis conspicua, et illustriora Picaeni Municipia habebatur, propter illius Cives in bello praestantes, et Incolarum frequentiam, ac demum ab initio Catholicae Ecclesiae gloria Cathedrae Episcopalis claruit, prout testantur bon. mem. Æquitius, qui Concilio Romano anno 487. celebrato interfuit, et Florentinus Episcopi Mathelicenses, qui damnationem in Civitate Constantinopolitana contra Theodorum Episcopum Caesareae a felic. record. Vigilio Romano Pontifice Praedecessore Nostro latam, subscripsit. Postmodum vero ob temporum vicissitudines non solum praedictis honore, et gloria Cathedralis Ecclesiae, quippe quae Cathedrali Ecclesiae Camerinensi canonice unita fuit, verum etiam ejus decore paulatim fuit privata, itaut a plerisque Populorum deinde tanquam minime illustris, et antiqua Picaeni Civitas habita fuerit: quamvis interea quamplurimi ex ea tum pietatis, et sanctitatis, tum literarum, et armorum laude illustres Viri, Incolaeque, et Ecclesiarum Cathedralium Praesules, Roma- Terra Mathelicae antiquitus titulo, et juribus Civitatis gavisa fuit. Vetustissima fundatione illustris. Necnon praestantium Virorum fama, ac Episcopalis Sedis praerogativa.

naeque Curiae Praelati, et S. R. E. praefatae Cardinales ortum duxerunt.

Recensentur insigniores ejusdem praerogativae, quibus vel nunc illustratur.

§. 2. Ipsa vero Terra, uti caeterae Status Nostri Ecclesiastici Civitates, gubernari, et regi pergit, atque in ea Gubernator a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super Consultationibus Communitatum, et Universitatum Status Nostri Ecclesiastici praedicti Deputatorum electus (qui alias ex Signaturae Referendariis erat) cum titulo Judicis residet; pluresque artes, et artificia, et potissimum Lanificii, illiusque Commercium in ea florent. Memoratae praeterea Terrae Magistratus ex duplici Personarum gradu, Confaloneriis nempe, qui existunt ex Familiis praecipuis ejusdem Terrae sanguine conjunctis cum aliis quoque Nobilioribus aliarum Status Nostri praefati Civitatum Familiis, ac Prioribus Civibus constituitur. Insuper in dicta Terra, ejusque Territorio sex circiter mille Incolae, et Habitatores numerantur, ac antiqua Saecularis, et Collegiata cum Archipresbytero, prima Dignitate, tresdecim Canonicis, comprehensis in eis Theologali, et Poenitentiario, atque una quidem in ipsa Terra, quatuor vero distinctae Parochiales Ecclesiae in ejus Territorio, sex itidem Virorum Regularium Coenobia, una Domus Presbyterorum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, et duo Monialium Monasteria, Mons Pietatis, duo pro Infirmis Xenodochia, seu Hospitalia, Undecim Laicorum Confraternitates sub nonnullorum Sanctorum Invocationibus, decem specialium Artium Universitates, et sex Montes Frumentarii ad publicum, Pauperumque commodum, et levamen erecti reperiuntur. Ea propter dicti Exponentes pro eorum, ac Terrae hujusmodi, nec non illius, ac Territorii praefati Incolarum, Habitatorumque decore Terram praedictam antiquo decore Civitatis nomine insigniri, sive potius restitui, atque reintegrari plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ex quibus ad titulum, honores, et jura Civitatis redintegratur.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares Personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a jure, vel ab Homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum conseq. harum serie, absolventes, et absolutas fore consentes, supplicationibus etiam Dilecti Filii Nostri Hieronymi memoratae Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis Columnae nuncupati, ejusdem Terrae apud Nos, et dictam Sedem Protectoris, ejusdemque Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarii, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, atque etiam motu proprio, et certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Terram Mathelicae veteri Episcopali jamdudum dignitate ornatam, tituloque praestantis Civitatis etiam ditatam, in primaevum, et pristinum Civitatis honorem, cum omnibus, et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, praeeminentiis, gratiis et immunitatibus suis, restituimus, et in antiquum statum, et denominationem Civitatis reponimus, et plenarie reintegramus, et quatenus opus sit, Terram Mathelicae praefatam in Civitatem perpetuo erigimus, instituimus, et confirmamus, eique Civitatis titulum, ac denominationem, cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, ac decorationibus, quae caeteris omnibus Ditionis Nostrae Pontificiae Civitatibus competere dignoscuntur, nec non Magistratui ejusdem Terrae in Civitatem, ut praemittitur, erectae consuetis honoribus, et Insigniis, quibus aliarum ejusdem Ditionis Civitatum Magistratus de jure, usu, et consuetudine, gaudere, seu uti possunt, pariformiter, ac pari modo, et absque ulla differentia gaudere, potiri, et uti, concedimus pariter, et impertimur, ac ejusdem Terrae Incolas, et Habitatores Civium nomine decoramus, ita tamen, ut pro tempore existens Episcopus Camerinensis in dicta Terra per Nos in Civitatem, sicut praemittitur, per praesentes erecta residere minime teneatur, sed illa Ecclesiae Camerinensi, ut antea subjecta remaneat.

Ecclesiae tamen Camerinensi subjecta relinquitur nec in ea Episcopus residere jubetur.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 4. Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in

corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra uti, sese juvare posse: sed ipsas praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Camerarium, et alios Cardinales etiam de Latere Legatos, et alios quoscumque quavis praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Aliter judicari prohibetur.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, dictae Terrae, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et inserrentur, praesertim pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

mplissima erogatio outrariis.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septembris MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Dat. Pont. anno XIV. die 26. Sept. 1753.

D. Card. Passionеus.

Publicat. eodem die, mense, et anno.

DE CULTU S. MARONIS XXIV.

Epistola ad R. P. Nicolaum Lercari a Secretis Congregationis de Propaganda Fide.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Inter caetera scripta Nobis exhibita, cum nuper ad Nos accessisti, illud deprehendimus, quod ad cultum S. Maronis Abbatis pertinet. Scripsit enim ad Congregationem de Propaganda Fide Dilectus Filius Frater Desiderius a Casabasciana Min. Observ.; quem nos Ablegatum Nostrum misimus ad Ven. Fratrem Patriarcham Maronitarum, scripsit, inquam, Imagines Sancti Maronis Romae impressas, a Ven. Fratre Patriarcha Graeco-Melchita Cyrillo discissas fuisse, et palam ab ipso declaratum, Sanctum Maronem inter Sanctos minime numerari, quippe qui haereticus vixerit, atque obierit, idque gravibus dissidiis Maronitas inter; et Graeco-Melchitas occasionem praebuisse; timendum insuper, ne hujusmodi turbae quotidie magis ingravescant, neque tumultum sedari, et compesci potuisse; tum quia post suum discessum e Locis, ubi ignem restinguere curaverat, nonnulli Presbyteri palam dixerant, eum nullam auctoritatem habere quaestionis definiendae, utrum Maro Sanctus extiterit, an haereticus; cum praesertim eorum Patriarcha assereret, Maronem, cum inter vivos ageret, et cum e vita decessit, haeresi pollutum fuisse: tum quia per Moncalles, ubi residet Patriarcha Greco-Melchita, quum iter

Attentata adversus S. Maronis cultum et imagines, exortaq. inde dissidia recensentur.

fecisset, ut cum eo colloqueretur, ipsum non invenerat, et aliquibus de causis permissum sibi non fuerat, ut ulterius ad eum assequendum progrederetur.

Factum improbat Pontifex.

§. 2. Non solum admiratione nos effecit, sed maxime commovit, quod temere, atque inconsulte factum est a Ven. Fratre Patriarcha Cyrillo, qui ut eruditionem fortasse ostentaret, sua agendi ratione, non dicam restaurare, sed auctoritate sua controversiam jam extinctam definire tentavit; quasi vero ejusdem conditio, vel meritum nobis, aut Congregationi minime innotescant, et quod deterius est, Sancti nomine, et cultu eum, quoad potuit, privare, qui a pluribus jam saeculis cum Apostolicae Sedis approbatione hujusmodi honore decoratur.

Theodoreti, et Chrysostomi Testimonia de Maronis sanctitate.

§. 3. Ut tibi compertum est, Sanctus Maro vixit sub finem saeculi quarti, et initium quinti. Theodoretus, qui auctor coaevus dici potest, cum circa dimidium saeculi quinti floruerit, vitam illius scripsit, in qua heroicae Sancti Maronis virtutes, et insigniter gesta enarrantur. Theodoretus Cyri Episcopus extitit, librum composuit *de vitis Patrum*, inscriptum *Philotheus*, sive *religiosa historia;* hujus duae sunt latinae versiones; quarum una habetur in vitis Patrum, auctore Rosveido, altera Gentiani Herveti in *tom.* 3. Operum ejusdem Theodoreti, editionis Sirmondi. Porro sex distinctis locis Theodoretus collaudat sanctitatem Sancti Maronis, quemadmodum videre est in editione Rosveidi *de Vitis Patrum cap.* 16. *pag.* 827. *et* 828. *et cap.* 21. *pag.* 832. *et cap.* 22. *pag.* 838. *et cap.* 24. *pag.* 840. *et cap.* 30. *pag.* 850. Legitur quoque inter epistolas Sancti Joannis Chrysostomi trigesima sexta inscripta ipsi Abbati Maroni, in qua ipsius virtutes laudibus prosequitur, ejusque orationibus sese commendat. Porro ut os occludatur quibusdam non admodum sanae cognitionis, qui conati sunt auctoritatem adimere vitis a Theodoreto conscriptis, quorum numero adnecti possunt Andreas Rivetus in suo *lib. Criticus Sacer. lib. 4. cap.* 21. Robertus Cocus *in sua Censura quorumdam Scriptorum veterum pag.* 390. Fridericus Spanhemius: *In Historia Christiana saeculi quinti* §. 10. *col.* 1030. Non defuerunt viri sublimis doctrinae, atque accuratae critices, qui ad ipsius historiae integritatem sartam tectam tuendam, operam suam mentemque contulerint, in quorum numero recensendi sunt Labbaeus in Dissertatione de Theodoreto in Opere Bellarmini *de Scriptoribus Ecclesiasticis* editionis Venetae *anno* 1728. *pag.* 156. Garnerius *in Dissert.* 2. *de Libris Theodoreti tom.* 5. Operum ipsiusmet Theodoreti editionis Parisiensis *anno* 1684. *pag.* 199. Tillemontius *in Vita Theodoreti art.* 48. *tom.* 15. *pag.* 329. Natalis Alexander *in historia Ecclesiastica saeculi V. cap.* 4. *art.* 28. §. 1. *n.* 1. atque novissimus eruditus Ceillier *in historia Universali Auctorum Sacrorum, et Ecclesiasticorum tom.* 14. *cap.* 14. *art.* 2. §. 6. *num.* 2. *in fine pag.* 94.

Fides et auctoritas Patrum vitis a Theodoreto scriptis vindicata.

Et praeser tim vitae Maronis, accuratior. Historic. consensu, et Clem. VIII. facto comprobato

§. 4. Et quod gravioris momenti esse debet, nostri Scriptores, et Historici accuratiores, et quidem non admodum creduli, neque ingenti acumine destituti, fidem quam maximam praebuerunt vitae Sancti Maronis a Theodoreto descriptae, cum ipsius virtutes, factaque gloriosa ita singillatim referant, quemadmodum a Theodoreto enarrantur, et commendantur. Proinde Sancti Maronis vitae, quae a Theodoreto scripta est, omnimodam adhibent fidem. Adeantur Bollandistae *die* 14. *Februarii tom.* 2. *ejusdem mensis*, Bailletius *in suis vitis Sanctorum eadem die*. Tillemontius *tom.* 12. *suae historiae Ecclesiasticae in vita praedicti Sancti pag.* 412. *et sequen.* Neque illud ullo modo conticendum est, quod Pontificatum administrante Clemente VIII. cum Romae typis consignatum fuisset Missale Maronitarum, cum ejus Nationis patrocinium sustineret fel. mem. Gabriel Cardinalis Palaeotus, evulgandi facultas a Summo Pontifice ea conditione solum obtenta est, ut sub ejusdem initio poneretur Vita Sancti Maronis deprompta ex Theodoreti historia, sicuti diligenter observatum fuit, quemadmodum Clarissimus Cardinalis Jacobus Perronius testatus est: *Verba feci cum Sanctissimo Domino Nostro de vulgando Missali Maronitarum, quod typis jam pridem excusum est, annuitque sua Sanctitas, ut praefixa hac Praefatione* (quae est vita Sancti Maronis desumpta ex Theodoreto) *publicaretur*.

Alia testi monia virtutibus sanctitate Maronis.

§. 5. Accedit, quod insigne fuit Coenobium S. Maronis, ut liquet ex epistola Archimandritarum Syriae secundae ad Horsmidam Pontificem data *anno* 517. in qua se in primis subscribit Alexander *Archimandrita*, vel, quod idem est, *Abbas Sancti Maronis*, ut apparet *ex tom.* 5. Collectionis Conciliorum Labbaei editionis Venetae *pag.* 598. ex Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 517. *n.* 53. Et in Actis

Concilii Constantinopolitani habiti *anno* 536. mentio habetur de eodem Coenobio, ibique semper Sancti, vel Beati nomine Maro nuncupatur, ut legenti constabit *cit. tom.* 2. *pag.* 967. *pag.* 978. 994. 999. *pag.* 1075. 1083. 1099. 1111. *et pag.* 1223. Insuper Pagius in Critica ad Annales Cardinalis Baronii *ad annum* 400. *num.* 17. *et sequen.* Postquam commemoravit virtutes Sancti Maronis, orationem convertit ad Coenobium ipsius Sancti Maronis, laudibusque prosequitur Religionem Catholicam illorum Monachorum, ac veluti firmum quoddam Catholicae Religionis universo in Oriente adversus haereses propugnaculum praedicat; martyrium scilicet indicans, quod Imperante Anastasio pro Concilii Chalcedonensis defensione tercentum quinquaginta ex illis Monachis fortiter pertulerunt; eorum quippe mentio habetur in Romano Martyrologio *die* 31. *Julii*, quo in loco extant praeterea adnotationes Venerabilis Cardinalis Baronii. Neque praetereundum est in Ecclesia Collegii Maronitarum hujus Almae Urbis imaginem Sancti Maronis in Tabula Majoris Altaris depictam publicè coli, ejusque diem festum quotannis celebrari.

Unde illius festus dies spiritualibus indultis a Pont. decoratus.

§. 6. Haec omnia mirificè illustrant sanctitatem Sancti Maronis, tum etiam ostendunt quam recte, atque legitime rogatu Venerabilis Fratris Simeonis Patriarchae Antiocheni, et exemplo eorum, quae peracta fuere in Literis Apostolicis Praedecessoris Nostri Clementis XII. ostendunt, inquam, quam juste in quodam Brevi a Nobis emisso *die* 12. *Augusti anno* 1744. largiti simus Indulgentiam plenariam utriusque sexus Christifidelibus, qui Confessione, et Sacra Communione, expiati, *die* 9. *Februarii*, quo a Maronitis celebratur Festum S. Maronis eorum primarii Patroni, adibunt Sacras Aedes Monachorum, et Monialium Ordinis Sancti Antonii Abbatis, Congregationum tam Montis Libani, quam Sancti Isaiae, et concordiam inter Principes Christianos, haeresis excidium, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltationem a Deo enixe rogabunt: Quae singula luculenter patefaciunt, quam illegitime (ut loquamur remissius) Ven. Frater Patriarcha Cyrillus adversus Sancti Maronis cultum se gesserit.

Occasio indicatur erroneae sententiae de S. Marone invectae.

§. 7. Neque erit difficile rationes investigare, quae Vener. Fratrem Patriarcham Cyrillum eam in rem impulerunt. Affirmant Maronitae a Sancto Abbate Marone se originem ducere, et a Catholica Religione nunquam recessisse, nec ab Ecclesiae unitate se umquam disjunxisse; addunt praeterea, quod, cum ipsi unionem cum Ecclesia Romana renovaverint, id minime interpretari debet, quasi Catholicam Religionem aliquando deseruerint, iterumque ad ipsam reversi fuerint. At vero alii contrarium senserunt; arbitrati nimirum sunt, Maronitas de Monotelitarum Schola prodiisse, Maronem eorum Caput extitisse, eumdemque haeresi adhaesisse, atque solummodo *anno* 1182. ab Aimeto tertio Patriarcha Latino Antiocheno Maronitas fuisse ad Romanam Ecclesiam revocatos. Haec omnia videre est apud Lexicum universale Gallicum et Latinum *tom.* 5. ad verbum *Maronitae*, et apud magnum Lexicum Morerii editionis Parisiensis *anno* 1747. *tom.* 6. ad verbum *Maronitae*.

Willelmi et Eustac. narrationes de Monacho nomine Marone haeretico, deque ejus Coenobio.

§. 8. Willelmus Archiepiscopus Tyri *lib.* 22. *Sacri Belli cap.* 8. narrat, ea, quae paulo ante indicavimus, ab alterius opinionis Sectatoribus produci. Verum, quoniam auctoritas Willelmi satis minime foret ad sententiam, quae Maronitis opponitur, roborandam; et fortasse ipse quoque Willelmus id agnovit, ea de re provocatum est *ad tom.* 2. Annalium Eutychii Alexandrini, qui *pag.* 191. ita scripsit: *Fuit tempore Mauritii Imperatoris Romanorum Monachus quidam nomine Maron, qui ajebat, duas esse Christi Domini nostri naturas, et unam voluntatem, unam operationem, unamque Personam etc. Cumque mortuus esset Maron, incolae urbis Hamath (Apameae) Monasterium in Hamath excitarunt, quod Dair Marum, id est Coenobium Maronis appellarunt, Fidemque Maroni professi sunt.*

Minus vera probatur.

§. 9. Negligentiam minime praesetulerunt Scriptores Maronitae, in exponendis, et palam faciendis erroribus, in quos inciderunt Eutychius Alexandrinus, Willelmus Archiepiscopus Tyri, aliique eorum Sectatores. Id innotescet, si legatur Dissertatio Fausti Naironis *de origine, nomine, ac religione Maronitarum*, quaeque praestanti eruditione a Dilecto Filio Josepho Simonio Assemano Praelato Nostro Domestico declarata fuere in suo *tom.* 1. *Bibliothecae Orientalis pag.* 498. quibus accedit Pagius Gallus scriptor in sua Critica ad Annales Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 1182. Atque, ut verum dicamus, quando error unius in Christo voluntatis atque operationis exordium habuit, ut omnibus notum est, regnante Heraclio; quo-

modo fieri potuit, ut idem error Mauritii tempore viguerit? qui dici potest, quod ait Eutychius, Coenobium excitatum fuisse post mortuum illum Maronem, de quo ipse sermonem habet, cum ducentis antea annis aedificatum jam deprehendatur, atque dicatum S. Maroni Abbati? quandoquidem scribit Procopius Caesariensis *lib.* 5. de aedificiis Imperatoris Justiniani, ab eo restauratum Coenobium Sancti Maronis; compertumque est, e vivis decessisse Justinianum *anno* 565. atque Mauritium mortuum esse *anno* 602.

Et quatenus verae, evincerent, duos extitisse Abbates Marones.

§. 10. Paternam Sedis Apostolicae benevolentiam erga Maroniticam Nationem desiderari non patiemur. Nos quippe in unum congessimus laudes nostrorum Praedecessorum, atque etiam nostras consociavimus in quadam Allocutione Consistoriali edita in Appendice nostri Bullarii *tom.* 2. *pag.* 42. At omisso in praesentiarum quocumque partium studio erga Maroniticam Gentem; atque eruditis ejus Nationis scriptoribus, qui Romae etiam versantur, cura remissa ab Adversariorum telis vindicandi perpetuam stabilitatem Sanctae Catholicae Religionis in suis Regionibus, si id necessitas (quod non credimus) postulet, atque Maronitarum originem a S. Abbate Marone propagatam; his, inquam, praetermissis, id unum reponimus, quod nempe, etiamsi veritati consentanea videantur, quae narrat Eutychius, aliud inde nequit inferri, nisi duos Abbates Marones extitisse, Sanctum unum, alterum haereticum. Porro cum ejusdem nominis appellatio non evincat, Sanctum fuisse haereticum, aut haereticum Sanctum, neque etiam cultum exhibitum Sancto, praestitum etiam, aut praeberi haeretico; inde manifeste consequitur, Venerabilem Fratrem Patriarcham Cyrillum auferentem Beato Abbati Maroni Cultum, non solum suae auctoritatis limites excessisse, verum etiam se irreligiosum praestitisse adversus hominem, qui tot jam saeculis inter Sanctos habitus est, ad cujus etiam Cultum publicum promovendum non destiterunt Romani Pontifices populos allicere, Indulgentias superius commemoratas impertiendo.

Probatur id ex ipsa temporum collatione.

§. 11. Paulo ante dictum est, quod, etiamsi concedatur, verum esse quod refert Eutychius, aliud exinde non sequitur, nisi duos Abbates Marones, Sanctum unum, haereticum alterum extitisse. Haereticus ille erit, de quo ipse loquitur, quique, ipso teste, vixit tempore Mauritii Imperatoris vita functi, quod indicatum jam est, *anno DCII.* At Sanctus, ille est, qui vixit, Imperium regente Arcadio, qui ab *anno CCCXCV.* usque ad *annum CCCCVIII.* principatum obtinuit; atque ejus vitam scriptis complexus est Theodoretus Scriptor coaevus non exiguae auctoritatis. Affirmavimus ejusdem nominis appellationem causam non esse, cur Sanctus haereticus existat, aut haereticus Sanctus, vel cur honor Sancto habitus, traditus haeretico intelligatur; atque haec propositio adeo naturae lumine perspicua est, ut confirmationibus non egeat. Itaque solummodo indicabimus, exemplum confusionis unius, et alterius Abbatis Maronis unicum et singulare nequaquam esse, cum duo pariter Raymundi Lullii, duo Johannes Cantii extiterint, de quibus prolixius verba fecimus in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum*. Ex Raymundis unus martyrii fama praedicatur; at non alter, qui infelicem vitam, ac mortem sortitus est. Unus pariter Johannes Cantius Beati nomine insignitur, et approbatione Apostolicae Sedis publica gaudet veneratione; alter veluti haeresi inquinatus execratur. Quamobrem manifeste apparent irreligiosi conatos Ven. Fratris Patriarchae Cyrilli, qui sub specie interdicendi Cultum Maroni haeretico, quem nominat Eutychius, revera ademit Maroni Catholico, de quo mentionem facit Theodoretus, quandoquidem Sancta Sedes in suis confessionibus unice semper intellexit colere Beatum illum Abbatem Maronem, de quo scribit Theodoretus, idemque ut ab aliis coleretur, praescripsit. Idque liquido constat ex iis, quae superius a Pontifice Clemente VIII. peracta esse commemoravimus. Tuum erit omnia enunciare Congregationi, atque necessarias, easque opportunas facultates accipere, atque de ejusdem, nostroque etiam mandato Literas dare Ven. Fratri Patriarchae Cyrillo, ut ea revocet, quae patravit, neque audeat publica veneratione Beatum Abbatem Maronem privare nec discordias serere Graeco-Melchitas inter, et Maronitas. Quod si consentaneum judicabitur hanc Epistolam, quam tibi dedimus, ad ipsum mittere, ut certior fiat de nostra voluntate, id praestare liberum tibi erit: Nos interim Apostolicam Benedictionem tibi impertimur.

Afferuntur exempla, quibus non semel contigit, ut unus nomine et Sanctus et Haereticus designarentur.

Nec tamen proinde exorta in cultu exhibendo confusio.

Turbatus temere S. Maroni cultus restitui jubetur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Septembris 1753. Pontificatus Nostri Anno Decimo quarto.

Dat. Pontific. Anno 14. die 28. Septembr. 1753.

XXV. JURISDICTIO

Congregationis super Bono Regimine Communitatum Ditionis Ecclesiasticae tum in Oeconomicis, tum in Judicialibus negotiis et causis cognoscendis, definitur; eidemque certa methodus in utrisque procedendi praescribitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Gravissimarum sollicitudinum, quibus in ardua Reipublicae procuratione quotidie afficimur, non aliud solatium habemus, quam quod spectata Nobis utilitatis publicae incrementa suppeditant, dum Nostris curis atque laboribus subjectorum populorum commoda promovere, ac providis institutis et legibus in perpetuum quoque tempus communire gaudemus. Quo in genere non modicum Nos beneficium contulisse putamus omnibus et singulis Civitatibus, Terris, et Locis sub temporali Nostro et Apostolicae Sedis Dominio constitutis, quum nuper ad oeconomicam Communitatum Ditionis Ecclesiasticae administrationem mentis nostrae oculos intendentes, universum ordinem et statum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super Bono earumdem Communitatum Regimine deputatorum, omnemque agendi rationem, quae in ea servatur, distincte cognoscere voluimus, indeque oblatam Nobis occasionem amplexi sumus nonnulla statuendi et ordinandi, quae his Nostris Literis perpetuae legis vim habituris edicere et promulgare deliberavimus, quaeque in magnum earumdem Communitatum emolumentum, omniumque adeo et singulorum Ecclesiae Romanae in temporalibus subditorum levamen et utilitatem cessura fore certo confidimus.

Pontificis studium de publica subditorum utilitate, quo Conductus Oeconomicam Administr. Commun. Status Ecclesi. recognoscere voluit.

Ac plura super ea edicere deliberavit.

Ordination. Sanctae a Cl. Mem. et Congregatio Cardinalium Card. ipso instituta.

§. 1. Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Clemens Papa VIII., ut singularem ejusdem Ditionis Ecclesiasticae Communitatum Bona et redditus, ea, qua decet, fide et cura, utiliter, et provide administrarentur, pravique abusus tollerentur, qui in publicum et commune damnum irrepsisse tunc temporis agnoscebantur, per suam perpetuo valituram Constitutionem datam in Monte Quirinali Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Decimo octavo Kalendas Septembris, quae incipit — *Pro commissa* — complura sapienter praescripsit, ab uniuscujusque Civitatis, Terrae, Oppidi Castri, et Loci Gubernatoribus, Magistratibus, et Officialibus, observanda, quorum executioni non solum ordinarios Apostolicae Sedis Ministros, tam in Romana Curia et Urbe, quam in iisdem Provinciis et Locis jurisdictionem exercentes, advigilare voluit et mandavit; verum etiam peculiarem Congregationem trium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ab ipso deputatorum praecipuo studio instare praecepit; Ad quem effectum, per alias suas Literas in forma Brevis die trigesima sequentis Mensis Octobris editas, quarum initium est — *Cum per Constitutionem* — iisdem Cardinalibus nonnullas facultates concessit, quibus suffulti, certas appellationum atque recursuum Causas, necnon Exemptionum seu Immunitatum, ac Remissionum, sive Defalcationum, aliasque hujusmodi Communitatum et Universitatum controversias activas atque passivas, etiam judiciali methodo non servata, cognoscere, ac definire, et ut earumdem credita exigerentur, expeditissima ratione providere possent; quae latius in dicta praefati Clementis Praedecessoris Constitutione, et subsequutis hujusmodi Literis continentur.

Paulus V. dictam Congreg. quoad Person. numerum et facultates ampliavit.

§. 2. Postmodum vero similis memoriae Praedecessor quoque Noster Paulus Papa V. per suas sub Annulo Piscatoris die quarta Junii Anni Millesimi sexcentesimi quinti editas Literas, duplicato numero Cardinalium pro dictae Constitutionis executione, rectoque et utili earumdem Communitatum regimine deputatorum, eisdem concessit, ut, pro faciliori negociorum ipsis commissorum expeditione, aliquos Praelatos, ut alias Personas jurisprudentia praeditas, a Romano Pontifice pro tempore approbandas, in eorum Consultores adhibere, necnon aliquem ex illis, seu alium idoneum eis benevisum, in eorum Congregationis Secretarium deputare possent; Eisdemque, ut omnes et quascumque dictarum Communitatum Causas, tam Civiles, quam Criminales, et Mixtas, per se vel alios ab eis subdelegandos, audire, discutere, et terminare valerent, amplissimas facultates impertitum fuit; Quas tamen deinde per alias similes Literas datas die

vigesima tertia Novembris Anni Millesimi sexcentesimi septimi ita declaravit, et intelligi voluit, ut eas solummodo, et non alias Causas Civiles, Criminales, et Mixtas, tam active, quam passive ad Communitates et Universitatis hujusmodi pertinentes, ut praefertur, audire, discutere, et expedire, ac etiam a quibusvis Judicibus reassumere et avocare possent, quae ad redditus et proventus (non tamen maleficiorum) ad illas quomodolibet spectantes, aut rationum seu computorum redditiones, etiam ratione administrationis Annonae seu Abundantiae, et quorumcumque aliorum bonorum earumdem Communitatum et Universitatum, quomodocumque et qualitercumque pertinerent; decernens, eos omnibus et singulis facultatibus in dictis prioribus Literis, ut praefertur, illis concessis, in hujusmodi Causis atque negociis dumtaxat, et circa ea, uti posse et valere, atque irritum et inane quidquid secus attentari contingeret. Caeterum quum alias Sanctae Memoriae Praedecessor quoque Noster Sixtus Papa V. inter alias Cardinalium Congregationes a se institutas, unam etiam pro sublevandis gravaminibus Status Ecclesiastici erexisset, ac deputasset, satis opportune factum fuisse appareret, ut illius Congregationis munera et facultates recentiori huic Congregationi super Bono Regimine Communitatum ejusdem Status Ecclesiastici deputatae, adjungerentur, et ab ea exercerentur.

Eidem unita est alia Congregatio a Sixto V. instituta pro sublevandis gravaminibus.

§. 3. Verum primaeva hujusmodi Congregationis forma, labentibus temporibus, non parum immutata esse dignoscitur. Nam et Cardinalium numerum antea definitum, nunc prudenti Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio, augeri et minui saepe contingit: Atque inter eos, quum antea nullus Praefecti nomen et officium obtineret, sed quae totius Congregationis nomine expediebantur Literae, Edicta, atque Mandata, per Cardinalem olim totius Pontificiae Ditionis generalem Administrum, deinde vero per Secretarium Status nuncupatum, subscribi et promulgari solerent; nunc unus e Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ejusdem Congregationis Praefectus a Romano Pontifice eligitur, et constituitur, ex quo felicis recordationis Praedecessor pariter Noster Clemens Papa Undecimus Pontificatus sui primordio, bonae memoriae Josephum Renatum, dum viveret, ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Imperiali nuncupatum illius Praefectum creavit, compluribus ei attributis facultatibus, quas in Schedula die quarta Maji Anni Millesimi septingentesimi primi Chirographo suo subscripta distincte expressit, quasque deinde similis memoriae Dominicus etiam dum viveret Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Riviera nuncupatus, illius in Praefectura hujusmodi successor a piae recordationis Decessore Nostro Clemente Papa Duodecimo electus, obtinuit, et pariter exercuit. Quare complura dictarum Communitatum et Universitatum negocia, praesertim oeconomica, quae primitus ab universae dictorum Cardinalium Congregationis judicio pendebant, nunc ab eodem Cardinale Praefecto expediuntur, nonnulla quidem ipsius peculiari providentia, pleraque vero cum consilio et suffragio Praelatorum eidem Congregationi, ut supra innuimus, ex Pauli Quinti ordinatione, adjunctorum. Hi autem antea pauciores, nunc ad duodenarium numerum aucti, quum Consultorum munere initio fungerentur, dum Causae atque negocia in ipsa Congregatione discutienda, a Cardinalibus ipsis proponebantur, et privative definiebantur, a multo jam tempore definitivum suffragium in omnibus obtinere dignoscuntur, ipsasque Causas atque negocia, juxta certam inter eos factam Regionum atque Locorum Status Ecclesiastici divisionem, partem ipsi judicant, et expediunt, partim in eadem Congregatione proponunt; unde et *Ponentes* ipsius Congregationis appellantur. Secretarius vero non ea solum officia et munera exercet, quae de sui natura sub hujusmodi denominatione comprehenduntur, sed praeter alia multa ad oeconomicum dictarum Communitatum et Universitatum regimen pertinentia, et Ordinarii Judicis partes exercet in Causis, quae vel in prima, vel in secunda Instantia, ad ejusdem Congregationis judicium deferuntur, ac etiam circa earum cursum atque progressum opportune decernit, et in reliquis omnibus ad ipsam Congregationem spectantibus definitivi suffragii jus pariter obtinet. Denique ipsa etiam methodus, pro recta bonorum atque reddituum dictarum Communitatum administratione et erogatione, in praefata Clementis VIII. Constitutione praescripta, quum lapsu temporis ad intentum finem assequendum non undequaque sufficiens comperta fuerit, in aliam ad id magis idoneam et opportunam commutata fuit.

Antiquus Congreg. status immutatus est, quoad numerum Cardin. et deputationem Praefecti.

Item quoad numerum et officia Praelatorum Ponentium et Secret.

Immutata quoque est methodus Oeconomici Communit. regiminis.

Horum pleraque Apostolica auctoritate roboranda, nonnulla reformanda censentur.

§. 4. Quae omnia licet cum magna dictarum Communitatum, atque adeo totius Ecclesiastici Status utilitate excogitata fuisse, et reipsa exerceri non ambigeremus; quum tamen pleraque ex illis, propterea quod Apostolicae Auctoritatis praesidio munita non essent, novis subinde mutationibus interverti posse prospiceremus; nonnulla vero, utpote diversis temporibus, pro rerum et casuum necessitate; in usum inducta, vel inter se minus apte constare, vel cum universo Reipublicae sistemate, et praestituto Judiciorum ordine, nequaquam congruere censeremus: Hinc maxime opportunum judicantes de omnibus ad ipsius Congregationis Cardinalium, ejusque Praefecti, necnon Officialium, ac Ministrorum Officia, jurisdictionem, et auctoritatem, earumque exercitium pertinentibus, prout etiam de Fundis atque redditibus illius dispositioni subjectis, et de illorum administratione et erogatione, pleniorem et magis distinctam Nobis notitiam comparare; per nostrum speciale Chirographum die undecima Novembris elapsi Anni millesimi septingentesimi secundi subscriptum, Dilectos Filios Magistros Aloysium Mariam Torregianum Protonotarium Apostolicum, alterius Congregationis Cardinalium super Consultationibus ejusdem Status Nostri Ecclesiastici Secretarium, et Petrum Paulum de Comitibus Utriusque Signaturae Nostrae Referendarium, ac Secretarium ipsiusmet Congregationis super Gravaminibus sublevandis, et Bono Regimine praedicti Status, necnon Alexandrum Belmonte Intimum Cubicularium Nostrum, de quorum diligentia, experientia, ac zelo, confidendum Nobis esse merito censuimus, Apostolicos Visitatores deputavimus, ad hoc ut praedictis rebus omnibus diligenter cognitis atque perspectis, quaecumque ab ipsis animadversa fuissent, quaeque aut perpetua Auctoritatis Nostrae confirmatione stabilienda, aut respective ad meliorem formam reducenda censerent, ad Nos exacte referrent. Cumque hi injuncto sibi muneri plene et laudabiliter satisfecerint; Nosque omnia per eosdem Nobis exposita mature perpenderimus, auditis etiam super his aliis doctrina et rerum usu praestantibus Viris, nonnulla primum, quae ad praedictarum Communitatum levamen et utilitatem magni momenti esse duximus, statim decernere et effectu complere non omisimus. Nunc autem universum ejusdem Congregationis statum firmare, ac immutabilem agendi rationem in ea perpetuo custodiendam praescribere volentes, infrascriptas Leges et Ordinationes praesentium Literarum tenore ferimus, statuimus, et Apostolica Auctoritate sancimus.

Ideo Pont. super dictae Congreg. jurisdict. ac redditibus et Ministror. Officiis visitationem instituit.

Accepta omnium relatione, aliqua ad Communitatum levamen statim exequitur.

Reliqua per praesentes statuere, et decernere intendit.

§. 5. Primum itaque invectam jamdudum, ut praefertur, et nunc actu vigentem ejusdem Congregationis formam, atque constitutionem, auctoritate Nostra, et earumdem praesentium tenore perpetuo confirmamus et ratam habemus; ut scilicet ipsa Congregatio ex competenti Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium numero constet, quos Romanus Pontifex pro tempore eidem adscripserit, et quorum unus ab ipso Pontifice specialiter electus et deputatus, Praefecti officium et nomen gerat; Ponentes autem sint numero duodecim, ex ordine Praelatorum Romae Curiae, non secus ac ipsius Congregationis Secretarius, ab eodem Pontifice pro tempore eligendi: Utque hi omnes et singuli, tam communiter, quam divisim, ea respective officia et munera exerceant, iisdemque juribus, facultatibus, honoribus, praerogativis, et emolumentis, quibus ad hunc diem uti, frui, et gaudere consueverunt, praeterquam in iis, quae praesentium Literarum tenori, Nostrisque Decretis atque Declarationibus inferius subjiciendis adversari comperta fuerint, in posterum quoque utantur, fruantur, et gaudeant, perinde ac si omnia et singula hujusmodi munera, et jura, aliaque praemissa, ex Apostolicis Praedecessorum Nostrorum ordinationibus et concessionibus obtinuissent. Nos enim laudabilibus ejusdem Congregationis statutis, usibus, stilis, et consuetudinibus, quae ipsis praesentibus non adversentur, Apostolicae confirmationis Nostrae robur adjicimus; ac etiam illa immutandi, et nova illorum loco faciendi, condendi, et edendi, quae tamen Apostolicis Constitutionibus, et praesentium tenori contraria non sint, quoties pro meliori rerum ordine, et ad propositum publicae utilitatis fructum certius assequendum, ita expedire in Domino judicatum fuerit, plenam et liberam eidem Congregationi facultatem et auctoritatem tribuimus et impertimur.

Confirmat hodiernum Statum Congreg. ejusque praefecti, et Offic. munera et emolumenta.

Confirmat omnes eorum facultates et statuta, quae praesent. non adv.

§. 6. Quoniam vero duplex est rerum genus, in quo Congregationis ejusdem labores, et studia occupantur; unum videlicet, atque praecipuum, quod pertinet ad oeconomicum

Duplex genus rerum ad Congreg. spectant. Oeconomicum, et judiciale.

regimen Communitatum et Universitatum praedictae Ditionis Ecclesiasticae; alterum vero, quod spectat ad judicialem cognitionem atque definitionem Causarum cum eodem Oeconomico regimine connexionem habentium; Nos circa utrumque nonnulla opportune et ex ordine praescribere volentes; Hoc primo laudamus et approbamus, ut quoniam non omnia oeconomica dictarum Communitatum negotia tam gravis momenti esse solent, ut Generalis Congregationis Cardinalium atque Ponentium judicio sint necessario subjicienda, neque id semper sine magno incommodo, ac plurium negociorum hujusmodi praejudicio, ac dilatione, re ipsa fieri posset; idcirco mos ille, qui ab initio currentis saeculi inductus fuisse dignoscitur, in posterum quoque retineatur, ut singulis Hebdomadis, quibus Generalis Congregatio praedicta in Palatio Pontificio non adunatur, Congregatio Particularis a Praelatis Ponentibus et Secretario habeatur coram solo Cardinali Praefecto, seu alio illius vices pro tempore obeunte; in eaque omnia et singula mere oeconomica dictarum Communitatum negocia tunc pendentia, (quae tamen non sint de majoribus, quorum cognitionem et resolutionem praedictae Congregationi Generali privative, ut infra, reservatam esse volumus, et decernimus,) a singulis respective Ponentibus referantur, exquisitisque omnium interessentium sententiis atque suffragiis, discutiantur, et, prout major illorum pars judicaverit, resolvantur et expediantur. Nos enim hujusmodi resolutiones atque Decreta, quae circa praemissa a Cardinali Praefecto, seu alio illius vices obeunte, de hujusmodi Particularis Congregationis Voto, expedientur, eamdem vim et auctoritatem habere, iisque perinde obtemperandum fore statuimus, ac si in Congregatione Generali captae et efformatae, seu condita et edita fuissent. Quin etiam eidem Cardinali Praefecto, in occurrentibus casibus, qui praesenti indigeant providentia, si periculum in mora subesse dignoscatur, ut ipse, (reservata eidem Congregationi, juxta negocii naturam, ipsius cognitione et definitione) interim auditis ipsius Congregationis Secretario, necnon Ponente illius Civitatis, seu Loci, ad quem res pertinet, opportunas quascumque ordinationes et providentias, per eumdem Ponentem, aut Secretarium deinde in proxima Generali Congregatione referendas, ejusdem Congregationis nomine interponere possit et valeat, liberam facultatem competere volumus et statuimus.

Facultates Congreg. particularis, quod Oeconomica minoris momenti negocia.

Methodus in eadem servanda.

Facultates Card. Praefecti in casibus urgentib. salva auctoritate Congr. Gen.

§. 7. Graviora autem negocia ad oeconomicum regimen dictarum Communitatum et Universitatum spectantia, quae dictae Generalis Congregationis examini et judicio privative reservanda judicavimus, ea primum esse et censeri decernimus, super quibus Generalia quaecumque Decreta, edicta, et Ordinationes, in Universa Ditione Ecclesiastica, seu in aliqua ex ipsius Ditionis Provinciis vim habitura, concedere et promulgare opportunum pro tempore visum fuerit. Quorum videlicet publicationi et executioni quum Nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritas accedere necessario debeat, Nos tunc assensum Nostrum opportune praebebimus, quum in praedicta Generali Congregatione rem omnem mature discussam, et Cardin. simul, ac Praelatorum sententiis comprobatam fuisse intelligemus.

Caetera graviora negocia Generalis Congreg. cognitioni reservantur, cum approbatione Pontif. expedienda.

§. 8. Porro hujusmodi Generalium Ordinationum, et Decretorum objectum illud praecaeteris, ad rectam Communitatum, earumque reddituum administrationem, gravissimum haberi volumus, et enixe commendamus, quod pertinet ad rationes dati et accepti, *Tabellas* vulgo nuncupatas, ab earumdem Communitatum Officialibus et Ministris exactissime conficiendas, et statis temporibus inviolabiliter ad Urbem transmittendas, ejusdemque Congregationis examini subjiciendas; ne scilicet aliquibus ex iis Communitatibus, quae dictae Congregationi subjectae sunt, liberum sit ab hujusmodi transmissione se eximere, eamve ultra praefinitum tempus indebite differre; neve earum Administratores ullo modo valeant exactas proventuum atque reddituum summas minores vero describere, aut falsas, seu majores, quam revera fuerint, expensas in dati Tabulas referre. Quam quidem in rem ipsa Congregatio opportune viderit, quid praescribendum generaliter sit, et quae documenta et probationes, pro dignoscenda vera reddituum et expensarum quantitate, aut singularum Provinciarum, Civitatum, Locorumque Rectoribus exhibenda, aut ad Urbem ipsam censeat transmittenda.

Et maxime, quae pertinent ad exactam Tabellarum confectionem et transmissionem.

§. 9. Hujus autem diligentiae fructus praecipuus is erit, ut comparatis inter se reddituum et expensarum verioribus summis,

Necnon superextantium pecuniarum erogationem.

quidquid apparebit in singularum Communitatum et Universitatum aerario superesse debere, ab Exactorum, seu Depositariorum manibus sine mora recuperatum, et in aliquo Monte Pietatis, ad ipsius Congregationis dispositionem, (excepta congrua summa pro minoribus occurrentibus expensis earumdem Communitatum et Universitatum usus relinqui solita) integre depositum, vel in extinctionem aeris alieni ab iisdem Communitatibus antea contracti, vel alias in earumdem Communitatum utilitatem, aut levamen, sub ejusdem Congregationis directione, provide erogetur. Neque enim ullas extraordinarias expensas, præsertim graviores, ut puta Viarum, Aquaeductuum, Pontium, aliorumque publicorum Ædificiorum, et generaliter eas, pro quibus explendis novum debitum contrahendum, aut aliquod impositionis, seu collectae genus instituendum, vel vetus augendum fuerit, sine praevio ejusdem Congregationis Generalis examine et permissu, et praedictis Communitatibus et Universitatibus suscipi, fierique posse, volumus et decernimus. Ubi autem nec aes alienum dissolvendum adsit, nec utile aliquod, aut necessarium opus publico sumptu conficiendum proponatur, ejusdem Congregationis officium erit, ex laudati etiam Sixti V. Praedecessoris mente, sublatis opportune collectis, oneribus, et gravaminibus, quibus hujusmodi Universitatum Homines diversis rationibus ad contribuendas in publicum pecunias adiguntur, earumdem Communitatum levamini, et Populorum felicitati consulere. Qua in re hunc maxime ordinem servari aequum erit, ut quae onera in exactione plus incommodi secum afferunt, aut exacta in causas minus utiles expenduntur, ea primum omnium aboleantur, aut minuantur. Et quidem peculiari studio eidem Congregationi Generali hanc curam injungimus, ut ubicumque, et quamprimum id fieri poterit, gravamina illa de medio tollantur, quae internum externumque commercium per Provincias, et Loca Ditionis Nostrae Ecclesiasticae quoquo modo praepediunt, aut difficilem reddunt; pedagia nimirum, portoria, aliaque impositionum genera, quae in transitu, ingressu, aut egressu mercium hic illic exiguntur; quibus dum singulae Communitates, earumque Homines, invicem praegravantur, universi demum Status Ecclesiastici robur, necessario commercio languente, sensim interire necesse est. Neque minori studio eam partem oeconomici regiminis dicta Congregatio commendatam sibi esse noverit, quae spectat ad tuendam, augendamque Terrarum culturam, et ad Artes, et Opificia in opportunis Regionibus et Locis excitanda, tuenda, atque amplificanda; ut omnium rerum, quae ad vitae sustentationem, et commodum, cultumque pertinent, necessaria copia suppetat in ipso Ditionis Ecclesiasticae sinu, cujus Terrarum ubertas, et Incolarum frequentia, Divinae largitatis munere, perspicua est, et prope singularis; quae sane ex recte instituta publicorum onerum impositione, et distributione, plurimum incrementi capere posse non ambigitur.

Terrarum culturam, Artes, et Opificia promoveat.

Extraordinariae expensae absque licentia Congreg. Generalis non fiant.

Haec autem Communitatum levamini provide attendat.

§. 10. Quoties autem unius aut plurium Communitatum res postulare videantur, ut Praelatus aliquis, seu alia idonea persona, ad illius, earumve visitationem peragendam mittatur; hujusmodi Visitatoris deputatio, dictae Congregationis Generalis arbitrio, ejusque speciali Decreto fieri debebit; nec alia eidem Visitatori auctoritas tribuenda erit, quam ut statum oeconomicum hujusmodi Communitatum diligenter scrutetur, et quidquid circa ipsa cognoverit, et animadversione dignum censuerit, scripto adnotatum, et apte digestum, ad ipsam Congregationem referat; Haec autem, omnibus mature perpensis, opportunas quasque resolutiones capiet, eaque Decreta edet, quae ad earumdem Communitatum levamen, et utilitatem, seu ad oeconomici illarum Regiminis reformationem, magis expedire in Domino judicabit.

Visitatores Communitatum a Congreg. Generali cum definitis facultatibus deputentur.

§. 11. Denique quidquid majoris momenti, ad providam, rectamque dictarum Communitatum et Universitatum, earumque bonorum administrationem, statuendum pro tempore occurret, omniaque negotia oeconomica, quae juxta communem prudentum aestimationem, inter graviora recenseri possunt; ejusdem Congregationis Generalis judicio et auctoritati subjicimus, et privative reservamus.

Omnia demum majoris momenti a Congr. Gen. arbitrio pendeant.

§. 12. Quae quoniam praecipua Praelatorum Ponentium opera ac diligentia praeparari, et explanari debebunt, ut jam de horum officiis muneribusque agamus, hoc primum volumus atque statuimus, ut sublata praesenti, quae inter ipsos obtinet, Provinciarum, Civitatum, atque Locorum divisione, nova partitio fiat omnium Ditionis Ecclesiasticae

De Officio Praelatorum Ponentium.

Communitatum et Universitatum eidem Congregationi subjectarum, in duodecim portiones, quarum unaquaeque conterminas Civitates et Communitates contineat unius ejusdemque Regionis, seu Tractus praedictae Ditionis, servata, quantum fieri poterit, civili Provinciarum divisione, et congrua inter ipsas portiones aequalitate; singulae autem portiones hujusmodi singulis Ponentibus assignentur, ut unusquisque eorum circa oeconomica negotia Civitatum, Terrarum, atque Locorum in designata sibi Provincia seu Portione existentium peculiariter occupetur, non solum prout hactenus ab ipsis Ponentibus fieri consuevit, sed etiam in aliis rebus, quae Nos per praesentes iisdem committimus et demandamus.

Nova inter eos Provinciarum divisio fiat.

§. 13. Volumus nimirum, ut singularum Communitatum Tabellae, quarum omnium revisionis onus hucusque a solo praedictae Congregationis Secretario, una cum ejusdem Ratiocinatore sustinebatur, in posterum ab eo Ponente, una cum Ratiocinatore hujusmodi, revideantur et examinentur, in cujus respective Districtu, seu Ponentia, aut Divisione, Communitates ipsae continebuntur; ita videlicet, ut quaecumque ab ipsis notatu digna observabuntur, quaeque Decreta super ipsis efformanda judicabunt, omnia referant ad Congregationem particularem, cujus erit rem totam communi suffragio definire, aut, juxta negotii gravitatem, ad Congregationis Generalis judicium deferre. Ut autem ab omnibus et singulis Communitatibus Tabellae hujusmodi debitis temporibus transmittantur, utque Decreta super ipsis condita, aliaque per dictam Congregationem edita et promulgata, debitae executioni demandentur, in eorumdem Ponentium cura et diligentia praecipue positum erit; quibus idcirco injungimus, ut frequentibus Literis ad Civitatum et Locorum Rectores et Magistratus, ubi opus fuerit, conscriptis, de praedictis omnibus certiores fieri curent; et si quae Communitates in Tabellarum transmissione contumaciter morosae fuerint, si quae impedimenta generalium Legum observationi, aut peculiarium Decretorum implemento alicubi obstare, et praesertim si Locorum Dominos, seu Barones, ab onerum Cameralium, aliorumque ipsis incumbentium solutione indebite se eximere compererint, haec omnia, etiam nemine recurrente, et ex officio, ad ejusdem Congregationis Particularis notitiam perferre, vel ei in memoriam revocare non omittant! Praeterea eidem perpendendum exponant statum oeconomicum earum Communitatum, quae vel aere alieno, vel annuis dispendiis ultra vires premuntur, vel redditibus et proventibus supra expensarum necessitatem abundant, ut illarum respective levamini, aut majori utilitati opportune provideri valeat. Cum autem definitivae resolutiones quoad complura ex hujusmodi negotiis, in Generali demum Congregatione, ut supra statuimus, capiendae sint, hinc maxime opportunum censemus, ut singuli Ponentes praedicti, audita super negotiis a se propositis dictae Congregationis Particularis sententia, eamdem in scriptis redigant, et ad Cardinales in proxima Generali Congregatione suffragium laturos, pro eorum animi instructione, tempestive transmittant: Super quorum omnium implemento Nos Cardinali pro tempore ejusdem Congregationis Praefecto diligenter advigilandum injungimus, et expresse demandamus.

Revisio Tabellae cujusque Commun. fiat a Praelato Ponente cum Ratiocinatore Communitatum.

Decretorum executio a Ponentibus promoveatur.

§. 14. Caeterum quum nonnulli redditus, ac proventus, ex diversis Romanorum Pontificum concessionibus, ejusdem Congregationis administrationi commissi fuerint, iidemque, prout etiam Capitalia quaedam ex ipsis comparata, eorumque fructus, sub praedicti Cardinalis Praefecti directione partim in emolumenta Officialium et Ministrorum ipsius Congregationis pro omnium Communitatum utilitate laborantium, nec non eorum, qui singularum Civitatum, Terrarum, atque Locorum *Agentes*, seu negotiorum Gestores appellantur, partim in earumdem Communitatum levamen et commoda diligenter et provide impendi consueverint; Nos eidem Cardinali Praefecto eamdem curam, et directionis auctoritatem confirmamus: Decernentes, hujusmodi summas in eas tantummodo causas erogari debere, pro quibus in primaeva earum constitutione et assignatione destinatae fuerunt; nisi aliter a Nobis, et Successoribus Nostris dispositum, et in singulis occurrentibus casibus per specialia Chirographa demandatum fuerit; Officia vero dictorum Agentium, seu negotiorum Gestorum, quum primum illa, per ea nunc obtinentium cessum, aut decessum, vacare contigerit, a singulis respective Civitatibus, et Communitatibus, cum iisdem tamen emolumentis, et non aliis, in personas sibi benevisas conferenda esse; Ac demum Taxam super Commu-

Ceterum reddituum cura et administratio confirmatur Cardin. Praefecto, qui eos in destinatos usus eroget.

Agentes Communitatum earum arbitrio in posterum eligantur.

Reductio fiat Taxae pro utensilium Satellitum super Communitatibus Districtus Urbis imponitae. De Judiciaria Congregationis potestate. Ea limitatur ad Causas in Constitutionibus Apostolicis expressas.

nitatibus intra districtum Urbis consistentibus impositam, pro Satellitum, seu *Birruariorum*, ut vocant *utensiliis*, ad eam iterum quantitatem, praevio saepedictae Congregationis Generalis examine, reducendam esse, quae summam in id annuatim erogari solitam magnopere non excedat.

§. 15. Reliquum est, ut ad judiciariam potestatem ejusdem Congregationis, et ad illius exercendae methodum, oculos convertamus. Quum enim hujusmodi auctoritas certis limitibus circumscripta, jam usque ab initio per dictum Paulum V. Praedecessorem, ut superius etiam innuimus, eidem tributa fuerit, et constans sequentium Pontificum mens fuisse dignoscatur, ut praestituti limites hujusmodi ab illa, seu a Judicibus ab ea deputatis, minime transcenderentur, ut ex Decretis et Reformationibus per felicis recordationis Praedecessores nostros Innocentium XI. et Innocentium XII. et per Nos ipsos editis aperte constat: nihilominus saepe venisse accepimus, ut vel de consensu partium, vel ob praetensam causarum connexionem, aliisve de causis, ipsa Congregatio, ejusque Cardinalis Praefectus, ac Secretarius, aliique Praelati Ponentes, et Judices subdelegati, in controversiis illius pertinentiam et auctoritatem excedentibus, manus apposuerint, et in ipsis judicialiter, etiam ad sententiam, ejusque executionem processerint. Quod quum in recti ordinis et constituti Curiae Nostrae sistematis perturbationem vergere dignoscatur, Nos dicta auctoritate Apostolica, et earumdem praesentium tenore, praedictas Pauli V., et Innocentii XI., ac Innocentii XII. Praedecessorum, Nostrasque Constitutiones et Reformationes iterum confirmantes et innovantes, eidem Congregationi, ejusque Praefecto, ac Secretario, et Ponentibus, aliisque Judicibus, si qui sint ex illius delegatione jus quandocumque et ubicumque dicentibus, districte inhibemus, ne ullas alias causas civiles, criminales, aut mixtas, praeter eas, quae in dictis Constitutionibus et Reformationibus, ejusdem Congregationis cognitioni et judicio relinquuntur, quaeque distinctius praesentibus nostris Literis mox exprimentur, in prima, aut in qualibet ulteriori instantia cognoscendas assumere, seu in ipsis judicialiter quomodocumque procedere; etiam de consensu partium expresso aut tacito; aut prorogatae jurisdictionis obtentu, sive ex eo, quod in ipsis agatur de interesse dictarum Communitatum activo, aut passivo, vel quod arctam connexionem habeant cum aliis causis coram ipsa Congregatione, ejusque Praefecto, aliisque Judicibus, legitime introductis, et actu pendentibus; multoque minus super earum pertinentia decernere, ullatenus praesumant; Nos enim ex nunc nullum, irritum, et inane decernimus, quidquid in posterum in hujusmodi causis, contra praesentis Decreti Nostri tenorem, per illam et illos actum, gestum, decretum, ac definitum, seu mandatum, et executum fuerit. Quocirca omnes et singulas hujusmodi causas sub aliquo capite ex inferius exprimendis non comprehensas, si quae actu coram dicta Congregatione, ejusque Secretario, aut aliquo ex Ponentibus aliisve Judicibus ab eadem delegatis, etiam de consensu partium, ut supra, introductae sint, et pendere dignoscantur, quocumque in statu aut terminis (quos hic pro satis expressis haberi volumus) reperiantur, iisdem auctoritate et tenore, ab illa et illis avocamus, easque Judicibus competentibus respective in iisdem statu et terminis, cognoscendas, finequè debito terminandas committimus et delegamus.

Cum avocatione aliarum, et remissione ad Judices competentes.

§. 16. Causae autem, quas dictae Congregationi, ac respective illius Praefecto, ac Secretario, et Ponentibus, aliisque Judicibus, ejusdem auctoritate, aut nomine, diversimode, ut infra, cognoscendas, definiendasque assignamus, sunt quae sequuntur, videlicet.

Enumerantur genera Causarum ad ipsius Congregationis judicium spectantium.

§. 17. Primo: Illae, in quibus pro parte quarumvis Communitatum et Universitatum eidem Congregationi subjectarum, aut Conductorum, et Appaltatorum ab ipsis causam habentium, agitur pro solutione onerum Cameralium, aut illorum, quae Communitativa appellantur in Tabella descriptorum, adversus eorum debitores quoscumque. Et quoniam ad eos arctandos, et ad proventus hujusmodi pro parte dictarum Communitatum prompte exigendos, praefatus Clemens VIII. Praedecessor eidem Congregationi facultatem indulsit procedendi *Manu Regia*; Nos eamdem facultatem ipsi praesentium tenore confirmantes, volumus et praecipimus quaecumque Mandata sub hujusmodi formula ab eadem Congregatione pro dictorum onerum solutionibus expedientur, sine ulla tergiversatione, et gratis omnino, a competentibus Judicibus localibus sub-

I. Causae super exactionibus onerum Cameralium et Communitativorum in Tabella descriptorum.

De concessione Manus Regiae, ejusque prompta executione.

scribenda esse : nimirum a Judice Ecclesiastico, si contra Ecclesiasticas personas, aut Loca Pia agatur ; a Laico autem, si contra Laicos concessa fuerint ; et ad eorumdem executionem procedi debere, non obstante quacumque inhibitione cujusvis Judicis, aut Tribunalis, etiam ipsiusmet Congregationis Boni Regiminis, ejusve Praefecti, aut Secretarii, nisi signata fuerit manu nostra, seu pro tempore existentis Summi Pontificis, ejusve Auditoris ; eidem vero Congregationi, illiusque Praefecto, aut Secretario dumtaxat licitum fore, hujusmodi Debitorum recursus, aut appellationes in devolutivo admittere, postquam ab iis reipsa solutum fuerit totum id, pro cujus exactione mandatum Manus Regiae expeditum fuit ; decernentes, solam Pignorum oblationem, aut captionem, ad hunc effectum minime suffragari.

Quando allegata exceptionis privilegia executionem suspendere valeant

§. 18. Quod si debitor aliquis Privilegium alleget exemptionis, quo se contendat ab alicujus oneris solutione immunem esse debere ; tunc, si Communitas in quasi possessione reperiatur exigendi onus illud ab hujusmodi praetensis Privilegiatis, nihil obstare volumus, quominus supradicta ratione adversus eos procedatur ad executionem Manus Regiae, quacumque inhibitione, appellatione, aut recursu postpositis ; et reservata dumtaxat praetensi Privilegii verificatione, ejusque relevantiae discussione, ad suum congruum Judicium Petitorum ; quod quidem in prima instantia coram dictae Congregationis Secretario, in gradu autem appellationis coram ipsa plena Congregatione, juxta privativam facultatem super his judicandi, per dictos Clementem VIII. et Paulum V. ipsi tributam, fieri debere decernimus. Si autem exigendi consuetudo et quasi possessio Communitati non assistat, tunc adversus allegantem Exemptionis Privilegium nequaquam procedi volumus Manu Regia ; sed ante omnia de Privilegii subsistentia et viribus coram Secretario dictae Congregationis, ac etiam subinde, quatenus appellatum fuerit, coram eadem Congregatione Generali, servatis servandis, judicandum et pronuntiandum fore decernimus. Et haec eadem servari volumus, quoties super solutionibus hujusmodi onerum in Tabella descriptorum, inter Communitatem Loci Feudalis, et Dominum, seu Baronem ipsius Loci, controversia aliqua oriatur.

§. 19. II. Illas quoque Causas ad praedictam Congregationem, ejusque Praefectum, Secretarium, aliosque Judices ab ea deputandos spectare decernimus, in quibus ex parte earumdem Communitatum, et Universitatum, seu Conductorum, et Appaltatorum ab illis jura sua desumentium, agitur adversus Debitores Canonum, Livellorum, seu fructuum Censuum, aut Pensionum Domorum, aliorumve Praediorum Urbanorum, aut Rusticorum, ac caeterarum omnium responsionum, et praestationum in supradicta Tabella descriptarum ; contra quos pariter, quatenus Communitas in hujusmodi proventuum exigendorum possessione, seu quasi, esse dignoscatur, expedienda erit Manus Regia, eaque subscribenda, et exequenda, prout supra ; non obstantibus quorumvis Judicum, et Tribunalium, etiam ipsius Congregationis, seu illius Praefecti, aut Secretarii, inhibitionibus, praeter signatas a Nobis et Successoribus Nostris, seu Nostro, et illorum Auditore pro tempore existente ; Recursus autem et Appellationes in devolutivo dumtaxat, post expletam solutionem, admitti poterunt. At ubi superioris temporis possessio Communitati non suffragetur, tunc, suspensa Manus Regiae expeditione et executione, petitio Communitatis, ejusque Appaltatoris in prima instantia coram Judice Locali proponenda, et in gradu Appellationis dumtaxat ad praefatam Congregationem, ut inferius declarabimus, deferenda erit. Neque enim congruum reputamus, aut dicti Clementis VIII. Literis et menti consentaneum, ut pro hujusmodi causis, et levioribus ut plurimum pecuniarum summis, ad Urbis Tribunalia in prima Instantia recurrere debeant universae Ditionis Ecclesiasticae Communitates : Quae tamen si a Judicibus Localibus hujusmodi Causarum expeditionem intra sex mensium spatium obtinere nequiverint, tunc dictae Congregationis officium et auctoritatem recte implorabunt ; dictique Praefectus, et Secretarius hujusmodi Causas coram praefatis Judicibus pendentes etiam in prima instantia reassumere, et ad se avocatas cognoscere ac definire libere poterunt.

II. Causa super exactionibus proventuum Communitat. in Tabella et iam descript.

In his etiam procedit Manus Regia, appellatione remota, quando Communitas esset in quasi possessione exigendi.

Alias discep tanda erit Causa coram Judice locali in prima instantia, et coram Congregatione in secunda.

Salva huic auctoritate reassumendi Causas pro semestre pendentes.

§. 20. Quae tamen ita in hoc secundo Causarum genere procedere volumus, et intelligenda esse declaramus, quatenus Communitas in Judicio executivo agat adversus Personam et bona ipsius Debitoris, qui ad controversae praestationis solutionem proprie tenetur ; non

Quo in casu praemissa non procedant.

autem contra Tertium per se non obligatum, quique ante executionem Manus Regiae, aut in actu ipsius executionis, Inhibitionem aliquam dotalem praesentet, aut satis notam alleget *Cauthelam Angeli* nuncupatam; Siquidem in his casibus, pro eo quod pertinet ad Bona, super quibus intentata erat executio, Judicium Causae non ad Congregationem Boni Regiminis spectabit, sed ad Judicem Inhibitionis, apud quem scilicet pro parte Communitatis instandum erit pro ipsius Inhibitionis moderatione; quemadmodum alias de anno millesimo septingentesimo decimo octavo per Epistolam Encyclicam ejusdem Congregationis declaratum fuit.

III. Causae super natura onerum Communitatibus solvendorum.

§. 21. III. Illud etiam Causarum genus ad saepedictae Congregationis judicium spectare decernimus, quod circa naturam onerum unicuique Communitati solvendorum non raro agitari contingit; an scilicet Cameralia, an vero Communitativa, seu mixta sint, et censeri debeant. Quas quidem Causas, utpote graviores, et de sui natura minime executivas, coram Secretario dictae Congregationis in prima Instantia, deinde vero in gradu appellationis apud plenam Congregationem disceptandas, ac definiendas fore statuimus.

IV. Lites super electionibus Camerariorum, et exactorum, aliorumque Ministrorum Communitatum.

§. 22. IV. Quaecumque Lites, et Controversiae inter dictarum Communitatum et Universitatum Homines exoriantur super electionibus et deputationibus Camerariorum, sive Exactorum, aut Depositariorum, aliorumque Administratorum pecuniae publicae, seu rei Frumentariae, vel Olei, aut aliorum generum, quae pro Populi victu, et sustentatione, aliisque necessitatibus, publico sumptu comparari contingat; Item illae, quae in redditionibus rationum hujusmodi Administratorum exsurgere possunt, seu quum adversus eos agitur pro residuis ab eorum manibus recuperandis; Hae omnes tamquam gravioris momenti, ad Secretarii praedictae Congregationis Judicium in prima Instantia pertinebunt, in ulterioribus autem, ad plenam ipsam Congregationem. Quae etiam criminaliter procedere potest adversus praefatos Administratores, quatenus de dolo, aut fraude, vel falsitate, sufficientibus indiciis concurrentibus, arguantur.

V. Causae super locationibus Bonorum Communitatum, cum earum dependentis,

§. 23. V. Denique ad eumdem Secretarium in prima Instantia, et respective ad plenam Congregationem in gradu appellationis, privative deferri debebunt Causae et Lites super Locationibus Bonorum, atque Proventuum dictarum Communitatum, quicumque in praefata Tabella descripti habentur, inter Communitates Locatrices ex una, et Conductores, seu Appaltatores ex altera partibus, seu inter plures Oblatores, aut Conductores hinc inde, pro tempore vertentes; Prout etiam controversiae super praetensis conventarum responsionum atque Pensionum remissionibus, et defalcationibus, ab iisdem Conductoribus, et Appaltatoribus promotae, et promovendae; ea tamen servata lege, ut nulla exceptio defalcationis ex quolibet etiam privilegiato capite pretensae, iis suffragetur, ad effectum retardandi solutionem integrae conventae summae, et executionem Manus Regiae, per quam ad hujusmodi solutionem ante omnia compelli debebunt, juxta id, quod in citata Clementis VIII. Constitutione praescriptum legitur.

Praescribitur ordo et methodus hujusmodi Causarum cursu servanda.

§. 24. Has et non alias Causas, Lites, et Controversias dum a praedicta Congregatione Boni Regiminis, ac respective ab illius Praefecto, Secretario, Ponentibus, aliisque ab ea deputatis, judicialiter cognoscendas, definiendasque decernimus: ordinem quoque ac methodum in iis procedendi opportune statuamus, oportet. Quoties itaque Causa aliqua a Judice Locali, per expeditionem et executionem Manus Regiae, juxta praemissa, expedita fuerit, ac Debitor, post expletam solutionem, ut praefertur, reclamaverit, liberum ei erit ad praefati Secretarii judicium in devolutivo provocare. Qui si Judicatum de partibus sententia sua confirmaverit, idemque Debitor novam Commissionem a Congregatione Generali impetrare cupiat, non aliter audiendus erit, quam si a Cardinali Praefecto supersessoriam obtinuerit ad effectum adeundi plenam ipsam Congregationem. Haec autem, quatenus Commissionem signandam existimet, eam dirigere debebit alicui ex Ponentibus, at semper cum clausula: *Parito judicato*. Si vero praedictus Secretarius in devolutivo pronuncians, Judicatum de partibus revocet, Communitas autem a posteriori hujusmodi sententia appellationem interponat: tunc absque ulla supersessoriae concessione, Causa ipsa principalis, per eum Ponentem, ad quem juxta divisionem superius praescriptam pertinebit, in plena Congregatione proponenda erit; et quidquid per hanc super illius meritis judicatum fuerit, id pro finali definitione habendum, servandum, et exequendum erit; absque eo quod ulterior ulla appellatio, aut Causae

revisio, etiam in gradu restitutionis in integrum, admitti valeat.

§. 25. In iis autem Causis, quas supra diximus coram eodem Secretario in prima Instantia agitandas esse, si, postquam ab eo pronunciatum fuerit, aliqua ex Partibus appellationem interponendam duxerit, supersessoriam prius obtinere debebit a Cardinali Praefecto, ut plenam Congregationem adire possit: in qua non quidem de ipsa appellatione admittenda, aut rejicienda, seu de Commissione signanda, agendum erit, sed super Causae meritis finaliter judicandum, sublata quacumque ulteriori appellatione, seu Causae hujusmodi revisione, etiam in gradu restitutionis in integrum; Expedit enim in hujus generis Causis, quae ad oeconomicum regimen pertinent, brevissimum, quoad fieri poterit, litibus, et controversiis terminum praestituere.

Quomodo concedenda sit Communitatibus licentia sustinendi et movendi lites.

§. 26. Ne autem hujusmodi Lites et Controversiae, sive active, sive passive, a Communitatibus, et Universitatibus temere suscipiantur, aut cum earum inutili dispendio sustineantur, Nos saepedicto Cardinali Praefecto, seu alteri Cardinali illius vices pro tempore obeunti, committimus et mandamus, ut nullas lites hujusmodi inter quamcumque Communitatem, seu Universitatem ex una, et alias Communitates, sive Universitates, aut Hominum coetus, privatasve personas, ex altera partibus, in quolibet Tribunali motas, atque movendas, publico sumptu agitari permittat, sine expressa licentia sua in scriptis concedenda; quam quidem ipse, pro suo prudenti arbitrio, ac de consilio Secretarii, et Ponentis respective, concedet quoad primam Instantiam, ac etiam quoad ulteriores, ubi Communitas in prima, vel in proxime superiori Instantia, favorabilem sententiam, seu resolutionem obtinuerit. At si Communitas in prima, multoque magis, si etiam coram Judice secundae Instantiae, Causa ceciderit, tunc eidem, ut litem in gradu ulterioris appellationis prosequi valeat, non aliter licentiam impertiri debebit, quam facta per Homines ejusdem Communitatis solemni obligatione, per quam ipsi, *uti singuli, et in solidum*, ad litis hujusmodi expensas, et ad relevandam Communitatem ab omni damno in casu contrariae sortis, se valide obstringant.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 27. Denique praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specifica et individua mentione, et expressione digni, eisdem non consenserint, aut ex alia quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, et substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse; sed semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari decernimus.

Aliter judicari prohibetur.

§. 28. Sicque, et non aliter per eamdem Congregationem, ejusque Praefectum, ac Ponentes, et Secretarium, aliosque Judices Ordinarios, et Delegatos, quavis auctoritate, praeeminentia, aut potestate fungentes et functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, aliosque S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos; sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere: irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 29. Non obstantibus, quatenus opus sit, dictorum Sixti V., Clementis VIII., et Pauli V., super unius et alterius Congregationis erectione, et facultatibus, Nostraque et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quarumcumque Causarum et Litium pendentia in quocumque statu et terminis; dictaeque Congregationis, etiam confirmatione Apostolica, seu qualibet firmitate alia roboratis usibus, stilis, et consuetudinibus, etiam antiquis, et immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, eidem Congregationi, ejusque Praefecto, et Officialibus, necnon cuilibet ex Comunitatibus, et Universitatibus Ditionis praedictae, earumque Hominibus, seu peculiaribus Personis, sub quibuscumque formis et verbo-

rum tenoribus, clausulis, et decretis, in contrarium praemissorum forsitan concessis, ac pluries confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio habenda esset, tenores hujusmodi pro praesentibus insertis habentes, Motu, scientia, et potestatis plenitudine praefatis, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum, illis alias in suo robore permansuris, amplissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 30. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrorum Decretorum, Statutorum, mandatorum, avocationis, remissionis, commissionis, declarationum, et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontif. An. 14. die 11. Oct. 1753.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, Kalendis Octobris, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

D. Card. Passioneus.
J. Datarius.
Visa de curia
J. C. Boschi.
Loco † Plumbi.
J. B. Eugenius.
Registrata in secretaria Brevium.
Publicata die 26. Novembris 1753.

XXVI. TRIBUNALI

Auditoris Generalis Camerae Apostolicae adduntur duo Praelati Assessores in Causis Criminalibus definiendis, certaque methodus in hujusmodi judiciis coram ipso A. C. instituendis, prosequendis, et absolvendis firmatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Justitiae coercitivae exercitium.

Ad coercenda delinquentium flagitia Nos sedulo intendere cogit Supremi Legislatoris Officium, quo et temporali Ditioni Apostolicae Sedis Dominio subjectae, et spirituali Gubernio Catholicae Ecclesiae toto Terrarum Orbe diffusae: ex juribus Beati Petri Apost. Principis, Dei ordinatione, praesidemus. Quum enim sperandum non sit, communis corruptionis vitia, quaeque ex iis saepe prodeunt facinora et crimina, ab hominum universitate penitus tolli posse: necesse est, iis, qui in Leges peccant, statutas Legibus poenas, ratione duce, sapienter infligere; ut vel earum salubri rigore emendati, (quod magis cupimus,) ad justitiae cultum revocentur: vel saltem ulterius delinquendi facultate privati, a perturbando Societatis ordine desistant, et caeteris exemplo sint, ne sanctissimarum Legum instituta violare liberum sibi putent, aut impune fore confidant. Quam in rem, quum paucis ante annis, ad optimum hujus Almae Urbis, ejusque Districtus regimen stabiliendum, plura praescripserimus in Tribunali Gubernii ejusdem Urbis observanda, quae primum in Schedula Nostri Motus proprii late digessimus, deinde vero in Apostolica Constitutione Nostra, quae incipit *Justitiae gladium*, data anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIX. undecimo Kalendas Junii, per extensum inserta solemniter confirmavimus; cumque ex eorum observatione in eo Tribunali jam constituta, perspicuum recti ordinis et utilitatis publicae fructum nos collegisse gaudeamus. Nunc consentaneam pariter agendi methodum firmare deliberavimus in Tribunali Auditoris Generalis Causarum Curiae Camerae Nostrae Apostolicae, cujus jurisdictio non solum in Civilibus, sed etiam in Criminalibus Causis, latius extenditur. Ne Delinquentes, et Inquisiti, ad hujus Tribunalis Forum peculiariter pertinentes, seu undecumque ad ipsius et Sedis Apostolicae judicium confugientes, in casibus per Sacros Canones et Apostolicas Constitutiones statutis atque permissis, aut ibi delictorum impunitatem inveniant, unde Justitiae exercendae normam desumi, et Ecclesiasticae disciplinae praesidium inferioribus autem Judicibus et Tribunalibus auxilium impendi maxime decet; aut adversus vim et oppressiones promptum debitumque remedium, in hoc communi innocentiae asylo, frustra requirere, vel diutius, quam par est, expectare cogantur. Itaque omnibus mature perpensis, auditisque super his prudentum virorum consiliis, infrascriptas Leges et Ordi-

in omni Gubernio necessarium.

Providentia Pontificis circa Tribunal Gubernii Urbis.

Ea nunc extenditur ad Tribunal A. C. in Criminal.

Cui Pont. nonnullas praescribit leges, speciali Chirographo comprehensas.

nationes in dicto Auditoris Generalis Causarum Curiae Camerae Nostrae Apostolicae Tribunali perpetuo servandas condidimus, atque amplexi sumus in quadam Schedula Nostri Motus proprii non ita pridem Chirographo nostro subscripta; cujus tenor talis est, videlicet.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

Tenor dicti Chirographi.

§. 1. » Fra i molti, e gravissimi pesi del Nostro Apostolico Ministero abbiamo sempre » annoverato quello, che ci obbliga a vegliare » incessantemente sopra la retta, e ben ordinata amministrazione della Giustizia in ogni » sorta di Cause Civili, e Criminali, le quali » in grado di appellazione, e tal volta ancora » in prima istanza, debbono giudicarsi ne' Tribunali di questa Santa Sede. Più d' ogni altro però ci è stato sempre a cuore il Tribu- Praescribitur jurisdictio Tribun. A. C. » nale dell' Uditor Generale della Nostra Camera, quale da tempo antichissimo i Sommi » Pontefici Nostri Predecessori hanno costituito Giudice Ordinario con amplissime facol- » tà, non solo nelle Appellazioni, che nelle » Cause appartenenti al Foro Ecclesiastico vengono alla Santa Sede da tutte le parti del » Mondo Cattolico; ma pur anche in certe cause privilegiate di prima istanza, e special- » mente in quelle Cause Criminali, nelle quali l' inquisito, o Reo viene a costituirsi spon- » taneamente di persona a disposizione di essa » Santa Sede, come apparisce da diverse nostre Costituzioni, e particolarmente da quella, che incomincia: *Ad Militantis Ecclesiae;* » impressa nel primo Tomo del nostro Bollario Constit. XLVIII. nella quale fu da noi » provvidamente stabilito, e dichiarato, quando, ed in qual forma fosse lecito all' Udito- » re della Camera, secondo il prescritto del » Sagro Concilio di Trento, e delle Costituzioni » Apostoliche, ammettere le Appellazioni, inibire gli Ordinarj de' Luoghi, e avocare da » essi le Cause di prima istanza.

Causae, propter quas Pont. ut infra statuit.

§. 2. » Ma nondimeno essendo l' animo Nostro sempre più eccitato dal desiderio di ri- » durre all' ultima possibile perfezione questo » gran Tribunale del Mondo Cattolico, ci siamo determinati, sull' esempio di simile prov- » vedimento da Noi parimente dato all' altro » Nostro Tribunale del Governatore di Roma, » di renderlo, come in appresso, più nobile, » decoroso, e rispettabile in rapporto alle Cause Criminali; provvedendo nel tempo stesso, » che gl' Inquisiti, e Processati nelle Curie dei » proprj Ordinarj, trovino bensì in esso il giusto e dovuto asilo, quando sono innocenti; » ma non mai alcuna impunità, o alcun fomento alla loro disubbidienza, quando sono » colpevoli.

Confirm. in primis omnem dicti Tribunalis jurisdict.

§. 3. » Avendo per tanto in questa Nostra » Cedola per espresse, e di parola in parola registrate tutte et singole facoltà, Giurisdizio- » ni, prerogative, e preeminenze, delle quali, » per concessione de' nostri Predecessori e Nostra, gode, e può godere l' Uditore Generale » della Nostra Camera Apostolica, e quelli in » forma amplissima confermando, ed appro- « vando, senz' alcuna benchè menoma restri- » zione, o diminuzione: Come pure avendo per » espresso lo stato presente del di lui Tribuna- » le in Criminalibus, il numero degli Offiziali, » e Ministri, che lo compongono; e di quelli, » che hanno luogo e voto nella di lui Congregazione; e finalmente le facoltà, ed incombenze di cadauno di essi:

Pro judicii Crim. duo Prælatos Assessores constituit, eisque locum inter Ponentes Sacr. Consult. assignat.

» §. 4. Di nostro Moto proprio, certa scien- » za e pienezza della Nostra suprema, ed Apo- » stolica Potestà, ad esempio di quello, che » già ordinammo per il detto Tribunale del » Governo di Roma nella nostra Costituzione, » che incomincia: *justitiae gladium;* pubblicata li 24. Maggio 1749. vogliamo similmente et ordiniamo, che in avvenire, al solito » et ordinario numero de' Prelati Ponenti di » Consulta se ne aggiungano altri due, quali » abbiano e debbano godere tutti gli onori, Privilegi, esenzioni, e preminenze, che godono » gli altri Ponenti, di modo che compongano » con essi uno stesso corpo, o sia Collegio; ma » però in vece di essere Ponenti di una delle » nostre Provincie, sieno, e debbano essere » ambidue Ponenti, ed Assessori del Tribuna- » le dell' Uditore Generale della Nostra Came- » ra, e che debbano intervenire a tutte le Congregazioni Criminali, quali si terranno avanti di esso: Come pure vogliamo, che alle

Eisdem praecip. omnino imponit, sub frag. ferendi in Causis Criminal. una cum A. C. ejusque Auditore, e Locumtenente Cri.

» medesime Congregazioni Criminali debba in- » tervenire (come prima si costumava) l' Udi- » tore pro tempore in Civilibus di esso Monsi- » gnore Uditore della Camera, anch' egli co- » me Assessore del medesimo in Criminalibus » dichiarando, che questo debba sedere im-

» mediatamente dopo li suddetti due Ponenti » di Consulta, quali sederanno immediatamente dopo l'Uditore Generale della Camera, secondo l'ordine fra di loro della propria Prelatura o Anzianità.

» §. 5. Nella risoluzione delle Cause, che » si proporranno in detta Congregazione Criminale, avranno voto decisivo il suddetto » Monsignor Uditore della Camera pro tempore, coll'arbitrio però di astenersi, quante » volte così gli piacerà; li tre Assessori suddetti, et il Luogotenente Criminale Generale. Quanto poi alli tre Sostituti Luogotenenti, ancorchè in passato abbiano avuto il voto » decisivo, vogliamo che in avvenire non abbiano se non che il semplice Voto consultivo.

Processus a quibus, et quomodo efformandi.

» §. 6. Li Processi dovranno compilarsi » come per lo passato, tanto nelle Cause di » prima istanza, quanto anche, quando occorra, nelle Cause di Appellazione, dalli tre « Sostituti Luogotenenti, secondo il ripartimento che ne faranno fra di loro per Turno » di Settimana in Settimana, salvo però al» l'Uditore della Camera, e suo Luogotenente » Generale, in qualche caso particolare, il » diritto di commettere la Processura fuori di » detto Turno, e con espressa dichiarazione, » che li suddetti Sostituti processanti siano » sempre tenuti di prendere di mano in mano » dal suddetto Luogotenente Generale nella » formazione de' Processi le opportune istruzioni.

Process. compendia, seu restrictus a quibus fieri, et recognosci debeant.

» §. 7. Sarà ancora peso di essi Sostituti » Luogotenenti il riformare a suo tempo il » Ristretto di chiaschedun Processo, che do» vrà proporsi in Congregazione, con tutta at» tenzione, e fedeltà; ma questi Ristretti non » dovranno mandarsi in giro all'Uditore della » Camera, nè agli altri tre Assessori, come si » dirà in appresso, se non dopo che saranno » stati firmati, e sottoscritti da quel Sostituto, » che gli avrà formati, e successivamente ri» conosciuti, e confrontati col Processo dal » medesimo Luogotenente Generale, quale an» cor egli dovrà restar debitore della integrità » e sincerità de' medesimi, e perciò sarà tenu» to ancor esso sottoscriverli, ed approvarli di » proprio suo pugno.

Decreta circa actus ordinat. fiant solo Lo-

» §. 8. Gli atti ordinatorj di qualunque » Giudizio, si faranno tutti, come si è costu» mato fin' ora, avanti il Luogotenente Gene» rale, e quando alcuna delle Parti si crede» rà gravata da qualche Decreto del medesi» mo, non dovrà citare per la reposizione » avanti lo stesso Uditor della Camera, com'è » stato di recente introdotto con inutile proluncumten. recursus autem ad solum Audit. Sign. Just. vel ad Audit. SS. deferantur.

» gamento; ma dovrà immediatamente ricorre» re o all'Uditore della Segnatura di Giustizia, » o all'Uditore pro tempore del Papa, in arbi» trio de' quali, quando cada nell' ordinatoria « alcun grave Articolo, come tal volta cade, » sarà di rimetterlo alla Decisione della piena » Congregazione: Ben inteso però, che al sud» detto Luogotenente Generale non sia mai le» cito, sotto pena di nullità, pronunciare per » sentenza sopra Articoli meramente ordina» tori, e che similmente alle Parti non sia mai » lecito di ricorrere in Cause Criminali alla » piena Segnatura di Giustizia; essendo stato » già dichiarato prima da Innocenzo X. No» stro Predecessore, e poi anche da Noi in Se « gnatura di Grazia, in occasione di una Cau» sa *Alatrina*, che la piena Segnatura di Giu» stizia non può, nè deve ingerirsi nelle Cause » Criminali, nè rispetto alla pertinenza anche » tra il Giudice Civile e Criminale, nè rispetto » alle Commissioni.

De tempore adunandi Congreg.

§. 9. » Ogni quindici giorni almeno, nel » giorno di Lunedì, dovrà l' Uditore della Ca» mera adunare avanti di se la Congregazione » Criminale, a cui, oltre li tre Assessori sud» detti, dovranno intervenire tutti quelli, che » sono descritti nel publico Elenco di essa Con» gregazione; ed al medesimo Uditore della » Camera Capo del Tribunale spetterà pari» mente destinare le Cause, che dovranno pro» porsi in ciascheduna Congregazione. Ma » quindici giorni prima dovrà la proposizione » di ogni Causa intimarsi dal Luogotenente » alle parti interessate, con intimazione in » iscritto, acciò possano in detto tempo de» durre si in iscritto, che in voce le loro ra» gioni; e respettivamente ciascuna di esse » Parti, tre giorni almeno avanti la Proposi» zione, dovranno distribuire alli Votanti, e » comunicarsi vicendevolmente tra di loro nel» la Sala di esso Monsignor Uditore della Ca» mera, le proprie Scritture, et allegazioni, » sotto la pena, in caso di contravenzione, di » essere i rispettivi Difensori inabilitati a scri» vere, e comparire nel Tribunale, ad arbi» trio di detta Congregazione.

Crim. A. C. et intimandi Causarum proposit., communicandi Scriptur. atque Restrictus.

§. 10. » Nel decorso similmente di detti

» quindici giorni saranno tenuti li Sostituti » Luogotenenti, che avranno formati i Ristretti de' Processi da proporsi in Congregazione, » firmati e sottoscritti, come sopra, mandare » in giro li medesimi Ristretti in primo luogo » al suddetto Monsignor Uditore della Camera, e dappoi di mano in mano a ciascuno » de' suddetti tre Assessori, l'ultimo de' quali » dovrà rimetterli nelle mani de' respettivi Sostituti Luogotenenti, che gli avranno formati, per essere da essi riferiti in Congregazione.

Confirmat. suam Constit. de Appellat. et Inhib

§. 11. » Affinchè poi il detto Tribunale dell' Uditore della Camera riesca e sia, come » di sopra abbiamo detto, e Noi assolutamente » vogliamo, di giusto presidio agl' innocenti; » ma non mai di sutterfugio, e fomento ai » colpevoli, in dispregio de' loro immediati » Superiori, e in rilassamento della Disciplina » Ecclesiastica: Considerando, che le Cause » Criminali vengono all' Uditor della Camera » o in grado di appellazione legittimamente » interposte, o anche in prima istanza, quando specialmente gl' Inquisiti si costituiscono » personalmente nelle Carceri a disposizione » della Santa Sede, e per essa dell' Uditor della Camera: Perciò, rispetto alle Cause d' appellazione, confermiamo di nuovo la suddetta Nostra Costituzione XLVIII. che incomincia: *Ad militantis Ecclesiae;* incaricando » il medesimo Uditore della Camera, perchè » sia nel suo Tribunale pienamente ed esattamente eseguita; E solamente aggiungiamo, » che quante volte avvenga il caso, come non » di rado avviene, che qualcuno appelli dal » Decreto, o Giudicato del proprio Ordinario, » dopo che in virtù di quello stesso Giudicato, » o Decreto, dal quale appella, è stato rilasciato dalle Carceri formali, o da altro qualunque luogo, che prima di esso Giudicato » o Decreto gli era stato assegnato in luogo » di Carcere: In tal caso l' Uditor della Camera, e suo Luogotenente Generale, non debba ammettere l' appellazione, nè rilasciare » alcuna inibizione, nè ordinare la trasmissione degli atti, se prima l' Appellante non » sarà ritornato nelle Carceri formali, o in » altro luogo assegnatogli per Carcere, e che » con idonea cauzione non siasi obbligato a » restarvi sino all' esito della Causa. Non essendo giusto, che l' Inquisito, nel tempo » stesso che impugna per via d' appellazione il » Giudicato del suo Ordinario, voglia goderne » il beneficio, nella parte, che riguarda il suo » rilascio dalle Carceri.

Eamque ampliando, statuit, quod Reus appellans a Decreto, cujus vigore relaxatus est, non audiatur, nisi ad Carceres, sive in Custodiam redeat.

Quoad Causas primae instantiae confirmat Decreta S. M. Bened. XIII.

§. 12. » Quindi passando all' altre suddette » Cause di prima istanza, benchè i Nostri Predecessori, e specialmente Benedetto XIII. » di felice ricordanza, con sei Decreti che si » trovano impressi dopo il Concilio Romano » *fog.* 207. *e seqq.* abbiano dato in questa parte » utilissimi provvedimenti; nondimeno per » accorrere, in quanto possiamo, alla malizia » degli Uomini, quali sempre trovano nuove » maniere per contravenire impunemente alle » Leggi anche più sante:

§. 13. » Approviamo in primo luogo, e » confermiamo in tutto e per tutto li primi tre » Decreti del prelodato Benedetto XIII., nei » quali si dispone come in appresso. *I. Recipi possint, et dumtaxat in Tribunali Auditoris Camerae, Constituta Reorum in causis primae instantiae, in quibus de poenis corporalibus agitur, habita ratione ad titulum inquisitionis; Non vero in Causis Censurarum, vel simplicis multae, vel declarationis irregularitatis, sive in aliis Causis, in quibus dicta poena corporalis non intrat. II. Regularium Constituta nunquam recipiantur. III. Hujusmodi Constituta fieri tantum possint coram A. C. in Criminalibus, non vero coram alio Judice Appellationis, neque in Urbe, neque extra eam, nec etiam in Sacra Congregatione negotiis Episcoporum, et Regularium Praeposita.*

Item alia tria Decret. ejusdem.

§. 14. » Confermiamo parimente ed ap- » proviamo gli altri tre susseguenti Decreti, » nei quali si ordina. » *IV. Constitutus Reus coram A. C. debeat statim in carceribus formalibus Urbis detineri; deindè primum expediantur in ejus Tribunali Literae inhibitoriales, et compulsoriales (absque eo quod Constitutus juret se suspectum habere Ordinarium) pro transmissione Actorum coram dicto Ordinario, nec possit Reus habilitari per Urbem, et extra carceres formales, nisi visis et discussis Actis, et quatenus de jure sit locus dictae habilitationi, audita Parte offensa, vel ejus Procuratore, si in Curia sit praesens, necnon Fisco R. C. A. et quatenus Causa sit cum Procuratore Fiscali Curiae Ecclesiasticae, audito Promotore Fiscali Curiarum Episcopalium in Urbe, atque insuper facto desuper verbo in plena Congregatione Criminali A. C. V. Si Acta vel non incoepta coram Ordinario, vel sufficienter impinguata non fuerint, non commu-*

nicentur Reo; sed eo retento in carceribus formalibus, committatur Ordinatio Processus informativi compilatio, vel respective impinguatio, facienda expensis Partis querelantis, vel Fisci Ecclesiastici, si ea non adsit. VI. Actis sufficienter impinguatis, servatis servandis, procedatur ad expeditionem Causae prout de jure, audita semper Parte offensa, vel ejus Procuratore, necnon Fisco R. C. A. et Curiarum Episcopalium, ut supra, in quolibet actu: Districte injungente Sanctitate Sua, ut coram semetipso A. C. tractari et expediri faciat hujusmodi Causas juxta meritum justitiae, ne Rei inquisiti, Forum Ordinarii declinantes in prima instantia, in Urbe quaerant reatuum praesidium.

Ex prava intelligentia verbi et quae ex ld. Decretis, abusus invaluit habilitandi reos ad habendam Urbem loco carceris exceptis casus permissos.

§. 15. » Ma perchè contro il vero senso » del terzo, e quarto de' riferiti Decreti si è » andato a poco a poco introducendo l' abuso » di accordare il benefizio dell'Abilitazione per » Roma anche ne' casi, ne' quali de jure non » deve accordarsi, col solo apparente motivo, » che l' Inquisito prima di costituirsi perso- » nalmente avanti l' A. C. era stato similmen- » te abilitato dal proprio Ordinario ad averè » il Palazzo o la Città in luogo di carcere; non » si fa distinzione fra delitto e delitto; non si » discutono gli atti, anzi per lo più delle volte » neppur possono vedersi, ed esaminarsi, per- » chè erano appena incominciati, quando l' In- » quisito è fuggito a Roma; la Parte offesa o » non vi è, o non si cura di comparire; Il Pro- » motore Generale delle Curie Ecclesiastiche » deputato da Benedetto XIII. poco o nulla » operava, e perciò si è lasciato di deputarlo; » e finalmente il Fiscale Generale di Roma, e » suo Sostituto, benchè sia citato, si contenta » di fare in piè della citazione una semplice » protesta generale, e questa fatta, aggravato » da altre incombenze del proprio Uffizio, non » si prende altra cura: dal che avviene che » gl' Inquisiti, benchè consapevoli a loro stessi » del delitto, o delitti commessi, nondimeno » animati da forte speranza di essere abilitati » per una Città così vasta, come è Roma, ven- » gono francamente a costituirsi avanti l' A. C. » e si veggono passeggiare impunemente, e » darsi bel tempo, per tacere altri più gravi » disordini, de' quali non conviene far men- » zione.

Habilitatio Rei prohibetur, Processu non completo aut non publicato.

§. 16. » Quindi è, che Noi, volendo re- » stringere dentro i termini della ragione, e » dell' equità cotesta soverchia condiscenden- » za; ordiniamo, e comandiamo, che quante » volte nè in Partibus, nè in Curia è stato » compiuto, e pubblicato il Processo informa- » tivo, o sia fiscale, non debba mai abilitarsi » l' Inquisito fuori delle carceri formali, ben- » chè prima di costituirsi foss' egli stato abili- » tato dal proprio Ordinario; ma debba onni- » namente osservarsi ed eseguirsi il suddetto » *Quinto* Decreto; nel quale si ordina non so- » lo, che quegli atti, che vi sono, non ven- » gano comunicati al Reo, ma in oltre, che si » commetta all' Ordinario la compilazione, e » respettivamente l' impinguazione del Proces- » so informativo, da farsi a spese della Parte » Querelante, quando vi sia, e quando questa » non vi sia, a spese del Fisco Ecclesiastico; » e che intanto l' Inquisito si ritenga nelle car- » ceri formali. Avvertendo bene, che tal com- » missione si dia sempre all' Ordinario, ancor- » chè l' Inquisito dica, e giuri d' averne pe- » rorrescenza; imperciocchè restando a lui, » dopo pubblicato il Processo informativo, » l' arbitrio di ripetere, e ripulsare i Testimo- » nj Fiscali, e di fare le sue difese, tanto ba- » sta per escludere qualunque pretesto di pe- » rorrescenza.

Confectio Processus semper Ordinario committenda.

Ejusdem publicatio fieri nequit, antequam Reus constituatur.

» 17. » Ed avvertendo inoltre, che quan- » do mancano alla perfezione di esso Processo » informativo, come per lo più mancano, gli » esami, e costituti degl' Inquisiti, perchè » questi non possono più farsi dall' Ordinario, » dopo che quelli sono partiti dalla Curia loro; » debba in tal caso l' A. C. perfezionarlo in » questa parte, con esaminare, e costituire » l' Inquisito sopra gl' indizj acquistati nel » processo del Partibus, e debba nelle solite » forme contestargli il delitto, del quale vie- » ne imputato; Nè prima di tutto ciò possa ve- » nirsi alla pubblicazione del Processo, e molto » meno alla proposizione, e risoluzione della » Causa.

Completo et publicato Processu Informativo si faciendus sit repetitivus, aut defensivus, tunc habilitari poterit arbitrio Congreg.

§. 18. » Che se all' incontro il Processo » informativo sarà stato già compiuto e pub- » blicato in Partibus, prima che il Reo ve- » nisse a costituirsi, oppur dopo che sarà com- » piuto, e pubblicato come sopra in Roma: » In tal caso, se il Reo citato, secondo il co- » stume, vorrà ripetere i Testimonj Fiscali, » ovvero dichiarando di aver quelli *pro rite, et recte examinatis*, vorrà fare il Processo » difensivo; allora solamente abbia la piena » Congregazione la facoltà ed arbitrio di con-

» cedere l'abilitazione, che gli sarà domanda-
» ta, ma non mai il solo Luogotenente. Con
» che però la medesima Congregazione re-
» goli quest' arbitrio a misura degl' indizj, e
» delle prove, che risultano dal Processo Fi-
» scale: e purchè inoltre non si tratti nè di
» delitto di carne, nè di aborto, ancorchè si
» dica non animato, nè di omicidio, nè di
» falsità con danno grave, nè di furto magno,
» o sacrilego, nè finalmeate di altro delitto
» enorme: volendo Noi, che in questa sorta
» di delitti non si accordi mai l' abilitazione
» fuori delle carceri formali.

Si autem illius defensio fiet sine novo Processu, in Carceribus maneat usque ad exitum Causae.

§. 19. » Che se l' Inquisito dopo essere stato
» compiuto, e pubblicato, come sopra, il Pro-
» cesso informativo in Partibus, o in Roma,
» non chiederà che si faccia altro processo ri-
» petitivo o difensivo, ma crederà col solo in-
» formativo potersi spurgare dal preteso delit-
» to: Siccome in tal caso cessa ogni motivo
» d' abilitarlo extra carceres, quale tutto con-
» siste nella lunghezza del tempo, che si ri-
» chiede per la compilazione di tali Processi,
» così l' A. C. potrà bensì accelerare la propo-
» sizione della causa, e procedere al Decreto,
» o Sentenza definitiva, con ricevere ancora
» le Fede de' Testimonj, o altri documenti, che
» piacerà al Reo di produrre in sua difesa,
» considerandoli per suo lume, come Atti e
» Testimonj estragiudiziali: Ma non dovrà
» abilitare il Reo, se non quando ad istanza
» del Fisco, o suo aderente, si dovesse proce-
» dere alla compulsa di detti Atti, e respetti-
» vamente all' esame de' Testimonj prodotti a
» difesa, giacchè allora solamente risorgereb-
» be il motivo della lunghezza del tempo ne-
» cessario per la suddetta compulsa ed esame.

Etiamsi habilitetur Inquisitus per Urbem, non permittatur Missam celebrare.

§. 20. » In qualunque caso però si creda
» dalla piena Congregazione esser luogo al-
» l' arbitrio di abilitare l' Inquisito per Roma,
» vogliamo e dichiariamo, che non perciò sia
» lecito al Reo abilitato il celebrare la Santa
» Messa, o esercitare in altro modo gli Ordi-
» ni: essendo troppo giusto, che ne resti so-
» speso fino a che la Causa Criminale venga
» del tutto terminata in suo favore, e che in
» tanto, non ostante l' abilitazione, si abbia
» l' Inquisito a riputare, come se fosse carce-
» rato nelle carceri formali; Per lo che sarà
» cura del Luogotenente Generale, prima an-
» cora, che si pubblichi il Decreto d' abilita-
» zione, di mandarne con suo Viglietto l' op-
» portuno avviso alla Curia del Nostro Reve-
» rendissimo Cardinal Vicario, o suo Vicege-
» rente, affinchè resti eseguita la suddetta so-
» spensione.

Curia Tribunalis, quo appellatum est, non facile condemnari debet ad damna et expensas.

§. 21. » Ingiungiamo intanto, e strettamente
» incarichiamo Monsig. Uditore Gene-
» rale *pro tempore*, che nella discussione, e ri-
» soluzione delle Cause Criminali si abbia sem-
» pre dal suo Tribunale tutto il rispetto, che
» si deve a' Vescovi, ed altri Ordinarj; e che
» perciò non così facilmente si venga a con-
» dannare le Curie Ecclesiastiche al rifacimen-
» to de' danni, e delle spese; ma quante vol-
» te dal Processo informativo risultino indizj
» sufficienti alla Cattura, la Congregazione si
» astenga da simili condanne, bastando tali
» indizj per escludere nel Giudice quella vera
» e propria calunnia, che si ricerca per con-
» dannarlo.

Modus Defensoribus in scribendo agendoque servandus.

§. 22. » Molto più deve attendere, che i
» Difensori tanto in iscritto, quanto in voce,
» si portino con tutta modestia, non solo fra
» di loro, ma ancora e molto più in rapporto
» a' Giudici, ed altri Ministri di dette Curie
» Ecclesiastiche; E nel caso, che alcuno con-
» travenga, a lui specialmente raccomandia-
» mo di punirlo severamente, o con sospen-
» derlo dalla facoltà di attirare, e scrivere nel
» suo Tribunale, o anche con procedere alla
» carcerazione, fattane parola nella piena Con-
» gregazione.

Aliae leges observandae praesertim circa Taxam Judicum et Notariorum.

§. 23. » Finalmente ricordiamo al mede-
» simo Monsignor Uditore, che insista ed in-
» vigili sopra la puntuale ed esatta osservanza
» delli Regolamenti da Noi dati nel Nostro
» moto proprio delli 12. Maggio 1749. inserito
» e confermato nella detta Bolla, che incomin-
» cia *Justitiae gladium*, e specialmente in
» quella parte, che riguarda la tassa degli
» emolumenti, che possono giustamente esi-
» gersi da' Giudici, e Notarj per gli Atti Cri-
» minali; e che in questa parte non si fidi
» punto de' Ministri, e Notarj del suo Tribu-
» nale, quali si lasciano facilmente sedurre
» dall' avidità di maggior lucro; ma di quan-
» do in quando ne senta ex Officio, e ne inter-
» roghi egli stesso i Curiali; e venendo ad isco-
» prire, che qualcuno abbia contravenuto,
» proceda omninamente alle pene comminate
» in esso Moto proprio; essendo così mente,
» e volontà Nostra espressa.

Clausul. Chirograph

§. 24. » Volendo e decretando, che alla

» presente Cedola di Moto proprio, benchè non » esibita, nè registrata in Camera, e ne' suoi » Libri, non possa mai darsi nè opporsi di » surrezzione, orrezione, nè d' alcun altro » vizio, o difetto della Nostra volontà, ed in- » tenzione, nè che mai sotto tali, o altri pre- » testi, quantunque validi, validissimi, e giu- » ridichi, anche di Jus quaesito, e pregiudi- » zio del Terzo, possa essere impugnata, mo- » derata, e rivocata, ridotta ad viam Juris, o » concedersi contro di essa l' aperizione Oris, » o altro qualunque rimedio: E che così, e » non altrimenti debba sempre, ed in perpe- » tuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi, da » qualsisia Giudice e Tribunale, benchè Col- » legiale, Congregazioni, anche de' Reveren- » dissimi Cardinali, Camerlengo di Santa » Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, e qua- » lunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e » giurisdizione di definire, ed interpretare in » contrario: Dichiarando Noi sin d' adesso » preventivamente nullo, irrito, ed invalido » tutto ciò, che da ciascuno di essi con qual- » sivoglia autorità scientemente, o ignoran- » temente fosse in qualunque tempo giudicato, » o si tentasse di giudicare contro la forma e » disposizione della presente Nostra Cedola di » Moto proprio; quale vogliamo, che vaglia, e » debba avere sempre ed in perpetuo il suo » pieno effetto, esecuzione, e vigore, colla » semplice Nostra sottoscrizione, benchè non » vi sieno state chiamate, sentite, o citate » qualsisiano Persone, ancorchè privilegiate, » e Privilegiatissime, Ecclesiastiche, e Luoghi » Pii, che avessero, o pretendessero avere in- » teresse nella presente Nostra disposizione, e » che per comprenderla fosse bisogno di spe- » cial menzione.

§. 25. » Non ostante la Bolla di Pio IV. » Nostro Predecessore *de Registrandis*, la Re- » gola della Nostra Cancellaria *de jure quaesito* » *non tollendo*, e non ostanti ancora tutti qual- » sisieno Chirografi, Brevi, Ordinazioni, e » Costituzioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri » Predecessori, Bandi, et Editti, in virtù » d' essi, et in qualunque altro modo emanati » affissi, e pubblicati, Leggi, Statuti, Rifor- » me, stili, usi, consuetudini, e qualunque » altra cosa, che facesse, o potesse fare in » contrario: Alle quali tutte e singole, aven- » done il tenore qui per espresso, e di parola » in parola inserto, e registrato, e supplendo » colla pienezza della Nostra Potestà Pontifi- » cia ad ogni vizio, e difetto quantunque so- » stanziale, e formale, che vi potesse interve- » nire; per questa volta sola, e per la piena e » totale esecuzione di quanto si contiene nella » presente Nostra Cedola di Moto proprio, am- » plamente, ed in ogni più valida forma de- » roghiamo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Subscriptio Pontificis.

Bulla Chirographum confirmat, et illius observantiam praecipit.

§. 26. Cum autem praemissa omnia ad augendam dignitatem dicti Tribunalis Auditoris Generalis Causarum Curiae Camerae Nostrae Apostolicae, simulque ad rectam in eo justitiae administrationem futuris temporibus asserendam, opportuna et apta fore conspiciamus; ne eadem ullo umquam tempore debitis fraudentur effectibus; Nos eamdem praeinsertam Schedulam, omniaque et singula in ea contenta et expressa, et a Nobis per eam, ut praefertur, sancita, volita, et ordinata, Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, harum literarum Nostrarum tenore confirmamus, et approbamus, eisque perpetuum et inviolabile praesentis Nostrae perpetuo valiturae Sanctionis robur et firmitatem adjicimus; atque iterum et ex integro ea omnia et singula, in omnibus et per omnia, juxta praeinsertae Schedulae seriem, continentiam et tenorem, eadem Apostolica auctoritate statuimus, volumus, et ordinamus; eademque ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in futurum, perpetuo observari et exactissime impleri jubemus, atque praecipimus.

§. 27. Mandantes propterea dilectis Filiis, Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Camerario, dictoque Causarum Curiae Camerae Apostolicae Auditori Generali, ejusque Assessoribus, et Auditoribus, ac Locumtenenti in Criminalibus, pro tempore existentibus et futuris, aliisque, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, ut praemissa omnia et singula observent, ac ab omnibus, ad quos spectat, et quandocumque spectabit, exactissime observari faciant; inobedientes vero opportunis juris et facti remediis coerceant et compescant, tam ex Officio, quam ad instantiam Advocati Pauperum, Procuratoris Fisci, Commissarii Camerae et Procuratorum Pauperum pro tempore existentium, seu Partis querelantis, et aliorum, quorum interest; omni et quacum-

que appellatione, sive recursu, adversus praemissorum observantiam et executionem forsan interponendis, omnino postpositis, et remotis.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 28. Ac decernentes praeinsertam Schedulam, necnon praesentes Nostras Literas, perpetuo validas, firmas, et efficaces esse et fore, ac, quibuscumque juris seu facti defectibus, qui adversus illas quovis modo, seu quavis ex causa opponi, seu objici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus rejectis, ac neutiquam attentis, ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, sublata praefatis omnibus, aliisque quibuslibet aliter statuendi et interpretandi facultate, inviolabiliter et inconcusse observari debere: Ac irritum et inane decernentes, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 29. Non obstantibus omnibus iis, quae in ipsa praeinserta Schedula non obstare voluimus, et quibusvis aliis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ejusdemque Tribunalis facultatibus, stylis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 30. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, roboris adjectionis, sanctionis, ordinationis, jussionis, praecepti, mandati, decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pont. Anno 14. die prima Octobris 1753.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, Kalendis Octobris, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

In forma brevis in quibus postquam Sanctitas Sua ad instantiam Regis Fidelissimi elegit S. Franciscum Xaverium Societ. JESU in Patronum Principaliorem et Protectorem Indiarum a Capite Bonae Spei usque ad Regna Sinarum et Japoniae cum omnibus praerogativis et festo primae Classis cum Octava, ulterius de novo ad preces Provinciae Goanae extendit facultatem Episcopis ut ubi expedire judicaverint festum cum Officio Missa et Indulgentia permutare valeant. Item confirmat alias gratias in perpetuum, nempe ad Sepulchrum Ejusdem Sancti, Altare privilegiatum quotidianum, Indulgentiam Plenariam semel in anno a singulis Christifidelibus quocumque die ad eorum arbitrium lucrandam; et Indulgentiam quadraginta dierum singulis diebus. Et Indulgentias in decem Feriis sextis concessas in perpetuum ubique extendit, cum facultate substituendi diem Dominicam vel aliam intra Hebdomadam, ne homines praesertim in Indiis agrorum culturae addicti ab hac Indulgentia lucranda impediantur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis clementia in gratiis confirmandis, et ampliandis.

Apostolicae procurationis ministerium, quod a Supremo Pastorum Principe JESU CHRISTO per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam imbecillitati Nostrae impositum est, et Apostolicae providentiae ratio jure ac merito a Nobis exigit, ut quae alias per Nos ipsos etiam concessa, atque in aliis Apostolicis Nostris Literis sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditis contenta sunt, eadem in unum conjuncta, quo non solum firmius subsistant, et serventur exactius, verum etiam tutius custodiantur, et omnia insimul universis nota fiant, de novo deinceps approbare, et Supremo Apostolicae auctoritatis Nostrae praesidio, quatenus opus sit, munere, novoque Pontificiae benignitatis documento, vel commutare vel extendere, et ampliare, sive de novo etiam concedere non dedignemur.

Ejusdem Apostolicae Literae de S. Francisco Xaverio electo in Patronum Principaliorem Indiarum.

2. Alias Nos sane dedimus primum alias Nostras in simili forma Brevis Literas tenoris

sequentis — BENEDICTUS PP. XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

S. Franciscus Xaverius a toto Christiano Orbe Indiarum Apostolus meruit praedicari, eumque miraculis et praedicatione celebrem Pontifex impensius colendum proponit.

3. » Indiarum Gentibus Beati FRANCISCI » XAVERII Societatis Jesu, qui Apostolicis » charismatibus affluenter decoratus, novarum » Gentium Apostolus unanimi totius Christiani » Orbis consensu meruit appellari, praedicatione et miraculis ex tot tamque dissitis regionibus Catholicae Ecclesiae aggregatis, ut » gloriosa ejusdem merita alacrius venerantes, » et relicta sibi quoque praeclara virtututum » exempla ardentius imitantes, praesentissimum illius in Coelis apud mirabilem in Sanctis suis Deum sibi patrocinium certo polliceri valeant, ipsum Sanctum Franciscum novis honorum incrementis colendum, novoque titulo in terris decorandum invocandumque proponimus, atque mandamus.

Joannes V. Rex Fidelissimus pietate et Religione illustris hoc ipsum rogat.

4. » Etsi autem pro singulari pietate, et » incredibili erga res sacras, sacrosanctae Religionis rationes, et sanctorum reverentiam » zelo suo Carissimus in Christo Filius Joannes Portugalliae, et Algarbiorum Rex Illustris per dilectum filium Emmanuelem Pereira de Sampajo Militiae JESU CHRISTI » Commendatorem ejusdem Joannis Regis negotiis apud Nos et Apostolicam hanc S. Sedem expediendis praepositum Nobis supplicavit, ut tanti Indiarum Apostoli cultum et » venerationem in terris, quantum Nobis ex » alto conceditur, adaugere satagamus.

Ad hoc idem Pontificem exstimulat persecutio in Sinarum Regno contra Christifideles mota.

5. » Ipsa tamen in Sinarum maxime Regno in Christifideles ibi degentes mota, atque in Evangelicae praesertim praedicationis operarios saeviens persecutio, ut piis laudati Joannis Regis votis ac precibus paterna benignitate obsecundantes, id praestemus » alacrius, vehementer urget et exstimulat.

Pontifex S. Franciscum Xaverium Patronum Principaliorem ac Protectorem Indiarum cum omnibus praerogativis declarat.

6. » Itaque ad majorem Dei laudem, divinique cultus augmentum, auctoritate Apostolica tenore praesentium Sanctum Franciscum Xaverium Patronum Principaliorem ac » Protectorem Indiarum, quae numerantur a Capite bonae Spei dicto usque ad Regna Sinarum et Japoniae, eisque adjunctarum Provinciarum, et adjacentium Insularum cum » omnibus et singulis praerogativis, quae juxta Breviarii et Missalis Romani Rubricas » Sanctis Patronis Principalioribus et Protectoribus competunt, habendum, invocandum » et colendum esse statuimus, declaramus atque jubemus.

Ejus Officium et Missa sub ritu duplicis primae classis cum octava praescribit.

7. » Praeterea ut imposterum solemnis » tanti Patroni memoria majori, quam antea » celebrabatur, pietate, ac debitis laudum » praeconiis quotannis recolatur, volumus et » omnibus utriusque sexus Christifidelibus, » qui ad horas Canonicas tenentur, auctoritate » et tenore paribus indulgemus atque mandamus, ut annua ipsius Sancti Francisci Xaverii dies sub Ritu Duplici primae Classis cum » Octava peragatur.

Clausulae pro Literarum Apostolicarum validitate.

8. » Decernentes easdem praesentes literas » semper firmas, validas, et efficaces existere » et fore, suosque plenarios et integros effectus » sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, » et pro tempore quandocumque spectabit, in » omnibus et per omnia plenissime suffragari; » sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et » definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate » scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque.

9. » Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, » caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis adhibenda

10. » Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis » etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem » prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, » quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum 24. Februarii 1748.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Februarii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri » Anno Octavo. Cajetanus Amatus.

Aliae Literae Apostolicae.

11. » Deinde alias Nostras in pari itidem » forma Brevis literas tenoris, qui sequitur — » BENEDICTUS PP. XIV. Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem.

Conceditur Christifidelibus Sepulcrum Sancti Francisci Xaverii Visitantibus semel in anno Indulgentia Plenaria.

12. » Ad augendam Fidelium Religionem » et animarum salutem Coelestibus Ecclesiae » Thesauris pia charitate intenti, omnibus » utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione » refectis, qui ecclesiam Clericorum Regularium Societatis Jesu Civitatis Goanae, ad » quam, ut asseritur, devotionis causa magnus » Christiani Populi, et praesertim Peregrinorum fit concursus in quocumque anni die

» devote visitaverint, et ibi pro Christianorum » Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione » pias ad Deum preces effuderint, Plenariam » semel dumtaxat per quemlibet Christifidelem quolibet anno lucrifaciendam omnium » peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Clausulae pro Literarum Apostolicarum validitate.

13. » Praesentibus ad quindecim annos » tantum valituris. Volumus autem, ut si pro » impetratione, praesentatione, admissione seu » publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, » praesentes nullae sint.

Datum 31. Julii 1751.

» Datum Romae apud Sanctam Mariam » Majorem sub Annulo Piscatoris die XXXI. Julii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo: Gratis pro Deo etiam scriptura: Pro » Domino Cardinale Passioneo. Joannes Florius Substitutus.

Aliae Literae Apostolicae.

14. Praeterea alias quoque in simili itidem forma brevis literas tenoris sequentis — Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem.

Visitantibus quamcumque Ecclesiam Societatis Jesu per decem Ferias sextas in honorem Sancti Francisci Xaverii conceditur in una ex ipsis Indulgentia plenaria.

15. » Cum, sicut accepimus, in Ecclesiis » Clericorum Regularium Societatis Jesu pia » erga S. Franciscum Xaverium, praesertim » in decem feriis sextis ejusdem Sancti festum » immediate praecedentibus vel subsequentibus devotio introducta fuerit, prout de » praesenti etiam viget; Nos ad eam confovendam, et augendam Fidelium Religionem et » animarum salutem Coelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere » poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictae Societatis Jesu in una ex praedictis feriis sextis per eos ad sui libitum eligenda » devote visitaverint, et ibi pro Christianorum » Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione » pias ad Deum preces effuderint, plenariam » omnium peccatorum suorum Indulgentiam » et remissionem misericorditer in Domino » concedimus.

In aliis novem feriis sextis septem anni et totidem Quadragenae.

16. » In reliquis vero feriis sextis hujusmodi eisdem Christifidelibus vere pariter » poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis aliquam ex praedictis Ecclesiis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria praedictarum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis » poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Clausulae pro Literarum Apostolicarum validitate.

17. » Praesentibus ad septennium tantum » valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu » publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, » praesentes nullae sint; quodque praesentium » transumptis seu exemplis etiam impressis » manu alicujus Notarii publici subscriptis et » sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate » constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum XXIX. Jan. 1751.

» Datum Romae apud S. Mariam Majorem » sub Annulo Piscatoris die XXIX. Januarii » MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno XI. Pro » D. Card. Passioneo: Joannes Florius Substitutus.

Supplex Libellus SS. D. N. porrectus.

18. » Insuper cum Nobis humiliter porrectus fuisset supplex libellus tenoris, qui sequitur — Beatissime Pater — In Ecclesia Societatis Jesu Civitatis Goanae in Indiis situm » est Corpus Sancti Francisci Xaverii, cumque in illis partibus dictum unicum sanctuarium sit, et ad quod omnes Fideles veniunt » pro aliqua a Deo obtinenda gratia.

Supplicatur pro Indulgentia quadraginta dierum visitantibus Sepulchrum Sancti Francisci Xaverii.

19. » Ideo ad augendam Fidelium devotionem, supplicatur humiliter Sanctitas Vestra » pro Indulgentia quadraginta dierum acquirenda toties quoties quisque Fidelis utriusque sexus dictum Sanctuarium visitaverit. » Et Deus etc.

Conceditur gratia ad tempus determinatum.

20. » Praeinserto hujusmodi supplici libello rescribendum mandavimus: » Ex audientia Sanctissimi die 13. Augusti 1751.: Sanctissimus benigne annuit pro Indulgentia » quadraginta dierum semel lucranda quali» bet die per utriusque sexus Christifideles, » Ecclesiam, de qua in precibus, devote visitantes. Ad Decennium. Joseph Livizzani Secretarius: Loco ✠ Sigilli.

Archangelus de Oregny Societatis Jesu Provinciae Goanae Procurator incredibili pietate et zelo incensus S. Francisci Xaverii Se-

21. Quoniam autem Dilectus Filius Archangelus de Oregny Presbyter Regularis Societatis Jesu Provinciae Goanae in Indiis ejusdem Societatis Jesu Procurator, qui quamplurima dictae Provinciae negotia curaturus ad hanc Almam Urbem Nostram advenerat, hisce feliciter expeditis, ad muneris sibi injuncti

pulchrum magnificentius ornavit, et sacris ditavit supellectilibus.

partes obeundas redire cogitans; et singulari erga eumdem S. Franciscum Xaverium pietate, et incredibili erga suam Provinciam zelo incensus, ejusdem S. Francisci Xaverii cultum promovere, ipsiusque Sepulchrum magnificentius ornare, sacrisque supellectilibus ditare pergit.

Ad gloriam Dei in Indiis promovendam octoginta Missionarios necnon artemque typograficam et peritos homines illuc transmisit. Et supradictas gratias confirmari et ampliari curavit,

22. Et ad ipsam Provinciam magis magisque excolendam non solum octoginta circiter interea misit operarios, sed etiam, quo libri Spirituales ad populos illos in mysteriis Catholicae Fidei instituendos, et Christiana pietate inflammandos utiles et opportuni illic ederentur, omnia typograficae artis instrumenta omnibus numeris absoluta, et magno pretio comparata illuc una insimul cum nonnullis ejusdem typograficae artis peritis hominibus transmittenda curavit; suo, ejusdemque Provinciae nomine nuper Nobis humiliter supplicari fecit, ut non solum praeinsertas Nostras Literas et rescriptum iterum in perpetuum confirmare, et, quatenus opus sit, iterum concedere, verum etiam alia quidem commutare, alia vero, ut infra, ampliare de benignitate, et auctoritate, Apostolica dignaremur.

Pontificis studium in favorem eorum qui in vinea Domini feliciter laborant.

23. Nos itaque haec omnia mature considerantes, quantum iis in regionibus profutura sint, quantumque ex iisdem Catholica Religio susceptura sit verae pietatis decus et incrementum, et memoratum Archangelum Procuratorem, ipsiusque Provinciae Missionarios, et omnes dictae Societatis Religiosos Alumnos inibi in Vinea Dei Sabaoth adlaborantes amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Auctoritate apostolica omnes praedictas gratias confirmat, et extendit in perpetuum.

24. Auctoritate Apostolica tenore praesentium primum quidem omnia et singula praeinserta in iis, quae infra statuendis non sint contraria; iterum in perpetuum approbamus et confirmamus.

Festum S. Francisci Xaverii aliquando in Indiis commode transferri oportet.

25. Deinde vero cum festus dies ejusdem S. Francisci Xaverii ubique locorum diei tertiae mensis Decembris addictus celebretur, atque in Indiis in unaquaque Civitate et loco haud facile ob concursum populorum celebrari ita possit, ut eorumdem populorum pietati praesertim in suscipiendo Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, et lucrandis Indulgentiis satisfieri possit.

Unde concedit, ut Episcopi in locis ubi judicaverint illud transferre possint cum Missa Officio et Indulgentia.

26. Eapropter Venerabilibus Fratribus Antistitibus earumdem partium Ordinariis committimus, ut pro suo zelo, et prudentia eumdem inibi Festum S. Francisci Xaverii diem, ad alium sibi benevisum pro Ecclesiis respective diem, stabilem tamen, nec ad ipsorum placitum deinceps permutandum, transferendum et consignandum, una cum festivitate, recitatione Officii Divini, celebratione Missae, et consecutione Indulgentiarum eadem die tertia Decembris concessis permutent, transferant, et consignent.

Confirmat etiam Pontifex Privilegium quotidianum perpetuum Altaris S. Francisci Xaverii in Ecclesia Goana.

27. Porro Privilegium quotidianum perpetuum, quo alias Altare ejusdem S. Francisci Xaverii in praefata Ecclesia Goana situm decoravimus, iterum, quatenus opus sit, auctoritate et tenore paribus in perpetuum concedimus, et confirmamus.

Indulgentias pro decem feriis sextis supra relatas aliquando non lucrantur homines praesertim in Indiis agrorum culturae addicti.

28. Praeterea cum Indulgentias Plenarias, aliasque septem annorum, ac totidem quadragenarum, quas in forma Ecclesiae consueta concessimus iis omnibus Christifidelibus, qui in decem sextis Feriis ante, vel post Festum diem S. Francisci Xaverii confessi ac Sac. Communione refecti quamcumque ipsorum Regularium Presbyterorum Ecclesiam visitassent, haud lucrari valeant praesertim in Indiis homines tam culturae agrorum, quam aliis negotiis addicti.

Pontifex concedit ut feriis sextis in quamcumque aliam diem commutare possint singuli Christifideles.

29. Ea propter ut etiam die Dominica, vel alia quacumque die infra hebdomadam ad unius cujusque libitum eligenda, dummodo omnia in praeinsertis Nostris literis praescripta adimpleverint, easdem Indulgentias pari modo, et forma lucrari possint et valeant, in perpetuum concedimus, et indulgemus.

Clausulae pro Literarum Apostolicarum validitate.

30. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper firma valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Omnibus interdicitur quaecumque aliter judicandi facultas.

31. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos; etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores S. R. E. Cardinales, et Apostolicae Sedis Nun-

tios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque et declaratur has gratias esse perpetuas.

32. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Nostrae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumtis adhibenda Fides.

33. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum 6. Octobris 1753.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Cajetanus Amatus.

Loco ✠ Sigilli.

XXVII. TERRA SUBLACI

Aliaque Oppida, et Loca, intra ditionem Ecclesiasticam sita, Monasterio S. Scholasticae Sublacen. antea subjecta, a temporali dominio et jurisdictione Monasterii praefati, et Abbatum eximuntur, et Camerae Apostolicae, quoad temporalem hujusmodi jurisdictionem et dominium, applicantur et incorporantur; praeservatis Monasterio ac Abbatibus jurisdictione spirituali, necnon emolumentis a praefata temporali jurisdictione promanantibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis cura, ut S. R. E. Subditi in recto ordine, et mutua concordia persistant.

Commendatam Nobis una cum Suprema Ecclesiae et Reipublicae administratione omnium Populorum Apostolicae Sedis temporali Dominio subditorum felicitatem pro viribus promovere cupientes; quum hanc potissimum ex eo pendere non ignoremus, ut optima regiminis forma inter illos stabiliatur, per quam in mutua animorum concordia, ab omni tumultu, rixa, et perturbatione remoti, et in debita erga eamdem Apostolicam Sedem fide ac devotione, contineantur; nec alias omisimus, nec umquam omittendum Nobis esse censemus, ad saluberrimum hujusmodi finem obtinendum, providentiae Nostrae studia, et potestatis Nobis traditae plenitudinem interponere, ubicumque rerum necessitatem id postulare noverimus, et ad propositum publicae utilitatis augmentum opportune expedire.

Peculiaris providentia requiritur pro locis Monasterio Sublacen. in temporalibus subjectis.

§. 1. Huic autem instituto Nostro, et recti regiminis rationi deesse Nobis videremur, nisi nunc temporali gubernio Terrae Sublaci, aliarumque Terrarum, Castrorum, et Locorum intra fines temporalis Ditionis Sanctae Romanae Ecclesiae consistentium, et a Monasterio, Abbatia nuncupato Sanctae Scholasticae Sublacen. Ordinis Sancti Benedicti, Nullius Diocesis in Districtu Urbis, dependentium, quod quidem variis perturbationum generibus et saepe alias, et Pontificatus etiam Nostri tempore non semel agitatum fuisse doluimus, paterna sollicitudine consuleremus.

Nec alia magis idonea dignoscitur, quam eorum subjectio immediate jurisdicti Sedis Ap.

§. 2. Cumque Monasterium praedictum, quod bonae memoriae Joannes Baptista, dum viveret, Episcopus Albanensis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Spinola nuncupatus in Commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione Apostolicis obtinebat, illius Commenda per obitum dicti Joannis Baptistae Episcopi et Cardinalis illius ultimi possessoris Commendatarii cessante, vacaverit, et vacet adhuc ad praesens; facile Nobis fuit, hujusmodi vacatione durante, cognoscere, dictam Sublaci Terram, cum aliis praedictis Terris, Castris, et Locis ab eodem Monasterio dependentibus, quae hactenus non solum spirituali, verum etiam temporali dicti Monasterii, illiusque Abbatis seu Commendatarii pro tempore existentis, jurisdictioni immediate subjectae atque subjecta extiterunt, non alia meliori et magis proficua gubernii forma regi posse, nec Hominum ibi degentium tranquillitati et commodis melius provisum fore, quam si eadem Sublaci, et aliae Terrae, Castra, et Loca praedicta, praevia illarum et illorum a dicto Monasterio, illiusque Abbate, seu Commendatario hujusmodi, quoad temporalem in illis jurisdictionem, dismembratione et segregatione,

immediato Sedis et Camerae Apostolicae dominio perpetuo subjicerentur, et unirentur.

Leo Pont. separat a dicto Monasterio temporalem jurisdictionem in Sublaci, aliisque Terris in statu ecclesiastico exist.

§. 3. Habita igitur super his diligenti consideratione, ac omnibus et singulis mature pensatis, Motu proprio et certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praedictam Terram Sublaci, cum aliis Terris, Castris, et Locis hujusmodi annexis, et a saepedicto Monasterio dependentibus, ut praefertur, et intra tamen fines praefatae Ditionis Sanctae Romanae Ecclesiae sitis, quaecumque hactenus temporali simul et spirituali jurisdictioni, ac forsan proprietati, directo dominio, et superioritati dicti Monasterii, illiusque Abbatis et Commendatarii praefati, subjectae et subjecta extiterant, quarum et quorum omnium et singularum ac singulorum denominationes et vocabula; cum earum et eorum situationibus, Territoriis, eorumque extensionibus et confinibus, praesentibus pro expressis et singulariter nominatis et specificatis haberi volumus, (salvis tamen integre, et absque ulla diminutione, ac in perpetuum dicto Monasterio, illiusque Abbati, seu Commendatario pro tempore existenti Jurisdictione Ecclesiastica et spirituali super praedicta Sublaci, aliisque Terris, Castris, et Locis annexis et dependentibus praedictis, illarumque et illorum Clero et Populo; ac salvo etiam privilegio et jure privativo tam venandi, quam piscandi, eodem modo, quo Abbates dicti Monasterii Commendatarii pro tempore existentes hujusmodi privilegio ac jure gravisi sunt, et gaudere, consueverunt, nec non salva jurisdictione spirituali simul et temporali, ac proprietate, dominio, et superioritate super qualibet alia Terra, ac quolibet alio Castro, et Loco, extra Ditionem temporalem ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae sita, ac sito, et ab eodem Monasterio quomodolibet dependente, ex nunc, et de caetero, ac perpetuis futuris temporibus, quoad temporalem in illis jurisdictionem,) ab ejusdem Monasterii ejusque Abbatis, et Commendatarii pro tempore existentis jurisdictione, ipsarum tenore praesentium, separamus, dividimus, et disjungimus; praedictamque Sublaci, aliasque Terras, Castra, et Loca hujusmodi, quoad dictam temporalem in illis jurisdictionem, ad praefatam Sedem, et Cameram Apostolicam, earumdem praesentium vigore, avocamus, eique perpetuo applicamus, appropriamus, et incorporamus, ac

Praeservatamen Jurisdict. Ecclesiastica, jure venandi, et piscandi, ac cum jurisdict. temporali in Locis extra Ditionem Sanctae Sedis.

Ac jurisd. temporal. separatam, cum universo S. Sedis immediato temporali dominio consolidat.

cum supremo ejusdem Sedis et Camerae dominio, et reliqua illius immediata temporali Ditione consolidamus.

§. 4. Decernentes, omnimodam temporalem jurisdictionem; nec non proprietatem, seu directum dominium, ac etiam superioritatem super dicta Sublaci, aliisque Terris, Castris, et Locis, ut praefertur, separatis, divisis, et disjunctis, deinceps et perpetuo penes Sedem et Cameram praedictam residere debere, neque praedictum Monasterium, ejusque futuros Abbates, et Commendatarios, aliquod jus et actionem aliquam super illis habere, aut praetendere posse; ad quorum effectum omnes et singulas utriusque sexus Personas ex praedicta Sublaci, aliisque Terris, Castris, et Locis hujusmodi oriundas, et in eis respective degentes, praesentes, et futuras ab omni jurisdictione, potestate, auctoritate, subjectione, dominio, gubernio, et superioritate temporali Abbatis et Commendatarii dicti Monasterii pro tempore existentis, ejusque Officialium et Ministrorum, ac a qualibet vassallagii, clientelae, fidelitatis, et cujuscumque alterius servitutis, ratione temporalis jurisdictionis tantum debitorum, praestatione; ita ut Personae, ut praefertur, oriundae, et inibi degentes, deinceps quoad temporale regimen et gubernium, aliaque praemissa, non alium, quam Romanum Pontificem pro tempore existentem, ac Sedem et Cameram praedictam, recognoscere, eique parere debeant, etiam perpetuo liberamus, eximimus, et absolvimus.

Bona jurisd. dicti Monasterii aliis in censum concessa in casu devolut. eidem S. Sedi applicat.

§. 5. Et quoniam aliae quaedam intra fines praedictae Ecclesiasticae Ditionis forsan existunt Terrae, seu Castra, et Locá jurisdictionalia, a proprietate ac directo dominio seu superioritate ejusdem Monasterii dependentia, quae ab aliquibus in feudum, vel censum, et recognitionem tenentur, et possidentur; si quando illae et illa, ob non solutum canonem, censum, aut recognitionem, seu ob servitia non praestita, aut pacta non servata, vel ob lineam finitam, aut alio quovis titulo et capite, jam nunc devoluta esse, aut in posterum devolvi contingat; Nos illas, et illa, quae scilicet intra praedictae Ditionis fines dumtaxat, ut praefertur, existant, quoad directum dominium et temporalem jurisdictionem hujusmodi, non amplius ad dictum Monasterium, sed ad ipsam Sedem et Cameram Apostolicam, ex nunc prout ex tunc, perpetuo devolvi et reverti, et ex

tunc prout ex nunc devoluta censeri, volumus, statuimus, et declaramus.

Bona vero non jurisd. in simili casu Monasterio adjudicat

§. 6. Caetera vero non jurisdictionalia bona, seu jura, et praedia rustica aut urbana, in dictis Terris, Castris, et Locis, quoad temporalem jurisdictionem, ut praefertur, separatis, ac respective applicatis, et incorporatis, illorumque Territoriis, existentia, quae alias a dicti Monasterii Abbatibus et Commendatariis in emphyteusim, seu livellum, aut locationem, vel alio titulo, aut nomine, quibusvis Personis concessa, vel alias ex juribus ejusdem Monasterii possessa dignoscantur, si quandocumque ex quovis capite devolvi contingat, aut etiamsi eadem ob delictum Fisco subjicienda et applicanda forent, volumus et declaramus, eidem Monasterio, ejusque Abbati et Commendatario pro tempore existenti, quoad directum et utile dominium, perpetuo reservata esse et censeri; adeoque eadem pro tempore ad Monasterium ipsum, ejusque Abbatem et Commendatarium, devolvi et reverti statuimus et decernimus.

Bona per Monasterium originariis concedenda, eisdem sed non uti subditis Monasterii, concedi debere declarat.

§. 7. Quod si, circa aliqua bona hujusmodi, ex statutaria forsan dispositione, seu ex contractu, aut privilegio, vel alias, id juris obtineat, ut Vassallis ejusdem Monasterii dumtaxat in emphyteusim, livellum, aut censum concedi, aut locari, vel in favorem eorumdem renovari soleant, aut debeant: Volumus, et statuimus, ut posthac eisdem, non amplius ut Vassallis ipsius Monasterii, sed tanquam eorumdem Terrarum, et Castrorum seu Locorum originariis, et incolis, Nobis, ac dictae Sedi, et Camerae Apostolicae subjectis, Nostrisque, et Successorum Nostrorum Vassallis, servata tamen in reliquis omnibus forma in similibus concessionibus, locationibus, et renovationibus servari solita, concedi, locari, et respective renovari pergant.

Decernit omnia bona et fructus Mon. non ratione temporalis juris. spectan. ad illud ut antea pertinere debere.

§. 8. Caeterum omnes, et singulos dicti Monasterii fundos, agros, vineas, domos, palatia, aliaque bona, fructus, redditus, et proventus, flumina, rivos, ac molendina, et Fullonicas, Juraque universa, et emolumenta in illis, et ex illis percipi solita, canones etiam, census, recognitiones, laudemia, regalias, vectigalia, portoria, decimas, praestationesque reales, aut pecuniarias, seu personales, quaecumque in dictis Terris, Castris, et Locis, ab eodem Monasterio, ut praefertur, separatis, ac respective applicatis, et incorporatis, ac etiam ut supra devolvendis, consistunt, seu ex eisdem, vel ex personis ibidem degentibus, non in vim solius jurisdictionis temporalis, ejusque exercitii, sed vigore statutorum, aut conventionum, vel privilegiorum, seu consuetudinum dicti Monasterii, percipi, et solvi consueverunt, nullatenus sub praesenti separatione, divisione, dismembratione, ac respective applicatione, appropriatione, et incorporatione comprehendi, sed eidem Monasterio, futurisque pro tempore illius Abbatibus, et Commendatariis similiter perpetuo reservata esse, et censeri; ita ut praedicti Abbates, et Commendatarii illis omnibus uti, frui et gaudere, dictosque fructus, redditus, proventus, praestationes, et emolumenta quaecumque, et undecumque, praeterquam ex dicta temporali jurisdictione, et illius exercitio provenientes, et provenientia, percipere, exigere, et levare, ac in suos dictique Monasterii usus, et utilitatem convertere, libere, et licite perpetuo possint, et valeant, prout alii ejusdem Monasterii Abbates, et Commendatarii hactenus potuerunt, ac etiam debuerunt, et fecerunt, earumdem praesentium tenore decernimus, et expresse declaramus.

Emolum. temporal. jurisd. seorsim exprimenda et eorum usum praescriben. sibi reservat.

§. 9. Ne autem futuris temporibus dubitari aut controverti contingat, quaenam ex dictis emolumentis, seu praestationibus, aliisque proventibus, et redditibus, ex jurisdictione temporali praedicta, ejusdem exercitio proveniant, et consequenter sub praesenti dismembratione, separatione, et applicatione comprehensa, vel contra eisdem Monasterio, ac Abbatibus, et Commendatariis reservata sint, et censeri debeant; simulque pateat, qua lege ac methodo dictarum Terrarum, Castrorum, atque Locorum regimen atque gubernium in temporalibus deinceps procedere et administrari; et qua ratione occurrentes expensae ac sumptus pro eodem temporali gubernio et regimine, exigi, supportari, et erogari debeant; Nos ipsi haec omnia in peculiari Schedula Nostri Motus proprii, eadem infrascripta die Nostra manu signata, latius declaravimus, et opportune praescripsimus; quam quidem Schedulam, uti partem integralem praesentium, et tanquam iisdem praesentibus de verbo ad verbum insertam haberi volumus, et juxta declarationes in eadem expressas, quoad praemissa, judicari et censeri, atque omnia et singula in eadem praescripta et ordinata plenissime

adimpleri, ac perpetuo observari praecipimus et mandamus.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 10. Denique tam praesentes Literas, quam dictam Schedulam et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis aliquod interesse habentes, seu habere praetendentes ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, seu causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, satis adductae et verificatae non fuerint, aut ex quovis capite et titulo, etiam laesionis, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, in jus vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci minime posse; Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Camerae Apostolicae praedictae Clericos, ac ejusdem Camerae Thesaurarium Generalem, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere: Et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariis.

§. 11. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, fel. rec. Symmachi, et Pauli Secundi, et aliorum de rebus Ecclesiae non alienandis, nec non Joannis VII. Gregorii IV. Nicolai I. Joannis X. Benedicti VI. Benedicti VIII. Honorii III. Gregorii IX. Alexandri IV. Bonifacii etiam IX. ac forsan etiam aliorum, super temporali jurisdictione dicti Monasterii, illiusque Abbatis, et Commendatarii pro tempore existentis, Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, Constitutionibus Apostolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, generalibusque Conciliis editis, ac una, de jure quaesito non tollendo, et altera, de dismembrationibus et applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, necnon dicti Monasterii fundatione, et donationibus et forsan factis, et quorumvis Piorum Testatorum dispositionibus, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis, quacumque etiam Apostolica auctoritate et liberalitate, eidem Monasterio, illiusque Abbatibus, Superioribus, Conventui, et Personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, per quoscumque etiam Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, et Sedem praedictam, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum et aliorum quorumcumque Principum instantiam, seu illorum contemplatione et intuitu, etiam motu simili, ac consistorialiter, vel alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserrentur, praesentibus pro plene sufficienter expressis habentes, ad praemissorum effectum, latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Pontif. mandat praesentem Constit. in Camera Apostolica registrari et publicari, ac transumptis illius fidem haberi.

§. 12. Volumus autem praesentes Nostras Literas ad formam Constitutionis recol. mem. Pii PP. IV. in Camera Apostolica, illiusque Libris registrari, ac earum exempla ad Valvas Ecclesiae Sancti Joannis Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, aliisque Locis solitis et consuetis Urbis, appendi et publicari debere. Ipsarum vero Literarum exempla, etiam impressa, manu alicujus Notarii publici subscripta, et Sigillo cujuscumque Curiae ecclesiasticae, aut Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae obsignata, eamdemque fidem promereri, quae ipsis praesentibus praestaretur, si originaliter exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino Hominum liceat, paginam hanc Nostrarum separationis, divisionis, disjunctionis, avocationis, applicationis, appropriationis, incorporationis, consolidationis, liberationis, exemptionis, declarationis, statuti, praecepti, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontific. Anno 14. die 7. Novembris 1763.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, septimo

Idus Novembris, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de curia

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 26. *Novembris* 1753.

SUBSEQUITUR

Declaratio, quaenam sint jura et emolumenta ex temporali jurisdictione promanatia, quaeque onera ex hujusmodi emolumentis sint imposterum sustinenda.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

Moto proprio, in cui dichiarasi, quali sieno i diritti e rendite della Giurisdizione temporale.

» Avendo Noi sotto questo medesimo giorno » separati, divisi, e dismembrati dalli due » Monasterj del Sacro Speco, e di Santa Scolastica di Subiaco, dell' Ordine di S. Benedetto, e dagli Abbati Commendatarj pro tempore, il dominio, governo, e giurisdizione » temporale della Terra di Subiaco, e de' Castelli, e Luoghi Giurisdizionali da essa dipendenti, con tutti i proventi e rendite, » che derivano da detta Giurisdizione temporale, e quelli e questi appropriati, applicati, ed incorporati in perpetuo alla Nostra » Camera Apostolica, salva però sempre a' suddetti Abbati Commendatarj la Giurisdizione Ecclesiastica e Spirituale, la Privativa della Pesca, e della Caccia, e salva ancora qualunque sorta di rendite, ed emolumenti non provenienti dalla sola giurisdizione, e governo temporale, come più largamente apparisce dalle Nostre Lettere Apostoliche sopra ciò spedite *sub Plumbo*. Ed essendoci in dette Lettere riservati di dichiarare, mediante la presente Cedola di Nostro Moto proprio, quali sieno i diritti, rendite, e proventi derivanti dalla detta Giurisdizione temporale; come si abbiano in avvenire da governare quanto al medesimo temporale le dette Terre, Castelli, e Luoghi dell' Abbazia; e come si debba supplire alle spese occorrenti per lo stesso governo temporale. Quindi è, che avendo qui per espresso, e di parola in parola inserto l' intiero tenore di dette Nostre Lettere Apostoliche, e volendo che questa Nostra Cedola si abbia, e debba aversi come parte integrante delle medesime: Di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Sovrana Potestà, decretiamo, e dichiariamo, che i diritti, rendite, e proventi derivati da detta Giurisdizione temporale sono:

Sono ridotti principalmente a cinque capi, e quali siano.

» *In primo luogo.* Il Provento et Affitto della Cancelleria, e Cancellerie civili e criminali de' Tribunali Laici; e degli Archivj, che attualmente sono, o potranno stabilirsi in avvenire in qualunque Terra e Luogo dell' Abbazia.

» *Secondo.* La facoltà di deputare il Governatore di Subiaco, e i Giudici Subalterni d' ogni Luogo dell' Abbazia, e di esigere da essi Giudici Subalterni gli emolumenti, ch' erano soliti di pagare per la Spedizione delle Patenti; in ordine a che, trovandosi presentemente affittato, per l' affitto fattone dal defonto Abbate Commendatario, alla Comunità della Camerata il pascolo della montagna di Camposecco, per annui scudi duecento, con la facoltà di nominare il Podestà dell' istessa Terra; vogliamo, che si detragga dal detto affitto, e che tanto meno corrisponda quella Comunità al futuro Abbate, quanto importa l' emolumento della patente della suddetta Podesteria misurandolo, e regolandolo da quello che per la medesima è stato solito altre volte di pagarsi.

» *Terzo.* Le carceri situate in mezzo la Terra di Subiaco vicino alla piazza, con l' abitazione annessa per uso de' birri, con tutti i suoi stigli, e utensili, che dovranno servire per il Tribunale del Governo laicale; restando per uso e comodo del Tribunale Ecclesiastico le carceri esistenti nella Rocca e Palazzo spettante all' Abbate Commendatario, al quale però dovrà darsi liberamente anche l' uso, e comodo di dette carceri laicali vicine alla piazza, fino a tanto che avrà fatto accomodare ed assortire degli stigli necessarj le suddette carceri della Rocca.

» *Quarto.* Il Provento de' danni dati: quale vogliamo, che si regoli, tanto rispetto all' applicazione delle pene, quanto rispetto

» alla cognizione delle Cause, a tenore di quanto si prescrive colla Nostra Costituzione, che incomincia: *Inveterata Reipublicae incommoda:* dei 25. Gennaro 1751., non ostante che le Comunità dell' Abbazia nulla paghino in Camera per il provento delle suddette pene.

» *Quinto*. Finalmente la Posta delle Lettere: volendo Noi, che questa non più cammini, come camminava per lo passato, per mezzo d' un Postiglione deputato dall' Abbate Commendatario, e stipendiato per la maggior parte da dette Comunità, mediante una certa annua contribuzione, ma che resti, e si unisca con tutte le altre Poste del Nostro Stato Ecclesiastico, sotto l' appalto, e disposizione del Generale delle Nostre Poste: Cosicchè le dette Comunità, e ciascuna di esse, rimangano in avvenire affatto libere da detta contribuzione, e ciascheduno, che in Roma o in Subiaco vorrà riscuotere le sue lettere, debba pagarne il porto, secondo la Tariffa stabilita tra Nostra Camera, e il detto Generale delle Poste. Vogliamo però e dichiariamo per quiete e indennità degli Abitanti, ed Uomini dell' Abbazia, che volendosi nei giorni fuori di posta mandare da qualunque Particolare Lettere o Pieghi per espresso, o per mezzo di qualche Vetturale, o di altri; niuno possa essere per ciò molestato, nè dal suddetto Generale delle Poste, nè da' Subappaltatori o Ministri.

...si annessi ...a Giurisdizione temporale, dai quali vien ...avata l'Abbazia.

§. 2. » Siccome dunque abbiamo separato, e separiamo dall' Abbazia tutto quello, ch' è frutto ed emolumento della giurisdizione temporale; così per la dovuta correspettività vogliamo, che sieno isgravati, e liberati la medesima Abbazia e li suoi Abbati Commendatarj pro tempore, di tutto quello, ch' è peso dell' istessa giurisdizione; onde non saranno essi in avvenire più obbligati a pagare il salario del Governatore di Subiaco, del Bargello, e Birri, e degli altri Uffiziali del Tribunale Secolare; ma dovranno unicamente soccombere a quelle spese, che saranno necessarie per l' esercizio della Giurisdizione Ecclesiastica, e servizio del loro Tribunale Abbaziale. E perchè questi stessi frutti, ed emolumenti derivanti dalla giurisdizione temporale, che abbiamo, come sopra, separati, e incamerati, li cediamo in perpetuo ed applichiamo fino da ora al Corpo delle Comunità della suddetta Abbazia; Quindi è che dovranno pensare in avvenire le Comunità medesime a sopportare i pesi dell' istessa giurisdizione: consistenti nel pagamento di scudi cento annui al Governatore di Subiaco; scudi trecento al Bargello, con l' obbligo di tenere al suo servizio dodici Birri, a' quali dovranno somministrarsi i soliti utensili, quando sono in giro per servizio di giustizia ne' luoghi dell' Abbazia; scudi ventiquattro al Procuratore de' Poveri, ch' è obbligato a difendere i Carcerati; scudi nove e bajocchi sessanta al Mandatario; scudi tre e bajocchi sessanta per provvedere giornalmente i Carcerati d' acqua; scudi otto bajocchi sessanta per il Cappellano, che deve celebrare in ogni Festa la Santa Messa nella Cappella delle Carceri; e scudo uno per la cera in servizio della suddetta Cappella, nella istessa guisa appunto, che si è costumato fin' ora. Al qual effetto, se mai per avventura non corrispondessero li frutti et emolumenti come sopra incamerati, e respettivamente ceduti, al pieno de' divisati pesi, vogliamo, che sieno tenute a supplire con la dovuta proporzione a tutto quello, che mancherà, le Comunità dell' abbazia suddetta, le quali potendo all' incontro sollevarsi, come ci è noto, da molti pesi, che soffrivano in tempo del governo de' passati Abbati Commendatarj, non verranno perciò a risentire nessun aggravio maggiore. Come pure vogliamo, che sia cura e pensiero delle stesse Comunità, il trovare e stabilire la maniera, mediante cui i salarj, e provvisioni, come sopra, assegnate agli Ufficiali, e Ministri del Tribunale del Governo, sieno puntualmente pagate di mese in mese. Finalmente tutte le Terre, Castelli e luoghi della predetta Abbazia, vogliamo, che in avvenire si governino nella maniera, che sono state governate finora da un Governatore Generale, che risegga in Subiaco, e da altri Giudici Subalterni, chiamati Podestà, che riseggano in ogni Terra, e Castello; quali Giudici Subalterni però non avranno giurisdizione maggiore di quella, che hanno avuta per lo passato; e vogliamo ancora, che le Nostre Congregazioni della Consulta, e del Buon Governo abbiano sopra le medesime Terre, Castelli, e Luoghi quella sopraintendenza, e superiorità, che hanno, secondo le respettive loro incombenze, e secondo le Costitu-

...addossati ...Comunità da sostenersi con gli emolumenti ...ati loro.

Con l'obbligo di supplire del proprio quando non fossero sufficienti.

Forma da osservarsi in avvenire nel governo temporale.

» zioni e riforme Apostoliche, negli altri Luo-
» ghi del nostro Stato Ecclesiastico immediato:
» per essere così mente e volontà Nostra es-
» pressa.

Conferma delle cose praecedenti. §. 3. » Volendo e decretando, che alla pre-
» sente Nostra Cedola di Moto proprio, ben-
» chè non esibita, nè registrata in Camera, e
» ne' suoi libri, non possa mai darsi nè op-
» porsi di surrezione, orrezione, nè d'alcun
» altro vizio, o difetto della Nostra volontà,
» ed intenzione; anzi vogliamo, che vaglia, e
» debba aver sempre ed in perpetuo il suo ef-
» fetto, esecuzione, e vigore, colla semplice
» Nostra Sottoscrizione, benchè non vi sieno
» stati chiamati, sentiti, o citati li detti due
» Monasterj del Sagro Speco, e di Santa Sco-
» lastica di Subiaco dell'ordine di S. Benedet-
» to, e gli Abbati Comendatarj pro tempore, ed
» altre qualsisieno persone, ancorchè privile-
» giate e privilegiatissime, che vi avessero o
» pretendessero avervi interesse, e che per com-
» prenderle fosse bisogno di special menzione:
» Non ostanti la Bolla di Pio IV. Nostro Prede-
» cessore *de registrandis*, la regola della Nostra
» Cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e
» qualsisieno altre Costituzioni, ed Ordina-
» zioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri Pre-

Deroghe. » decessori, Leggi, Statuti, Riforme, Stili,
» Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa
» che facesse, o potesse fare in contrario; alle
» quali tutte e singole, avendone il tenore qui
» per espresso, e di parola in parola inserto, e
» registrato, e supplendo colla pienezza della
» Nostra potestà Pontificia ad ogni vizio, e di-
» fetto quantunque sostanziale, e formale,
« che vi potesse intervenire, per questa volta
« sola, e per la piena e total esecuzione di
» quanto si contiene nella presente Nostra Ce-
« dola di moto proprio, ampiamente ed espres-
« samente deroghiamo:

Dat. 7. Nov. 1753. del Pontific. 14. » Dato dal Nostro Palazzo Apostolico di
» Monte Cavallo questo dì 7. Novembre 1753.

BENEDICTUS PP. XIV.

XXVII.* Indulgentia Plenaria consequenda in una ex decem Feriis sextis ante, vel post Festum S. Francisci Xaverii alias concessa confirmatur, et ampliatur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dederamus sane elapsis annis alias nostras in simili forma Brevis Literas tenoris sequentis » BENEDICTUS PAPA XIV. *Universis Christifidelibus praesentes Literas inspecturis salutem, et Apostolicam Benedictionem.* Cum, sicut accepimus, in Ecclesiis Clericorum Regularium Societatis Jesu pia erga Sanctum Franciscum Xaverium, praesertim in decem feriis sextis ejusdem Sancti Festum immediate praecedentibus, vel subsequentibus devotio introducta fuerit, prout de praesenti etiam viget, Nos ad eam confovendam, et augendam Fidelium religionem, et Animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictae Societatis in una ex praedictis feriis sextis per eos ad sui libitum eligenda devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis sextis hujusmodi iisdem Christifidelibus vere pariter poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis aliquam ex praedictis Ecclesiis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria praedictarum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, quodque praesentium Transumptis seu Exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIX. Januarii MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno undecimo — *Pro Domino*

Card. Passionei: Joannes Florius Substitutus. — Hujusmodi vero Indulgentias per alias in simili forma Brevis Literas die VI. mensis Octobris anno MDCCLIII. ad perpetuam rei memoriam datas in perpetuum quoque confirmavimus. Quoniam autem in secundodictis nostris Literis quamplurima Apostolicae benignitatis auctoritatisque privilegia, et indulta praesertim pro Indiis dumtaxat concessa continentur: Idcirco Nos tenore, et auctoritate paribus easdem Indulgentias in praedictis nostris Literis contentas, et deinde, ut praemittitur, per secundo dictas Literas nostras in perpetuum confirmatas, non solum iterum, quatenus opus sit; in perpetuum sub iisdem modo et forma concedimus et confirmamus; verum etiam, quoniam non omnes utriusque sexus Homines, qui praesertim culturae agrorum, aliisque negotiis addicti sunt, easdem Indulgentias in supradictis feriis sextis lucrari valent: Ea propter, ut etiam die Dominica, vel alia quacumque die infra hebdomadam ad uniuscujusque libitum eligenda, dummodo omnia in praeinsertis nostris Literis praescripta adimpleant, easdem Indulgentias pari modo, et forma lucrari possint, in perpetuum itidem concedimus, et indulgemus. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum Transumptis, seu Exemplis etiam impressis manu Praepositi Generalis, vel Generalis Procuratoris dictae Societatis pro tempore existentium subscriptis, et Sigillo ejusdem Societatis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Januarii MDCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Cajetanus Amatus.

XXVIII. CONGREGATIONIS

Cameralis Decreta, quibus privilegia liberae extractionis, et exemptionis a Datiis, aliisque oneribus, in Ducatu, et Provincia Ferrariae praevio accuratissimo examine, vel approbata fuerant, vel rejecta, vel super iisdem moderatio aliqua implorata, iterato confirmantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Privilegia non temere abroganda, sed suis limitibus coercenda, et ad Reipublicae Salutem moderanda.

Circumspecta Romani Pontificis providentia generales quidem leges publico bono latas atque statutas ita opportune temperare non recusat, ut peculiaria privilegia in privatorum commodum justis de causis Apostolica liberalitate concessa, in suo robore manere permittat: Sed simul etiam sollicite cavere non negligit, ut si quod vitium in hujusmodi Privilegiorum Titulo adsit, si forte eadem in usu ad personas vel bona in ipsis non comprehensa indebite extendi comperiantur, seu alias praescripti eorum limites, et conditiones iisdem adjectae nequaquam serventur, vel denique si quid in primaeva eorum concessione inconsulte largitum fuisse dignoscatur: omnia quamprimum ad aequitatis et Justitiae terminos redigantur, prout, diligenti et maturo praemisso examine, rationi consentaneum, et ad Reipublicae salutem, et Camerae Apostolicae indemnitatem expediens fore judicatur.

Commercii libertas sub certis legibus concessa in universa Ditione Status Ecclesiastici.

§. 1. Cum itaque Nos alias, dum plerisque Civitatibus atque Provinciis temporali Nostro et Apostolicae Sedis dominio subjectis, perpetuam commercii libertatem, quoad plura rerum genera, sub certis providis legibus et conditionibus, per Nostram Constitutionem, decimo quinto Kalendas Augusti anno millesimo septingentesimo quadragesimo octavo editam, indulsimus: generales tamen Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, earumdem rerum ex ipso Dominio extractionem vetantes, aliasque super solutionibus vectigalium et onerum, Camerae Apostolicae, seu aliis, in casibus permissae extractionis, seu respective pro transitu et introductione, debitorum, diversis temporibus emanatas, firmas et ratas esse voluerimus; facile intelleximus, hujusmodi Constitutionum et Legum implemento, ad communem alioquin utilitatem et aequabile Ditionis Ecclesiasticae regimen necessario, magna et multiplicia obstacula opponenda fore, ex parte complurium sive personarum, sive Societatum, et Corporum, quibus extrahendi licentiae, ac exemptionum et immunitatum privilegia, variis rationibus, titulis, et formis, a Praedecessoribus Nostris concessa aut confir-

Obtenta Privilegiorum, ultra definitos limites extendi poterat, in damnum Camerae.

mata asserebantur. Itaque opportunum, seu potius necessarium duximus, singularum hujusmodi concessionum atque privilegiorum titulos, formas, atque tenores, ad accurati examinis trutinam revocare; factaque justa titulorum approbandorum atque rejiciendorum distinctione, certam praescribere regulam ac methodum, juxta quam in Congregatione Camerali de eorumdem Privilegiorum subsistentia, et vigore judicari deberet. Et quoniam in Ferrariensi Ducatu et Provincia complura hujusmodi privilegia a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris antiquitus concessa, seu confirmata, adesse ferebantur, de quorum firmitate, atque etiam amplitudine, aliter a praetensis Privilegiatis, aliter vero a Ministris Cameralibus, aliisque publicorum onerum Exactoribus et Creditoribus, judicabatur; Idcirco dicta Congregatio Cameralis ad eorum discussionem praecipuo studio intendens, Nostrisque semper mandatis et ordinationibus inhaerens, per quinquenii spatium, et ultra, super iisdem diversa decreta condidit, quae scilicet, pro singulorum natura, partim in Urbe coram eadem Congregatione, partim Ferrariae coram designatis rerum Cameralium Curatoribus, expensa, convenire merito censuit; prout latius enarratum legitur in Schedula Nostri Motus proprii super eorumdem Decretorum, approbatione et confirmatione confecta, ac die duodecima elapsi mensis Decembris Chirographo Nostro subscripta; Cujus tenor talis est, videlicet.

Ideo eorum discussio, approbatio, et proscriptio Congregationi Camerali demandata.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Moto Proprio

Motu proprio etc.

§. 2. » Con altra Cedola di Moto proprio inserita nella Nostra Costituzione sopra il libero » Commercio, che principia *Quo die*: data li » 18. Luglio 1748. fu da Noi conceduta a Nostri fedelissimi Sudditi la libertà di commerciare e contrattare grani, marzatelli, animali, ed altri generi dentro lo Stato Ecclesiastico; e volendo precludere l'adito alle » continue estrazioni, che di somiglianti generi presso che lo vuotavano, non solo rinnovammo l'antiche proibizioni sopra di ciò » emanate da Pio IV. Gregorio XIII. Clemente VIII. et Urbano VIII. Nostri Predecessori, ma rintracciata l'origine di tal » male, proveniente per lo più da' mendicati » privilegj, disseminati particolarmente nel » Nostro Ducato di Ferrara, prendemmo quindi la giusta determinazione di moderare delli Privilegj, e ridurli soltanto a quelli concessi per titolo veramente oneroso, o d'effettivo pagamento, o d'appalto e contratto » Camerale, o di privilegio confermato *in actu* » *devolutionis*, con dare alla Congregazione » Camerale la commissione, e le facoltà necessarie di riconoscere il titolo di ciascun privilegio, e d'approvare quei soli, di cui si » fosse verificata la provenienza loro da uno » de' sopraddetti titoli, e respettivamente dichiarar nulli tutti gli altri, in qualunque » modo, e forma conceduti per titoli diversi: » sopra di che furono da Noi successivamente » aggiunti altri regolamenti, e provvisioni, in » altra Nostra Cedola segnata li 30. Maggio » 1749. Dopo aver provveduto colla libertà » del Commercio al bene de' Nostri Sudditi, e » moderate le tante irregolari estrazioni fuor » di Stato; rivolgemmo le Nostre mire a' maggiori pregiudizj dell'Erario Camerale, cagionati dagl'stessi privilegj, che, oltre il diritto dell'estrazione, seco portavano eziandio l'altro di mal pretese esenzioni da' dazj » dovuti alla Nostra Camera: E a tal'oggetto » con altra Nostra Cedola segnata li 3. Settembre 1749. commettemmo all'istessa Congregazione Camerale di riconoscere, ed esaminare i titoli di dette esenzioni, citati Monsignor Commissario della Nostra Camera, e » i respettivi Tesorieri delle Provincie, e con » la legge, di dichiarare valide, e giuste soltanto quelle Esenzioni, che provenissero da » titolo oneroso come sopra, o da privilegio » dato, o confermato in qualunque tempo dal » predetto Clemente VIII. in rapporto al Ducato di Ferrara, oppure dato da altri Nostri » Predecessori *in actu devolutionis*.

Libertà del Commercio ristretta allo Stato Ecclesiastico.

Norma prescritta alla Congregazione Camerale nell'esame, ed approvazione de' Privilegi d'estrarre le grascie.

E di esenzione da' Dazj Camerali.

§. 3. » In seguito d'ambedue le sopraddette Cedole, fu dalla Congregazione Camerale » tutto ciò maturamente eseguito, in contraddittorio di Monsign. Commissario della Nostra Camera, de' Tesorieri, e degli stessi Privilegiati: avendo ella ammesso il dritto dell'estrazione, e respettivamente l'altro dell'Esenzione da' dazj Camerali, a quei Privilegj, che provenivano da alcuno de' titoli prescritti in dette Cedole, e rigettati altresì, tutti » gli altri, che da niuno di detti titoli derivava-

Alcuni Privilegi vengono rigettati, ed altri approvati.

» no. Ma perchè, oltre all'esame del titolo, vi » restavano da verificarsi altre condizioni additate ne' respettivi privilegj, e conferme di Clemente VIII. perciò quei privilegj di Ferrara, e suo Ducato, che detta Congregazione » credette validi, e giusti, per validi e giusti » li dichiarò, ma però colla modificazione — » *ad formam privilegiorum, adimpletis conditionibus Brevis Clementini* —, e con somiglianti preserve di condizioni, che, oltre al titolo » del privilegio, restavano per anco da verificarsi. Fu creduto da Noi, che il fare una » tal verificazione qui in Curia sarebbe riuscito di grave dispendio a' Privilegiati nel trasporto delle scritture; onde per sollevarli da » qualunque spesa, ed incomodo, deputammo » nella stessa Città di Ferrara per Giudice remissiorale il Nostro Commissario colà residente, coll' ajuto, e opera del Dottor Carlo » Bottoni Canonico della Metropolitana, comunicandogli le facoltà di procedere de bono, et aequo, senza minimo aggravio d' essi » Privilegiati, giusta le istruzioni, che mandate gli sarebbono da Monsignor Banchieri » allora Tesoriere Generale, oggi Cardinale, e » Pro-Tesoriere, et ordinandogli, che dopo » compiti gli atti della suddetta verificazione, » dovesse trasmetterne una esatta relazione, o » ristretto, per sottoporlo all'esame, e giudizio della Congregazione Camerale; riservato però l' oracolo della Nostra ulteriore approvazione, e di poter Noi moderare, e ridurre al giusto, ed onesto, qualunque eccesso, o esorbitanza di privilegio, eziandio approvato dalla detta Congregazione, come » più ampiamente s' esprime nel Nostro Moto » proprio segnato li 22. Agosto 1750.

Ma colla riserva di verificare le condizioni loro annesse.

Al qual fine furono deputati due in Ferrara colle facoltà.

Regole prescritte ai Deputati.

§. 4. » Nell' Istruzione data da detto » Reverendissimo Cardinale Pro Tesoriere al » Commissario di Ferrara, s' avvertiva di verificare tralle altre condizioni, quella dell' identità de' beni, e delle discendenze, e » distinguere quei dazj, da' quali il Privilegiato era esente, dagli altri, al cui pagamento era tenuto, sulla scorta anco delle Regole » generali, fermate nella Congregazione Generale li 16. Decembre 1749. e 7. Aprile 1750. » in rapporto alla Macina Ducale, all' altra » detta *Urbana*, et all' estrazione de' generi » venduti, o contrattati. Ed affine di togliere » la confusione, che cagionavano le tante diverse specie de' privilegj, gli fu parimente » ingiunto di ridurli a tre classi, per quindi » formarne tre catastri; Nel primo de' quali si » dovessero registrare le concessioni fatte *intuitu Personarum*, nè transitorie *ad extraneos;* » nel secondo riportare quelle limitate nel progresso loro ad un numero determinato di » Successori; e nel terzo descrivere tutti i privilegj concessi a' beni, e che reali s' appellano. A forma di tal Istruzione fu dal suddetto Commissario di Ferrara, col Canonico » Bottoni, riscontrato ciascun privilegio colle » sue condizioni, su i documenti esibitigli » da' Privilegiati, sentiti più volte i loro Procuratori, in contradittorio col Tesoriere della Provincia; e compilati che furono gli Atti, e verificate le condizioni di ciascun privilegio, e tra l' altre le discendenze, e il passaggio de' Beni, e loro indentità, sull' esame » delle Note, come sopra esibitegli; ne trasmise al detto Reverendissimo Cardinal Pro-Tesoriere la relazione in tanti brevi Ristretti » sottoscritti da esso, e dal prefato Canonico » Carlo Bottoni, ascendenti in tutto al numero » di 243.

Distinzione de' Privilegj in personali, progressivi a certo numero di Generazioni, e reali.

Relazioni o sia Ristretti trasmessi de' Deputati alla Congregazione Camerale.

§. 5. » Una dell' incombenze adempiute » della detta Congregazione nel corso di quasi » tre anni, è stata quella di dover esaminare » i suddetti Ristretti sul confronto de' Fatti, » che risultavano da' Sommarj altre volte distribuiti dalle Parti stesse: e riconosciuta la » giustizia, e l' adempimento delle condizioni, » che verificare si dovevano, ha in più e diverse Sessioni decretata l' esecuzione, ed osservanza di detti privilegj, giusta le relazioni di detto Commissario, e relativamente » a' di lui Ristretti formati sopra ciascun privilegio; riservato però l' ulteriore Nostra approvazione, ed oracolo: Al qual oggetto nell' esibirci poi Monsignor Commissario nella » Nostra Camera l' elenco di tutti li suddetti » privilegj, ci ha riferite parimente le respettive risoluzioni sopra di essi prese dalla Congregazione Camerale, tanto quelle, che canonizzavano la verificazione del titolo, quanto le altre, che approvavano l' adempimento delle condizioni, a forma de' Ristretti compilati dal Commissario residente in Ferrara. » E siccome ora detti privilegj ve n' erano alcuni, che oltre ai beni acquistati *de tempore concessi privilegii*, s' estendevano eziandio ai » Beni, che acquistati avessero in futuro i discendenti maschi, e femmine, e loro discen-

Sono da essa dopo diligente disamina approvati.

Istanza del Commissario per la riforma d'alcuni privilegj.

» denti maschi, e femmine, e loro discendenti » in infinito; Così detto Monsignor Commissa- » rio implorava la Nostra suprema autorità, » supplicandoci a voler moderare l'esorbitanza » di somiglianti privilegj, e aderire in ciò al » voto della Congregazione Camerale, la quale » li 13. Novembre 1753. aveva rescritto: *Con-* » *sulendum Sanctissimo pro moderatione privile-* » *giorum quoad Bona acquirenda in futurum per* » *Privilegiatos.*

Approvazione de' privilegj a norma de' ristretti, e risoluzioni della Congregazione.

§. 6. » Sulla serie pertanto di questi fatti, » vedendo Noi, che per dar l'ultimo compi- » mento ad un' opera maturata con tanti esa- » mi, e solennità, altro non resta, che premu- » nirla coll'oracolo della Nostra suprema po- » testà, ed approvare tutte le riferite risolu- » zioni della Congregazione Camerale, con in- » sieme i suddetti Ristretti stesi dal Commis- » sario di Ferrara; Perciò colla presente Cedo- » la di Moto proprio, in cui abbiamo per es- » presse le altre quattro di sopra enunciate, » tutti li privilegj, istrumenti, e qualunque » sorta di scritture avanti detta Congregazione » esibite, e prodotte, il Breve, e Brevi di Cle- » mente VIII. sopra la conferma generale, e » speciale de' medesimi privilegj, l'Istruzione » data al Commissario di Ferrara, i di lui Ri- » stretti come sopra enunciati in numero di » 243. e altrettante risoluzioni della Congrega- » zione Camerale, ed ogni altra cosa necessa- » ria da esprimersi; Di Nostra certa scienza, e » suprema potestà, approviamo, e confermia- » mo tutte, e singole suddette risoluzioni prese » in più, e reiterate Sessioni dalla Congrega- » zione Camerale, registrate ne' respettivi so- » pradetti Ristretti, e sottoscritte da Monsignor » Commissario Generale della Nostra Camera, » tanto quelle sopra la verificazione del titolo » di ciascun privilegio, quanto l'altre sopra » l'adempimento delle condizioni a norma di » detti Ristretti: e consecutivamente coll'is- » tessa Nostra suprema autorità approviamo » altresì tutti, e ciascuno di detti Ristretti fatti » dal Commissario residente in Ferrara, e sot- » toscritti da esso, e dal Canonico Carlo Bot- » toni, con le sopradette Note de' beni, e vo- » gliamo, che quelle e quelli s'osservino in- » violabilmente, come Regole, e Leggi da Noi » formate, e come inserite, e registrate de » verbo ad verbum nella presente Cedola; » con obbligo a tutti, e singoli Privilegiati di » prendere la Bolletta dalla Tesoreria, come » ha anco dichiarato la Congregazione Came- » rale sotto il primo Settembre 1750.

Colla riforma di quelli che comprendevano beni futuri.

§. 7. » Ed inerendo al detto Voto della » Congregazione Camerale circa l'effrenatezza » d'alcuni privilegj dati anco per i beni, che » s'acquistassero in futuro, approviamo la » moderazione de' medesimi a forma di detto » voto, e dichiariamo, che niuno Indulto, o » Privilegio, tuttochè confermato da Clemente » VIII. o da altri Nostri Predecessori, o pre- » munito d'altro titolo, anche oneroso, possa » mai comprendere ed estendersi a' beni, che » s'acquistassero in futuro: annullando e cas- » sando in questa parte tali privilegj, come » estorti *ad importunas preces;* siccome in que- » sta parte sola, ed in rapporto ai beni, che » s'acquistassero in futuro, moderiamo, e ri- » formiamo i detti Ristretti del Commissario » di Ferrara, e le respettive risoluzioni della » Congregazione Camerale fatte su i mede- » simi.

Si provvede alla perpetua conservazione delle risoluzioni, e ristretti, con ordinarne molte copie

§. 8. » Vogliamo poi, che quelli, e que- » sto si raccolgano tutte in un volume, il qua- » le s'esibisca dal detto Monsig. Commissario » negli Atti del Castellani Segretario di Came- » ra; Donde poi se n'estragga una copia, e » quella autenticata, si trasmetta a Ferrara, » da conservarsi negli Atti del Notaro Camera- » le: Della quale, a spese di Lorenzo Panzac- » chi, e Pietr' Antonio Odoroci Tesoriere di » Ferrara, dovranno formarsi tre Catastri, col » ripartimento de' privilegj in tre Classi, divi- » sato nella sopraddetta Istruzione del suddet- » to Reverendissimo Cardinal Pro-Tesoriere; » con un Registro, e rapporto fedele di tutte » le condizioni, dazj, e tutt'altro individuato » nelli detti Ristretti, e decretato nelle Risolu- » zioni della Congregazione Camerale: E for- » mati che siano detti tre Catastri, ordiniamo, » che gli originali si consegnino, e producano » negli Atti del Notaro della Camera in Ferra- » ra, da conservarsi in perpetuo in quell'Of- » ficio, e a tal effetto si descrivano nell'inven- » tario degl'istromenti di esso. La copia poi » di detti tre originali, da farsi parimente a » spese de' predetti Tesorieri, vogliamo, che » resti presso i medesimi, per norma invaria- » bile dell'esazione de' dazj, e gabelle Came- » rali: e a tal oggetto dovranno non solo con- » servarla durante il loro appalto, ma saran- » no parimente tenuti a consegnarla a' Teso- » rieri successori, e così di successore in suc-

» cessore; Volendo per fine, che tanto i detti » originali, quanto le dette copie, siano pri- » ma legalizzate dal detto Notaro della Nostra » Camera in Ferrara.

S. ordina la formazione de' Catastri.

§. 9. » Ad oggetto poi, che i medesimi » Catastri siano formati colla dovuta distinzio- » ne, e chiarezza, e a norma in tutto de' Ri- » stretti, e Risoluzioni della Congregazione Ca- » merale, eleggiamo, e deputiamo il Commis- » sario della Camera in Ferrara, acciocchè » Egli, coll' intervento, ed ajuto del detto Ca- » nonico Carlo Bottoni, invigili alla formazio- » ne di detti Catastri, uniformemente a' detti » Ristretti, e Risoluzioni, e a quanto da Noi » qui si dispone.

Esecutori deputati.

§. 10. » E perchè tutto ciò, che si contie- » ne nella presente Cedola, venga esattamente » eseguito, ne deputiamo Esecutore Monsignor » Tesoriere Generale pro tempore, la Congre- » gazione Camerale, privativamente ad ogn' al- » tro Giudice, comunicandogli per tal effetto, » oltre le sue facoltà ordinarie, tutte le altre » necessarie, ed opportune, ancorchè ricer- » cassero speciale menzione. Volendo, e de- » cretando, che alla presente Nostra Cedola di » Moto proprio, benchè non esibita, nè regi- » strata in Camera, e ne' suoi libri, non pos- » sa mai darsi nè opporsi di surrezione, orre- » zione, nè d' alcun altro vizio, o difetto della

Clausole per la perpetuità delle cose stabilite.

» Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai » sotto tali o altri pretesti, quantunque validi » validissimi, e giuridichi; anche di Jus que- » sito, e pregiudizio del Terzo, possa essere » impugnata, moderata, e rivocata, ridotta ad » viam Juris, o concedersi contro di essa » l' aperizione oris, o altro qualunque rime- » dio: E che così, e non altrimenti, debba » sempre ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, » ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tri- » bunale, benchè Collegiale, Congregazioni, » anche de' Reverendissimi Cardinali, Legati » a Latere, Vice-Legati, Camerlengo di San- » ta Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, e qua- » lunque altro; togliendo loro ogni facoltà, e » giurisdizione di definire, ed interpretare in

Decreto irritante.

» contrario; Dichiarando Noi sin d' adesso » preventivamente nullo, irrito, ed invalido » tutto ciò, che da ciascuno di essi, con qual- » sivoglia autorità scientemente, o ignorante- » mente fosse in qualunque tempo giudicato, » o si tentasse di giudicare contro la forma, e » disposizione della presente Nostra Cedola di » Moto proprio: quale vogliamo che vaglia, e » debba avere sempre, ed in perpetuo il suo » pieno effetto, esecuzione, e vigore, colla » Nostra semplice sottoscrizione, benchè non » vi sieno state chiamate, sentite, o citate » qualsisieno altre Persone, ancorchè privile- » giate, e privilegiatissime, Ecclesiastiche, e » Luoghi Pii, che avessero o pretendessero » avere interesse nella presente Nostra dispo- » sizione, e che per comprenderle fosse biso- » gno di special menzione.

Deroga a tuttociò, che ostasse.

§. 11. » Non ostante la Bolla di Pio IV. » Nostro Predecessore de *registrandis*, la re- » gola della Nostra Cancellaria *de Jure quaesito* » *non tollendo*, e non ostanti ancora tutti, e » qualsisieno Chirografi, Brevi, Ordinazioni, » e Costituzioni Apostoliche Nostre, e de' No- » stri Predecessori, Bandi, ed Editti in virtù » di esse, et in qualunque altro modo emana- » ti, affissi, e publicati, Leggi, Statuti, Ri- » forme, stili, usi, consuetudini, e qualunque » altra cosa, che facesse, o potesse fare in » contrario: alle quali tutte, e singole aven- » done il tenore qui per espresso, e di parola » in parola inserito, e registrato, e supplendo » colla pienezza della Nostra potestà Pontifi- » cia ad ogni vizio, e difetto quantunque so- » stanziale, e formale, che vi potesse interve- » nire, per questa volta sola, e per la piena, » e totale esecuzione di quanto si contiene nel- » la presente Cedola di Moto proprio, ampia- » mente, ed in ogni più valida forma dero- » ghiamo.

Data 12. Decemb. 1753.

» Dato dal Nostro Palazzo Apostolico di » Monte Cavallo questo dì 12. Decembre 1753.

BENEDICTUS PP. XIV.

Iterata amplissima praemissorum confirmatio.

§. 12. Nunc autem volentes adeo diligentis atque maturi judicii perpetuam firmitatem, ac supremae voluntatis Nostrae in praeinserta Schedula expressae, aliarumque Ordinationum in ea editarum observantiam, magis magisque asserere, iisdem motu, scientia, et potestatis plenitudine, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, omnia et singula indulta, et privilegia in praedicta Cong. Camerali hactenus, ut praefertur, rejecta et reprobata rejicimus et reprobamus: Quae vero in eadem admissa et approbata fuerunt, Nos etiam, intra eosdem limites, et cum iisdem conditionibus, necnon quoad personas et bona in prae-

narratis Summariis seu Restrictibus designata, non tamen quoad illa, quae in posterum per Privilegiatos acquiri contigerit, admittimus approbamus, et respective confirmamus: ea vero quae ad bona etiam de futuro per Privilegiatos acquirenda extendi dicuntur, seu etiam aperte dignoscuntur de ejusdem Congregationis consilio, ut praefertur, hac in parte moderamur, annullamus, atque cassamus; ac demum caetera omnia et singula in praeinserta Schedula per Nos ordinata, volita, atque sancita, per omnes et singulos, ad quos pertinet et pertinebit in posterum, omnimodae executioni mandari, ac inviolabiliter etiam perpetuo observari volumus atque praecipimus.

Firmitas constitutis asseritur.

§. 13. Decernentes, tam praeinsertam Schedulam, quam ipsas praesentes Literas, omniaque et singula in ipsis contenta et expressa, etiam ex eo, quod aliqui in ipsis interesse habentes, seu habere praetendentes, etiam specifica et individua mentione digni, eisdem non consenserint, vel se nullatenus ad ea vocatos, aut non sufficienter auditos asserere valeant, ac etiam protestari quandocumque ausi fuerint, seu ex alia quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, impugnari, seu in jus et controversiam vocari posse; sed eadem semper valida et efficacia existere et fore; et secundum ea, et non alias, per quoscumque Ordinarios, et Delegatos Judices, etiam in praeinserta Schedula expressos, sublata ipsis, et eorum cuilibet aliter judicandi, interpretandi, et decernendi facultate, in quocumque judicio, tam petitorio, quam possessorio, ac summario, et summariissimo, et in quacumque instantia, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quolibet, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari, seu judicari, definiri, et decerni contingerit.

Per amplissimam derogationem contrariorum

§. 14. Non obstantibus contrariis quibusque Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, et quorumcumque Judicum ac Tribunalium resolutionibus et decretis, usibus, stilis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, tam dictis Ferrarien. Civitati, ac Ducatui, quam quibuscumque Personis, atque Familiis, seu Locis Piis, ac etiam Monasteriis, et Ecclesiis Cathedralibus et Metropolitanis, ac Mendicantium, seu non Mendicantium Ordinibus, Congregationibus, et Institutis etiam Societatis Jesu, necnon Hospitalibus, ac Militiis, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet, quavis etiam Apostolica auctoritate, quandocumque, et qualitercumque concessis seu confirmatis, ac etiam saepius innovatis, aliisque in praeinserta Schedula expressis: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis, eorumque totis tenoribus, specialis et individua, non autem per clausulas generales, expressio, ac etiam totalis insertio, seu alia exquisita forma necessario servanda dici possit; eorum totos et integros tenores, causas, et occasiones praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis, necnon derogationis formas in ipsis traditas pro plene observatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, motu, scientia, et potestatis plenitudine praefatis, amplissime derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Exempli auctoritas.

Volumus autem, ut earumdem praesentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in Judicio, et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, et confirmationis, ac respective reprobationis, moderationis, annullationis, cassationis, atque derogationis, mandati, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 21. Januarii 1754. Pont. XIV.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

D. Card. Passionеus.

J. Card. Pro-Datarius.

Visa.

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXIX. GREGORIANUM CANTUM

In Choro, aliisque functionibus a Fratribus, vel Monialibus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, peragendis, adhiberi praecipitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex personarum Ecclesiasticarum quarumlibet praesertim Regularium Vota, Divini Cultus, piorumque operum augumentum concernentia, ad exauditionis gratiam libenter admittit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Franc. de ula in pri- sua regu- Gregor. ntum suis amois per- sit; sed secunda ntum sine ftulis prae- pit, qui nunc obser- tur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Galindo Zelosus, seu Procurator Generalis Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, quod cum usus canendi Divinas Laudes frequentissimus fuerit ab initio nascentis Ecclesiae, tum in Oriente, tum in Occidente, hujusmodi usui inhaerens dictus S. Franciscus memorati Ordinis Parens, in prima sua Regula suis Alumnis Cantum Musicalem, seu figuratum, Gregorianum nuncupatum, permisit, qui quidem Cantus per aliquod temporis spatium apud Fratres memorati Ordinis in usu fuit. Novis vero supervenientibus menti ejusdem S. Francisci de Paula causis, in secunda regula, quam suis Fratribus observandam tradidit, statuit Missas, Divinumque Officium concinenda esse sine notulis, voce quadrata, et rotunda, quasi computando, ita ut modus hujusmodi usque nunc a Fratribus dicti Ordinis observari pergitur.

plurima in- ommoda, ase ex hu- smodi in- ecoro cantu rivant, re- uscitur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, et dictus Franciscus Zelosus, seu Procurator Generalis asseruit, succedentibus temporibus experientia compertum sit, talem modum non tantum esse difficilem, verum etiam plurima afferre inconvenientia, prout nonnulli docti, zelantesque dicti Ordinis Viri diversis temporibus ea adnotaverint, quae referuntur, nempe — Primo, plurimum laborant dicti Ordinis Fratres, ut cantent uniformiter sine notulis, et absque ulla vocis inflactione, praesertim quando Missa solemnis, Officiumque Divinum altiori voce cantari debent; Secundo, ex hujusmodi cantus difficultate per universum Ordinem praedictum dissimilis, diversusque factus est canendi modus, ut non solum inter Italos, Germanos, Gallos, et Hispanos ejusdem Ordinis Fratres varius sit Cantus, verum etiam in eademmet cujuscumque Nationis Provincia, et fere in unoquoque ejusdemmet Provinciae Conventu memorati Ordinis, alio modo, et aliter cani soleat, quod quidem alienum est uniformitati Deum laudandi, quae toties a Sacris Conciliis, et Sanctis Patribus commendatur, quaeque a Sancta Universali Ecclesia tenetur. Tertio, cum cantus Gregorianus ubique receptus reperiatur, adeoque a Christifidelibus devote audiatur, accidere solet, ut Christifideles ad Ecclesias dicti Ordinis accedentes, cantandi diversitatem agnoscant, non raro fit, ut scandalizentur, et loco orandi, excitandive ad devotionem, ab illa retrahantur, immo et quandoque Fratres praedictos inconcinniter canentes irrideant. Quarto, plures supradicti Ordinis Conventus ex hujus Sanctae Sedis benignitate Parochiales Ecclesias unitas habent, in quibus necesse sit, Missam, Divinaque Officia solemni pompa celebrare, praecipue in solemnioribus anni festis diebus, et dictus canendi modus, voce quadrata et rotunda, multum detrahat devotioni, et majestati, ubi, e contra cantus figuratus cum debita moderatione adhibitus illas augeat. Quinto, plures etiam Conventus praedicti, quibus Parochiales Ecclesiae unitae minime existunt, societatem, concordiamque, et unionem cum aliis Confraternitatibus, Communitatibus, et Parochialibus Ecclesiis habent, in quibus usus Cantus Gregoriani viget, concurrentibus vicissim una cum Fratribus praedictis in alienis Ecclesiis ad faciendas Parochorum, vel aliorum Superiorum, et personarum ab hac luce migrantium exequias clarius inconvenit diversitas, quippe qui cum alii Responsoria, et Gradualia cum notis in Ecclesiis ejusdem Ordinis solemniter cantent, Fratres Ordinis hujusmodi non valeant, neque sciant ad eamdem formam respondere, id apud populos inibi interessentes et adventantes novitatem non parvam, et admirationem reddit. Demum Fratres ejusmodi Ordinis, ex tali Cantu voce quarta, et rotunda, facile taedio afficiuntur, ut proinde, laudes Deo minus devote persolvant; Ac propterea dictus Franciscus Zelosus, seu Procurator Generalis hisce incommodis obviare cupiens, opportune in praemissis a Nobis

provideri, et ut infra indulgeri plurimum desideret.

Gregor. Cantus in Choro, aliisque functionibus praecipitur.

§. 3. Nos piis dicti Francisci Zelosi, seu Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attento dilecti Filii Nostri Alexandri Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis Tanari nuncupati, ejusdem Ordinis apud Nos, et hanc Sanctam Sedem Protectoris voto Nobis facto, non obstantibus, quod in secunda regula dicti Ordinis praescriptum reperiatur, Missas Divinaque Officia per Fratres hujusmodi canenda esse sine notulis, voce quadrata, et rotunda; nihilominus dilectis Filiis Correctori Generali, ac Correctoribus Provincialibus, nec non Correctoribus Conventuum, ac universis Fratribus dicti Ordinis, nec non Correctricibus, et Monialibus Monasteriorum ejusdem Ordinis, sub cura, regimine, gubernio, et administratione Fratrum dicti Ordinis, nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi, et illae de caetero Cantum Gregorianum figuratum cum Notulis, in Choro, aliisque Ecclesiasticis Functionibus adhibere, et introducere libere, et licite possint, et valeant, ac prosequantur, auctoritate Apostolica tenore praesentium permittimus, volumus, et mandamus.

Clausulae pro firmitate praemissorum.

§. 4. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari et definiri debere, ac irritum; et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et

Derogatio contrariis.

Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exempl. fides.

§. 5. Volumus autem, quod praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu dicti Zelosi, seu Procuratoris Generalis subscriptis, et sigillo ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. 22. Jan. 1754. Pontific. XIV.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

D. Cardinalis Passionеus.

CORRECTORIBUS XXX.

Tum Generali, tum Provincialibus Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, conceditur facultas decidendi circa Electiones, vel alia negotia, quae ad Generale vel Provinciale respective Tribunal, ob paria post tertium scrutinium suffragia, devolvuntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injuncti Nobis per abundantiam Divinae gratiae Pastoralis officii sollicitudo postulat, ut in iis, per quae Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium prospero statui consulitur, ejusdem officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Dubium in postremo Cap. Generali proposit. circa Electiones ob paria suffragia ad Trib. General. aut Prov. devolutas.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Galindo Zelosus, seu Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula, Minimorum nuncupatorum, quod dilectus itidem Filius Julius Malmusi Frater expresse professus, et tunc temporis Zelosus, seu Procurator Generalis dicti Ordi-

nis, Vocalibus pro celebratione Capituli Generalis ejusdem Ordinis in Civitate Barchinonen. Anno MDCCLII. canonice congregatis, inter caetera, decidendum proposuit infrascriptum dubium, nempe, Primo: quomodo resolvendae essent Electiones devolutae ad Tribunal Generalitium, vel Provinciale, si post tertium scrutinium sit paritas votorum; a Vocalibus praedictis, sive Capitulo Generali, nemine discrepante, sancitum fuit, Nobis supplicandum esse pro facultate, cujus vigore Correctori Generali pro tempore existenti esset facultas hujusmodi paritates suo voto definire, Nobis propterea dictus Franciscus Zelosus, seu Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Correctori Generali, in ..., quae ob ...ritatem ...ffragiorum ... suum Tribunal devolu...ntur, facultas decisivi concedetur.

§. 2. Nos igitur, qui Ordinem praedictum paternis amplectimur affectibus, ac felici, prosperoque dicti Ordinis, illiusque Provinciarum, et Fratrum regimini, et gubernio, atque directioni, quantum cum Domino possumus, consulere, dilectosque etiam Filios Superiores, et Alumnos Ordinis, Provinciarumque hujusmodi specialibus favoribus prosequi volentes, ac dicti Francisci, et illorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito, perpensoque prius voto dilecti Filii Nostri Alexandri S. R. E. Diaconi Cardinalis Tanari nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, et Apostolicam Sedem Protectoris Nobis facto, licet Capitulum Generale, seu Vocales, suffragium in Capitulo Generali ultimo loco in Civitate Barchinonen. celebrato habentes, nemine discrepante decreverint, quod Nobis supplicandum esset pro facultate Correctori Generali decisiva in omnibus Electionibus devolutis tam ad Tribunal Provinciale spectantibus, eveniente paritate suffragiorum, seu votorum, habitis prius per trés vices scrutiniis, per Nos concedenda; nihilominus Nos, ne negotia dicti Ordinis propter absentiam Correctoris Generalis a Provinciis dicti Ordinis inter se dissitis retardentur, et detrimenta patiantur; facultatem decisivam dilecto Filio moderno, et pro tempore existenti Correctori Generali dicti Ordinis, in omnibus ad Tribunal Generalitium spectantibus, juxta votum dictorum Vocalium, peractis debitis scrutiniis, si paritas votorum accesserit, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Eadem tribuitur quoque Correctoribus Provincialibus pro iis negotiis, quae ad eorum Tribunal spectant.

§. 3. Ac insuper eamdem decisivam facultatem auctoritatemque modernis, et pro tempore existentibus Correctoribus Provincialibus dicti Ordinis quarumcumque Provinciarum, tam in omnibus Electionibus Correctori Provinciali devolutis, seu de jure pertinentibus, quam in aliis causis, et rationibus, ad Tribunal Provinciale quomodolibet, juxta dicti Ordinis Statuta, et peculiares, cujuscumque Provinciae Constitutiones spectantibus et pertinentibus, peracto prius tertio scrutinio, et intercedente votorum paritate, auctoritate et tenore praedictis extendimus, et ampliamus, ac de novo concedimus, et impertimur; itaut tam Corrector Generalis, quam Correctores Provinciales, juxta datam sibi a Domino prudentiam, et juxta rerum qualitates, intra suum Tribunal respective Generale, vel Provinciale, et non aliter, ad quascumque Electiones, factis prius tribus scrutiniis, vel a Correctore Generali in suo, seu a Correctore Provinciali respective in suo, Tribunalibus, ex quatuor votis compositis, interveniente tamen paritate votorum, devenire, ac quascumque causas quoad Correctores Provinciales cognoscere, et decidere, aliaque Ordinis, et Provinciarum negotia decernere, et quidquid in omnibus praemissis per eum, et illos, seu aliquem eorum, sancitum, decretum, cognitum, actum, gestumque fuerit, suum sortiri debeat effectum, perinde ac si omnium unius cujusque Tribunalis hujusmodi suffragiorum consensu factum fuisset.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 4. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri; et obtinere, et illis, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordina-

Derogatio contrariis.

tionibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, et illius Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomdolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§. 5. Volumus autem, quod praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu dicti Zelosi, seu Procuratoris Generalis subscriptis, et sigillo ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. 22. Januarii 1754. Pontificat. XIV.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

XXX.* Indulgentia Plenaria concessa a Gregorio PP. XIII. in festo S. Francisci de Paula visitantibus Ecclesias Ordinis ejusdem Sancti confirmatur, et extenditur ad Ecclesias Monialium dicti Ordinis, et etiam per Octavam.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum felic. recordat. Gregorius PP. XIII. Praedecessor Noster omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis, seu singulas Ecclesias Conventuum, seu Domorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum ubicumque constitutas, seu existentes die festo ejusdem Sancti Francisci de Paula a Primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem perpetuo concessit, et alias prout in ipsius Gregorii Praedecessoris desuper in simili forma Brevis die prima Apr. MDLXXIX. Pontific. sui Anno Septimo expeditis Literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus uberius continetur. Cum autem, sicuti dilectus filius Franciscus Galindo praedicti Ordinis Zelosus, seu Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, Ecclesia Monialium ejusdem Ordinis sub cura, regimine, et administratione, atque gubernio Fratrum memorati Ordinis existentium Indulgentia praedicta die festo ejusdem Sancti Francisci de Paula minime gaudeant, ac proinde Indulgentiam praedictam non solum ad Ecclesias Monialium, verum etiam ad Octavam dicti Sancti Francisci de Paula quoad Ecclesias Fratrum dicti Ordinis ubique existentes per Nos extendi, et ampliari summopere desideret, Nos piis ejusdem Francisci Zelosi, seu Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supradictam Plenariam Indulgentiam singulis Ecclesiis Fratrum memorati Ordinis perpetuo ab ipso Gregorio Praedecessore die festo ejusdem Sancti Francisci de Paula concessam ad Ecclesias Monialium dicti Ordinis sub cura, regimine, gubernio, et administratione Fratrum Ordinis hujusmodi existentium die festo hujusmodi, et quoad Ecclesias Fratrum ejusdem Ordinis ad septem dies immediate sequentes Festum dicti Sancti Francisci de Paula per unumquemque Christifidelem semel spatio septem dierum hujusmodi quolibet anno lucrifaciendam in perpetuum, servata in reliquis praedictarum Gregorii Praedecessoris Literarum dispositione, et tenore auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, extendimus, et ampliamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu dicti Ordinis Zelosi, seu Procuratoris Generalis subscriptis, et Sigillo Ordinis praedicti munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

D. Card. Passionеus.

XXX.** LITERÆ APOSTOLICÆ

In forma Brevis quibus Sanctitas Sua ex speciali gratia, Praefecto Apostolico, Vice-Praefecto, et Missionariis Carmelitis Strictioris Observantiae, Provinciae Turoniae in Insulis Americae Meridionalis, Guadalupa, Maria Galante, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio Subditis pro tempore existentibus, concedit facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam Conditionibus, Clausulis, et Circumstantiis.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Immensa JESU CHRISTI, cujus supremas in Terris vices, plane immerentes, gerimus, charitas, quemadmodum quidem facit, ut Nos de aeterna Animarum pretioso Sanguine quasi Agni Immaculati redemptarum salute solliciti, maximopere laetemur; cum audimus, barbaros Infidelesque utriusque sexus homines ab ipsa Europa longissime remotos accepisse Verbum Dei, et per Sacrum Regenerationis lavacrum in Christo renatos viam mandatorum Dei currere; ita urget Nos etiam, ut minime patiamur opportuna Apostolicae providentiae auctoritatisque Nostrae commoda ab ipsis Catholicam Fidem amplexis desiderari; quibus et ad eamdem Fidem strenue profitendam, et ad pugnam contra potestatem Tenebrarum fortiter substinendam per Spiritus Sancti plenitudinem Sacramento Confirmationis collatam magis magisque roborentur, et confirmentur. Quoniam autem Dilectus Filius Felix a Sancto Arsenio, Frater expresse professus, et Provincialis Provinciae Turoniae Fratrum Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo Primi Instituti, ac Praefectus Missionibus in Insulis Americanis nempe Guadalupae, Maria Galante, Sancto Dominico, Sancto Christophoro, et Sanctis, Charissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo subjectis; per ejusdem Ordinis de Monte Carmelo Alumnos peragendis, constitutus Nobis humiliter exponi fecit, in memoratis nimirum Insulis Americanis Gallicae Ditioni subjectis nullum adhuc Antistitem constitutum esse, a quo Neophyti Sacramentum Confirmationis hactenus insigniri potuerint; unde fere omnes Sacro Baptismatis lavacro dumtaxat abluti, aliisque muniti Sacramentis viam universae carnis ingrediantur. Eapropter supplices addidit preces, ut hac in parte de Apostolica benignitate, et auctoritate, ut infra providere, et indulgere dignaremur. Nos itaque, a quibus Supremo Pastorum Principi JESU CHRISTO Æterno Judici, Ipsius in Terris vices gerentibus gravissima omnium Animarum suo Sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot populorum angustias, aerumnas ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atque eosdem Missionarios, qui suam pro lucrandis Fratribus suis animam ponunt, Apostolicis laudibus commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ipsumque Felicem a Sancto Arsenio, caeterosque inibi Missionarios dicti Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo de Catholica Ecclesia, et aeterna Christifidelium salute in primis commendatissimi amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et Poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, attentis praemissis, auctoritate Apostolica tenore praesentium modernis, et pro tempore Praefecto, et Vice-Praefecto ejusdem Missionis Americanarum Insularum existentibus, ac Praefecti, et Vice-Praefecti hujusmodi muneribus durantibus, ut Sacramentum Confirmationis Sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit, per Catholicum Antistitem Gratiam, et Communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus illarum dumtaxat Paroeciarum, quae reperiuntur sub cura, et regimine Fratrum Sanctae Mariae de Monte Carmelo ejusdem Missionis, juxta Ritualis Romani Ritum libere, et licite conferre, et administrare possint, et valeant, ea tamen lege ad viginti, dumtaxat annos ab eo tempore, ex quo praesentes Nostras in forma Brevis Literas acceperint, computandos tribuimus, et impertimur, ut, si interea temporis nempe viginti annorum contingat in iisdem Insulis Americanis Gallicae Ditioni subjectis vel Residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios

Episcopali charactere, et auctoritate insignitos ab eadem Apostolica Sede deputari, impertita hujusmodi facultas nulla sit, et nullius prorsus roboris, ac momenti habeatur. Secus vero rata, ac firma intelligatur, cum vel Residentiales Antistites, vel Apostolici Vicarii charactere, et auctoritate Episcopali insigniti legitimis canonicisque impedimentis detenti iisdem Praefecto, et Vice-Praefecto pro tempore concesserint, ut in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi Antistites nullo pacto, ac tempore accedere valuerint, Sacramentum Confirmationis, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, conferre possint. Insuper omnibus, et singulis ejusdem Missionis Missionariis Sacerdotibus saepedicti Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo eamdem conferendi Sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli suarum, dumtaxat Paroeciarum in periculo, vel articulo mortis constituto, facultatem tribuimus. Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque firma valida, et efficacia intra praescriptum viginti dumtaxat annorum spatium existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; Sicque et non aliter, in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuntios, et alios quoslibet quacumque auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et quatenus opus sit, dicti Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae, vel manu, et Sigillo Praefecti pro tempore existentis Missionis praefatae ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Caeterum coelestis praesidii auspicem ipsi Felici a Sancto Arsenio Praefecto, caeterisque Missionariis illarum insularum Apostolicam Benedictionem, quam cum Plenariis Indulgentiis, peccatorum remissionibus, poenarumque relaxationibus conjunctam ab ipso Praefecto, et Vice-Praefecto semel Christifidelibus suarum Paroeciarum in unum, in diversis licet locis convenientibus Nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxiv. Januarii MDCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Cajetanus Amatus.

Loco ✠ Sigilli.

AD EXERCENDOS, XXXI.

Erudiendosque Picturae, atque Sculpturae Tyrones, Gymnasium publicum, seu Academia in Ædibus Capitolinis erigitur, annuo censu constituto in necessarios sumptus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ingenuarum artium praestantia.

Inter curas supremo Principe dignas, non ultimum locum tenere censemus eam, quae pertinet ad tuendas promovendasque ingenuas artes, quibus honesta ingenia excoluntur, et liberaliter occupantur; quaeque, dum naturalium rerum pulchritudines imitando exprimunt, propriam humanae naturae nobilitatem, atque praestantiam declarant; nec modo

Civium commodis, sed saepe etiam Divino cultui cum dignitate inservientes, societati simul utilitatem afferunt, et splendorem.

§. 1. Hanc curam in omni recte constituta Civitate nunquam neglectam, Nobis potissima quadam ratione suscipiendam esse duximus: quibus nimirum, Divinae providentiae consilio, delatum est illius Urbis dominium et regimen, quae olim quidquid ubique pretiosum, vel insigni arte elaboratum extitit, aut ditione et imperio, aut etiam sinu suo complexa, ipsa artium omnium excellentiam suam fecit; eamque laudem a subjectis Nationibus ad se translatam, aliis deinde gentibus, quae illius omnino expertes erant, invexit; et ab reliquo Terrarum Orbe inscitiam atque barbariem semel atque iterum depulit.

§. 2. Verum quum artium gloria, cessante artificum exercitatione, facile intereat; videbatur illa in hac Urbe Nostra paulatim imminui posse: dum ipsa Urbs, praeclaris veterum atque recentium Pictorum, Sculptorumque operibus referta, in eorum possessione quadam veluti securitate conquiescit; novosque earum artium tyrones formare parum sollicita, futurorum deinde Magistrorum scholam propemodum extingui sinit: non satis advertens, ad eam se aliquando artificum penuriam redigi posse, ut quum aliquod opus ad usum, ad ornatum, ad memoriam insigne efficiendum occurrat, alienorum operam implorare cogatur, et industriae subsidia ab iis expectare, qui olim politioris culturae, ac scientiarum et artium omnium documenta ab ipsa petere consueverunt.

§. 3. Huic malo quum Nos tempestive occurrendum merito judicaverimus; postquam plura artis antiquae monumenta collegimus, plura restauravimus, eorumque in publicam utilitatem conservationi prospeximus; Capitolinam Pinacothecam, Praedecessoris Nostri Clementis Papae XII. munificentia collectam, instructamque, magna Graecorum, Ægyptiorum, Romanorumque Signorum accessione locupletavimus; insigniumque Pictorum Tabulas magno numero diversis ex locis conquisitas, multoque aere comparatas, in eodem Capitolio, laxis a solo aedibus ad australem montis crepidinem excitatis, apte decenterque dispositas collocavimus; nunc denique ibidem, ubi tot artis prodigia visuntur, hominum admirationi, et artificum exemplo proposita, publicam quoque institutionem ingenuarum Artium Tyronibus constituere deliberavimus, eamque ipsis praeberi volumus exercitationem, quam omnium opinione idoneam maxime haberi novimus, adeoque aptissimam fore confidimus, ad perfectos aliquando futuros Pictores, Sculptoresque informandos, qui veteris Romanae Academiae gloriam renovare, et in omnem posteritatem propagare queant.

§. 4. Quum enim recte pingendi, atque fingendi principium et fons in exactissimae delineationis peritia statuatur; haec autem ex ipsa naturae contemplatione certius, quam ex servili priorum artificum imitatione acquiri possit: idcirco in praedictarum Aedium a Nobis extructarum corpore capacem Aulam ad id aptari curavimus: ut ibi quicumque in delineandi arte proficere student, ad vivi hominis exemplar sese exercentes, certas verasque ducere lineas addiscant: Quo semel constantibus naturae legibus probe imbuti, et ad earum normam conceptas animo rerum formas exigere et conformare docti, in omni genere liberalis artificii, ad quod ingenium studiumque appulerint, intrepida manu operari valeant. Quod quidem commodum quum alias in Urbe studiosis adolescentibus aegre suppeteret, ac pretio plerumque, et pecuniarum collatione comparandum esset: nihil ipsis jucundius, aut honestis artibus promovendis utilius praestare Nos posse putavimus, quam si perpetuo liberalitatis Nostrae munere provideremus, ut omnes sumptus ad conducendum hominem in delineationum exemplar, ad locum instruendum atque illustrandum, et ad ipsum opus dirigendum urgendumque necessarii, de publico praeberentur. Hac enim ratione sperandum fore judicavimus, ut beneficio Nostro invitati adolescentes oblatam sibi proficiendi occasionem cupide arripiant, et ad praeclaras hujusmodi artes omni cura excolendas, ac perficiendas, magis magisque accendantur.

§. 5. Jam vero certam huic operi formam praescribere, ejusdemque perpetuam stabilitatem asserere volentes; Motu proprio, ac certa scientia, per hanc nostram perpetuo mansuram Constitutionem, in praefatis Aedibus nostro jussu et sumptu in Capitolio extructis, in inferiori scilicet earum Aula ad id destinata, Gymnasium, seu Academiam, populari vocabulo *del Nudo* appellandam, in pauperum studiosorum, qui delineandi artem addiscere

Pingendi fingendique principium in exactissima delineatione: haec in contemplatione naturae potissimum constituta.

Academia, seu Gymnasium publicum vulgo DEL NUDO, in Capitolinis aedibus erigitur.

Ejusdem Praeses, et Protector designatur.

curant, beneficium et usum erigimus et instituimus; cujus quidem Gymnasii seu Academiae sic erectae et institutae Protectorem et Praesidem, earumdem praesentium Literarum tenore, Venerabilem Fratrem Nostrum Sylvium Sabinensem Episcopum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Valenti nuncupatum, Nostrum in Status universi negotiis Secretarium, dictaeque Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium, qui Nos in hujus rei consilio suscipiendo, et ad exitum perducendo, pro sua rerum gerendarum solertia, et singulari erga bonas artes studio, plurimum juvit, ac deinde illius in Camerariatus hujusmodi Officio Successores, eligimus et deputamus: Mandantes eidem Sylvio Episcopo et Cardinali, ut opportunas Leges, et provida Statuta pro destinati operis constitutione, et perpetuo regimine, quamprimum condere curet, Nostroque etiam nomine et auctoritate promulget; ac dantes eidem moderno, ac pro tempore existenti praefatae Academiae, seu Gymnasii Praesidi, ac Protectori, necessarias omnes et opportunas facultates, ad hoc, ut pro ejusdem operis executione et progressu, quascumque utiles et idoneas pro tempore ordinationes facere, atque decreta edere, et tam eorum, quam Legum et Statutorum hujusmodi observantiam injungere, et exigere, ac etiam, quoties ita res ferent, illas et illa revocare, corrigere, et in melius immutare possit, et valeat: prout ad ipsius Academiae, seu Gymnasii utilitatem, et mentis ac voluntatis nostrae implementum, magis expedire, illius prudentiae visum fuerit.

Cui amplissima datur auctoritas in Academ.

Certo annuo censu Academ. addicto consulitur necessariis expensis.

§. 6. Pro ejusdem vero Gymnasii dote, qua occurrentes expensae pro mercede hominis delineantium studio proponendi, aliisque rebus ad hujusmodi operis executionem, ac directionem necessariis, fieri et sustineri valeant; Nos annuam summam tercentorum scutorum de juliis decem pro quolibet scuto, ex publici Promptuarii, a Nobis etiam in hac Urbe ad asservandas, et venales proponendas soleas instituti, proventibus, (quos quidem Nos ipsi alias per Schedulam nostri Motus proprii die XXII. Junii Anni MDCCXLVIII. signatam, et in Actis dilecti Filii Gregorii de Castellanis unius ex Camerae praedictae Secretariis et Notariis existentem, in nostro Monte Pietatis, ad creditum ejusdem Camerae, in peculiari tamen computo, et ad liberam dicti Sylvii Episcopi et Cardinalis Camerarii, ejusque in Officio hujusmodi Successorum dispositionem, ad hoc ut ipse, ejusque Successores de illis, praevia participatione Nobis, et Romano pro tempore Pontifici facienda, disponere valeant, deponi voluimus), percipiendam, ab ejusdem Camerae Apostolicae redditibus, motu et scientia praefatis, ac de Apostolicae auctoritatis plenitudine, per easdem praesentes, perpetuo separamus, sejungimus, et dismembramus: Eamdemque summam annis singulis, duabus aequalibus et anticipatis solutionibus, in eodem Monte Pietatis, ad Creditum praefatae Academiae Capitolinae *del Nudo* nuncupatae, et ad dicti Cardinalis moderni et pro tempore existentis illius Protectoris dispositionem, libere deponendam, eidem Gymnasio seu Academiae ad praedictos effectus, etiam perpetuo applicamus, concedimus, et assignamus: Mandantes eidem Sylvio Episcopo et Cardinali, ejusque Successoribus praedictae Academiae Protectoribus et Praesidibus pro tempore futuris, ut ejusmodi pecuniarum summam, pro eorum prudenti arbitrio, in opportunas quaslibet, et ad praedictum opus recte ordinandum et promovendum necessarias et utiles expensas, absque ullo reddendae rationis onere, erogari curent. Nos enim quidquid ab ipsis ea in re provide statutum, ordinatum, et gestum fuerit, ratum et gratum habebimus, ac etiam faciemus auctoritate nostra, ab omnibus, ad quos pertinet, appellatione postposita, inviolabiliter observari.

Firmantur Statuta amplissima clausulis.

§. 7. Ac decernentes has nostras Literas, quas in dicta Camera Apostolica, juxta Constitutionem felicis recordationis Pii Papae IV. Praedecessoris nostri desuper editam, praesentari, insinuari, et registrari volumus, praemissaque omnia et singula, nullo umquam tempore, ex quibusvis causis, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quocumque alio defectu notari, et impugnari, seu revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari posse: Sed tanquam ad bonarum Artium conservationem et propagationem, Urbisque nostrae decorem factas, semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere.

Aliter judicari prohibet.

§. 8. Sicque, et non alias, per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales,

nec non Causarum Palatii Apostolici Auditores, ejusdemque Camerae Thesaurarium Generalem, ac Clericos Praesidentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus contrariis quibuscumque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, generalibus vel specialibus, ac quatenus opus sit, promptuarii praefati institutione, ac proventuum inde obvenientium applicatione, ut praefertur, per Nos factis: privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, eidem Camerae, ac illius, Officialibus et Ministris, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, ac irritantibus Decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries firmatis, approbatis et innovatis.

§. 10. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse ac latissime et plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, institutionis, electionis, deputationis, facultatum impertitionis, separationis, sejunctionis, dismembrationis, applicationis, concessionis, assignationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1754. xvi. Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

J. Card. Pro-Datar.

D. Card. Passioneus.

Visa De Curia

J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

BASILICA ASSISIENSIS XXXII.

Sancti Francisci in Patriarchalem et Cappellam Papalem erigitur: Cum aliis gratiis, privilegiis, et indultis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Fidelis Dominus in verbis suis, quum saepe in Scripturis sanctis declaraverit, exaltaturum se illos, qui voluntariae demissionis affectu humiliarent in terra animas suas, non solum in coelesti Regno pusillos Servos, quos Filii sui humilitati conformes reperit, gloria et honore mirabiliter coronat; sed etiam, ad mortalium fidem excitandam et roborandam, hoc pro sua sapientia disponit, ut qui viventes in Mundo, Mundi gloriam contempserunt, eique placere non curarunt, splendidioribus post mortem honoribus in ipso conspectu filiorum hominum extollantur, eorumque memoria in terris decorata fulgeat, et gloriosa clarescat. Quod quum in pluribus sanctis Viris ab ipso Mundi exordio, et maxime post constitutam Ecclesiam, saepissime demonstratum est; tum vero in B. Francisci Confessoris exaltatione, et in omnibus, quae ad illius Instituti amplificationem, et memoriae celebritatem pertinent, manifeste impletum conspicimus. Qui enim vivens, in oculis suis, et aliorum vilescere semper studuit, ac opprobriis et vituperationibus delectari consuevit; jampridem irrefragabili Catholicae Ecclesiae judicio, clarissimoque praeconio, inter Amicos Dei cum ipso in Coelis regnantes, ubique terrarum honoratur, et colitur: Illius autem Corpus, in quo mortificationem Christi ad mortem usque circumferre

Procem. Divinum eloquium impletur, dum exaltatur in terris humilitas Sancti Franc.

non destitit, singularibus signis atque prodigiis de Coelo illustratum, atque certantibus omnium Ordinum studiis, ita Populorum et Principum devotione clarificatum fuit, ut ejusdem Sepulchrum gloriosum, super ambitiosa potentium saeculi monumenta, merito celebrari mereatur.

§. 1. Et sane vix altero ab illius obitu anno decurso, quum de Servi Dei exuviis decenter collocandis ageretur, eumque in finem opportunus locus et fundus prope Assisiensis Civitatis moenia, illius Alumnis pro Apostolica Sede recipientibus oblatus fuisset: san. mem. Praedecessor Noster Gregorius Papa IX. dignum existimans et conveniens, illius memoriam, per quem tantus Ecclesiae Dei fructus provenerat, in eo etiam honorificari, ut Ecclesia, in qua ejus Corpus recondendum erat, nemini, praeterquam Romano Pontifici, subesset; eumdem fundum in jus et proprietatem praedictae Sedis Apostolicae recepit; statuitque Ecclesiam inibi construendam omnino liberam, ac nulli alii, quam Apostolicae Sedi subjectam fore; et ad hujusmodi libertatis ab Ecclesia Romana perceptae indicium, unius librae cerae censum annuatim sibi et Successoribus suis ab eadem Ecclesia persolvendum decrevit. Super quibus Apostolicas Literas, quarum initium est «*Recolentes*» edidit Reate, XI. Kalendas Novembris Pontificatus sui anno II. Deinde vero, quum idem Gregorius Praedecessor, in ipsa Assisiensi Civitate gloriosissimum Patriarcham Sanctorum Confessorum Catalogo rite adscripsisset, ac designatam hujusmodi Ecclesiam in ipsius honorem Omnipotenti eo dicandam, erigendamque statuisset, illius primario lapide suis ipse manibus posito, per alias suas Literas datas Laterani, X. Kalendas Maji, anno Incarnationis Dominicae MCCXXX. Pontificatus sui anno IV. incipientes «*Is qui Ecclesiam*» non modo concessum eidem Ecclesiae libertatis, et immediatae Romano Pontifici subjectionis privilegium, nova et solemniori concessione firmavit, sed etiam Ecclesiam ipsam Ordinis Fratrum Minorum Caput et Matrem ab omnibus habendam, ac in ea per Fratres ejusdem Ordinis perpetuo serviendum fore constituit; aliaque ad asserendam illius immunitatem, ac dignitatem, et Fratrum in ea deservientium commoda promovenda, opportune decrevit, quae latius continentur in praefatis ejusdem Gregorii Literis: quas alii deinde Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ex quo ipsius Sancti Francisci Corpus in eamdem memorabili pompa illatum fuit, in primis Innocentius Papa IV., qui postea Ecclesiam ipsam ad supremum fastigium perductam, suaque jam constructione et mole conspicuam, anno MCCLIII., Dominica ante Festum Ascensionis Domini, ad honorem Dei, et ejusdem Beati Francisci, solemni ritu dedicavit, nec non Clemens Papa IV. per similes suas Literas confirmarunt et innovarunt. Nicolaus vero etiam IV. peculiaribus Literis, datis Reate II. Idus Maji Pontificatus sui anno II. et incipientibus «*Praeclara*» statuit Ecclesiam ipsam, et totum locum ipsius, cum pertinentiis suis, Ecclesiastico Interdicto, absque speciali et expresso Apostolicae Sedis mandato, sub certa forma ibidem praescripta concepto, supponi non posse.

§. 2. Porro eidem Ecclesiae non parum honoris ex eo accessit, quod alii ex Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus non solum ad eam, B. Patriarchae Tumulum veneraturi, saepe se contulerunt, sed in Pontificiis quoque Aedibus prope ipsam extructis ad non exiguum tempus domicilium figere, atque omnis generis Pontificalia Sacra in ea celebrare consueverunt; Insuper Apostolicae Sedis scrinia, aliaque Ecclesiasticae Potestatis, et Civilis Imperii instrumenta apud eam collocarunt; nonnulli etiam in ea sepulturam sui corporis elegerunt; quapropter ejusdem Ecclesiae immediata Apostolicae Sedis subjectio, quae ipsi cum aliis pluribus per Orbem Ecclesiis ab inferiorum Praesulum jurisdictione exemptis communis videri poterat, peculiaris Pontificum dominii, et proprietatis induit speciem; eo vel maxime confirmatam, quod quum in unius structurae altitudine trium revera Ecclesiarum, quarum altera alteri imminet, mira aedificatio consurgat, in superioris Ecclesiae Hemicyclo, Pontificia marmorea Cathedra contra Aram Maximam usque ab initio extructa, semper stetisse dignoscitur; in ea vero, quae media est, atque subjectum venerandi Corporis conditorium propius attingit, a latere Altaris, ubi Pontifices Sacris solemnibus operantes Thronum erexisse oportuit, aliquot ab hinc annis Pontificius pariter Thronus, ex auctoritate primum san. mem. Decessoris Nostri Clementis Papae XII., atque iterum Nobis annuentibus, erectus, assidue retineri conspici-

Honores, et privil. a Praed. Pontif. collata Ecclesiae Assisien. ubi Corpus S. Francisci reconditum est, enarrantur.

A fundationis initio S. Sedi immediate subjicitur, annuo reservato censu.

Pontific. manu primus lapis Ecclesiae ponitur.

Caput et Mater Ordinis Minorum constituitur, Fratribusque ejusdem Ordinis custodienda in perpet. traditur.

Per Rom Pontif. sol lemni rit dedicatur.

Veritum ne Eccl. in terdicto ab sque Sanctae Sedis mandato suppo natur.

Magis spe cialiter ad d citur pro prietati S. Sedis utpo te decora ta frequent Pontif. ac cessu. Pont Aedibus, e diuturno eo rum domi cilio. Pontif Archivo. Pontif. se pultura.

Duplici Pont tif. Cathe dra.

tur; De omnibus autem, quae ad ipsam Ecclesiam, ejusque cultum, et sacras actiones in ea peragendas quoquomodo pertinent, nihil sive magnum, sive parvum, statui, aut immutari consuevit, nisi consultis prius Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, quorum singularis cura, et sollicitudo, tam pro ejusdem Ecclesiae conservatione, ac decore, quam pro recta omnium in ipsa agendorum ordinatione semper enituit. Quare nil mirum si plerique Romani Pontifices Praedecessores Nostri, eamdem Ecclesiam, Basilicam etiam nuncupatam, compluribus Privilegiis, et Gratiis spiritualibus, et temporalibus cumularunt, et Nicolaus Papa V. per suas Apostolicas Literas incipientes: *Licet ex debito:* datas Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MCDL. VIII. Idus Februarii, omnia, et singula privilegia et indulta hujusmodi tanquam a se ipso concessa, perpetuam roboris firmitatem obtinere decrevit; et Sixtus Papa IV. eadem aliaque posterius impertita, similiter pro suis adoptans, novo confirmationis munimine roboravit, per suas pariter Literas sub Plumbo editas Romae, apud Sanctum Petrum pridie Idus Novembris anno MCDLXXI., quarum initium est: *Ad Ordinem:* et Sixtus Papa V. aliis similiter Literis datis XIII. Kalendas Decembris anno MDLXXXV. piam Christifidelium utriusque sexus, Chordigerorum nuncupatorum, Archiconfraternitatem, in eadem Ecclesia, et ad illius Altare Majus, auctoritate Apostolica erexit, compluribus eidem Indulgentiis et gratiis concessis, quarum participatione etiamnum, juxta posteriores Apostolicae Sedis sanctiones, innumeri Christifideles, aliis hujusmodi Confraternitatibus per omnes Mundi partes ex ejusdem Sixti concessione erectis, aggregati, ditantur. Utque alia innumera Apostolicae liberalitatis erga eamdem Ecclesiam effusae, argumenta praetereamus, fel. rec. Praedecessor Noster Innocentius Papa XII. per suas Literas sub Annulo Piscatoris datas die XVIII. Augusti anno MDCXCVIII. ac perpetuis temporibus valituras, omnibus Christifidelibus, qui illam vere poenitentes et confessi, ac Sac. Communione refecti, in quocumque anni die devote visitaverint, ibique, ut in ipsis Literis praescribitur, oraverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem concessit: Deinde etiam per alias similes Literas die XI. Martii sequentis anni editas, tres in eadem pro tempore deputandos riteque constituendos Poenitentiarios, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium expresse professos, satis amplis facultatibus pro confluentium Christifidelium absolutione a peccatis atque censuris, et pro votorum commutationibus, Apostolica auctoritate instructos, perpetuo extare voluit atque concessit.

§. 3. Tot igitur Venerabilium Praedecessorum Nostrorum exemplis Nobis propositis, eorumque vestigiis insistentes, Nos etiam ad ejusdem Ecclesiae splendorem ac decus augendum cumulandumque libenter adducti sumus. Quod quidem non tam singularis obsequii Nostri affectus erga B. Franciscum Patriarcham multis jam rebus privatim, et publice declaratus, atque testatus; et peculiaris quaedam, ac veluti haereditaria in eumdem Familiae Nostrae devotio, Nobis suggessit; dum animo occurrit, ipso adhuc Beato Francisco in vivis agente, primum Bononiae locum illius Discipulis, ad eorum Ordinis Coenobium fundandum, a Majoribus Nostris oblatum fuisse; illius vero cum Christo regnantis Patrocinio, complura in Nostros beneficia profecta, ipsiusque Familiae Nostrae conservationem, pestifera quondam grassante lue, acceptam referri, grata mente recolimus: Sed ea potissimum cogitatio Nobis suasit, quod merito sperandum duximus, Romanam Ecclesiam, ejusque Ditionem, in cujus sinu Beatus Pater et ortum habuit, et sepulchrum, eo magis illius apud Deum intercessionibus protegendam, atque servandam, quo magis illustria, ad illius memoriae honorem, Apostolicae Sedis judicia extiterint et decreta.

Pontifex Praedecessorum exemplo, et propria devotione erga S. Franc. permotus.

Ac a memoria Gentil. suorum, qui sociis ejusdem adhuc viventis fundum Bononiae obtulerunt pro construendo Coenobio, et insigne benef. acceperunt. Et ad implorandum praesidium Romanae Ecclesiae, et Eccl. Ditioni: Motu proprio confirmat, et innovat Privilegia Ecclesiae Assisiensi a Praedec. concessa.

§. 4. Itaque motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, omnia et singula Privilegia, Praerogativas, Libertates, Exemptiones, et Immunitates, aliaque Indulta saepedictae Ecclesiae S. Francisci Assisiensis, tam per praefatos Gregorium IX. Innocentium IV. Clementem etiam IV. Nicolaum IV. et V. Sixtum quoque IV. et V. ac Innocentium XII. quam per alios quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quandocumque, et qualitercumque concessa, seu confirmata, et innovata, dummodo non sint actu revocata, seu sub aliqua generali revocatione comprehensa, Nos etiam Apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, et in-

Iterum eam eximit ab omni Ordi-

naria et delegata jurisdict. suscipit sub immediata S. Sedis potestate.

novamus, eamdemque Ecclesiam ab Ordinarii Loci, ac omnium, et quorumcumque Praesulum, seu Superiorum, etiam Regularium, tam ordinaria, quam delegata jurisdictione, visitatione, et auctoritate penitus exemptam, liberam, et immunem, sub immediata Nostra, et Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum, et Sedis Apostolicae potestate, dominio, et proprietate, confirmamus, et immutabiliter constituimus.

Ecclesiam Assisiensem S. Franc. in Basilic. Patriarc. et Cappellam Papalem erigit.

§. 5. Praeterea simili motu, ac scientia, praedictam Ecclesiam Nostram Sancti Francisci Assisiensis, praesentium Literarum tenore, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, in Basilicam Patriarchalem, et Cappellam Papalem erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse et fore decernimus; Eamque Basilicam Patriarchalem, et Cappellam Papalem eque et pariformiter nuncupari et haberi volumus, ac aliae Basilicae Patriarchales intra Almam Urbem, et extra illius muros, nec non Cappellae Papales in Pontificiis Ædibus, et prope eas constitutae appellantur, atque censentur; Statuentes nihilominus eamdem Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci Caput et Matrem semper esse, et haberi; necnon, ut hactenus, per Fratres ipsius Ordinis Conventuales nuncupatos in ea perpetuo serviendum fore; Ac decernentes antiquum censum unius librae cerae albae, qui hucusque ex parte ejusdem Basilicae quotannis in pervigilio Natalis SS. Apostolorum Petri, et Pauli, in signum immediatae subjectionis Apostolicae Sedi, in Camera Apostolica persolvi solebat, perpetuis futuris temporibus in memoriam etiam hujus honorificentissimi foederis, qua noviter Basilica Assisiensis cum Sede Apostolica conjuncta est, ut antea, praestari et recipi debere.

Praeservat et confirmat Dignitatem Cap. et Matris Ordinis Minor. Servitium ut hactenus, per Fratres Min. Convent. praestandam. Et ann. censum Camerae Apostol. solvend.

Reservat privativo usui Rom. Pontific. utrumque Thronum superioris et in fer. Ecclesiae.

§. 6. Volumus idcirco Pontificium Thronum, seu Cathedram, tam eam videlicet, quae in superiori Ecclesia jam inde ab initio stabiliter locata conspicitur, quam quae in Ecclesia inferiori posterius, ut praefertur, erecta fuit, iisdem in locis, in quibus nunc sunt, pro solius Romani Pontificis, et nullius alterius usu perpetuo retineri. Utrumque autem Altare Majus Basilicae hujusmodi, ex ea tamen parte dumtaxat, qua Thronum Pontificium respicit, Altare Pontificium seu Papale, ex nunc in posterum esse et fore declaramus; itaut nemini liceat, absque speciali Indulto, seu extra casus, ut infra, permissos, in uno aut altero eorum Missam, sive privatim, sive solemniter celebrare.

Et utramque Aram Majorem, quae Thr. Pontif. respicit.

Jussu su... exaratum Caeremoniale pro Basilicae usu, contemporaneis Liter... approb. ob... servari man... dat.

§. 7. De sacris autem Actionibus in eadem Basilica peragendis, et Caeremonialibus Ritibus ibidem servandis, quum Nos multiplices Leges et Regulas in unum colligi jusserimus, easdemque peculiari Instructione digestas, ac diligenter examinatas, atque probatas, aliis Nostris Apostolicis Literis in forma Brevis cum Caeremonialis hujusmodi insertione hac ipsa die expeditis duxerimus confirmandas; nunc omnia et singula in Caeremoniali praedicto ordinata, et contenta, ac praesertim Indulta celebrandi in Praefatis Papalibus Aris, tam Custodi Conventus ejusdem Sancti Francisci, quam aliis diversis Praesulibus, atque Personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis; Saecularibus, seu Regularibus Praelatis, pro statis diebus, seu certis respective vicibus concessa; et alia quaecumque, etiam indulti, et privilegii naturam habentia, tam in ipsius Basilicae, quam in Personarum quarumvis favorem, ibidem praescripta atque statuta, praesentium quoque tenore approbamus, ac etiam perpetuo confirmamus: mandantes omnibus et singulis, ad quos pertinet, et quandocumque pertinebit in posterum, etiam specifica mentione et expressione dignis, ut omnia et singula ibidem, ut praefertur, ordinata et disposita observent, ac respective iisdem in omnibus et per omnia se conformare studeant, iisque obsequantur.

Indulg... Personis ... Caer. relat... ut praescr... ptis diebu... et vicibus S... crum facie... in Aris Pa... palibus.

Eximit a le... ge expecta... di signum Campanarum Cath. i... Sabbato Sancto.

§. 8. Neque vero eamdem Basilicam comprehensam esse aut censeri volumus sub Praedecessoris Nostri Leonis Papae X. Lege ab ipso Concilio Lateranensi edita, qua scilicet sub certa poena vetuit, ne in Sabbato majoris Hebdomadae, in quibuslibet Saecularium, aut Regularium etiam Privilegiatorum Ecclesiis, antequam in Cathedralibus, seu Matricibus Locorum, Campanae pulsari possent; quinimo illam, utpote Papalem, et Patriarchalem Basilicam, ab hujusmodi Lege specialiter eximimus per praesentes; ita tamen, ut si illius Campanas praedicta die, ante illas Cathedralis Ecclesiae Assisiensis, pulsari contingat, aliae in eadem Civitate vel extra eam constitutae Ecclesiae nequaquam eidem Basilicae respondere, sed a praedicta Ecclesia Cathedrali hac in re, ut antea, dependere teneantur.

signat il-
n visitan-
m tempore
Jubilaei, vel
bilaeum
ecum a S.
ede indi-
ur.

§. 9. Quod si ad implorandam coelestis auxilii opem, publicae preces, oblata Fidelibus Indulgentia, de mandato Apostolicae Sedis, ut identidem fieri solet, per Civitates atque Dioeceses sint indicendae, seu Jubilaei generalis, vel particularis concessio, aut extensio, ab eadem Apostolica Sede emanaverit, relicta Locorum Ordinariis facultate designandi Ecclesias aliquot, praeter Cathedralem uniuscujusque Civitatis, in quibus hujusmodi preces fundendae, seu quae ad indulgentiam aut Jubilaeum consequendum visitandae sint: quod pertinet ad Assisiensem Civitatem, volumus et decernimus, eamdem Basilicam S. Francisci, tanquam a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente ad praedictos effectus, una cum ipsius Civitatis Cathedrali Ecclesia, singulis vicibus expresse designatam, semper haberi: dictamque facultatem ab Assisiensi Episcopo seu Ordinario, exerceri posse dumtaxat in aliarum Ecclesiarum delectu, si forte plures duabus Ecclesiis fuerint designandae. Ceterum ejusmodi Episcopi seu Ordinarii edicta, sententias, mandataque omnia, sive ad Divinum cultum, sive ad Cleri Populique sui regimen quomodocumque spectantia, ad valvas ipsius Basilicae, seu respective in illius Sacrario proponi non interdicimus; ejusdemque ordinationes atque statuta super praemissis, alioquin rite condita et lata, ibidem per eos, ad quos pertinet, observari volumus et mandamus.

Praeservat
dinario fa-
tatem in
affigendi
icta, quae
vinum cul-
m, vel Cle-
Populiq.
imen con-
nunt.

§. 10. Quod autem ad debitam erga gloriosum B. Francisci Corpus Fidelium venerationem fovendam, et magis magisque asserendam, fel. rec. Praedecessor Noster Clemens Papa VII. per suas Literas sub Annulo Piscatoris die XVIII. Julii MDXXVI. ad tunc existentem Perusiae et Umbriae Vicelegatum datas, quarum initium est « *Accepimus* » singulis annis in Processione solemni die prima Augusti ab Ecclesia ejusdem S. Francisci ad aliam Sanctae Mariae Angelorum, sive de Portiuncula, habenda, servandum decrevit; atque itidem rec. me. Praedecessor quoque Noster Urbanus Papa VIII. per similes Literas datas die XXII. Martii anno MDCXLIII. incipientes « *Domini nostri Jesu Christi* » perpetuo custodiendum voluit et praecepit; id ipsum Nos quoque earumdem praesentium tenore in posterum perpetuo servandum decernimus et jubemus.

vide sta-
a circa
cession.
II. Aug.
end. con-
n.

§. 11. Et quoniam ad venerandum ejusdem gloriosissimi Confessoris Tumulum ejusque Patrocinii suffragia demerenda, atque etiam ut Indulgentiae quotidianae compotes fiant, frequentes undique Fideles ad praefatam Basilicam omni tempore confluere dignoscuntur; Nos opportuna animarum saluti procurandae subsidia augere cupientes, volumus, ut praeter tres Poenitentiarios ibidem ex auctoritate praedicti Innocentii Papae XII. ut supra dictum est, constitutos, tres alii ejusdem Ordinis Minorum Conventualium Fratres expresse professi, ad hujusmodi munus idonei, vitaque et moribus conspicui, per Ordinarium Loci examinati, et approbati, a dilecto Filio moderno, et pro tempore existente Ministro Generali Ordinis praefati, in dicta Basilica Poenitentiarii etiam pro tempore constituantur, et deputentur; qui sic constituti, et deputati, omnibus, et singulis facultatibus per dictum Innocentium Praedecessorem prioribus tribus Poenitentiariis, ut praefertur, concessis, et elargitis, et in praecitatis ipsius Literis, quarum initium est « *Ex incumbenti* » datis apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Martii MDCXCIX. latius expressis, aeque et pariformiter, ex concessione Nostra, et praesentium Literarum vigore, gaudeant et utantur.

Tres alios
Poenitent.
cum facult.
lib. ab In-
noc. XII
concessis
adjungit.

§. 12. Praeterea Fidelium Defunctorum refrigerio et saluti per opportunam spiritualis Thesauri dispensationi Nostrae concrediti erogationem amplius consulere volentes, quum in praefata Basilica Altare Majus Ecclesiae inferioris Omnipotenti Deo in honore S. Francisci dicatum, a fel. rec. Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII. per Literas anno Incarnationis Dominicae MDLXXVII. pridie Idus Octobris sub Plumbo editas, quarum initium est « *Omnium saluti* » Privilegio quotidiano ac perpetuo pro Defunctis decoratum exstiterit; verum experientia compertum fuerit, piis confluentium votis, et eleemosynarum oblationibus, quae pro Missis ad hujusmodi Altare celebrandis deferebantur, minime satisfieri posse per eum numerum Missarum, quae singulis diebus ad illud celebrari valebant; ideoque jampridem a piae mem. Alexandro PP. VII. concessum fuerit, ut quae Missae ad illud celebrari tunc nequibat, ad alia duo Altaria in Literis super hoc editis enunciata, pari cum Fidelium Defunctorum

Privileg.
pro omni-
bus Defun-
ctis Aram Ma-
ximae Eccle-
siae inferio-
ris imperti-
tum, confir-
mat.

Et in supplement. adsignant Aram Majorem non Pap. superioris Eccle-

siae, triaque Altaria inferioris.

suffragatione, celebrari possent: Nos praedictas Gregorii Praedecessoris Literas praesentium tenore etiam perpetuo confirmantes, simili motu, et auctoritate statuimus, atque concedimus, ut Missae, pro quibus ad praefatum Altare celebrandis, eleemosynas pro tempore offerri contigerit, quaeque ad idem Altare re ipsa celebrari nequiverint, ad Altare Majus Ecclesiae superioris, ex ea videlicet parte, qua illud nequaquam Pontificium Altare esse et fore decrevimus, nec non ad tria infrascripta Altaria in inferiori Ecclesia posita, nimirum ad Altare Sacrarum Reliquiarum, et ad alterum Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, et ad reliquum B. Josephi a Cupertino Confessoris, libere, et licite celebrari possint et valeant; itaut earumdem Missarum oneri perinde satisfiat, et satisfactum esse censeatur, ac si Missae hujusmodi ad praefatum Altare primario Privilegiatum celebratae forent. Praeterea dictum Altare Majus superioris Ecclesiae, qua Pontificium est, simili privilegio decorare volentes, eadem auctoritate Nobis a Domino tradita, concedimus, ut quoties Missa ad Altare hujusmodi, praedictorum Indultorum, aliorumque forsan deinceps specialiter concedendorum vigore, celebrabitur pro Anima cujuscumque Fidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, Anima ipsa de Thesauro Ecclesiae Indulgentiam per modum suffragii consequatur, et Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, aliorumque omnium Sanctorum meritis suffragantibus, a Purgatorii poenis liberetur.

Privileg. etiam pro Defunctis tribuit Arae Maxim. Pap. superiori Ecclesiae, quoties exludito ibidem celebrat.

Prohibet ne Reliquiae SS. extrahantur, sub poena excomm. latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

§. 13. Ut autem insignis Sacrarum Reliquiarum Thesaurus, qui in dicta Basilica, ejusque Sacrario asservatur, et magnam Populorum devotionem erga Sanctuarium hujusmodi merito conciliat, integrum inviolatumque permaneat; resque et memoriae, quae ad Sanctum Patriarcham Franciscum quoquomodo pertinent, minime disperdantur, aut pereant; Nos dilectis Filiis Custodi et Fratribus Conventus praedicti S. Francisci, nec non ipsius Ordinis Minorum Conventualium Superioribus, etiam Ministro Generali, pro tempore existentibus, sub excommunicationis sententia eo ipso incurrenda, cujus absolutionem, praeterquam pro iis, qui in mortis articulo constituti fuerint Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus reservamus, nec non remotionis ab eorum respective officiis, aliisque arbitrio Nostro, et Successorum praedictorum infligendis poenis, per praesentes expresse interdicimus, et prohibemus, ne quavis causa et occasione, absque Nostra, et Successorum Nostrorum praedictorum licentia in scriptis tradenda, particularum aliquam Reliquiarum, sive ad dictum S. Franciscum quomodolibet pertinentium, sive aliarum, quae in dicta Basilica, illiusque Sacrario asservantur, extrahere, dividere, et aliis concedere, ac donare, aut pro se retinere audeant, seu praesumant.

Concessiones Jurispatr. et Sepulturae inconsulto Rom. Pont. in Basilica faciendas irritat.

§. 14. Praeterea de ejusdem Basilicae decore, ac libertate plurimum, ut par est, solliciti, simili auctoritate ac tenore, praedictis Custodi ac Fratribus, et aliis quibusvis etiam Superioribus, et Ministro Generali praefatis, praecipimus, et districte prohibemus, ne Juspatronatus alicujus Altaris aut Cappellae in eadem Basilica existentis, neve locum ad Sepulturam aedificandam, seu scamnum, vel sedile, aut areae situm ad illud collocandum, aut retinendum intra eamdem Basilicam, cuilibet Personae, etiam specifica, et individua mentione dignae, aut Familiae, seu Virorum, aut Mulierum caetui, Congregationi, aut Universitati, inconsulto Romano Pontifice pro tempore existente, nec nisi facultate ab eo in scriptis pariter obtenta, imposterum concedant; et quidquid contra hujus praecepti Nostri famam per eos fieri, aut attentari contigerit, ex nunc irritum, et inane decernimus. Quae vero scamna aut sedilia jam nunc, ex legitimis juribus, in eadem Basilica existere, seu certis in locis intra eamdem retineri solere dignoscuntur, volumus et jubemus, ut omnia ad aequalem mensuram et formam reducantur, sublatis gradibus, et suppedaneis quibuscumque, atque ita per Basilicae spatia collocentur, ut non deformitatem, sed potius decorem illi afferant, et ornatum. Per haec autem ullius Personae, Familiae, aut Universitatis asserta jura, sive Patronatus in ejusdem Basilicae Altaria, et Cappellas, sive habendi Sepulturas intra eamdem, aut scamna, aut sedilia ibidem retinendi, nisi quatenus legitimis, et sufficientibus titulis, aut consuetudinibus fulciantur, approbare non intendimus.

Scamna ad aequal. reduci, et recte disponi mandat.

Privileg. Immunit. localis Areae ante Basil.

§. 15. Externas quoque Porticus, et aream prae foribus utriusque Ecclesiae tam superioris, quam inferioris, nec non adnexi Conven-

tus, in longum, latumque protensam usque ad locum, qui dicitur *la Cordonata*, et ad Fossam *Sanctae Margaritae* nuncupatam, non solum ab omni molestia, et perturbatione liberas et immunes, pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia, servari volumus, et praecipimus; Verum etiam Ecclesiasticae Localis Immunitatis juribus gaudere concedimus, et earumdem praesentium tenore decernimus; Ampliantes quoad felic. recordat. Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII. concessionem, in Schedula Motus proprii die xx. Decembris MDCCXXVI. ab ipso signata, latius expressam, eamdemque nihilominus in reliquis ejus partibus confirmantes; ac decernentes, tam Prædecessorum Nostrorum Gregorii XIV. ejusdemque Benedicti XIII. ac Clementis XII. Apostolicas Constitutiones super Immunitate Locali, quam Nostram anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXXIX. Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno X. editam, quae incipit — *Officii nostri ratio* — in occurrentibus casibus servandas, et exequendas esse. Nos enim Venerabili Fratri moderno, et pro tempore existenti Episcopo Assisiensi omnes ad id necessarias, et opportunas facultates, iisdem auctoritate et tenore, perpetuo tribuimus, et elargimur.

§. 16. Porro quum alias memoratus Praedecessor Noster Sixtus Papa IV. conservationi structurarum ejusdem Basilicae, et Domus adnexae, ac etiam augmento Divini cultus, et sustentationi majoris numeri Fratrum ad illud in ea exercendum a prima erectione deputatorum, prospicere volens, per suas Apostolicas Literas sub plumbo datas Assisii anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXXVI. octavo Kalendas Septembris, incipientes, — *Venerabilem* —, in monasterio olim existente Sancti Nicolai de Campolongo Ordinis Sancti Benedicti Assisiensis Dioecesis, Abbatialem Dignitatem, et Ordinem praedictum, ac nomen ipsum, et Titulum Monasterii suppresserit, et extinxerit; illiusque structuras, aedificia, ac bona omnia, ac etiam deinde per alias similes Literas datas Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXXVIII. quarto nonas Februarii, quarum initium est — *Applicavimus* —, omnia et singula Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura, olim ad collationem Abbatis dicti suppressi Monasterii, cum Conventu ejusdem Monasterii, vel sine, spectantia et pertinentia, eorumque fructus, redditus, et proventus, Sacristiae Domus ejusdem Sancti Francisci, pro supportatione onerum Fabricae hujusmodi, et Fratrum in decenti numero ibidem sustentatione, perpetuo applicaverit, appropriaverit, univerit, et incorporaverit, itaut liceret Custodi, et Fratribus praedictae Domus pro tempore existentibus, hujusmodi Beneficiis, eorumque Ecclesiis, Cappellis, et Altaribus, per aliquem etiam ejusdem Ordinis Professorem ad eorum nutum amovibilem, in Divinis deserviri facere, ac onera ipsis adnexa, et alias Personis eadem pro tempore obtinentibus incumbentia, etiam in ministratione Sacramentorum, perferre et adimplere; Nos hujusmodi applicationem et unionem, ad effectum praemissum, novae confirmationis Nostrae munimine roboramus; Ac insuper inductam a multo jam tempore, et actu, ut accepimus, vigentem consuetudinem, ut scilicet ad exercitium curae Animarum in quatuor Parochialibus, videlicet in una Sancti Petri Castri Paradisi nuncupat. ac in alia Sancti Joannis Baptistae Castri Podii superioris, ac in altera ejusdem Sancti Joannis Baptistae Castri Plebis, et in reliqua Sancti Laurentii Castri Porciani, nec non in Ecclesia Sanctae Mariae de Gualdo nuncupat. mox dictae Parochialis Sancti Laurentii subsidiaria, Ecclesiis, olim a praedicto Monasterio dependentibus, totidem Presbyteri Saeculares in illarum Vicarios Curatos pro tempore a praedictae Domus Custode et Fratribus amovibiliter deputentur, praesentium tenore approbamus, et in posterum quoque servari concedimus; mandantes, ut omnes et singuli Vicarii Curati hujusmodi, praeter assistentiam, et obsequium Ecclesiae Cathedrali Assisiensi in consuetis Functionibus, et Processionibus ab ipsis praestandam, Supplicationi etiam in Dominica infra Octavam Solemnitatis Corporis Christi ab eadem Basilica S. Francisci quotannis celebrandae, in loco ipsis in praefato Caeremoniali assignato, interesse teneantur.

Approbat consuet. deputandi in Paraeciis dependentibus Presbyt. saeculares.

Qui, praeter obsequia Cathedrali praestand. intersint supplicationi Corporis Christi a Basilica habendae.

§. 17. Caeterum saepedicti Conventus Custodi et Fratribus, ac etiam praefati Ordinis Ministro Generali pro tempore existentibus, harum serie injungimus, et enixe commendamus, ut ipsi tam praedictarum, ac etiam Sanctae Margaritae intra Assisiensem Civitatem Parochialium, quam aliarum ab eodem Con-

Commendat Custodi et Ministro Generali reparationem et cultum Ecclesiarum dependent.

ventu quacumque ratione dependentium, videlicet dicti Sancti Nicolai de Campolongo, et Sancti Francisci Parvuli nuncupati intra Assisium, ac Sanctae Mariae Conventus Rivitorti, nec non Sancti Joannis Baptistae prope eumdem Rivumtortum, ejusdemque Sanctae Mariae apud Castrum Rocchicciolae ejusdem Assisiensis Dioecesis, et alterius Sancti Joannis Baptistae extra muros Castri Turris Alfine, Dioecesis Urbevetanae, Ecclesiarum conservationi, ac in eis sacrarum Supellectilium manutentioni, diligenter et sedulo incumbant.

Quinque Paroch. Ecclesiis, et uni Subsidiariae concedit Altare Majus certis diebus privileg.

§. 18. Denique iisdem Custodi, et Fratribus, in iis praesertim, quae ad Animarum salutem referuntur, uberius gratificari dictasque Sanctae Margaritae in Civitate Assisiensi, et Sancti Petri Castri Paradisi, et Sancti Joannis Baptistae Castri Podii superioris, ac aliam ejusdem S. Joannis Baptistae Castri Plebis, nec non S. Laurentii Castri Porciani, Parochiales, ac etiam praefatam Sanctae Mariae de Gualdo dictae Assisien. Dioecesis Ecclesias, a praefato Conventu, ratione unionis a dicto Sixto Papa IV. ut praefertur, factae, dependentes, speciali pro Animabus in Purgatorio existentibus privilegio illustrare volentes; Auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quum die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ac singulis diebus infra illius Octavam, ac Feria sexta cujuslibet hebdomadae Sacerdos aliquis Saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, seu instituti Regularis, Missam Defunctorum pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare Majus dictarum sex Ecclesiarum celebrabit, Anima ipsa de Thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii poenis liberetur, in perpetuum concedimus, et indulgemus: Cujus quidem concessionis in singulis Ecclesiis hujusmodi Monumentum lapideum publico aspectui apponi volumus et mandamus.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§. 19. Decernentes praesentes Nostras Literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse, habentes, vel habere praetendentes, ad hoc vocati, et auditi non fuerint, aut ex alia quavis causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse, easque omnino sub quibusvis contrariis Constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus, etiam Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam Consistorialiter, aut alias quandocumque, et quibusvis de causis etiam pro tempore factis, minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas, et quoties illae emanabunt, toties, in pristinum statum restitutas, ac de novo concessas, semperque et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo, et inviolabiliter observari, ac praedictae Basilicae et praefati respective Conventus Custodi et Fratribus nunc et pro tempore existentibus, ac Ecclesiis praedictis, aliisque Ecclesiis, et Personis, quarum favorem eaedem praesentes quomodolibet concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere: Eosdemque super praemissis omnibus et singulis per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus Literis narratorum, ullatenus umquam teneri, nec ad id in judicio, vel extra cogi, vel compelli posse: sicque in praemissis omnibus censeri, ac ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate, et potestate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputat. Judicum Assistent. et Executorum.

§. 20. Quocirca Dilectis Filiis Nostris Henrico Benedicto Mariae Clementi Basilicae Sanctorum Duodecim Apostolorum praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali, Duci Eboracensi nuncupato, ac Vincentio Ti-

tuli Sanctorum Marcellini, et Petri, ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae etiam Presbytero Cardinali Malvetio nuncupato, eorumque in Basilica, et Titulo hujusmodi Cardinalibus successoribus, nec non Dilecto etiam Filio moderno, et pro tempore existenti Causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ipsas praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentis Custodis dicti Conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra, easdem, et in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, dictamque Basilicam, ac ipsius Conventus Custodem, et Fratres, aliasque Ecclesias praedictas, illis omnibus et singulis pacifice frui, et gaudere: non permittentes eos, vel quempiam ex ipsis desuper per quoscumque, quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae fuerint, per sententias, Censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Saecularis.

Derogatio contrariis.

§. 21. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula, de jure quaesito non tollendo, et Bonifacii Octavi etiam Praedecessoris Nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Dioecesim ad judicium evocetur, seu ne Judices a Sede Apostolica praedicta deputati extra Civitatem vel Dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad judicium non trahatur, nec non praemissis, aliisque Apostolicis aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum pariter Praedecessorum Nostrorum, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, et universalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non majoris Ecclesiae, et Civitatis Assisiensis, dictique Ordinis Minorum Sancti Francisci, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis quibusvis Personis, Civitatibus, et Locis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, Sedemque praedictam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis Decretis, in genere, vel in specie, etiam Motu, Scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis, et multiplicatis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda vel aliqua alia forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis, et perpetuae firmitatis praemissorum omnium, et singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, nisi per Literas Apostolicas facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Fides habenda transumptis.

§. 22. Ad hoc autem, ut praesentes Nostrae Literae amplius innotescant, et de eis fides commode fieri possit; volumus, quod ipsarum transumptis, etiam impressis, manu Cancellarii, seu Archivistae dicti Conventus, seu cujusvis Notarii publici subscriptis, ac sigillo ejusdem Conventus, vel alicujus Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 23. Nulli ergo omnino Hominum liceat, paginam hanc Nostrae, Approbationis, Confirmationis, Constitutionis, Erectionis, Interdicti, Prohibitionis, Statuti, Concessionis, Indulti, Mandati, Decreti, Derogationis, et Vo-

luntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pont. An. XIV. die 25. Martii 1754.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, octavo Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

D. Card. Passionеus.

J. Card. Pro–Datarius.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in secretaria Brevium.

Publicata die 6. Aprilis 1754.

XXXIII. ALBANIÆ EPISCOPIS

Traditur methodus, qua satagant, ut a Catholicis illius regionis sua Ecclesiis bona restituantur, vel aliquo modo super illis transigatur; et si neutrum queat obtineri, facultas sit Episcopis derelinquendi fundos, fructusque Possessoribus, eosdemque absolvendi a censuris.

Venerabili Fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodiensi Congreg. Propagandae Fidei Secretario.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Consulti Albaniae Episcopi de periculo, quod subesset, si ab Eccl. sua bona vindicari vellent, quae ab illegitimis possessoribus detinentur.

Cum Encyclitas literas, sicut Nos tibi praecepimus, et Congregationis de Propaganda Fide sententia fuit, cujus te ipsum praestas emeritum Secretarium, ad Albaniae Antistites deberis, nempe ad Venerabiles Fratres Archiepiscopum Antibari, Episcopos Scodrae, Sappae, Lissi, et Pullariarum, ut ab iis innotesceres, an proposita ab Ecclesiis suarum Dioecesium vindicatione suorum bonorum, exindeque perceptorum fructuum, in detentores, qui illa a Turcis occupata emerunt, vel ab Emptoribus jure haereditario, aliove titulo sunt consecuti, aut in eos, qui eadem bona, quasi res derelictas, ipso, ut inquiunt, facto invaserunt; pertimescendum sit, ne si id Turcis compertum fiat, graves exinde concitentur turbae; persecutioni, vel alicui gravissimae indictioni reludatur aditus; neve aliquis temporalium rerum cupiditate obcaecatus a Sancta Religione Catholica ad Mahumetismum deficiat, ut fundis, fructibusque, elusa vindicatione, fruatur.

Vide hac de re Literas editas in Bull. Tom. 3. pag. 350.

Persecutionis vel Apostasiae periculum pertimescendum esse iidem Episcopi retulerunt.

§. 2. Cumque omnes recensiti Praesules, explorato prius suarum Dioecesium statu, unanimi consensu retulerint, ingens, heu nimis subesse alterutrius, et nonnunquam utriusque infortunii periculum, suadentes, ut aliquem periclitantibus rebus adhiberemus modum, in quem nos jam animo paratiores noverant, quotiescumque illo opus esse videretur; hinc nos probantes, quod etiam Congregationi Propagandae Fidei, dum justae affuissent causae, probabatur, quodque suaserunt locorum Ordinarii, nunc prae caeteris modum rebus adhibendum existimamus.

Ideo Summus Pontifex concedit Episcopis, ut super illis transigere vel etiam eadem integra possessoribus possit relinquere, a censuris absolvendo.

§. 3. Erit itaque uniuscujusque ex praedictis Episcopis, sua in Dioecesi, vel per se, vel per Confessarios, et Sacerdotes prudentes, atque expertes, bonis ut inquiunt verbis, atque monitis efficiendi, ut detentores bonorum mente percipiant sibi incumbentem rerum, fructuumque restituendorum obligationem; illacrimabilem, in quem abrepti sunt, statum, quippe qui censuris irretiantur inflictis per Sacros Canones in invasores, detentoresque bonorum ecclesiae. Ita vero siquem, divina affulgente gratia, facti poeniteat, negligere haud debet Episcopus, quive ab eo fuerit delegatus, quin illi suadeat, nisi universae, rei saltem alicujus restitutionem; vel etiam, ut fundis sibi habitis, obligationem suscipiat alicujus annuae praestationis Ecclesiae pensitandae; si autem fundorum restitutioni, moxque indicatae aequitati obsistatur, tunc restitutio omnium, vel partis fructuum attentetur. Verum quoties nec desit, qui ex imbecillitate virium, vel ex improba voluntate nil horum praestare velit, hunc tantummodo pernoscens sermonem, habendi nimirum etiam impostorum, quod hactenus habuit, producendique in futura quoque tempora, quam superioribus obtinuit, universorum fructuum perceptionem; hisce nostris literis unicuique Episcopo quoad suam Dioecesim, impertimur auctoritatem, quam et ipse aliis, uti monuimus, delegare poterit, eximendi ab onere fundorum fructuum-

que restituendorum detentores bonorum Ecclesiae, eosdemque absolvendi a censuris, quibus innodantur; sive cum iis agatur, qui se paratos exhibent ad partem bonorum aliquam restituendam, vel ad transigendum de iis; sive cum aliis, qui universos, vel aliquorum saltem fructuum partem offerunt; sive demum cum caeteris, quibus propositum est, nihil plane vel rerum soli, vel fructuum restituere. Supervacaneum autem arbitramur monere, ne nostra haec facilitas evulgetur; haud enim difficile captu est, eadem perspecta, fieri perfacile posse, ut nisi omnes, plerique saltem nihil plane restituendi propositum amplectantur, de absolutione a restituendi onere, et censuris, plane certi.

...a qua summus administrator ...modo ...sit dispensare de ...is Eccle...?

§. 4. Nostra haec facilitas exinde est, quod Nos, qua Pontifex Summus, nisi domini, supremi certe quidem simus temporalium bonorum Ecclesiae dispensatores: *Res Ecclesiae sunt Papae, ut principalis dispensatoris, non ut domini et possessoris:* inquit S. Thomas 2. 2. *qu.* 100. *art.* 1. *ad septimum;* ex quo porro sequitur, ut non quidem vel ad ditandos consanguineos, vel ex arbitrariis causis, fas sit nobis Ecclesias suis nudare bonis, at illud quidem, ut quoties urgens subsit ratio, qualis indubie est, removere praesens publicae calamitatis discrimen, ostium, quantum in nobis est, Apostasiae intercludere, et fluctuantibus animis conciliare tranquillitatem, nobis liceat, quod nunc facimus, imperare, ut probata licet Ecclesiarum jura conticescant, utque illae ipsae, pro publica incolumitate ac religionis commodo, sacrificium quasi faciant suorum bonorum, quae non possident, et quae publici luctus tempore iisdem fuerunt adempta. Quapropter Card. Cajetanus *in praeindicatum locum S. Thomae notabil.* 13. haec habet: *Cum potestas Papae quoad res temporales Ecclesiae sit potestas non domini, sed dispensatoris, consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiae temporalia non exeat limites potestatis dispensativae etc. ac per hoc non potest Papa ad libitum donare Res Ecclesiae, sed potest, tanquam habens apicem dispensativae potestatis, multo plus de iisdem dispensare, quam quicumque proximus alicujus Ecclesiae Praelatus etc. Ex eodem quoque fundamento, quod Papa non est dominus, sed dispensator, sequitur quod de plenitudine potestatis non possit bona Ecclesiae dare, cui voluerit, aut consanguineis etc. Sed tenetur prudenter dispensare, ut recta ratio suadet.* Est et illud etiam nobis perspectissimum, communem esse Canonistarum sententiam, Romanum Pontificem non distributorem, sed dominum esse rerum Ecclesiae. At nos hujusmodi disputationem intactam volumus, cum in rem praesentem vel id sufficiat, Pontificem supremum haberi dispensatorem; Theologi quippe cum Canonistis consentiunt, Papam quamvis etiam tantummodo in supremum distributorem agnoscatur, posse utique ad mox expressas facti circumstantias de Ecclesiarum rebus libere decernere: *Concurrente justa causa, conveniunt omnes tam Canonistae, quam Theologi, Papam, uti supremum administratorem ac dispensatorem bonorum Ecclesiasticorum, posse res uni Ecclesiae auferre, et dare alteri;* sunt haec concepta verba, quibus utitur celebris Fagnanus *in Cap. Relatum num.* 21. *ad* 41. *et praecipue num.* 36. *Ne clerici vel Monachi etc.* postquam jam expenderat quaestionem illam, an Pontifici sit suprema tantum administratio, vel potius dominium adjudicandum, et in Canonistarum sententiam inclinaverat.

Canonistarum communiori suffragio Papa est etiam Dominus.

§. 5. Quae porro a nobis mox supra proposita est methodus, ut nimirum bonis verbis pertentetur, an ex possessoribus, bonorum pars aliqua, vel saltem fructuum recuperari possit, antequam illorum condonatio, atque censurarum relaxatio indulgeatur, non solum ratione, sed et Praedecessorum Nostrorum exemplis comprobatur. In secretiori Vaticano Archivo preces reperimus a Carolo V. Imperatore oblatas Paulo III. Praedecessori Nostro, ut ipse Legatis, siquos in Germaniam ablegandos censuisset, amplissimam faceret auctoritatem transigendi cum iis, a quibus invasa Ecclesiarum bona detinebantur; propterea quod eorum restituendorum onus conversiones quam maxime, et reconciliationes cum Romana Ecclesia remoraretur. Ejusdem quoque consilii invenimus auctores extitisse Cardinales ad Tridentinum Concilium, dum Bononiae haberetur, Legati, in quo sese exhibuerunt propensiores in amplissimam quamque facultatem absolvendi a restitutione bonorum Ecclesiarum, ea spe ducti, fore ut Apostolici Ministri hujusmodi indulto sapienter ac moderate uterentur. Denique nec latuit Nos Pauli III. Constitutio lata pridie Kal. Septembris 1548. in qua hic Pontifex ablegans in Germaniam Nuncios Fanensem, Veronensem, et Ferentinum Episco-

Exempla asserunt Pauli III. et Julii III. qui idem praestiterunt de bonis Ecclesiae.

pos, iisdem limitatam indulsit facultatem transigendi et paciscendi super fructibus, fundis tamen prius restitutis. Verum cum processu temporis experientia edocuisset, magni Religionis interesse, ut quid amplius indulgeretur, dum ingens excreverat numerus eorum, qui haeresim ejurare detrectabant, quoties omnia vel ratam detentorum bonorum partem restituere fuissent adacti, nihil morati sunt Romani Pontifices, quin sua auctoritate in Germania utentes, provida liberalitate omnia donarent iis, qui reduces in Sanctae Ecclesiae gremium confugiebant. Nec secus in Anglia transacta res est, cum Cardinalis Polus, Regina Maria imperante, ad instaurandam inibi Religionem adlaboraret. Namque Julius III. Pontifex primum quidem ipsi facultatem delegavit conveniendi ac transigendi cum intrusis in Ecclesiae bona, super fructibus male perceptis, mox vero auctoritatem transigendi de ipsis quoque fundis, eosdem integre etiam relinquendo possessoribus, quoties haeresim ejurassent, uti videre est ex superioribus nostris literis, quas hac ipsa de re dedimus ad te die 19. Mensis Martii 1752. *n.* 26. atque *n.* 28. plura insuper in iisdem horum similia exempla colligentes. Nec illud quoque ducimus praetereundum, quod post datas proximas literas offendimus in manuscripto P. Petri Alagona e Societate Jesu Vaticanae Basilicae Poenitentiarii; testatur enim ipse, suborta, Clemente VIII. Pontifice Maximo, quaestione, an liceret Catholicis *emere ab haereticis terras, et bona quae fuerant Monasteriorum*, Sacram Poenitentiariam rescripsisse, *justam esse causam dispensandi per Summum Pontificem:* Ex quo illa apprime congruit animadversio, nimirum, si justa proposita causa potest Summus Pontifex id dare Catholico, ut Ecclesiastica bona emat ab Haeretico, aequo saltem jure poterit quoque, quoties justa subsit ratio, facultatem facere Catholico sibi habendi res Ecclesiarum coemptas ab infidelibus.

Nec non decretum Sacrae Poenitentiar.

§. 6. Fatemur mox allata Praedecessorum exempla ad eos referri, qui ab Ecclesiae gremio profugi, reditum ad nos moliebantur, nec aliud eos morabatur impedimentum, quam onus restituendi, quae diu obtinuerant, Ecclesiarum bona: Fatemur similiter, rem nunc esse de iis, qui licet nobiscum sentiant, pertimescendum tamen est, ne a Religione deficiant, si res Ecclesiarum, fructusque rerum, quas possident, vel a Turcis emptas, vel saevientibus concitationum bellorumque aestibus a se ipsis occupatas restituere adigantur: denique posset et aliquis subtilioribus nixus argumentis inter alteram, et alteram facti speciem discrimen aliquod adinvenire, quod ipsi quoque innuimus in literis ad te datis. §. 19. Attamen cum nos omnia aequa lance libraverimus, censuimus, atque censemus, in rem praesentem faciendum plurimi timorem Apostasiae, in quam plures prolaberentur, si acrius bonorum fructuumque restitutio urgeretur. In dies conspicimus veluti emolliri rigorem Sacrorum Canonum, fierique epichejae locum, atque dispensationibus, quibusdam in rebus, ac praesertim in matrimonialibus, quoties qui relaxationem juris expostulat, regionem incolat haereticis proximam, vel mediis haereticis obversetur, propter timorem, ne caeco animi impetu abreptus, a nobis deficiat, et quod inter Catholicos absque dispensatione inire prohibetur matrimonium, studeat contrahendum, sese recipiendo in eum locum ac communionem, ubi nihil de dispensatione sollicitus, genio suo valeat indulgere. Accedit, in nostra hac facti specie, nos non sola impelli Apostasiae formidine; torquet nos ea insuper sollicitudo, ne si ecclesiarum petitio, quae sine turbis proponi haud facile potest, Turcis perspecta fiat, captent exinde ipsi opportunitatem alicujus excitandae insectationis, quae quousque protendi valeat, haud facile conjectura assequi possis, in maximum Christifidelium detrimentum, Sanctae Religionis, ac tot insontium pauperum, perniciem, qui licet nihil moliti, pro ipsorum libidine divexarentur.

Parem rationem esse demonstrat. inter casum, quo haeretici revocantur ad fidem, et alterum quo fideles ab impietate removentur.

§. 7. Huc autem re perducta, videtur nobis, debere quemlibet facile intelligere, quaecumque a nobis praestantur, ea optimo jure fieri, quamvis nunc non sit nobis negotium cum exteris, qui ad Ecclesiam reditum maturent, sed cum iis, qui licet a nobis stent, non levia tamen exhibent defectionis indicia, nisi assequantur, quidquid subest nostrae auctoritati distribuendum. Congruit plane rei nostrae indultum a Pontifice Martino V. in Synodo Constantiae concessum Teutonicae Nationi, quod affertur ab Harduino *tom.* 8. *Collectionis Conciliorum pag.* 891. *cap.* 6. cujus verba hic ideo non exscribimus, quod textus plurimum producitur. Universam Germaniam Simoniaca Lues jam plene obtinuerat, perplures quippe

Exempl idem cu firm.

aderant Catholici Ecclesiastici, qui illicitis aperteque Simoniacis artibus, Sacros Ordines, et Ecclesiastica Beneficia fuerant consecuti: Contagiosus morbus pene omnes infecerat; obstringebantur turpiter conscientiae; indubius erat in censuras, ac in ipsam quoque irregularitatem lapsus; contendere autem, ut quicumque recensita methodo Beneficia obtinuerat, eadem amitteret, dimissaque amplius adipisci non posset, ac insuper fructus omnes eousque perceptos restitueret, nil exinde aliud consecutum fuisset, quam ut eo ardentiori igne Germania conflagraret. Quapropter magnus ille Pontifex perpendens animo, ea jam incidisse tempora, quibus sua auctoritate uteretur, contrariis quibuscunque abrogatis, ampliorem Confessariis potestatem indulsit absolvendi reos a poenis, quibus erant obnoxii, idoneos eos efficiendo, qui et obtentis frui, et alia quoque Beneficia assequi deinceps valerent, ipsamque etiam adimendo obligationem restituendi fructus injuste perceptos, quoties restitutio eosdem ad inopiam adigere, infamia notare, atque offensionis occasionem afferre debuisset; suam autem indulgentiam ad praeterita cohibuit, ut pro viribus futura praecaveret incommoda.

templa
c. au-
dum
t cum
au.
ip.

§. 8. Fausta nimis, Venerabilis Frater, extitere illa tempora, quibus, propterea quod res esset transigenda cum Christianis Principibus, subditisque Ecclesiam ex animo verentibus, Romani Pontifices, magna spe fecundioris exitus sibi proposita, poterant elata voce canonicarum sanctionum executionem indicere. Obtigit id S. Nicolao I. Pontifici Maximo, quo Petri Cathedram obtinent, cum in Gallia et Germania suis Ecclesiae bonis fuissent denudatae, quorum nonnulla per Principes fuerant laicis distributa, reliqua vero ab ipsismet laicis occupata, non destitit, quin suam ipse Epistolam daret, num. 59. impressam *tom.* 5. *praecit. Collectionis Conciliorum Harduini pag.* 296. *De his quidem rebus, quae semel Deo tributae, atque dicatae sunt, et postea sub occasione concessionis Principum a quibusdam invaduntur, sancimus, ut prius consulto Principe, ad resecandam tam praesumptivam factionem, cognoscendum, utrum illius sit concessio, aut invasionis praesumptio? Quod si Principis inordinata largitio, ipse sit Princeps pro emendatione redargendus; si autem invasoris declaretur praesumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus.*

§. 9. Fausta itidem et illa fuere tempora, quibus cum Principes vellent conscientiae suae plene consulere, quod ad occupationem bonorum Ecclesiae spectare videbatur, non satis ipsis fuit, nihil sibi habere, in pia opera velle omnia erogare; sed Summos Pontifices, quibus concredita est universalis administratio bonorum Ecclesiarum inferiorum, adiere, ut per eos sibi liceret eadem huic potius, quam alteri pio operi addicere; optime scientes, quantumvis pie erogassent quaecumque Ecclesiis abstulerant, non propterea satis sibi esse consultum, nisi factum illud, superaddita Pontificia auctoritate; fuisset veluti obsignatum: juxta celebres literas Alexandri III. ad Henricum Angliae Regem, relatas apud Card. Baronium *in Annalibus tom.* 2. *ad annum* 1164. *Si autem universa, quae in usus tuos per hujusmodi angarias de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quam si Altari quolibet discooperto, aliud cooperires, aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum a mortis periculo liberares.* Praeclara extant non adeo vetusta exempla unius, et alterius ex Ducibus Neoburgi, nimirum Wultfangi Willelmi, et Philippi Willelmi, qui nihil penitus ex occupatis Ecclesiarum bonis retinere voluerunt, sed Romanorum Pontificum explorata sententia, praeobtentaque approbatione, res, rerumque fructus in sacram dotem constituerunt piis quibusdam Institutis, ac Religionis operibus, de quibus cum ipsa Sancta Sede jam antea convenerant. Superioribus nostris literis *num.* 27. de praeclaro hoc facto meminimus, tutissima autem ipsius monumenta suppeditarunt acta Congregationis Romanae Universalis Inquisitionis habitae sexto Idus Februarii 1657.

Et Cath. Princip. religiosissimorum.

Qui et integre bona Ecclesiast. restituere et in designatos a Pontifice. usus pios erogare voluer.

§. 10. Iniqua fert praesentis causae conditio, ut damna et incommoda, quae Mahumetani Regionem obtinentes, inferre possunt, serio expendere debeamus; atque praeterea cum agrestibus miserrimisque hominibus agendum esse consideremus: exinde enim nobis est dura illa necessitas efficiendi probandique, quod nunc praestamus, ne fiat lapsus in deteriora. Tu interim, qua praestas sedulitate, ne praetermittas, ad Cardinales Congregationis deferre haec omnia, ipsisque annuentibus, iteratas dare Encyclicas literas ad Albaniae Praesules, ad quos sicuti superioris Nostrae

Nonnam praesenti casui exhibere nequeunt, et quare?

ad Te datae Epistolae die 19. Martii 1752. exemplum transmisisti, ita dabis et hujusce ad Te Nostrae, quam, Apostolicam Tibi Benedictionem impertientes, absolvimus.

Dat. Pont. anno XIV. die 24. maji 1753.

Datum apud S. Mariam Majorem die 24. Maji 1754. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

XXXIV. LUCENSI REIPUBLICÆ

Facultas conceditur nominandi tres Viros Ecclesiasticos, eosque Romano Pontifici praesentandi, ut ex iis unum in Archiepiscopum Lucanum eligere possit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris, Antianis, et Vexillifero Reipublicae Lucanae, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Romanum Pontificem in universa Christianae Reipublicae procuratione hoc inter omnia maxime convenit, ut quidquid ad Divinum cultum promovendum simul, et populorum tranquillitatem constabiliendam pertinet, id prudenter, studioseque curare non praetermittat. Quod quidem Nobis, Divina benignitate in tam illustri Pontificatus fastigio collocatis, ita semper cordi fuit, ut quaecumque cum Sanctissimae Religionis dignitate publicam populorum felicitatem conjungerent, ea, si a Nobis peterentur, libentissime impertiremur.

Pia voluntas Lucani Senatus donandi decem millia nummor. aureorum Mensae Archiep. ejusdem civitatis. §. 1. Sane vestro Nobis nomine exposuit Dilectus Filius Philippus Bonamicus Presbyter Civis vester, et Familiaris noster, homo in obeundis negotiis vestris certe diligens, Nobisque apprime charus et probatus, constituisse vos offerre et irrevocabiliter dono dare Ecclesiae Cathedrali Sancti Martini Civitatis vestrae, illiusque Mensae Archiepiscopali, decem millia nummorum aureorum (qui nummi decem juliis monetae Romanae constent) ad augendos ejusdem Mensae redditus; simulque a Nobis humiliter, ac enixe petere, ut habita ratione hujusce piae liberalitatis vestrae, Apostolica providentia, atque authoritate praecaveremus mala et incommoda omnia, quae ab electione Archiepiscopi vobis minus grati facile invehi possent in Rempublicam vestram.

Non tanti oblatio e ut inde quiri Patronat leant.

§. 2. Quamvis autem oblatio illa tanti non sit, ut ex instituto Ecclesiasticae Disciplinae, et Canonicis legibus, idoneam Nobis causam suppeditare valeat, ut Patronatus jura in eamdem Ecclesiam, (quae caeteroquin per sese jam satis commode dotata est) vobis concedere, aut reservare debeamus; Nos nihilominus, non tam ob recentem hanc oblationem vestram, quam ob veterem erga Romanam Sedem Reipublicae vestrae observantiam, et Catholicae Religionis tuendae studium constans atque perpetuum, quod pulcherrime declarastis semper, et eo praesertim tempore, quum Majores vestri ingruentem in Italiam, atque adeo in Civitatem vestram haereticae pravitatis pestem, pie, fortiterque represserunt, quinimo aliquot familias, licet generis, et opum splendore illustres, propterea quod minus recte de Catholica Romana Fide sentiebant, omnino exterminandas, et tamquam vitiosas partes exsecandas per se ipsi statuerunt, ne totum corpus Civitatis traherent, atque contaminarent: Et eapropter tunc Romani Pontifices Praedecessores nostri Rempublicam vestram maximis, ac verissimis laudibus cumularunt: his meritis vestris, aliisque plurimis officiis in Nos et Apostolicam Sedem, et maxime singulari nostra quadam paterna benevolentia excitati, vestris annuere precibus, et Reipublicae vestrae, quam semper ex animo dilexi mus, quieti, tranquillitatique consulere decrevimus.

Luce Reipub. S dium tuenda C Religion tempore sert. ingr in Italia haeresis commem

Oblata natio de millium reorum Mensa chiep. Ec siae Luc acceptat.

§. 3. In primis igitur oblationem illam vestram decem millium nummorum aureorum, quos in tot Locis Montium Cameralium non vacabilium, Almae Urbis nostrae positos esse intelleximus, harum authoritate literarum acceptamus, et Mensae Archiepiscopali Ecclesiae Lucanae adjungimus, atque cum caeteris illius Bonis incorporamus: Nec non Venerabili Fratri Nostro Josepho Palma moderno ejusdem Ecclesiae Archiepiscopo, ejusque successoribus futuris Archiepiscopis, antedictorum Locorum Montium possessionem stabilem, ac certam tradimus, ita ut ipse Joseph Archiepiscopus eorum redditus, uti caeteros suae Mensae fructus, ex hoc ipso tempore jam percipere, atque in suos usus, utilita-

tem, ac sustentationem convertere omnino possit.

§. 4. Deinde majoribus Rempublicam vestram, et amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac vos, vestrasque singulares Personas a quibusvis excommunicationis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati sitis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; certa scientia Nostra, et de Apostolicae Nobis a Deo traditae potestatis plenitudine, Nobilitatibus vestris, et Senatui Reipublicae Lucanae, in sinceritate Catholicae Fidei, et devota erga Apostolicam Sedem observantia manentibus, facultatem et jus perpetuum concedimus et indulgemus, ut quotiescumque contigerit consequenti tempore Ecclesiam Archiepiscopalem Lucanam Archiepiscopo et Pastore destitui, nominetis tres Ecclesiasticos viros, pietatis et doctrinae laude insignes, caeterisque necessariis qualitatibus instructos, quos tanto muneri sustinendo maxime idoneos in Domino judicaveritis, eosque Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus nostris pro tempore existentibus praesentare possitis, ex quo numero Nos et Successores praefati eligemus et eligent unum, in Ecclesiae Lucanae Archiepiscopum et Pastorem, Apostolica authoritate, ut moris est, praeficiendum.

§. 5. Vos autem praeterea hortamur, et paterne monemus, ut in nominandis antedictis Ecclesiasticis viris Sacrosanctae Tridentinae Synodi Decreta prae oculis habentes, nihil aliud spectetis, quam Omnipotentis Dei gloriam, Religionis Catholicae incrementum, et salutem Civium vestrorum sempiternam.

§. 6. Praesentes demum literas, et in eis contenta hujusmodi, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, aliove quolibet, etiam quantumvis magno seu substantiali, aut solemnitatum defectu, impugnari, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu illis ex quavis causa derogari posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, vobisque et Reipublicae vestrae perpetuo suffragari: Sicque et non aliter per quoscumque Judices quavis authoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, ac ipsummet Consistorium, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari et definiri debere volumus. Et irritum quoque decernimus et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus quibusvis reservatoriis et revocatoriis, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, nec non Universalium, Provincialium, ac Synodalium Conciliorum generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae Lucanae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis eidem Ecclesiae, illiusque Capitulo, et Canonicis, ac Clero, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti essent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes; illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, speciàliter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogat. generales et special.

§. 8. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae acceptationis, incorporationis, absolutionis, concessionis, Indulti, hortationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem etc. incursurum. Sanctio.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, septimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo. Dat. die 26. Maji 1754. Pont. XIV.

J. Card. Pro. Datar.

D. Card. Passionеus.

Visa De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXV.

ENCYCLICÆ LITERÆ

Ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos Italiae, quibus hortantur, ut veteribus nova superaddant pastoralis sollicitudinis studia, ut Christifideles in rudimentis Fidei instituantur et erudiantur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pont. cura ut instruantur, qui in Patriar. Basilicis poenit. subeunt a Dataria impositas.

Cum Religiosi aeque, ac divini cultus promovendi Studiosi Viri ad Nos detulerint, optimum fore, si Nostris S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, et S. Mariae Majoris Patriarchalibus Basilicis, certi constituerentur Ministri, ad instruendos eos, qui a Dataria Apostolica in praefatas tres Basilicas ablegantur, ut ibi sese exerceant iis servilibus operibus, quae ipsis imponuntur obeunda perficiendaque, antequam iisdem concedatur matrimonialis impedimenti relaxatio, ad quam consequendam Romam advenere: eo autem hujusmodi institutionem dirigendam esse, ut rite utiliterque possent homines illi Sacramentali Poenitentia abstergi, et Altaris Sacramento digne fieri participes, quae duo, praeter Sacram ad septem Ecclesias peregrinationem, Sanctarumque Scalarum ascensum, ab ipsis exposcit Dataria: Cumque ea de re oportuna ediderimus mandata, veluti perspicuum fit ex Nostris Literis Encyclicis ad Cardinales praefatarum Basilicarum Archipresbyteros datis decimoquinto Kalendas Februarii labentis anni; nobisque exinde certo constiterit, quanto zelo nonnulli ex Canonicis, aliisque Ecclesiasticis viris praefatarum Basilicarum, momentoso operi manum admovere, alacri semper animo sollicitam mandatorum Nostrorum executionem urgentes; gaudio quodam plane singulari perfundi Nos sensimus; totoque animo debitas summo bonorum omnium Auctori Deo gratias persolvimus.

Exinde detegitur, nonnullos necessaria ad salut. ignorare.

§. 1. Haud tamen expleri animus gaudio potuit, cum subinde relatum ad Nos fuerit, hujusmodi homines, dum sacris istructionibus ad Confessionem Sacramque Communionem parantur, detegi saepe saepius Mysteriorum Fidei, atque eorum etiam, quae *necessitate medii* noscenda sunt, ignaros, ideoque tales, qui Sacramentorum nequeant fieri participes. Cui quidem maximo malo quamvis memorati Ministri opportuna non negligant remedia adhibere assiduis institutionibus; exinde tamen non fit, quin praeter sollicitudinem et laborem, quem Evangelici illi Operarii agnoscunt sibi necessario subeundum, quemque lubenti animo perferunt, idipsum moerore quodam non afficiat dispensationem exposcentes, expectantesque, qui cum paupertate vexentur, suisque manibus sibi victum quaeritent, quamcitissime cupiunt Urbe excedere, in patrias reverti suas, optatoque sese jungere Matrimonio, cujus causa iter arripuerunt, publicaeque, nec levis poenitentiae incommoda non detrectarunt.

Ignorat haec non [illegible] piscop. c[illegible] pae seu n[illegible] gligentiae [illegible] sed ips[illegible] rummet h[illegible] minum vi[illegible] vertenda [illegible] citur.

§. 2. Pontificatus Nostri initio, Encyclicas Literas dedimus, quibus Venerabilium Fratrum Nostrorum zelo stimulos veluti addidimus, ut quae Christianae Doctrinae sunt rudimenta, et praecepta, in sua quisque Dioecesi explananda curaret, et addiscenda. Dioecesanas eorum Synodos legimus vetustiores ac recentiores; novimus eas instructionibus et adhortationibus plane refertas, nihilque in iis desiderari, quod ad gravissimum Christianae Doctrinae tradendae opus perficiendum conducere videatur. Quapropter ex animo affirmamus, persuasum nobis esse, inter ipsos reperiri plane neminem, qui Apostolico sibi concredito muneri hac in re defuerit, et ignorantiam, in qua versari nonnullos ex suis Dioecesanis compertum est, haud quidem ipsis culpae vel negligentiae vertendam, sed repetendam plane vel ex eorumdemmet subditorum pervicacia, qua, neglectis Superiorum mandatis, Christianae Doctrinae institutiones refugerunt, et ad exaudiendum Dei Verbum pro concione explanatum raro, vel fortasse nunquam convenerunt; vel saltem ex hebeti nonnullorum ingenio in iis addiscendis, quae docentur, vel denique ex quo Christianae Doctrinae rudimenta primis aetatis suae annis exceperint, ubi vero aetate illa excessere, nihil exinde fuerint solliciti ad ea loca accedere, ubi percommode ac fructuosius fortasse etiam potuissent obfirmata aetate percipere, quae ipsis puerulis fuerunt tradita, adeo ut hi paulatim redigantur ad conditionem ei omnino similem, in qua obversantur quicumque nec prima aetate edocti, nec Christianae Doctrinae institutionibus umquam interfuerunt: Incom-

moda haec quidem sunt, quae quamvis obvenerint, obveniantque fortasse, curis omnibus per Venerabiles Fratres Nostros adhibitis, non exinde tamen Nos levant onere Encyclicis hisce Literis eorum zelum iterato excitandi; nec ipsi propterea eximuntur, quin studia sollicitudinesque eo semper majores conferre debeant in id, unde concreditarum sibi animarum sempiterna salus pendere dignoscitur.

Affertur ii Caroli Borromaei exempl.

§. 3. Neminem fortasse reperire erit inter vos, Venerabiles Fratres, cui perspectum penitus non sit, quanta peregerit S. Carolus Borromaeus tum in ampla sua Dioecesi Mediolanensi, tum in universa Provincia, cui praeerat Metropolitanus, ut proficuam tradendae Christianae Doctrinae methodum constitueret; quantosque pertulerit labores, ut religiosum hoc institutum firmiter constabiliret: cumque animadvertisset, non eum cepisse ex tot laboribus fructum, quem exoptabat, haud despondit animum; sed veteribus novas superaddidit curas et sollicitudines, quemadmodum deprehenditur ex quinta Mediolanensi Synodo: *Nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut omnes, et singuli Christifideles in Fidei Christianae rudimentorum institutione erudirentur; sed cum parum Nos hucusque profecisse tanta in re cognoverimus, negotii periculique magnitudine adducti, haec praeterea decernimus:* Satis namque fuit Sanctissimo Praesuli perspectam fieri vigentem indigentiam, ut iterum manum operi admoveret, curas curis accumulando, parvipensis omnibus, quae satis multa eousque peregerat; ad eum plane modum, quo Assyriorum Rex satis habuit, delatum ad se fuisse, ignorare gentes praecepta Dei: *Nunciatumque est Regi Assyriorum, et dictum: gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in Civitatibus Samariae, ignorant legitima Dei Terrae;* ut statim illo mitteret Sacerdotem, qui gentes illas Dei praecepta edoceret: *Praecepit autem Rex Assyriorum dicens: ducite illuc unum de Sacerdotibus, quos inde captivos abduxistis, et vadat, et habitet cum eis, et doceat eos legitima Dei Terrae:* quemadmodum legitur *lib. 4. Regum cap. 17.*

que ext. Epi- ni ad ite- curas ad- endas.

§. 4. Nos itaque S. Caroli Borromaei exemplum prae oculis habentes, quamvis omne hactenus studium impenderitis atque sedulitatem, hortamur adhuc rogantes vos per Jesu Christi viscera, ne in tanto opere tradendi Christianae Fidei rudimenta, animum despondeatis. Hoc agite, ut Parochorum quisque, quae Sacro Tridentino Concilio, quae vestris Synodalibus statutis jubentur, sedulo exequatur: ut statis diebus Scholarum Magistri, et Magistrae, Doctrinam tradant Christianam: ut Confessarii, quae muneris sui sunt impleant, quoties quisquam se ipsorum Tribunali sistit, ignorans quae *necessitate medii* sunt ad salutem necessaria; idipsumque praestent et Parochi, antequam Sponsos Matrimonio conjungat: Patres familias, atque domorum Heri, serio moneantur de imposita sibi obligatione erudiendi per se, erudiendosque curandi Christianae Doctrinae praeceptis filios, suosque familiares: quibusque in Dioecesibus receptus est, servetur, cureturque recipiendus, ubi hactenus non obtinuit, usus, juxta quem, ante, vel post Parochialem Missam, elata voce, per ipsummet Parochum recitantur Fidei, Spei, et Charitatis actus recte compositi, populo interim Parochi verba iterante. Nec etiam negligatur incumbens Parocho onus, quo festis diebus, nisi concionem ad populum habeat, certe quidem ex Altari Evangelium ei explanare, ipsumque praecipua Sanctae Religionis Nostrae Mysteria, Dei praecepta, et Ecclesiae, ac quidquid demum opus est, ut Sacramentorum digne particeps fiat, edocere tenetur. Vestigia haec sectentur quoque Concionatores, quibus salutare illud iteretur monitum, ut adhortationibus institutiones adjungant, quandoquidem utrisque indigent Auditores. Denique quaenam sit optima methodus in rudibus hominibus Christiana Doctrina erudiendis, indigitatur a S. Augustino in libro de *Cathechizandis rudibus cap.* 10. ubi inquit, proficuam prae caeteris eam esse, qua post explanationem, familiares instituantur interrogationes; ex familiari quippe interrogatione compertum fit, an quae quisque audivit, mente perceperit, vel an potius iterata explanatione opus sit; ut alieno captui res subjiciatur: *interrogatione quaerendum est, utrum is, qui catechizatur, intelligat; et agendum pro ejus responsione, ut aut planius, et enodatius loquamur, aut quae illis nota sunt, non explicemus latius etc. Quod si nimis tardus est, misericorditer succurrendus est, breviterque ea, quae maxime necessaria sunt, ipsi potissimum inculcanda.* Illud nobis persuasum est, fore, ut longe plura ipsi persequamini, quam Encyclicis hisce Literis Nostris vobis indigitamus. Interim vobis, Venerabiles Fratres, con-

Recenset. complur.

Pro meth. docendi Doctrin. Christian. probatur usus interrogation. post explanat.

creditoque sollicitudini vestrae Gregi, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. 26. Jun. 1754. Pont. an. 14.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die 26. Junii 1754. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

XXXVI. CONFIRMATUR

Decretum Congregationis Consistorialis, quo fuit declaratum sub Constitutione Innocentii PP. XII. super Capitulationibus Sede Vacante initis, comprehendi etiam Monasteria et Collegia utriusque sexus, necnon eadem Constitutione prohiberi quascumque pactiones, et Capitulationes, etiam per se honestas et licitas.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pont. cura in iis confirmandis quae provide sunt constituta.

Pastoralis regiminis sollicitudo ex alto Nobis immerentibus commissa exigit, ut non solum curemus novas leges, si quando rerum conditio, aut necessitas postulat, concedere; sed etiam ea, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris provide ac salubriter constituta sunt, Apostolicae confirmationis robore communire.

Decretum Congreg. Consistor. refertur.

§. 1. Alias siquidem a Congregatione rebus Consistorialibus praeposita emanavit Decretum tenoris sequentis, videlicet: Cum san. mem. Innocentius PP. XII. per Constitutionem editam die 22. Septembris 1695. quae incipit *Ecclesiae Catholicae*, innovatis etiam pluribus aliorum Praedecessorum Pontificum sanctionibus, districte interdixerit, ne, occurrente Ecclesiarum, sive Monasteriorum quorumvis vacatione, pactiones ullae, sive capitulationes, aut concordata, aut statuta, adversus Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum dispositionem, ab iis, ad quos personarum praeficiendarum electio pertinet, ante electionem, vel postulationem fiant; et, ubi nihilominus inita fuerint, ea prorsus irrita, et invalida, nec observanda esse, etiamsi juramento munita fuissent, declaraverit, et decreverit; quae vero post electionem seu postulationem fieri contingeret, ea ad Romanum Pontificem deferri, ejusque judicio subjici, suspensa interim eorum executione, donec a Sede Apostolica impetrata fuerit confirmatio, praeceperit, prout in memorata Constitutione uberius continetur; dubitatum vero fuerit, primo, an sub ea comprehendantur etiam Monasteria foeminarum, vel Capitula, seu Collegia, quae juxta nonnullarum Provinciarum consuetudinem, sunt mixta ex maribus et foeminis, sub unius Abbatissae seu Praepositae, sive Priorissae regimine; secundo, an praedicta Constitutio eas etiam afficiat pactiones, quae in Ecclesiarum, vel Monasteriorum ipsorum utilitatem cedunt, vel quae alioquin, si per se spectentur, non judicantur illicitae.

Innoc. PP. XII. Constit. vetat Sede Vacante quascumque Capitulationes contra Sacros Can. ante electionem initas.

Dubitat. sub ea Constit. comprehendant. etiam Monasteria Foemin. et Coleg. utriusque sexus.

§. 2. Hinc ad tollendas hujusmodi dubitationes, et animarum pericula tutius submovenda, Congregatio particularis Consistorialis, a Sanctissimo Domino Nostro deputata, censuit, si Sanctitati suae videbitur, declarandum, et decernendum, sub praemissa Constitutione Innocentii XII. ejusque omnibus praescriptionibus, etiam quoad inflictas poenas, omnino comprehendi etiam Monasteria, vel Capitula, seu Collegia mixta ex utriusque sexus personis, regimini, vel jurisdictioni unius Abbatissae, seu Praepositae, sive Priorissae subjectis, ac de ejusmodi etiam Monasteriis, Capitulis, sive Collegiis praefatam Constitutionem esse intelligendam, proinde ac si de iis quoque expressa, et specialis mentio habita fuisset: Adeoque pactiones, Capitulationes, concordata, seu statuta quaecumque hujusmodi, occasione electionis personae praedictis Monasteriis, sive Capitulis, et Collegiis praeponendae, tum facta, tum quae deinceps fieri contingeret, tametsi interposita jurisjurandi religione roborata, omnino obnoxia esse, et fore prohibitioni, nullitati, poenae, caeterisque omnibus, et singulis ordinationibus, decretis, et declarationibus respective in ea, ut praefertur, Constitutione contentis, et, quatenus opus sit, ad hujusmodi etiam Monasteria, vel Capitula, sive Collegia mixta ex utriusque sexus personis, praefatam Constitutionem esse extendendam.

Et an etiam non illicitae pactiones prohib. Constit. Congreg. praecta, Monast. Coll. praecta compr.

Quae vero post elect. factae fuerint, jubet judicio subjici Romani Pontificis.

§. 3. Praeterea, cum valde Ecclesiasticae disciplinae intersit omnem ambitiosae cupiditati aditum praecludere, ac providere, ne ullo modo etiam indirecte, laesa remaneat libertas eligendi personas magis dignas, magisque idoneas, quae assentiri forsan recusarent iis pactionibus, quibus aliae minus idoneae, ad obtinendum electionis commodum, annuerent;

Et prohibet licitas etiam pactiones ante electiones fuerint initae.

similiter declarandum, et decernendum censuit, memorata Constitutione affici eas etiam pactiones, ante electionem, vel postulationem initas, quae caeteroquin Ecclesiis ipsis, vel Monasteriis utiles sint, vel quae intrinsecus, et per se consideratae, nullam mali suspicionem redoleant, sed quae ideo malae sunt, quia jure humano, et per Sacros Canones, sive Apostolicas Constitutiones, ac praesertim illam Innocentii XII. interdicuntur. Quo vero ad eas, quas post electionem vel postulationem fieri contingeret, servandam itidem esse memoratam Innocentii XII. Constitutionem, ut scilicet illae statim ad Summum Pontificem deferantur, et Sedis Apostolicae judicio subjiciantur, suspensa interim earum executione, donec ab eadem Sancta Sede, sine cujus auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, confirmationis robur in totum, vel in partem obtinuerint. Facta autem per me infrascriptum praefatae Congregationis Secretarium de praemissis relatione Sanctissimo Domino Nostro, ejusdem Congregationis sententiam Sanctitas Sua approbavit; atque ita ab omnibus, ad quos pertinet, perpetuo, et inviolabiliter servari, et judicari mandavit, cum omnibus etiam derogationibus praefatae Constitutioni Innocentii XII. insertis; nec non Literas Apostolicas in forma Brevis super praesentis Decreti confirmatione, et approbatione expediri jussit.

Datum Romae hac die 16. Augusti 1727.

P. Cardinalis Corradinus.

Dominicus Rivera dictae Congreg. Secretarius.

Loco † Sigilli.

§. 4. Hujusmodi autem tam providum, ac salubre Decretum, quo firmius subsistat, et servetur exactius, tenore praesentium, Apostolica auctoritate approbamus, et confirmamus, ac de novo, quatenus opus sit, statuimus, et innovamus, atque illud ab omnibus cujuscumque ordinis, gradus, status, ac dignitatis, in perpetuum servari, et custodiri praecipimus, et mandamus: decernentes, eadem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere; et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Julii MDCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto. Dat. die 15. Julii 1754. Pont. XIV.

D. Card. Passioneus.

NE CHRISTIFIDELES XXXVII.

Sub Turcarum ditione versantes, ad occultandam Christianae Religionis professionem, Mahumetana Nomina sibi imponant, iisque se compellari patiantur.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis, necnon dilectis Filiis Parochis, et Missionariis, Provinciae Albaniae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Iterata decreta quibus vetitum Christifidel. quamcumq. ob causam Mahumetana nomina assumere.

Quod Provinciale Concilium Albanum Provinciae vestrae, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Anno MDCCIII. sub felic. rec. Clemente Papa XI. Praedecessore nostro celebratum, inter caetera, Canone tertio sanctissime statuerat, nimirum ne Turcica, seu Mahumetana Nomina, sive parvulis, sive adultis in Baptismate imponerentur; neve Christifideles Turcicis, seu Mahumetanis Nominibus, quae nunquam sibi imposita fuerant, ob quamcumque vel tributorum exemptionem et immunitatem, vel liberi commercii commodum, vel evitandarum poenarum causam, se nuncupari paterentur: id ipsum, inter caetera, Nos quoque commendantes, confirmavimus, ac servandum praecepimus in nostra Encyclica Epistola, cujus initium est — *Inter omnigenas*, pro Regno Serviae, et finitimis Regionibus, super pluribus Religionis ac disciplinae capitibus die XI. mensis Februarii Anno MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto edita. Providum igitur, ac salutare ejusmodi statutum ab Antecessoribus vestris tanta cum sapientia et religione conditum, et tanquam luculentum Catholicae Fidei, sinceraeque vestrae christianae pietatis

exemplum, aliis ad imitandum et omnino custodiendum a Nobis districte praeceptum, quemadmodum in Provinciae vestrae majorem gloriam et existimationem, majoremque consequendae aeternae animarum salutis utilitatem; ita si negligi forte contingat, in majus ejusdem vestrae Provinciae dedecus, apertumque animarum discrimen redundare videtur.

Eorum quippe usus mendacium in re gravissima, et virtualem fidei negationem continet.

§. 1. Nos autem, qui abusum illum in praedicta Epistola nostra tamquam turpem christianae professionis occultationem ad infidelitatem accedentem pronuntiavimus, maximo cum Pontificii animi nostri moerore accepimus, quod quamplurimi istius Provinciae, posthabita aeternae salutis ratione, eadem Turcica, sive Mahumetana Nomina usurpare pergant, non solum ut a tributis et oneribus illis quae Christifidelibus imposita sunt, vel imponi saepe contingit, immunes et liberi sint et habeantur; verum etiam ut tam ipsi, quam eorum Parentes, a Mahumetana secta apostatasse minime credantur, nec poenis hac in re inflictis mulctentur. Haec enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianae contraria; quae mendacium in re gravissima continet, et virtualem Fidei negationem, maxima cum Dei injuria, Proximique scandalo, includit. Unde opportuna etiam praebetur Turcis ipsis occasio, Christifideles omnes, tamquam hypocritas, et deceptores existimandi, atque adeo jure ac merito persequendi.

Unde nullatenus ferendus.

§. 2. Accedit praeterea ad moerorem, doloremque nostrum magis magisque augendum, quod nonnulli ex Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, atque ex Vobis quoque, Dilecti Filii Parochi et Missionarii, ad tam privatam ac detestabilem simulationem nihil animadvertentes, immo conniventes, atque inanibus ad excusandas excusationes in peccatis rationum momentis adducti, eos Christifideles curae vestrae creditos, qui saepedicta Turcica, seu Mahumetana Nomina assumunt, iisque vocari student, ad Sacramentorum participationem, sine ullo prorsus conscientiae angore, et publica cum bonorum Christifidelium offensione, admittere non vereantur.

Nova Sanctione damnatur, ac interficitur.

§. 3. Hinc est, quod Nos, qui ex injuncta Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudine, ac suprema Sacrosancti Apostolatus procuratione, Christianos omnes in viam salutis reducere, eosdemque puros, sinceros, in spiritu et veritate ambulantes, et absque macula, Deo exhibere tenemur, postquam Venerabiles Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales contra Haereticam pravitatem generales Inquisitores super hac re audivimus, de eorum consilio, primum quidem laudatum Concilii Albani vestrae Provinciae Canonem renovantes, Apostolica auctoritate nostra tenore praesentium confirmamus, et districte servandum mandamus; necnon memoratae Ecclesiae nostrae decreta ad vestram quoque Provinciam auctoritate et tenore paribus extendimus, et servanda itidem praecipimus: Deinde districte pariter prohibemus, ne quilibet ex Christifidelibus, quocumque casu vel praetextu, aut in quibusvis excogitabilibus circumstantiis, eadem Turcica, seu Mahumetana Nomina, ut Mahumetani credantur, assumere audeat.

Sub cer... Spiritualib... poenis qu... rum exec... tio Episco... committit...

§. 4. Porro, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Vos rogamus et in Domino hortamur, ut serio animo ministerium vestrum et districtam Supremo Pastorum Principi Jesu Christo Æterno Judici rationem de commissis unicuique vestrum ovibus a Vobis reddendam considerantes, et ipsi curetis per bona opera vestra certam electionem vestram facere, et minime omittatis, (quod sine gravissima incuriae, negligentiaeque vestrae culpa accidere non potest) eosdem Christifideles Provinciae vestrae arguere, obsecrare, et increpare in omni patientia et doctrina, ut conversationem suam inter Gentes habentes bonam, in omnibus seipsos praebeant exemplum bonorum operum, ut ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de ipsis, quasi malefactoribus, qui turpis lucri causa aliud in ore, aliud in corde gerant. Quod si qui admonitionibus vestris et praeceptis nostris non acquiescant, ad Apostolicae disciplinae normam, virga compesci debent, et circa ipsos Albanensis Synodi vestrae, et dictae Epistolae nostrae, sanctiones et poenae omnino exequendae sunt, quibus in vita Sacramentorum, et post mortem, si impoenitentes decesserint, suffragiorum incapaces declarantur. Quas quidem poenas iterum, quatenus opus sit, innovamus et infligimus, et debitae executioni a Vobis mandandas volumus, et injungimus. Hoc autem nemini ex Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, durum esse debet; quoniam

nisi abundaverit justitia vestra plusquam Schismaticorum et Haereticorum, quorum tamen nullus Mahumetanum Nomen assumere praesumit, non intrabitis in Regnum Coelorum.

§. 5. Illos denique, qui ex Mahumetanis Christiani sunt facti, vel qui istorum sunt filii, si de sua in Fide constantia diffidant, vereanturque ne si Turcica deponant nomina, Dominantium poenas incurrant, easdemque subire formident, serio admoneatis, ut omnino regiones illas occulte deserant, et ad Terras Christianorum accedant, atque confugiant, in quibus et Deus, qui dat escam omni Carni, et Fidelium Caritas minime ipsis deerit; maxime si Episcoporum commendatitiis Epistolis muniantur. Interim Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, quam a quolibet Venerabili Fratre Antistite in sua Diocesi Christifidelibus Orthodoxis nostro nomine impendi volumus, peramanter elargimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die prima Augusti MDCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

XVIII. ECCLESIASTICIS

Omnibus Ritus Slavo-Latini praecipitur ut in Missis et Divinis Officiis Slavum Literale idioma cum characteribus Hieronymianis retineant, et Missalibus, Breviariis etc. utantur typis Congregationis Propagandae Fidei editis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastorali munere, quo Romani Pontifices Catholicae praesunt Ecclesiae, eamque moderantur, consueverunt Praedecessores Nostri vigilem navare curam, ut in sacris peragendis, suos unaquaeque Natio legitime invectos Ritus Religiose custodiat, ejusque idiomatis uniformitatem retineat, quo illius respective Majores in Missae Sacrificio, Divinisque Officiis usi dignoscuntur; prohibentes ne quid a prisca lingua, vulgaribus licet dicendi formulis immutata, deflectatur, omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent.

Ritus Nationi Illiricae concessus a Joan. VIII.

§. 1. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in Ritum Slavo-Latinum, quem felicis recordationis Praedecessor Noster Joannes Papa VIII. fideli ac religiosae Nationi Illyricae, una cum idiomate, quod nunc Slavum literale appellant, et characteribus, quos Hieronymianos dicunt: adhibendum concessit, et successivis temporibus recolendae memoriae Praedecessores pariter Nostri Urbanus VIII. et Innocentius X., dum Missale, et Breviarium eodem idiomate, et characteribus, excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt; nonnullos irrepere abusus, Apostolicae Sedis intentionibus, institutisque contrarios, perniciosa aliquorum libertate, qui audent Missas, insertis Orationibus et precibus Slavo vulgari sermone conscriptis, componere; Initium quoque Evangelii secundum Joannem, et Psalmum *Lavabo*, eadem vulgari lingua, latinisque characteribus impressa, nulla desuper a Nobis facultate, et approbatione praeobtenta, sibi, aliisque Sacerdotibus legenda proponere: Idcirco ne hujusmodi abusus, qui eumdem Ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur; postquam aliis Nostris editis Constitutionibus, nimirum quinquagesima septima, cui initium *Etsi pastoralis*, et octuagesima septima incipiente *Demandatam coelitus*, quae extant in Bullarii Nostri Tom. 1. pag. 197. et 328. Graecorum Rituum conservationi, et integritati, pro Italo-Graecorum, et Graeco-Melchitarum Nationibus, abunde providimus; eamdem nunc sollicitudinis Nostrae curam ad Illyricam Nationem convertentes, suprema, qua fungimur Apostolica auctoritate, volumus, praecipimus, atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes et Sacerdotes tam Seculares, quam cujuscumque Ordinis, aut Instituti Regulares, qui Ritum Slavo-Latinum profitentur, in Augusto Altaris Sacrificio, et in horis Canonicis, aliisque divinis Officiis persolvendis ac obeundis, Missalia, Tabellas, et Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandae Fidei, quaeque imposterum ibidem imprimentur, non sine praeviis opportunis revisionibus, et approbationibus, aliisque diligentiis hucusque adhibitis, et deinceps adhibendis a Viris doctis, et Slavo-Latinum idioma, ac Hieronymianos characteres apprime

Interv. pluribus irreptis abusibus.

Quibus proscript. vetustior redintegr. novisque Sanction. ejusdem firmitati consulitur.

callentibus, quemadmodum per plura anteacta saecula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant, et teneantur: utque in posterum nemo ex praedicto Clero, in Missis celebrandis, aut in divinis Officiis persolvendis, Orationes et Preces, quae nostra, et Apostolicae Sedis auctoritate examinatae non fuerint, et approbatae, recitare, aut quoquo modo adhibere audeat, seu praesumat.

Quatum Executio Archiep. et Episc. demand.

§. 2. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis, et Episcopis, in quorum Dioecesibus Ritus Slavo-Latinus viget, committimus, atque injungimus, ut pro zelo et sollicitudine, qua tenentur concreditis sibi Ovibus praeesse, et Sacrorum Ecclesiae Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque hujusce Nostrae voluntatis, ac districti praecepti executionem curent, atque urgeant, ac novitates omnes, irreptosque quoslibet abusus eliminent, adhibitis efficacioribus remediis a Sacris Canonibus in pervicaces et refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

Decreta pro praemissorum firmitate.

§. 3. Decernentes has Nostras Literas, et in eis contenta hujusmodi, semper et perpetuo firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, horumque Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrar.

§. 4. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam in Synodalibus forsan, aut Provincialibus Conciliis editis Constitutionibus, aut Decretis; Privilegiis quoque, et Indultis eidem Nationi Illyricae, ejusque Ecclesiis, atque Praesulibus, quavis etiam Apostolica auctoritate concessis, ac iteratis vicibus confirmatis, et innovatis, ac usibus, stylis, et consuetudinibus quantumvis diuturna observantia firmatis; quibus omnibus, et singulis, tenore praesentium, et ad praemissum effectum, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Fid. te sumptis benda.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici suscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio nalis.

§. 6. Nulli ergo Hominum liceat paginam hanc Nostrae Declarationis, inhibitionis, praecepti, mandati, commissionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. die Aug. 17 Pont. 14

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, octavo Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Card. Pro-Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 9. mensis Novemb. 1754.

QUINQUECCLESIENSIS XXXI

Episcopus, ejusque successores, perpetua Pallii usus, ac praegestandae Crucis concessione donantur, sub certis modis ac conditionibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooe Pontif. distrib. B noribus i ferior. E clesiar. Pr sulib. suum ex cent. et a mar. sal prospic.

ROMANUS Pontifex in Beati Petri Sede ad universae Ecclesiae regimen a Deo constitutus, dum Apostolicae benignitatis favores inferiorum Ecclesiarum Praesulibus circumspecta liberalitate distribuit, non modo supremam illam exercet potestatem, quam sibi veluti hae-

reditate relictam agnoscit a Beatissimo Apostolorum Principe, a quo, ut Sanctus Innocentius iniquit, *Episcopatus ipse, et tota auctoritas nominis hujus emersit;* sed illud praeterea efficere studet, ut animarum Pastores sacris honoribus aucti, majorem sibi a subjectis Populis reverentiam concilient, atque ita uberiores spiritualis sollicitudinis suae fructus ex eorum docilitate et obedientia percipiant.

§. 1. Porro inter eximia sacrae dignitatis decora, quae ab Apostolica Sede diversis per Orbem Ecclesiis, earumque Antistitibus, indulgeri consueverunt; et Sacri Pallii usus, et jus praeferendi Sanctissimae Crucis signi, merito numerantur. Quorum primum illud, materiae quidem simplicitate, ipsaque sui specie exiguum, sed Pontificiae Benedictionis munere, et mysteriorum significatione pretiosum, e sanctiori Ecclesiae Thesauro, nimirum ex Veneranda Beati Petri Apostoli Confessione desumptum, certis dumtaxat tribuitur insignium Ecclesiarum Praesulibus, iisdemque enixe postulantibus, et peculiarem obedientiam et fidem Romano Pontifici, solemnis jurisjurandi interpositione, spondentibus: Ut, sicut olim Dominus noster Jesus Christus, ovium suarum curam eidem Beato Petro committens, conditionem posuit dicens: *Si diligis me, pasce Oves meas;* ita non aliis praestantiora haec Pastoralis Officii insignia tradantur, quam qui Apostolicae Sedi subjectionis debitae signa persolvant, quae ipsos cum Beato Petro tamquam membra de membro habere, et Catholici capitis unitatem servare declarent.

§. 2. Ereclae autem Crucis delatio, Salvatoris nostri, cujus legatione fungimur, humilitatem pariter, et potentiam declarat, atque ita intuentium animos allicit ad illius excipienda praecepta, qui exaltatus a terra, omnia traxit ad se ipsum, ut simul etiam praevaricatores admoneat, hoc idem Crucis signum in Coelo fore, quum Dominus ad judicandum Orbem Terrae in splendore Majestatis advenerit. Quae quidem Indulta, licet olim solis Apostolicae Sedis Vicariis concedi consueverint, deinde vero omnium Ecclesiarum Metropolitanarum Praesulibus communicata, ad Minoris autem Ordinis Antistites, nimirum ad simplices Cathedralium Sedium Episcopos, nequaquam extensa fuerint; nihilominus omnium saeculorum monumenta testantur, eadem praeclaris quibusdam Ecclesiarum Pastoribus, etiam Metropolitico jure et potestate carentibus, ex Apostolicae Sedis indulgentia, nunc personali privilegio peculiaribus ipsorum meritis debito, nunc autem perpetua concessione, ad illustrium Ecclesiarum splendorem augendum cumulandumque, tributa fuisse.

§. 3. Cum itaque Ecclesia Quinquecclesiensis, Provinciae Strigoniensis in Hungariae Regno constituta, Sancti Stephani I. quondam Hungariae Regis pia liberalitate fundata atque dotata, et tam in Ecclesiastica Hierarchia, quam in praedicti Regni Ordine multis nominibus clara, et illustris, hac olim praerogativa, de tempore recol. mem. Innocentii Papae III. Praedecessoris nostri gavisa fuisse dignoscatur, ut illius Episcopus, ex Romani Pontificis concessione, Pallio uteretur, quod constat ex ejusdem Innocentii Papae literis relatis in Cap. *Cum in Juventute, de praesumptionibus:* Et licet aliquorum opinione, eorum probabilior sententia videatur, qui Indultum ejusmodi tunc existenti Episcopo dumtaxat, non autem illius Successoribus tributum fuisse putant, quum tamen major Canonistarum, aliorumque Scriptorum numerus, privilegium ipsum Ecclesiae Quinquecclesiensi, ejusque Episcopis pro tempore existentibus concessum, nec nisi ob lacrymabiles ejusdem Ecclesiae vicissitudines, quae sub gravissimo Turcarum jugo diu oppressa jacuit, amissum fuisse arbitretur: Hinc factum est, ut plures ejusdem Ecclesiae Episcopi, dum illius statum Apostolicae Sedi praescriptis temporibus de more referrent, et opportuna suis rebus postulata proponerent, ad praedicti privilegii usum se se reintegrari petierint. Quod cum etiam nuper existens Quinquecclesiensis Episcopus in sua relatione, quam anno 1748. per occasionem visitationis Sacrorum Liminum, ad Nos et Apostolicam Sedem transmisit, atque iterum Ven. Frater Georgius modernus ejusdem Ecclesiae Antistes, enixis precibus postulaverint; eorum autem votis Carissima in Christo Filia Nostra Maria Theresia Hungariae et Bohemiae Regina Illustris, in Romanorum Imperatricem Electa gravissimum supplicationis suae suffragium adjunxerit: Nos, attentis praemissis, et tam devotionis nostrae affectum erga memoriam Beati Regis ejusdem Ecclesiae Fundatoris de Catholica Fide et Religione optime meriti, quam paternae voluntatis nostrae studium erga ipsam Mariam Theresiam Regi-

Quinquecclesiensis Ecclesiae erectio ac dignitas.

Palii hon. olim gav.

Hujusm. indultum alii personala.

Perpet. alii arbitrantur.

Iteratae Quinquecclesi. Episc. et Regiae Hungariae preces pro novi indulti concessione.

Quorum ob egregia merita, et Beati Fundatoris inclytam memor.

nam et Imperatricem Electam, cujus egregia ad hunc diem extiterunt in Nos, et Apostolicam Sedem officia, amplius declarare volentes, praefati etiam Georgii moderni Quinquecclesiensis Episcopi zelum atque virtutes justa aestimatione pensantes, eumdemque a quibusvis suspensionis, et interdicti, etc. censentes: eidem Georgio Episcopo, ut ipse et ejus Successores Ecclesiae Quinquecclesiensis Praesules pro tempore existentes, de caetero perpetuis futuris temporibus Sacrum Pallium in solemnitatibus et functionibus in Pontificali Romano descriptis, induere et gestare, ac etiam Crucem ad instar Archiepiscoporum ante se elevari et gestari facere, in dicta Quinquecclesiensi Civitate et Dioecesi dumtaxat, et non alibi omnino, sive in alienis Dioecesibus, sive in praedicti Hungarici Regni Comitiis, sive in quibusvis aliis locis Episcopo praefato non subjectis, etiamsi Ordinariorum Locorum licentia ad id accederet; nec etiam in dicta Civitate et Dioecesi Quinquecclesiensi, in praesentia alicujus ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, vel Nostri, et ejusdem Sedis Apostolicae Ordinarii aut Extraordinarii Legati, seu Nuncii, vel Archiepiscopi Strigoniensis, nisi de eorum respective consensu, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate; et dummodo quoad Pallium praedictum tam ipse Georgius, quam illius Successores Quinquecclesienses Episcopi pro tempore futuri, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure, vel consuetudine servandis, postulare, et, consueto fidelitatis debitae juramento edito, accipere, aliaque in similibus observari solita adimplere teneantur, nec ante acceptum Pallium erectae Crucis gestationem sibi licitam esse noverint: Utque demum, salvo in omnibus Jure Metropolitico Ecclesiae Strigoniensis, illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis, et nihil immutato praecedentiae ordine inter ipsos Episcopos Quinquecclesiensis, aliosque Episcopos, sive ejusdem, sive alterius Provinciae, hactenus de jure, usu, aut consuetudine, in quibusvis functionibus, consessibus, aut comitiis servari solito, hujusmodi Pontificalis honoris insigniis uti libere et licite possint, et valeant, de Apostolicae auctoritatis plenitudine, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Perpet. indultum utendi Pallio, et praegest. Crucis Quinquecclesi. Episcopis conceditur sub certis tamen modis ac condit.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, nec umquam sub quibusvis generalibus similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac censeri; ac dicto Georgio Episcopo, ejusque successoribus dictae Quinquecclesiensis Ecclesiae Praesulibus pro tempore existentibus, perpetuo suffragari, necnon ab ipsis respective in omnibus, et per omnia observari; sicque, et non alias, per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, ejusdemque Sedis Nuncios, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter judicari, aut respective attentari contigerit.

Decreta ad Indulti firmitat.

§. 5. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et Ordinationibus; seu dictae Quinquecclesiensis, aut alterius cujuscumque Ecclesiae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogat. contrar.

§. 6. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. incursurum.

Sanctio.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, Kalendis Septembris, Pontificatus Nostri Anno XV.

Dat. 1. Septem. 1754. Pont. XV.

D. Card. Passionеus.

J. Card. Pro-Datarius.

Visa

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Segretaria Brevium.

S. LEONI I. PAPÆ

XL.

Et Confessori, Missa, et Officium decernitur sub Ritu Sanctorum Doctorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooem.

Militantis Ecclesiae auctor rectorque Deus, quum eam super fundamentum Apostolorum et Prophetarum aedificaverit, summoque angulari lapide Christo Jesu innixam voluerit, tum provido cavit consilio, ut ad illius custodiam atque praesidium usque in saeculorum finem advigilarent egregii sanctique Doctores, qui nedum sublimioris virtutis exemplo Fidelium mores ad Sanctitatem justitiamque componerent, sed etiam doctrinae vi et excellentia eosdem in Fidei sinceritate, et salutaris scientiae veritate continerent. Horum quidem operam tanti se facere ostendit communis Dominus et Magister, ut eos Sal Terrae, et Lucem Mundi appellaverit; utpote qui, non vivae tantum vocis officio, quemadmodum caeteri sanctarum plebium pastores, praesentium sibi populorum saluti consulturi erant, sed peculiari sapientiae lumine Spiritus Sancti dono ditati, doctissimis conscriptis Libris, universam Ecclesiam instruere, et omnium saeculorum posteritatem in Religione erudire debebant. Hinc Ecclesia ipsa, Sponsi sui Spiritu imbuta, ejusque instituta servare studens, eosdem gloriosos Viros uberiori doctrinae munere a Deo repletos, hoc singulari honore prosequi consuevit, ut in solemnibus Sacris, quae recurrentibus eorum festivitatibus celebrantur, tam scilicet in Sacrificio Missae, quam in Ecclesiasticis Officiis, ejusmodi preces, lectiones, et laudes adhiberi jubeat, in quibus et Sancti Doctoris titulus ipsis tribuitur, et eorum sapientia ac doctrina specialius praedicantur.

loriosi Vi- non San- itate so- m, sed et octrin. con- icui, in lissa et Di- inis Officiis ti Doctores elebrantur.

Quantop. octrina raestiter S. eo I. Pon- fex.

§. 1. Porro inter eos, quorum natales dies hoc peculiari ritu ac privilegio decorantur, merito semper numerandum existimavimus Praedecessorem Nostrum Sanctum Leonem I. Romanum Pontificem, qui (ut doctissimi Cardinalis Baronii verbis utamur) *ob excellentem virtutem, doctrinam, et in cura pastorali vigilantissimum studium, a majoribus MAGNI cognomento jure meruit appellari*. Cujus quidem doctrinae excellentia, sive in altioribus Fidei nostrae Mysteriis explicandis, et contra insurgentes errores vindicandis, sive in tradendis disciplinae regulis, et morum praeceptis, cum singulari Sacerdotalis eloquii gravitate et ubertate, adeo elucescit, ac etiam tot hominum laudibus cumulata, tantoque Conciliorum, Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum studio et consensu celebrata dignoscitur, ut sapientissimus Pontifex nulli ferme Sanctorum Doctorum, qui in Ecclesia floruerunt, aut fama, aut existimatione postponendus esse videatur. Et sane Sancta universalis Synodus apud Chalcedonem congregata, non illum tantummodo *vocis Beati Petri interpretem* appellavit; sed et illius de Incarnatione Domini doctrinam venerabunda suscipiens, exclamare non dubitavit: *Petrus per os Leonis locutus est.* Idem Sanctus Pontifex a Concilio Constantinopolitano sub Menna celebrato, *illuminator et columna Ecclesiae*; idem a sexta Synodo, *firmamentum orthodoxae Fidei* praedicatur; Idem in pervetusto Synodorum Libro *Apostolorum dogmatum defensor, et Apostolis coaequandus* dicitur. Quid autem clarissimi Religionis nostrae Proceres ac Patres? Sanctus Sophronius Hierosolymorum Antistes *Sanctissimum Romanae Ecclesiae, immo omnium, quae sub Coelo sunt, luminare*, Leonem fuisse affirmavit. Utque aliorum innumera praetereamus testimonia, S. Nicolaus Papa I. ad Michaelem Imperatorem scribens, libere asseruit, quod nisi Deus Leonis virtutem atque doctrinam adversus Latrocinium Ephesinum excitasset, *Religio Christiana poenitus corruisset.* Etsi autem Ecclesia, inter eos, quos Doctorum titulo et appellatione distinguit, S. Leonem Pontificem nondum peculiari Decreto recensuit; Illius tamen doctrinam tanto in honore se habere ostendit, ut ipsius scripta, non secus ac illorum, quos praecipuos Religionis Magistros atque Doctores jamdudum veneratur, in Divinis Officiis frequenter locum habere jusserit; et in iis praesertim Solemnitatibus, quibus majora Fidei nostrae Mysteria per anni cursum recoluntur, universum Clerum et Populum ex illius Sermonum lectione solidam eruditionem, et spirituale pabulum haurire voluerit.

Praeclar. de ea testimon. Concil. ac Patr.

§. 2. Ad haec autem, quae de Sancti Leonis meritis et gloria cum omnibus sentimus, et jampridem animo Nostro reputavimus, peculiaris quaedam, Nobisque cum paucis communis accedit causa, quae nostram olim erga ipsum pietatem et venerationem magnopere accendit et auxit; quod scilicet, dum in Vaticana Beati Petri Basilica Canonicalem dignitatem

Peculiar. praeterea obsequii sui causas recenset Pontifex.

in minoribus obtineremus, quum Sacrum illius Corpus, a multo jam tempore sub Altari Sanctae Mariae de Columna nuncupatae quiescens, ad alterum ipsius Sancti Pontificis nomine in eadem Basilica erectum et dedicatum, solemni ritu ac pompa transferendum fuit, venerabilium illius ossium elevationi et recognitioni praesentes adfuimus, eaque nostris oculis intueri, ac debito cultu prosequi, summae felicitatis loco habuimus; cujus rei Nos alibi, nimirum in Opere *de Canonizatione Sanctorum Lib. IV. Part. II. Cap. XXIII.* mentionem fecimus.

Quaprop. ejus offic. et Missam sub Ritu Sanctor. Doctor. celebrari jubet.

§. 3. Quod itaque semper, praemissas ob causas, justum et aequum censuimus, quodque Nostra in Sanctum Pontificem singularis devotio Nobis suadet, hoc demum, auctoritate Apostolicae Sedis, in qua, magno licet temporum, majore autem meritorum intervallo, eidem successimus, nunc reipsa praestare decrevimus; Ideoque exempla sequentes aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, qui praeter summos illos Ecclesiae Doctores, alios etiam Sanctissimos Viros, qui eximia doctrinae laude in Ecclesia floruerunt, eamque Scriptis suis locupletarunt, proprio Doctorum titulo et cultu honorandos esse decreverunt, Motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, volumus, praecipimus, et mandamus, ut in Officii Divini Breviario, in Festo Sancti Leonis Papae et Confessoris, Antiphona ad *Magnificat* in utrisque Vesperis ponatur ea, quae incipit: *O Doctor optime;* In Missa autem dicatur Introitus: *In medio ecclesiae*, et post Collectam subsequatur Lectio Libri Sapientiae: *Justus cor suum tradet;* cum Graduali, ut in Comuni Doctorum: Post Evangelium vero dicatur *Credo*: reliqua, ut in consueta Missa propria de Sancto Leone. Atque ita per omnes Ecclesias, et respective ab omnibus et singulis, qui ad Divini Officii recitationem tenentur, perpetuo

Derogatio contrar.

servandum statuimus et decernimus: Non obstantibus contrariis Rubricis, usibus, et consuetudinibus, etiam expresse per Sedem Apostolicam approbatis et confirmatis, aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sanctio.

§. 4. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostri praecepti, mandati, statuti, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, Idibus Octobris, Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

Dat. 13. Octob. 1754. Pont. XV.

D. Card. Passioneus.

J. Card. Pro-Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✝ Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 9. mensis Novemb. 1754.

De ordine servando in eligendis Praepositis Generalibus, Provincialibus, et Rectoribus in Congregatione clericorum Regularium Pauperum Matris Dei scolarum Piarum. XL.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Injuncti Nobis per abundantiam divinae misericordiae Pastoralis Officii sollicitudo postulat, ut in iis per quae prospero Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui consulitur, ejusdem officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum, sicut accepimus, Praepositi, Provinciales, et Rectores Provinciarum ultra Montes Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum a dilectis filiis Praeposito Generali Congregationis praedictae, illiusque Assistentibus, praevia Candidatorum nominatione vel a Capitulis Provincialibus, prout in Poloniae, et Lituaniae, vel a Congregatione Praepositi Provincialis, ejusque Assistentium, et nonnullorum aliorum Rectorum illius Provinciae praescriptorum, prout in Germaniae, et Hungariae respective Provinciis facienda seligantur, hujusmodi vero facultas nominandi Candidatos pro supradictis Provinciis a Capitulis Generalibus memoratae Congregationis concessa fuerit, ex eo quod Congregatio Praepositi Generalis, ejusque Assistentium accuratam, ac debitam, necessariamque cognitionem eli-

gendorum, promovendorumque ad munia, et officia supradictarum Provinciarum minime habere possit; Contra vero in Provinciis Italiae ejusmodi Congregationis Praepositi Provinciarum praedictarum, aliique Rectores eligantur a Praeposito Generali, et Assistentibus praedictis, praevia dumtaxat propositione eligendorum ab ipsomet Praeposito Generali facta ad ejus arbitrium, vel juxta relationem alicujus benevoli erga aliquem ex Religiosis, vel juxta propriam voluntatem, ac privatam amicitiam, vel etiam juxta secularium, aut aliarum personarum commendationem; Unde saepe accidit, ut in Praepositos Provinciales, et Rectores eligantur ii, qui haud habiles, et capaces existunt magno cum Provinciarum praedictarum praejudicio ac detrimento, quippe quod ipsemet Praepositus Generalis et Assistentes Generales ex alienis Provinciis existentes eos, quos eligunt minime agnoscunt, aut dicti Assistentes deliberationi a Praeposito Generali factae, seu faciendae adversari non audent. Hinc est, quod Nos considerantes jacturam, quae ex praemissis tam disciplinae Regulari, quam justitiae unicuique distribuendae infertur, et hisce incommodis obviam ire, necnon felici, prosperoque Congregationis praedictae, ac Provinciarum Italicarum, et Insularum adjacentium regimini, et gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, opportune consulere cupientes, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine praecipimus, statuimus, et ordinamus, Primo quod in fine cujuslibet triennii Praepositus Provincialis quarumcumque Provinciarum Italicarum, et Insularum adiacentium hujusmodi Congregationis, ac Assistentes Provinciales, necnon Rectores actuales Domorum, ac quicumque alii, qui de jure, vel consuetudine, aut ex privilegio vocem, et votum in Capitulo Provinciali habent, et ferunt, seu habere, et ferre possunt in unum congregati per secreta suffragia ad electionem, seu nominationem trium ex gravioribus Religiosis suae Provinciae respective pro assequendo, seu obeundo munere, vel officio Praepositi Provincialis deveniant, ac devenire debeant, et postquam tres Candidatos sic, ut praefertur, per secreta suffragia elegerint, eos Congregationi Praepositi Generalis, ejusque Assistentium pro tempore existen. praesentare teneantur, dictique Praepositus Provincialis, ac Assistentes, aliique ut supra in eodem Capitulo congregati nominent eos, qui praeter coetera alia requisita per Constitutiones dictae Congregationis praescripta, munus Rectoris alicujus ex Domibus Regularibus, vel Collegiis memoratae Congregationis laudabiliter expleverit, etiam eligant, et nominent, seu eligere, et nominare possint eos, qui a propria Provincia absentes fuerint; ex iis autem tribus Candidatis, qui plura secreta suffragia ab eadem Congregatione Praepositi Generalis, suorumque Assistentium obtinuerit, ille Provincialis existat. Secundo, quod in quacumque ex dictis Provinciis Italicis, et Insulis adjacentibus ii, qui pro prima vice ad munus, seu officium Rectoris Domorum, et Collegiorum hujusmodi etiam primi, et secundi Novitiatus promovendi sunt, minime eligantur, nisi facta prius habilitatione, seu nominatione per secreta suffragia a Capitulo Provinciali praedicto, quod curam habebit expendendi, mature considerandi, et rationem habendi pro hujusmodi Candidatis, non solum quoad aetatem, et morum probitatem, verum etiam Regularem Observantiam, diligentiam in exercitio Scolarum adhibitam, ac coeteros regulares labores, aliaque obsequia eidem Congregationi praestita. Tertio, quod ii, qui semel Candidati fuerint pro gubernio Domorum, et Collegiorum suae respective Provinciae, non intelligantur candidati, seu habilitati ad gubernium Domorum, seu Collegiorum alterius Provinciae, sed semper suae uniuscujusque Provinciae. Quarto, quod Capitulum Provinciale uniuscujusque ex dictis Provinciis Italiae, et Insularum adjacentium Praeposito Generali, ejusque Congregationi in forma authentica non solum tres Candidatos pro assequendo Provincialatu, verum etiam distinctam eorum notam, qui pro exercendis, obeundisque muneribus Rectorum de novo candidati sunt, exhibere teneantur. Praeterea motu, scientia, et potestate similibus volumus, et declaramus, ut omnes, et singulae electiones tum Provincialium, tum Rectorum praedictorum pro tempore in supradictis Provinciis Italicis, et adjacentibus Insulis memoratae Congregationis faciendae nisi juxta nostram praescriptam ordinationem factae fuerint, eo ipso nullae sint, et si contingat illas, sicut praescriptum est minime fieri, nunc pro tunc irritae, et inanes, ac nullius momenti, et roboris sint, et intelligantur. Decernentes eas-

dem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; et ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, et Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium literarum transumtis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Novembris MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passionеus.

XLI. CENTUM INSIGNE.

Oppidum, Bononiam inter et Ferrariam, in Civitatem erigitur, cum omnibus juribus, honoribus, et praerogativis, quibus reliquae Pontificiae Ditionis Civitates fruuntur: ita tamen, ut quoad spirituale vel temporale gubernium nihil plane innovetur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooem. Apostolicae Sedis Majestati convenit, temporalis suae Ditionis Oppida, quae temporum curso, et Civium industria, ad insignem amplitudinem excrevisse dignoscuntur, splendidioribus titulis, et honoribus decorare, ut fidelium Subditorum animi, virtutis, et devotionis suae praemium agnoscant, locorumque opibus, et virtutibus, paria dignitatis, et Ordinis ornamenta respondeant.

Centum complur. nec vulg. praerogat. insigne Oppidum. §. 1. Sane inter Panarum, et Rhenum Amnes, aequali ferme distantia a Bononia, et Ferraria Civitatibus Nostris, extat illustris Terra, Centum nuncupata, quae in Spiritualibus Archiepiscopali Ecclesiae Bononiensi subest, in temporalibus autem per pro tempore existentem Apostolicae Sedis Legatum Ferrariae constitutum regitur, ac Civium frequentia, honestarum Familiarum copia, Virorum illustrium fama, artium cultu, Ædificiorum elegantia, Ecclesiarum etiam, Coenobiorum, aliorumque piorum Locorum numero, ipsaque agri ubertate, et amplitudine, super plurimas Pontificiae Ditionis Nostrae Terras longe excellit; ideoque digna videtur quae illustriori Civitatis titulo, atque huic adnexis convenientibus praerogativis condecoretur.

Peculiar. quaedam promeriti Pontificii amoris causae. §. 2. Quam in rem Nos quidem eo magis propensum animum gerimus, quod ipsius Terrae amplitudinis, et formae, Civium conditionis, ac vigentis in ea tum Sacrorum Officiorum decoris, tum etiam Civilis Politiae notionem, non ex aliorum scriptis, aut relationibus traditam, sed nostrismet ipsis oculis acceptam retinemus, ex quo, dum Archiepiscopali Ecclesiae Bononiensi praeceramus, non solum in Pastorali visitatione Dioecesim perlustrantes, memoratam Terram pluries invisimus, ejusque res omnes plene cognovimus, sed singulis ferme annis certum temporis spatium, tum valetudinis Nostrae, tum etiam studiorum Nostrorum rationibus opportunissimum, in ea transigere consuevimus; unde illius Cleri, et Populi obsequiis, officiisque devincti, Paternae benevolentiae affectum in eos merito conceptum, in hoc etiam Summi Apo-

stolatus fastigio, Dei bonitate constituti, retinemus; eodemque adhuc tum universos, tum singulos ipsius Terrae Cives et Incolas ex animo prosequimur, specialiter vero Dilectum Filium Hieronymum Barufaldum illius Collegiatae Ecclesiae Sancti Blasii Episcopi, et Martyris Archipresbyterum, quem Nobis et Loci Dignitas, et sedula Officii ejus administratio, et non vulgaris doctrinae atque eruditionis fama commendant.

e in Ci- erigitur, omnibus honorib. raeroga- quae novae tatis Ma- com-

§. 3. Quapropter ipsius Terrae Centi splendorem, et decus augere, et cumulare volentes, ejusdemque Communitatem, et Homines, ac eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae, et supremae Nostrae potestatis plenitudine, dictam Terram Centi in Civitatem, harum serie, in perpetuum erigimus, et instituimus: eique Civitatis titulum, et denominationem, cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, ac decorationibus, quae caeteris omnibus ejusdem Ditionis Nostrae Pontificiae Civitatibus, non tamen ex peculiaribus titulis, competere dignoscuntur: Necnon Magistratui ejusdem Terrae, per Nos in Civitatem, ut praefertur, erectae, consuetos honores, et insignia, quibus aliarum ejusdem Ditionis Civitatum Magistratus de jure, usu, vel consuetudine gaudere solent, seu debent; ita tamen, ut eadem Terra, per nos in Civitatem, ut praefertur, erecta, Venerabili Fratri Nostro Moderno, et pro tempore existenti Archiepiscopo Bononiensi, ut antea, in spiritualibus subjecta remaneat, nec ipse Archiepiscopus apud eum residere teneatur, ac etiam in temporali ipsius gubernio nihil innovetur, eadem auctoritate concedimus, et elargimur.

tamen ut ad spiri- vel p. gu- nihil ovetur.

irmantur emissa.

§. 4. Decernentes easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint; nec ad ea vocati, citati, vel auditi fuerint, aut ex alia quantumvis legitima causa, aut quovis capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, in Jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari ullo modo posse; sed ipsas praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Camerarium, aliosque ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, et alios quoscumque quavis praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter decerni contigerit, aut attentari.

Aliter judicari prohib.

Derogatur contrariis.

§. 5. Non obstantibus contrariis quibuscumque, etiam Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non ejusdem Terrae, per Nos in Civitatem, ut praefertur, erectae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Personis, et Locis sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, et forma in illis tradita observantia, praesentibus exprimerentur et insererentur, pro plenarie et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter,

et expresse derogamus, caeterisque contrariis, quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, elargitionis, decreti, et derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 18. Dec. 1754. Pont. XV

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, decimoquinto Kalendas Januarii Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

D. Card. Passionеus.

J. Card. Pro-Datarius.

VISA.

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

XLII.

ABBATI GENERALI

Ordinis Monachorum S. Hieronymi Congregationis Italicae indultum conceditur interveniendi Cappellis Pontificiis, locusque cum aliis Abbatibus Generalibus eidem assignatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Superiores Gener. Ordinum Regular. ad Cappellam Pontific. admitti solent.

Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Religioni et decori convenire visum fuit, ut quoties sacri solemniores Ecclesiae Romanae Conventus, seu Cappellae Pontificiae ipsis praesentibus, una cum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, et Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque Praelatorum Romanae curiae Ordinibus, vel ad Missarum solemnia celebranda, vel ad alia Ecclesiastica Officia peragenda haberentur, Regularium quoque Ordinum Generales Superiores ad illas admitterent.

Ad preces Card. Columna S. R. E. Vice Cancellarii Prot. Ordinis Monac. S. Hieron. Congr. Italicae;

§. 1. Cum autem Abbas Generalis Ordinis Monachorum Sancti Hieronymi Congregationis Italicae, qui ut plurimum extra Romanam Curiam morari trahere solet, hactenus dictis Cappellis minime interfuerit; Et Dilectus Filius noster Hieronymus Sancti Laurentii in Damaso nuncupati praedictae S. R. Ecclesiae Diaconus Cardinalis Columna nuncupatus, ejusdemque Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, qui praedicti Ordinis Sancti Hieronymi apud Nos et Sedem Apostolicam Protector existit, Nobis preces porrexerit, ut dilecto Filio Felici Nerinio moderno, nec non futuris dicti Ordinis Sancti Hieronymi Abbatibus Generalibus pro tempore existentibus, locum in dictis Cappellis, et Pontificiis Functionibus, ut infra, concedere et assignare dignaremur.

Indultum conceditur Abbati Generali ejusdem Ordinis Cappellis Pont. interesse possit

§. 2. Nos, qui in egregium Ecclesiae Doctorem specialis obsequii studium semper professi sumus, idque compluribus et manifestis editis argumentis testatum facere non praetermisimus, volentes quoque erga illustrem Monachorum Ordinem, illius legibus et institutis fundatum, benevolentiae nostrae significationes ostendere, dictumque Felicem a quibusvis etc. absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus libentissime inclinati; eidem Felici moderno, et pro tempore existenti dicti Ordinis Sancti Hieronymi Abbati Generali, ut ipse perpetuis futuris temporibus singulis Missis Pontificalibus, Divinisque Officiis, et aliis Ecclesiasticis Functionibus, quae in Basilicis etiam Patriarchalibus Urbis, et in Cappellis alicujus ex Pontificiis Palatiis, in praesentia quoque Nostra, solemniter celebrantur et peraguntur, nec non quibusvis generalibus Supplicationibus, cum habitu Praelatitio ipsi alias a Sede Apostolica concesso, seu juxta ritum, cum Pontificalibus indumentis, interesse et intervenire, ac locum in consueto scamno, immediate post alios modernos et pro tempore existentes Ordinum Monasticorum Abbates Generales, qui simili concessione hactenus gavisi sunt et gaudent de praesenti, habere, et Missis ac Officiis et Functionibus hujusmodi durantibus, retinere, libere et licite possit et valeat, Apostolica auctoritate, harum serie, perpetuo concedimus et indulgemus, plenamque et liberam ad id facultatem et licentiam impertimur.

Clausulae pro indulti firmitate.

§. 3. Decernentes ipsum Felicem, ac pro tempore existentem Abbatem Generalem dicti

Ordinis Sancti Hieronymi, super concessione et indulto hujusmodi, a quoquam, sub quovis praetextu, occasione vel causa quantumvis juridica, et legitima, vel quaesito colore et ingenio, nullatenus impediri, molestari, retardari, aut inquietari posse, neque debere: Praesentes quoque literas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem Felici, ejusque Successoribus pro tempore existentibus Abbatibus Generalibus dicti Ordinis Sancti Hieronymi in omnibus et per omnia plenissime suffragari; nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi debere. Sicque et non alias per quoscumque Judices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, ac Palatii Apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, et Sedis praedictae Nuntios judicari et definiri debere: Irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur trar.

§. 4. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, et Provincialibus, ac Generalibus Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quorumvis Ordinum, et Congregationum, ac Fratrum etiam Mendicantium privilegiis, ac similibus concessionibus et indultis Apostolica auctoritate quovis titulo concessis: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

nctio.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrae absolutionis, concessionis, indulti, licentiae, impertitionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem etc. incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLV., tertio Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

I. Card. Pro. Datar.

D. Card. Passionеus.

Visa de Curia

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

lat. 30. Januarii 1755. Pont. XV.

XLII.*

Confirmatur, et approbatur Rescriptum, seu Resolutio capta die XVIII. Maji MDCCLI. a Congregatione S. R. E. Cardinalium super consultationibus Communitatum, et Universitatum Status Ecclesiastici, tam quoad competentiam jurisdictionis, quam quoad exercitium ejusdem in Civitate Alatri, et Frusinonis inter Curiam Generalem, ac Priorem, et monachos Cartusianos.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, et Monachi Monasterii S. Bartholomaei de Trisulti Alatrinae Dioecesis Ordinis Carthusien., quod, licet Monasterium praefatum, seu illius Monachi pluribus ab hinc saeculis Castrum, seu Territorium, vulgo Tenimento nuncupatum de Tichiena, necnon aliud Territorium seu Tenimento etiam nuncupatum *la Selva-Molle* legitime, ut asseritur, possideant, ac jurisdictionem civilem criminalemque in eodem Castro per unum secularem juris utriusque Doctorem cum titulo Castellani in Civitate Alatrina commorantem per ipsos Exponentes eligendum, et nominandum exerceri facere » quoad vero Territorium seu Tenimento *della Selva-Molle* unum Vicarium in Oppido Civitate nuncupat. Frusinonis ad effectum super damna data et recepta decernendi nominare, ac deputare, et retinere pergant, nihilominus Curia laicalis et generalis Frusinonis hanc jurisdictionem semper adversari curaverit, praesertim in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium super consultationibus Communitatum, et Universitatum Status Nostri Ecclesiastici, sed semper Causa cessit favore Monasterii, et Exponentium praefatorum, prout apparet inter caetera ex rescripto ejusdem Cardinalium Congregationis die XI. De-

cembris MDCCV. edito tenoris sequentis, videlicet » *PP. Carthusianos manutenendos esse in exercitio jurisdictionis tam criminalis quam civilis in Territorio Tichienae, et quoad Tenimentum Sylvae-Mollis serventur ordines jam dati* ». Praemissis non obstantibus dicta Curia Generalis post quadraginta circiter annos non praetermisit, quod tunc existens Gubernator Maritimae et Campaniae ex mandato ejusdem Cardinalium Congregationis Monasterium praefatum, seu tunc existentes dicti Monasterii Priorem, et Monachos interpellaret, ut jura sua quoad ipsam jurisdictionem adducerent; dicti vero Exponentes sufficiens esse existimarunt repetere seu exhibere supradictum memoratae Cardinalium Congregationis rescriptum, quod Pars adversa seu dicta Curia Generalis satis non habuit: Porro die XIII. Aprilis MDCCXLV. obtinuit ab eadem Cardinalium Congregatione non obstante supradicto rescripto aliud novum rescriptum: nempe » *Deducat jura sua in Petitorio, citato Domino Fiscali Generali, et ad Dominum Ponentem, ut coram se concordari et subscribi faceret, quemadmodum subscriptum fuisse asseritur*, dubium » *An constaret de bono jure Monasterii pro exercitio jurisdictionis Baronalis in Castro seu Tenimento Tichienae, et pro exercitio jurisdictionis super damnis datis in Castro seu Tenimento Sylvae-Mollis* ». Hoc pactum dicta Curia Generalis adhibuit, ut ipsius Monasterii jura, rationesve facile, commode, et utiliter perpendere, et examinare posset, eaque de Causa expectavit ut scripturae typis impressae distributae forent, et subinde Causa hujusmodi per decretum tunc existentis Auditoris Nostri ab ipsa Congregatione Cardinalium avocata ad Congregationem particularem tunc existentium Romanae Curiae Praelatorum Matthei, Torregiani, et Amadei remissa fuit. Insuper sufficiens minime extitit ipsi Curiae Generali ad suas adducendas rationes, quod dicta particularis Congregatio post quinque annos, nempe die V. Aprilis MDCCLI. conveniret, attento quod ut magis magisque dictas praefati Monasterii rationes perpenderet, et examinaret, curaverit ut particularis Congregatio hujusmodi suum ederet rescriptum » *Dilata, et proponatur omnino Causa in subsequenti mense Majo* » prout die XVIII. dicti mensis ipsa particularis Congregatio, perpensis rationibus hinc inde deductis rescripsit » *Affirmative in omnibus, et jurisdictionem Techienae posse exerceri in Civitate Alatri, aliam vero Sylvae-Mollis in Civitate Frusinonis* » Postmodum dicta Curia petiit et obtinuit iterum audiri, ut suas de novo rationes produceret, sed usque ad hanc diem privilegio hujusmodi sibi concesso minime usa est. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes considerantes, quod ejusdem particularis Congregationis rescriptum adeo diuturno Curiae Generalis praedictae silentio censeri queat approbatum, quo illud firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auditis prius super praemissis omnibus tum praedicto Maritimae et Campaniae Gubernatore, tum dilecto filio Magistro Balthasare Cincio in utraque Signatura Nostra Referendario memoratae Congregationis Cardinalium Secretario, supradictum ejusdem Congregationis particularis editum rescriptum, seu resolutionem captam die XVIII. Maii MDCCLI. tam quoad competentiam jurisdictionis, quam quoad exercitium ejusdem in Civitate Alatri, et Frusinonis respective, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, et causam hujusmodi inter Curiam Generalem, ac Priorem, et Monachos hujusmodi super praemissis, ut praefertur, vertentem auctoritate praefata perpetuo supprimimus et extinguimus, perpetuumque silentium imponimus; hac tamen adjecta conditione, quod Monasterium, seu Prior et Monachi S. Bartholomaei pro tempore existentes teneantur uti Birruariis utriusque Curiae Laicalis, et petere sub initium cujuslibet anni licentiam non denegandam, et gratis concedendam. Decernentes easdem praesentes literas, semper et perpetuo

firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac inviolabiliter observari, et adimpleri, sicque in praemissis per quoscunque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, et memoratae seu cujuscunque alterius Congregationis caeterosque Sedis Apostolicae Officiales, aliosque quoslibet quacunque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoquoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Februarii MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

D. Card. Passionei.

PUEROS ANTE USUM

XLIII. Rationis in odium Christi occisos, an canonizari expediat, disquiritur, et in hanc rem plura de Martyrio horum Puerorum, cultuque publico eisdem in Ecclesia praestito; et de Martyrio cultuque praesertim Beati Andreae Rinensis, cujus institutae Canonizationis causa conscribendae Epistolae occasio fuit, distinctim adnotantur.

Dilecto Filio Benedicto Veterani Sanctae Consistorialis Aulae Advocato et Fidei Promotori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Historica Narratio de Mart. cultuque B. Andr. Tiphernensis.

Beatus Andreas de Pago, seu Vico Rinnensi, Brixinensis Diaecesis, nondum exacto tertio aetatis suae anno a Judaeis in odium Christianae Fidei sub annum 1462. fuit crudelissime trucidatus. Non ita post multos a Martyrio annos publice coli coepit; quandoquidem sub annum 1475. ejusdem ossa, sublimi a terra loco recondita fuerunt in pariete Ecclesiae praememorati Vici, Deo in honorem S. Andreae Apostoli dicatae. Cum autem subinde una cum miraculorum fama, eo semper magis religiosum Populi obsequium excreverit, ac praeterea Infantis Reliquiae, scientibus et probantibus Ordinariis, assiduis nec interruptis cultus publici actibus fuerint exceptae; impulere haec omnia superioribus annis Venerabilem Fratrem Nostrum Episcopum Brixinensem, Dilectumque Filium Abbatem Monasterii Viltinensis Ordinis Praemonstratensis, aliosque emeritos viros Ecclesiasticos, ut supplices a S. Sede exposcerent indultum peculiaris Missae, et Officii peculiares itidem Lectiones habentis, in Beati honorem, Martyrii die quarto Idus Julii, recitandi a Clero Saeculari, et utriusque sexus Regulari, in Civitate universaque Brixinensi Dioecesi, Huic autem petitioni quinto Kalendas Octobris anni 1751. rescripsimus, ut primum ab Ordinario conficeretur Processus de martyrii, ac Miraculorum fama, deque cultu immemoriali, de quibus juridice nobis liquere optabamus, ante peculiaris Officii Missaeque concessionem.

Propositae instantiae pro concessione Officii, peculiar. Missae.

Rescript. fuit, ut super fama mar. et Mirac. ac super cultu immemorab. conficer. processus.

§. 2. Haud ipsis arrisit rescriptum hoc nostrum. Quare cum expositum nobis fuisset, ad exequenda omnia, quae illo praecipiebantur, diuturno tempore, labore magno, nec exiguis sumptibus opus esse, quandoquidem Brixinone duo Processus Ordinaria auctoritate confici deberent; Nosque ipsos in Nostro opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. par. 2. cap. 5.* plura recensere exempla, quibus Officia et Missae propriae, in alicujus Beati honorem concessa quandoque fuisse constabat, ex iis tantummodo, quae de eo literis consignarant

Quandonam hujusmodi processus non sit necessar. praemittendus.

Auctores graves, quaeque de Publico ejusdem cultu erant pervulgata, quin ullus antecesserit Processus ab Ordinario confectus super virtutum, seu martyrii, aut miraculorum, vel cultus antiqui, ac hominum memoriam excedentis fama; propterea quod hujusmodi Processus tunc solummodo sit necessario praemittendus, quando praeter Officii Missaeque concessionem in causa progredi quis velit, et ad formalem usque Canonizationem procedere, haud vero, quum peculiaris Officii Missaeque indulto obtento, nihil de formali Canonizatione cogitatur, sed mens est frui dumtaxat impetratis: Hinc igitur animum induximus viam relinquere a Nobis antea praescriptam, et alteram inire, quam ipsi patefecimus, plurimisque exemplis *in praecit. cap.* 5. confirmavimus.

Historici, qui de B. Andrea scripserunt.

§. 3. Incognitum nobis non erat hujusce B. Andreae nomen, neque martyrium, cum legerimus quidquid de ipso scripserunt celebres Bollandistae *t.* 3. *Mensis Julii ad diem* 12. Nosque ipsi de eo mentionem fecerimus in praecit. Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 6. Antequam vero oblatis precibus annueremus, opus fuit, ut percurreremus hujusce Martyris historiam manuscriptam, ab Hippolyto Guarinonio Germano idiomate compositam, latine vero redditam a P. Norberto Ab. Viltinensi; ut inspiceremus acta martyrii, publicique cultus monumenta multo labore ac eruditione collecta, typisque tradita sub annum 1745. a Patre Hadriano Kembtero; nec non disceptationem Apologeticam de martyrio Beati Simonis Tridentini, Tridenti impressam anno 1747. ubi *cap.* 5. de Martyrio, Cultuque Beati Andreae late disseritur; Quam quidem Disceptationem quamvis eruditi Auctoris modestia nullo inscriptam nomine ediderit, perspectum tamen est, opus esse Patris Benedicti Cavallesio, quemadmodum testis locupletissimus est celebris Flaminius Cornelius Senator Venetus in suo opere *de cultu S. Simonis Pueri Tridentini et Martyris pag.* 4. ubi debitas praefato emerito Religioso Viro laudes non praetermittit.

Alia de eo monumenta.

§. 4. Insuper, cum delatum fuisset, antiquum quemdam extare Processum Ordinaria auctoritate confectum super cultu hujusce B. Andreae, authenticum ejus exemplum transmitti ad nos jussimus; utque extrajudiciales saltem suppeterent probationes continuationis ejusdem publici cultus, missae ea de re ad Nos fuerunt testificationes. Postquam autem omnia accurate perpendimus, per organum Congregationis Rituum, instantibus Venerabili Fratre Brixinensi Episcopo, Dilectisque Filiis Procuratore Generali Ordinis Praemonstratensis, et Abbate Monasterii Viltinensis, decimo octavo Kalendas Januarii 1753. Missam propriam, Officiumque cum peculiaribus Lectionibus a Clero Saeculari, et utriusque sexus Regulari, sub ritu duplici in Civitate, ac per universam Brixinensem Dioecesim recitandum concessimus; nec tamen omisimus, Missam ipsam, atque proprias Lectiones examinandas curare, omniaque cum Dilecto Filio Ludovico Valenti tunc Fidei Promotore, nunc vero Assessore S. Officii communicare: ac insuper praememorati Brixinensis Episcopi, reliquorumque, quos mox supra expressimus, precibus annuentes, decimo octavo Kalendas Februarii Plenariam Indulgentiam concessimus singulis, qui confessi Sacraque Communione refecti, quarto Idus Julii cujusque anni, Rinnensem visitent Ecclesiam, in qua Beati Andreae Reliquiae conquiescunt.

Quibus attentis Officium, Missa, et indulgentia festo ipsi die concessa fuit.

Simile aliud Ind. Sixti V.

§. 5. Haec omnia peregimus, proposito Nobis Sixti V. Praedecessoris Nostri exemplo. Sub annum 1485. fuit ab Hebraeis in odium Fidei Christi saevissime occisus Beatus Simon Tridentinus Puer, qui nondum impleverat tertium aetatis suae annum. Ex inhumano hoc scelere tot tantaeque turbae derivarunt, totque ac tantis artibus usi sunt Judaei, ad promeritas poenas declinandas, avertendumque a se justum Christifidelium odium, ut Sixtus IV. refugere haud potuerit, quin ea in re ipse intercederet, prohibendo, ne qui antea publicus cultus Beato Simoni praestabatur, eidem amplius exhiberetur, quousque perspicuum evasisset, eumdem in odium Christianae Fidei fuisse a Judaeis trucidatum. Sixti IV. Breve relatum a nobis fuit in Nostro opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. Cum vero subinde palam omnia facta fuissent, allatisque probationibus, demonstrata, una cum nece, ejusdem inferendae causa, atque constitisset etiam interfectores Hebraeos fuisse, veluti evincitur ex Processu, qui vel nunc temporis in secretiori Archivo Castri S. Angeli asservatur, quemadmodum monuimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 6. a Sixto V. Pontifice anno 1588. datum fuit Breve concessionis Missae celebrandae, ac officii proprii

in Civitate universaque Dioecesi Tridentina, in honorem Beati Simonis, definita die recitandi, superaddita Indulgentia Plenaria omnibus, qui Confessionis, ac Communionis Sacramentis muniti, die eidem sacra visitassent Ecclesiam, in qua ejusdem Reliquiae coluntur. Breve Sixti V. insertum est praecitatae Disceptationi Apologeticae super Martyrio B. Simonis, Tridentinis praelis cusae anno 1747. *p.* 207. ubi eruditus Auctor refutare non negligit quaecumque Wagenseilius, et Basnagius in Pueri innoxii martyrium objecerant: idque ipsum, vi et eruditione haud impari, praestatur a Flaminio Cornelio Senatore Veneto in suo opere *de Cultu S. Simonis Pueri Tridentini* Venetiis recuso sub annum 1743. Inter ea vero, quae vel ipsi pro Beati Andreae Cultu indulsimus, vel praedecessores Nostri pro Cultu B. Simonis decreverunt, hoc unum discrimen est, quod nimirum jussu Gregorii XIII. Pontificis, Beati Simonis nomen in Martyrologium Romanum fuit illatum, uti praenotavimus in *Nostro lib.* 1. *de Canonizatione cap.* 14. *n.* 4. At id nos praestare noluimus quoad Beatum Andream, ad sarta tecta servanda posteriora Decreta, ut in Martyrologium Romanum Canonizatorum nomina solummodo inserantur, omissis nominibus eorum, qui Beatorum numero adscripti sunt, vel solemni, vel aequipollenti Beatificatione: uti videre est *Nostro lib.* 4. *de Canonizatione part.* 2. *c.* 18. *n.* 9. *et seq.*

crim. Inutr. et r. causa.

§. 6. Si religiosis Viris satis fuisset, quemadmodum affirmaverant, Officium Missamque propriam obtinuisse, et subinde ulterius progressi, Causam ipsam ad formalem Canonizationem instruere non attentassent, Nos quidem Epistolam hanc dictandi, te vero perlegendi ac expendendi labore levavissemus; at cum formalem Canonizationem nunc sibi animo proposuerint, obtinuerintque ut Potentissimi Catholicorum Principum in id ipsum vehementer instarent; opus nobis esse conspeximus, ut omnia rite recteque se habeant, hac Epistola sententiam Nostram de nupera petitione aperire.

ova pro onix. iuatia unde scribend. stolae occ.

§. 7. Haud sane conquerimur eos, postquam expressa superius ratione, Missae propriae proprique Officii concessionem a nobis sunt assecuti, declarato eorum animo ulterius minime progrediendi, mutasse exinde sententiam; nova enim haec molimina libenter damus iteratis Religiosae devotionis impulsibus. Certi praeterea sumus, quoties ipsi ad formalem Canonizationem properare velint, te, pro ea, qua uti consuevisti diligentia, non neglecturum, Commissionem relaxare, quae dicitur, *in statu et terminis*; de qua verba fecimus in nostro Opere de Canonizatione *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 13. legitimam quoque exposcere probationem, qua casum hunc Urbani VIII. decretis non esse comprehensum demonstretur, quod caeteroquin facile admodum praestabunt Postulatores, authenticum nostrum Missae atque Officii indultum proferentes, veluti nos quoque innuimus praecitato Opere *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 3. Nec te pariter praetermissurum scimus, tum exigere, ut novo confecto Processu Apostolico una cum martyrio, ipsa probetur causa martyrii Beati Andreae; cum ad solemnem Canonizationem haud satis habeantur, quaecunque et facta, et oculis subjecta fuerunt ad Officii Missaeque concessionem; veluti ipsi plene demonstravimus in Nostro *lib.* 1. *de Canonizatione cap.* 32. *a num.* 6. *ad* 17. *et cap.* 42. *n.* 9. Tum ad severae critices regulas expendere, an Historici martyrium referentes necessariis polleant conditionibus, ad probationem constituendam in judicio solemnis Canonizationis, quibus de conditionibus Nos late egimus *Nostro lib.* 3. *de Canonizatione cap.* 7. *et duobus sequentibus*, cum major etiam quoad Historicos adhibeatur facilitas, quoties res est de simplici concessione publici cultus, peculiaris alicujus Dioecesis finibus circumscripti, quam cum agitur de publico cultu praeceptiva lege decreto, atque in Universam Ecclesiam ampliato, quemadmodum vel ipsi adnotavimus *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 26. Ac denique expetere, praeter martyrium, ejusque causam, signorum praeterea ac miraculorum accessionem, quae post Indultum publici cultus contigerint, quod perinde est ac dicere, post datum a Nobis Breve concessionis Officii ac Missae. Neque hic sufficient duo signa, vel miracula, sed quatuor afferantur necesse est; causa namque Beati Andreae, quoad martyrium, et martyrii causam, fulciri non potest probationibus directis, Testibus nempe *de visu*, sed auxiliaribus veluti ac subsidiariis, Testibus nimirum *de auditu*; qua quidem in facti specie, duo signa vel miracula satis non sunt, sed quatuor desiderantur, juxta Generale Decretum a Nobis editum nono Kalendas Maji 1741. impressumque in Nostro Opere *de Canonizatione lib.* 3. *cap.* 3.

Quaenam ad formem Caz. praenda.

num. 25. quod nunc temporis accuratissimam executionem in Congregatione Rituum consequitur.

Quia autem causa haec novum inf. Canoniz. exemplo.

§. 8. Certum Nobis est, te nihil eorum, quae hactenus recensuimus, pro perspecta Nobis cura, ac sedulitate tua relinqui facturum. Quod Nos habet sollicitos illud est, causam Beati Andreae Pueri, ab Hebraeis occisi in odium Fidei, primam esse, quae, post causas Canonizationis S. Sedi reservatas, instrui velit, haud quidem ad obtinendum, vel Indultum permissivum publici cultus una aliqua Dioecesi circumscripti, vel formalem, aut aequipollentem Beatificationem, sed ad impetrandum publicum cultum, et quidem praeceptum, atque in universam Ecclesiam per expressam formalem Canonizationem ampliatum. Nos hac de re disseruimus *in Nostro lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 5. *et* 3. *lib. cap.* 15. *n.* 6., monuimusque, quoties casus iste obvenisset, cautione opus esse; cum res nova agatur, nec umquam in praxim deducta a S. Sede, ex quo eadem sibi Canonizationis causas reservavit, quemadmodum praediximus. Estque hoc plane illud, quod Nos impulit, ut hasce ad Te daremus Literas; congruere enim Nobis visum est, ut primum omnium in Rituum Congregatione disquiratur, an promoveri debeat Beati Andreae causa, quam Postulatores ad formalem usque Canonizationem perducere decreverunt;

Ideo primum expendi jubetur, an admitti debeat.

namque aequum non est, ut causa institui permittatur, efformari Processus super martyrio, et martyrii causa ac super signis atque miraculis, et fortasse etiam probentur haec omnia, postremo autem respondeatur, formali Canonizationi non esse locum, ex quo nullum extet similis Canonizationis exemplum, Canonizationis nimirum Pueri in Fidei odium enecati. Audita autem Congregationis sententia, antequam reddamus quaesito Decretum, non cessabimus supplices Deum exorare, ut Divino Nos lumine dirigere non dedignetur.

Judicandi momenta.

§. 9. Interea vero, ut facilior evadat disquisitio, opportunum existimamus hisce Literis summatim retexere, quidquid docuere Theologi de Pueris, in odium Christi occisis, et ex Sacris Ecclesiae monumentis colligere, quae de ipsis Pueris, delatoque iisdem cultu, memoriae prodita adinveniuntur. Videntur enim Nobis haec omnia plurimum posse conferre ad absolutissimam definitionem instantiae propositae a Postulatoribus Beati Pueri Andreae Rinnensis, qui, ab impetrato cultu peculiaris Missae et Officii, ad certum quemdam locum, ut praenotavimus, circumscripti, id quod nihil aliud est quam equipollens Beatificatio, ulterius progredi vellent, et formalem obtinere Canonizationem.

Omnes pueri, in odium Christi occisi, sunt Martyres.

§. 10. Hanc itaque sectantes methodum, asserimus, ex quo Ecclesia tanquam Martyres colat Bethleemiticos Infantes, Theologis justam fuisse causam propugnandi, Martyres quoque esse caeteros omnes Pueros, quibus in odium Christianae Fidei vita fuit adempta. Collectae a Nobis fuerunt auctoritates in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. *et seq.* Neque enim ulla firma ratione defendi potest, quod affirmant nonnulli, Martyres nimirum fuisse Bethleemiticos Infantes, peculiari quodam privilegio divinitus ipsis dato, quo ipsorum aetatem rationis usus antevertit, ut mortem perpessi, martyrii palmam assequerentur: etenim tam quoad Bethleemiticos Infantes, quam quoad ceteros omnes in odium Fidei Christi necatos, obtinet Theologica ratio, martyrium scilicet intelligi per mortem in Christianae Fidei odium perlatam, Infantesque, qui hujusmodi morte tolluntur, martyrii gloriam assequi ex Jesu Christi meritis, quamvis libero arbitrii actu illud non oppetierit. Auctoritatibus autem ibi per Nos allatis supperaddemus sequentes: Sylvium nempe *in* 2. 2. *D. Thomae quaest.* 124. *art.* 1. *Sunt qui dicant acceleratum fuisse in istis Innocentibus,* de Bethleemiticis loquitur, *usum rationis; sed hoc nulla vel Scripturae, vel Patrum auctoritate probatur etc. Non est ergo mirandum, quod Beatus Thomas nolit admittere accelerationem usus rationis in parvulis Innocentibus pro Christo occisis, quos tamen recte dicit habere palmam martyrii; quia, quod in aliis propria voluntas, Dei auxilio adjuta; meretur, isti propter Christum occisi, sunt per Dei gratiam consecuti etc. Si quis ergo quaerat, utrum pueri non baptizati, essent martyres, si modo interficerentur propter Christum, vel in odium Christianae Religionis, respondendum est affirmative.* Satis ponderis et momenti inest quoque verbis Suaresii *in* 3. *part. D. Thomae tom.* 3. *disput.* 29. *sect.* 1. ubi postquam eviserat, Pueros Bethleem fuisse vere martyres, ita subdit: *Ex hoc autem singulari facto recte colligimus, nullum infantem, ratione infantiae, esse martyrii incapacem; sed omnes eos, qui eodem modo pro Christo mortem susti-*

Probatur ratione Theolog. et Theol. auctorit.

nuerint, vere esse martyres: nam eadem est ratio et causa in caeteris infantibus, quae fuit in illis Innocentibus; quia vel in illo facto intercessit speciale privilegium, factum illis pueris, vel non: si non intercessit; ergo non est, cur alii censeantur magis incapaces martyrii, quam illi, cum omnes aeque careant usu rationis: si vero intercessit privilegium, hoc certe non est factum personis, sed causae. Quid enim in illis Pueris cogitari potest pertinens ad personalem dignitatem, vel conditionem eorum, propter quod hujusmodi privilegium illis concessum? Nihil sane. Tota ergo ratio illius privilegii fuit causa mortis, nimirum quod propter Christum occisi sunt etc. Quin etiam Ecclesia eodem modo inter martyres numerat quoslibet pueros, vel infantes, qui in lege Gratiae pro Christiana Religione mortui sunt, ut constat ex omnibus historiis Ecclesiasticis, et ex modo loquendi Sanctorum etc. Neque enim gratiam Christi minus liberaliter nunc, quam eo tempore, communicatur, neque horum mors minus est propter Christum, quam illorum; immo quodammodo videtur expressius ac formalius esse propter Christum: nam, licet omnes interfecti sint in odium Christi, tamen illi priores Innocentes solum mortui sunt inter quaerendum Christum; hi vero interficiuntur propter Fidem Christi, et ad destruendam et evertendam Religionem ejus. Est ergo par omnium ratio. Ejusdemque sententiae sunt quoque Estius *in* 4. *sent. dist.* 4. §. 21. *vers. Praeterea non leve;* Cardinalis Lauraea *in* 3. *lib. sent. part.* 2. *disp.* 20. *de Martyrio art.* 4. *num.* 34. nec non bon. mem. Card. Gotti *tom.* 2. *in* 3. *part. tract. de Baptismo quaest.* 2. *dub.* 2. §. 1. *et tom.* 4. *part.* 1. *de Veritate Religionis cap.* 14. §. 3. *num.* 15.

...de Ecclesiastic. mo... m. et pri... quod ...erorum ...mina sint ... Martyrol. ...man. illa-

§. 11. Proximum est, ut ea colligantur, quae sacris Ecclesiae monumentis consignata reperiuntur. Percurrentes Martyrologium Romanum, reperimus quinto Idus Januarii habitam mentionem, Antiochiae Celsi cujusdam pueri, qui una cum Marcionilla Matre, aliisque Fratribus in odium Fidei Christi fuit occisus; pridie Idus Februarii, Alexandriae Modestii, et Ammonii Infantium; XVI. Kalendas Julii, Tharsi in Cicilia SS. Martyrum Julittae matris, et Quirici filii tertium aetatis suae annum agentis; Idibus Julii Alexandriae decem Infantium; quinto Kalendas ejusdem mensis, Mediolani SS. Nazarii, et Celsi pueruli; decimo sexto Kalendas Septembris, Cartagine in Africa Maximi pueri; duodecimo Kalendas Septembris in Sardinia Ciselli, et Camerini puerorum; decimo nono Kalendas Octobris, Romae Crescentii pueri; decimo quinto Kalendas ejusdem mensis Augustoduni S. Flocelli infantis; Idibus Novembris Paulilli pueri, qui, in Vandalica Genserici persecutione per Africam, martyrium pertulit; decimo quinto Kalendas eodem mense, Antiochiae Barulae infantis; octavo Idus Decembris in Africa S. Majorici adolescentuli. De hoc Majorico loquitur quoque Victor Victensis *lib.* 5. *de Persecutione Vandalica*, *t.* 8. *Bibliothecae Patrum*, ubi etiam *pag.* 681. meminit de aliis pueris, qui in praedicta Vandalica persecutione forti animo martyrium subierunt. *Ibi et Infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliae gaudentes, aliae tristes, aliae retrahentes: aliae gaudebant, se Martyres peperisse; aliae moliendo diluvio rebaptizationis nitebantur a confessione Fidei revocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram.*

Secundo quod eorum Reliquiae cum signis martyrii fuerint repertae.

§. 12. Pueros, quorum nomina, uti praenotavimus, in Martyrologium Romanum sunt relata, quique inter Martyres recensentur, sequuntur caeteri, quorum Reliquiae martyrii nota signatae, seu, quod perinde est, cum ampulla sanguinis, in veteribus Christianorum Coemeteriis fuerunt repertae, una cum proprio cujusque nomine, ac indicatione annorum, quibus Sancti illi Pueruli pro Christo occisi sunt. Ad id ipsum evincendum, satis est, ut prae manibus habeatur opus accuratissimum bonae memoriae Canonici Marci Antonii Boldetti *de Coemeteriis Sanctorum Martyrum, et veterum Christianorum, ubi pag.* 344. affertur inscriptio sepulcralis lapidis S. Dorotei martyris sexto infantiae mense sublati; *pag.* 363. similis inscriptio S. Anastasii, *pag.* 365. alia S. Serenillae, quorum uterque fuit primo ineuntis aetatis anno interfectus; eadem itidem *pag.* 365. Epitaphium exscribitur S. Bonifaciae trimae; *pag.* 432. alterum S. Aurelii quadrimi; nec non alia tria de tribus Infantibus quinquennibus, Decentio nimirum *pag.* 345. Tiberia *pag.* 363. Candida *pag.* 366. Demum similia monumenta profert de duobus, qui sextum non excesserant aetatis annum, alterum nimirum de S. Doroteo *pag.* 372. alterum de S. Diogenia *pag.* 381. Idemque Canonicus Boldetti *lib.* 1. *cap.* 48. *pag.* 261. postquam scite praenota-

verat, non sólum Bethlecmiticos Innocentes, sed et caeteros quoque, qui successivo tempore pro Christi Fide mortem perpessi sunt, ut ut Infantes, dignos esse, quibus Martyrum cultus exhibeatur, subdit, saevientibus persecutionibus, ubique terrarum, praesertim vero Romae, Idolorum Cultores, ipsos quoque pueros in odium Fidei Christi, interemisse: *In pueris quoque virtus major aetate annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum Gregem et sexus, et aetas omnis ornaret:* sunt S. Cypriani verba in *Epistola 77. ad Nemesianum* Balutianae editionis. Loquens autem de Christifidelibus Romae degentibus, inquit Minutius Felix *in Octavio, tom. 3. Bibliothecae Patrum: Pueri, et Mulierculae nostrae cruces, tormenta, feras, et omnes suppliciorum terriculas, inspirata patientia doloris illudunt.*

Tertio, ex Annalib aliisque Ecclesiae monum

§. 13. His consoni sunt Ecclesiae Annales, aliaque Ecclesiastica monumenta: Sub Decio, aut Valeriano, celebre fuit martyrium S. Cyrilli primioris aetatis, *Pueri*, cujus acta referuntur a Bollandistis *tom. 7. Mari ad diem vigesimam nonam*, et in Ruinart *in Actis Martyrum editionis Amstelodami pag.* 246. In Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 311. *num.* 16. fit mentio de duobus fratribus Puerulis, quorum corpora condita fuere ad Nicomediam in Ecclesia, quae subinde dicta fuit *Martyrium Infantium; et ad annum Christi* 522. *pág. 57. et seq.* exscripta sunt acta Martyrii cujusdam Muberis, ejusque Filii quintum aetatis annum non praetergressi. Apud Bolland. ad *diem 24. Martii*, praeter ea, quae de Beato Simone puero Tridentino superius commemoravimus, narratur in Dioecesi Coloniensi coli Joannettum quemdam Puerum, in odium Fidei ab Hebraeis occisum: Baillet. ad *eamdem diem 24. Martii*, inquit, Parisiis coli tanquam Martyrem Riccardum quemdam puerum; alterumque itidem puerum Villelmum nomine, in odium Fidei ab Hebraeis interemptum in Anglia fuisse cultum. Tomo autem 18. Operum Patris Theophili Raynaudi, et nominatim in eo Opere, quod inscriptum est *de Martyrio per pestem, part. 2. cap. 2. num. 7.* legitur, Ferdinandi Hispaniarum Regis aetate, in odium Christi fuisse a Judaeis interfectum in oppido prope Toletum, *Guardia* dicto, puerum quemdam trimum, eidemque cultum exhiberi, atque dici antonomastice, *Innocentem a Guardia:* idque ipsum testatur de geminis aliis pueris bimis, in Sardinia, Cesselio, et Camerino nuncupatis. Insuper in praecitata disceptatione Apologetica de martyrio S. Simonis Tridentini *pag.* 242. Infantula quaedam commemoratur, nomine Ursula annorum trium, quae ad annum circiter 1442. Loncii, parva quidem, sed vetusta Civitate in finibus Comitatus Tirolensis ad Carinthiam positae in Valle Pusteria, truculentissime fuit in Christi odium ab Hebraeis interempta; vetustiorique lapidi in sacrario loci apposito subrogatus subinde fuit recentior an. 1609. ex vetustiori illo exsculptus, in quo descripta legitur horrendi sceleris historia: *et pag. 246. et seq.* mentio habetur de Laurentino puero, quem Hebraei quinquennem in odium itidem Fidei Christi anno 1485. interfecerunt, quique ab ipso martyrio in haec usque tempora, Marosticae, in agro Vicentino, proximisque pagis, martyr habetur ac colitur.

Non omnes, qui supra commem. sunt pueri vel infantes, rationis expertes fuerunt.

§. 14. Non id Nobis sumimus, ut propugnemus, omnes, quorum nomina huc usque innuimus, ea reipsa fuisse aetate, qua rectum a pravo, cum occisi fuerunt, non secernerent, quamvis ex ipsis nonnulli *Pueri*, reliqui *Infantes* dicantur. Fatemur ingenue, ut ut aliqui nuncupentur Pueri, ex his tamen ipsis nonnullos duodecimum, alios nonum, et alios itidem septimum aetatis annum implevisse; quemadmodum ipsi adnotavimus ad martyrium S. Babilae, et Sociorum, in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 14. num.* 5. et uti etiam monetur ab emeritis viris, et in latina lingua apprime versatis, quorum aliqui pueritiam a tertio quartove aetatis anno ad decimum usque, alii a septimo ad decimum quartum producunt; uti videre est apud Marsilium *Verb. Puer.* Alii pueritiam decimo vel etiam decimo quinto aetatis anno concludunt, quemadmodum legi potest penes celebrem Facciolatum *Verb. Puer.* et inter jurisperitos apud Gonzalez, *in cap. Referente num. 7. et seq. de delictis puerorum:* qua nimirum aetate oportet fuisse sanctum illum Cyrillum *Puerum*, quem supra commemoravimus, si ejus agendi ratio, responsiones ad Tyrannum, adhibitaque ab ipso Tyranno verba expendantur: *Vidisti, o puer (inquit) ignem; vidisti, o juvenis, gladium?* quae in ejusdem Actibus superius indicatis leguntur. Animadvertimus, plures dici infantes, cum autem esse infantem, qui adhuc concepta verba proferre nescit, idest non valet. *Infans ab infando dictus est:* inquit Nonius Et S. Isi-

Verba Puer, inf. non semper aetat. indigit. judicio expert.

dorus *de originib.* subdit: *Infans dicitur homo primae aetatis: dictus autem infans, quia adhuc fari nescit, id est loqui non potest.* Qua in re consentiunt viri latinae linguae peritia insigniores, Hofmannus nempe, et praememoratus Facciolati. Verum non ignoramus infantis nomine ab Ecclesiasticis Scriptoribus eos etiam fuisse designatos, qui eam agebant aetatem, qua eloqui poterant, ac noverant. In Actis Proconsularibus S. Saturnini et Sociorum martyrum a Surio editis, relatisque a Cardinali Baronio ad annum Christi 303., habetur, a Coloniae magistratu captum Saturninum Presbyterum, una cum quatuor filiis, quos inter aderat Hilarianus infans, omnesque martyrium consecutos: ad verbum autem *Infans* haec expendit praedictus Cardinalis *num.* 36. *Cum hic audis infantem, ne existimes, puerum hunc esse nuper natum, qui fari nesciat; nam loquendi usus erat apud Afros, ut quosque pueros infantes dicerent, ut ex Victore Uticensi alibi diximus, qui pueros Ecclesiae cantores, infantulos nominat etc.* Post haec idem Cardinalis quaestionem exhibet de aetate, quam ageret Hilarianus infans, cum martyrium passus est: *Porro quotennis esset puer hic, quem Author vocat infantem, sua ipsius confessio, coram Proconsule facta inferius declarabit, Et num.* 57. verba exscribens ab infante coram Proconsule dicta, satis indicat, infantem et fari scivisse, et potuisse, eaque fuisse aetate, in qua probe animo menteque assequebatur, sibi mortem in odium Fidei Christi inferri: *Hilarianus adhuc supererat*, sunt ipsa Actorum verba, *unus de natis Presbyteri Martyris Saturnini, qui aetatem suam parvulam ingenti devotione vincebat etc. Subito brevi de corpore vox juvenilis auditur, et augustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis: Christianus sum, et mea sponte atque voluntate cum patre meo, et cum fratribus feci Collectam.*

§. 15. S. Bernardus in Sermone de Innocentibus *tom.* 1. *pag.* 787. ait, nonnullos Martyres esse *voluntate et opere*, veluti Sanctus Stephanus: *Habemus in Beato Stephano martyrii simul et opus, et voluntatem;* alios esse Martyres sola voluntate, cujusmodi fuit S. Joannes Evangelista, qui post martyrium ebullientis olei superstes, in pace quievit: *habemus solam voluntatem in Beato Joanne;* et quosdam Martyres haberi solo opere, ex eo nimirum, quod pro Christi Fide mortem obierint: *solum in Beatis Innocentibus opus.* In Classe Martyrum *operis et voluntatis* redigendi sunt quotquot puerilem licet aetatem agentes, noverunt tamen sibi pro Christi fide moriendum, voluerintque pro ea occumbere, Deo Optimo efficacibus gratiae suae auxiliis aetatem antevertente. Hunc gratiae triumphum innuit S. Ambrosius, cum *in suo lib.* 1. *de Virginibus cap.* 2. loquitur de martyrio S. Agnetis: *Haec duodecim annorum martyrium fecisse traditur, Quo detestabilior crudelitas, quae nec minusculae pepercit aetati: immo magna vis Fidei, quae etiam ab illa testimonium invenit aetate;* et paulo infra: *Magisterium virtutis implevit, quae praejudicium vehebat aetatis.* Paullo supra martyrium commemoravimus matris, ejusque filii, a Cardinale Baronio relatum *ad annum Christi* 522. *num.* 57. *et seq.* nunc autem opportune subditur, valuisse puerum, etsi haud quinquennio majorem, blandimentis Tyranni obsistere, qui postquam matrem comburi jusserat, filium cupiebat poena eximere, modo a Christi Fide defecisset; vero cum effervescente concertatione, a suo se custode abripuisset puer, ex superno peculiari impulsu prosiliit in flammas, inter quas perierat mater, quemadmodum nosse licet ex universa facti serie descripta in Actis a Cardinali Baronio relatis, in quibus dum pueri describitur indoles, instructus dicitur prudentia, quae aetatem longe praestaret. De his martyribus non est Nobis sermo; de tertia loquimus classe Martyrum, qui *solo opere Martyres sunt*, ut verbis utamur S. Bernardi, damusque libenter, ex iis multos reperiri inter eos, quos supra commemoravimus; occurrunt quippe nonnulli, de quibus, vel adnotatus annorum numerus, quo martyrium subierunt, vel integer historiae complexus omnem adimunt occasionem disceptandi, quonam sensu verbum *Puer*, alterumque *Infans*, sint accipienda. Cum in Sacro Textu apud Matthaeum *cap.* 2. aetas puerorum, quos Herodes in Bethleem ejusque finibus jussit occidi, adnotetur — *a bimatu et infra* — inde demonstratur perspicue, interfectos pueros Martyres fuisse *solo opere;* pugnat quippe cum verisimilitudine, et cum ipsa litera textus, sententia, quam Jansenius quoque *in Evangelia cap.* 11. improbavit, asserentium, verba illa — *a bimatu et infra* — haud ita accipi oportere, quasi adhibita ad circumscribendam aetatem infantium interfectorum, sed ad innuen-

Solo opere.

Postremae Classi accensendi Bethleemiti infantes.

dum, primum quidem occisos fuisse infantes biennes, vel biennio minores, quamvis subinde necati fuerint et illi, qui erant grandiores.

Quinam cultus infantibus in odium Christi sublatis, fuerit in Ecclesia praestitus.

§. 16. Nihil deflectentes a statuta methodo, proximum est, ut de Cultu disseramus, qui juxta Ecclesiae disciplinam exhibitus fuit, nuncque exhibetur Infantibus, quibus in odium Christi mors fuit illata, quique Martyres sunt *solo opere*; propterea quod mortem ipsam ea aetate sint perpessi, qua potis non erant, bonum a malo secernere, nec adhuc advenerat *tempus intelligentiae, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam*, uti loquitur S. Hieronymus *in epist.* 121. *ad Algasiam quaest.* 8., victoriamque obtinuerint vel ante quam, quid vicisse sit, nosse potuerint; juxtà phrasim, qua utitur S. Ambrosius disserens de Infantibus Bethleemiticis *lib.* 1. *de officiis Ministrorum cap.* 41. *num.* 213. *Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriae acceperunt, quam sensum naturae?* Utque res clarior evadat, in nonnullas classes eosdem distribuemus.

Variae numerantur classes, cum hujusmodi infant. tum cultus iisdem tributi. Prima classis eorum, qui in univ. Ecclesia cultum obtinent a primis saeculis, quique aliqua ratione canonizati dici possunt.

§. 17. Prima classis iis constat, qui a remotioribus usque saeculis cultum obtinent in tota Ecclesia universalem; de his quippe licet asserere, Sanctorum albo eos esse adscriptos per eam Canonizationis speciem, quae tum adesse intelligebatur, cum cultus aliqua in Dioecesi institutus, ex ea in aliam Dioecesim, et ita subinde in universam Ecclesiam protendebatur: qua quidem in re, Ecclesiastica semper accedebat auctoritas, Episcoporum nimirum, et Romani Pontificis. Episcoporum quidem, dum cultus ex altera in alteram Dioecesim ipsis consentientibus derivabat: Romani autem Pontificis, vel quia a particularibus locorum Episcopis saepe transmittebantur Acta, ut eadem ipse expenderet, atque probaret; vel quia, cum perspectum haberet, nec improbaret cultum jam institutum, ac sensim longe lateque manantem, hoc ipso eum probare videbatur; veluti videre est in *nostro lib.* 1. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 6. et nominatim *num.* 9.

Huic accenseadi Bethleemitici infantes.

§. 18. In hanc autem primam Classem Nos Bethleemiticos Innocentes referimus, quorum cultus jam inde a primis seculis in universa Ecclesia obtinuit, quemadmodum demonstrat Cardinalis Baronius *in Notis ad Martyrologium Romanum*, et uti etiam fateri cogitur severus censor Baillet, qui in *Historia Cultus horum SS. Innocentium* §. 2. quamvis neget festum ipsorum diem ante saeculum nonum fuisse universim servatum, fatetur tamen, cultum erga eos in universa Ecclesia jam inde a primis seculis inolevisse; quandoquidem et ipse S. Augustinus scripserat *lib.* 3. *de libero arbitrio cap.* 23. *numer.* 67. *Non frustra etiam Infantes illos, qui, cum Dominus noster Jesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia:* Quod etiam colligitur *ex lib.* 10. *de Genesi ad literam c.* 22. *n.* 39. Prior haec Classis multa sane esset ac frequens, si Graecorum firma esset assertio, qui in suis Menaeis volunt, infantes jusso Herodis in Bethleem necatos, numerum quatuordecim millium implevisse: *Commemoratio Sanctorum Infantium, qui ab Herode occisi fuerunt, quorum numerus quatuordecim millia;* qua in re consentiunt quoque Moschi *in suis sacris Ephemeridibus*, et Æthiopes *in sua Liturgia*. At nos hujusmodi assertioni minime assentiri Nos posse ducimus: cum legerimus, quidquid contra scripsere Papebrochius *t.* 1. *Actuum Sanctorum Maii pag.* 57. Tillemont. *in Monumentis Ecclesiasticis tom.* 5. *pag.* 432. *not.* 13. Calmet *in Commentariis ad Evangelium S. Matthaei*, Serry *in suis exercitationibus*, et novissime eruditus Pater Castus Innocens Ansaldi in egregia sua Disceptatione, seu *Vindiciis Infanticidii Herodis*, Brixiae sub annum 1746. impressis, ubi eos refutans, qui ausi sunt facti veritatem in dubium revocare, ex ea levissima ratione, quod nihil de eo habeat Joseph Haebreus, non praetermisit omnia colligere, quaecumque a caeteris uspiam allata fuere adversus praefatam Graecorum assertionem. Satisque Nobis erit asseruisse, infantes in Bethleem ejusque finibus fuisse jubente Herode occisos, eosdemque non solum Martyres extitisse, sed cum insuper in universa Ecclesia cultum sint consecuti, quemadmodum supra adnotavimus, Canonizatos haberi debere, ideoque pertinere ad primam classem, de qua nunc Nobis est sermo; quam quidem in classem libenter recensebimus alium quemcumque infantem, cui demonstretur in universa Ecclesia a primis usque saeculis, cultum veluti Martyri fuisse exhibitum, eo plane modo, quo fuit exhibitus, et nunc quoque temporis Bethleemiticis infantibus exhibetur.

Graecorum aliorumque minus probabilis opinio de illorum numero.

Canonizati sunt consecuti, et quo modo.

Secunda classis est, qui ab immemorabili certis

§. 19. Altera Classis ex iis constituitur Infantibus in odium Christianae Fidei interfectis, qui a tempore hominum memoriam antever-

locis cultum obtinuit, concessit. Ordinar.

tente publicum sibi in aliqua Civitate, vel Dioecesi vindicant cultum, scientibus, et ferentibus, quin et quandoque nominatim etiam adprobantibus Ordinariis. Secundae huic Classi possunt accenseri perplures, quorum, uti praenotavimus, in Ecclesiae Annalibus, ac Monumentis sit mentio, et nonnulli etiam ex iis, quorum nomina sunt in Martyrologium Romanum relata. In eadem ipsa Classe locus statuendus erit Beato illi Infanti Joanetto, duobusque Pueris Riccardo et Guillelmo, et praeter reliquos Beato etiam Laurentino, de cujus vetustissimi cultus antiquitate, extat Episcopalis Patavinae Curiae testimonium impressum in praecitata Disceptatione apologetica, de martyrio Sancti Simonis Tridentini *pag.* 253. his verbis compositum: *Il Culto religioso verso cotesto Santo Fanciullo si è mantenuto sempre invariabile nel lungo corso d' anni dugento sessanta dal suo Martirio sino al presente, così in Marostica, come ne' luoghi vicini, informati del di lui sagrifizio alla rabbia Giudaica. Nelle urgenze si private, e si pubbliche di questi popoli, si ricorre a Dio Signore col mezzo del di lui credito, scoprendosi in tal occasione l' Arca del suo sacro Deposito, per sempre più infervorare i supplicanti*. De his itaque differendo, qui praefata immemoriali possessione publici cultus fruuntur, asseri jure non potest, eosdem Sanctae Sedis judicio, et auctoritate Beatificatos fuisse, dum ponitur, ipsorum cultum, scientibus, et probantibus tantummodo Ordinariis obtinuisse; cumque de ipso nullus fuerit efformatus processus, vel Romam ad Romanum Pontificem missus fuerit ejus auctoritate approbandus. Multo minus dici merentur Canonizati, tum quia illorum cultus ad universam non protenditur Ecclesiam, tum quia desideratur supremum Romani Pontificis judicium ad Canonizationem omnino necessarium. Illud tamen de praefatis Pueris affirmare licet, quod quum Urbanus VIII. Pontifex suis Decretis edixerit, nolle se quicquam detrahere iis, qui centenariam ante sua Decreta possessionem publici cultus obtinuerant, nihil hinc praeterea desideretur, ut ipsis debeatur idem cultus, iisdem in locis, in quibus centum ante id temporis annos illum continenter sunt consecuti, scientibus et probantibus Ordinariis, potiorique jure quoties Romani quoque Pontificis scientia superaccessisset.

Beatific. a sacta Sede, Canoniz. non posunt.

Tamen in Urbani VIII. decret cultus ipsis reserv.

§. 20. Tertia denique Classis eorum est plerorum, de quibus supra meminimus, quorum

Tertiam locum imerunt pueri,

aetas una cum propriis eorumdem nominibus, sepulcralibus lapidibus est notata; quorumque Ossa ac Reliquiae, in Sacris Urbis Catacumbis, cum notis martyrii inventa publico cultui proponuntur. Nemo ex severioribus criticis non consentit, indubiam esse martyrii notam vasculum sanguine plenum, vel tinctum saltem, quod in sepulchris in Urbis Catacumbis effossis saepe reperitur. Aringhius, Mabillonius, Senator Buonarroti, Raphael Canonicus Fabrettus, Abbas Ludovicus Antonius Muratorius, Canonicus Boldetti, Canonicus Marangonius, Eques Victorius, Praefecti sacris hisce Corporibus extrahendis, huic sententiae omnimoda consensione subscribunt: veluti deprehendere est ex Nostro Opere *de Canonizatione lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 27. *n.* 21. *ad fin.* Ex pervetusta Ecclesiae disciplina est, ut sacra Ossa Romae ex Coemeteris effossa, et cum signis sive notis martyrii adinventa, in Ecclesiis publice colenda exponantur: quemadmodum videre est ex vulgato Anastasio in vita S. Pauli I. Pontificis octavo saeculo, ubi postquam enarravit, Pontificem hunc reperta in sacris Coemeteriis Corpora Romam transtulisse, sacraque Ossa in varias Ecclesias distribuisse, inde pergens, paulo infra subdit: *infra Claustra vero ipsius Monasterii*, quod in propriis paternis aedibus construxerat, *Ecclesiam mirae pulchritudinis a fundamentis noviter construxit etc. Illicque innumerabilium Sanctorum Corpora, quae de praefatis demolitis abstulit Coemeteriis, maximo venerationis condidit affectu*. Ad Sixtum usque V. Pontificem, in Basilica S. Pauli Urbis colebantur exigua quaedam Ossa, quae pia opinione, sanctorum aliquot Bethleemiticorum Innocentium Ossa censebantur; quemadmodum testatur Panvinius in suo Opere *de septem Urbis Ecclesiis pag.* 96. Severanus autem *eodem in Tractatu* traslationem a Sixto V. sub annum 1586. ad Liberianam Basilicam factam describit. Et Abbas Paulus de Angelis in *sua hujus ipsius Basilicae descriptione lib.* 10. *cap.* 11. prolixum quemdam locum excribit, ex Bulla ejusdem Pontificis, in qua, verba faciens de Cappella S. Luciae, una cum alia plane conformi extructa ad limina Sacelli Praesepis Christi Domini, haec habet: *Sub Altari*, nimirum S. Luciae, *in Arca marmorea duo Sancta Beatorum Innocentium Corpuscula, a Basilica Sancti Pauli extra Portam Ostiensem nostro jussu translata, rite recondi curavimus, ut ad Christi Infantis Cunabu-*

quorum Reliquiae cum insignibus martyrii repertae sunt.

Vetera et recentiora exemp. evincentia praxim, exponendi publice colendas horum puerorum Reliquias.

la iidem S. Innocentes (flores, ac primitiae Martyrum, Deoque gratissimae victimae) quodammodo excubare videantur. Ad instrar autem et exemplum Reliquiarum SS. Bethleemiticorum Innocentium, passim ad Altaria exponuntur colendae Reliquiae Puèrorum, qui in odium Christianae Fidei martyrium subierunt, quorum Ossa certis martyrii noctis distincta, ex Urbis Coemeteriis effodiuntur. In Coemeterio Gordiani, uti praediximus, reperta fuerunt Ossa pueruli Dorothei ipso adscripto adpositoque sanguinis vasculo; et infantis Cineres ac Ossa, una cum inscriptione Anagnam fuerunt transmissa, ut in Ecclesia SS. Cosmae, et Damiani collocarentur, quemadmodum testatur Boldetti *praecitato suo Opere pag.* 344. ubi *pag.* 345. refert, in eodem Gordiani Coemeterio inventum fuisse Corpus Decentii pueri quinquennis, una cum proprio nomine inscripto, ampullaque sanguinis, fuisseque illud in Cappella Rosarii, intus Ecclesiam Sanctae Sabinae, in Aventinó collocátum, Nisi perspicua res esset, et quotidiano usu comprobata, nullo negotio posset contexi catalogus compluribus exemplis, quibus horum infantium Reliquiae in Ecclesiis locatae noscuntur; verum cum nemini incognita sit disciplina isthaec, libenti animo a similium exemplorum collectione cessabimus, concludemusque de tertia hac classe sermonem, animadvertentes, recensitos in ea pueros publicum obtinere cultum in Ecclesiis, in quibus eorum Reliquiae conquiescunt, in id maxime consentiente, et probante Sancta Sede, quae firmum statuit suae concessionis fundamentum in certis martyrii insignibus, in eorum sepulchris repertis; nec propterea tamen asseri posse, eosdem esse formalem Canonizationem consecutos, si Canonizatio, pro ut par est, nil aliud esse ponatur, quam sententia Romani Pontificis in universali Ecclesia per modum praecepti cultum tribuentis. De culto praefatis Reliquiis exhiberi solito, quamvis plerumque is sit absque Officio et Missa, disseruimus ipsi in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctor. lib. 4. part. 2. cap. 28.* ubi invectae praxis fundamenta recensuimus, *et lib. 1. cap. 38. n. 3. et seq.* praetermissa haud fuere, quaecumque spectant ad recitandum Officium, Missamque celebrandam in universa Ecclesia, quoties res sit de pueris formali vel aequipollenti Canonizatione inter Sanctos relatis.

Non ideo tamen formalit. Canoniz

§. 21. Postremam classem illi pueri constituunt, quibus in odium Jesu Christi adempta est vita, quorum cultus expetitur per formalem vel aequipollentem Beatificationem; quam denique, quoties nil aliud obstet, potest, ac etiam solet consequi formalis Canonizatio. Superius dictum est, Romanos Pontifices suam auctoritatem in Canonizationibus semper interposuisse, etiam tum cum de ea Canonizatione agebatur, quae fiebat ex introducto in unam Dioecesim cultu, qui deinde in aliam, et postremo in universum Orbem propagatur. Nunc vero addimus, ab Alexandro III. invectam fuisse, firmiterque statutam disciplinam, juxta quam solius Romani Pontificis est, in peculiari unoquoque loco, et in singulis totius Orbis Dioecesibus cultum indulgere, vel approbare. Hujusce Constitutionis fundamenta, rationesque deprehendere est *ex praecitato Nostro lib. 1. cap. 10. num. 3. et seq.* et ex iis, quae ibi latiori calamo adducuntur, inferre licet, non solum Romani Pontificis praecipuum esse, quemadmodum semper fuit, cultum in universa Ecclesia vel Martyribus, vel Confessoribus praecipiendo asserere, in quo, uti saepe dictum, sita est Canonizatio, verum etiam permittendo, indulgere, ut aliqua in Civitate, vel Dioecesi, caeterisque definitis locis, religioso cultu honoretur aliquis Dei Servus Confessione, vel Martyrio conspicuus, qua in re constituitur Beatificatio. Ex hac autem postrema classe sunt duo Beati infantes in odium Fidei interempti, Simon Tridentinus martyrium consecutus anno 1475. et Andreas Rinnensis, seu Vico Rinnensi, martyrio sublatus sub annum 1462., de quo nunc agimus. Utrumque enim ab haec Sancta Sede, nisi formalem, aequipollentem saltem Beatificationem obtinuisse, affirmari potest, dum, allatis, discussisque jam omnibus, quae erant de martyrio causa martyrii, et fama signorum ac miraculorum necessario perpendenda ad Officii Missaeque concessionem in certis quibusda locis, deventum est. Et quamvis, uti superius diximus, jussu Gregorii XIII. Pontificis, Beati Simonis nomen in Martyrologium Romanum fuerit illatum, haud tamen contendi potest, eumdem propterea fuisse Canonizatum; est namque tutissimum aeque ac recepissimum principium, *annuntiari in Martyrologio nomina, et clariores res gestas eorum, qui in eo descripti sunt; ut excitentur fideles ad imitationem, et etiam ad cultum, sed intacta semper perma-*

ror. est, quod in odium Christi occisos popul pietas beatific. vel canonizari petit.

Nunc solius Rom. Pont. est cultus publici concessio, Beatificatio, et Canoniz.

BB. Pueri Andreas Rinnensis et Simon Trident. ad hanc postrem classem spectant, sed dumtaxat aequipollenter Beatific.

Postrema classis puc-

nente Ecclesiastica disciplina: ita ut, si res sit de jam Canonizatis, cultus, ad quem excitantur fideles, sit praeceptivus, universalis, et publicus; si vero agatur de Beatificatis, sit quidem publicus, sed tantum permissus personis, et locis Indulto Beatificationis comprehensis; sit autem permissus, sed privatus, quoad alios, qui Indulto comprehensi non sunt: veluti ipsi hisce conceptis verbis, re mature perpensa, investigataque praxi per S. Sedem servari solita, concluimus in nostro Opere de *Canonizatione lib. 4. part. 2. cap. 19. num. 16.*

Hujusce sae mo- st.

§. 22. B. Simonis Canonizationem, quamvis Beatorum honores longe ante B. Andream consecuti, nemo est qui promoveat. Instantia pro Canonizatione, quae nunc urgetur, B. Andream respicit multo post Beatificatum: tota autem disquisitio in eo versatur, num instantiae aditus dari debeat; neque enim inaudita res est, justis et gravibus de causis, sisti alicujus causae cursum, occludique viam ad Canonizationem, etiamsi Beatificatio praecesserit, quemadmodum perspicuum faciunt tam multae Causae, in quibus postquam per formalem, vel aequipollentem Beatificationem Officium et Missa concessa fuit, nemo extitit unquam, neque deinceps erit, qui solemnem petendam cogitet Canonizationem.

infantes tyres expe- , non perspic.

§. 23. Paucis igitur gradum facimus ad rationes, quae non ad unam coarctantur Beati Andreae causam, sed omnes aeque afficiunt causas Puerorum, quos in aetate boni malive nescia, odium in Christi fidem sustulit, quique cum Martyres sint, non tamen sunt *voluntate et opere*, sed solo *opere*, ut ipsis utamur verbis S. Bernardi. Videri enim cuiquam fortasse poterit, recte factum, si omnibus confluentibus conditionibus, proprius Beatorum cultus iis decernatur; at dubitabit, num congruat ulterius progredi, per modum praeceptivae legis cultum ampliando ad universam Ecclesiam, quod praecipuum Canonizationis est, quamvis etiam nihil desideraretur eorum quae requiruntur, ut transitus fiat a Beatificatione ad Canonizationem.

rgantis entiae etam.

§. 24. Fundamenta, quibus potest isthaec inniti dubitatio, singula subnectimus. Primum in eo situm est, nullum fortasse in veteri Canonizationum praxi, aliud offendi exemplum verae ac propriae Infantium Canonizationis, praeter illud unum Bethleemiticorum Infantium, quandoquidem caetera exempla possunt commode ad Beatificationem referri, atque praeterea certum esse, extare plane nullum exemplum formalis Canonizationis vel unius horum Puerorum post methodum Sanctae Sedis auctoritate invectam, confirmatam, servatamque in Causis publici Cultus, qui semper quoad hosce Pueros sola fuit Beatificatione conclusus. Quod autem per plura saecula nullum ostendatur exemplum, quamvis ejus inducendi non defuerit occasio, res est magni momenti, quaeque negotium jure facessat cuilibet novarum rerum minime studioso.

num rei itas.

Secund ae Can. frequentia vilescant.

§. 25. Alterum ex ea est animadversione, rem totam hanc in eo verti, quod hi Pueri Martyres sint, quia pro Christo mortem subierunt. Id autem si generatim loquimur, inficiatur nemo; ideoque libenter datur, ut quoties necessaria quaeque concurrant, iisdem Beatificationis cultus decernatur. At si recepta probataque est regula, non esse latam Canonizationibus sternendam viam, ne vilescant, quemadmodum et Nos adnotavimus *in nostro lib. 1. cap. 13. num. 16.*, videtur pertimescendum, ne plane hujusmodi incommodo reseretur aditus, quotiescumque ad Canonizationem admittantur Pueri pro Christi Fide mortem perpessi, ex eo tantummodo, quod Martyres sint: Docent quippe Theologi, Martyres esse et eos Pueros, qui in bello sacro, dum oppugnantur urbes, vel ex insidiis invaduntur arces, caesi fuerint, uti aperte docet Sotus *in 4. Sent. dist. 3, qu. unic. art. 11. §. Secunda propositio*, et eos quoque Pueros censeri Maryres tradunt, quos Christi hostes interfecerint, quamvis nondum ex materno ventre eruperint, sive superstes maneat Genitrix, sive cum iis pereat, uti videre est apud Theophilum Raynaudum *cit. tom. 18. in Opere inscripto de Martyrio per pestem p. 2. c. 2. n. 8.* et late apud Hurtadum *in resolutionibus de vero Martyrio in tract. 2. res. 20. per tot.* Quidquid autem pronunciatur de Pueris ante usum rationis in Christi odium sublatis, protendi ad homines adultae aetatis contenditur, qui rationis semper expertes fuerint, si et his in odium Fidei ab inimicis Christi vita adimatur, hos quippe statuunt Pueris omnino similes. Videatur Cardinalis Capisucchius in suis controversiis Teologic. et nominatim in illa de Martyr. *q. 2. §. 4. in fin. Licet in Pueris ante usum rationis pro Christo morientibus non adsit propria ac personalis intentio, adest tamen intentio Eccl. quae in illis mortem pro*

Christo acceptat, eosque per Martyrium Deo consecrat etc. Quae autem de Infantibus ante usum rationis pro Christo occisis dicta sunt, intelligenda sunt etiam de amentibus, qui numquam rationis usum habuerunt si contingat, eos in odium Christi occidi: Sententiae et opiniones haec quidem sunt, quae si in praxim deducerentur, Canonizationem splendori plurimum possent detrahere.

Tertium quod in his mart nec aureola splend. nec gesta imitanda fidelibus proponi possint.

§. 26. Tertium denique fundamentum statuitur in doctrina, quam cum S. Thoma tradunt caeteri quoque Theologi; nimirum, in Paradiso martyribus esse gloriam essentialem, quae dicitur *aurea* esse; et praeterea eidem adjunctam, sive accidentalem, gloriam, quae *aureola* appellatur, sitam in quodam gaudio, quo perfunduntur, dum animo conspiciunt partam sibi ex Mundo victoriam, cum pro Christo pugnantes, ultro mortem pro ipso oppetierunt; cujus quidem aureolae non aeque participes sunt pueri, qui cum Martyres fuerint, *solo* tamen *opere* fuerunt, non *voluntate*: *Innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquod martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo; ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem; in quantum scilicet gaudent, se in obsequium Christi occisos esse; ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, et carnis integritate.* Sunt haec S. Thomae verba *in 4. sent. dist. 49. quaest. 5. art. 3. quaest. 2. ad duodecimum.* Ad haec autem Sancti Doctoris verba sic pergit Cardinalis Capisucchius *praecit. loco* §. 26. *Cum aureola sit praemium a Deo beatis concessum intuitu egregiorum operum, quae ipsi pro Deo in terris patrarunt, ac proinde sit praemium respondens operibus; evidens est, Sanctos Innocentes, et alios Parvulos pro Christo ante usum rationis occisos, aureola non gaudere martyrii.* Cum vero infantes, licet martyres, ob mox expensam rationem, aureola non gaudeant martyrii, assumi id a quopiam fortasse poterit, ut tueatur, si iis in militanti Ecclesia Beatificationis cultus potest competere, haud tamen congruere, ut alter Canonizationis cultus iisdem tribuatur; quandoquidem inter Canonizationis decernenda causas et illa recensetur, ut Canonizati gesta omnibus per Orbem Catholicis in exemplum proponantur: hujusmodi autem res gestae in pueris pro Christo necatis desiderantur.

Cur postremum hoc non obstet Bethleemiticis infantibus.

§. 27. Et quamvis respondere quisquam valeat, nimiam inesse vim argumento, cum inde concludatur, ne Bethleemiticos quidem infantes honorem Canonizationis promeritos, cum nec ipsi martyrii aureolam sint consecuti; videtur tamen responsio omni plane robore destituta, si animus advertatur ad eam facti speciem, in qua Bethleemiticis infantibus vita adempta fuit, atque ad vetustissimam constantemque observantiam Ecclesiae, quae eosdem tanquam Martyres semper est venerata. Et profecto, absque eo quod necesse sit amplecti opinionem Armacani, martyrium Bethleemiticorum infantium ad solos circumcisos cohibentis; quod a caeteris communiter explodituri, uti divere est apud Valentiam in suo celebri Tractatu *de rebus Fidei cap. 4. de Baptismo Parvulorum* §. *Atque hoc;* rejectaque etiam superius allata, improbataque sententia aliorum, qui opinati sunt acceleratum fuisse Bethleemiticis infantibus rationis usum; quod aperte improbatur a D. Thoma 2. 2. *quaest.* 124. *art.* 1. *ad primum;* replicari posse videtur, martyres esse Bethleemiticos infantes, et horum instar Martyres esse caeteros etiam, qui antequam iis affulgeat ratio, pro Christo interemunt; at cum illis faveat consensus atque doctrina Patrum, et perpetua Ecclesiae traditio, his vero sola, licet celeroquin spectabilis, Theologorum opinio, haud mirum videri debere, si primis aliquid amplius supra secundos tribuatur. Videatur Vasquez *in 3. part. D. Thomae tom. 2. disput. 153. quaest. 68. cap. 7.* ubi, postquam firmaverat, Bethleemiticos esse vere Martyres, et Martyres quoque esse ceteros pueros pro Christo occisos, ita subdit: *Porro, quamvis non tam certum sit, quod diximus de aliis infantibus pro Christo occisis, quam de illis, qui hac de causa ab Herode interfecti sunt, quia pro interfectis ab Herode, Ecclesiae traditionem, et Doctrinam Patrum pleniorem habemus; nihilominus indubitatum apud nos esse debet* (id tamen ita certum habendum, ut nisi definitioni Ecclesiae, communi certe quidem Theologorum opinioni innitatur) *eamdem rationem esse de omnibus, qui post adventum Christi propter ipsum occisi sunt.*

Aliud discrimen proponitur.

§. 28. Eoque magis, quia quae nunc proponitur quaestio, non ea est, si res recte expendatur, an pueri post Christum natum ab ejus hostibus interempti canonizari possint; verum an id fieri expediat; his autem terminis

conclusa quaestione, non magnopere adlaborandum, ut intelligatur quantum intercedat discriminis inter Bethleemiticos infantes, et ceteros omnes, qui post ipsos pro Christo intereunt.

mendaiterum sio duo simicausas mi ex-

§. 29. Quaecumque hactenus persecuti sumus, videri quoque possunt *in Nostro lib. 1. de Canonizatione cap. 14. et lib. 3. cap. 15. num. 2. et seq.* Superest modo, ut expendantur omnia, ac cognoscatur, an deceat, ut causae Beati Andreae permittendus sit ad ulteriora progressus, an vero conducibilius sit, ut eum servet statum, quem nunc habet, quique idem plane est cum eo, in quo Causa Beati Simonis conquiescit. Et quia impossibile haud est alias huic similes excitari instantias, sollicitudinis tuae partes erunt, prudentisque consilii caeterorum, quos ipsi ad id designabimus, indicare, quae ineunda ratio, cum se hujusmodi obtulerit casus, qui plerumque proponi consuevit, de puero aliquo majori hebdomada ab Hebraeis in contumeliam Christi necato; tales namque sunt Beati Simonis et Andreae, nec non bene multorum ex iis, quos Auctores commemorant, puerorum neces. Videri enim cuiquam fortasse poterit, quoties placeret causis interemptorum hujusmodi infantium patere aditum, oportere, hasce neces fuisse clamosas, populo cognitas, ab omnibus damnatas, atque a magistratibus vindicatas; praetereaque etiam optimum esse, quandoquidem res est de martyribus *non voluntate et opere, sed solo opere*, signorum et miraculorum numerum definire, ac requirere majorem constituto ad formalem Canonizationem obtinendam. Literas hasce Nostras, Apostolicam tibi, Dilecte Filii, Benedictionem impertientes, absolvimus.

videaquibus peculiacirantiis nt esse actae.

22. Feii 1755. t. 15.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 22. Februarii 1755. Pontific. Nostri Anno decimoquinto.

LIV. LIBER GALLICE EDITUS

Inscriptusque: *Principes sur l'essence, la distinction, et les limites des deux puissances spirituelle, et temporelle, Ouvrage posthume du Père la Borde de l'Oratoire*, Decreto Congregationis Universalis Inquisitionis jam damnatus, iterata acriori censura proscribitur, et sub excommunicationis poena legi, aut retineri prohibetur.

Venerabilibus Fratribus, Primati, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Poloniae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Perniciosum opusculum jam antea ab Inquisitione damnatum

Ad assiduas, quibus angimur, curas, ut excitata a nonnullis hujus saeculi Filiis inter Sacerdotium et Imperium dissidia compescantur, illud accessit sane permolestum, quod licet universalis nostrae Inquisitionis Decreto die 5. Augusti anni 1753. edito, confixum damnatumque fuerit Opusculum gallice editum hoc titulo: *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances spirituelle, et temporelle, Ouvrage posthume du Père la Borde de l'Oratoire*; rursus tamen idem Opusculum prodiisse, tam Gallico, quam Polonico idiomate impressum, lateque in Regionibus, ac Provinciis vestris per omnium manus pervagari nuper accepimus. Quod quidem vel ob solam ignorationem praelaudati Decreti contigisse arbitramur, vel quod satis explorata atque comperta Vobis non fuerint exitiosa ac perversa Dogmata, quae in eo traduntur: alioquin dubitare vix possumus de Fraternitatum Vestrarum zelo, ac vigili studio, quo certe in Fidelium manus non incidisset, si oculos, judiciumque Vestrum antea subiisset.

Pravum, impiumque systema auctoris jam inde a Joanne XXII. proscriptum.

§. 1. Eo enim tendere, ac collimare vidissetis execrandi foetus auctorem, ut collatam a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiae suae potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios, contumacesque exteriore judicio, et salubribus poenis, coercendi, atque cogendi, labefactet, convellat, et prorsus eliminet; Ecclesiasticum ministerium ita saeculari dominationi subjiciens, ut ad hanc spectare pronunciet, de externa omni ac sensibili gubernatione cognoscere ac judicare. Pravum ac perniciosum systema, jampridem ab Apostolica Sede, praesertim vero a Johanne XXII. Praedecessore nostro, Constitutione incipiente: *Licet juxta doctrinam*, reprobatum, ac pro haeretico expresse damnatum, fallacibus ratiunculis, fucatis, atque ad Religionem compositis

verbis, contortisque Scripturarum, ac Patrum testimoniis, impudens Scriptor obtrudit, quo simplicibus, et minus cautis facilius imponat. Rem tamen ipsam ad Religionis et Fidei regulas sedulo accurateque expendenti, facile occurrit principiorum falsitas, earumque consecutionum absurditas; Auctoris demum a veritatis tramite longe aberrantis temeritas, qua propositiones obtrudit captiosas, et falsas, impias quoque et erroneas, alias damnatas, et haereticas, Ecclesiae vero maxime injuriosas, ejusque potestatis, jurium, et libertatis, quantum in ipsis est, prorsus eversivas.

Nova improbi libercoli censura.

§. 2. Quapropter ne latius serpat, in Ecclesiae animarumque perniciem, pravi dogmatis corruptela, Nos, quibus sanae doctrinae custodia, et Sacerdotalis auctoritatis propugnatio praecipue demandata est, pro sollicita, quam gerimus, Ecclesiarum omnium, et Christifidelium cura, Vos maxime, Venerabiles Fratres, monitos hortatosque volumus, ut procul ab ovibus Vestris exitialis hujusce doctrinae pabulum arceatis. Quod ut nomine quoque Nostro praestare valeatis, supra descriptum Librum quocumque idiomate impressum, vulgatum, aut scriptum, sub enunciatis censuris rejicimus, reprobamus, damnamus, ejusque lectionem, retentionem, et usum, omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica, et individua mentione dignis, sub poena excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeter quam a Nobis, seu a Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus, ac prohibemus. Volentes, et Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque Librum praedictum, aut ejus exemplaria, sive typis impressa, sive manu descripta, penes se aliqua habuerint, ea, statim ac praesentes literae eis innotuerint, teneantur tradere locorum Ordinariis; qui exemplaria sic tradita illico flammis aboleri curent.

Monitum ad Episcop. Regni Poloniae.

§. 3. Vos itaque, Venerabiles Fratres, conjunctis nobiscum studiis, Pastorali zelo, et Sacerdotali constantia, vigilate in custodiis vestris, ascendentes ex adverso, atque opponentes murum pro Domo Israel, adversus vaniloquos, et seductores, docentes quae non oportet; qui constitutos a Deo civilis potestatis fines amplificare, ac transilire moliuntur, Ecclesiae vero jura coarctare, imminuere, atque convellere student; et Divinis humana miscentes, Imperium et Sacerdotium seditiose committunt. Creditas vobis oves monete identidem, ut acquiescant sanis sermonibus Domini Nostri Jesu Christi, et ei, quae secundum pietatem est, sane doctrinae; non intendentes mandatis hominum avertentium se a veritate; reddant autem omnibus debita, quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo. Interim Vobis, Venerabiles Fratres, ac universis Fidelibus regimini vestro subjectis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die IV. Martii MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno XV. Dat. 4. Mar 1755. Pon ano. 15.

D. Card. Passioneus.

LITERÆ APOSTOLICÆ XLIV.

In forma brevis ad instantiam Patris Venantii Tyszkowski Ministri Provincialis Ordinis Minorum de Observantia Provinciae Russiae expeditae, quibus literae itidem Apostolicae in simili forma Brevis san. mem. Benedicti Papae XIII. prohibentes novas Conventuum Mendicantium fundationes intra quatuor, aut quinque leucarum spatium ab illis jam erectis ad Provinciam Russiae Polonicae, aliasque totius Polonici Dominii extenduntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Injuncti Nobis per abundantiam divinae gratiae Pastoralis Officii sollicitudo postulat, ut in his, per quae Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium prospero statui consulitur, ejusdem Officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Emanarunt dudum a felic. record. Benedicto Papa Praedecessore Nostro in pari forma Brevis motu proprio expeditae Literae tenoris sequentis — *Ad perpetuam rei* » *memoriam*. Apostolici Officii, quo auctore » Domino fungimur, sollicitudo Nos admo» net, ut paternam Christifidelium, qui e flu» ctibus Seculi in religiosae Vitae portum » confugerunt, ac in humilitatis, et pauper-

» tatis spiritu Altissimi obsequiis sese sub sua-
» vi arctioris Regulae jugo manciparunt, cu-
» ram gerentes, felici illorum statui, et tran-
» quillitati, quantum Nobis ex alto concedi-
» tur, consulere satagamus, sicut rerum, lo-
» corum, temporum, et personarum qualita-
» tibus maturae considerationis trutina per-
» pensis in Domino expedire arbitramur. Du-
» dum siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII.
» Praedecessor Noster provide considerans, in
» Provincia Chartaginen. Ordinis Fratrum Mi-
» norum S. Francisci de Observantia nuncu-
» patorum, eam Conventuum praedicti Ordi-
» nis multitudinem jam existere, ut si alii
» ibidem denuo erigerentur, illorum Religiosi
» Christifidelibus oneri admodum fore, et a
» puritate Regulae, quam profitebantur, di-
» scedere cogerentur, quo sibi eleemosynas
» ad vitae sustentationem pararent, his, aliis-
» que rationibus adductus, de voto Congre-
» gationis tunc existentium S. R. E. Cardina-
» lium negotiis, et consultationibus Episcopo-
» rum, et Regularium praepositae, per quas-
» dam suas in simili forma Brevis die 11. Ju-
» lii 1601. expeditas Literas, perpetuo statuit,
» et ordinavit, ut deinceps intra quinque, vel
» quatuor Leucas a Conventibus Provinciae,
» et Ordinis praedictorum jam aedificatis, nul-
» lus Fratrum ejusdem Ordinis Recollecto-
» rum, et Discalceatorum etiam nuncupato-
» rum Conventus extrui posset: Et subinde ad
» tollenda gravia dissidia, quae inter Fratres
» Ordinum Mendicantium in diversis partibus
» Hispaniarum, super fundatione novorum
» Conventuum, non sine maximo Regularis
» Disciplinae detrimento, ac Populorum scan-
» dalo, in dies oriebantur, fel. mem. Alexan-
» der VII., pluresque alii Romani Pontifices
» Praedecessores nostri memoratas Clementis
» Praedecessoris Literas, praeviis Decretis di-
» ctae Congregationis Cardinalium, etiam in
» contradictorio Judicio emanatis, nedum ad
» alias Ordinis praefati in Regnis Hispania-
» rum Provincias, sed etiam ad omnes Fratres
» Ordinis Mendicantium hujusmodi, per di-
» versas locorum in pari forma Brevis Literas,
» extenderunt, et ampliarunt, et alias, prout
» in praefatis Clementis, et Alexandri, alio-
» rumque Praedecessorum Literis, quarum
» praesentibus tenores pro expressis haberi
» volumus, uberius continetur.

» Cum autem, sicut accepimus, progressu
» temporis varia hac in re ab eadem Congre-
» gatione Cardinalium prodierint Decreta,
» quibus praefatas Alexandri, aliorumque
» Praedecessorum Literas enarratam Clemen-
» tis Praedecessoris dispositionem, quae ad
» Fratres Recollectos, et Discalceatos hujus-
» modi limitata fuerat, ad omnes Ordines
» Mendicantes, ut praefertur, extendentes,
» et ampliantes, tum servandas fore, tum e
» contrario aliquot ex iisdem Ordinibus Men-
» dicantibus minime obstare resolutum fuit:
» Licetque plures saluberrimae Constitutiones
» certos modum, et formam in fundatione, et
» erectione novorum Conventuum Regularium
» omnino observandos praescribentes, a Sede
» Apostolica, et praesertim ab ipso Clemente
» VIII., ac piae memoriae Urbano VIII., et
» Innocentio X. Romanis Pontificibus Praede-
» cessoribus itidem Nostris generaliter pro-
» mulgatae fuerint; Quia tamen nonnulli ex
» Ordinibus Regularibus ab eadem Sede no-
» vos ubique locorum Conventus, de sola Or-
» dinarii licentia, fundandi specialem facul-
» tatem sibi concedi obtinuerunt, tot in dictis
» Regnis Hispaniarum erecti fuerint, atque
» in dies erigantur novi Conventus, ut Fratres
» antiquiorum Conventuum prope necessaria
» careant sustentatione, ac plerasque lites ad
» impediendam novorum Conventuum hujus-
» modi institutionem coram locorum Ordina-
» riis, ac dilecto Filio Nostro, et dictae Sedis
» in eisdem Regnis Hispaniarum Nuncio, et
» forsan alibi sustinere cogantur; Et haec in
» primis incommoda sentiant Fratres supradi-
» cti Ordinis Minorum S. Francisci de Obser-
» vantia, utpote qui arctam paupertatem pro-
» fitentes, et ob temporum calamitatem, et
» multiplicitatem novorum Conventuum hu-
» jusmodi passim excrescentem, necessariam
» alimoniam vix consequi, minusque praedi-
» ctarum litium expensas subire valent.

» Hinc est, quod Nos ejusdem Ordinis
» Fratrum Minorum S. Francisci de Obser-
» vantia indemnitati, et quieti, simulque an-
» tiquiorum Conventuum observationi in di-
» ctis Hispaniarum Regnis, quantum in Do-
» mino possumus, salubriter providere cu-
» pientes, ac lites, et causas inter eosdem Fra-
» tres Minores, et alios Ordinum Mendican-
» tium praefatorum, super erectiones novo-
» rum Conventuum hujusmodi coram Ordina-
» riis Locorum, et Nuncio praefatis, aliisque

» Judicibus, et Tribunalibus quibuscumque, » occasione diversitatis Decretorum a dicta » Congregatione Cardinalium emanatorum, » seu facultatum novos Conventus praedictos » erigendi concessarum, ut praefertur, vel » alias quomodolibet enatas, et pendentes » (quarum omnium, et singulorum statum, » et meritá, nominaque, et cognomina Judi- » cum, et Collitigantium quorumvis, etiam » speciali mentione dignorum, ac alia etiam » de necessitate exprimenda, praesentibus pro » sufficienter expressis, et specificatis haberi » volumus) a Locorum Ordinariis, et Nuncio, » aliisque Judicibus, et Tribunalibus hujus- » modi, harum serie ad Nos avocantes, illas- » que penitus, et omnino extinguentes, motu » proprio, et ex certa scientia, et matura de- » liberatione nostris, deque Apostolicae Po- » testatis plenitudine, ne ullus in posterum » quorumvis Ordinum Mendicantium, etiam » hujusmodi Fratrum Minorum de Observan- » tia, in Regnis Hispaniarum Conventus, sive » Domus, aut locus Regularis, vigore quo- » rumcumque Privilegiorum, et facultatum a » Romanis Pontificibus Praedecessoribus No- » stris, seu etiam a Nobis hactenus concesso- » rum, seu confirmatorum (salva tamen, et » firma remanente quoad Ordinem Fratrum » Praedicatorum Literarum nostrarum sub » Plumbo Anno Incarn. Dominicae MDCCXXVII. » septimo Kalendas Junii Pontificatus Nostri » Anno tertio expeditarum, quibus per prae- » sentes nullatenus derogare intendimus, for- » ma, ac dispositione), aut in vim Decreto- » rum a memorata Congregatione Cardina- » lium editorum, seu alio quovis praetextu, » vel causâ intra quinque, vel saltem quatuor » Leucas a Conventibus dicti Ordinis Fratrum » Minorum de Observantia, seu Recollecto- » rum, Discalceatorum, Reformatorum, alio- » ve quocumque nomine nuncupatorum, jam » erectis, nisi de speciali, et expressa hujus » S. Sedis licentia de novo erigi, fundari, seu » alias quomodolibet institui, vel inceptus, » seu incepta perfici, et absolvi possit, et va- » leat, tenore praesentium statuimus, et pro- » hibemus.

» Decernentes, easdem praesentes Literas, » etiam ex eo, quod quicumque etiam speci- » fica, et individua mentione, et expressione » digni in praemissis jus, vel interesse ha- » bentes, seu habere quomodolibet praeten- » dentes, illis non consenserint, nec ad ea » vocati, citati, et auditi, neque causae, pro- » pter quas praesentes emanaverint, sufficien- » ter adductae, specificatae, et justificatae » fuerint, aut ex alia quacumque, etiam » quamtumvis veridica, pia, et privilegiata » causa, colore, praetextu, et capite, etiam » in corpore juris clauso, etiam enormis, » enormissimae, et totalis laesionis, nullo » umquam tempore de subreptionis, aut nul- » litatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut in- » teresse habentium consensus, alieve quo- » libet, etiam quantumvis magno, et sub- » stantiali defectu, notari, impugnari, in- » fringi, retractari, in controversiam vocari, » aut ad terminos juris reduci, seu adversus » illas aperitionis oris, restitutionis in inte- » grum, aliudve quodcumque juris, facti, vel » gratiae remedium intentari, vel impetrari, » aut impetrato, seu etiam motu, scientia, » et potestatis plenitudine paribus concesso, » vel emanato quempiam in Judicio, vel ex- » tra illud, uti, seu se juvare posse, sed ipsas » praesentes Literas semper firmas, validas, » et efficaces existere, et fore, suosque ple- » narios, et integros effectus sortiri, et obti- » nere, ac illis, ad quos spectat, et pro tem- » pore spectabit, in omnibus, et per omnia » plenissime suffragari, et ab eis respective » inviolabiliter observari; Sicque, et non ali- » ter in praemissis per quoscumque Judices » ordinarios, et delegatos, etiam Causarum » Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem » Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, e- » tiam de Latere Legatos, et dictae Sedis Nun- » cios, et alios quoslibet, quacumque pote- » state fungentes, sublata eis, et eorum cui- » libet quavis aliter judicandi, et interpretan- » di facultate, et auctoritate, judicari, et de- » finiri debere, ac irritum, et inane si secus » super his a quocumque quavis auctoritate » scienter, vel ignoranter contigerit attentari. » Non obstantibus praemissis, ac quatenus » opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae » Regula *de jure quaesito non tollendo*, ac fel. » mem. Bonifacii VIII. similiter Praedecesso- » ris Nostri, de una, et in Concilio Generali » edita de duabus dietis, dummodo ultra tres » dietas aliquis auctoritate praesentium in Ju- » dicium non trahatur, aliisque Constitutioni- » bus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quo- » rumcumque Ordinum Mendicantium, etiam

» juramento, confirmatione Apostol., vel qua-
» vis firmitate alia roboratis, Statutis, et con-
» suetudinibus, privilegiis quoque, Indultis,
» etiam Mare magnum, vel alias quomodoli-
» bet nuncupatis, ac Literis Apostolicis, il-
» lis, eorumque Superioribus, et personis,
» sub quibuscumque verborum tenoribus, et
» formis, ac cum quibusvis etiam derogato-
» riarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,
» efficacissimis, et insolitis clausulis, irritan-
» tibusque, et aliis Decretis in genere, et in
» specie, ac alias in contrarium praemissorum,
» quomodolibet concessis, confirmatis, et in-
» novatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam-
» si pro illorum sufficienti derogatione de il-
» lis, eorumque totis tenoribus specialis, spe-
» cifica, expressa, et individua, ac de verbo
» ad verbum, non autem per clausulas gene-
» rales idem importantes, mentio, seu quae-
» vis alia expressio habenda, aut aliqua alia
» exquisita forma ad hoc servanda foret, il-
» lorum omnium, et singulorum tenores, for-
» mas, causas, et occasiones praesentibus pro
» plene, et sufficienter, ac exactissime, et ac-
» curatissime expressis, insertis, servatis, et
» specificatis respective habentes, illis alias
» in suo robore permansuris, ad praemisso-
» rum effectum specialiter, et expresse, ac
» plenissime, et amplissime derogamus, et
» derogatum esse volumus, ceterisque contra-
» riis quibuscumque. Volumus autem, ut ea-
» rumdem praesentium Literarum transum-
» ptis, seu exemplis, etiam impressis, manu
» alicujus Notarii publici subscriptis, et Si-
» gillo Personae in Ecclesiastica dignitate con-
» stitutae munitis, eadem prorsus fides in Ju-
» dicio, et extra adhibeatur, quae praesenti-
» bus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae,
» vel ostensae.

» Datum Romae apud S. Petrum sub An-
» nulo Piscatoris die 7. Martii MDCCXXIX.
» Pontificatus Nostri Anno V.

Quoniam autem dilectus Filius modernus Minister Provincialis Provinciae Russiae Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, quod in Russia Polonica Pagi, et Urbes abundant passim Ruthenis, et Judaeis, qui odio plusquam Vatiniano in Latinos feruntur, nec proinde quidquam eleemosynae ab eis sperari potest, ac aliunde illa Regio a Barbaris, Tartaris, et Cosaccis saepe eorum incursionibus depauperatur, itaut longe difficilius Fratres dicti Ordinis necessariam alimoniam consequi valeant, ac proinde dictus Minister Provincialis praeinsertas dicti Benedicti Praedecessoris Literas ad eamdem Provinciam per Nos extendi, et ampliari plurimum desiderat. Nobis praeterea humiliter supplicari fecit, ut sibi praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Ministrum Provincialem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, referente dilecto Filio nostro Josepho Maria S. R. E. praefatae Presbytero Cardinali Ferroni nuncupato, qui relationem Venerabilis Nicolai Archiepiscopi apud Charissimum in Christo Filium nostrum Fridericum Augustum Poloniae Regem Illustrem, Nostrae, et Apostolicae Sedis Nuncii ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, praeinsertas memorati Benedicti praedecessoris Literas pro Regnis Hispaniarum, sicut praemittitur, concessas, ad eamdem Provinciam Russiae ejusdem Ordinis, totumque Poloniae Regnum, auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus, et ampliamus, et quatenus opus sit, auctoritate, et tenore praesentis statuimus, praecipimus, mandamus, et prohibemus, ne ullus in posterum quorumvis Ordinum Mendicantium, etiam ejusmodi Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, intra limites dictae Provinciae Russiae ejusdem Ordinis, ac totius Polonici Regni Conventus, sive Domus, aut locus Regularis vigore quorumcumque privilegiorum, et facultatum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et a Nobis hactenus concessorum, seu confirmatorum, aut in vim quorumcumque Decretorum a memorata Congregatione Cardinalium (cui facultatem derogandi huic nostrae dispositioni, seu hisce nostris Literis in casibus particularibus, et pe-

culiaribus circumstantiis reservamus) editorum, seu alio quovis praetextu, vel causa in quinque, vel saltem quatuor leucas a Conventibus dictorum Fratrum Minorum de Observantia jam erectis, nisi de speciali, et expressa hujus Sanctae Sedis licentia, audito prius Procuratore Generali pro tempore existente, de novo erigatur, fundetur, seu alias quomodolibet instituatur, vel inceptus, seu incepta perficiatur, et absolvatur. Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praefatae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis praefatae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae idem Benedictus praedecessor in suis Literis praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Martii MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

D. Cardinalis Passionеus.

XLIV.** INDULGENTIA PLENARIA.

Perpetua in omnibus Ecclesiis Fratrum, et Monialium Ministro Generali totius Ordinis Minorum Sancti Patris Francisci subjectis pro diebus Festis S. Ludovici Francorum Regis, et S. Elisabeth Reginae Hungariae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injunctae Nobis divinitus Apostolicae servitutis ratio postulat, ut coelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in Terris Sanctorum cum Christo in Coelis regnantium venerationem, excitandamque, et fovendam erga illos Fidelium devotionem, et animarum salutem procurandam speramus in Domino profuturum. Supplicationibus itaque dilecti Filii Caroli Mariae a Perusia Commissarii Generalis Curiae Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus in Sancti LUDOVICI Francorum Regis, ac Sanctae ELISABETH Viduae Regis Hungariae natae festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, Haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, Plenariam; Monialibus vero supradicti Ordinis sub cura, regimine, et administratione Fratrum praefatorum existentibus, et aliis in earum quolibet Monasterio nunc, et pro tempore degentibus vere pariter poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, quae suam respective Ecclesiam in supradictis diebus visitaverint, et, ut praefertur, ut supra oraverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVII. Martii MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

Pro Domino Cardinali Passionco.

Joannes Florius Substitutus.

XLV. OLIVETANÆ

Congregationis Privilegia a Praedecessoribus Pontificibus, et praesertim a Pio II. concessa confirmantur, et ampliantur; novumque superadditur, quo ejusdem Congregationis Abbatibus indulgetur, ut in die festo S. Franciscae Romanae, Pontificalibus in Missa, reliquisque Officiis intra Ecclesias Conventuales Regularis Observantiae uti possint.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ordium a nificentia Sedis in ritos de lesia vi-

Cum semper Apostolicae benignitatis, et munificentiae Nostrae significationes in eos, qui sanctioribus Ordinum Regularium institutis addicti, uberes in vinea Domini virtutis, et honestatis afferunt fructus, libenter edidimus: tum vero eorum votis, ac precibus animum propensius intendimus, quum et petitiones aequitati consonas esse, et concessiones nostras ad augendam Dei gloriam, et Sanctorum cultum amplificandum opportunas fore conspicimus.

ndultis et ilegiis ngregat. natis Oli- decorav. edecesso- Pontifi-

§. 2. Sane pro parte dilecti Filii Flaminii Gandini Abbatis, et Procuratoris Generalis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Oliveti nuncupatae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias nonnulli Rom. Pontifices Praedecessores Nostri dictae Congregationi diversa Privilegia, gratias, favores, et Indulta tum spiritualia, tum temporalia concesserunt, et praecipue felic. record. Pius Papa II. etiam Praedecessor Noster per suas Literas Apostolicas sub datum Petreoli Senensis Dioecesis Anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXII. Tertio Nonas Octobris Pontificatus sui Anno Quinto, inter alias gratias direct ae Congregationi concessas, illius Abbatibus, Visitatoribus, Prioribus, Personis, Monasteriis, Prioratibus, Locis, et Membris, quod ipsi omnibus aliis, et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, et gratiis, Congregationi Sanctae Justinae Paduan. ejusdem Ordinis, ejusque Monasteriis, Prioratibus, Membris, ac Personis, et Bonis per praedictos Romanos Pontifices Praedecessores nostros, tunc suos, quomodolibet elargitis, sub certis modo, et forma tunc expressis, uti possent, et gaudere, ac si illa omnia, et singula primodictae Congregationi specialiter, et expresse indulta fuissent, concessit pariter, et indulsit, prout in dictis Literis plenius continetur. Cum autem subinde, juxta temporum succedentium opportunitatem, aliae concessiones, et gratiae hujusmodi Congregationi Sanctae Justinae, Cassinensium quoque nuncupatae, per alios Romanos Pontifices Praedecessores quoque Nostros, attributae fuerint; pro parte dicti Flaminii Nobis fuit humiliter supplicatum, ut gratias easdem, favore suae primodictae Congregationis extendere, ac alias eamdem Congregationem, praecipue ad augendum in illius Ecclesiis Divini Servitii cultum, aliqua beneficentiae Nostrae praerogativa decorare, ut infra, dignaremur.

Et praesertim Pius II. qui privilegia congr. S. Justinae Paduan. illo usque concessa eidem communicavit.

§. 3. Nos igitur, firma spe, fiduciaque concepta, eamdem Congregationem, quo amplioribus gratiis, et favoribus ab Apostolica Sede cumulari pergat, eo majores pietatis, obedientiae, et obsequii erga Nos, et eamdem Apostolicam Sedem, aliarumque virtutum, et scientiarum fructus edituram fore, hujusmodi supplicationibus annuere, et dicto Flaminio specialem gratiam facere volentes, eumdemque Flaminium a quibusvis excommunicationis etc. absolventes, et absolutum fore censentes, ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, gratias, immunitates, exemptiones, praeeminentias, et indulta a praedictis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris ejusdem primodictae Congregationis Abbatibus, etiam Generali, Prioribus, et Monachis, necnon Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, Domibus, et Locis Regularibus concessa, et elargita, eorum omnium, et singulorum tenores praesentibus pro expressis, et insertis habentes, dummodo tamen sint in usu, et non re-

Confirm. primo Pontifex vetera indulta non revocata, usu recepta, nec Triden. contraria.

vocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, Constitutionibus quoque Apostolicis, et Concilii Tridentini Decretis non adversentur, harum serie confirmamus, et approbamus, illisque Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Inde planas literas ad gratias protendit post Pium ad haec usque tempora universo Ordini S. Bened. et praesert. Congregat. Cassin. et S. Justinae concessas.

§. 4. Ac praeterea eidem primodictae Congregationi, illiusque Abbatibus, Prioribus, et Monachis, necnon Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, Domibus, et Locis Regularibus quibuscumque, ut ipsi, et ipsa, omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, et indultis, aliis dicti Ordinis S. Benedicti, et praecipue Congregationi Sanctae Justinae, seu Cassinensi praedictae, earumque Abbatibus, Prioribus, et Monachis, necnon Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, Domibus, et Locis Regularibus, a Praedecessoribus Nostris praedictis, signanter post praefatas dicti Pii Praedecessoris Literas, sive communiter omnibus, sive earum singulis non tamen ex peculiaribus causis, et titulis, in hunc usque diem, ac etiam per Nos, concessis, et elargitis, ac quibus praefata Cassinen., aliaeque dicti Ordinis Congregationes legitime utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite valeant, perinde ac si privilegia, gratiae, exemptiones, immunitates, concessiones, et indulta hujusmodi, Congregationi primodictae, illiusque Abbatibus, Prioribus, et Monachis, ac Monasteriis, Prioratibus, et Ecclesiis, Domibus, et Locis praedictis directe, et non per medium communicationis hujusmodi, concessa, et concessae fuissent, auctoritate, et tenore praefatis concedimus, et indulgemus, ac privilegia, gratias, exemptiones, immunitates, concessiones, et indulta hujusmodi ad Congregationem primodictam extendimus, et ampliamus.

Ob singularem universae Congreg. devotion. erga S. Francisc. Romao.

§. 5. Porro attendentes eamdem Congregationem erga Sanctam Franciscam Romanam nuncupatam, sui olim, dum in humanis ageret, Instituti Oblatam, aliarumque similium Oblatarum in Urbe Matrem, et Fundatricem, specialis devotionis studium semper professam fuisse et profiteri, illiusque cultum per ipsius Congregationis Professores, in Locis praecipue, ubi Monasteria ejusdem Congregationis extant, propagatum fuisse, itaut in singulis fere eorum Ecclesiis Altare aliquod Omnipotenti Deo in honorem dictae Sanctae dicatum reperiatur, ipsaque Congregatio, praeter Beatum Bernardum Tholomei Fundatorem suum, dictam Sanctam Franciscam in specialem Protectricem agnoscat; ad augendum dictae S. Franciscae cultum, ac illius Festi diei celebritatem, ut in singulis Ecclesiis Conventualibus primodictae Congregationis Monasteriorum, in quibus Claustralis vigeat observantia, dilecti Filii moderni, et pro tempore existentes dictorum Monasteriorum Abbates, die Festo dictae Sanctae Franciscae, Missam solemnem, et Divina Officia, assistentibus sibi uno saltem Diacono, et alio Subdiacono, alioque Pluviali induto, aliisque Clericis, Pontificaliter, et more Episcoporum, praeter tres alios dies, juxta Canonica Decreta praefinitos, servatis tamen alias, tam Literarum in forma Brevi Urbani VIII. incipien. *Exponi* sub datum Romae sub Annulo Piscatoris die V. Aprilis MDCXXIX. expeditis, quam generalis Decreti Alexandri VII. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum die XXVII. Septembris MDCLIX. editi, respective forma, et dispositione, et non alias, celebrare libere, et licite possint, et valeant, Apostolica auctoritate praedicta, harum quoque serie etiam concedimus, et indulgemus: Iisdemque modernis, et pro tempore existentibus primodictae Congregationis Abbatibus plenam, et liberam potestatem, et auctoritatem desuper impertimur.

Ut sacra ipsi die in Claustrali Ecclesiis Missam, divinaque Officia Abbates Pontificaliter celebrare possint, sub certis modis indulget.

§. 6. Eosdemque modernos, et pro tempore existentes dictae Congregationis Abbates, Monachos, et Personas super praemissis, aut eorum aliquo, a quibusvis Locorum Ordinariis, vel aliorum Ordinum, et Congregation. Abbatibus, aut aliis quibuscumque, quavis auctoritate, et quovis praetextu, colore, vel ingenio, publice, vel occulte, directe, vel indirecte molestari, inquietari, aut perturbari ullo umquam tempore nullatenus posse, neque debere: Praesentes quoque Literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu minime notari, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis Dispositionibus, per quascumque Regulas, et Constitutiones Apostolicas per Nos, et Successores nostros Romanos Pontifices pro

Firmantur superius statuta.

tempore existentes, etiam Motu proprio, ac alias sub quibusvis tenoribus, et formis pro tempore factis, et faciendis, et concessis, ac concedendis, comprehendi, sed semper ab illis excipi, ac illa semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere: Sicque, et non alias per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere decernimus; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

derogatio rariis iuscum-

§. 7. Non obstantibus praedictis Urbani Literis, et Alexandri Praedecessorum praedictorum Decretis in ea parte, qua praesentibus adversantur, ac quibusvis aliis Apostolicis, seu in Synodalibus, Provincialibus, Generalibusque Conciliis, editis, vel edendis, Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon primodictorum Ordinis, et Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis dicto Ordini, et Congregationi primodictae, ac quibusvis aliis Superioribus, et Personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum, quomodolibet forsan concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

ctio poe-

§. 8. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, concessionis, Indulti, extensionis, ampliationis, decreti, et derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto, Kalendis Aprilis Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

Dat. prim. Aprilis 1755. Pont. an. 15.

J. Card. Pro Datar.

D. Card. Passionei.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

BREVE XLV.*

Quo Judex Delegatus Apostolicus pro tempore, in tota Sardinia declaratur exemptus ab Ordinarii, et aliorum omnium Judicum Jurisdictione, solique Sedi Apostolicae subjectus, in quibuslibet Caussis passivis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum decretum tenoris, qui sequitur videlicet — Calaritana Exemptionis — Ne Sardi cum periculo, vel libertatis, vel vitae amittendae Romam ad appellationes prosequendas venire cogerentur, Magnus ille, atque aeternae memoriae Pontifex Pius II. perpetuis futuris temporibus officium Judicis Appellationum instituit in eodem Regno pro uno Judice Ecclesiastico, qui Causas Ecclesiasticas, tam Beneficiales, quam alias quarumcumque appellationum a quibusvis definitivis sententiis, aut gravaminibus, tam ab Ordinariis, quam ab aliis Judicibus interpositarum cognosceret, easque decideret, ac debitae executioni demandaret. Delegati hujus Apostolici facultates in pluribus revocatae fuerunt in dubium; sed san. mem. Urbanus VIII. literis suis datis anno MDCXXVI. eas vel declaravit, vel ampliavit, voluitque, ut Judex praedictus posset officium hujusmodi in tota Insula ultra tres Dietas exercere, omnes, et quascumque appellationum Causas cogno-

scere, nec non subdelegare, et Commissarios per Insulam ultra tres Dietas transmittere, servata tamen forma Privilegiorum eidem Judici a Sede Apostolica concessorum, et insuper postquam a sententia definitiva Metropolitani ad dictum Judicem appellavit, Partem appellantem Caus. Cur. Cam. Apostolicae Generalem Auditorem, seu Sedem Apostolicam adire, forumque praedicti Judicis, nisi per eum legitime praeventum, et causa similiter introducta fuit, vitare respective posse. Solet autem Sedes Apostolica huic muneri, officioque praeficere Canonicum aliquem aut Cathedralis, aut Metropolitanae Ecclesiae, seu aliam Personam in Ecclesiastica Dignitate constitutam, quam delegat cum omnibus honoribus, gratiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, et emolumentis. Nova tamen Anno MDCLXXII. incidit quaestio de exemptione Delegati hujus Apostolici a Jurisdictione aliorum Judicum, quae acta fuit in hoc Sacro Tribunali duobus Dubiis — I. An Ordinarii Locorum possint de praetensis excessibus Judicis ad Universitatem Causarum Appellationum cognoscere, vel potius teneantur ad Sanctam Sedem cognitionem remittere — II. An dictus Judex Appellationum in Causis civilibus, aut criminalibus sit exemptus a Jurisdictione Ordinariorum, et aliorum quorumcumque Judicum Saecularium, et Regis, et sic ejus Officiales, et Assessores Fiscales, Notarii, Bajuli, et continuo Commensales? Respondit Sacrum Tribunal: Ad primum non posse, sed recurrendum ad Sanctam Sedem: Ad secundum *Affirmative* quoad Judicem, et quoad Officiales, et alios, *dilata;* Post haec Decreta nihil actum est: Nuper autem exemptio Delegati in Dubium iterum revocari visa est; Causam dedit controversia quaedam Decimaria inter Canonicum Joannem Baptistam Fulguerium, qui Delegati munere fungitur, et Sacerdotem Franciscum Angelum Marcellum. Fulguerius igitur, ne ulla deinceps hac de re agatur controversia preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro postulans, ut exemptionem Literis suis confirmaret, exemplo Urbani Praedecessoris, qui (ut narravimus) Dubia, quae de Jurisdictione orta fuerant, Literis suis definivit. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus, auditoque jam Archiepiscopo, Causa proponitur; Urgente Fulguerio Decreta, quae paulo ante dedimus hujus Sacri Tribunalis, quibus exemptio definita fuit. Addit jure fieri non posse, ut Vicarius Summi Pontificis, et Delegatus Apostolicus, qui supra Episcopos, et Archiepiscopos Jurisdictionem exercet, eorum Jurisdictioni subjiciatur. Perniciosum hoc etiam esse posse Litibus, et Judiciis, quae Delegati expedire, ut vellent, non poterunt, nisi soluti metu, potestate, et Jurisdictione Episcoporum. Dubium est, an sit consulendum Sanctissimo pro concessione exemptionis Judici Delegato Apostolico pro tempore in Regno Sardiniae ab Ordinario, et aliis quibuscumque Judicibus ejusdem Regni in omnibus illius Causis, tam activis, quam passivis, ejusque immediatae subjectionis S. Sedi Apostolicae in casu etc. Die xx. Julii MDCCLIV. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit *Affirmative in Causis passivis tantum*, et facta per infrascriptum Secretarium relatione Sanctissimo D. N. Die VII. Augusti ejusdem Anni MDCCLIV. Sanctitas Sua d. Sac. Congregationis Sententiam benigne approbavit. M. Card. Millini Praef. — J. A. Furiettus Secretar. — Loco ✠ Sigilli — Cum autem, sicut D. Jo. Baptista Nobis subinde exponi fecit, ipse, Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Jo. Baptistam specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, et quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum authoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis authoritate memoratae Congregationis Cardinalium: decernentes easdem praesentes Literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et

Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Aprilis MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

D. Card. Passioneus.

XLV.** LITERÆ APOSTOLICÆ

Quibus confirmatur erectio novi Oratorii publici S. Isidori ad Thermas, et Cappellaniae perpetuae in eo institutae: Pluresque gratiae spirituales in eodem Oratorio conceduntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ut alimenta Civium nunquam deficerent, et justum Annonae pretium in populosa Romana Urbe constans atque perpetuum esset, felicis recordationis Praedecessores Nostri Gregorius XIII., Urbanus VIII., et Clemens XI. Romani Pontifices, prudenti consilio, et provida munificentia, in ea Urbis Regione, quae Diocletiani Thermarum vestigia nomenque servat, amplissima Frumentis cogendis et conservandis Horrea extruxerunt, quorum praesidio jam pluries effectum est, ut in generali frugum penuria, neque Populus Romanus, neque plurium circa Locorum et Civitatum habitatores, necessariis rebus ad vitae sustentationem caruerint, aut inopiae difficultates, et incommoda senserint. Sed quoniam incertae sunt providentiae Nostrae, et irriti Mortalium conatus, nisi universi Dominus et Moderator Deus manum suam super Nos aperiat in benedictionibus; quum aliquot ab hinc annis praesentem ipsius Numinis opem, in concessa Segetum ubertate per omnem Pontificiae Ditionis tractum, experti simus, ad perenne grati animi Nostri monumentum erga Divinae providentiae largitatem, simulque ad coelestium beneficiorum copiam in hoc rerum genere perpetuo implorandam, quotidiana Sacra instituere, et peculiarem locum tam justo officio exercendo dicare statuimus.

Idcirco intra ejusdem Ædificii ambitum, prope Militum custodiam alias ibidem opportune locatam, publicum Oratorium Omnipotenti Deo in honorem Sancti Isidori Agricolae erigendum mandavimus dilecto Filio Magistro Xaverio Canale Nostro et Sedis Apostolicae Notario Prothonotario nuncupato, Camerae Nostrae Clerico Annonae Praefecto, qui pro eximia, qua pollet in rebus agendis dexteritate, et Officii sibi demandati sedula administratione mandatis Nostris ita diligenter obtemperavit, ut idem Oratorium jam apte constructum, et decenter ornatum conspiciatur.

Praeterea eidem Xaverio, per Nostrum speciale Chirographum die VII. mensis Decembris proxime praeteriti Manu Nostra signatum, injunximus et commisimus, ut unam in dicto Oratorio perpetuam Cappellaniam, pro uno Presbytero, ex nunc per dictum Xaverium, et deinde per ejusdem Annonae Praefectum pro tempore existentem, deputandum, qui diebus singulis in dicto Oratorio sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, vel celebrari facere teneatur cum annua assignatione scutorum octogintaquatuor monetae Romanae, ex pecuniis Capsae ipsius Annonae, auctoritate Nostra perpetuo erigeret et institueret, prout in dicto Chirographo, quod sub die XII. ejusdem mensis, in eadem Camera, per Acta dilecti etiam Filii Gregorii Castellani unius ex ipsius Camerae Secretariis, exhibitum, et executioni demandatum fuit, plenius continetur.

Nunc igitur Nos, qui proxima die undecima currentis mensis Maji Oratorii praedicti aperitionem ducimus faciendam, eaque die, si ita Domino placuerit, Nos ipsi sacrosanctum in eo Sacrificium celebrare in animo habemus; nedum omnia praemissa, et per dictum Xaverium, de mandato Nostro peracta probare; Sed dictum quoque Oratorium spiritualium gratiarum muneribus ditare justum et aequum censentes: Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Oratorii praedicti, et in eo Cappellaniae hujusmodi erectionem, prout in dicto Chirographo exprimitur, cum omnibus et singulis in eo contentis Clausulis et decretis, harum serie perpetuo confirmamus et approbamus, illisque Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnes-

que et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum defectus, si quis desuper in iisdem intervenerint, harum serie supplemus et sanamus.

Insuper ad augendam Omnipotentis Dei gloriam, et dicti Sancti Isidori cultum, cujus interventioni Nostras, et dilectissimi Populi preces pro copiosis Segetum messibus, atque Frumenti in eisdem Horreis collecti conservatione, perpetuo commendamus, de ejusdem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, sacraque Communione refectis, qui Oratorium praedictum singulis annis die Festo dicti Sancti Isidori a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi devote visitaverint, ac inibi juxta mentem piamque intentionem Nostram aliquo temporis spatio oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino etiam perpetuo concedimus et elargimur.

Iis vero, qui expositioni Sanctissimi Sacramenti in dicto Oratorio tribus diebus Festum praedicti Sancti Isidori antecedentibus de mane tantum aliquo temporis spatio faciendae devote interfuerint, et expositione hujusmodi durante pias ad Deum preces effuderint; quique diebus Rogationum Oratorium praefatum visitaverint, et, ut supra, oraverint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta singulis vicibus relaxamus.

Praeterea Altare dicti Oratorii speciali Privilegio decorare cupientes, ut quoties Sacerdos, qui pro dictae Cappellaniae, ut praefertur erectae adimplemento Missam quotidie ad dictum Altare pro Anima cujusvis Fidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit celebrabit, Anima ipsa de Thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur et veniam: Itaut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, Anima ipsa a Purgatorii poenis liberetur, etiam concedimus et indulgemus.

Ministris autem Annonae, aliisque Operariis illius servitio quomodilibet addictis, qui Missae Sacrificio in dicto Oratorio quotidie, ut praefertur, celebrando devote, et cum debita mentis attentione interfuerint, qualibet vice, centum dierum Indulgentiam in eadem forma Ecclesiae consueta; necnon Indulgentias Stationum Ecclesiarum ipsius Urbis, sive intra, sive extra illius Muros, si diebus Stationum hujusmodi in Missali Romano descriptis idem Oratorium visitaverint, et, ut supra, preces effuderint, concedimus et elargimur.

Praesentes demum Literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu notari aut impugnari ullatenus posse neque deberé, sed semper et perpetuo validas, et efficaces existere, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per Nos vel Romanos Pontifices Successores Nostros, aut Sedem Apostolicam pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis excepta esse et fore: Et, si secus super his a quoqam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de Indulgentiis non concedendis ad instar, et, quatenus opus sit, quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis; quibus omnibus et singulis specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrae confirmationis, approbationis, roboris adjectionis, defectuum suppletionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, indulti, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto, Pridie nonas Maji, Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

J. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

Visa

De Curia J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

LVI.

SANCTÆ INQUISITIONIS

Officialium seu Ministrorum numerus, deputationis forma, qualitates, onera, privilegia et exemptiones reales et personales, tum in Civilibus Causis, tum et Criminalibus, distinctim recensentur, ac perpetua Constitutione praecedentis Motus proprii confirmativa, futuris quibuscumque abusibus, vetitisque ampliationibus occurritur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium rialis cu- Pontifi- adhibita formau- Tribun.

Ad Supremum Justitiae Solium, nullis quidem meritis nostris, sed inscrutabili Divinae Providentiae consilio evecti, inter praecipuas muneris nostri curas atque sollicitudines, eam semper gravissimam existimavimus, ut diligenter investigantes, quaenam in singulis Tribunalibus, praesertim hujus nostrae Almae Urbis, universaeque Ditionis Ecclesiasticae, servaretur administrandae justitiae ratio, abusus omnes in ea pedetentim inductos de medio tollere, ac depravata quaeque ad pristina et recta instituta revocare; si quid autem praeterea desiderari videretur, nova lege supplere pro viribus adniteremur: haud ignorantes, cujusvis Reipublicae, praesertim vero illius, quae pacato undique regimine continetur, firmissimum in recta justitiae administratione positum esse praesidium. Suscepto libenter oneri implendo quantopere adlaboraverimus, satis testantur plures, quae in Bullario nostro occurrunt, hac ipsa de re per Nos editae Constitutiones, quibus abunde consultum existimamus optimo regimini eorum Tribunalium, quae hactenus, veteribus redintegratis, aut novis superadditis legibus, instaurare ac reformare constituimus. At vero nunc pares sollicitudinis nostrae curas exposcere visa sunt Officia illa, quae per diversas Civitates, atque Provincias, cum Civilis et Criminalis jurisdictionis exercitio distributa, unum, *Sancti Officii* nuncupatum, Tribunal constituunt, quod a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa Christiana Republica contra Haereticam pravitatem Inquisitorum Generalium, a Nobis, et ab Apostolica Sede specialiter deputatorum, immediate pendet, et ab ea auctoritatem, agendique normam desumit. Quamvis enim, ad accuratiorem trutinam revocatis omnibus, quae ad hujusmodi Tribunalis facultates et jura, Causarum quoque et Personarum illius Foro subjectarum naturas et qualitates, caeteraque illius systematis atque ordinis adjuncta pertinent, nihil fere deprehenderimus, quod vel a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, per Apostolicas Constitutiones, vel ab ipsa Congregatione, per iterata Decreta, seu etiam per Encyclicas literas, sapienter ac recte ordinatum, et constitutum non fuerit, ita ut vix unum aut alterum se obtulerit rerum Caput, quod nova sanctione suppleri atque juvari mereretur: nihilominus quum plura ex iis, quae saepe statuta ac demandata fuisse non ignoramus, praesertim circa ipsius Tribunalis Officiales, Ministros, et Familiares, non ita exacte, ut par erat, ubique servari, et maxime per Provincias Ecclesiasticae Ditionis parum diligenter custodiri constaret, facile intelleximus id quidem ut plurimum ex praemissarum Constitutionum et Decretorum ignoratione, aliquando etiam ex affectata dissimulatione, aut ex arbitraria et incongrua eorumdem interpretatione provenire. Quumque ea de causa praefiniti jurisdictionum limites, et recta justitiae reddendae methodus frequentibus transgressionibus pateant, multaque exoriantur incommoda, et multo plura disseminentur dicteria, quae immeritam plane de aequissimo Tribunali opinionem aliquibus ingerunt, et in eorum animis fovent; Idcirco Nos hujusmodi malis remedium efficax atque perpetuum afferre volentes, de consilio eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, collectis atque resumptis plerisque Decretis, Statutis, Resolutionibus, atque Declarationibus, praesertim circa memoratorum Officialium, Ministrorum, et Familiarium electionem, seu deputationem, qualitates, onera, et privilegia, tam Apostolica dictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, et Nostra, quam etiam ipsius Congregationis Cardinalium auctoritate et providentia, hactenus editis et emanatis, ea omnia et singula in quadam Schedula nostri Motus proprii superioribus diebus manus nostrae subscriptione firmata distincte exposuimus, aptumque in ordinem redegimus, paucis

Ne ea, quae recte constituta sunt, ignorentur, aut negligantur.

Pontifex de consilio etc. opportuna Decreta colligit in sua Schedula Motus proprii.

ejusdem citudo ad Tri- a Con- S. Offi- epend.

adjectis, quae ad eumdem recti ordinis asserendi finem, tam Nobis, quam ipsis Praedecessoribus nostris, ejusdemque Congregationis Cardinalibus praedictis semper propositum, conducere et opportuna fore judicavimus: Quam quidem Schedulam cum omnibus et singulis in ea contentis, sanctis, et ordinatis, novo et solemniori Apostolicae confirmationis munimine roborare volentes, illam per praesentes, ab omnibus et singulis, ad quos spectat, exactissime observandam tradimus et injungimus.

Schedulae tenor inseritur.

Sequitur tenor dictae Schedulae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

§. 2. » Ancorchè la nostra Congregazione dei » Cardinali specialmente deputati Generali In» quisitori contro l' eretica pravità in tutta la » Cristiana Repubblica abbia con somma at» tenzione, e con indefessa diligenza sempre » mai invigilato, che li Privilegj, de' quali » godono gli Uffiziali, Ministri, e Familiari del » S. Officio, non sieno di aggravio alle Comu» nità, e non perturbino il corso e buon' ordi» ne della giustizia, per ciò che appartiene alli » beni e persone particolari di essi Ministri, e » Familiari, come chiaramente dimostrano le » tante risoluzioni, e Decreti, e le replicate » Istruzioni, e lettere anche circolari di essa » Congregazione.

§. 3. » Tuttavia, perchè meglio apparisca » a tutti l' equità, e moderazione de' suddetti » Privilegj, e perchè gli uomini non bene in» formati, depongano finalmente una volta » quell' apprensione, in cui taluni sono, del » tutto contraria alla verità delle cose; abbia» mo perciò determinato di fare ad ognuno pa» lese, quali sieno gli Uffiziali, e Ministri, » che chiamansi *Patentati Privilegiati*, e quali Divisione generale. » sieno quei Familiari, che si chiamano *Pa» tentati Semplici*: a chi appartenga la deputa» zione sì degli uni, che degli altri: le qualità » che respettivamente si richieggono in cadau» no di essi: le incombenze, e pesi, a' quali » debbono soggiacere: e finalmente i Privilegj, » e l'esecuzioni, dei quali debbono meritamen» te godere in retribuzione e premio del lor » servigio.

§. 4. » Inerendo pertanto ai Decreti più » volte fatti, e ai provvedimenti più volte presi » da detta nostra Congregazione, e quelli ap» provando, rinnovando, e confermando nelle » parti non contrarie alla presente, CON QUE» STA NOSTRA COSTITUZIONE DA VALE» RE IN PERPETUO, sotto la quale però non » intendiamo comprendere nè l' Inquisizione » di Malta, nè altre Inquisizioni fuori del no» stro Stato Ecclesiastico, quali si reggono, e » governano colle proprie loro lodevoli costu» manze, ammesse, ed approvate dai Sommi » Pontefici Nostri Predecessori: di Nostro Moto » proprio, certa scienza e pienezza della nostra » Apostolica autorità, con il consiglio e pare» re di detti Cardinali Inquisitori, ordiniamo » e dichiariamo, che in quelle Città, e Luoghi, » ove trovasi fissato il Tribunale della Santa » Inquisizione, mediante la residenza degl' In» quisitori, i Patentati, che si chiamano *Privi» legiati*, non siano più di cinque, cioè l' In» quisitore medesimo, il Fiscale, il Procuratore » dei Rei, il Notajo, o sia Cancelliere, e il Man» datario. E che nelle altre Città, Terre, o » Luoghi, ove non risiedono gl' Inquisitori, » ma i loro Vicarj Foranei, li Patentati Privi» legiati non siano più di tre, cioè il medesi» mo Vicario, il Cancelliere, o sia Notajo, e » il Mandatario: conciossiachè senza l' opera » di tali Ministri non potrebbe sussistere il » Tribunale della Santa Inquisizione.

Quali siano i Patentati Privilegiati.

§. 5. » La deputazione de' suddetti Vicarj, » Fiscali, Procuratori dei Rei, Cancellieri, e » Mandatarj, vogliamo che, privativamente ad » ogni altro, spetti ed appertenga, come di pre» sente appartiene, alla detta nostra congre» gazione dei Cardinali Generali Inquisitori, » e che da essa se ne spediscano le Patenti fir» mate, e sottoscritte di propria loro mano; e » per quello appartiene alla deputazione de» gl' Inquisitori locali, vogliamo si osservi il » solito, e quello stesso che si osserva presen» temente.

A chi appartiene la deputazione medesima.

§. 6. » Non sarà perciò lecito ai Vescovi » dare a veruno alcuna patente, o viglietto di » Uffiziale, Ministro, o Familiare del S. Offi» cio, dovendo i Vescovi, anche nei Processi, » e Cause di Fede, prevalersi de' proprj loro » Uffiziali, e Ministri ordinarj, e così nettam» poco sarà lecito agl' Inquisitori locali di dare » a veruno alcuna Patente di Vicario, di Fi» scale, di procuratore de' Rei, di Cancelliere,

» o di Mandatario; anzi neppure sarà lecito ai » medesimi deputare questi tali Uffiziali per » modo di provisione con il titolo di Pro-Vi- » cario, Pro-Fiscale, Pro-Mandatario, e simi- » li; ma solamente potranno, o dovranno i » suddetti Inquisitori Locali, in caso di vacan- » za di alcuno de' riferiti Uffizj, proporre alla » Congregazione tre soggetti per l' Uffizio, che » vaca, con rappresentare nello stesso tempo » le qualità, e i requisiti di ciascheduno, se- » condo le istruzioni, e le lettere circolari più » volte trasmesse da essa Congregazione. E » se mai nel frattempo della vacanza, o anche » di altro forzoso impedimento, occorresse il » bisogno di fare senza indugio qualche atto » appartenente ad alcuno de' suddetti Uffiziali; » in tal solo caso permettiamo agl' Inquisitori » Locali di deputare in iscritto, e per quel- » l'unico atto, Persona onesta ed idonea, colle » facoltà necessarie ed opportune.

ilità ne- arie nei entati ilegiati.

§. 7. » Prima di concedere alcuna di dette » Patenti Privilegiate, dovrà la Congregazione » attentamente osservare, come ha sempre mai » lodevolmente osservato, che quei soggetti, » a' cui si concedono, siano persone di buona » fama, non inquiete, non rissose, non disso- » lute, non inquisite, o contumaci della Giu- » stizia, non gravate di molti debiti; e che non » abbiano attualmente inimicizie: che non sia- » no Soldati, non Patentati, Uffiziali, o Mini- » stri di altro Tribunale, o Magistrato; e par- » ticolarmente che fuori del caso di vera ne- » cessità, non siano Parrochi, o Sacerdoti, » da' quali, per altro qualunque titolo si eser- » citi la cura dell' Anime: nè siano Vicarj Fo- » ranei, Cancellieri, o Ministri della Curia Ve- » scovile.

§. 8. » Di più dovrà osservare, che cia- » scuno di detti Patentati Privilegiati sia vera- » mente abile, idoneo, e proporzionato ad eser- » citare per se stesso l' impiego, per cui se gli » concede la patente; e perciò, che i Vicarj » siano veramente forniti di zelo, prudenza, » e dottrina sufficiente, in quanto permette la » qualità del luogo: che siano Sacerdoti Rego- » lari, se possono aversi Regolari, non però » Minori Osservanti, nè Cappuccini. Che non » si deputi, e constituisca un Vicario in ogni » Terra o Luogo, ma di più Terre, e Luoghi si » formi un solo Vicariato, e nel più grosso, e » popolato di essi, in cui il Vescovo sia solito » di tenere il suo Vicario Foraneo, si deputi e » costituisca il Vicario del S. Offizio, restrin- » gendo in tal guisa, per quanto è possibile, » il numero dei Vicariati, e sopprimendo quel- » li, che l' esperimento del tempo passato ha » fatto o farà conoscere non essere necessarj » per conservare la purità della S. Fede.

§. 9. » Che tanto il Fiscale, come il pro- » curatore de' Rei, siano sempre Dottori di leg- » ge, ed attualmente addetti alla Professione » Legale. Che almeno per l' avvenire restino » esattamente eseguiti gli ordini altre volte » dati da essa Congregazione, cioè che i Can- » cellieri non siano persone nobili, ma Notaj » di Professione, oppure Cherici Secolari, ca- » paci, ed abili per esercitare un tale impiego. » Che molto meno il Mandatario sia persona » nobile, anzi neppure Mercadante, ma al più » semplice Artegiano, sempre però persona » onesta e dabbene. E finalmente, che niuno » di detti Patentati Privilegiati possieda quan- » tità considerabile di Beni, specialmente sta- » bili: e che ciascheduno di detti impieghi si » conceda ad una sola e non a più persone, e » che in una medesima Famiglia non mai vi » siano due patentati Privilegiati.

Le patenti privilegiate si concedano gratis.

§. 10. » La concessione di dette Patenti pri- » vilegiate dovrà farsi in tutto gratis, onde per » ottenere dagli inquisitori Locali la nomina » di detti Uffizj Privilegiati, si proibisce es- » pressamente ai medesimi Inquisitori di rice- » vere sotto qualsivoglia titolo, o pretesto, pro- » messa, o donativo di sorta veruna, tanto » avanti, che dopo la nomina: comeppure si » proibisce agl' istessi Inquisitori, e a quelli, » che saranno da loro nominati, di promette- » re, o dare alli Ministri, ed Uffiziali di Ro- » ma, e respettivamente a questi, di ricevere » danaro, o altra benchè minima cosa, per la » spedizione, e consegna delle Patenti. E con- » travvenendo alcuno di essi, oltre la priva- » zione dell' Uffizio, o di ogni altro impiego » nella S. Inquisizione, vogliamo che incor- » rano *ipso facto* nella Scomunica maggiore ri- » servata a Noi, e nostri Successori, e di più » se saranno Regolari, cadano parimente *ipso* » *facto* nella privazione della voce attiva, e » passiva, e nella inabilità perpetua a qualun- » que grado della loro Religione: permetten- » dosi solamente il dare, e respettivamente ri- » cevere da chi voglia spontaneamente darli, » quei donativi di esculenti, e poculenti, che » si sogliono dare, e ricevere nelle Feste del

» Santo Natale, e nel principio d'Agosto, pur-
» chè i suddetti donativi si facciano senza frau-
» de, e possano consumarsi in tre giorni.

Pesi dei Patentati privilegiati.

§. 11. » I suddetti Inquisitori, Vicarj, Fi-
» scali, Procuratori de' Rei, Cancellieri, e
» Mandatarj saranno tenuti a prestare il solito
» giuramento *de fide et silentio in perpetuum ser-*
» *vando*, e ciascheduno di essi ad esercitare
» l' Uffizio, che se gli commette, con tutta at-
» tenzione, e diligenza: Per lo che dovranno
» continuamente abitare con fisso, e stabile
» domicilio, in quel luogo, ove debbono eser-
» citare l' impiego destinatogli nella Patente;
» Nè da questa continua residenza potrà alcu-
» no di essi essere dispensato per qualunque
» sia causa dagl' Inquisitori Locali: Riservan-
» do però alla Congregazione de' Cardinali In-
» quisitori la facoltà di accordare la licenza di
» assentarsi per pochi giorni, qualora vi con-
» corra giusta e legittima causa, e non possa
» probabilmente temersi, che patisca perciò il
» buon servigio del Tribunale; Anzi che, in
» caso di mancanza, saranno tenuti i medesimi
» Inquisitori farne sollecita rappresentanza
» alla Congregazione, e attendere da essa le
» opportune providenze.

Privilegi de' Patentati privilegiati.

§. 12. » In premio poi, correspettività, e
» retribuzione dell'attenzione, e fatiche loro e
» del peso suddetto di risedere, i soprannomi-
» nati Patentati Privilegiati, quali servono al
» S. Tribunale senza mercede, e salario alcu-
» no, oltre le grazie spirituali concedute dai
» Sommi Pontefici nostri Predecessori, quali
» ancor Noi rinnoviamo, e confermiamo, go-
» deranno ancora, e dovranno godere degl' in-
» frascritti Privilegj nel modo che siegue.

Delazione dell'armi.

§. 13. » Primieramente godranno il Privi-
» legio non solamente per se, ma ancora per
» un loro Servitore attuale, quando il Paten-
» tato Privilegiato non sia Regolare, ma Seco-
» lare, della libera delazione delle armi tanto
» offensive, che difensive, non solamente per
» propria difesa loro, ma pur anche del Sant'Of-
» ficio; Eccettuate però le armi proibite nello
» Stato Ecclesiastico anche ai Ministri delle
» Corti Secolari, nella Bolla: *Cum vices ejus*,
» di S. Pio V. nell'altra: *Etsi cuncta*, di Ales-
» sandro VIII. e nell' altra: *In supremo Justi-*
» *tiae Solio*, di Clemente XII. Quali armi non
» sarà loro lecito portare, nè ritenere, sotto le
» pene contenute in dette Costituzioni. E tutto
» ciò senza pregiudizio dei Decreti altre volte
» fatti per le Inquisizioni fuori di Stato, cioè
» che i Patentati Privilegiati del S. Offizio pos-
» sano portare, e ritenere quelle medesime ar-
» mi, che possono ivi portare e ritenere i Mi-
» nistri delle Corti Secolari.

Esenzione dai pesi Comunit. Esenzione dai pesi personali.

§. 14. » Dovranno inoltre i suddetti Patentati
» Privilegiati riputarsi *in omnibus ad instar Cle-*
» *ricorum*, e perciò godere di quella medesima
» esenzione, della quale godono gli Ecclesia-
» stici, dai pesi Comunitativi, tanto personali,
» che reali. In virtù dell' esenzione personale
» non potranno i detti Patentati Privilegiati,
» essere angariati, o perangariati, e molto me-
» no rappresagliati per debiti delle loro Co-
» munità; anzi neppure essere costretti ad ac-
» cettare alcun Uffizio, o Carica pubblica: qual
» Privilegio di esenzione dalle Cariche pubbli-
» che è stato da Noi conceduto anche ai Bar-
» gelli, e Custodi delle Carceri. Ma se nondi-
» meno alcuno di essi di sua spontanea volon-
» tà chiederà, ovvero accetterà alcuna delle
» Cariche pubbliche, vogliamo che in tal caso,
» senz' altra dichiarazione, s'intenda *ipso fa-*
» *cto* decaduto e privato non solo del Privilegio
» personale, del quale parliamo, ma pure an-
» che del Privilegio del foro del S. Officio, del
» quale si parlerà più sotto, e che resti sogget-
» to alla Giurisdizione dei Magistrati, e Go-
» vernatori Locali, in tutto ciò, che apparti-
» ne all' esercizio di essa Carica, e di più che
» non possa in appresso scusarsi dall' accettare
» e dall' esercitare ogni altra Carica, ed ogni
» altro Uffizio tanto lucroso, che non lucroso,
» pel quale venga eletto dalla medesima Co-
» munità.

Esenzione dai pesi reali.

§. 15. » In virtù dell' esenzione reale, vo-
» gliamo, che i beni spettanti alli più volte no-
» minati Patentati Privilegiati, in qualunque
» luogo posti, e situati, sieno pienamente esen-
» ti da tutte quelle collette, e pesi Comunitati-
» vi, dai quali sono esenti gli Ecclesiastici; Ma
» rispetto a quelli, dai quali per qualunque
» sia ragione non sono esenti gli ecclesiastici,
» nettampoco saranno esenti i beni di detti Pa-
» tentati Privilegiati; dovendosi, come si è
» detto, l' esenzione reale di questi regolare in
» tutto e per tutto, come quella degli Eccle-
» siastici.

§. 16. » Ma sebbene i patentati Privilegiati
» godono e debbono godere *ad instar Ecclesia-*
» *sticorum* il Privilegio di esenzione, tanto per-
» sonale, che reale dai pesi Comunitativi, co-

» me si è detto fin' ora; non godono però, nè » debbono goder alcuna sorta d' Immunità lo- » cale, o sia nelle loro Case, o sia ne' loro Po- » deri; E perciò dichiariamo non esser lecito » nè permesso ai medesimi Patentati tenere so- » pra le loro Case, Cantine, Botteghe, o Pos- » sessioni, l' Arme, e l' Insegna del S. Officio, » volendo che questo sia solamente permesso » nella Casa, e luogo, ove è stabilito, e si tie- » ne il Tribunale.

Privilegio foro del Officio.

§. 17. » Oltre i suddetti due Privilegj della » delazione delle Armi e della esenzione tanto » personale, che reale dai pesi Comunitativi, » gl' Inquisitori locali, e Vicarj Fiscali Pro- » curatori de' rei, Cancellieri, e Mandataj sud- » detti, e quando alcuni di essi abbia moglie, » anche le loro mogli, e finalmente i figliuoli, » purchè abitino, e convivano ad una stessa » mensa con loro, debbono ancora, e dovran- » no godere del Privilegio del Foro, che chia- » masi del S. Officio, tanto in Civile, che in » Criminale; purchè però non siano Vicarj Fo- » ranei, Cancellieri, o altri Ministri della Cu- » ria Vescovile, oppur Parrochi, o altri Sa- » cerdoti con cura di Anime; poichè qualora » questi per vera indispensabile necessità sia- » no destinati ad esercitare alcuni de' suddetti » impieghi Privilegiati del S. Officio, non per- » ciò potranno sottrarsi, ma dovranno sempre, » come prima, rimaner soggetti all'obbedien- » za, Foro, e giurisdizione del Vescovo.

Civili

§. 18. » Affinchè poi in ordine a questo » Privilegio del Foro non insorga in avvenire, » per quanto è possibile, alcuna dubbiezza e » controversia: incominciando *dalle Cause Ci- » vili*, ordiniamo e dichiariamo, che li sud- » detti Patentati Privilegiati debbano goderne, » quando sono Cause indifferenti, ma non » quando sono Cause *Feudali*, o *Fiscali*, o » quando si tratti di pagamento di collette, e » Gabelle, per le quali i suddetti Privilegiati » non siano, come sopra, esenti; poichè tali » Cause dovranno sempre conoscersi, e termi- » narsi da i suoi Giudici proprj, cioè da i Giu- » dici Fiscali, et Ordinarj. E cosippure do- » vranno sempre conoscersi, e terminarsi da » i Giudici, e Congreg. della Fabbrica di S. » Pietro, le Cause tra la medesima Fabbrica, » e li suddetti Patentati Privilegiati, per l' ese- » cuzione e adempimento de' Legati Pii.

§. 19. » Inoltre li suddetti Privilegiati go- » deranno, e dovranno godere di detto Privi- » legio nelle Cause indifferenti, quando essi » sono rei convenuti, ma non quando sono At- » tori, imperciocchè essendo Attori, devono » seguire il Foro del Reo; Eccettuiamo però da » questa regola quelle Inquisizioni, nelle qua- » li per lunga consuetudine di sopra qua- » rant' anni indietro, li detti Patentati Privi- » legiati del S. Officio hanno legittimamente » prescritto il Privilegio di trarre al foro di es- » so S. Officio anche le Cause Civili, nelle qua- » li essi sono Attori; poichè rispetto a queste » tali Inquisizioni, non vogliamo che s' innovi » cosa alcuna; ma anzi si osservi per l' avve- » nire la consuetudine già introdotta e pre- » scritta, nella stessa maniera, che si osserva » presentemente; Purchè però sia stata altre » volte in passato ammessa, ed approvata in » contradditorio Giudizio dalla piena Congre- » gazione dei Cardinali Inquisitori, altrimenti » non debba attendersi in conto veruno.

§. 20. » Se i pupilli, o vedove, o altre mi- » serabili persone, che per Privilegio chiuso » *in corpore Juris* godono il diritto di eleggere, » e variare il foro, vorranno agire per alcuna » Causa civile e indifferente contro alcuno di » detti Patentati Privilegiati del S. Officio, po- » tranno bensì godere del suddetto Privilegio » di eleggere e variare, ma però sempre den- » tro il medesimo Foro del S. Officio: Cosicchè » sarà in loro arbitrio, ed elezione convenire il Patentato Privilegiato o nella nostra » Curia avanti Monsignore Assessore, declinando dall' Inquisitore, o Vicario Locale; o » avanti l' Inquisitore, o Vicario locale declinando il Tribunale di Monsignor Assessore, ma non mai sarà in loro arbitrio di eleggere altro Giudice fuori del S. Officio.

§. 21. » E perchè non avvenga in avveni- » re, come qualche volta è avvenuto in passa- » to, che il Patentato Privilegiato del S. Offi- » cio, dopo aver prestato il suo consenso nella » Giurisdizione di altro Giudice fuori di esso » S. Officio, pretenda declinare dal Foro, nel » quale ha acconsentito, con abuso del suo » Privilegio, e con perturbare così il buon or- » dine della Giustizia; pertanto vogliamo, e » dichiariamo, che se alcuno di detti Patenta- » ti Privilegiati, dentro il termine di tre gior- » ni, dopo essere stata contra di lui riprodotta » la prima citazione, o monitorio avanti altro » Giudice ordinario, e competente, non avrà » espressamente allegata negli Atti del S. Offi-

» cio, e intimata all' Attore la declinazione del » Foro, oppure non avrà fatta eseguire contra » il medesimo Attore la opportuna citazione » ad *videndum reassumi, et inhiberi* avanti Mon» signor Assessore, oppur avanti l' Inquisito» re, o Vicario Locale, non possa più allegar» la durante quella istanza, ma che questa » debba onninamente proseguirsi e terminar» si avanti quel Giudice e Tribunale, in cui » avrà, come sopra, benchè tacitamente ac» consentito; ancorchè la suddetta prima cita» zione, o il suddetto Monitorio siano stati » contra di lui eseguiti senza alcuna precedente » licenza, o *Exequatur* dell' Inquisitore Lo» cale, o di Monsignor Assessore, quale di» chiariamo non essere necessario per lo effet» to suddetto.

§. 22. » Per la medesima ragione, nelle » Cause Civili di riconvenzione, il Patentato » Privilegiato, che sarà riconvenuto, non po» trà in veruna istanza declinare il Foro del » Giudice, avanti il quale è stato da lui con» venuto il suo Avversario. E similmente non » potrà in veruna istanza declinare il Foro del » Giudice ordinario, quando sarà chiamato » come Autore laudato, a liberare il reo dalle » molestie.

§. 23. » Accade bene spesso il caso, che » dopo introdotta la causa avanti il Giudice » ordinario e competente, sopravviene al reo » convenuto il Privilegio del Sant' Officio, o » perchè il Patentato privilegiato succeda al » Defonto non privilegiato, o perchè il reo » convenuto, pendente la lite, venga ad es» sere deputato dalla Congregazione per uno » di detti impieghi Privilegiati del Santo Offi» cio. Vogliamo pertanto, e dichiariamo, che in » tali casi, o altri simili, ne' quali sopravven» ga il Privilegio, non pertanto possa avvo» carsi la Causa del Giudice Ordinario, avan» ti il quale si troverà introdotta, neppure » colla clausola *in statu, et terminis, et stari* » *indicationi quoad jura producta:* Ma che deb» ba prima consumarsi l' istanza, e solamente » poi possa riassumersi dal Tribunale del San» t' Officio, colla Clausula suddetta, per l' istan» za ulteriore, qualora il Giudicato dell' Ordi» nario sia di sua natura appellabile, e non » essendo di sua natura appellabile, quando » col rescritto della piena Congregazione deb» ba commettersi ulteriormente, o in suspen» sivo, o in devolutivo.

§. 24. » In tutti però e singolari casi, » ne' quali abbiamo dichiarato, che li sopra» nominati Patentati privilegiati non debbano » godere il Privilegio del foro del Sant' Officio, » se la Parte vorrà procedere all' esecuzione » del Mandato spedito dal Giudice Ordinario, » vogliamo che si faccia la dovuta distinzione » tra l' esecuzione reale, e l' esecuzione perso» nale. L' esecuzione reale potrà farsi libera» mente senza alcuna precedente licenza, e » senza alcun precedente *Exequatur* degl' In» quisitori, o Vicarj locali, o di Monsignor » Assessore, purchè però non si faccia dentro » la Casa di attuale abitazione del Patentato » Privilegiato, poichè volendosi fare dentro la » Casa, ove questi attualmente abita, voglia» mo, che se ne prenda prima l' *Exequatur*, » o da detto Monsignore Assessore, oppure » dell' Inquisitore, o Vicario locale.

Esecuzione dei Mandati di altri Giudici.

§. 25. » Qualora poi voglia venirsi all' ese» cuzione personale contra il Patentato privi» legiato, dovrà sempre ottenersene il per» messo, e l' *Exequatur*, o dall' Inquisitore lo» cale, o da Monsignor Assessore, quali però » tanto nel primo caso di esecuzione reale den» tro la Casa, quanto nell' altro di esecuzione » personale, saranno tenuti di darlo in tutto » *gratis*, prontamente, e senza alcuna prece» dente citazione, e molto meno esame, e di» scussione della Causa: E solamente per l' ese» cuzione contra la persona potrà, o dovrà » aggiungersi all' *Exequatur*, in grazia, e per » comodo del Privilegiato, la Clausula: *Osten» datur per sex dies ante;* come si costuma co» gli Uffiziali delle Milizie, e con altri simili » Privilegiati.

§. 26. » All' incontro in tutti e singoli casi, » ne' quali abbiamo di sopra dichiarato, che » li Patentati Privilegiati debbano godere del » Privilegio del Foro del S. Officio, vogliamo, » ed ordiniamo che il Tribunale del S. Officio » faccia anche esso la dovuta distinzione, nel » commetter le Cause Civili, tra quelle, che » sono di somma appellabile, e quelle, che » sono di somma solamente ricorribile: di mo» do che nelle Cause di somma ricorribile deb» ba ancor egli osservare le regole già da Noi » prescritte alla Nostra Segnatura di Giusti» zia, ed agli altri Tribunali di Roma, tanto » in ordine alla remissione delle medesime *ad* » *Partes*, quanto in ordine al trasporto degli » Atti, ed alle Propine. E che inoltre nelle

» Cause de' danni dati, siano casuali, o siano » studiosi, debba il Tribunale del S. Officio » ancor esso uniformarsi alla nostra Constitu- » zione dei 25. Gennajo 1751.

Crimi- §. 27. » E quindi passando dalle Cause Ci- » vili alle Cause Criminali, è stato già altre » volte stabilito da detta Nostra Congregazio- » ne dei Cardinali Inquisitori Generali, e Noi » ancora inerendo alla medesima, ordiniamo, » e stabiliamo, che li sunnominati Patentati » Privilegiati godano, e debbono godere nelle » Cause passive, il Privilegio del Foro del S. » Officio, privativamente a qualunque altro » Giudice, e Tribunale, di maniera che que- » sti non possano in esse intromettersi neppu- » re per consenso de' medesimi Patentati: Vo- » lendo Noi, che questo Privilegio nelle Cau- » se passive Criminali s'intenda conceduto non » tanto in riguardo alle Persone, quanto e » piuttosto alla Sacra Inquisizione, cosicchè » non possa al medesimo nè tacitamente, nè » espressamente rinunciarsi: E che all'incon- » tro nelle Cause attive, li detti Patentati Pri- » vilegiati godano il Privilegio del Foro *comu- » lative tantum*, cosicchè nè gl'Inquisitori lo- » cali, nè Monsignore Assessore possano avo- » carle dal Giudice Ordinario, quando il Giu- » dice Ordinario, o a querela dello stesso Pri- » vilegiato, oppure anche *ex Officio*, o in al- » tro qualunque modo avrà prevenuto nella » Cattura dell'Inquisito.

§. 28. » Da questo Privilegio del Foro del » S. Officio nelle Cause Criminali passive, si » eccettuano primieramente tutti quei casi, e » delitti, per li quali secondo la disposizione » de' Sacri Canoni li Chierici delinquenti non » godono il Privilegio del Foro Ecclesiasti- » co: dovendo osservarsi per regola generale, » che dove non ha luogo rispetto ai Chierici il » Privilegio del Foro Ecclesiastico, non deve » neppure aver luogo il privilegio del Foro del » Sant'Officio rispetto ai suddetti Patentati, » quali, come si è detto, debbono in tutto ri- » putarsi *ad instar Clericorum*: donde ancora » siegue, che siccome i Chierici ritrovati *in- » fraganti crimine*, o con armi indosso proi- » bite dalle suddette Apostoliche Costituzio- » ni, possono arrestarsi e carcerarsi dal Giu- » dice laico, e sua famiglia, ad effetto però di » rimetterli, immediatamente, che quelli al- » legano il Privilegio del Clericato, al suo pro- » prio Giudice Ecclesiastico: così anche possa- » no prendersi infragranti, o con dette Armi » proibite indosso, li suddetti Patentati Privi- » legiati del Sant'Officio, ad effetto però di ri- » metterli al Tribunale di esso S. Officio, su- » bito che questi alleghino, il loro Privilegio, » ed esibiscano la loro Patente privilegiata.

§. 29. » Similmente si eccettuano per De- » creti altre volte fatti dalla medesima Con- » gregazione, quali Noi approviamo, e confer- » miamo, tutti quei casi, ne' quali si tratti di » mancanza, o fraude commessa nell'esercizio » delle arti loro, dai suddetti Patentati Privi- » legiati, quali siano Mercanti, Bottegaj, ov- » vero Artisti; poichè in queste Cause, ben- » chè passive, non dee loro suffragare il Pri- » vilegio del Foro del Sant'Officio, ma deb- » bono come ogni altro, restar sottoposti alla » visita e Giurisdizione de' Magistrati e Giu- » dici Ordinarj, ed alle pene contenute nei lo- » ro Editti, e questo medesimo dovrà osser- » varsi rispetto ai Notarj o Cancellieri; poichè, » non ostante che sieno Patentati Privilegiati, » pur tuttavia, in ciò, che riguardi li Bandi » del Prefetto degli Archivj, dovranno essere » sottoposti, come ogni altro non privilegiato, » alla visita, giurisdizione, e punizione del » medesimo.

§. 30. » E cosippure qualunque si sia di » detti Patentati Privilegiati, benchè non Ar- » tista, non Bottegajo, nè Mercante, dee re- » star sottoposto, come ogni altro non Privile- » giato, alla Giurisdizione del Giudice Ordi- » nario competente, quante volte cada in com- » messo, fraudando le publiche Gabelle. Vo- » gliamo però, che tanto nel caso di mancan- » za commessa nell'esercizio dell'Arte pro- » pria, quanto nel caso di fraude commessa » in pregiudizio delle pubbliche Gabelle, sia » sempre salva la persona del Patentato Privi- » legiato, di maniera che questa non possa » carcerarsi, nè punirsi nella persona, senon- » chè dal medesimo S. Officio; quale per tale » effetto potrà chiedere, e farsi rimettere gli » Atti fatti dal detto Giudice Ordinario: e » che se mai per rinvenire la fraude, che si » pretenda commessa in pregiudizio delle pub- » bliche gabelle, gli Appaltatori delle medesi- » me vorranno, che si faccia alcuna perquisi- » zione nelle case di essi Patentati privilegia- » ti, queste non si facciano senza l'interven- » to della persona da deputarsi dall'Inquisi- » tore, o Vicario del luogo, ove si vuol fare

» la perquisizione; quali però saranno tenuti » a deputarla immediatamente, e senza verun » indugio, sotto pena, in caso di ritardo, di » essere tenuti del proprio a tutti i danni ed » interesse.

Patentati semplici.

§. 31. » Quanto fin' ora abbiamo ordina- » to, e decretato, riguarda, ed appartiene ai » soli Patentati privilegiati; ora parlando de- » gli altri, che si chiamano Patentati semplici, » sono questi tutti coloro, che in qualche » modo servono alla S. Inquisizione, ma non » sono Inquisitori, nè Vicarj, non sono Fisca- » li, ne Procuratori de' Rei, non sono Cancel- » lieri, nè Mandataj del S. Officio.

Consultori.

§. 32. » Fra questi semplici Patentati, o » vogliamo dire semplici Famigliari del S. Of- » ficio, tengono il primo luogo coloro, che

Come debbono deputarsi.

» chiamansi *Consultori*. La nomina di questi » in ciascheduna Inquisizione spetta ed appar- » tiene ai rispettivi Inquisitori locali, quali » però non vogliamo, che possano concedere » o consegnare in avvenire ad alcuno la Pa- » tente di Consultore, se non dopo che le no- » mine delle persone da essi fatte sieno state » lette, ed approvate dalla Congregazione dei » Cardinali Generali Inquisitori: essendo ben » certi che la detta Congregazione non appro- » verà per Consultori, se non persone di buo- » na ed integra fama, di pietà, e di dottrina: » che averà il necessario riguardo, affinchè al- » tri siano Teologi, ed altri Canonisti, o Leg- » gisti di Professione, quali possano all' oc- » correnza rivedere anche stampe, e libri: e » che il numero di essi non acceda il bisogno » di quella Inquisizione, a cui devono ser- » vire.

Pesi, e Privilegj de' medesimi.

§. 33. » In premio del loro servigio, e » della residenza, che dovranno fare i suddetti » Consultori, per trovarsi pronti ad ogni oc- » correnza del Tribunale, avrà ciascheduno » di essi, oltre l' acquisto delle Indulgenze, » e grazie spirituali, il Privilegio della dela-

Delazione dell' Armi.

» zione dell' Armi non proibite dalle sudde- » te Costituzioni Apostoliche, purchè però » non siano Regolari; anzi di più i Consultori » suddetti potranno comunicare il medesimo » privilegio della delazione delle Armi anche » ad un loro attuale Servitore, nella maniera, » che si dirà in appresso, purchè non sia Bot- » tegajo, nè Mercante, e purchè non sia Pa- » rente di quel Consultore, che lo nomina. » All' incontro i Consultori Regolari, ai quali

Consultori Regolari.

» non conviene nè avere per se, nè comuni- » care ad altri il Privilegio di portar Armi, » avranno in luogo di questo un' altro Privile- » gio, cioè, che non potranno essere rimossi » da' loro Superiori dal Convento di quel luo- » go, ove devono servire al S. Officio, senza » giusta causa, e senza saputa, e consenso di » detta Nostra Congregazione; ben inteso però, » che in ogni altra cosa, che riguardi alla di- » sciplina Regolare, debbano come ogni altro » obbedire al proprio Superiore.

Altri Famigliari e semplici Patentati.

§. 34. » In quelle Inquisizioni, ove per » lunga e inveterata consuetudine gl' Inquisi- » tori locali sono in possesso di nominare, ol- » tre i suddetti Consultori, altri Famigliari del » S. Officio, coll' acquisto delle Indulgenze, e » colle facoltà di portar Armi; come per esem- » pio, il Bargello, il Custode delle Carceri, il » Provveditore de' Carcerati, e simili, per- » mettiamo, che ancora in avvenire possano » eleggerli, e deputarli, purchè la nomina, ed » elezione di tali persone sia letta, ed appro- » vata, come sopra, da detta Congregazione. » Incaricando Noi alla medesima Congregazio- » ne di avvertire coll' usata diligenza, che » non siano persone discole, o rissose; che » siano di qualità e condizione, proporzionate » all' impiego, a cui sono nominate; e che il » numero di esse non ecceda il puro e preciso » bisogno.

§. 35. » Fuori del suddetto Privilegio delle » Armi, non potranno i Consultori, o altri » Famigliari, arrogarsi, o pretendere verun » altro di quei Privilegj, che competono, come » sopra, ai soli Patentati privilegiati; e perciò » non potranno pretendere di esser esenti dai » pesi reali, o personali delle respettive Co- » munità, qualora tal esenzione non gli com- » peta per essere Ecclesiastici, o per altro ti- » tolo legittimo; e molto meno potranno pre- » tendere il Privilegio del Foro del S. Officio, » se pure non sia stato ad alcuno di essi spe- » cialmente conceduto da detta Nostra Congre- » gazione per titolo oneroso, come in fatti è » stato giustamente ad alcuni pochi concedu- » to; ma non essendo, che semplici Patentati, » resteranno, come prima, soggetti tanto in » Civile, che in Criminale, al Foro e Giuri- » sdizione dei loro Giudici ordinarj e compe- » tenti, per qualunque sia causa, o delitto, » anche di delazione, o ritenzione d' Armi proi- » bite in dette Apostoliche Costituzioni; vo-

» lendo Noi, che ancor questo delitto appar-
» tenga ai Giudici ordinarj, quando si tratta
» di Patentati del S. Officio, che, secondo la
» presente Costituzione, non godono il Privi-
» legio del Foro.

Patentati semplici del Sant'Uffizio di Ancona.

§. 36. » Ma perchè nell'Inquisizione *di Ancona* è stato solito da tempo antichissimo, e
» si osserva tuttavia pacificamente, che anche
» i Consultori, ed altri suddetti Famigliari,
» benchè semplici Patentati, godono il Privi-
» legio del Foro del Sant'Officio; Vogliamo
» perciò, che tale consuetudine dell'inquisi-
» zione di Ancona, quale sappiamo essere stata
» più volte da detta Congregazione, ed anche
» da Noi stessi ammessa ed approvata, debba
» osservarsi ancora per lo avvenire; e così pa-
» rimente debba osservarsi, quando vi sia in
» alcun'altra Inquisizione del Nostro Stato
» Ecclesiastico, purchè però sia pacifica, ed
» antica, e purchè in passato sia stata ammes-
» sa, ed approvata dalla Congregazione dei
» Cardinali Inquisitori, o da Noi, e da' Nostri
» Predecessori, come quella di Ancona; altri-
» menti non debba attendersi in conto veru-
» no; e di più con espressa dichiarazione, che
» una tal consuetudine non suffraghi neppure
» per la Inquisizione di Ancona, che pel solo
» Privilegio del Foro, e non mai per l'altro
» dell'esenzione da' pesi Comunitativi; e che il
» detto Privilegio del Foro si osservi, e si re-
» goli colle stesse regole, e modificazioni, colle
» quali abbiamo poch'anzi dichiarato, che
» debbono goderlo i Patentati privilegiati.

Registro dei Patenti.

§. 37. » Ad effetto poi di evitare qualsivo-
» glia confusione, vogliamo, che ciascheduna
» Patente, o sia privilegiata, o semplice, tanto
» per la suddetta Inquisizione di Ancona,
» quanto per ogni altra Inquisizione, compre-
» se ancor quelle dei Servitori de' Consultori,
» prima di consegnarsi al Patentato, sia regi-
» strata negli atti della Cancellaria di questa
» Nostra Universale Inquisizione; e che niuna
» di esse abbia alcuna forza e valore, se in
» calce, o a tergo non apparirà la fede del suo
» registro colla specifica espressione dell'Uffi-
» cio dell'Inquisizione o Vicariato, per cui
» dee servire, come per esempio — *Patente*
» *privilegiata d'Inquisitore, (di Fiscale, e si-*
» *mili), per l'Inquisizione di Fermo — Patente*
» *privilegiata di Vicario, (Notajo, e simili)*
» *pe'l Vicario del tale e tal luogo nella Inquisi-*
» *zione di Fermo — Patente semplice di Consul-*
» *tore, (di Custode delle Carceri, e simili), per*
» *la tale, o tale Inquisizione.*

Abolizione de' Viglietti.

§. 38. » E perchè ci è noto, che alcuni, in
» vece di lettere Patenti, hanno conceduto
» semplici Viglietti di Famigliarità del San-
» t'Officio, nel numero e qualità de' quali si
» potrebbe più facilmente fraudare la Nostra
» volontà, e risoluta intenzione: perciò an-
» nullando, e dichiarando irriti, cassi, e nulli
» tutti e singoli Viglietti di Famigliarità, che
» sono stati dati fin'ora, o che in avvenire si
» dassero, eziandio a' proprj Servitori, tanto
» dagl'Inquisitori locali, quanto anche da ogni
» altro Uffiziale, o Ministro del S. Officio,
» maggiore o minore di detti Inquisitori: or-
» diniamo e comandiamo agli esecutori di qua-
» lunque sia Corte Ecclesiastica, o Laicale,
» che essendo loro esibiti somiglianti semplici
» Viglietti, non solo non debbano attender-
» li, ma anzi debbano toglierli dalle mani di
» coloro, che avranno avuto l'ardimento di
» esibirli, e che debbano mandarsi immedia-
» tamente a questa Nostra universale Inquisi-
» zione, ad effetto che da essa vengano debi-
» tamente mortificati quelli, che li avranno
» conceduti.

Moderazione del numero de' Vicariati.

§. 39. » Incarichiamo finalmente alla detta
» Nostra Congregazione dei Cardinali Generali
» Inquisitori, e al moderno Nostro Assessore,
» di proseguire incessantemente con quello
» stesso zelo, con cui hanno già incominciato,
» l'opera utilissima di ridurre il numero dei
» Vicariati, con sopprimere quelli, che l'espe-
» rimento del tempo passato ha fatto conoscere
» non esser necessarj; Ed esaminando lo stato,
» ed il bisogno di ciascheduna Inquisizione lo-
» cale, di fissare una volta per sempre il nu-
» mero dei Consultori, e degli altri semplici
» Famigliari, secondo l'esigenza di quella tale
» Inquisizione, ad effetto di tenerne a perpe-
» tua memoria un'Elenco ben distinto, ed or-
» dinato, nella Cancellaria di questa Nostra
» Universale Inquisizione; giacchè è stato più
» volte riconosciuto dalla medesima Congre-
» gazione, che il soverchio numero o di dette
» Vicarie, o di detti semplici Patentati, in vece
» di giovare al buon servigio della S. Inquisi-
» zione, reca piuttosto discredito, e detrimento.

E de' Consultorj e Famigliari.

§. 40. » Tutto ciò, che abbiamo fin quì de-
» terminato, appartiene alle Inquisizioni par-
» ticolari costituite in diverse parti del nostro
» Stato Ecclesiastico fuori di Roma. Per que-

» sta di Roma, che sta sotto gli occhi nostri, » e dei Cardinali Generali Inquisitori, come » pure per gli Uffiziali, Ministri, ed Inser- » vienti al Tribunale della medesima dentro » la Città, e suoi Contorni, non abbiamo cosa » da insinuare, o provvedere, oltre quello, » che è stato saviamente provveduto, e si prov- » vede opportunamente alle occorrenze da essi » Cardinali Inquisitori, tanto rispetto alla loro » deputazione, quanto rispetto ai loro Privi- » legj. Onde ci resta solamente a spiegare la » nostra volontà in rapporto alla Tenuta di » Conca, e suoi Affittuarj.

Tenuta di Conca e suoi privilegj.

§. 41. » La Tenuta di Conca posta nel- » l'Agro Romano fu dismembrata dal Patri- » monio della Camera Apostolica dal nostro » Santo Predecessore Pio V. e con tutti e sin- » goli suoi membri, annessi, e pertinenze, » unita in perpetuo, incorporata, ed assegnata » alla Pia Casa di questa Santa Universale In- » quisizione, per supplire colle rendite della » medesima alle spese necessarie, e indispen- » sabili, che fino a quel tempo facevansi dalla » nostra Camera Apostolica, dei Ministri, ed » Uffiziali, delle Carceri, e dei Carcerati, ed » alle altre, che occorrono alla giornata. Non » pertanto però la suddetta Tenuta ha lasciato » di essere come prima Tenuta propria di que- » sta nostra Santa Sede: E perciò, siccome i » Beni, che in qualunque altro luogo posse- » dono le Inquisizioni particolari, sono beni » proprj della Sede Apostolica, e perciò in » tutto e per tutto esenti da qualunque gra- » vezza, tanto ordinaria, che straordinaria, » eziandio dalle Decime Papali, imposte, e da » imporsi; così anche per la stessa ragione go- » de, e dee godere della medesima totale esen- » zione la detta Tenuta di Conca, per qualun- » que sorta di frutti tanto naturali, che indu- » striali, ivi nati, e raccolti, come pure per » qualunque sorta di bestiame, che sia istru- » mento veramente necessario di essa Tenuta, » cioè, quel bestiame, senza il quale non po- » trebbe la Pia Casa o Attuario ricavare i frut- » ti, che si producono nella medesima, e gli » utili delle sue Ferriere: e finalmente per le » Grascie, e Comestibili, che s'introducono » nella Dispensa, e si consumano dalli Inser- » vienti, ed Operarj in essa Tenuta, e Ferrie- » re: E questa stessa totale esenzione ancor » Noi in forma amplissima approviamo in per- » petuo, e confermiamo.

§. 42. » Anzi per maggior fermezza della » medesima, siccome i nostri Predecessori, e » Noi stessi, quante volte è insorta sopra detta » esenzione alcuna dubbiezza tra la nostra Ca- » mera Apostolica, e la detta Pia Casa, ab- » biamo voluto giudicarne nella Congregazio- » ne, che si tiene il Giovedì di ciascuna setti- » mana: Così parimente riserviamo a Noi stes- » si, ed alli nostri Successori, la cognizione e » decisione di tali controversie nella medesima » Congregazione del Giovedì, quando mai in- » sorgessero in avvenire, o fossero di già in- » sorte e pendenti: E dello stesso Privilegio » vogliamo, che godano tutte le altre Inqui- » sizioni particolari, quante volte nasca alcuna » lite circa l'esenzione dei beni alle medesime » appartenenti, siccome di fatti ne hanno sem- » pre goduto in passato.

§. 43. » A contemplazione della medesi- » ma Tenuta, gli Affittuarj di essa sono in pos- » sesso di godere da tempo antichissimo, non » solo per le loro proprie persone, ma ancora » per un congruo numero di altre persone, » che sono necessarie alla coltivazione, e ser- » vigio della medesima Tenuta, e sue Ferrie- » re, di due privilegj, cioè di quello di portar » armi non proibite dalle suddette Costitu- » zioni Apostoliche, e dell'altro del Foro del » S. Officio, tanto in Civile, che in Criminale: » Onde Noi ancora in virtù della presente lo- » diamo, approviamo, e confermiamo que- » st'antica, e ben giusta consuetudine altre » volte approvata e confermata dal nostro Pre- » decessore Clemente VIII. ma però colle se- » guenti dichiarazioni, cioè:

§. 44. » Primieramente che gl'inservienti » a detta Tenuta non siano riputati per tali, » nè godano alcuno di detti due privilegj, se » non dopo che saranno stati nominati secondo » il solito dagli Affittuarj al Padre Commissa- » rio, e che il Padre Commissario gliene avrà » spedite le Lettere Patenti sottoscritte di sua » mano, e registrate negli Atti di questa Can- » cellaria: Volendo Noi, che i semplici viglietti, » ò degli Affittuarj, o del Padre Commissa- » rio, o di altro qualunque sia Uffiziale del » Sant'Ufficio, non abbiano alcun effetto o va- » lore, anzi possano dagli Esecutori di qualsi- » voglia Curia impunemente disprezzarsi, col » solo peso di consegnarli a Monsignor Asses- » sore, ad effetto di riferirli in piena Congre- » gazione, per punire, e mortificare quelli, che

» si saranno presi l'arbitrio di concederli contro questa nostra determinata volontà; Anzichè neppure le stesse Patenti sottoscritte » dal Padre Commissario vogliamo, che siano » di alcun valore, se non avranno in calce, o » a tergo, la fede, e nota del loro Registro.

§. 45. » Innoltre vogliamo, che li Patentati di Conca, comprese le persone degli » stessi Affittuarj, e dei loro Servitori, non » eccedano in tutti il numero già stabilito » dalla detta Congregazione, di cento cinquanta; e che non debbano godere di alcuno di » detti privilegj, se non che durante il loro » servigio. Perchè poi coloro, che partono, e » sono licenziati dal servigio, non siano in ciò » cagione di disordine, e di fraude, ordiniamo » al Padre Commissario di non sottoscrivere » le nuove Patenti in favore di quelli, che subentreranno al servigio a nomina degli Affittuarj, e respettivamente al Cancelliero, di » non registrarle se non gli saranno state riportate le vecchie Patenti già concedute a » coloro, che non servono più alla Tenuta: Lodando Noi, che per maggior cautela, Monsignor Assessore *pro tempore* tenga nota a parte de' suddetti Affittuarj, e Patentati di Conca, e che ne faccia relazione ogni anno nella prima, o seconda Congregazione di Gennaro, che suol tenersi alla Minerva, siccome » per decreto di essa Congregazione, e con nostro particolare gradimento ha incominciato » a farè il moderno Monsignore Assessore.

§. 46. » Quanto poi al Privilegio del foro » del Sant'Officio, vogliamo bensì, che i suddetti Inservienti, e Patentati di Conca debbano goderne, tanto nelle Cause Civili, » quanto nelle Cause Criminali; ma però debbano goderne, nello stesso modo, e forma, » ed in quei soli casi, ne' quali lo godono i » Patentati privilegiati nelle Inquisizioni particolari fuori di Roma; e che all'opposto in » tutti e singoli altri casi, ne' quali abbiamo » di sopra dichiarato, che non debbano goderne i Patentati Privilegiati di dette Inquisizioni particolari, e non esser luogo alla » riassunzione delle loro Cause, vogliamo similmente, e dichiariamo, che non debbano » goderle, nè possano riassumersi le Cause » dei Patentati di Conca.

§. 47. » Per ultimo, inerendo agli Editti » provvidamente pubblicati da detta nostra » Congregazione dei Cardinali Generali Inquisitori nell'anno 1703., nel 1728., nel 1743., » e nel 1754., dichiariamo, che a niuno di » detti Patentati di Conca sia lecito tenere sopra le porte delle Case, Botteghe, Magazzini, Orti, e simili, le insegne, ed Arme del » S. Offizio, o pretendere in esse alcuna specie » d' Immunità Locale; Come pure che in detta » Tenuta non acquistino mai alcun diritto di » legittimo asilo gli Uomini facinorosi, e contumaci della Giustizia, come più largamente » si spiega nell'ultimo Editto dei 4. Gennajo » 1754. quale Noi in tutto e per tutto approviamo, e confermiamo, per essere così mente » e volontà nostra espressa.

§. 48. » Volendo, e decretando, che alla » presente nostra Cedola di *Moto proprio*, benchè non esibita, nè registrata in Camera, e » ne' suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d' alcun » altro vizio, o difetto della nostra volontà, » ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri » pretesti, quantunque validi, validissimi, e » giuridichi, possa essere impugnata, moderata, e rivocata, ridotta *ad viam juris*, o concedersi contro di essa l'aperizione *oris*, o altro qualunque rimedio; e che così, e non » altrimenti ec. Dichiarando Noi sin d'adesso » preventivamente nullo, irrito, ed invalido » tutto ciò, che da ciascuno d'essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, » o si tentasse di giudicare, contro la forma e » disposizione della presente nostra Cedola di » *moto proprio;* quale vogliamo che vaglia, e » debbà avere sempre, ed in perpetuo il suo » pieno effetto, esecuzione, e vigore, colla semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi » siano state chiamate, sentite, o citate qualsisieno persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, che pretendessero avervi interesse, e che per comprenderle fosse bisogno di special menzione; non ostante la Bolla » di Pio IV. nostro Predecessore *de registrandis*, la regola della nostra Cancellaria *de jure* » *quaesito non tollendo*, e quali si sieno altre Costituzioni, ed ordinazioni nostre, e de' nostri » Predecessori, leggi, statuti, riforme, stili, » usi, consuetudini, e qualunque altra cosa, » che facesse, o potesse fare in contrario, alle » quali tutte e singole, avendone il tenore qui » per espresso, e di parola in parola inserto, e » registrato, e supplendo colla pienezza della

» nostra Potestà Pontificia ad ogni vizio, e di-
» fetto, quantunque sostanziale e formale, che
» vi potesse intervenire, per questa volta sola,
» e per la piena, e totale esecuzione di quanto
» si contiene nella presente nostra Cedola di
» *Moto proprio*, ampiamente, ed in ogni più
» valida forma deroghiamo.

Dato dal nostro Palazzo di Monte Cavallo questo dì 8. Luglio 1755.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Praemissa omnia Pont. Apostolica Constitutione confirmat.

§. 49. Motu itaque proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, eamdem Schedulam, omniaque et singula in ea contenta et expressa, et a Nobis per eam, ut praefertur, sancita, volita, et ordinata, per hanc nostram perpetuo valituram Constitutionem, confirmamus, et approbamus, eisque perpetuum, et inviolabile ejusdem praesentis Sanctionis robur et firmitatem adjicimus: Atque iterum et ex integro ea omnia et singula, in omnibus et per omnia, juxta ejusdem Schedulae seriem, continentiam, et tenorem, Apostolicae Auctoritatis plenitudine praefata statuimus, volumus, et ordinamus; ac ea ab iis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, perpetuo observare, et exactissime impleri jubemus atque praecipimus.

Mandatum pro plena eorumdem observantia.

§. 50. Mandantes propterea Dilectis Filiis ejusdem Tribunalis Supremae Inquisitionis contra haereticam pravitatem in Urbe nostra Assessori, aliorumque Tribunalium in temporali Ditione nostra praefata Inquisitoribus, Cancellariis, Tabellionibus, et Ministris nunc et pro tempore existentibus, aliisque ad quos pertinet, et pertinebit in futurum, ut praemissa omnia et singula observent, ac ab omnibus, ad quos spectat, et quandocumque spectabit, exactissime observari faciant: Inobedientes vero, opportunis juris, et facti remediis, ac etiam privationis officii, poena coerceant et compescant, tam ex officio, quam ad cujusvis Patris instantiam, omni et quacumque appellatione, sive recursu, etiam ad praefatam Supremam Inquisitionem, adversus praemissorum omnium et singulorum observantiam et executionem forsan interponendis, omnino postpositis et remotis.

Clausulae pro perpetua Literarum firmitate.

§. 51. Ac decernentes eamdem Schedulam, necnon praesentes literas, omniaque et singula in ipsis contenta, et sancita, volita, et ordinata, etiam ex eo, quod Personae in ipsis interesse habentes, et quas praemissa concernunt, etiam specifica, et individua mentione dignae, eisdem non consenserint, seu ex alia quantumvis juridica et privilegiata causa, in jus vel controversiam vocari minime posse; Sed eadem semper valida, et efficacia esse et fore, ac secundum ea, et non alias, per ipsam Cardinalium Inquisitorum Congregationem, ac quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam dicti Tribunalis Assessorem, ac Inquisitores praefatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quolibet quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari, judicari, vel definiri contigerit.

Derogat. contrar.

§. 52. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae Regula, de jure quaesito non tollendo, et quibusvis aliis contrariis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ejusdemque Tribunalis facultatibus, stylis, usibus, et consuetudinibus, etiam antiquis, ac diuturno temporis cursu invectis, et toleratis, ac omnibus iis, quae in dicta Schedula voluimus non obstare: Quibus omnibus et singulis, motu, scientia, et potestatis plenitudine pari, harum quoque serie derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda Transumptis.

§. 53. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, cum dictae Schedulae tenore inserto impressis, ac manu Cancellarii dictae Supremae Inquisitionis sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

§. 54. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, statuti, ordinationis, jussionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 21 julii 1755.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto,

duodecimo Kalendas Augusti Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

J. Card. Pro-Datarius.

Visa De Curia

J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

LVII. SYRIACIS ET ARMENIS

In Latinorum Ecclesiis Sacra peragentibus proprium Ritum servari praecipitur: Missionariis denegatur facultas dispensandi eosdem Syriacos et Armenos super abstinentia a Piscibus jejunii tempore: omnes denique Graecos et Orientales Ritus conservandos esse decernitur; monenturque Missionarii, ut in Orientalibus convertendis, eos ab erroribus, et schismate revocent, non a suis approbatis Ritibus avertant.

Ad Missionarios per Orientem deputatos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

plex quæ-um Con-g. Pro-Fidei Missiona-proposi-o.

Allatae sunt ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Literae Sacerdotis cujusdam, Sacris Missionibus exercendis deputati in Civitate Balserae, quam vulgo *Bassoram* vocant, quaeque itinere quindecim dierum a Babylonia distat, et Mercatorum negotiationibus est celeberrima; quibus Literis exponendum censuit, plures in illa Urbe commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe, aut Syriacos, qui peculiari Templo carentes, ad Latinorum Missionariorum Ecclesiam se conferunt, ubi eorum Sacerdotes Missarum Sacrificia juxta peculiares ipsorum ritus offerunt, aliasque Sacras Coeremonias perficiunt; Laici autem hujusmodi Sacris intersunt, et Sacramenta ab iisdem Sacerdotibus suscipiunt. Indeque occasionem arripuit quaerendi; utrum

Primum quemnam ritum ser-re debeant

praedicti Armeni, et Syriaci, Catholicum suum Ritum observare debeant, an vero, ad tollendam varietatem in ipsa Ecclesia, in quam Latini etiam, uti diximus, conveniunt, magis consentaneum videatur, ut Armeni, et Syriaci, relicto veteri Kalendario, novum amplectantur, in iis, quae pertinent ad statuenda tempora Paschalis Solemnitatis, et annuae Communionis, sicuti etiam Quadragesimae, dierumque Festorum tam mobilium, quam immobilium: atque ulterius progrediendo, quaesivit, quatenus praedictis Balserae Armenis, et Syriacis novum Kalendarium observandum decernatur, utrum aliis quoque Orientalibus praescribi debeat, qui peculiare quidem habent Templum, sed adeo angustum, ut Sacris Functionibus, ideoque ad Ecclesiam Latinorum plerumque se conferunt.

Syriaci, et Armeni, in Latinorum Ecclesiis Sacra peragentes.

§. 2. Insuper idem Missionarius praedictae Congregationi subdidit, quod quum Catholicis Orientalibus Armenis, et Syriacis praeceptum sit, diebus jejunio dicatis, a piscibus abstinere, plures inter ipsos reperiuntur, qui id minime observant, non ullo sane adducti contemptu, sed partim naturae fragilitate pertracti, partim ex eo, quod Latinis Catholicis aliam esse consuetudinem intuentur: ideo non alienum videri, si facultas Missionariis tribuatur permittendi, non quidem universis, sed speciatim his, aut illis, ut piscibus utantur jejunii tempore, ita tamen, ut nullum inde scandalum oriatur, et aliud pietatis opus, loco abstinentiae a piscibus, subrogare jubeantur.

Alterum, an Missionariis concedenda sit facultas cum praefatis dispensandi super abstinentia a piscibus tempore jejunii.

§. 3. Haec, uti diximus, a praedicto Missionario proposita sunt Congregationi de Propaganda Fide, quae de more eadem examinanda remisit alteri Congregationi Generalis Inquisitionis. Habita vero haec fuit coram Nobis die 13. Martii hujus anni 1755. et unanimi Cardinalium Inquisitorum consensu, responsum fuit: *nihil esse innovandum*. Id quod Nos etiam auctoritate nostra firmavimus; permoti potissimum decreto alias a primodicta Congregatione de Propaganda Fide die 31. Januarii anni 1702. edito, quod deinde confirmatum, et renovatum non semel fuit, et est hujusmodi: *Referente R. P. D. Carolo Augustino Fabro-no Secretario, Sacra Congregatio mandavit praecipi, prout praesenti decreto praecipitur, omnibus, et singulis Missionum Apostolicarum Praefectis, et Missionariis, ne ullus eorum in posterum, quavis occasione, aut praetextu, audeat dispensare cum Catholicis quarumcumque Nationum Orientalium, super jejuniis, orationibus, caeremoniis, et similibus, a proprio earumdem*

Rescriptum, utrique quæsito redditum, ut nihil innovetur.

Nationum Ritus praescriptis, et a Sancta Sede Apostolica approbatis. Praeterea eadem Sacra Congregatio censuit, non licuisse, nec licere praefatis Catholicis ullatenus a proprii Ritus, a Sancta Romana Ecclesia ut supra, approbati consuetudine et observantia recedere. Hujusmodi autem decretum sic confirmatum, ac renovatum, iidem Eminentissimi Patres ab omnibus et singulis praedictis, Praefectis, et Missionariis omnino et absque ulla tergiversatione observari debere, mandarunt. Quod quidem decretum respicit Catholicos Orientalis Ecclesiae, eorumque ritus ab Apostolica Sede approbatos: Orientalem autem Ecclesiam omnibus notum est quatuor Ritibus constare, Graeco videlicet, Armeno, Syriaco, et Cophtico, qui sane Ritus universi sub uno nomine Ecclesiae Graecae, aut Orientalis intelliguntur, non secus ac sub Ecclesiae Latinae Romanae nomine, Ritus Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus, et varii peculiares Ritus Ordinum Regularium comprehenduntur.

Conveniendae Encyclicae finis, ut Missionariis decreta Congregat. perspecta fiant, eademque in Orientalibus redigenda certa tradatur agendi norma.

§. 4. Adeo perspicua est decreti sententia, ut nullo Commentario indigeat. Quare nostra haec Encyclica Epistola eo tendit, ut hujusmodi Lex omnibus cognita fiat, atque perspecta, utque deinceps executioni diligentius mandetur. Merito namque dubitari potest, quaestiones a Missionario Balsamo propositas, ex ignoratione decretorum, quae jampridem edita sunt, promanasse. Sed quoniam ex aliis multis atque frequentibus indiciis conjicimus, Missionarios Latinos in id curam, et cogitationes intendere, ut in convertendis Orientalibus a Schismate et errore ad Unitatem, Sanctamque Catholicam Religionem, Orientalem Ritum de medio tollant, aut saltem labefactent, Catholicosque Orientales ad Latinum Ritum amplectendum alliciant, non alia quidem de causa, nisi studio Religionis amplificandae, et opus bonum, Deoque gratum operandi; ideo consentaneum putavimus (quoniam animum ad scribendum appulimus) hac nostra Encyclica Epistola brevius, quo fieri poterit, ea omnia complecti, quae juxta hujus Apostolicae Sedis sententiam, pro norma haberi debent, quoties Orientales ad Catholicam Religionem convertuntur, quaeque servanda sunt cum Orientalibus Catholicis, qui versantur in Locis, ubi aut nulli degunt Latini, aut Latini Catholici simul cum ipsis Orientalibus Catholicis commorantur.

§. 5. Sane historiam Ecclesiasticam ne quidem primis, ut ajunt, labiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret quantum elaboraverint Romani Pontifices, ut Orientales ad unitatem adducerent, post funestum schisma Photii, qui tempore Summi Pontificis Sancti Nicolai I., Constantinopolitanam Sedem, depulso per vim Sancto Ignatio Patriarcha legitimo, invasit. Sanctus Leo IX. Praedecessor noster Legatos suos Constantinopolim misit, ut hujusmodi schisma, quod per duo circiter saecula sopitum, Michael Cerularius redintegraverat, extirparet; sed illius conatus in irritum cecidere. Urbanus deinde II. Graecos ad Barense Concilium invitavit; sed exiguum fructum consecutus est, tametsi Sanctus Anselmi Cantuariensis Archiep. omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiae Romanae conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinae suae lumine patefecerit. In Lugdunensi Concilio, quod Beatus Gregorius X. coegerat, Michael Palaeologus Imperator, et Graeci Episcopi, unitatem Romanae Ecclesiae amplexi sunt: verum mutatis animis ab illa rursum desciverunt. In Concilio autem Florentino sub Eugenio IV. Summo Pontifice, ad quod Joannes Palaeologus, et Joseph Patriarcha Constantinopolis, cum caeteris Orientalibus Episcopis, convenerant, Unio statuta fuit, et uniuscujusque subscriptionibus acceptata; eodemque in Concilio, Armenorum, et Jacobitarum Ecclesiae, ad obedientiam Sedis Apostolicae redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus, Legatos etiam Regis Æthiopum excepit, ac Syros, Chaldaeos, et Maronitas ad obedientiam Romanae Sedis redegit. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio Sancti Matthaei *Cap.* 13. semen, quod cecidit super petram, nullum affert fructum, quia non habet, ubi radicem defigat: *Hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem: facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur*, ideo vix Marcus Archiepiscopus Ephesinus, tamquam novus Photius, Unionem convellere adnixus est, et adversus ipsam coepit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperiit.

Romani Pont. sollicitudo in revocandis ad unitatem Orientales.

§. 6. Praeterea Ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret, ita cum Orientalibus Unionem peractam, firmatamque fuisse, ut Dogma processionis Spiritus Sancti a Patre, et Filio reciperent, atque adeo licitam

In unione curanda semper id actum, ut explosis erroribus Orthod. Fidei oppositis Ritus eaet illaesus.

fuisse amitterent additionem vocis *Filioque*, Symbolo factam; ut panem non minus fermentatum, quam azymum, Sacramenti Eucharistiae materiam esse faterentur; ut dogma Purgatorii, visionis beatificae, ac Primatus Romani Pontificis amplecterentur; uno verbo omnem curam collatam fuisse, ut errores Catholicae Fidei adversi evellerentur; numquam vero actum esse, ut venerabili Orientali Ritui detrimentum ullum inferretur. Sed praesentem quoque Ecclesiae disciplinam prorsus ignoraret, cui satis exploratum non esset, Romanos Pontifices, qui infelicibus praeteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad Unitatem Graecis semper cogitarunt, eamdem viam, quam paulo ante indicavimus, semper institisse, et adhuc insistere; sicut ex ipsorum cum dictis, tum factis manifeste colligitur.

eclar. in
ffertur S.
enis IX.
um.

§. 7. Undecimo saeculo nonnullae Constantinopoli, Alexandriae, et in Patriarchatu Jerosolymitano reperiebantur Latinorum Ecclesiae, in quibus Latinus Ritus servabatur, quemadmodum Romae non deerant Graecorum Templa, in quibus ipsi Graeco Ritu sacra munera persolvebant. Michael Cerularius, impius schismatis instaurator, Latinas Ecclesias jussit obserari. Verum Sanctus Leo IX. Romanus Pontifex par pari nequaquam retulit, quamvis id facillime posset, neque Graecorum Templa Romae clausit, sed aperta esse voluit. Itaque de injuria Latinis illata conquestus *in sua Epistola prima cap.* 9. ita subdidit: *Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior, et clementior vobis est? siquidem, cum intrà et extra Romam plurima Graecorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiae, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suadetur, et admonetur eam observare.*

nnocentii
et Hono-
II. rescri-
de Gre-
Ritibus
uendis.

§. 8. Initio saeculi decimi tertii, cum Latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent, et Summus Pontifex Innocentius Tertius decrevisset Patriarcham Latinum in ea Civitate constituere, cui non solum Latini, sed etiam Graeci obtemperarent; nihilominus palam declarare non praetermisit, nullum se velle Graecis Ritibus inferre detrimentum, nisi si quae forte consuetudines inter eos receptae, periculum animarum parerent, aut honestati Ecclesiasticae adversarentur. Decretalis hujus Pontificis, in Concilio Lateranensi IV. edita, refertur tum in *Tom. VII.* Collectionis Conciliorum Harduini *p.* 22., tum *in Cap. Licet, de Baptismo; Licet Graecos diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicae revertentes fovere, ac honorare velimus, mores, ac Ritus eorum, quantum cum Domino possumus, substinendo, in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quae periculum generant animarum, et Ecclesiasticae derogant honestati.* Honorius postea III., qui Innocentio immediate successit, iisdem verbis usus est, cum literas dedit ad Regem Cypri qui duos Episcopos in nonnullis Regni sui Civitatibus optabat, Latinum videlicet pro Latinis, qui in illis versabantur, Graecum alterum pro Graecis, qui iisdem in locis commorabantur. Atque haec Honorii epistola typis impressa legitur in Annalibus Raynaldi *ad annum Christi* 1222. *a.* 5.

Idipsum de-
creto consti-
tuit Innocen-
tius IV.

§. 9. Documentis ejusmodi plurimum redundat saeculum decimum tertium. Ad hoc quippe saeculum pertinet epistola Innocentii IV. Ad Danielem Regem Russiae, apud Raynaldum *ad annum* 1247. *num.* 29., qua ipsius Regis specialem devotionem erga Ecclesiam Catholicam commendans, concedit, ut Ritus, qui Fidei Romanae Ecclesiae non repugnarent, in ejusdem Regno serventur, ita scribens: *Ea propter, charissime in Christo Fili, tuis supplicationibus inclinati, Episcopis, et aliis Presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, et alios eorum Ritus, qui Fidei Catholicae, quam Ecclesia Romana tenet, non obvient, observare auctoritate praesentium indulgemus.* Huc etiam spectat ejusdem Innocentii IV. epistola ad Othonem Cardinalem Tusculanum Sanctae Sedis Legatum in Insula Cypri, cui munus demandaverat nonnullas controversias componendi, quae Graecos inter, ac Latinos excitatae fuerant, uti deprehenditur ex ejus Constitutione, quae incipit: *Sub Catholicae:* quaeque *in veteri Bullario Tom. I.* numero decima quarta recensetur: *Verum quia nonnulli Graecorum jamdudum ad devotionem Sedis Apostolicae redeuntes, ei reverenter obediunt, et intendunt, licet, et expedit, ut mores ac Ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiae Romanae obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent, vel honestati Ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.* Postquam vero in eadem epistola praescripsit ea, quae a Graecis

facienda erant, tum ea enumeravit, quae illis permittenda arbitrabatur; his verbis concludit: *Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi, et ejus Suffraganeis Latinis, communiter auctoritate nostra praecipias, ut eosdem Graecos super praemissis, contra hujusmodi provisionem, et deliberationem vestram, non inquietent aliquatenus, nec molestent.* Idemque Pontifex Innocentius IV. Laurentium Minoritam Poenitentiarium suum, Apostolicum Legatum constituens, eique plenam auctoritatem tribuens, in Graecos omnes, qui in Regno Cypri, in Patriarchatibus Antiocheno, et Hierosolymitano morabantur, et Jacobitas etiam, Maronitas, ac Nestorianos hoc illi potissimum mandavit, ut Graecos universos auctoritate sua vindicaret ab omnibus molestiis, quae ipsis a Latinis inferri possent: *Mandamus, quatenus Graecos illarum partium, quocumque nomine censeantur, auctoritate Apostolica protegens, turbari eos violentiis, vel quibuscumque molestiis non permittas, injurias quaslibet et offensas a Latinis illatas eisdem plenarie faciens emendari, et latinis ipsis districte praecipiens, ut a similibus de caetero penitus conquiescant.* Haec sunt Innocentii verba ad praedictum Legatum Apostolicum, quae a Raynaldo *ad ann. Christi* 1546. *n.* 30. recensentur.

Hujusque proximus Successor Alex. IV.

§. 10. Alexander IV. in locum Innocentii Pontificis immediate suffectus, cum irritam cessisse Praedecessoris sui voluntatem animadvertisset, cumque turbas, ac dissensiones Graecos inter ac Latinos Episcopos in Regno Cypri adhuc vigere percepisset, Latinis Episcopis indixit, ut Graecos Ecclesiasticos suas ad Synodos accerserent; eos autem Decretis Synodalibus subjectos declarans, sequentem conditionem adjecit: *Recipere, et observare Synodalia statuta, quae tamen Graecorum Ritibus Fidei Catholicae non adversis, et a Romana Ecclesia toleratis, non obvient.* Hujusmodi laudabili exemplo inhaerens Elias Archiepiscopus Nicosiensis *anno* 1340. Decretis suis synodalibus hanc declarationem inseruit: *Per hoc autem non intendimus inhibere Graecis Episcopis, et eorum subditis, quin Ritus suos, Fidei Catholicae non adversos, sequantur, juxta compositionem a felicis recordationis Domino Alexandro Romano Pontifice in Regno Cypri inter Latinos, et Graecos editam, et observatam.* Haec omnia perspici possunt in Labbeana Collectione, Venetae editionis, *tom.* 14. *pag.* 279. *et tom.* 15. *pag.* 775.

Unio Graecor. in Lugdun. Concilio stipulata sub conditione, ne quid Graecus Ritus immutaret.

§. 11. Finem saeculo decimo tertio imponit memorata Graecorum, Latinorumque Unio statuta in Generali Concilio Lugdunensi sub Beato Gregorio X. Summo Pontifice, qui ad Michaelem Palaeologum Fidei Confessionem, Unionisque Decretum a Concilio firmatum, et a Legatis Orientalibus juratum misit, ut ipse quoque Imperator, ac reliqui Graeci Episcopi eisdem subscriberent. Peracta fuerunt omnia ab Imperatore, et Orientalibus, adjecta tamen hac conditione, quae ipsorum literis continetur, ab Harduino relatis in sua Collectione, *t.* 8. *pag.* 698. *Sed rogamus Magnitudinem Vestram etc. quod permaneamus in Ritibus nostris, quibus utebamur ante Schisma, qui scilicet Ritus non sunt contrarii contra supradictam Fidem, nec contra Divina praecepta.* Quamvis autem responsum Gregorii Pontificis ad has Orientalium literas interierit, quum tamen ipse Unionem ab iis acceptatam atque subscriptam satis firmam reputaverit, merito inde colligitur, praedictam conditionem ab ipso receptam, probatamque fuisse. Et sane Nicolaus III. Gregorii Successor, per suos Legatos, quos Constantinopolim misit, his verbis animum suum patefecit, uti habetur apud Raynaldum *ad annum Christi* 1278. *De caeteris autem Graecorum Ritibus, eadem Romana Ecclesia intendit Graecos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter prosequi, et ipsos in illis Ritibus, de quibus Sedi Apostolicae visum fuerit, quod per eos Catholicae Fidei non laedatur integritas, nec sacris statutis Canonum derogetur, perseverare permittit.*

Similiter recognita est in Concil. Flor. probante Eugenio IV. Pont.

§. 12. Quod attinet ad saeculum decimum quintum, sat esse potest indicata superius Unio in Concilio Florentino statuta, cui ab Eugenio Pontifice probata, Joannes Palaeologus subscripsit, hac lege: *ne ex Ritibus nostrae Ecclesiae aliquid immutetur:* uti videre est *tom.* 9. Collectionis Harduini *p.* 395. Verum, cum Nobis in animo non sit singula percensere, quae a Romanis Pontificibus, sequentibus deinde saeculis gesta sunt, praecipua quaedam attingemus, ex quibus manifesto deprehendatur, ipsos quidem omni conatu, studioque egisse, ut insidentes Orientalium animis errores ab iis evellerent, sed simul etiam manifestis argumentis id ostendisse, sartos tectosque se velle Ritus, quibus eorum majores ante Schisma, approbante Sede Apostolica, usi fuerant; nec unquam ab Orientalibus postulasse,

ut si Catholici esse vellent, Latinum Ritum amplecterentur.

ubsequen- um Leonis Clem VII. Pii IV. cu- servandi acci Ritus.

§. 13. In Graecorum Enchiridio edito Beneventi, duae Summorum Pontificum Leonis X., et Clementis VII. habentur Constitutiones, quibus vehementer increpantur Latini illi, qui in Graecis reprehendebant observantiam eorum, quae in Florentino Concilio eisdem permissa fuerant; praesertim quod Sacrificium offerrent in fermentato, uxorem ducerent, antequam sacris Ordinibus initiarentur, eamque post susceptos Ordines sacros retinerent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam Pueris exhiberent. Pius IV. in Constitutione: *Romanus Pontifex:* quae numero est 75. *tom.* 2. *veteris Bullarii*, dum Graecos in Latinorum Dioecesibus commorantes, Latinis Episcopis subjectos fore decernit, ita subdit: *Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Graeci ab eorum Graecanico Ritu detrahantur, vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios, impediantur.*

egor. XIII Collegiis o Graecis, aronitis, et menis in be erectis, tum Orien. vari vo- t.

§. 14. Annales Gregorii XIII. a Patre Maphaeio conscripti, et Romae impressi anno 1742. complura referunt, quae idem Pontifex gessit, licet exitu parum felici, ut Cophtos, Armenosque ad Catholicam Fidem reduceret. Sed ad rem nostram potissimum faciunt ea, quae leguntur in ipsius Constitutione 63. *in novo Bullario tom. 4. part.* 3., et in duabus aliis; videlicet 157. et 173. *in eodem Bullario tom. 4. part.* 4., de fundatione trium Collegiorum in Urbe ab eodem Pontifice institutorum pro Graecis, Maronitis, et Armenis, in quibus Alumnos dictarum Nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis Ritibus Orientalibus perseverarent. Celeberrima fuit Unio Ruthenorum cum Apostolica Sede tempore fel. record. Clementis Papae VIII. peracta, cujus monumenta relata leguntur in Annalibus Venerabilis Cardinalis Baronii, Romanae editionis anni 1596. *Tom. VII.* ubi *p.* 682. exhibetur Decretum ab Archiepiscopis, et Episcopis Ruthenis pro ineunda Unione confectum, cum hac conditione: *Salvis tamen, et in integrum observatis coeremoniis, et Ritibus cultus Divini peragendi, et Sanctorum Sacramentorum, juxta consuetudinem Ecclesiae Orientalis; correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam Unionem impedirent; ut more antiquo fierent omnia, sicut olim Unione durante fuerunt.* Sed cum paulo post ad pacem turbandam rumor percrebuisset, sublatos esse in Unione Ritus universos, quibus Rutheni antiquitus, nisi fuerant in Divina Psalmodia, in Missae Sacrificio, in Sacramentis administrandis, aliisque Sacris Coeremoniis; Paulus V. Literis Apostolicis in forma Brevis datis anno 1615., quae in eodem Graecorum Enchiridio impressae sunt, voluntatem suam his verbis solemniter declaravit: *Dummodo veritati, et doctrinae Fidei Catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per Unionem praemissam tollere, aut extinguere, Ecclesiae Romanae intentionem, mentem, et voluntatem non fuisse, nec esse; nec id dici vel censeri potuisse, nec posse; quin imo dictos Ritus eisdem Ruthenis Episcopis, et Clero, ex Apostolica benignitate permissos, concessos, et indultos esse.*

Rutheni ad itatem Ca- olicam re- untes eum- m Orien- em Ritum illaesum pulantur.

Eamdem conditionem semper ratam firmamque fore edicit Paulus V.

§. 15. Aptissime hic recenseri possent Ecclesiae, quas diversis temporibus posteriores Romani Pontifices Graecis, Maronitis, Armenis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quaeque etiamnum extant, et patent, ut sacras functiones in ipsis, juxta Ritum suum, singuli expleant. Opportune hic quoque referri posset, quemadmodum Clemens Papa VIII. in sua Constitutione 34. §. 7. *veteris Bullarii*, Graecum Episcopum Romae constituit, ut Italo Graecis Latinas Dioeceses incolentibus Ordines juxta Graecorum Ritum conferret; deinde vero alium a Clemente XII. proximo Praedecessore nostro, in sua Constitutione incipiens *Pastoralis*, fuisse superadditum Graecum Episcopum, qui fixam in Bisinianensi Dioecesi Sedem habet, ita Italo Graecis Ordines conferant; ne qui longius ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut Ordines ab Episcopo Graeco Romae degente, juxta allatam Clementis VIII. Constitutionem suscipiant; ac ne ipsis quidem Episcopis Catholicis Maronitarum, Cophtorum, et Melchitarum, qui aliquando Romae versantur, denegari facultatem conferendi Ordines juxta Ritum suum, nationis suae hominibus, dummodo idonei reperiantur. Ad rem pariter hic addi posset, quoties aliqua de disciplina Orientalium, vel Italo-Graecorum excitata est controversia, Apostolicam Sedem nihil praetermisisse, ut si quae emendatione digna visa sunt, emendarent, edicendo statim, velle se, ut caeteris in rebus omnibus Orientalis Ritus inviolatus, firmusque maneret; aut aperte declarando, quae pro Italo-Graecis inter nos degentibus, et Latinorum Episcoporum

Clariora Summor Pont. facta, quibus evincitur, fuisse eos de Oriental. Ritu servando vehementer sollicitos.

jurisdictioni subjectis statuebantur, ita accipi oportere, ut eos duntaxat afficiant, neutiquam vero protendantur ad Graecos Orientales, qui a nobis longe dissiti, Graecis Episcopis suis Catholicis subsunt.

Immo ne possint quidem esse, ut ab alia quadquam eidem Ritui derogetur.

§. 16. Deprehenditur id ex confirmatione Synodi Provincialis Ruthenorum coactae in urbe Zamosciae anno 1720., ad quam examinandam Nos quoque, quippe qui tunc munere Secretarii Congregationis Concilii fungebamur, acciti fuimus a fel. record. Benedicto XIII., qui licet obsecundandum putasset insinuationibus Patrum ejusdem Concilii, a quibus nonnulli Ritus inter Graecos vigentes, suis Decretis vel temperati fuerant, vel sublati; praedictam Synodum confirmavit quidem suis Apostolicis Literis in forma Brevis, datis anno 1724. hac tamen addita declaratione: *Ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, et Decretis Conciliorum Generalium, emanatis super Ritibus Graecorum, quae, non obstante hujusmodi confirmatione, semper in suo robore permanere debent.* Idem quoque colligitur ex pluribus nostris Constitutionibus, quae in nostro Bullario continentur de Ritibus Cophtorum, Melchitarum, Maronitarum Ruthenorum, et Italo-Graecorum generatim, atque etiam speciatim de Ritibus Cleri Collegiatae Ecclesiae Messanensis Sanctae Mariae *de Graeco* nuncupatae, ac postremo de Graeco Ritu in Ordine Sancti Basilii servando. Siquidem in Constitutione 87. *ejusdem Bullarii Tom. I.* de Graecorum Melchitarum Ritibus haec leguntur: *De ritibus igitur, et moribus Ecclesiae Graecae illud in primis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse, aut licere, quovis titulo et colore, et quacumque auctoritate, aut dignitate, etiamsi Patriarchali, aut Episcopali praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram, exactamque eorumdem observantiam imminuat.* In praecedenti vero Constitutione 57. quae incipit: *Etsi Pastoralis* §. 9. *num.* 1. haec de Italo-Graecis praescribuntur: *Quoniam Orientalis Ecclesiae Ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti, vel a Majoribus traditi, sic animis Graecorum, aliorumque insederunt, ut Praedecessores nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint Ritus hujusmodi, qua in parte nec Fidei Catholicae adversantur, nec periculum generant animarum, aut Ecclesiasticae derogant honestati, approbare, seu permittere, quam illos ad Romanarum coeremoniarum normam reducere etc.* Et §. 9. n. 24. haec leguntur: *His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-Graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus, et interdiximus, seu prohibuimus, Graecorum in Oriente, sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium, et aliarum Christianarum Nationum quorumcumque Rituum a Sancta Sede approbatorum, seu permissorum, juribus qualibuscumque, si quae illis de jure, vel ex consuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant, aut Apostolicis Constitutionibus vel Conciliorum Generalium, aut particularium, seu Congregationum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Decretis, quae super Ritibus Graecorum, seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praejudicatum, vel praejudicium ullum illatum esse, non intendimus.*

Haereses tamen unitatem proscindentes summopere aversati, certas formulas Professionis Fidei Graecis, et Orientalibus statuer.

§. 17. Verum his, aliisque pluribus praetermissis, libere asseremus, Romanos Pontifices assiduam, atque indefessam curam impendisse, ut haereses, a quibus Schisma inter Occidentalem, atque Orientalem Ecclesiam dimanavit, profligarent; ac propterea earum detestationem, sive abjurationem expoposcisse ab iis Orientalibus, qui ad Ecclesiae unitatem redire postulant, aut de quibus explorandum est, utrum vere ad unitatem Apostolicae Sedis pertineant. Duae sunt formulae professionis Fidei, quarum prima Graecis praescripta a Summo Pontifice Gregorio XIII., *tom. 2. veteris Bullarii Romani trigesima tertia* recensetur; alteram vero pro Orientalibus statuit Urbanus VIII. Ambae Typis Congregationis de Propaganda Fide editae fuerunt, prima quidem anno 1623.; altera anno 1642. Cum autem deinde anno 1665. Patriarcha Antiochenus, Syriacus Hierapolis, necnon Archiepiscopus Syrorum in eadem urbe Hierapolis commorantium, suae Fidei professionem ad Urbem transmisissent, eaque data fuisset examinanda Patri Laurentio de Lauraea Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium, tunc temporis Sancti Officii Consultori, et deinde S. R. E. Cardinali; is die 28. Aprilis ejusdem anni suffragium suum scripto exaratum protulit, quod etiam subinde fuit a Congregatione probatum, illudque his verbis concluditur: *Omnes sunt*

admittendae, sed significandum est iis, ad quos spectat, ut in posterum curent, emitti Professionem Fidei alias a felicis recordationis Urbano VIII. Orientalibus praescriptam, quia illa continet multarum haeresum detestationem, et alia pro iis regionibus necessaria.

Curarunt e eorum Missalia exrgata relii, Euologium endari, vato cacoquin nper Græ- Ritu.

§. 18. Cumque inimicus homo, ut superseminaret zizania, eo nequitiae nonnullorum animos impulisset, ut Missalibus, Breviariis, ac Ritualibus admiscerent errores, quibus Ecclesiastici, caeterique de Clero inficerentur, opportuno consilio, et post accuratum examen, Romani Pontifices Typis Congregationis de Propaganda Fide, Missale Cophticum, ac Maronitarum, sicut etiam Illyrica, aliaque hujusmodi Missalia recudenda curarunt. Neque silentio praeterire possumus, quantum curae, ac laboris collatum fuerit in emendando Graecorum Euchologio, quod e Typographia ejusdem Congregationis superioribus mensibus prodiit absolutum. Hujus Operis examen magno quidem studio sub Urbano VIII. Pontifice coeptum fuit, at post non multum temporis intermissum; instauratum autem novissime sub Clemente XII., proximo Praedecessore nostro: ast Deus Optimus Maximus eo Nos gaudio perfudit, ut post innumeras vigilias, labores, ac discussiones, Pontificatus Nostri tempore, a Cardinalibus, Praesulibus, Theologis, ac Viris Orient. Linguarum peritissimis peractas, quin nobis ipsi pepercerimus, investigando nimirum, perlegendo, et expendendo quaecumque inspicienda, legenda, et examinanda erant, gravissimum hujusmodi opus absolutum intueremur; ea semper adhibita accurata, ac quodammodo scrupulosa circumspectione, nequid minimum laederetur Graecus Ritus, sed illibatus omnino retineretur, et integer, quamvis caeteroquin superioribus temporibus inter nostros Theologos non defuerint, qui Orientalium Liturgiarum, Rituumque, qui ante Schisma in Orientali Ecclesia obtinuerant, penitus ignari, improbarent quidquid adversabatur Occidentalis Ecclesiae Ritui, quem tantummodo probe noverant. Utque uno verbo complectamur omnia, in reditu Graecorum, Schismaticorumque Orientalium ad Catholicam Religionem curando, id unum Romanis Pontificibus maxime curae fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Dioscori, Monothelitarum, aliorumque errores, in quos infeliciter prorue-rant; salvis tamen, et intactis Ritibus, ac disciplina, quam ante Schisma servabant, et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis Liturgiis, ac Ritualibus innititur; quin umquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad Catholicam Fidem redeuntes, suum Ritum dimittere, et Latinum amplecti deberent; id namque Ecclesiae Orientalis, et Graecorum, ac Orientalium Rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo numquam tentatum, imo vero semper fuit, et est ab hujus Sanctae Sedis consilio quammaxime alienum.

Missionariorum quale sit munus, et quam methodum in eo utiliter oheundo sectari debeant

§. 19. Ex his, quae huc usque latiori calamo relata sunt, plura facile inferri possunt. Primum quidem conatus omnes, omnemque diligentiam in id unum impendendam esse ab eo Missionario, qui Orientales Schismaticos, et Graecos, ad unitatem, Deo juvante, redigere contendit, ut scilicet ab illorum animis errores depellat Catholicae Fidei adversantes, quos Majores eorum amplexi sunt, ut causam aliquam praetenderent, qua se ab Ecclesiae unitate segregarent, subtraherentque ab obedientia ac obsequio, Romano Pontifici, tamquam ejusdem Ecclesiae Capiti exhibendis. Quod vero spectat ad argumenta, quibus Missionarius uti debet; quum Orientales propriis veteribus Patribus magnopere adhaereant, peracta jam res est operosa sedulitate diligentissimi Leonis Allatii, aliorumque clariorum Theologorum, qui perspicue demonstrarunt, convenire maxime inter sese veteres, spectabilioresque Graecorum, nostrosque Ecclesiae Occidentalis Patres, in iis omnibus, quae ad Dogma pertinent, et ad confutationem errorum, quibus Orientales, et Graeci nunc temporis misere implicantur. Quapropter horum Librorum studium maximam indubie afferet utilitatem. Conati sunt sane Lutherani praeterito saeculo, Orientales, et Graecos in errores suos pertrahere. Idem quoque tentarunt Calvinistae infensissimi hostes praesentiae realis Christi in Sacramento Eucharistiae, et transubstantiationis panis, ac vini in ejusdem Corpus, et Sanguinem; et in partes suas Patriarcham Cyrillum, ut ajunt, adduxerunt. Attamen, cum Graeci, licet Schismatici, animadvertissent, novis Lutheranorum erroribus adversari suorum veterum Patrum auctoritates, praesertim Sanctorum Cyrilli, Joannis Chrysostomi, Gregorii Nisseni, Joannis Damasceni, tum authentica argumenta,

quae ex ipsorum Lyturgiis depromuntur, ad realem praesentiam, et transubstantiationem asserendam, se decipi minime passi sunt, nec ullo modo a Catholica veritate recedere voluerunt. Constat id omne ex Schelestrato in Dissertatione: *De perpetua consensione Orientalis Ecclesiae contra Lutheranos:* sub titulo: *De transubstantiatione, pag.* 717. *tom.* 2. *Actorum Ecclesiae Orientalis.* Iidemque duabus in Synodis Patriarcham Cyrillum, seu edita sub ejus nomine Calviniana dogmata, unanimes damnarunt, uti videre est apud Christianum Lupum *part.* 5. ad Concilia Generalia, et Provincialia; ac potissimum in Dissertatione: *De quibusdam locis cap.* 9. *in fine.* Ex quo primum haud levis spes effulget, fore, ut ipsorum oculis subjectae auctoritates veterum Patrum, quae novis eorumdem erroribus adversantur, Catholico autem nostro Dogmati favent quammaxime, facilem iisdem viam ad reditum sternant, eosque ad veram conversionem impellant. Deinde alterum quoque potest inferri, nimirum, non modo opus non esse, ad Orientales, et Graecos in viam unitatis revocandos, ut laedantur ipsorum Ritus, aut corrumpantur; quandoquidem id semper alienum fuit ab instituto Sedis Apostolicae, quae in hac ipsa Sacrorum Rituum materia, zizania a tritico, quoties oportuit, secernere novit; verum etiam conatus hujusmodi plurimum optatissimae unioni adversari, uti recte perpendit Thomas a Jesu: *De conversione omnium gentium procuranda lib.* 7. *cap.* 2. *Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare, ac indulgere, ut quaevis Ecclesia propriis adhaereat Ritibus, et Coeremoniis; quippe cum Schismatici propriorum Rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana aliena alienet, et avertat, opportune laborandum, ut se in propriis Coeremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur.* Demum ex iis, quae supra praejecimus, illud tertio infertur, cavendum omnino esse Missionario, qui Orientalem schismaticum reducere cupit, ne eumdem ad Latinum amplectendum Ritum inducere contendat: munus namque hoc unum Missionario demandatur, revocandi Orientalem ad Catholicam Fidem, non vero ipsum ad Latinum Ritum inducendi.

Latinis non licet ad Graeci Ritum transire, nec

§. 20. Peracta in Florentino Concilio Unione, quam superius memoravimus, quidam ex Latinis Catholicis, in Graecia commorantes, arbitrati sunt, fas sibi esse a Latino Ritu ad Graecum transire, allecti fortasse, ea liberate quam noverant Graecis praeservatam, retinendi post Ordinem Sacrum, uxores, quas duxerant, antequam eumdem Sacrum Ordinem suscepissent. Verum Nicolaus V. Pontifex Maximus opportunum huic corruptelae remedium afferre non praetermisit, uti colligitur ex ejus Constitut. *tom.* 3. *part.* 3. *Bullarii* recenter Romae editi *pag.* 64. *Pervenit ad aures nostras, quod in Locis, quae Catholicis in Graecia subjecta sunt, multi Catholici, Unionis praetextu, ad Graecos impudenter transeunt Ritus. Mirati admodum sumus, mirarique non desistimus, nescientes, quid sit, quod eos a consuetudine, ac Ritibus, in quibus nati, enutritique sunt, in alienigenarum Ritus transposuit: nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiae Ritus sint, non licet tamen Ecclesiarum Ritus permiscere, neque id umquam Sacrosancta Synodus Florentina permisit.* Cum Latinus Ritus is sit, quo utitur Sancta Romana Ecclesia, quae Mater est et Magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus Ritibus praeferri debet: Ex quo porro sequitur, haud licere a Latino Ritu ad Graecum transire; nec illis, qui semel a Ritu Graeco, vel Orientali, ad Latinum transierunt integrum esse ad pristinum Graecum Ritum reverti, quemadmodum patet ex nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis* 57. §. 2. *num.* 13. *Bullarii nostri tom.* 1. nisi forte peculiares quaedam intercederent circumstantiae, quae impertiendam hac super re dispensationem suaderent; sicuti superioribus temporibus aliquando, et nunc etiam accidit in Collegio Maronitarum hujus nostrae Urbis, in quo, cum quandoque reperiatur aliquis Societatis Jesu Sacerdos, qui Societatem ingrediens, dispensationem obtinuit transeundi ad Latinum Ritum, nonnunquam cum eo dispensatur, ut in Ecclesia memorati Collegii Missam celebret Ritu Syriaco, et Chaldaico, Divinumque Officium juxta eumdem Ritum persolvat, nempe, ut Alumnos in eodem Collegio degentes Ritum ipsum edoceat. Id liquido apparet ex pluribus Decretis Congregationis Sancti Officii, uno videlicet dato die 30. Decembris anno 1716., altero die 14. Decembris anno 1740, nec non ex alio recentiori, quod Nos die 19. Augusti anno 1752. jussimus expediri.

que Graecis Latinum Ritum semel amplexis, ad illum revertiti, nisi Apostolica intercedat dispensatio.

Graecis iidem interdictus ad La-

§. 21. Haec transitum de Latino ad Graecum Ritum spectant. Nunc autem verba fa-

Ritum ritus, sed aeque; tem non ssioo. ab Apo- Sede ndua.

cientes de transitu ab Orientali, et Graeco ad Latinum Ritum, libere affirmari potest, transitum hujusmodi, non aeque, ac primum, interdici; sed tamen nequaquam licere Missionario, Graecum et Orientalem, ad Catholicae Ecclesiae unitatem reverti exoptantem, inducere ut proprium Ritum dimittat, cum ex hac agendi methodo, gravissima detrimenta, sicuti paulo ante innuimus, promanare possint. Melchitae Catholici libenter olim a Graeco Ritu ad Latinum transibant, sed vetitum id ipsis fuit, monitique Missionarii, ne illis suaderent hujusmodi transitum; cujus permissio est privativo Apostolicae Sedis judicio reservata, uti manifestum fit ex nostra Constitutione: *Demandatam* 85. §. 35. *Bull. t.* 1. *Praeterea omnibus, et singulis Melchitis Catholicis, Graecum Ritum servantibus, ad Latinum Ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub poenis etiam infra exprimendis, aliisque arbitrio nostro decernendis, ne cuiquam ex illis hujusmodi transitum a Graeco ad Latinum Ritum suadere praesumant, aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede, permittant*. Consentanea sunt Decreta Urbani VIII. Praedecessoris nostri quoad Ritum Graeco-Ruthenum, edita in Congregatione Propagandae Fidei coram ipso habita die 7. Febr., ac die 7. Julii anno 1624. Quamvis autem aequum videri posset liberam Italo-Graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Graeco Ritu ad Latinum, cum ipsi inter nos versentur, et Latino Episcopo subjiciantur; tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicae auctoritas ad id omnino requiratur, si de Ecclesiasticis tam Saecularibus, quam Regularibus agatur: Si vero Laici, et Saeculares transitum hujusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat, licentia, quam ob justas, ac legitimas causas, certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, nunquam vero integrae Universitati: In hac enim facti specie Apostolicae Sedis auctoritate opus est, uti videre est in saepe memorata nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis*: 17. §. 2. *num.* 14. *Bullarii nostri tom.* 1.

uuid de -Grae-

ectio ex sumpta, aliqui orum Orien- permit- er.

§. 22. Quod si defendi vellet, Orientales, et Graecos haeresim abjurantes, et ad Unitatem redeuntes, allici jure posse, ac urgeri ad Ritus suos desérendos, Ritumque Latinum omnino amplectendum, eo quod alias probatum fuerit, atque nunc etiam probetur, Orientales, et Graecos Latinum aliquem Ritum sectari; opportuna haud desideratur responsio. Orientales siquidem et Graeci duas veluti Classes constituunt. Prima est illorum, qui nequaquam contenti iis rebus, quae ab Apostolica Sede ipsis ad Unionem conservandam permittuntur, extra honestatis limites impudenter feruntur, jactantes, quaecumque a se fiunt, ea jure optimo fieri, Latinosque decipi, qui eadem non peragunt. Exemplo sit Azymum: Graeci, et Orientales, ut Catholici sint, fateri debent, tam azymum, quam fermentatum panem, materiam esse aptam Sacramenti Eucharistiae, et quemlibet Ecclesiae suae Ritum sectari oportere; adeo ut quicumque improbat Ecclesiae Latinae Ritum, quae in Eucharistiae consecratione utitur azymo, a veritate recedat, et in errorem prolabatur. Hilarion Monachus in Dialectica sua Oratione, quam Leo Allatius e Graeco sermone Latinam reddidit *tom.* 1. *Graeciae Orthodoxae*, edito Typis Congregationis de Propagandae Fide 1652. *p.* 762. haec advertit: *Et haec scripsi vobis, Graeci amicissimi, non panem vestrum, quem adorans aeque ac nostra azyma revereor, incusans, sed exponens, neque probe, neque ut Christianum addecet, vos gerere, dum Latinorum azyma dicto factoque laeditis, injuriaque afficitis; in utrisque enim, ut dictum est, verus Christus continetur*. Exemplum est itidem ex libertate, Orientali et Graecae Ecclesiae relicta, ut qui in ea Sacris Ordinibus, atque etiam Sacerdotio sunt insigniti, uxores, quas ante Sacrum Ordinem duxerunt, retinere valeant, uti patet *ex Can. Aliter. dist.* 31. *et cap. Cum olim, de Clericis Conjugatis*. Romani siquidem Pontifices perpendentes id nequaquam adversari Divino, aut naturali juri, sed tantum Ecclesiasticis sanctionibus, opportunum censuerunt consuetudinem hanc inter Graecos, et Orientales vigentem ferre, ne, auctoritate Apostolica ad eam evellendam interposita, illis occasio ab unitate recedendi praeberetur; quod recte expendit Arcudius *in sua Concordia lib.* 7. *cap.* 33. Attamen, quis crederet? non defuerunt, neque desunt ex Graecis, et Orientalibus, qui Latinam Ecclesiam injuria arguunt, tamquam Matrimonio infensam, propterea quod exemplum Apostolorum sequuta, in suis Subdiaconis, Diaconis, ac Presbyteris coelibatum servaverit, ac servet. Legi potest Hincmarus Rhemensis *tom.* 2. *suorum Operum epist.* 51. Tertium denique exemplum suppeditant nonnulli ex Cophtis, quorum Ritus prae-

Duplex statuitur Graecor. et Orient. Classis. Nonnulli suis Ritibus ita adhaerent ut Latinos damnent, atque improbent. Exemplis res illustratur.

scribit, ut post Baptismi Sacramentum illico adjungatur Confirmatio; qui mos non obtinet in Occidentali Ecclesia, quae plerumque talem in confirmandis aetatem exposcit, ut quid bonum, quidve malum sit, possint dignoscere. Romana Ecclesia veteri Cophtorum consuetudini non adversatur. Verum (quis crederet?) extant ex ipsis nonnulli, qui Baptismum a Latinis collatum ideo perhorrescunt, quod post Baptisma, Confirmationis etiam Sacramentum non fuerit ministratum. Quamobrem in nostra Constitutione 129. quae incipit: *Eo quamvis tempore: Bullarii nostri tom.* 1. merito a nobis arguuntur, atque damnantur: *Sicuti lenitati, et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod Cophti in suo jamdiu recepto, et ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod Baptismum Ritu Latino, et seorsim a Confirmatione collatum, acerbo, alienoque animo perhorrescant.*

Altera Classis eorum, qui cum propriis Latinum aliquem Ritum conjungunt. Afferuntur exempla.

§. 23. Alteram Classem constituunt Orientales illi, et Graeci qui retinentes majori ex parte Ritus suos, et insimul Occidentalium, ac Latinorum Ritus venerantes, ex his nonnullos sequuntur, ex veteri consuetudine suis Episcopis perspecta, et approbata, atque insuper ab Apostolica Sede expresse, vel tacite confirmata. In hanc Classem referri possunt Armeni, ac Maronitae, qui fermentatum deseruerunt, et Eucharistiam, sicuti Latini in azymo conficiunt, uti testatur Abrahamus Echellensis *in suo Eutychio vindicato pag.* 477. quam quidem Armenorum disciplinam nonnulli tribuunt Sancto Gregorio Illuminatori, primo Armeniae Episcopo, qui initio saeculi quarti, sub Tiridate Rege, martyrii coronam est consecutus; alii vero Sancto Silvestro Pontifici, aut Sancto Gregorio Magno eamdem referunt acceptam, in Conventionibus cum Armenorum natione initis, quae indicantur a Summo Pontifice Gregorio IX. in suis Epistolis ad Regem Armeniae, relatis a Raynaldo *ad annum Christi* 1139. *num.* 82. Eam certe disciplinam ab Ecclesia Romana Armenis traditam, testatur eorumdem Armenorum Sisensis Patriarcha Gregorius, in epistola ad Haytonem patrem Leonis Regis Armeniae Coenobitam, *apud Clementem Galanum, in Conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana Tom. I. pag.* 449. sic scribens: *Quocirca nos a S. Romana Ecclesia, aquae commixtionem* [cum vino in Calice] *modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus, Azymum, Mitram Episcopalem, et modum signandi Crucem.* Vetustissima pariter, et immemorabilis est apud Maronitas azymi consuetudo, uti constat ex Morini *Praefatione ad Maronitarum Ordinationes; et ex Bibliotheca Orientali Assemani senioris tom.* 1. *pag.* 410. atque ex Synodo Nationali in Monte Libano congregata anno 1736. et a Nobis in nostra Constitutione: *Singularis* 31. *Bullarii nostri tom.* 1. confirmata, in cujus *cap.* 12. *de Sacramento Eucharistiae*, cum de azymo agitur, haec leguntur: *Qui mos, et in Ecclesia nostra, et apud Armenos quoque in Oriente, ab immemorabili tempore obtinuit, et authentica etiam hujus rei documenta proferre possumus.* Hoc Armenorum, et Maronitarum exemplo, Bessarion Cardinalis, cui primum Abbatia Cryptae Ferratae sita in Dioecesi Tusculana fuerat commendata, id obtinuit, ut Graeci Monachi in illa degentes in azymo consecrarent, quemadmodum legere est in nostra Constitutione 33. *Inter multa:* §. *Ut autem: Bullarii nostri tom.* 2. Idem semper servatum fuit, hodieque servatur in Ecclesia Collegiata S. Mariae *de Grafeo* nuncupata, sita in Messanensi Dioecesi, licet ipsius Clerus Ritum Graecum retineat, uti videri potest in nostra Constitutione 81. quae incipit: *Romana Ecclesia*, §. 1. *Bullarii nostri tom.* 1. quamvis, generatim loquendo, Presbyteri Italo-Graeci servent in Italia, Insulisque adjacentibus suam disciplinam, ac Ritum conficiendi in fermentato Eucharistiam: Moneanturque impensius Sacerdotes Latini, vel Graeci Ritus, ne Eucharistiam consecrare, ac distribuere juxta proprium cujusque Ritum praetermittant, uti declaratur in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi pastoralis,* 57. §. 1. *num.* 2. *ac* §. 6. *num.* 10. *et seq. Bull. nostri tom.* 1.

Ritus ministrandi Euchar. Infantibus, illico post Baptismum, quando obtinuerit, et quare obsoleverit.

§. 24. Quibusdam Ecclesiae saeculis is usus obtinuit, ut post Baptismi Sacramentum Eucharistia pueris traderetur, haud quidem ex ea persuasione, quod esset ad aeternam puerorum salutem necessaria; sed ex mero ritu, et consuetudine tunc temporis vigente quemadmodum sapienter animadverterunt Tridentini Concilii Patres, *Sess.* 21. *cap.* 4. Inter errores Armenorum a Summo Pontifice Benedicto XII. damnatos, quinquagesimus octavus apud Raynaldum *ad annum Christi* 1341. §. 66. recensetur ille, quo asserebant, ad aeternam puerorum salutem, et Baptismi iis collati validitatem, praeter Confirmationis sacramentum,

Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In Occidentali Ecclesia, quadringentis, et amplius ab hinc annis, Eucharistia pueris post Baptismum non administratur. Verum negari nequit, in Libris Ritualibus Orientalium, commemorari Ritum Communionis post Baptismum pueris administrandae. Assemanus junior *lib.* 2. *Codicis Liturgici pag.* 149. refert ordinem ministrandi Baptismi apud Melchitas; *pag.* quoque 309. ordinem exscribit Baptismi Syrorum, editum a Philoxeno Mabugensi Episcopo Monophysita; *pag.* 306. alium affert desumptum a veteri Rituali Severi Patriarchae Antiocheni Monophysitarum antesignani: *et lib.* 3. *ejusdem Codicis pag.* 95. *et pag.* 130. binos alios ordines commemorat, servatos inter Armenos, et Cophtos in ministrando Baptismo; quibus omnibus praecipitur, ut pueris post Baptismum Eucharistia ministretur. Hujusmodi consuetudinem apud nonnullos Graecos ad sua usque tempora obtinuisse ait Sanctus Thomas 3. *part. qu.* 70. *art. ad tertium.* Arcudius vero *lib.* 3. *de Sacramento Eucharistiae cap.* 11. hanc esse Graecorum disciplinam scribit; sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt, propter incommoda, quae in praebenda pueris post Baptismum Eucharistia identidem intercedebant. In actis Synodi sub Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum, habitae in Monte Libano die 18. Septembris anno 1596. cui praefuit Pater Hieronymus Dandinus Societatis Jesu, Nuncius Summi Pontificis Clementis VIII. haec verba leguntur *can.* 7. *Quoniam parvulis sine indecentia maxima, venerabilisque Sacramenti injuria, vix potest Sacra Christi Communio dari, caveant in posterum Sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eam admittant.* Consentiunt Patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720. §. 3. *de Eucharistia.* Idemque firmatum legitur in Actis Libanensis Concilii, quod habitum fuit anno 1736. *cap.* 12. *de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento num.* 13. cujus haec sunt verba: *In antiquis quidem nostris Ritualibus, sicut et in Ordine vetere Romano, et in Euchologiis Graecis, Baptismatis Ministro diserte praecipitur, ut infantes mox à Baptismate, Chrismate delibutos, pascat Eucharistiae Sacramento; nihilominus tum ob debitam huic Augustissimo Sacramento reverentiam, tum quia idem non est infantibus ac pueris ad salutem necessarium, praecipimus, ut infantibus quidem, dum baptizantur, Eucharistia nullo pacto, neque sub specie Sanguinis, porrigatur.* Quod ipsum statutum fuit in Constitutione pro Italo-Graecis, incipiente: *Etsi Pastoralis:* 57. §. 2. *num.* 7. *Bull. nostri tom.* 1.

Vetustior receptiorque traditur Eccles. Graecae disciplina quoad Communionem sub utraque specie.

§. 25. De usu administrandae Eucharistiae sub utraque specie etiam Laicis, quoad Orientalem, et Graecam disciplinam, fuse disserunt Arcudius *in Concordia Occidentali, et Orientali in Sacramentorum administratione lib.* 3. *cap.* 4., et Leo Allatius *in prima adnotatione de Ecclesiae Occidentalis, atque Orientalis consensione p.* 1614. *et seq.* In Graecorum Collegio, quod Romae, uti diximus, erectum fuit a Gregorio XIII.; ea indicta lege, ut Graecus in eo Ritus servetur, quemadmodum praefatus Leo Allatius testatur *in suo Tractatu de aetate, et Interstitiis pag.* 21., juxta ipsius Collegii Constitutiones a Summo Pontifice Urbano VIII. confirmatas, debent Alumni quolibet octiduo animi sordes Poenitentiae Sacramento eluere, et Sacram Eucharistiam sumere quintadecima quaque die, nec non festis diebus solemnibus, et singulis Adventus, et Quadragesimae Dominicis, Latino Ritu servato; in festis vero solemnioribus, videlicet diebus Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini, jubentur, Eucharistiam sub utraque specie Ritu Graeco suscipere, hoc est in fermentato, Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam: Idemque Ritus servatur cum reliquis Graecis omnibus, qui praedictis diebus ad solemne Missae Sacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus in Ecclesia Graeci Collegii sibi Eucharistiam Ritu Graeco administrari deposcunt. Verum Italo-Graecis in memorata Constitutione: *Etsi Pastoralis:* 57. §. 6. *num.* 15. Eucharistia sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat locis, in quibus Ritus hujusmodi Communionis retentus viget; sed in aliis locis, ubi idem Ritus obsolevit, Eucharistia sub utraque specie prohibetur. Ab hac disciplina, seu ritu sumendae Eucharistiae sub utraque specie, licet in universa Orientali Ecclesia recepto, nonnulli Graeci, et Orientales paulatim recesserunt. Lucas Holstenius, vir sane clari nominis, in Epistola ad Bertoldum Nimisium, quae typis impressa affertur in Opusculis Graecis, ac Latinis Leonis Allatii *pag.* 436. refert, se praebuisse Eucharistiam in Vaticana Basilica Presbytero Abyssiano, qui cum aliis communica-

turus, ad sacram Mensam accesserat: cumque eum sub unica specie panis Eucharistiae participem fecisset, ab ipso deinde, atque etiam ab aliis Æthiopicae Ecclesiae hominibus, sciscitatum fuisse, an, juxta Patriae suae Ritum, Eucharistiam sub unica specie panis sumere consuevissent, tam in solemni Lyturgia, quam in quotidiana Eucharistiae participatione, nec non cum ad eos extremo morbo laborantes eadem in Viaticum afferebatur; testaturque, fuisse sibi ab ipsis responsum, Sacram Synaxim sub unica specie panis sibi semper administrari, hancque esse veterem disciplinam in Æthiopica Ecclesia obtinentem. Inter quaesita Summo Pontifici Gregorio XIII. proposita a Patriarcha Maronitarum, sequens recensetur: *Nos Missam celebramus in solo azymo? Laici vero nostri sub utraque specie communicant;* cui Pontifex his verbis respondit: *Si volunt in azymo consecrare, non videntur prohibendi: Laici vero a Communione sub utraque specie pedetentim arcendi sunt; totus enim Christus sub una specie continetur, et in usu Calicis magnum est periculum effusionis:* uti legere est in laudato Opere Thomae a Jesu, *de Conversione omnium gentium pag.* 486. *et seq.* Patres etiam Concilii Libanensis habiti anno 1736. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 21. hujusmodi consilio inhaerentes, ita statuerunt: *Deinde ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae institutis inhaerentes, praecipimus, et stricte mandamus, ne cui Laico, vel Clerico in minoribus Ordinibus constituto, Communio sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum:* Solis Diaconis permittentes, ut in solemni Missa Eucharistiam sub utraque specie a Sacerdote accipiant, hoc est sub specie panis primum, deinde sub specie vini, semoto tamen, quem superius commemoravimus, cochlearis usu: *At vero Diaconis, ut Hostiam Sanguine intinctam a Sacerdotibus, in solemni praesertim Missa, accipere possint et valeant, concedimus, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum esse statuimus.*

Ritusque effundendi aquam tepidam in calicem post consecrationem, ante consummationem

§. 26. Postremo, ab Eucharistiae Sacramento minime recedentes, hic verba faciemus de alio Orientali, et Graeco Ritu, quo nimirum Sacerdos post consecrationem, et ante consummationem, paululum aquae tepidae in calicem fundit. Matthaeus Blastares *in Syntagmate Alphabetico cap.* 8. *tom.* 2. *Synodicon Graecorum pag.* 153. hujusmodi Ritum commemorat, ejusque significationem affert. Eutymius Tiri ac Sidonis Archiepiscopus anno 1716. Summo Pontifici Clementi XI. nonnulla quaesita proposuit, quorum alterum erat, utrum Melchitis Syriae, ac Palestinae interdicere deberet, aquam tepidam Divino Sanguini post Consecrationem affundere; cui redditum fuit responsum, adjecta accurata, et luculenta instructione ab eodem Pontifice approbata, ejusque jussu transmissa ad Superiores Missionum Terrae Sanctae, Damasci, Tyri, ac Sidonis; injunctumque praedicto Archiepiscopo, ne id fieri interdiceret, cum de veteri Ritu ageretur, Sedi Apsotolicae perspecto, et Graecis Sacerdotibus etiam Romae permisso; per quem innuitur Fidei ardor, qui maximus erga tantum Mysterium debet conflagrare. Simile responsum die 31. Martii anno 1729. jussu Benedicti Papae XIII. datum fuit Cyrillo Graecorum Patriarchae Antiocheno. Idem Ritus Italo-Graecis permittitur in citata Constitutione 57. *Etsi Pastoralis*, §. 6. *num.* 2. *Bullarii nostri tom.* 1. Cumque subinde in Congregationibus, quae pro correctione Librorum Ecclesiasticorum Ecclesiae Orientalis habitae fuerunt, ad accuratiorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque disputatum fuisset, utrum interdicendus esset Ritus infundendi in calicem aquam tepidam post Consecrationem, cum potissimum Humbertus Cardinalis Sylvae Candidae superioribus temporibus plurimum adversus eumdem Ritum declamasset, responsum fuit die 1. Maji anno 1746., *nihil esse innovandum*, quod rescriptum a Nobis deinde confirmatum fuit; rationibus enim a praedicto Cardinali allatis nil ponderis inesse compertum fuit. Attamen Patres Concilii coacti in urbe Zamosciae anno 1720., graves ob causas, inhibuerunt Ruthenis Sacerdotibus, ne aquam tepidam post Consecrationem in calicem funderent, uti legi potest §. 4. de celebratione Missarum: *Inhibet gravem ob causam, et abrogat toleratam in Orientali Ecclesia consuetudinem, ad consecratas calicis species aquam tepidam affundendi, post Consecrationem, ante Communionem.*

Allata huc usque exempla, ad propositam superius objectionem probandam, iuxta dicta demonstrantur.

§. 27. His sane, et aliis hujusmodi exemplis, quae facile cumulari possent, inniti valent, qui erga transitum a Ritu Orientali et Graeco, ad Occidentalem et Latinum sunt propensiores, vel certe quidem putant se jure optimo agere, dum Schismaticum Orientalem ad Ecclesiae unitatem convertentes, satagunt ab-

ducere ab aliquo Ritu, quem servare consueverat, priusquam nobis consentiret, quique a reliquis omnibus Orientalibus et Graecis, ex veteri disciplina, firmiter retinetur et observatur. Verum, neque superius allata exempla, nec caetera, quae in medium proferri possent, quidquam illorum opinioni suffragantur; tum quia in transitu a Ritu Orientali et Graeco, ad Occidentalem et Latinum, tollitur omnino quidquid ab ipso Graeco Ritu praescribitur, et nostro Ritui non conformatur; quod non contingit in iis exemplis, quae paulo superius allata sunt, quibus nempe, si aliqua peculiaris solemnitas Graeci Ritus tollitur, Ritus tamen ipse, ac reliqua omnia eodem Ritu praescripta intacta servantur; tum quia partem etiam aliquam demere ex aliquo Ritu salvis reliquis ejusdem Ritus partibus, non est privati viri, sed auctoritas publica intercedat necesse est, videlicet Supremi Capitis universalis Ecclesiae, qualis plane est Romanus Pontifex. Sedes namque Apostolica ea est, quae praecipuo quodam jure, quoties ipsi consentaneum visum fuit, ab Orientali Ecclesia Ritum aliquem desumpsit, et in Occident. traduxit; aut praetermisit, Ritum aliquem Graecum in aliqua Latina Ecclesia usurpari. Eademque Apostolica Sedes, quoties deprehendit, periculosum vel indecorum aliquem Ritum in Orientalem Ecclesiam irrepsisse, illum damnavit, improbavit, ejusque usum ipsi prohibuit. Ipsa denique Apostolica Sedes, postquam vidit Orientalem, vel Graecam aliquam gentem in aliquo Latino Ritu usurpando, ac defendendo, vehementer obfirmatam, ac potissimum, quando Ritus ipse ab antiquo tempore invectus fuit, ab omnibus communiter receptus, atque expresse, vel tacite ab Episcopis probatus, Ritum ipsum tolerando, et sic approbando, firmavit.

...plex prae-...uum Sedi ...ostolicae ...nus, ad-...tendi ...aecos Ri-... in Lati-...n Ecclesi. ...erdicendi ...ios in ...aeca, et ...em per-...tendi in-...ios.

Exempla ...aecor. Ri-...um, quos ...les Apost. ...Graeca in ...iversam ...clesiam ...nstulit, ... in aliqua ...l. Latina ...rpari ...misit.

§. 28. In Latina, et Graeca Lyturgia recitatur Symbolum, ejusque recitatio in Missae Sacrificio in Ecclesia Orientali primum instituta, deinde in Occidentalem traducta est, uti colligitur ex tertio Toletano Concilio habito anno 589. *can.* 2. *tom.* 5. Collectionis Labbeanae *pag.* 1009. cujus haec sunt verba: *Ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae, secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur.* Quare cum Patres Toletani Concilii, disciplinam statuentes recitandi Symbolum in Sacrificio Missae, se ad Ritum Orientalium Ecclesiarum retulerint; id satis est ad agnoscendum, hujusmodi disciplinam in Oriente primo institutam, inde in Occidentem promanasse; sicut advertunt Cardinalis Bona *Rerum Lyturgic. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. et Georgius *de lyturgia Romani Pontificis tom.* 2. *cap.* 20. *num.* 2. *pag.* 176. Sed rem propositam persequendo, Amalarius *in l. de Divinis Officiis c.* 14. postquam innixus auctoritate Sancti Paulini in Epistola *ad Severum*, retulit, sola Feria sexta majoris Hebdomadae in Ecclesia Hierosolymitana exponi consuevisse populo adorandam Crucem ipsam, in qua Christus pependit, huic Graecae consuetudini tribuit Ritum adorationis Sanctae Crucis, quae in Officio praedictae Feriae sextae in unaquaque Latina Ecclesia ad hanc usque diem peragitur. Trisagium *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis*, pia est, et frequentissima Oratio in Graecorum Lyturgia, uti recte advertit Goarius in notis ad Euchologium in Missam Sancti Joannis Chrysostomi *pag.* 109. Ejus Orationis origo repetitur ex miraculo, quod medio saeculo quinto contigit in Regia Urbe Constantinopolitana; cum enim Theodosius Imperator, Patriarcha Proclus, et universus populus in aperto ad Deum preces effunderent, ut ab imminenti liberarentur excidio, quod ipsis ab ingentibus terrae motibus impendebat, puer repente in Coelum rapi visus est, qui deinde in terram demissus, retulit se audivisse Angelos praedictum Trisagium canentes; quare, cum jussu Procli Patriarchae, universus populus illud devote cecinisset, terra ab horrendis, quibus concutiebatur, motibus conquievit, uti narrat Nicephorus *lib.* 14. *cap.* 46. recteque prosequitur Summus Pontifex Felix III. in epistola tertia ad Petrum Fullonem, quae habetur *tom.* 4. Labbeanae Collectionis. Idem vero Trisagium in Ecclesia Occidentali Feria Sexta majoris Hebdomadae Graecae, et Latine canitur, quemadmodum apposite animadvertit Cardinalis Bona *Rerum Lyturgicar. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 5. Aquae benedictio in pervigilio Epiphaniae ex Ritu est Graecae Ecclesiae proprio, uti fuse ostendit Goarius in Euchologio, sive Rituali Graecorum, et nunc etiam praedicta die Romae in Graecorum Ecclesia peragitur haec functio, de qua in allata superius Constitutione nostra 57. §. 5.

num. 13. mentio habetur, simulque permittitur, ut Fideles eadem aqua benedicta aspergantur. De transitu Ritus hujusmodi ab Orientali in aliquas Occidentales Ecclesias videri possunt, quae congessit eruditus Martene *tom. 4. de antiqua Ecclesiae disciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. 4. num. 2.* et quae afferuntur in Dissertatione Patris Sebastiani Pauli Congregationis Matris Dei, edita Neapoli anno 1719. cui titulus est: *De ritu Ecclesiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania*, uti propterea *part. 3. pag. 177. et seqq.* opportune monet Episcopos, in quorum Dioeceses longo abhinc tempore nonnulli Ritus ab Ecclesia Graeca manantes irrepserunt, ut illos de medio tollere tantopere non contendant, ne turbae excitentur, et ne videantur improbare rationem agendi Sedis Apostolicae, quae Ritus illos irrepsisse cum optime noverit, eosdem tamen servari et frequentari permisit; affertque etiam *pag.* 203. epistolam Cardinalis Sanctorii, Sanctae Severinae nuncupati, scriptam anno 1580. ad Fornarium Episcopum Neritinum, de hoc ipso argumento, et de aquae benedictione in Epiphania, quae in illa Dioecesi peragitur. Graecus pariter est Ritus spoliandi, ac lavandi Altare Feria quinta in Coena Domini. Hujusce Ritus monumentum aliquod reperire est saeculo quinto; de eo namque meminit in suo Typico, sive Ordine recitandi Officium Ecclesiasticum per totum annum, S. Sabas, qui, teste Leone Allatio, *de Libris Ecclesiae Graecae dissert. 1. p. 9.* obiit anno 451. Si certo affirmari posset Ordinem Romanum ab Hittorpio editum, Sancti Gelasii Pontificis jussu compositum fuisse, Ritus lavandi Altaria feria quinta in Coena Domini, praedictae Graecorum consuetudini fuisset quasi coaevus in Latina Ecclesia, cum Sanctus Gelasius Pontifex obierit *anno* 496. At, cum incertum sit, utrum Romanus Ordo ab Hittorpio vulgatus, tantae antiquitatis merito praestet, et cum, eo seposito, Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus inter Latinos primus extiterit, qui de hoc Ritu verba fecerit; idemque S. Isidorus *anno* 636. sit vita functus, satis id est, ut ab Oriente in Occidentem fluxisse asseratur Ritus praedictus, qui in hunc usque diem in nonnullis Latinis Ecclesiis retinetur, probantibus Romanis Pontificibus; ac potissimum in Vaticana Basilica, magna cum Solemnitate, Feria quinta in Coena Domini quotannis peragitur. Suaresius Episcopus Vasionensis, et Vicarius ejusdem Basilicae, et Joannes Chrysostomus Battellus Archiepiscopus Amasenus, qui in minoribus inter Beneficiatos ejusdem Basilicae recensebantur, duas elucubratissimas Dissertationes ediderunt, quibus praedictum Ritum illustrarunt. Quae cum ita sint, exemplis, et factis aperte evincitur id, quod paulo ante diximus: Sedem videlicet Apostolicam non omisisse, quoties id rationi consentaneum putavit, aut adsciscere in universam Latinam Ecclesiam Ritus, qui ad Graecam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiares quidam Ritus, qui ab Ecclesia Graeca manarunt in nonnullis Latinis Ecclesiis observarentur.

Exempla Rituum, quos justis de causis a Graeca Ecclesia proscripsit Apostolica Sedes.

§. 29. Jam paulo superius de Trisagio sermonem fecimus, deque admirabili modo, quo cantus ejusdem in Sacris Lyturgias Ecclesiae Graecae inductus fuit: Cum tamen Petrus Fullo, cognomento Gnaphaeus, fautor haeresis Apollinaristarum, qui Theopaschitae appellantur, ausus fuisset Trisagio haec verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis*; sicuti fuse commemorat Theodorus Lector *lib. 1. Collectanear.*; et cum nonnullae Orientis Ecclesiae, ac potissimum Syrorum, et Armenorum, opera cujusdam Jacobi Syri, teste Nicephoro *lib. 18. cap. 52.* additamentum hujusmodi recepissent; haud praetermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili cura et sollicitudine, inolescenti errori se opponere factamque Trisagio additionem interdicere; reijcentes interpretationem, qua, Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non vero ad tres Divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi jactabatur; tum quia periculum semper supererat adhaerendi dogmati haeretico; tum quia humanae mentis praesumptio ad solum Christum referre minime poterat Hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimae Trinitatis decantatum, sicuti Lupus recte expendit *in notis ad Can. 81. Trullanum*, ubi, postquam retulerat, a Felice III., et Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli divinae Trinitati a Sanctis semper Angelis adcantatum, Ecclesiae ab ipso Deo ac eisdem sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum Regiae Urbi impendentium depulsione confirmatum, ac in eodem sensu et ratione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi, constanter asseverant*, loquitur

de Episcopis tum in praedicto Concilio congregatis, tum de aliis additamentum Trisagio factum respuentibus) *humana praesumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri*. S. Gregorius VII. eodem Religionis studio ipsam additionem improbavit in sua epistola prima *lib.* 8. scripta ad Archiepiscopum, sive Patriarcham Armenorum. Idem praestitit Gregorius XIII. in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 14. Februarii anno 1577. In Congregatione autem Propagandae Fidei, habita die 30. Januarii anno 1635., cum examini subjecta fuisset Armenorum Lyturgia, atque inter caetera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrum addictio inducta Trisagio tolerari posset, ob indicatam causam, quod illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur, responsum fuit, id non esse permittendum, additionemque omnino expungendam. Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad Episcopos Lucaniae *cap.* 26. pravam consuetudinem jam invectam improbavit, juxta quam, mulieres Sacerdoti Missam celebranti inserviebant; cumque idem abusus ad Graecos transiisset, Innocentius IV. in epistola, quam ad Episcopum Tusculanum dedit, eumdem severissime proscripsit: *Mulieres autem servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino:* Iisdem verbis a Nobis quoque prohibetur in nostra saepius citata Constitutione: *Etsi Pastoralis:* §. 6. *num.* 21. *tom.* 1. *Bullarii Nostri*. Feria quinta Majoris Hebdomadae, ad recolendam Dominicae Coenae memoriam, sacra peragitur functio, in qua consecratur panis, qui per integrum annum asservatur, ut illo reficiantur lethali morbo laborantes, qui Sacram Synaxim in Viaticum sibi deposcunt, et aliquando etiam eidem pani consecrato exigua pars vini consecrati affunditur. Ritus hujusmodi a Leone Allatio describitur in suo Tractatu *de Communione Orientalium sub specie unica num.* 7. Summus Pontifex Innocentius IV. in laudata epistola ad Episcopum Tusculanum, Ritum illum Graecis interdixit, hisce verbis: *Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam, usque ad annum, praetextu infirmorum, ut videlicet de illa ipsos communicent, non reservent:* additque, ut paratam semper Eucharistiam haberent pro Infirmis, sed illam qualibet decima quinta die renovarent. *Arcudius in Tract. de Concordia Ecclesiae Occidentalis, et Orientalis lib.* 5. *cap.* 55. *et* 56. absurditates, quae ex eo Ritu promanabant, indicare haud praetermisit, deprecans Romanos Pontifices, ut illum penitus abrogarent. Praestitit id Clemens VIII. in sua Instructione, idemque et Nos praestitimus in nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis* 57. §. 6. *num.* 3. *et seq.* In Concilio Zamosciae, a duabus Congregationibus, Concilii videlicet, ac Propagandae Fidei examinato, §. 3. *de Eucharistia*, legitur statutum, ut si alicubi adhuc vigeret Ritus consecrandi Eucharistiam Feria quinta in Coena Domini, eam suffundendi aliqua gutta Sanguinis, servandique pro infirmis in annum integrum, in posterum omnino praetermittatur; sed Parochi Eucharistiam pro Infirmis servent, ipsam qualibet octava, aut decimaquinta die renovantes. Eamdem viam institerunt Patres Concilii Libanensis a Nobis confirmati, sicuti patet *ex cap.* 12. *de Sacramento Eucharistiae num.* 24. Quibus sane exemplis manifesto comprobatur, quod Sedes Apostolica nunquam omiserit Graecis interdicere Ritus aliquos, licet apud eos jampridem obtinerent, quoties eosdem perniciosos et malos esse, aut evadere posse deprehendit.

Hac ipsa tamen in re, Apost. Sedes, pro circumstant. varietate, epiche-jam adhibuit.

§. 30. De Processione Spiritus Sancti a Patre, ac Filio, quemadmodum superius indicavimus, praecipue disputatum est, quoties de unione Graecae, et Orientalis Ecclesiae cum Latina, et Occidentali actum fuit. Hujus articuli examen trinam veluti faciem praesetulit, atque adeo ad haec tria capita redactum est. Primum, an processio Spiritus Sancti a Patre et Filio esset Fidei Dogma: et quoad primum hoc caput, firmissime responsum semper fuit, non esse ullo modo dubitandum, quin processio Spiritus Sancti a Patre et Filio inter Fidei Dogmata adnumeretur; neque Catholicum revera esse, qui illud non recipit, ac profitetur. Alterum, an, posito hoc esse unum ex Fidei Dogmatibus, licuerit in Symbolo Missae superaddere verbum *Filioque*, quamvis neque in Nicaena, neque in Constantinopolitana Synodo illud reperiretur, cum potissimum ab Oecumenica Synodo Ephesina decretum fuerit, ne quid Nicoeno Symbolo adderetur: *Statuit Sancta Synodus, alteram Fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicaeâ cum Spiritu Sancto congregati fuerunt*. Quod autem ad alterum hoc caput attinet, fir-

matum fuit, non modo licuisse, sed et valde conveniens fuisse, ut hujusmodi additio fieret Nicaeno Symbolo; eo quod Ephesinum Concilium solummodo inhibuerit additiones Fidei oppositas, aut temerarias, et a communi consuetudine devias; non vero orthodoxas, et quibus aliquis Fidei articulus in eodem Symbolo implicite contentus, explicatius declararetur. Tertium denique, utrum, posita pro indubio Fidei dogmate Processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio, agnitaque insuper in Ecclesia potestate addendi Symbolo vocem *Filioque*; permitti posset, ut Orientales, et Graeci in Sacrificio Missae Symbolum recitarent ad eum modum, quo prius, et ante Schisma consueverant, quod perinde est ac dicere, praetermissa voce, *Filioque*. Quod autem pertinet ad postremum hoc caput, non eadem semper fuit Sedis Apostolicae disciplina; quandoquè enim Orientalibus et Graecis, Symbolum absque voce *Filioque* recitare permisit; tunc nimirum, cum certo constiterat, priora duo capita, seu articulos ab illis recipi, noveratque omnino fore, ut, si iisdem denegaretur id quod tanto studio deposcebant, exoptatae Unioni aditus intercluderetur: Nonnunquam vero Symbolum cum additione *Filioque*, ab Orientalibus, et Graecis recitari omnino voluit; cum scilicet merito suspicari potuit, eosdem ideo nolle Symbolum cum additamento recitare, quod adhaererent errori opinantium, ac asserentium Spiritum Sanctum a Patre, et Filio non procedere; vel ab Ecclesia additionem illam, *Filioque* Symbolo fieri non potuisse. Duo Summi Pontifices, nempe Beatus Gregorius X. in Lugdunensi Concilio, et Eugenius IV. in Florentino, primam agendi rationem, ob indicatas causas, cum Graecis adhibuerunt, uti constat ex *tom.* 7. Collectionis Conciliorum Harduini *p.* 698. *D. et tom.* 9. ejusdem Collectionis *p.* 305. *D.*, Alteram vero rationem, ex causis itidem supra allatis, amplexus est, servavitque Summus Pontifex Nicolaus III., cum deprehendit, Michaelem Imperatorem ex bona fide non agere, neque iis stare, quae pollicitus fuerat in tractanda Unione, quam cum Pontifice Gregorio X. Praedecessore suo absolverat, atque firmaverat. Hujus rei documentum e Vaticano Archivo desumptum in Raynaldi Annalibus impressum est *ad annum Christi* 1278. §. 7. Eamdem viam institerunt Martinus IV., et Nicolaus IV. Et quamvis de Pontificibus istis, quod ad hanc rem pertinet, Scriptores diversa tradiderunt, Pachymeres tamen, qui tunc temporis Constantinopolitanam historiam posterorum memoriae commendabat, *lib.* 6. *cap.* 14. aperte testatur, eos Praedecessorum suorum epichejam non fuisse secutos, sed voluisse, ut ab Orientalibus, et Graecis Symbolum cum additione *Filioque* recitaretur, ut injecta sibi de Ortodoxa illorum Fide dubitatio tolleretur, *ad certum experimentum capiendum Fidei, et Sententiae Graecorum: ejus vero pignus idoneum fore, si et ipsi Symbolum, sicut Latini, pronunciarent.* Idem Pontifex Eugenius, qui in Florentino Concilio Orientalibus concesserat, ut sine ea voce, *Filioque*, Symbolum recitarent, cum deinde Armenos in unitatem Sanctae Ecclesiae reciperet, eisdem praecepit, ut Simbolo praedicta additione adaucto uterentur, uti videre est in Collectione Conciliorum Harduini *tom.* 9. *p.* 435. *B.* eo quod fortasse Armenos non aeque ac Graecos, ejusmodi additamento repugnantes deprehenderat. Callistus itidem III. Romanus Pontifex, cum Fratrem Simonem ex Ordine Praedicatorum munere Inquisitoris decoratum in Cretam ablegaret, quam in Insulam se receperant plures Graeci aufugientes ab urbe Constantinopolitana, cujus ante biennium Turcae potiti fuerant, jussit ipsum vigilem adhibere curam, ut iidem Graeci Symbolum cum additione *Filioque* recitarent, sicuti narrat Gregorius Trapezuntius *in sua epistola ad Cretens. tom.* 1. *Graeciae Orthodoxae, apud Allatium p.* 537. quod confirmatur etiam *ab Echard. tom.* 1. *Scriptorum Ordinis Sancti Dominici p.* 762. fortasse enim Pontifex suspicabatur, ne praedicti Graeci, quippe qui ex Urbe Constantinopoli advenerant, in eo Fidei dogmate minus firmi essent. In duabus formulis Professionis fidei, quas jam superius commemoravimus, quarum alteram Gregorius XIII. Graecis, alteram Urbanus VIII. Orientalibus praescripsit, nihil aliud continetur, quam quod in Florent. Conc. fuit constitutum. In duabus Constitutionibus, altera videlicet Clemen. VIII. quae est 34. *veteris Romani Bullarii tom.* 3. §. 6., nostra altera incipiente: *Etsi Pastoralis* §. 1. *Bullarii nostri tom.* 1., utraque edita pro Latinis Episcopis, in quorum Dioecesibus versantur Graeci, aut Albanenses Graecum Ritum servantes, dummodo hi Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere fateantur, et agnoscant Ecclesiae fuisse potestatem addendi Symbolo

vocem *Filioque*, minime jubentur Symbolum cum hac additione recitare; nisi forte, ea praetermissa, scandalum immineret; aut certo aliquo in loco peculiaris consuetudo jam invaluisset recitandi Symbolum cum additione *Filioque;* aut deinde necessarium putaretur, ut Symbolum ab illis cum praedicta additione recitaretur, ad eliciendam indubiam rectae ipsorum Fidei probationem. Recte autem non modo Patres Concilii Zamosciae *tit.* 1. *de Fide Catholica*, sed etiam Patres Libanensis Concilii *part.* 1. *eodem tit. num.* 12., ad omnem scrupulum submovendum, provide statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus subjecti, Symbolum, juxta consuetudinem Romanae Ecclesiae, cum particula *Filioque* usurpent.

tium de-
ne mu-
permitt.
Graeca
lesia cer-
quosdam
ritos Ri-
quomo-
executa
Apost.
is.

§. 31. Ex his, quae huc usque dicta sunt, plene concluditur, Sedem Apostolicam hac ipsa in re quandoque, ex peculiaribus circumstantiis, perspectaque sibi gentis alicujus indole, consensisse, ut certus adhiberetur modus, quem tamen ab aliis, ob diversas circumstantias, diversumque locorum ac populorum gentium, nullatenus usurpari permisit. Quamobrem, ut oneri suscepto satis faciamus, nihil aliud superest, quam ut ostendamus, aliquando eamdem Sedem Apostolicam, dum novit gentem aliquam Orientalium, et Graecorum, in aliquo Latino Ritu adhibendo tenaciorem esse, illius usum ei benigne permisisse; praesertim si hujusmodi Ritus usurpandi consuetudo a vetustioribus temporibus inolevit, et Episcopi non modo eidem nunquam adversati sunt, sed aut tacite, aut expresse eamdem comprobarunt. Verum, cum hac ipsa de re perspicua exempla jam fuerint superius allata; dum verba fecimus de ea classe Orientalium, et Graecorum, qui Ritus suos majori ex parte retinentes, atque Latinos aeque, ac Orientales Ritus venerantes, aliquem ex nostris Ritibus amplexi sunt, ab inutili idcirco repetitione abstinebimus, ea hic revocantes, quae superius in his ipsis literis plene fuerunt exposita. Duo solum exempla ex Maronitis desumpta subnectemus iis, quae jam adduximus. Nonnullis ab hinc saeculis Maronitae Pontificales ac Sacerdotales vestes adhibent ejusdem planeformae, quam Latinus Ritus praescribit, quemadmodum in citato saepius Libanensi Concilio habito anno 1736. legitur *cap.* 12. de Sacramento Eucharistiae *num.* 7. Summus enim Pontifex Innocentius III. epistola ad Hieremiam Patriarcham anno 1215. data, quae incipit: *Quia Divinae Sapientiae bonitas:* illos ad hortatus est, ut se Latinae Ecclesiae in Pontificalibus ornamentis conformarent. Quam ob causam tum idem Pontifex, tum ejus Successores ad illos sacra Indumenta, Calices, ac Patenas dono miserunt, uti narrat Petrus Patriarcha in duabus epistolis ad Leonem Decimum datis, relatisque *tom.* 14. Collectionis Conciliorum Labbeanae *p.* 346. *et seq.* Nuper autem in praecitato Libanensi Concilio *cap.* 13. unanimi consensu, nostraque subsequuta approbatione, iidem Maronitae, quoad Praesanctificatorum Missam, Latinum Ritum amplexi sunt, illam tantummodo Feria Sexta in Parasceve celebrantes, relicta, justis gravibusque de causis, disciplina Graecorum, qui diebus Quadragesimalis jejunii, nonnisi Missam Praesanctificatorum celebrant excepto Sabbato, die Dominico, et Festo Annunciationis Beatae Virginis, si forte in Quadragesimam incidat, juxta praescriptum in *Trullano Can.* 52. Hisce siquidem diebus, Sacerdos Panem consecratum in tot particulas dividit, quot dies subsequuntur, quibus Missa Praesanctificatorum celebratur; quibus nimirum vescitur Pane Eucharistico, quem antea consecravit, asservans in Ciborio reliquas consecratas particulas, ut sequentibus diebus, quibus Missam Praesanctificatorum celebrabit, iisdem vescatur, atque aliis etiam, qui adstant, petuntque, distribuat; uti fuse commemorat Leo Allatius in Prolegomen. ad Gebrielem Naudaeum *de Missa Praesanctificatorum pag.* 1531. *n.* 1.

Amplior assumpti probatio suscipitur.

§. 32. Huic nostrae Epistolae finis hic imponendus alicui forte videri poterit, cum in ea, et allatum jam fuerit Responsum redditum quaesitis a Sacerdote Missionario Balsorae propositis, nimirum, *Nihil esse innovandum*, et indicatae itidem fuerint firmissimae regulae, quas sequantur Missionarii, qui Orientales a Schismate et erroribus ad Unitatem, Sanctamque Catholicam Fidem revocare satagunt; neque enim ex jure Canonum, et Apostolicarum Constitutionum se gerit, qui in convertendis Orientalibus, Ritum quoque Orientalem, et Graecum, in iis, quae ab Apostolica Sede tolerantur atque admittuntur, de medio auferre contendit; aut id agit, ut, qui convertuntur, Ritum, quem hactenus servaverunt, admittant, et Latinum amplectantur. Nihilominus, antequam finis huic epistolae imponatur nimis

congruit, ut nonnulla insuper attingantur, quae propius pertinent ad quaestiones a praedicto Missionario propositas, quibus jam responsum fuit, *nihil esse innovandum*.

Ritus commixt. non inducitur, ex quo Graecus, Armenus, vel Maronita Sacerdos celebret in Latina Ecclesia juxta Ritum suum.

§. 33. Porro, si in Urbe Balserae degunt Catholici Ritus Orientalis, Armeni, aut Syriaci, ipsique peculiari Ecclesia carentes, ad Missionariorum Latinorum Ecclesiam conveniunt, ubi Sacerdotes Orientalis Ritus Rem Divinam, reliquasque peragunt suis Ritibus coeremonias, Laici autem Missae Sacrificio intersunt, et Sacramenta suscipiunt, non magnopere adlaborandum est, ut defendatur, nihil esse innovandum, uti rescriptum fuit; quodque antea obtinuit, idipsum et in posterum servari oportere, permittendo videlicet praedictis Sacerdotibus, et Laicis, ut in Latina Ecclesia ea facere pergant, quae ad hanc usque diem peregerunt. Nam jure Canonico illud quidem statutum habetur, Ritum Orientalem, et Graecum cum Latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra Decretali Caelestini III. apud Gonzales *cap. Cum secundum; de temporibus Ordinationum;* atque in Decretali Innocentii III. *cap. Quanto; de consuetudine, cap. Quoniam, de Officio Judic. Ordinar.*, et in Decretali Honorii III. *cap. Literas; de celebrat. Missar.* at nullo jure affirmari potest, Ritus commixtionem Apostolica aliqua Constitutione vetitam, induci ex eo tantum, quod Armenus, Maronita aut Graecus juxta Ritum suum in Latina Ecclesia, vel Missae Sacrificium, vel alias coeremonias cum populo sui Ritus exerceat, aut versa vice Latinus in Orientalium Ecclesia idem praestet, dum praesertim legitima aliqua subest causa, de qua in praesenti facti specie nullo modo dubitari potest, cum Orientales illi in Civitate Balserae peculiari careant Ecclesia, ita ut, si ipsis Latinorum Ecclesia non pateret, loco plane omni destituerentur, in quo Missae Sacrificium offerre possent, et cum Populo sui Ritus ea exercere, quae peragenda sunt, ad illos in sancta unione retinendos ac confovendos.

At contra si Latinus in fermentato, Graecus in azymo, vel alteruter nunc in azymo, nunc autem in fermentato consecrarent.

§. 34. Vetita sane Ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret, et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo Rem Divinam facerent, et genti suae Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Curare siquidem debent sollicite Ordinarii quoque Latini, quibus Italo Graeci subjiciuntur, *ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam Parochiam habent, in fermentato communicent;* uti praecipitur in Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis:* 57. *num.* 6. *num.* 14. *Bullarii nostri tom.* 1. Vetita quoque Ritus permixtio esset, si Latinus Sacerdos, modo juxta Latinum, modo juxta Graecum Ritum; aut Sacerdos Graecus modo Graeco, modo Latino Ritu Missam celebraret. Id enim interdicitur in Constitutione S. Pii V. quae incipit: *Providentia*, quaeque est 21. *tom.* 4. *part.* 2. *Bull. novi* Romae impressi; ubi facultates omnes, quae praecedentibus temporibus nonnullis Presbyteris super hoc concessae fuerant, omnino revocantur. Huic Constitutioni S. Pii V. congruit quoque praeindicata nostra §. 7. *num.* 10. Quod si Presbyteris Societatis Jesu, qui Collegiis Nationum Orientalium Romae erectis praesunt, et qui praedictae Societatis institutum amplectentes a Graeco Ritu ad Latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missae Sacrificium Graeco, et Orientali Ritu celebrent; hoc idem factum est, sicuti praemonuimus, ut Alumni, qui Graecorum, et Maronitarum Ritum profiteri debent, Missam praedicto Ritu celebrare addiscant, et juxta eumdem, Divina Officia toto vitae suae curriculo persolvere: verum circumstantiae peculiares hujusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda: quod adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI. Praedecessori nostro exposuerit, valde profuturum Catholicae Religioni, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria Graeco Ritu celebrarent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad Latinum Ritum redirent; idem tamen Pontifex perpendens animo debere unumquemque, juxta Canonicas Sanctiones, in suo Ritu permanere, neque licere Sacerdoti, modo Latino, modo Graeco Ritu celebrare, facultatem quae a praedicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit; uti patet ex ejus Epistola in forma Brevis, quam ad eumdem Cardinalem dedit 9. Maji anno 1705. et quae continetur *t.* 1. *Epistolar. et Brev. selectior. ejusdem Pontificis typis editor. pag.* 205.

Prior asserti confirmatur exempl

§. 35. Haec et alia plura exempla, quae facile possent cumulari, pertinent ad Ritus

qui
ot Ven.
i Lati-
ecclesiis
io ser-
Ritu,
pere-
it.

permixtionem ab Ecclesiae legibus vetitam: Verum, uti jam diximus, interdicta Ritus permixtio appellari nunquam poterit, si ob legitimam aliquam causam Sacerdotes Orientalis Ritus ab Apostolica Sede probati, in Latinorum Ecclesiam admittatur, ut ibi Missam, caeterasque functiones celebret, et Sacramenta populo Nationis suae administret. Id palam Romae fieri intuemur, ubi Sacerdotibus Armenis, Cophtis, Melchitis, et Graecis patent ad Missam celebrandam Templa nostra, ut illorum pietati satisfiat; quamvis suas peculiares Ecclesias habeant, ubi Rem Divinam facere possent: dummodo tamen sacra Indumenta, et caetera, quae ad Missae celebrationem juxta ipsorum Ritum necessaria sunt, secum afferant, eosque comitetur Nationis suae Minister, qui eisdem celebrantibus inserviat, et a Custodibus, et Sacrario Praefectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbae ac tumultus excitentur; quemadmodum in Edicto, quod pro Ecclesiasticis et Laicis Orientalibus Romae degentibus die 13. Februarii anno 1743. per Ven. Fratrem nostrum Joannem Antonium tunc Tituli SS. Silvestri, et Martini in Montibus Presbyterum, nunc Episcopum Tusculanum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Guadagni nuncupatum, nostrum in Urbe, ejusque districtu Vicarium Generalem, jussu nostro promulgatum fuit, plenius continetur. Verum ad rem hanc nostram plurimum facere videtur, quod mox indicabimus. Medio circiter saeculo decimo quinto, uti notum est, Mahumetes II. Constantinopolim vi oppugnatam coepit, nonnullique ex Graecis, qui Schismaticorum errores aversati, communionem cum Latina Ecclesia servaverant, Venetias se contulerunt, ibique mansere. Quam in Urbem cum Isidorus Cardinalis natione Graecus pervenisset, detulit ad Senatum Romani Pontificis desideria, ut hujuscemodi Graeci Ritus hominibus Templum aliquod assignaretur, in quo functiones suas exercerent. Excitata Senatus pietas profugae genti Ecclesiam S. Blasii concessit, ubi spatio plurium annorum Graeci quidem in certo ejusdem Ecclesiae Sacello Divina Officia Ritu Graeco, in reliquis vero Sacellis, Latini Ritu Latino peregerunt, sicuti Flaminius Cornelius Scriptor clari nominis testatur in *Decad. 14. Venetarum Ecclesiarum p. 359.*: *Gemini itaque Ritus Officia per aliquot annos in una Ecclesia, licet in diversis Sacellis peracta fuerunt*: quod eo usque obtinuit, donec aucto Graecorum numero, praedictae Ecclesiae S. Blasii Latinis Graecisque communi, aliud subrogatum fuit Templum, quod Graecorum proprium esset, ac privativum.

Et Latin. qui in Ruthenas Ecclesias a Ruthen. comiter excepti fuerunt.

§. 36. Haec ad Graecos pertinent, qui celebraturi in Latinas Ecclesias recipiuntur. Verum, ut eo clarius ostendatur, nullam exinde sequi Ritus permixtionem ab Ecclesiae Legibus proscriptam, non abs re erit verba facere de Latinis quoque, qui ad Sacrificium Missae offerendum, et Divina Officia persolvenda in Graecorum Ecclesiis, ex justa aliqua causa admittuntur. Quod quidem non modo propositam sententiam confirmabit, sed etiam plurimum conferet ad demonstrandum, quam necessaria sit mutua inter Catholicos, licet diversi Ritus, animorum conjunctio ac Benevolentia. In Russia Alba Rutheni Catholici, quos Unitos vocant, plures habent Ecclesias, paucas vero Latini, et quod magis est, longe dissitas a pagis Latinorum qui inter Ruthenos versantur. Latini quandoque diutius Sacrificio Latinae Missae carebant, eo quod suis negotiis detenti, nequibant tam longum iter aggredi, ut ad Latinas Ecclesias se conferrent: Neque Latini Presbyteri facile poterant ad paucas illas Latinorum Ecclesias, quae in Russia Alba reperiuntur, accedere, ut Missam celebrarent, propterea quod Ecclesiae ipsae ab illorum domicilio nimis longo intervallo sejungerentur. Itaque, ne Latini Missa Latino Ritu celebrata tamdiu carerent, unum illud supererat, ut Latini Sacerdotes, in Latinorum commodum, Latinas Missas in Ruthenis Ecclesiis celebrarent. Verum hac ipsa in re, ea occurrebat difficultas, quod Altaria Graecorum sacro Lapide careant, cum ipsi celebrent super Antimensiis, quae sunt Lintea quaedam ab Episcopo consecrata, quorum angulis Sanctorum Reliquiae includuntur; quamobrem Latini Sacerdotes Sacrum Lapidem secum deferre cogebantur, haud levi intercedente incommodo, ac discrimine, ne in itinere frangeretur. His omnibus incommodis tandem opportunum remedium, opitulante Deo, inventum, adhibitumque fuit: Siquidem, consentientibus etiam ipsis Ruthenis, indultum fuit Latinis Presbyteris, ut Missam Latino Ritu celebrarent in Ruthenis Ecclesiis, et super illorum Antimensiis: idque eo vel expeditius visum est, quod Rutheni Sacerdotes, accedentes quandoque ad Latinas Ec-

clesias Missam inibi celebraturi, super nostris sacris Lapidibus Sacrificium conficiebant. Id omne cognosci potest ex Constitutione nostra : *Inposito Nobis*, quae quadragesima tertia est, Bullarii nostri *tom.* 3.

Juxta Graecam disciplinam unaquaque Ecclesia unum habet Altare, et ad hoc unica Missa in die celebrata

§. 37. Praeclarum pariter est ad rem nostram id, quod mox subjiciemus. Discrepant inter se eruditi viri, extiterit ne, juxta veterem disciplinam, in Basilicis Ecclesiae Occidentalis unum, an plura Altaria. Primum quidem affirmat *Schelestrat. part.* 1. *Actor. Ecclesiae Orientalis cap.* 2. *de Missa privata in Ecclesia Latina :* sed contra Cardinalis Bona *Rerum Lyturgicar. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. innixus auctoritate Walfridi *cap.* 4. plura Altaria fuisse in Romana Basilica Sancti Petri demonstrat. Verum, si de Templis, atque Basilicis Orientalibus, et Graecis sermo sit, perspicuum videtur, nonnisi unum Altare in ipsis extitisse, atque nunc etiam temporis, plerumque existere; uti colligitur ex lineari descriptione hujusmodi Templorum, quam Du Cangius *in Constantinopoli Christiana*, Beveregius in notis *ad Pandectas Canonum*, et Goarius *in Euchologium Graecorum* attulerunt. Cumque in Templo S. Athanasii, quod Romae a Graecis obtinetur, plura extarent Altaria, Leo Allatius in epistola ad Joannem Marinum scripta *de Templis Graecorum recentiorum num.* 2. asserere non dubitavit, in praedicta Ecclesia nihil Graecae formae reperiri, praeter *Bema*, idest Sepimentum, quod Aram majorem a reliquis Ecclesiae partibus secernit. Ad illud autem Altare, ad quod Sacerdos Missam celebravit, nequit alius Sacerdos eodem die iterum Missae Sacrificium offerre. De hac Graecorum disciplina verba faciunt Dionysius Barsalibaeus Jacobita, Amidae Episcopus, *in Explanatione Missae*, et Cyriacus Jacobitarum Patriarcha apud Gregorium Barhebraeum item Jacobitam *in suo Directorio*, quos citat Assemanus *tom.* 2. *Biblioth. Oriental. pag.* 184. *ac tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 248. De hac eadem disciplina Cardinalis Bona *citat. cap.* 14. *num.* 3. ita scriptum reliquit: *Unicum Altare in suis Ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa ejusdem Templi Sacrum eadem die iterare*. Euthimius Tyri ac Sidonis Archiepiscopus, et Cyrillus Patriarcha Antiochenus Graecorum, in Pontificatu Clementis XI. Benedicti XIII. et Clementis XII. pluries sciscitati sunt, an vigentem relinquere deberent praedictam disciplinam vetantem ne secundum Missae Sacrificium eodem die, eodemque in Altari offeratur. At illis semper responsum fuit, nihil esse innovandum, sed veterem Ritum omnino retinendum. Quoniam vero error in vulgus manaverat, ideo non offerri secundum Missae Sacrificium eodem die, idemque ad Altare, in quo alius Sacerdos celebraverat, quia Sacerdos, qui posterior celebraret, iisdemque sacris indumentis, quibus primus, uteretur, jejunium frangeret; idcirco in nostra Epistola Encyclica ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum, et ad Episcopos Catholicos eidem subjectos conscripta, iisdem praecipimus, ut omni studio curarent errorem illum populo adimere; ita tamen, ut integram servarent disciplinam, juxta quam ad Altare, ubi Sacerdos celebravit, alius Sacerdos eadem die offerre prohibetur; ut videri potest in Constitutione nostra, quae incipit, *Demandatam:* 87. *Bullarii nostri tom.* 1.

Sacerdot. autem cum Episcopo, vel alio Sacerdote, primi Celebrantis personam gerente, concelebrant nunquoque in Ecclesia Graeca, licet in Latina in usus fere omnino obsoleverit.

§. 38. Denique, communis olim fuit Occidentali aeque, ac Orientali Ecclesiae Ritus, ut Presbyteri una cum Episcopo Missae Sacrificium offerrent: hujus rei documenta congesta fuerunt a Christiano Lupo *in Appendice ad Synodum Chalcedonensem tom.* 1. *ad Concilia Generalia, et Provincialia, primae editionis pag.* 994. dum haec verba Bassiani interpretatur: *Mecum Missas celebrabat, mecum communicabat*, et a Georgio *tom.* 2. *Lyturgiae Pontificiae pag.* 1. *et seq. ac tom.* 3. *pag.* 1. *et seq.* Concelebrandi Ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in Ordinatione Sacerdotum, quam peragit Episcopus, et in Consecratione Episcoporum, quae ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit, vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis Presbyterorum cum Episcopo, aut cum alio Sacerdote, qui primi Celebrantis personam sustinet; isque usus refertur ad Constitutiones, quae Apostolicae nuncupantur *lib.* 8., et ad Canonem octavum, ex iis, qui Apostolici dicuntur. Porro ubicumque ea consuetudo inter Graecos, et Orientales vigét, non modo approbatur, sed etiam custodiri praecipitur, uti constat ex eadem Constitutione nostra superius allegata, *Demandatam*, §. 9.

Non tamen inde una privatae Missae exclusio a Graeca Ecclesia

§. 39. Ex Graeco et Orientali hoc Ritu, quem hucusque commemoravimus, nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium, an privatis Missis, quae ab uno Sacerdote ce-

ideo Pa-
el. fue-
constit.

lebrantur, in Orientali et Graeca Ecclesia locus esse possit, cum in Graecis Templis unicum, uti praediximus, Altare existat, unicum ad illud Missae Sacrificium offeratur, et Sacerdotes cum Episcopo concelebrent, aut cum Sacerdote, qui primi Presbyteri munere fungitur. Non neglexerunt quidem Lutherani Confessionem Augustanam, in qua privatae Missae tolluntur, ad Hieremiam Constantinopolitanum Patriarcham mittere, eumque ad eamdem amplectendam allicere; cum tamen privatae Missae usus ac disciplina in Orientali Ecclesia desumatur ac vindicetur *ex Canone* 31. Concilii Trullani, et ex Notis, quas in ipsum composuit Theodorus Balsamon, ideo et Ritus frequentis concelebrationis Sacerdotum cum Episcopo, et intacta pariter privatarum Missarum consuetudo in Orientali Ecclesia permansit. Quare in irritum cesserunt conatus Lutheranorum; quibus responsum fuit, damnari quidem ab Orientalibus, sicut ab Occidentalibus, pravum illorum usum, qui improba consequendae eleemosynae cupiditate, ad Altare impelluntur, non vero illorum, qui, qua decet pietate ac religione, privatas Missas celebrant, ut Deo Sacrificium offerant acceptabile. Haec patent *ex Actis Ecclesiae Orientalis contra Lutheranos*, auctore Schelestrato, *cap.* 1. *de Missis privatis in Ecclesia Graeca, circa finem*. In commodum autem Sacerdotum, qui privatum Missae Sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum Altare unum tantummodo Sacrificium in dies singulos offeratur, Graeci constituere coeperunt *Paraecclesias*, de quibus verba facit Leo Allatius *in citata Epistola ad Joannem Morinum*. Paraecclesiae vero nil aliud sunt, quam Oratoria quaedam Ecclesiae contigua, in quibus erectum adest Altare, ubi Sacerdotes Missam celebrant, quam in Ecclesia celebrare nequeunt, eo quod ad Altare in ea extructum alius Sacerdos jam celebraverit.

ec Lat. Sa-
rdot. ab il-
exclusi
em ideo se-
ndum Al-
e in com-
od. Lati-
r. Sacerd.
Graecis
clesiis fue-
erectum.

§. 40. Alii vero ab hac Orientalium, et Graecorum disciplina merito timendum censuerunt, ne Latini Sacerdotes ab offerendo Missae Sacrificio in Graecis Ecclesiis perpetuo excluderentur, eo quod, uti supra dictum est, in illis unicum Altare existat, ubi eodem die unus tantum Sacerdos potest celebrare; neque Latini Presbyteri celebrare possint *in Paraecclesiis*, utpote pro Graecis tantummodo constitutis. Verum ad hunc ipsum timorem auferendum, in Graecis Ecclesiis hoc tempore erectum plerumque cernitur secundum Altare, in quo Divinum Sacrificium a Latinis Sacerdotibus offeratur. Tres Graecorum Templorum formas expressit Goarius *in Euchologium Graecorum*, quarum tertia secundum Altare exhibet Latinis Presbyteris positum, sicut ipse Goarius *loco citato* perpendit, et prosequitur Schelestrat. *loco superius allato pag.* 887. In Ecclesiis Nationis Maronitarum, et Graecorum, Romae existentibus, praeter Aram majorem, alia occurrunt Altaria, in quibus a Latinis Sacerdotibus Missa celebratur; et in nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis:* 58. §. 6. *num.* 8. *et* 9. *nostri Bullarii tom.* 1., qua Italo-Graecis tutissima traditur agendi norma, prohibentur Latini Sacerdotes in Graecorum Templis semper Ara majori celebrare, nisi omnimoda necessitas id postulet, et Parochi Graeci consensus intercedat; ibique insuper Graecis conceditur, ut suis in Templis, praeter Altare majus, alia quoque altaria possint erigere, in quibus Latini Sacerdotes, si velint, Missae Sacrificium celebrare valeant.

Concluditur, valde congruere, ut Graecis Latinae pateant Ecclesiae, modusque traditur, quo id absque dissidiis fiat.

§. 41. Ex his, quae huc usque dicta sunt, videtur jam perspicue demonstratum, sicuti antea, ita et in posterum permitti debere Catholicis Armenis, et Syriacis, qui Balserae Latinis commixti commorantur, propriaque carent Ecclesia, ut in Latinam conveniant, et in ea juxta Ritum quique suum sacras functiones peragant; idque eo magis quia non solum nulla exinde oritur permixtio per Apostolicas Constitutiones damnata, sed urbanitatis officia exercentur, vel potius praecepta implentur aequitativi cujusdam juris, exposcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quae jure aliquo praestare jubetur, locus ipse libenti animo concedatur. Quamobrem nil aliud superest, quam praecipere, ut omnia ad debitae charitatis leges exigantur, ut Sacellum Orientalibus assignetur, aut pars aliqua Ecclesiae, in qua suis functionibus obeundis incumbant; et quanta fieri potest, cura impendatur, ut aliis horis Latini, aliis Orientales suas peragant functiones. Si enim aliter fieri contingat proxima suberit causa dissensionum, quae binos Praedecessores nostros Leonem X., et Clementem VII. tantopere vexarunt; tum scilicet, quum contra pacta conventa in Florentino Concilio sub Eugenio IV., ne Graecis ulla molestia in suis Ritibus ac coeremoniis ob-

servandis inferretur, relatum est ad praedictos Pontifices, quod nonnulli ex Latinis Graecorum Ecclesias adibant, et ad illorum Altare Missam Latino Ritu celebrabant, eo consilio, ut Graecis Sacerdotibus impedimentum crearent, ne Sacrificium Ritu suo offerre, suasque functiones peragere possent; adeo ut Graeci nonnunquam, ipsis diebus festis, Missae Sacrificio carerent: *Nescitur, quo Spiritu ducti* (de Latinis Presbyteris sermo est) *interdum Altaria dictarum Parochialium Ecclesiarum praeoccupant, et ibi, contra voluntatem eorumdem Graecorum, Missas, et forsan alia Divina Officia celebrant; adeo quod dicti Graeci saepenumero sine auditione Missarum, cum magna animorum molestia, festivis et aliis diebus, quibus Missas audire consueverunt, remaneant.* Pontificias hasce querelas refert monumentum, quod incipit, *Provisionis nostrae*, extatque in Enchiridio Graecorum impresso Beneventi anno 1717. *pag.* 86. Non est profecto, cur illis nostras addamus conquestiones, quae tamen nec leviores essent, neque opportunis remediis destitutae, si umquam ad Nos deferretur, Balsorae a Latinis nostris prohiberi Orientales, ne in Latinis Ecclesiis possint functiones suas peragere.

Quaestio proponitur, quo Kalend. uti debeant Graecorum Latinis Ecclesiis celebrantes in definiendo Paschali die

§. 42. Primae huic altera succedit quaestio, eosdem attingens Armenos, et Syros, qua disquiritur, an iidem, ad statuendum tempus Paschatis, aliorumque et respondentium Festorum, possint veteri Kalendario uti, vel potius novum emendatumque sequi debeant, cum in Latinis Ecclesiis Sacra conficiunt; et quatenus iisdem licitus dicatur veteris Kalendarii usus, an hujusmodi definitio afficiat illos quoque Orientales, qui, suam quidem habent Ecclesiam, sed adeo angustam, atque exiguam, ut, cum omnes in illam convenire non possint, eorum plerique Latinas Ecclesias adire compellantur.

Emendat Kalend. quae cura sub Greg. XIII. peracta fuerit

§. 43. Neminem latent, quae a Sanctis Romanis Pontificibus Pio, et Victore, atque etiam a Nicaena Synodo, de recta Paschatis celebratione sancita fuerunt. Omnes pariter norunt Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservatam fuisse provinciam correctionis Kalendarii, ac demum Gregorio XIII. Pontifice, fuisse rem hanc numeris suis omnibus absolutam. Quamobrem Bucherius *in Commentario de doctrina temporum*, in Praefatione ad Lectorem, ita scripsit: *Computi Paschalis in futurum certitudini, jubente Greg. XIII. Pont. noster abunde providit Clavius.* Is fuit e Societate Jesu Sacerdos Matheseos peritissimus, qui in Kalendarii correctione egregiam Pontifici navavit operam. Exhibiti itidem Pontifici fuerunt calculi cujusdam Aloysii Lilii, qui plures annos in illis componendis insumserat. Perpensis denique libratisque omnibus in pluribus Congregationibus, adstantibus, adhibitisque in consilium peritissimis quibusque Viris, prodiit anno 1582. Constitutio praescribens Kalendarii normam, quae incipit: *Inter gravissimas, in ordine 74. in veteri Bullario tom.* 1.

Ejusdem Kalend. auditio, an Orient. obstrinxerit, quaestio non levis.

§. 44. Veteri igitur Kalendario hac Pontificia Constitutione abrogato, Patriarchis, Primatibus, Archiep. Episc. Abbatibus, aliisque Praelatis imperatum fuit, ut novo, emendatoque Kal. uterentur, quemadmodum in eadem Constitutione legere est, fusiusque eruitur ex ejusdem Pontificis Annalibus Romae impressis *anno* 1742. *tom.* 2. *p.* 271. Verum, cum in Constitutione nullus de Orientalibus factum fuerit verbum, exurgit hinc quaestio, num eadem Orientales afficiat; quae quidem quaestio non a Doctoribus modo instituitur, ut videre est apud Azorium *Institut. Moral. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. *quaest.* 7. apud Baldellum *in sua Theologia Morali tom.* 1. *lib.* 5. *disput.* 41.; sed etiam proposita discussaque fuit in praestantium Virorum conventu habito die 4. Julii anno 1631., in aedibus Cardinalis Pamphilii, qui ad Summum Pontificatum evectus, Innocentii X. nomen assumpsit. Haec autem tunc prodiit resolutio: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo in materia Dogmatum Fidei; secundo, si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem, et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium;* Refertur haec resolutio tum a Verricello *de Apostolicis Missionibus lib.* 3. *quaest.* 83. *num.* 4. tum a Nobis in nostro Opere *de Canonizatione Sanct. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 15.

Illuc certum, Italo-Graecis indictum fuisse Kalend. sed ita, ut et leniter cum iis sit actum.

§. 45. Hanc quaestionem Nos missam facimus, cum de illa disputare nulla nunc necessitas urgeat; satis enim Nobis erit indicare, quid ad rem hanc nostram gesserit Sedes Apostolica, quandoquidem ipsa praecedentia facta evincunt, consultissimum esse responsum quaesito redditum, nimirum: *Nihil esse innovan-*

dum. Italo-Graecis, qui inter nos vivunt, et regimini subjiciuntur Latinorum Episcoporum, in quorum Dioecesibus constitutum habent domicilium, ab Apostolica Sede mandatum fuit, ut se ad novum Kalendarium conformarent, uti percipi potest in citata Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis*, 57. §. 9. *num.* 3. *et seq. Bullarii nostri tom.* 1. Et Clerus quidem Ecclesiae Collegiatae S. Mariae *de Grapheo* Civitatis Messanensis, qui Graecum Ritum retinet, accuratissime novum Kalendarium servat, uti videre est in altera Constitutione nostra: *Romana Ecclesia, quae est* 81. §. 1. *eodem tom. nostri Bullarii:* attamen non illud ita severe fuit indictum, quin nonnunquam, gravioribus id requirentibus causis, Epichejae locus sit relictus. Renuebant Armeni Catholici Liburni degentes, sese Kalendario Gregoriano subjicere, precesque Innocentio XII. obtulerunt. Etenim in Congregatione S. Officii Feria 4. die 20. Junii 1674. Decretum hujusmodi emanaverat: *Nuntii Apostolici Florentiae relatis iterum literis datis die* 10. *Aprilis, circa petitiones ei factas ab Armenis, orandi in Missa pro Patriarcha Armenorum, et circa celebrationem Paschatis, et aliorum Festorum, secundum eorum Ritum, idest secundum calculationem antiquam, quae erat ante correctionem Kalendarii, et circa celebrationem Paschatis, etc. Necnon relata scriptura remissa a Sacra Congregatione de Propaganda Fide circa modum orandi in Missa pro Patriarcha Armeno: Rescribatur Nuntio, quoad permissionem orandi in Lyturgia pro Patriarcha Armenorum; quod Sacra Congregatio stetit in Decretis emanatis die* 7. *Junii* 1673., *videlicet* NON POSSE; *et omnino prohibeatur. Quo vero ad celebrationem Paschatis, etc. et aliorum Festorum, etc. steterunt pariter in Decretis, videlicet, quod in celebratione Paschatis, et aliorum Festorum Armeni Liburni existentes, omnino servare debeant Kalendarium Gregorianum:* Quum igitur huic Decreto obtemperare Armeni praedicti renuerent, hujus rei cognitio delegata fuit particulari Congregationi Cardinalium doctrina praestantium, quos inter fuere Card. Joannes Franciscus Albanus, qui Summum deinde Pontificatum obtinuit, et Cardinalis Henricus Norisius praeclari nominis inter Literatos Viros. Porro ipsa Congregatio habita die 23. Septembris anno 1699. hujusmodi edidit Decretum, a praedicto Pontifice eadem ipsa die confirmatum: *Re mature tractata, et perpensis omnibus facti circumstantiis, censuerunt, secundum ea, quae proponuntur, conniveri posse cum Armenis Catholicis Liburni commorantibus,* et qui peculiarem obtinent Ecclesiam, *circa usum Kalendarii veteris, donec ipsi ad omnimodam Kalendarii Gregoriani observantiam disponantur, et interim ad Sedis Apostolicae beneplacitum; hac insuper conditione adjecta, quod diebus festis de praecepto juxta Kalendarium Gregorianum occurrentibus, ab operibus servilibus abstinere, et Sacrum audire omnino teneantur.*

Graecum vero Oriental. propositum quidem fuit sed non ab omnibus volentibus injunctum.

§. 46. Si vero de Graecis Orientalibus sermo sit, constat quidem, aliquando propositum ipsis fuisse, ut novo emendato Kalendario uterentur; sed tamen nullum exitum habuit. Inter articulos, et conditiones Rutheni propositas in Unione sub Clemente VIII., et absoluta, ea quoque de Kalendario recipiendo inserta fuit, cui redditum responsum: *Kalendarium novum, si secundum antiquum fieri possit, suscipiemus:* uti legere est in Opere Thomae a Jesu *pag.* 329. et licet responsum illud ambiguitatem quamdam praeferret, tamen ea de re nihil ulterius actum fuisse deprehendimus, neque hoc super articulo judicium ullum protulit Theologus, qui ad rem examinandam fuerat deputatus, quemadmodum patet ex eodem Opere *pag.* 335. *et seq.* Aliquando tamen ipsimet Orientales sponte sua novum Kalendarium susceperunt, uti cognoscere licet ex saepius citata Synodo Provinciali Maronitarum habita anno 1736. *Tam in jejuniis, quam in Festis anni diebus, sive mobilibus, sive immobilibus, Romanum Kalendarium a Gregorio XIII. Summo Pontifice, de nostra Natione optime merito, emendatum, in omnibus Ecclesiis nostris observari districte mandamus, ejusque Kalendarii rationem et usum, quemadmodum et cantum Ecclesiasticum, in unaquaque Ecclesia a Magistris pueros edocere praecipimus:* Sed quoties Orientales minime consenserunt, justusque adfuit timor, ne tumultus, dissensionesque excitarentur, si novi Kalendarii ipsis injungeretur usus, tulit Apostolica Sedes, ut Orientales et Graeci, in remotis Regionibus degentes, veterem suam disciplinam retinerent, videlicet antiquum servarent Kalendarium, occasionem opportuniorem expectans, inducendi usum novi emendatique Kalendarii. Qua in re consona quoque sunt Decreta Congregationum de Propaganda Fide,

et Sacrae Inquisitionis; quemadmodum, quoad primam, deprehenditur ex Decretis editis die 22. Augusti 1625. et die 30. Aprilis 1631. quoad secundam vero, ex Decretis dierum 18. Julii 1613. ac 14. Decembris 1616. Imo res eo quandoque processit, ut Missionariis quoque veteris Kalendarii usus fuerit permissus, dum moram traherent in Regionibus, in quibus veteris Kalendarii usus solummodo obtinebat; veluti cognoscere est ex nonnullis Decretis a Congregatione de Propaganda Fide 16. Aprilis 1703. et die 16. Decembris 1704. evulgatis.

Syri, Armenique cum jejunant, a piscibus abstinere debent.

§. 47. Reliquum est, ut de postremo quaesito, de jejunio scilicet, verba fiant. Syri, Armenique Catholici, juxta ipsorum Ritum, ab esu piscium jejunii tempore abstinent; verum, cum Latinos iis vesci conspiciant, et caeteroquin impossibile, vel saltem difficillimum asseratur, eos temperare posse a piscibus, quibus Latinos vesci intuentur; ideo tamquam rationi consentaneum proponitur, ut Missionariis facultas tribuatur cum iis dispensandi; caute tamen, omnique secluso scandalo, et pio aliquo opere in locum abstinentiae a piscibus subrogato. Aptissimus hic fieret locus disserendi de vetustate jejunii apud Orientales, ejusque lege, licet severiori, exactissime tamen semper servata; sed ne longiores simus, quam par est, id unum dicimus, Apostolicam Sedem toties Patriarchis obstitisse, quoties veterem rigorem jejunii suis subditis praescripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Patriarcha Archiepiscopis, et Episcopis sibi subjectis, carnibus vesci Laicorum more indulsit, licet juxta veterem disciplinam carnibus abstinerent; universo autem populo Quadragesimae tempore pisces edere, vinumque bibere permisit, quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex Paulus V. datis ad Patriarcham Petri successorem Literis Apostolicis in forma Brevis die 9. Martii 1610. jussit, ut abrogatis iis, quae Petrus Patriarcha concesserat, res in pristinum statum restituerentur. In Pontificatu nostro ad examen revocata est nimia facilitas atque indulgentia Euthymii Archiepiscopi Tyri et Sidonis, et Cyrilli Patriarchae Antiocheni, erga Graecos Melchitas; fuitque improbata, ut patet ex Constitutione nostra: *Demandatam* 87. §. 6. *Bullarii nostri tom. 1. Nos hujusmodi innovationem, et abstinentiarum relaxationem, e coarctationem, in nimium detrimentum veteris Graecarum Ecclesiarum disciplinae vergere judicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicae Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostra expresse revocamus, et nullum effectum in posterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere jubemus, atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a Majoribus derivatam, abstinendi etiam qualibet Feria quarta, et sexta per annum ab esu piscium, quae ab aliis quoque finitimis populis ejusdem Graeci Ritus exacte custoditur, indistincte servari praecipimus.* Incongruum verò est asserere, ideo dispensationem concedendam esse, vel potius generalem dispensandi facultatem, quod nempe Orientales aspicientes Latinos vesci piscibus tempore jejunii, exinde facile adducantur, ut et ipsi non quidem ex aliquo contemptu, sed naturae fragilitate victi, piscibus jejunii diebus utantur; hoc namque argumento, si quid illud valeret, in primis omnimoda induceretur Rituum confusio; deinde, si illius ratio haberetur, illud etiam consequeretur, ut Latini inspicientes Graecos peculiaribus quibusdam vivere institutis, quae Latinis minime permittuntur, imo inhibentur, dispensationem petere possent, ut sibi liceret ea facere, quae a Graecis fieri intuentur; profitentes se Latinum quidem Ritum suscipere, sed ob naturae fragilitatem eum diutius servare non posse.

Veterem jejunii disciplinam eidem relaxari, nunquam passa est Apost. Sed.

Ideoque, rejecta, tamquam minus legitima causa ad facultatem dispensandi obtinendam allata, jejunii lex servari praecipitur.

§. 48. Haec sunt, quae duximus exponenda in hac Encyclica nostra Epistola, non solum ad patefacienda fundamenta, quibus innituntur responsiones redditae Missionario, qui quaestiones sub initium exscriptas proposuit; sed etiam, ut omnibus perspecta fiat benevolentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur, dum praecipit, ut omnino serventur veteres ipsorum Ritus, qui neque Catholicae Religioni, neque honestati adversantur; nec a Schismaticis ad Catholicam unitatem redeuntibus exposcit, ut Ritus suos deserant, sed ut Haereses solum ejurent, atque execrentur: exoptans vehementer, ut diversae eorum Nationes conserventur, non destruantur, omnesque (ut multa paucis complectamur) Catholici sint, non ut omnes Latini fiant. Finem denique huic nostrae Epistolae imponimus, Apostolicam Benedictionem cuicumque eam legenti impertientes.

Datum apud S. Mariam Majorem die 26. Julii 1755, Pont. Nostri Anno Decimoquinto.

Dat. 26. Julii 1755. Pont. XV

VIII. CONFIRMATUR

Resolutio Congregationis deputatae super correctione librorum Ecclesiae Orientalis, super abbreviatione Officii, et Missae pro Monachis Ordinis S. Basilii.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

debitum cultum vendum, canonic. reci- et Sa- offerri die vo- Ecclesia.

Quem religionis sensum natura Nobis indidit, ut non solum laudemus, celebremus, et glorificemus jugiter Dominum omnium conditorem, propter quod rationales facti sumus, et a brutis differimus, verum etiam ut oblationibus et sacrificiis placemus Deum nostrum, ac scelera nostra expiemus; ad eumdem tam in veteri Testamento, quam in Catholica JESU CHRISTI Ecclesia alendum, fovendum, adaugendumque in primis studia omnia intenta fuerunt. Quoniam autem JESUS CHRISTUS verus Deus, verusque homo, Mediator Dei et hominum, Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, cessante carnalium sacrificiorum varietate, omnes differentias hostiarum una Corporis et Sanguinis sui implet oblatione; et, quomodo adorare Patrem suum in spiritu et veritate, ipsumque orare et laudare docuit, exemplumque praebuit; Sancti Apostoli ab eo Magistro instructi, ac per ipsos Catholica Ecclesia Spiritu Sancto inspirante edocta, et Officium Canonicarum Horarum, debita cum rituum, caeremoniarumque magnificentia, Deo quotidie persolvendum digessit; et Sacrosanctum Missae Sacrificium, in quo nimirum Agnus Dei in odorem suavitatis Deo jugiter a Sacerdotibus immolatur, et panem de coelo verum comedimus, cum ritibus pariter, caeremoniis, et praecibus, quotidie in Ecclesiis peragendum mandavit. Utrumque vero Officium scilicet et Sacrificium, ut Omnipotenti Deo esset magis gratum et acceptabile, diversae, variaeque, quoad sacras preces, ritus, et caeremonias, initae fuerunt rationes, juxta diversas, variasque nationes, et religiosorum hominum Ordines, atque Instituta tum Occidentalis, tum Orientalis Ecclesiae, quae secundum acceptum a majoribus cujusque morem et consuetudinem, etsi pro temporum vicibus aliquando variatam, in unitate tamen Catholicae Fidei, doctrinaeque perstantem, quamplurima pro libito et pietate addere studuerunt. Apostolica autem haec Sancta Romana Sedes nihil habuit antiquius, nihil curavit impensius, quam ut cum de utroque nempe officio et Sacrificio ab ipsa aliquid exquisitum fuit, quoad fieri posset, brevitati ac sincerae pietati, servatis servandis, consuleretur; ne quamplurimi ex Christifidelibus, sive recitandis, sive celebrandis, sive audientibus Officium, vel Missam infirmiores, tum propter prolixitatem, tum propter linguae ignorationem taedio affecti, quam inde percipere solebant, Spiritus pinguedinem et suavitatem aversari inciperent. Ecclesia Romana humanae fragilitati parcens semper studuit brevitati.

§. 2. Porro cum Dilectus Filius Augustinus Sciommari Monachus et Abbas Ordinis Sancti Basilii, ejusque modernus in hac Alma Urbe nostra Procurator Generalis, nomine totius suae Congregationis, Nobis supplices preces humiliter porrigendas fecerit, ut dignaremur abbreviare Missam et Officium Divinum, pro quibus recitandis, ac celebrandis adeo longum tempus insumendum est, ut id vix ob humanam infirmitatem sine taedio aliquo peragi possit, et modicum eis temporis spatium superest, quo operam sacrarum literarum studiis dare valeant: Nos sane preces hujusmodi remisimus ad Dilectum Filium nostrum Fortunatum Tituli Sancti Calixti Presbyterum S. R. E. Cardinalem Tamburinum nuncupatum, Congregationi Patriarchali super correctione Librorum Ecclesiae Orientalis deputatae Praefectum, ut eas eidem Congregationi expendendas, atque examinandas proponeret. Preces Procuratoris Generalis Ordinis S. Basilii, ut brevior Missa, et Officium pro sua Congr. redder.

§. 3. Itaque dicta Congregatio habita die VII. Maji, et XIII. Augusti MDCCLII. rescripsit, indulgeri posse, ut abbreviatio Officii ferialis extra Quadragesimam fiat juxta modum infra designatum: nempe quoad abbreviationem Matutini diebus ferialibus, praeter Quadragesimam, retineatur integrum Cathisma: Omittatur Exapsalmon, sed quotidie unus ex Psalmis in eo comprehensis ex ordine recitetur. Die autem Dominico integrum Exapsalmon dicatur, et quatuor Psalmi, qui notantur in Horologio Basilianorum pag. 42. Aliis vero diebus non ferialibus servetur Typicus solitus usque ad primum Canonem exclusive: Canon Sancti ad Triodium redigatur, nempe prima, octava, et nona Ode recitetur: Postea dicatur Canon Feriae, sed tria tantum Troparia singularum Odarum, scilicet primum, quod ad Fe- Rescriptum Congreg. deputatae super correctione Librorum Ecclesiae Orient. cui fuerunt remissae preces, quoad abbreviationem Officii.

riam, alterum quod ad Sanctos Martyres, ultimum quod ad Beatam Virginem pertinet: Post tertiam Odem, solitae Cathismae, seu Antiphonae: Post sextam, consuetum Conthacion, seu Icon; deinde Synaxarium Sancti: Post octavam Odem Psalmus *Magnificat*, et solita Exapostillaria, et reliqua juxta Typicum. Quoad abbreviationem Vesperarum, ex sex Antiphonis, seu Stichis, quatuor tantum dicantur; deinde: *Gloria*, et hymnus: *Lumen hilare*, versiculi, et prophetiae, aut lectiones e Scriptura, quando occurrunt: Post Orationem: *Dignare*, omittantur Antiphonae: Deinde dicatur Psalmus: *Nunc dimittis:* reliqua autem omnia, de quibus nihil adnotatur, juxta solitum. Quoad abbreviationem Completorii: Canon redigatur ad Triodium, et in ejus recitatione intermisceantur de more Oratio Dominica, Antiphona, et Synaxarium, quando oportet; Deinde Psalmus: *Magnificat*, et reliqua omnia de more ut in Horologio.

Alterum ejusdem Congreg. rescript. quoad abbreviationem Missae privatae.

§. 4. Postea tractatum est de abbreviatione Missae privatae, et eadem Congregatio censuit permitti posse in hunc modum — Facta praeparatione materiae de more in Altari, cum solitis Orationibus, Missa privata incipiatur a verbis illis. Εὐλογημένη ἡ βασιλεία *Benedictum Regnum etc.* caetera, quae praecedunt, recitentur a Sacerdote vel in Sacrario, vel dum pergit ad Altare. Magnum Synaptim, seu Collectam esse retinendam. Retineantur quoque Orationes primi, secundi, et tertii Antiphoni, una cum exclamationibus, et cum ipsis Antiphonis. Minor autem Collecta, seu Pacifica, quae incipiunt: Ἔτι καὶ ἔτι *etc. etiam atque etiam in pace*, omittantur. Oratio ingressus Evangelii omittatur. Retinendum Trisagium cum Oratione. Supplicatio, quae incipit: Εἴπωμεν πάντες *etc. Dicamus omnes etc.* retinenda, sed eo modo, quo sequitur, nempe omissis, quae leguntur post verba illa Κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου δεόμεθά σου ἐπάκουσον καὶ ἐλέησον: *Secundum magnam misericordiam tuam exaudi et miserere* usque ad Orationem extensae supplicationis, quae incipit: Κύριε Θεὸς ἡμῶν *etc. Domine Deus noster etc.* Deinde omittantur, quae sequuntur post verba illa: Πλούσιον ἔλεος *Divitem misericordiam* usque ad exclamationem Ὅτι ἐλέημον *etc. Quoniam misericors etc.* Preces atque Oratio pro Catecumenis omittantur. Hymnus Cherubycus cum Oratione retineatur. Κύριε ὁ Θεὸς *etc. Domine Deus Omnipotens* retineatur, omissis verbis, quae sequuntur τῇ σῇ χάριτι *etc. gratia tua*, usque ad διὰ τῶν οἰκτιρμῶν *per miserationes etc.* Symbolum quotidie more Graecorum recitandum, exceptis Missis, ut vocant, pro Defunctis. Troparia, seu Theotocion in fine Missae omittantur. Reliqua omnia retineantur.

Nonnullae peculiares abbreviationes quoad Officium Quadrag.

§. 5. Demum in congregatione diei 17. Septembris 1753. inter caetera propositum est: An Patribus Basilianis indulgendum sit, ut in Officio Quadragesimae omittant Cathisma Psalterii ad horam tertiam, et ad horam nonam? Et insuper, ut magnum Completorium in Quadragesima uno tantum die cujusque hebdomadae in suis Ecclesiis dicant, aliis vero diebus omittant, dicantque solum parvum Completorium? Et rescribere placuit: Quoad primam partem, omitti posse Cathisma ad horam nonam tantum, dummodo recitatio integri Psalterii in tota hebdomada compleatur; Quoad secundam partem, magnum Completorium retineatur feria secunda, et quarta. Haec tamen et alia in superioribus Congregationibus definita pro Patribus Basilianis, intelligantur Monasterium Medijussi non comprehendere, cui suos veteres ritus, mores, atque instituta in fundatione praescripta, juxta Apostolicas Constitutiones, retinere ac servare praecipitur.

Monast. Medijussi his definitionibus non comprehenditur.

Pontifex, quibusdam immutatis, in reliquis approbat sententi. Congreg.

§. 6. Facta autem Nobis per Dilectum Filium Magistrum Nicolaum Antonellum in utraque Signatura nostra Referendarium Praelatum nostrum Domesticum et dictae Congregationis Particularis Secretarium hujusmodi relatione, mandavimus, ut recitatio Cathismatum Psalterii singulis diebus ferialibus extra tempus Quadragesimae facienda ita aptetur, ac distribuatur, ut saltem in duabus hebdomadis integrum Psalterium recitetur: Quoad abbreviationem vero Missae, ut Symbolum in omnibus Missis, etiam in iis, quas ipsi pro Defunctis vocant, more Graecorum recitetur. Caetera vero benigne approbavimus die 24. Augusti elapso anno 1754.

Apostol. auctorit. robur adjicitur.

§. 7. Verum ut praeinserta omnia firmius subsistant, ac serventur exactius; Nos, qui memoratum Ordinem Sancti Basilii, et potissimum Congregationem sub ejusdem Sancti Basilii auspiciis et Ordine militantem, et in Occidentali Catholica Ecclesia religiosis virtutibus, eximiis Ortodoxarum adversus schismaticos doctrinarum, disciplinarumque studiis, et exemplis florentem, plurimi facimus, ma-

gnoque in honore, ac pretio habemus, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, omnia et singula praeinserta approbamus et confirmamus, illaque perpetuo Apostolicae firmitatis robore munimus, atque insimul auctoritate et tenore paribus mandamus omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus, Prioribus, ac Monachis dictae Congregationis et Ordinis, in virtute sanctae obedientiae, ut deinceps, prout praemittitur, et non aliter, ipsi servent, et ab aliis sibi subditis servari faciant et curent et praecipiant; salva tamem semper in praemissis ejusdem Congregationis Particularis super correctione Librorum Orientalium deputatae auctoritate.

[C]lausulae [p]raeserva[tiv]ae, deroga[tio] contra[ria].

§. 8. Decernentes, praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Monachis saepe memorati Ordinis et Congregationis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ita ab eis respective inviolabiliter observari debere; sicque, et non aliter, in praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuncios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, dictique Ordinis et Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, et quibuscumque aliis Decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus pro hac vice tantum, ad praemissorum effectum, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Fid]es tran[sump]tis ha[bend]a.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu Abbatis Generalis, vel Generalis Procuratoris pro tempore existentium subscriptis, et sigillo ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Maii MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

Dat. 17. Maij 1755. Pont. XV.

Cajetanus Amatus.

XLIX.

AD INCENDIUM

Compescendum ad Ecclesiam S. Nicolai in Carcere exortum, minus rite allatam fuisse ex Ecclesia Sacram Pyxidem Sanctissimum Sacramentum intercludentem, eaque super populum, et ad furentes flammas benedictum, rationibus, pluribusque allatis Ecclesiasticis sanctionibus, demonstratur; et ne tale quid exinde fiat opportune sancitur.

Venerabili Fratri Nostro, Fr. Joanni Antonio Episcopo Tusculano S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, nostro in Urbe, ejusque districtu Vicario Generali.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Exortum in Urbe incend. enarratur, monitumque populum, ut divinam opem deprecaretur.

Cum, ut recte nosti, proximo superiore mense Aprilis invasisset ignis suppellectiles, ac merces quasdam asservatas in parvis quibusdam domibus sitis in Foro Montium dicto, Parochialis districtus S. Nicolai in Carcere, cumque continuo, quod satis superque fieri assolet, in magnum excrevisset incendium, memoratae Parochialis, insimulque Collegiatae Ecclesiae Canonici suum esse existimarunt, hortari populum ad Dei implorandam opem, ut pro sua misericordia maximum impendens detrimentum avertere dignaretur, cujus vehemens suberat timor, quoties extinctum incendium non fuisset.

Coactam deinde magnam populi multitudinem in Ecclesiam, fusis precibus Dei misericordiam implorasse.

§. 2. Ad congregandum populum initum fuit consilium, ut circumiens Minister tintinnabulum pulsaret ad eum plane modum, quo cogi multitudo solet, ut sanctissimum Sacramentum ad aegrum aliquem deferendum comitetur. Cumque ita contigisset, ut Ecclesia populo compleretur, ante Aram Beatissimae

Virgini dicatam, multa quidem religione recitatum fuit elata voce Rosarium, atque etiam in ejusdem Sanctissimae Virginis honorem cantatae fuerunt Litaniae. Ad haec Sacerdos pio aeque ac ferventi sermone interessentes excitavit ad Dei placandam indignationem, implorata sibi ex animo de patratis criminibus venia, et quantum quidem relatum est, insonuit Templum clamoribus illorum, qui sibi a divina misericordia multis gemitibus et lacrymis patratorum criminum veniam precabantur.

Jussum praeterea ut Sacra Pyxide Sanctissimum Sacramentum, includente super Populum, et incendium benediceret.

§. 3. Si nihil fuissent praeterea gestum, nil quoque fuisset, quod objiceretur; et nemo piam agendi rationem in memorato luctuoso casu servatam non laudasset. At cum ex religioso, sanctoque studio adaugendae devotionis populi, enixisque ejusdem votis satisfaciendi, opportunum quin et congruum visum fuerit praecipere, ut, reserato Tabernaculo, in quo Sacra Pyxis custoditur, eadem super populo, et ad incendium benediceretur.

Quod et praestitum fuit media in via, ubi populus erat frequens, et ignis conspic.

§. 4. Cumque is, qui Parochi vice fungitur, data sibi jussa perficiens, sacris indutus vestibus, accepta Sacra Pyxide, in qua erat adorandum Sacramentum, ab Ecclesia processerit, satis congruo facum, ministrorumque numero stipatus, mediaque in via consistens, unde ignis erat conspicuus, Pyxide humerali velo obtecta non solum coactae immensae multitudini, sed et regionem voraci igne vastatam benedixerit; hoc plane illud est, unde sermones varii exorti sunt; quibusdam factum ipsum commendantibus; censentibus aliis, in eo facti specie secus rem transigi non potuisse, ne populi frigesceret devotio, neve offenderentur pusilli, sibi, cohibendoque igni benedictionem vehementissime exoptantes; aliis denique contra affertum novum incongruumque ritum inclamantibus.

Factum hoc alii probant improb. alii.

Commendat Pont. agendi rationem Eminent. Vicario, ad quem dat haec Epist. servand. in futurorum casuum normam.

§. 5. Et quamvis Fraternitas Tua inter has disputationes non aliam, prout assoles, iniveris rationem, quam quae Christianae prudentiae omnino congruerit, hancque ipsam probaverimus Ipsi, et nunc quoque, ut mox constabit, probemus; nobis tamen videmur facere non posse, quin ea, quae Ipsi hac de re expendimus ac notavimus, perspecta tibi reddamus hisce nostris literis; quas mandamus, in futurorum temporum normam, apud Acta tabularii tui asservari.

Rationes, quibus memoratum factum defendi posset.

§. 6. Quicumque ea, quae gesta sunt probanda sibi, ac defendenda suscipiens assereret, nihil plane in eo praestitum, quod cultui Sanctissimae Eucharistiae debito non congruerit, et perdifficile esse per integram rei gestae seriem, quidquam offendere ex intrinseca ratione improbandum, immo vero facile reperiri posse, quod pietatem, et devotionem sapiat, aliaque afferat spiritualia commoda; multa is quidem diceret, suamque assertionem firmare posset iis, quae adnotat Theophilus Raynaudus *tom. 15. suorum Operum p. 83. col. 1.*, ubi loquens de Sacramenti expositione fieri solita, cum aliquod imminet infortunium, ita scite rem expendit: *Est modus aptissimus permovendi populum, ac excitandi ad pietatem necessitati congruentem, verbi gratia, si ingruat pestis, aut incursus hostium, aut aerearum tempestatum malignitas: nihil enim habet Ecclesia aptius ad plebem Fidelium excitandam, et sensu pietatis Deum placaturo afficiendam, quam sacrum spectaculum Corporis Christi propalam exhibiti, et objectum ejus in quo est salus, vita, et resurrectio nostra.* Sed non satis ea essent: Ritus quippe, de quo est quaestio, multa habet adnexa inferius a nobis expendenda, ex quibus, seposita pietate actus, jure meritoque potest Ecclesia eum non probare, neque enim illa hac in re intrinsecam tantummodo ejusdem bonitatem spectat, sed et alia, quae vel neglecta, vel non praevisa, facile possunt confusiones inducere ac perturbationes.

Nec non exempla ex Sacris Ecclesiae monum. desumpta.

§. 7. Si quis autem, ut sibi tuta unoque veluti ictu salva res esset, Ecclesiasticas proferret historias, exempla praesto essent opinioni suae valde accommoda. In Chronica Albigensium Episcoporum, atque Abbatum Castrae, apud Thiers in Tractatu *de Expositione Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti 2. part. impressionis Parisiensis anni 1677. lib. 5. cap. 12.* legitur, sub Abbate Geraldo, qui vixit ad annum 1090. incendium a fulmine excitatum, fuisse hoc pacto extinctum.

Jamque Monasterium furibunda incendia volvit,
Cum, Christi oblato Corpore, flamma cadit.

Celebre est S. Bernardi factum relatum in ejus vita, quam scribere instituit Abbas Guillelmus a S. Theodorico, absolvitque Abbas Hernaldus a Bonavalle, veteri amicitia cum Sancto conjunctus. Adstabat ad Ecclesiae Januam Willelmus Aquitaniae Dux, intus ob excommunicationem non ingrediens. Vir Sanctus interea

Sacrum faciebat: cumque consecrasset, ante consummationem, imposito Patenae Divino Sacramento, et ad Ducem accedens ipsum eo ferventis animi affectu est allocutus, ut eumdem ad insignem poenitentiam adduxerit, et ad novum vitae institutum, unde porro in Beatorum album, qui cultum in Ecclesia obtinent, recenseri promeruit, uti videre est in Martyrologio Romano quarto idus Februarii. Gesta res descripta legitur in praeindicata antiqua vita S. Bernardi, et perbelle retexitur a duobus recentioribus ejusdem Vitae scriptoribus, a Magagnotio nempe *l.* 2. *c.* 6. *n.* 38. et a Petrina in *Historia Chronologica lib.* 4. *tom.* 1. *num.* 371. *et seq.* Celebre quoque sese prodit factum S. Clarae, quae, ut Monasterium suum, universamque Assisiensem Urbem servaret a direptione, ac stragibus Saracenorum, jam jam impia consilia exequentium, ad Monasterii januam afferri curavit Tabernaculum Sacramentum intercludens; Christique vix objecto corpore, Saracenorum nonnulli obcoecati, reliqui praecipites effugere. Rem narrat S. Antonius in *suis Historiis tit.* 24. *cap.* 6. §. 3. Resumitur eadem a Bollandistis *tom.* 2. *mensis Augusti pridie idus pag.* 759. *num.* 21. et a Pagio *in Vita Alexandri IV. numer.* 15. Ejusdem fere temporis cum Sanct. Clarae facto est et aliud relatum a Roderico Granatensi *part.* 2. *explanationis Symboli cap.* 27. §. 7. secutum anno 1230. in Regno Valentiae, dum bellum gererentur in Mauros: de horum quippe exercitu tum Christifideles insignem retulere victoriam, cum pius Sacerdos manibus gestans pannum lineum consecratis Particulis plenum, prodiit in omnium conspectum, Deum exorans, ut nostris praesto esset, eoque pacto est eosdem hortatus ad instauraudum certamen, quod porro insignis victoria est consecuta. Meminimus et ipsi eorum, quae in minoribus, agentesque Promotorem Fidei, legimus in Actis collectis super Virtutibus Beati Petri Foureri, ad quem cum delatum fuisset, publica in Cauponа quosdam sacrilegis verbis Divinum Nomen violare, ad Sacrum Tabernaculum advolavit, arreptamque Sacram Pyxidem, secum detulit ad Cauponam, cumque Sacratum pignus manu ostentans, immane facinus scelestis patefecisset atque exprobasset, eosdem ad poenitentiam adduxit. Ast haec, hisque similia exempla ex peculiari divino spiritu impulsuque processisse, demonstratum est non solum ex secundo eventu, sed et ex peculiaribus hacc agentium virtutibus. Ea itaque sunt haec exempla, quae miremur, haud autem imitemur, nec quidquam exinde inferri potest pro iis, qui debent se ad legum normam componere: quemadmodum a Nobis quoque fuit generaliter demonstratum in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 3. *cap.* 41. et praecipue *num.* 20.

Non congruunt eadem cuicumque casui, nec generalem exhibere possunt agendi normam, et quare.

§. 8. In hanc Classem referri et illud potest, quod legitur in *Natali* 10. quod S. Paulini Nolani opus est, ubi narrat, ingens incendium fuisse extinctum objecto tantum ad flammas Sanctae Crucis frustulo.

Vicerat ignis aquam, nos ligno vincimus ignem,
Quamque aquam non potuit, vicit brevis hastula flammam.

Quae autem aptiora ad rem comprobandam proferuntur exempla, nec laudantur, nec ritum possunt inducere.

Et quoties ex classe horum, similiumque exemplorum, quae peculiari Divino afflatui non immerito tribuuntur, ad alios progredi quis vellet eventus, allatam Divini impulsus exceptionem haud ita facile recipientes, veluti ad id, quod sub annum 1647. contigisse fertur Halae Tyrolis, ubi cum Sacerdos Venerabili Eucharistia adhibita ingenti incendio benedixisset, restitit ignis; vel ad illud, quod anno 1734. sive alio veriori tempore, hic Romae gestum est, tunc, quando publica solemnique pompa fuit Sacramentum ab Ecclesia delatum ad incendii locum, eoque impertita benedictio; qui his uteretur exemplis, haud valde proficeret, tum quia primum ex recensitis factis affertur a Gobato in sua *Theologia experimentali tr.* 4. *cas.* 21. *sect.* 1. *n.* 375. qui tamen illud non probat, sed tantum nuncupat felix ab exitu: *Factum felix ab eventu;* tum quia unum, vel plura adhuc facta hujusmodi aut incognita, aut a Superioribus dissimulata, haud tanti sunt, quibus jure recens aliqua disciplina, novusque ritus innitatur.

Primum, sed minus firmum argum. illorum, qui factum improb.

§. 9. Sicuti praenotatum est, superius allata argumenta, ad ritum, de quo sermo est, vindicandum infirma sunt, leviorisque momenti, sed ejusdem furfuris sunt alia quaedam, quae in Ritum ipsum objectantur, atque extolluntur. Ajunt nonnulli Eucharistiae Sacramentum a Christo fuisse institutum, ut eo vesceremur; quod quidem indubium est: at satis deprehendi non potest, quomodo ex hoc

antecedenti inferre liceat, haud decere illud in Supplicationibus deferre, Deumque, qui sub Sacramenti speciebus adest, deprecari, ut a gravibus nos quandoque obsidentibus periculis praestet incolumes. *Neque enim ideo minus est adorandum,* (sunt concepta verba Concilii Tridentini, de hoc Divino Sacramento loquentis, *sess.* 13. *c.* 5.) *quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in Orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.* Exindeque Tridentini Patres commendare pergunt pias Supplicationes in Festo Corporis Christi haberi solitas, religiosasque actiones comitantium Adorandum Sacramentum, dum ad aegrotos affertur uti videre est *c.* 5. *et c.* 6. *et can.* 6. *cit. sess.* 13. Christus Dominus qua homo, vel nunc in gloriae statu, Deum Patrem pro nobis rogat: *Christus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis,* legitur *in Epistola ad Romanos* 8. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum,* subditur in Epistola prima S. Joannis *cap.* 2. Sive porro hoc praestet, petens expresse a Deo, ut nobis proficua concedat, sive implicite suam exhibens Humanitatem, veluti Hostiam jam ipsi in Crucem oblatam, ut Deus in eam respiciens, quae utilia nobis possunt evadere, elargiatur, veluti disserunt nostri Theologi; qui licet in explicatione tradenda discrepent inter se, dum alii primae subscribunt, alii secundae sententiae, consentiunt tamen omnes quoad dogma, insimul adnotantes, neque Ecclesiam, neque Fideles solere absolute ad Christum confugere, ut ipse pro nobis oret, sed ut nostra velit exaudire vota, ne videantur cum Arii, et Nestorii erroribus consentire, qui tueri audebant, ipsam Christi personam, ad quam vota diriguntur nostra, esse creatam, et divina inferiorem. Cum autem nostras preces audiat Christus, quoties id promerentur, cumque idem Christus vere Deus et Homo, vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus Eucharistici panis contineatur, omnino nunquam affirmari poterit, non posse nos supplices ad ipsum confugere, ut incendium extingui deprecemur, ex eo tantum quod Sacramentum fuerit in nostrum cibum institutum; sed erit tantummodo asserendum, non licere ita ad illum confugere, ut Sacramentum educatur e Tabernaculo, afferatur ad ignem, atque ad incendium benedicatur, ob qualitatem Ritus, quoties firma desint ad eum vindicandum argumenta.

Alia duo haud validiora argumenta.

§. 10. Alii ulterius progrediuntur, asserentesque non posse rem creatam irrationalem Dei nomine adjurari, autumant, hoc unum posse valide obsistere ritui benedicendi incendii cum Eucharistiae Sacramento; sed infirmum omnino videtur hoc argumentum. Creata res expers rationis, si ipsa per se attendatur, cum non intelligat, talis non est, quae adjurari possit; capax tamen evadit, quae exorcismis Ecclesiae subjiciatur, si veluti ab alio acta inspiciatur; ex quo consequitur, posse orationes nostras ad Deum intendi, ut eam nobis nocere prohibeat, etiamsi a Daemone in nostrum damnum detrimentumque ageretur. Est haec S. Thomae doctrina 2. 2. *quaest.* 90. *art.* 3. Verum eadem nil profecto opus est in hac facti specie, in qua dum adhibita Pyxide benedicitur incendio, nulli umquam intermixti sunt, vel intermiscentur exorcismi. Alii ritum improbant, asserentes ipsi inesse Dei tentationem, vitium Religioni oppositum, ideoque peccatum sapiens, et grave quidem peccatum, quamvis superstitione inferius, uti fuse docet, demonstratque Sanctus Thomas 2. 2. *quaest.* 97. *art.* 2. *et duob. seqq.* At si expressa Dei tentatio, juxta ejusdem Sancti Doctoris sententiam, tunc inducitur, cum quis quidquam agit ea mente, atque consilio, ut Dei scientiam, potentiam, patientiam, voluntatemve scrutetur; interpretativa autem et implicita, quando non agit is quidem eadem concepta expressaque mente, sed tamen quidquam loquitur vel agit, cui non alius potest esse scopus, quam ut Divinae alicujus virtutis periculum fiat; quod tunc plane contingit, cum quis paratas habens usitatas, vulgaresque agendi rationes, has quidem sponte omittit, seque ultro in discrimen adducit. *Sicuti tentare, est experimentum sumere seu explorare; ita Deum tentare, est velle sumere experimentum de aliqua ipsius perfectione, veluti an sciat, an possit, an velit quidpiam; quod tum verbis, tum factis fieri potest, idque dupliciter: uno modo expresso, puta cum aliquis ea intentione dicit, aut facit quidpiam, ut exploret Dei scientiam, potentiam, patientiam, aut voluntatem: altero modo implicite, seu interpretative, quando non est quidem homini formalis et expres-*

sa intentio simile aliquid explorandi, hoc tamen dicit, aut facit., quod non potest alio ordinari., quam ad experimentum sumendum de aliqua Dei perfectione, veluti quando aliquis humanis et naturalibus mediis non destitutus, ea sine rationabili causa omittit, aut se periculo exponit: verba sunt Sylvii egregii S. Thomae Interpretis *ad Art. 1. praecit. quaest. 97.* Quomodo nunquam poterit jure defendi, eum, qui Venerabili Sacramento ad incendium benedicit, qui Deum rogat, ut miseros afflictosque ab irruente infortunio velit praestare exemptos, qui non ea mente est, ut Divinae potentiae sumat periculum, qui humana non spernit subsidia, sed iis undique collectis, omnia enititur, assiduas tamen Divinae Majestati preces offerens, ut quod imminet, grave malum, dignetur avertere, hunc, inquam, gravissimi criminis expresse vel tacitae Dei tentationis posse reum pronunciari?

Postrem. desumptum ex absurdis, quae facile praeca veri posse, vel nihil habere commune cum praesenti facti specie, demonstratur.

§. 11. Alii denique arbitrantur, non esse usu recipiendam assertam piam consuetudinem afferendi Sacramentum Sacra Pyxide contentum, eoque benedicendi incendiis, ne forte id fiat cum ignis divitum aedes incessit, non autem pauperum domunculas: neque inanis hic quidem est, vel sola mente conceptus timor; Thiers quippe *praecit. cap.* 12. invehitur in satis illacrymabilem hanc personarum acceptionem, veluti aliquibus in locis usu receptam. Idem Author praeterea plures cumulat Synodales sanctiones, quibus severe interdicitur, sacra Lintea ad incendium afferre, eaque projicere in flammas, ut extinguantur, atque multo etiam magis, si ipsa sacra Hostia projiciatur in ignem, ea quidem spe, ita illum restingui posse. Quidquid asserit praecitatus Author, perfacile admitti debet; immo quoties, ad ea firmanda, quae in ritum jaciendi in ignem Sacram Hostiam profert, et in irreverentiam eo actu contentam, alio opus esset exemplo per ipsum non inducto, illud minime desideraretur. Etenim, quamvis in Italia, et praesertim Florentiae, vigeret usus comprobandi abditam veritatem innocuo alicujus transitu per ignem, quod plane praestitit B. Petrus Igneus dictus, qui ut evinceret Petrum Pavesium Florentiae Episcopum simoniace in Episcopatum fuisse intrusum, ideoque deponendum esse, uti reipsa factum est, illaesus per ardentem ignem pertransiit, quemadmodum opportunis allatis monumentis demonstravimus *nostro lib. de Canoniz. Sanct. c.* 33. tamen cum nonnullis exinde saeculis in eadem Civitate idem sumi voluerit experimentum ad fidem auctoritatemque conciliandam Doctrinae Hieronymi Savonarolae, cumque aliqui sese protulerint paratos per ignem transgredi, manu gestantes Eucharistiae Sacramentum, Eucharistiae delationem non probarunt judices, constanti judicio eam denegantes, ac irreligiosam definientes, praviique exempli, spectatis iis facti circumstantiis, in quibus usurpari cupiebatur; uti videre est in vita praefati Hieronymi Savonarolae scripta a Francisco Pico *tom. 2. impressionis Parisiorum 1674. pag. 70. tom. 2. additionum ad eamdem vitam pag. 306.* et in Appendice ad Vitam Alexandri VI. Pontificis exaratam ab Alexandro Gordonio *tom. 2. pag. 435.* Verum his omnibus nihil commune est cum casu nostro. Qui enim ritum, de quo nunc agimus, tuetur, facile respondere potest, si asserat, licere omnino ipso adhibito Sacramento excitatis incendiis benedicere, nec tamen ullum fieri debere divitis et pauperis discrimen, neque Eucharistiam post Benedictionem in ignem projiciendam esse, sed immo in tabernaculum, unde fuit educta, omni cum honore restituendam.

Firmum affertur princip. ex quo porro actus probandus, improbandusve arguatur.

§. 12. Sepositis itaque superius allatis animadversionibus, rationibusque, vel ritui faventibus vel oppositis, ut tuto liceat ad propositam metam pertingere, unica, cui insistas, tutaque via sita est in investigandis expendendisque regulis ab Ecclesia praescriptis de cultu Sanctissimae Eucharistiae: neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate, vel ex verae etiam devotionis, zelique affectu, novum ritum inducere. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus, in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiasticum Pastorem mutari posse, anathema sit:* verba sunt Sacrae Tridentinae Synodi *Can. 13. sess. 7. de Sacramentis in genere.* Et quoties aliquem Ritum ejusmodi induci contigit, et si nihil continentem pietati ac religioni oppositum, Apostolica Sedes eumdem ipsum interdicere non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis, nullatenus praevisis, vel neglectis ab eo, qui ritum invexit. Ut plura praetermittamus exempla, ad rem praesentem sat est unum illud innuere de

Exemplis res illustratur. De velito usu deferendi ad infirmos Eucharistiam adorand. tantummodo

Sanctissimo Sacramento, olim afferri solito ad aegrotos, qui cum exoptarent illud sumere in Viaticum, nec tamen possent deglutire, nonnulli in ipsum saltem intueri cupiebant, alii adorare ac deosculari; vetitum quippe id fuit a S. Pontifice Pio V. cui interdicto consonum quoque est alterum adscriptum in Rituali Romano a Paulo V. Summo Pontifice evulgato, in ea parte, quae est *de Communione Infirmorum*, ubi, sermone instituto de Divino Sacramento, haec leguntur: *Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei praetextu, ad ostendendum non deferatur;* idque non ea sane de causa, quod simplex adoratio, (quidquid sit de Sacrae Hostiae osculo) quicquam haberet contrarium debito cultui, quum potius eidem esset maxime consentanea; sed ratione quarumdam circumstantiarum, quas sapientes legislatores recte adnotarunt, quasque innuit Card. de Lugo *in suis Responsis Moralibus lib. 1. dub. 11. n. 3. Merito id prohibuit*, loquitur de S. Pio V., *quia si ad privatam aegroti consolationem, et sine spe refectionis Sacramentalis, tanta Salvatoris Majestas loco movenda, et per vias publicas circumferenda esset, paulatim ea infirmorum pietas introduceret, ut, sicut Sanctorum Reliquiae ad eos deferuntur, et applicantur curationis gratia, ita et ad eosdem non communicaturos, nec periculose decumbentes, deferretur Eucharistia, et applicaretur partibus laesis et dolentibus, spe impetrandae curationis; quae, et alia similia cultum et reverentiam debitam tantae Majestati paulatim imminuerent.*

Aliae Ecclesiast. sanctiones de cultu Sanctissimae Eucbar. exhibendo.

§. 13. Annuam Ecclesiae constituit solemnitatem Corporis Christi, quae a Tridentino Concilio dicitur Religionis nostrae adversus Haereses Triumphum, sicuti videre est *sess.* 13. *cap.* 15. Supplicationem quoque instituit ea occasione habendam, jam inde ab Urbano IV., quemadmodum fuse a nobis demonstratum fuit in nostro Opere *de Festis Domini*, cum de Festo Corporis Christi disseruimus. Cavit Ecclesia, ut Sacramentum ad infirmos cum debito honore deferatur, cum ipsum susceperi sint in Viaticum, uti licet deprehendere ex pluribus Synodalibus sanctionibus, decretisque editis tum a Summis Pontificibus, tum et ab Episcopis quoad Dioeceses suas. Amplexa est Ecclesia pium usum exponendi Venerabile Sacramentum omnibus conspicuum, utpote duobus Crystallis inclusum in Ostensorio, quod dicitur *Monstrantia*, in statutis Concilii Coloniensis habiti sub Card. de Cusa Nicolai V. per Germaniam Legati Apost. sicuti nosse licet ex *t.* 9. Collectionis Conciliorum Harduini *col.* 1368. *lit. C.*, dummodo id de licentia Ordinarii, publicamque ob causam aliquam fiat. Adjecit et illud Ecclesia, quod si privata tantum, non autem publica causa subsit, Sacramentum exponatur; ita tamen, ut, reserato Tabernaculo, inde Sacrum Christi Corpus minime educatur, sed vel Sacra Pyxide sit inclusum, aut Velo obtectum ita, ut videri non possit, quemadmodum deprehenditur ex iteratis conformibus decretis editis a Congregationibus Urbis, et per Summos Pontifices probatis, quas omnes collegimus ipsi, cum Bononiae essemus, in una ex nostris Institutionibus *Italicae editionis t.* 2., quae in latinam quoque versionem est illata. Cogitavit Ecclesia de Benedictionibus, Venerabili Sacramento adhibito, impertiendis, tum post publicas habitas supplicationes, tum quoties post solemnem Expositionem Sacramentum est in Tabernaculum restituendum, ac denique cum sumpto per Ægrotum Viatico, reliqua in Sacra Pyxide est Particula, quam Sacerdos secum ad Ecclesiam refert, veluti nosse licet ex Rituali Romano *tit. de Communione Infirmorum*. Casum denique prospexit Ecclesia instantis alicujus nimbi, procellae, alteriusve ingentis periculi, cavitque, ut si populus excitari velit ad Deum Optimum Maximum deprecandum, quo ab ingruenti malo praestetur immunis, adaperiatur Tabernaculum, minime educto Sacramento, sed ante ipsum Sacra Pyxide inclusum preces religioso affectu recitentur. Haec est methodus praescripta a magno S. Carolo Borromaeo in sua tertia Synodo Dioecesana habita anno 1572. *Cum grandines, nimbi, turbines, et aliae temporum procellae imminent, ad eas tempestates sedandas, vel, ut vocant, signandas, ne Sacerdos vasculum, in quo Sanctissimum Christi Domini Corpus asservatur, adhibeat; sed Tabernaculum accensis luminibus patefaciant, ut ea nimborum vi imminente, rogationes, et preces a Clero populoque coram Domino religiose fiant.* Quod confirmatum noscitur in tertia Synodo Provinciali coacta subsequenti anno 1573. *Cum nimbi, procellae, turbines, aut grandines impendent, ne Sacerdos ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, sed Tabernaculum, ubi illud in Altare reconditur, pa-*

Synodalia decreta circa ritum servandum in casibus huic similimis.

tefaciat; licet; tumque in ejus conspectu Litanias, aliasque religiosas preces ejus rei causa institutas pie sancteque pronunciet. Consonat his Rituale Ebroicense anno 1606. a magno Cardinali de Perron compositum. Perspicuum itaque est systema a S. Carolo Borromaeo, veluti lex quaedam, in universa Dioecesi, Provinciaque sua stabilitum, quodque merito pro caeteris locis haberi potest tanquam regula *in vi directiva*, cum ex aliquo tempestatum, grandinum, fulminumque inopinato casu, supplices ad Deum libet confugere. Aperiendum namque est, uti praenotavimus, Tabernaculum, Sacramentum intra Pyxidem relinquendum, piae fundendae preces, ut Divinam nobis opem imploremus. Si autem Sacramentum non debet a Tabernaculo educi, facile intelligitur, in designatis casibus non esse illud afferendum ad Ecclesiae januam, nec cum eodem Benedictionem impertiendam.

Ex identitate rationis hunc quoque casum definiunt.

§. 14. Loquuntur quidem mox supra allatae auctoritates de turbinum, procellarumque casu, quin suspicari possimus, audere quemquam excipere, eas minime congruere incendiis; par omnium quippe ratio est: et quoties, ut aliorum subtilibus levibusque cavillationibus fieret satis, exquiri Synodi vellent, ac Ritualia conceptis verbis loquentia de incendii casu, sat erit manum protendere ad Synodum Archiepiscopi Parisiensis habitam anno 1674. *art.* 7. *cap.* 2. in qua disertis verbis cavetur, ne Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quacumque de causa umquam ad incendia asseratur, indicta in Sacerdotem, qui deliquisset, suspensionis poena; et ad Rituale Argentoratensis Ecclesiae evulgatum a bonae mem: Cardinali de Rohan, impressumque anno 1742. ubi *pag.* 83. sequentia adnotantur verba — *Prohibitum est insuper*, sermo est de Sacramento Altaris; *ne ad extinguenda incendia deferatur, et quidem sub poena suspensionis, a Ministris deferentibus ipso facto incurrenda. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Qui dixit mari — usque huc venies. . . . et hic confringes tumentes fluctus tuos — potest et impetum ignis refraenare. Quandoque autem, sicut potens, sic et justus, mala quaedam permittit; et quia, num facile sit placabilis, ignoramus; vitandum illud omne, quod et quorumdam Christianorum fidem infirmare posset, et nostrorum honorem mysteriorum malignis infidelium, aut haereticorum irrisionibus exponere.* Qui temporalia a Deo exposcit, pavidus debet eadem rogare, divinaeque voluntati se omnino committere: *Quando petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut, si prosint, det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non aegrotus:* inquit Sanctus Augustinus *in serm.* 354. *alias* 53. *de verbis Domini c.* 7. Cum saeviunt infortunia, homines plerumque Deum, quomodo oporteret, non orant: liberari se petunt, nihilque praeterea curant: cumque caeteroquin pietate ac devotione erga Sacramentum Altaris exardescant, videntes educi illud e Tabernaculo post recitatas preces, afferri ad Ecclesiae januam, eodemque adhibito per Sacerdotem benedici ad eam regionem, unde erumpunt turbines et procellae, vel ad eam, in qua furit incendium; implentur fiducia quadam, certaque spe, ad exitum jam pertigisse calamitates suas, et, si id haud fiat, sicuti ex justo Dei judicio pluries reipsa non contingit, magnum exinde subest periculum, ne labefactetur vel tepescat fervens illa devotio erga Augustissimum Altaris Sacramentum; misso interea facto altero periculo irrisionum ab incredulis. Atque hae profecto animadversiones fecerunt, ut a solertissimis Episcopis statueretur, ne Pyxis e Tabernaculo educatur, ne exportetur ab Ecclesia, neve cum ea in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, ad tempestates, aut incendia benedicatur.

Cur vetita ad incendium benedictio cum Eucharistia?

Afferuntur alia decreta, quae hunc praecise incendii casum decidunt, et quid tunc agendum statuunt.

§. 15. Haud absimilis est obsessorum exorcizandorum species; in Rituali siquidem permittuntur Sanctorum Reliquiae, opportunis adhibitis cautelis, eorum capitibus pectoribusque imponi: *Reliquiae quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter ac tuto colligatae et coopertae, ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur.* Non tamen licet ad caput eorum, vel pectus, sacram admovere Eucharistiam, ob irreverentiae periculum: *Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiae periculum.* Etsi in vita Sancti Bernardi, in Chronicis Belgicis Molineti, et in catalogo Belgico Bernardi a Lucemburgo *litt. G.* haud desiderentur exempla Sanctorum Virorum, qui tale quidpiam praestitere, atque ita ab Obsessis Daemones ejecerunt: facta enim haec, sicut praediximus, iis accensenda sunt exemplis, quae admiratione quidem, non vero imitatione prosequi debeas.

Interd. hoc affixit quoque casum obsessi exorcizandi.

§. 16. Caeteris quibusque Authoribus Joan-

Quisnam eruditius et rectius et quaestione hac disseruerit.

nes Baptista Thiers eruditius, doctiusque de hac quaestione disseruit, illamque diremit juxta ea, quae hactenus dicta sunt, in suo Tractatu *de sanctissimo Sacramento* 2. *part. cap.* 12 et quidquid ibi latius attulit, legitur ab ipso summatim resumptum in suo Tractatu *de superstitionibus tom.* 2. *cap.* 13. Opus Thiers *de Expositione Sacramenti* valde commendatum, probatumque fuit a pio, ac docto Cardinali Bona, uti nosse licet ex ejus Epistola 321. in tomo hoc ipso anno 1755. cuso, *pag.* 246. Laudatus Cardinalis in ea epistola inquit, praeclarum se de illo opere fecisse judicium, cum sermonem de eo habuisset cum Patre Luca Dacherio, indeque subdit: *Librum optimum esse, et pium, et ab omnibus viris doctis ac eruditis approbatum. Omnes autem mirantur, quod argumentum per se sterile, et hactenus intentatum, tanta ubertate tractaverit, ut nihil ei desit, nihil ultra desiderari possit. Audivi rumorem propter illum a quibusdam Parisiis excitatum fuisse, sed protinus sedatum, cùm nihil in eo censurae obnoxium sit.* Tanti Cardinalis sententiae ipsi subscribimus, sed quoad praesentem quaestionem erudite adeo discussam a Thiers, putamus, deesse nonnulla, quae nisi congrua aliqua interpretatione solvantur, concidit Thiers assumptio, atque etiam nonnihil concuti possunt quae hactenus constituta sunt.

Quaeritur an verum quod Thiers asserit, nullam reperiri Synodum nec Rituale, ubi de hujusmodi benedictione agatur.

§. 17. Hoc maxime Thiers expendit, cum in tot Synodis actum sit ac constitutum, quidquid agi oportet, dum aliquod tempestatis, incendiique accidit infortunium, ne unam reperiri quidem suadentem, vel permittentem Benedictionem, Sacramento adhibito. Praeterea, ex tot Ritualibus in Sacrarum Functionum normam impressis, nullum penitus adinveniri consentiens, ut tempestatibus, incendiisque, Sacramento adhibito, benedicatur; etsi caeteroquin similia non desint Ritualia, et monumenta Benedictionum, quae, adhibitis Sanctorum Reliquiis, vel Crucis imaginibus, impertiantur: et ex tanto omnium silentio validum elicit argumentum adversus ritum benedicendi, adhibito Sacramento, tempestatibus, incendiisve. At si forte nonnulla extarent Ritualia, quibus hoc plane suaderetur, ingens concuteretur aedificium, omniaque disrupta corruerent.

Sacerdotale Romanum P. Alberti Castellani et Rituale Card. Sanctorii hanc benedict. probant.

§. 18. In Sacerdotali Romano *pag.* 227. *a tergo, sub tit. de Benedictione adversus tempestates*, sequentia verba adnotata reperiuntur: *Si expediens visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter Corpus Domini in vase debito, et Ecclesia exiens, nubes in modum Crucis cum dicto vase signet.* Et in Rituali Cardinalis Sanctorii *pag.* 709. *sub tit. de Exorcismis contra ingruentes aereas tempestates*, haec adscripta leguntur verba: *Posteà, si expedire visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter et cum luminaribus Corpus Domini in calice, aut alio vase debito, et Ecclesia exiens, nubes in modum Crucis cum dicto vase signet.* Author Sacerdotalis Romani fuit Pater Albertus Castellani Ord. Praedicatorum, qui multo labore illud elucubravit, dicavitque Leoni X. Pontifici Maximo. Et antequam typis traderetur, examinatum emendatumque fuit jussu Pii IV. Pontificis, veluti cognoscere est *tom.* 2. *Scriptorum Ordinis Praedicatorum P. Jacobi Echard, pag.* 48. Alterum Rituale authorem habuit Cardinalem Sanctorium, S. Severinae nuncupatum, teste Ciacconio *in ejus Vita tom.* 3. *pag.* 1044. De hoc autem Rituali Cardinalis Sanctorii perhonorifica fit mentio in Brevi Summi Pontificis Pauli V. incipiente *Apostolicae Sedis* dato quarto Idus Julii 1614., impressoque ad frontem Ritualis Romani ab eodem Paulo Pontifice evulgati; in eo quippe refertur, Cardinales ad novi Ritualis editionem designatos, vetera expendisse Ritualia, praesertim vero illud, *quod vir singulari pietate, zelo, et doctrina, bonae memoriae Julius Antonius S. R. E. Cardinalis Sanctae Severinae nuncupatus, longo studio, multaque industria et labore plenissimum composuerat.*

Publica tamen auctoritate nunquam fuerunt eadem opera approbata. Et primo id probat, quoad Sacerdotale Romanum.

§. 19. His tamen nihil facessentibus, stat Thiertis Assertio praeindicata quippe duo Opera publicae auctoritatis pondere destituuntur. Nos nihil detractum volumus egregio Operi Patris Alberti Castellani, sed asserimus, esse privati Authoris Opus, nullumque extare argumentum, quo illud a Pio IV. Pontifice approbatum demonstretur. Neque id temere aut nulla ratione affirmamus. Agitur in eo Opere de Baptismi forma sub conditione, ac recensentur peculiares factorum circumstantiae, quando, in hujusmodi Sacramento administrando, forma sub conditione uti licet; a Sacramento autem Poenitentiae universim haec forma sub conditione rejicitur: *Secus in Sacramento Poenitentiae, quod non licet.* Theologi illi, qui in Sacramento Poenitentiae ministrando locum esse negant formae sub conditione, auctoritate utuntur Sacerdotalis Romani a praefato Reli-

gioso compositi, venditantes illud Pontificia auctoritate roboratum. At caeteri, quibus forma sub conditione in Poenitentiae Sacramento probatur, fidenter respondent, neque anteacto tempore fuisse umquam demonstratum, nec demonstrari nunc posse, enunciatum Opus fuisse ab aliquo ex Summis Pontificibus approbatum, quod et ipsi expressimus in Nostro Opere *de Synodo Dioecesana lib. 7. cap. 15. tom. 2. et seq. novissimae editionis Romanae*, jam jam absolutae, et quamprimum evulgandae. Praetermittenda nec est consideratio illa, si nimirum Opus Patris Castellani approbatum fuisset a Pio IV. Pontifice, Sanctum Carolum Borromaeum Pontificis Nepotem, totoque ejus Pontificatu in Ecclesiasticis negotiis maxime versatum, haud fuisse permissurum, ut in sua Dioecesana Synodo, suaque itidem in Synodo Provinciali postea coactis, statueretur, quod noscitur reipsa statutum, quodque omnimode adversatur iis, quae in praefato Opere Patris Castellani tradita leguntur.

Historica narratio de Rituali Card. Sanctorii.

§. 20. Hinc ad Rituale Cardinalis Sanctorii gradum facimus. Celebris Praesul Fontanini, qui paucos librorum peritia sibi pares habuit, in appendice ad Catalogum librorum bonae memoriae Cardinalis Imperiali *litera S*, haec adnotata reliquit: *Opus rarissimum, sine principio, et fine, impressum sub Paulo V.*, et jure quidem: egregii quippe hujusce operis impressa folia delitescebant in angulo Vaticanae Bibliothecae, quorum notitia ad Viros Sacrorum Rituum studiosos delata, impetrarunt hi, ut simul colligerentur, quo eorum exemplum sibi sumere liceret. Tunc vero factum, ut multi ejusdem sibi exemplum comparaverint, quod in suis Bibliothecis condiderunt, cum ante id temporis pauca essent, atque rariora exempla: neque enim alia eousque comperta erant exempla, quam quae extabant, et nunc etiam extant, unum in Bibliotheca Monasterii S. Crucis in Hierusalem, duo autem in Bibliotheca Collegii Romani, quorum alterum fuit Venerabilis Cardinalis Bellarmini, alterum Praesulis Coccini Rotae Auditoris. Uti praenotatum est, asserit Praesul Fontanini, Rituale Cardinalis Sanctorii principio destitui, et fine; idque omnino verum, quemadmodum videre est in exemplis mox supra indicatis. Testatur, illud sub Paulo V. impressum, at non meminit, quod illum latuerit fortasse, suppressum fuisse jussu ejusdem Pontificis, dum adhuc sub praelo esset, quemadmodum ab eodem Praesule Coccino sua manu adnotatum legitur in praefato Rituali, in Collegio Romano, ut praedictum est, asservato: *Hoc Opus, dum adhuc sub praelo esset, suppressum fuit Romae tempore Pauli V., ideoque caret principio, medio, et fine.* Et licet in ejusdem Rituali exemplis novissime evulgatis, ac distributis, initium reperiatur ac finis, facile tamen deprehenditur, et initium, et finem ipsis fuisse, quamvis fortasse parum considerate, superadditum, ne per manus abiret mutilum exemplum, nec caput habens nec pedes.

Plura ei superaddita sub initium.

§. 21. Id vero comprobatur ex titulo, sive inscriptione praefatis recentibus exemplaribus praeposita, constat quippe his verbis: *Rituale Sacramentorum Romanum, Gregorii XIII. Pontificis Maximi jussu editum. Romae* 1584. in quo facti veritas primum desideratur, cum de imprimendo Rituali Cardinalis Sanctorii cogitatum fuerit tantummodo sub Pontificatu Pauli V. uti mox, supra dictum est, nec cusum illud fuerit superstite Authore, qui e vivis excessit sub annum 1601. Clemente VIII. Pontifice, sed ab ejusdem haeredibus sub Pontificatu Pauli V. quemadmodum mox infra constabit.

Et ad finem.

§. 22. In praedictis exemplaribus et finis quoque conspicitur; *pagina quippe* 712. haec leguntur verba: *Ritualis Romani Finis*. Qui autem id sibi sumpsit, ut extrema suppleret, mediam partem satis non inspexit, ubi non minus in ipsis, quam in caeteris quibuscumque exemplis desiderantur paginae, *quae a pag.* 252. *ad pag.* 257. *subsequuntur*. Verum, quanticumque sit haec animadversio, sermonem omnem colligentes ad finem, facili negotio detegitur recens superadditio nonnullorum foliorum, quae non solum ex charta et atramento evincitur, sed ex ipso paginarum numero; postrema quippe exemplaria ad paginam pertingunt 712. cum caeteroquin duo vetera exempla, alterum nempe Cardinalis Bellarmini, et alterum in Bibliotheca S. Crucis in Hierusalem asservatum, paginam 604. non praetergrediantur, atque etiam alterum Praesulis Coccini pag. 708. compleatur. Ritus itaque Benedictionis cum Sanctissimo Sacramento nonnisi in postremis exemplaribus reperitur, cum legatur ipse ad pag. 709. et caeteroquin vetera inter exemplaria nullum paginam 708. praetergrediatur.

§. 23. Ad absolutissimam notitiam eorum

Quare dum adhuc sub praelo esset, suppressum?

omnium, quae Rituale respiciunt Cardinalis Sanctorii, nil superest aliud, quam inquirere causam, cur fuerit, Paulo V. Pontifice, sudante praelo suppressum. Huic autem investigationi videntur posse cumulate satis facere ea ipsa, quae charactere Venerabilis Cardinalis Bellarmini adnotata reperiuntur in exemplo Ritualis Cardinalis Sanctorii, quo Bellarminus utebatur, quodque, uti saepius monuimus, extat in Bibliotheca Collegii Romani: *Hic Liber confectus est a Cardinali Sanctae Severinae longo tempore, et magno labore, et si quidem sub nomine praedicti Cardinalis fuisset impressus, dempto illo verbo Romani* (quod verbum etsi non extaret in libri fronte, tunc non impressa; aderat illa tamen in prima Operis pagina: *Ritualis Romani Liber primus*) *potuisset libere communicari cum omnibus: sed non placuit iis, ad quos pertinebat, ut cum nomine Romani publicaretur; et non placuit haeredi Cardinalis, ut sine nomine Romani exiret: Ea causa est, cur hic Liber lucem non aspiciat, et imperfectus ac mutilus extet in privatis Bibliothecis.*

Commendatione tamen dignum, licet auctoritate legis destitutum.

§. 24. Est itaque Opus Cardinalis Sanctorii omni commendatione dignum, optimoque jure sibi vindicat laudes quae de eo, tum in adnotatione Cardinalis Bellarmini, tum et in praememorato Brevi Pauli V. leguntur. Nosque ipsi Authoris laborem, et eruditionem saepius admirati, non praetermisimus eo uti, debitamque laudem in nostris evulgatis Operibus ipsi tribuere. At, ex superius allatis notitiis, fieri nullo modo potest, ut ipsi vis legis concedatur existimeturque veluti opus a Summis Pontificibus approbatum, et tanquam Rituale Romanum; titulus enim hic solummodo convenit Rituali Pauli V. Pontificis, ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos per ipsum directo, *ut in posterum tanquam Ecclesiae Romanae Filii, ejusdem Ecclesiae omnium Matris et Magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent:* uti legitur in illius Brevi anni 1614., quo Rituale Romanum confirmat, et in quo licet adnotatae legantur preces recitandae *ad repellendam tempestatem*, fiatque mentio sonitus aeris campani, signi Crucis, atque aspersionis aquae benedictae; nullum tamen omnino fit verbum de Benedictione, adhibito Sacramento, impertienda.

Rituale Romanum a Paulo V. editum, quid de proposita quaestione constituat.

Collatio operum Cardinalis Sanctorii, et P. Castellani cum Syn. S. Caroli.

§. 25. Denique in una librae lance statuatur opus Cardinalis Sanctorii, quod, quanticumque tandem sint reliquae exceptiones omnes, nunquam dici poterit Pontificia auctoritate roboratum, illique in novam oneris accessionem superaddatur alterum Opus Patris Castellani, numquam et ipsum approbationem illam Pontificiam consequutum; in altera vero lance ponantur Synodi Sancti Caroli Borromaei, quamvis illae, si vim legis consideres, in Dioecesi, totaque Provincia Mediolanensi solummodo obtineant; haecque omnia si quispiam ponderet, conspiciet illico propendere illam Synodorum lancem, quumque, aliquo hujusmodi casu sese offerente, deliberandum erit, obstrictum se noscet, vi quidem directiva, amplecti quidquid fuit a S. Carolo praefatis in Synodis constitutum. Non indigent profecto praefatae Synodi, ut quidquam illis adjiciatur, at si quae fieri vellet accessio, in promptu illa quidem esset, et facillime comparanda ex aliis Synodis, et Ritualibus aliarum Dioecesum, in quibus ex norma in S. Caroli Synodis tradita, statutum cernitur, ut cum incendii periculum subest, aperiatur Tabernaculum, Sacramentum relinquatur obtectum, religiosa fiat precum recitatio, nec extrahatur Sacramentum, ac proinde ne cum eodem ad incendia, tempestatesque benedicatur.

Alia Synodus Italica Authorumq. Sententiae, quibus propositio asserta roboratur.

§. 26. Supra allatae sunt Synodorum, Authorumque transalpinorum auctoritates, nunc alias superaddemus ex Italis nostris desumptas. Injuriam sibi faceret is, cui incomperta essent tum eximia virtus Praesulis Gratiani olim Ameriae Episcopi, tum ejusdem celebris Synodus habita anno 1595., *in cujus capite* 109. ita legitur: *Ad arcendas pluvias, aut tempestates, procellasque, quae sorte impendere videbuntur, nemo Sacerdos Pyxidem ipsam cum Sacramento offerat, sed tantum Tabernaculum, patefacto ostio, adaperiat, et in conspectu Sacramenti, genibus ad terram datis, Litanias, aliasque precationes ejus rei causa institutas, pie sancteque cum populo, qui aderit, aut cum Clericis, aut etiam solus, peragat, Divinamque benignitatem, ut mala, quae peccata nostra merentur, misericordia sua avertat, religiose precetur.* Perspecta quoque est praestantia in rebus ad Ritum spectantibus Patris Bartholomaei Gavanti, qui composuit *Enchiridion*, seu *Manuale Episcoporum* ad sacras functiones rite dirigendas; in hoc autem *verbo Eucharistia num.* 14.

haec scripta reliquit: *Non adhibeatur contra grandinem, puta in valvis Ecclesiae, benedicendo aerem.* Nec missum faciemus Clericatum, utcumque caeteris recentiorem, non exiguam tamen laudem consecutum, in ejus quippe *dec.* 60. de Eucharistia *n.* 11. haec leguntur: *At ad benedicendum aerem contra grandinem, prohibitum est Sacram Eucharistiam exponere in valvis Ecclesiae.*

Iterata commendatio Eminent. Vicarii, ac monita.

§. 27. His Literis finem imponimus, tum quia aliis obruimur curis, tum et quia aestivis caloribus afficimur. Prudens nobis probatur Fraternitatis tuae agendi ratio, dum nihil graviter egisti in pium illum Sacerdotem, qui extra Januam Ecclesiae S. Nicolai in Carcere Benedictionem super populo, et ad incendium est impertitus; valde enim huic casui congruere nobis videntur verba S. Bernardi *Serm.* 40. *super Cantica*, ubi haec scripta reliquit: *Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec si judices proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.* Verum cum haud justum aequumve sit, ut, quae sunt minus recte gesta, conniventia invalescant, iteratisque actibus quamdam veluti legitimae spectabilisque consuetudinis speciem obtineant, non solum tibi curae erit, hanc Nostram Epistolam in Cancellaria tua custodiri, verum etiam Edictum, interposita auctoritate nostra, propones, in certam normam eorum, quae, excitato incendio aliquo, praestanda sunt, ut Deo supplicetur juxta ritum S. Romanae Ecclesiae: Edictumque ipsum, veluti adamussim, exiges ad ea, quae a Sancto Carolo noscuntur constituta, quaeque fuerunt a nobis in his Nostris Literis fusius exposita. Teque, Ven. Frater noster, ex animo amplectentes, Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

Dat. 27. Julii 1755. Pont. 15.

Datum apud S. Mariam Majorem die 27. Julii 1755. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

L.

QUOD EPISCOPIS VICARIIS

Apostolicis Indiarum Orientalium injunctum fuit, ut si Episcopum Coadjutorem, vel vicarium generalem non haberent, hunc sibi adsciscerent, cui amplissimae tribuebantur facultates in casu obitus Vicarii Apostolici, id caeteris etiam Vicariis Apostolicis nunc imperatur: Salva tamen electione Vicarii Capitularis, ubi vel Canonici, vel Parochi eam peragere consueverunt; in iis vero locis, ubi vel non adsunt, vel convenire nequeunt, constitutus jam ab Episcopo Vicarius generalis, ipse, eodem defuncto, Vicarius etiam Capitularis habeatur.

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis aliisque Apostolicis Vicariis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Exord. Hae litt. relatae fuerunt superius num. 10.

Quam ex sublimi hac Sacrosancti Apostolatus specula, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, pro injecta Nobis gravissima omnium Ecclesiarum solicitudine, impositaque omnium animarum Jesu Christi Sanguine redemptarum procuratione, alias, nempe die 26. mensis Januarii anno MDCCLIII. inivimus apostolicae providentiae rationem pro Indiis Orientalibus; eamdem quoque, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, in iis partibus, in quibus vos constituti ac deputati, Apostolicum ministerium vestrum, non sine magnis assiduisque laboribus, et incommodis, laudabiliter obire pergitis, haud patimur desiderari, quemadmodum immensa Supremi Pastorum Principis Jesu Christi caritas maximopere urget, ut eo alacrius omnem operam studiumque nostrum ad hoc conferamus, quo longius a Nobis regiones illas abesse non ignoramus.

Provida earumdem dispositio recensetur.

§. 1. Quoniam autem non sine gravissima Pontificii animi nostri molestia tunc acceperamus, aliquem scilicet ex Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis Episcopali titulo et charactere insignitum, sed sine Coadjutore cum futura successione, viam universae carnis ingressum, ad repositam in Coelis coronam Apostolicis laboribus partam evolasse, ac neminem, qui Ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico jurisdictionem exerceret, repertum aut deputatum fuisse; Eapropter omnibus et singulis Vicariis Apostolicis hujusmodi injunximus et mandavimus, ut qui neque Episcopum Coadjutorem cum futura

successione, neque Vicarium ex Clero sive saeculari, sive regulari Generalem haberent, statim atque ad unumquemque eorum aliarum nostrarum in simili forma Brevis desuper expeditarum Literarum certa notitia pervenisset, deputarent Vicarium ex Clero sive saeculari, sive regulari, habilem tamen, atque idoneum, qui, eveniente cujusvis Apostolici Vicarii sine Coadjutore cum futura successione obitu, tanquam Apostolicae hujus Sanctae Sedis Delegatus, teneretur assumere et obire regimen, et gubernium Apostolici Vicariatus, usque ad captam ejusdem Apost. Vicariatus hujusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem haec Sancta Sedes constituisset, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa Sancta Sede ineundam ordinationem. Porro Vicario Generali hujusmodi per Apostolicum quemcumque Vicarium sibi, ut praemittebatur, deputando, Nos laudatarum nostrarum Literarum tenore, Apostolica auctoritate, concessimus et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis Capitularibus cujusvis Cathedralis Ecclesiae, Sede vacante, inesse et de jure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario Generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum, concessimus et impertiti fuimus usum et exercitium earum facultatum, quibus utebatur et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus; iis dumtaxat exceptis, quae requirunt Ordinem, et Characterem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeret, saepedicto Vicario Generali potestatem etiam indulsimus et dedimus, consecrandi Calices, Patenas, et Altaria portatilia, cum Sacris Oleis omnino ab Episcopo benedictis.

Ampliaturque ad reliquas quascumque regiones.

§. 2. Porro, cum, sicut pariter accepimus, easdem omnino occasiones, eosdemque prorsus casus, in istis, in quibus munus vobis demandatum adimplere contenditis, regionibus accidere, atque insimul reperiri aliquibus in locis nonnullos Apostolicos Vicarios haud Episcopali titulo, et charactere insignitos, sed per Apostolicas dumtaxat Literas sive sub Plumbo, sive in simili forma Brevis expeditas, pro Vicarii Apostolici hujusmodi officio defungendo destinatos, propter quorum obitum eadem quoque momenta urgere possunt. Eapropter easdem provisiones, et facultates, ut supra expressas, et pro Indiis Orientalibus initas, et concessas, sub iisdem modo, et forma, et non aliter, extendimus ad omnes istarum regionum Apostolicos Vicarios sive titulo, et charactere Episcopali insignitos, sive Sacerdotali dumtaxat dignitate praeditos; atque hisce quidem Sacerdotibus, ita ut praemittitur, Apostolicis Vicariis, pariter injungimus et mandamus, ut unusquisque, memor resolutionis suae, teneatur deputare Pro-Vicarium, habilem tamen, atque idoneum, qui post cujusque obitum assumere debeat regimen Vicariatus Apostolici, atque in ejusdem Vicariatus munere permanere, et cum usu earum tantummodo facultatum, quibus utebatur, fruebatur, et gaudebat defunctus Vicarius, adlaborare debeat, donec et quousque novus Apostolicus Vicarius ab Apostolica hac Sancta Sede designatus, ipsius Vicariatus possessionem et regimen adierit.

Vicarii Capitularis electio ubinam, et quomodo celebranda.

§. 3. Praeterea cum compertum, exploratumque nuper fuerit, in Hibernia, Albania, Macedonia, Servia, Bulgaria, Insulis Maris Egaei, Perside, Mesopotamia (quemdamodum alibi fortasse reperiatur) reperiri aliquos Venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos locorum Ordinarios, et Residentiales, quorum aliquot quidem Capitulum Canonicorum habent, aliquot vero ejusmodi Canonicorum Capitulo destituuntur; idcirco, tenore et auctoritate paribus, statuimus, praescribimus, et mandamus, ut eveniente cujuslibet Antistitis hujusmodi obitu, statim procedatur ad electionem Vicarii Capitularis, juxta morem, usum, et consuetudinem hactenus servatam; nimirum ubi Canonicorum Capitulum fuerit, vel a Canonicis dumtaxat, si ita in more jam positum, servatumque fuit, vel a Canonicis una cum aliis Ecclesiasticis Viris, quos in casibus hujusmodi semper intervenisse, et suffragium suum in ea electione tulisse constat. Quando autem Capitulum Canonicorum non habeatur, ii Parochi sive soli, sive cum aliis Ecclesiasticis Viris, juxta modum itidem, usum, et consuetudinem de praeterito servatam, ad Vicarii Capitularis electionem habendam accedant. Sed in hisce electionibus Vicariorum Capitularium quorumcumque volumus, praecipimus, et mandamus, ut omnino serventur Constitutiones Concilii Tridentini, praesertim in Sessione vigesima quarta capite decimosexto.

Et quando Vicar. General. dece-

§. 4. Insuper volumus et mandamus, ut in iis locis, in quibus Ven. Fratres Antistites

dente Episcopo habendus Vicar. Capitul.

Ordinarii eorumdem locorum Residentiales, neque Capitulum Canonicorum, neque Parochos in suis Civitatibus, et Dioecesibus habent, sed dumtaxat Sacerdotes aliquot, et Missionarii reperiuntur, per terras, et oppida dispersi, ita ut, cum quemlibet Antistitem ejusmodi mori contingat, insimul convenire minime valeant, tunc Vicarius Generalis jam a defuncto Antistite constitutus, ipso facto intelligatur, sit, et habeatur Vicarius Capitularis, cum supra expressis facultatibus ad Vicarios Capitulares de jure spectantibus, exerceatque munus Vicarii Capitularis hujusmodi, donec, et quousque novus Antistes ab eadem Apostolica hac Sancta Sede designatus illuc advenerit, ac regimen susceperit. Verum probe intelligentes, haud facile in iisdem locis reperiri Ecclesiasticos Viros, qui sive Doctores, sive Licentiati in Jure Canonico in aliqua Studiorum Universitate fuerint, quemadmodum pro Vicariatus cujuslibet sive Capitularis, sive Generalis munere obeundo requiritur; Nos earumdem partium calamitates commiserantes, tenore et auctoritate paribus, quemcumque in Vicarium Capitularem, ut praemittitur, in casibus antedictis eligendum, dummodo ad gubernium, et regimen habilis, et idoneus fuerit, nunc pro tunc talem esse, et haberi volumus, et declaramus, perinde ac si Doctor, sive Licentiatus in Jure Canonico fuerit.

Confirmantur superius statuta.

§. 5. Decernentes easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere debere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, judicari, et definiri debere: ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat. contrariis.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et quibuscumque aliis Decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarum praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio ad quoscumque Missionarios.

Caeterum vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, iisdem quoque, quibus Indiarum Orientalium Apostolicos Vicarios prosequuti fuimus, Apostolicis verbis, et adhortationibus prosequimur. Itaque ex Apostolicae providentiae, auctoritatisque nostrae ratione, maxime ad procurandam salutem animarum consentanea, a Nobis suscepta, atque unicuique vestrum praecepta animadvertite, quanta sit Apostolici muneris unicuique vestrum injuncta cura, atque eapropter satagite, ut per assiduos labores, vigilantiam pastoralem, sollicitudinemque contendatis, ne quispiam Christi fidelium vobis commissorum, et de quibus ratio supremo Pastorum Principi aeterno Judici reddenda est, pereat; sed potius ut omnes aeternam salutem consequantur, et vobis merces vestris meritis debita a justo remuneratore Deo tribuatur. Nos interim caelestis praesidii auspicem Apostolicam Benedictionem in populos etiam vestrarum Dioecesum, vel Provinciarum redundaturam Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Exempl. fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et a Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Praefecto, et Secretario pro tempore existentibus subscriptis, et sigillo ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. 8. Augusti 1755. Pont. XV.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die VIII Augusti MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

Cajetanus Amatus.

PONTIFICIUM DECRETUM LI.

Super nullitate Matrimonii Violantis Josephae Henriquez de Almada, et Ludovici Francisci de Assis Sanches de Baena editum, Apostolica auctoritate per Literas in forma Brevis expeditas roboratur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Pro Matrimonii validitate primum fuit a Congreg. Concilii pronunciatum.

Etsi Matrimonialis Causa jam dudum inter dilectam in Christo filiam Violantem Josepham Henriquez de Almada puellam Nobilem Lisbonensem, ac dilectum filium Ludovicum Franciscum de Assis Sanches de Baena Ordinis Jesu Christi Commendatarium, super validitate, vel nullitate Matrimonii invicem, ut asserebatur, contracti vertens, non semel, sed iterum atque iterum in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum proposita, ac secundum allata, et probata rationum momenta, pro validitate fuerat resoluta, atque per Apostolicas Nostras in simili forma Brevis literas confirmata; tamen in eadem Congregatione Cardinalium die 13. currentis mensis Septembris, et anni 1755. maturiori examine, ob nova adducta documenta iterum expensa, et discussa, ita decisa fuit, quod nimirum Matrimonium hujusmodi irritum, ac nullum esset, ac foret, atque adeo dissolvendum: ea praesertim ratione, quod super impedimento duplicis quarti gradus consanguinitatis inter unam, et alterum intercedente, haud satis, atque idonee derogatum fuisset in Dispensatione impertita per Apostolicas in forma Brevis literas die 12. mensis Septembris anno 1750. datas.

Sed deinde pro Matrim. nullitate capta resolutio.

Non hinc tamen integrum erat partibus ad secunda vota transire, obstante Constitutione Pont. qua cavetur in hujusmodi causis captam resolutionem per aliam uniformem confirmandam esse. Ex peculiaribus tamen causis Decretum edidit Pontifex, quo confirmata fuit resolutio Congreg. pro nullitate Matrim. et permissum partibus ad secunda vota transire.

§. 2. Quoniam autem hujusmodi resolutio a memorata Congregatione Cardinalium super nullitate dicti Matrimonii prolata, haud satis, et sufficiens est, ut Contrahentes omnimoda libertate gaudeant, transeundi scilicet, ut dicitur, ad secunda vota; cum juxta Constitutionem Nostram, tanquam regulam, et normam in Causis Matrimonialibus rite sancteque expediendis dicendisque praescriptam, atque alias editam, et propositam, resolutio antedicta per aliam uniformem resolutionem confirmari, atque iterum in laudata Congregatione Cardinalium necessario saepedicta Causa reproponi debeat; Hinc est, quod Nos serio considerantes non minus nova Partium dispendia, quam temporis jacturam in hac Matrimoniali Causa, a tot annis agitata, satis superque inopportunam, ac perniciosam, de consilio etiam ejusdem Congregationis, postquam libellos, scripturasque pro utraque parte allatas, necnon Acta omnia hoc in gravissimo negotio confecta accurate expendimus, et examinavimus, tandem die 27. currentis mensis Septembris decretum hac super re edidimus, per quod sententiae laudatae Congregationis Concilii consentientes, declaravimus, ac statuimus, Matrimonium antedictum inter Violantem Josepham, et Ludovicum Franciscum Nobiles Lisbonenses contractum, esse, ac fore irritum, ac nullum, necnon unam, et alterum in ea quidem omnimoda libertate esse, ac fore, ad alia vota, quoties vero aliud non obstet canonicum impedimentum, libere, et licite transeundi. Quod sane decretum dilecto filio Magistro Josepho Alexandro Furietto ejusdem Congregationis Concilii Secretario tradendum mandavimus, ut inter Acta saepedictae Congregationis reponatur, ac servetur.

Apostol. auctorit. per has literas praefatum Decret. roboratur.

§. 3. Antedictum itaque Decretum nostrum quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolica etiam auctoritate tenore praesentium confirmamus, illudque inviolabili Apostolicae firmitatis robore communimus. Decernentes, Decretum praefatum, et praesentes nostras Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque Violanti Josephae, et Ludovico Francisco in omnibus, et per omnia plenissime suffragari debere; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Earumd. firmitati consulitur, sublata aliter judic. potestate.

Derogat. contrariis.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et quibuscumque aliis Decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscri-

Exempl. fides.

ptis et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Septembris 1755. Pontificatus nostri Decimosexto.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

Cajetanus Amatus.

Pontificii Decreti tenor.

Orta controversia super validitate Matrim. tum quia non fuit initum coram proprio Parocho, tum quia a Muliere fuit reintegra revocatum mandatum ad contrahendum.

Cum super Matrimonio, praevia dispensatione super impedimento quarti gradus consanguinitatis a fel. rec. Clemente PP. XII. concessa in Civitate Zamorensi contracto inter Violantem Josepham Enriquez de Almada, et Aloysium Franciscum Assis Sanchez de Baena, numquam carnali copula consummato, contentio exorta fuerit, tum quia Violantes asserebat, illud non fuisse contractum coram proprio contrahentium Parocho, tum quia comprobare nitebatur, a se integre fuisse revocatum Mandatum, quod Procuratori dederat, ut Matrimonium contraheret; controversiae definitio a Nobis commissa fuit Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum: et cum ipsi post nonnulla responsa, aperiendae veritati maximopere conducentia, binas tandem ediderint resolutiones Matrimonii validitati faventes petente praedicto Aloysio Francisco, juxta morem fuerunt eaedem confirmatae per nostras Apostolicas in forma Brevis expeditas die 8. *Julii* 1750. Judicium favorabile validitati Matrimonii bis latum, et, uti supradictum est, a Nobis confirmatum, completum, et terminatum dici poterat, ad tramites Constitutionis a Nobis editae super ordine, et forma causarum Matrimonialium, quae incipit: *Dei Miseratione*, et quae est *trigesimatertia in nostro Bullario Tom.* 1.

A Congregat. Concilii validum judicatum, et Apostol. literis hujusmodi judicium approbat.

§. 2. Sed aliter res se habuit, instaurata videlicet controversia contra validitatem Matrimonii, non ex quo contractum fuisset coram Parocho illegitimo, aut post revocatum Procurae Mandatum, sed ex alio disparato capite, uti mox exponetur. Violantes, et Aloysius Franciscus non erant conjuncti tantum tertio, et quarto consanguinitatis gradibus, sed erant conjuncti duplicibus tertio, et quarto gradibus a duplici latere provenientibus: dispensatio autem concessa a Nostro Praedecessore Clemente PP. XII. quartum tantummodo, et ad summum tertium gradum comprehendebat, nec se extendebat ad duplicem tertium, et quartum gradum. Cumque, instante Aloysio Francisco, fuerint a Nobis expeditae Literae Apostolicae in forma Brevis *die* 12. *Septembris* 1750., quarum ope duplicitatis gradus impedimentum sublatum dici poterat, sed sanatoriae gratiae concessio eo sub obtentu facta sit, quod Violantes tunc esset ignara novi impedimenti duplicitatis gradus, inter ipsam, et Aloysium intercedentis, et Violantes provinciam assumpserit comprobandi, quod tempore concessionis gratiae, et expeditionis Brevis sanatorii, ipsa erat conscia novi impedimenti, jusque suum perfecte cognoverat; ex his instaurata est controversia contra validitatem Matrimonii, non ex quo contractum fuisset coram Parocho non proprio contrahentium, vel ex quo initum fuisset post revocatum procurae mandatum, ut supra dictum est; sed ex alio disparato capite, seu fundamento, quod videlicet contractum fuisset, vigente impedimento dirimente, per Apostolicas Literas nullatenus sublato.

Instaurata controversia ex alio capite nullitatis nimirum quod impetrata a Clemente XII. dispensatio gradus non comprehend. quibus invicem contrahentes erant conjuncti.

Delata iteratoque quaestio ad Congreg. Concilii, ea tamen lege, ut de nova solummodo controversia cognosceret.

§. 3. Delata ad Nos novae praetensionis notitia, ejus definitio eidem memoratae Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum fuit a Nobis commissa, ea tamen adjecta conditione, ut de validitate, aut nullitate Matrimonii cognoscerent, habita tantum ratione sufficientiae, aut insufficientiae derogationis obtentae super impedimento gradus, nec ulla habita consideratione aliarum rationum, ob quas praecedenter, et in praeteritis causae propositionibus, promota fuerat instantia pro nullitate Matrimonii. Ad tramites impositae legis examen assumptum est, adhibitisque opportunis diligentiis, communibus tandem suffragiis edita est resolutio contra validitatem, et pro nullitate Matrimonii; Defensore Matrimonii ad tramites Nostrae Constitutionis constituto, suo munere, de more, egregie tum voce, tum scriptis functo; exhibito tantum in postrema Causae propositione ab Aloysio Francisco supplici libello, in quo se, et jura sui Matrimonii judicio Congregationis submittere professus est.

Pro nullitate Matrimonii prodit responsum.

Altera superaccedere debuisset resolutio praeced. conform. juxta leg. a

§. 4. Unica resolutio favens nullitati Matrimonii, juxta memoratam Nostram Constitutionem, non sufficit, ut judicium absolutum dici possit, cum altera resolutio praecedenti

Pont. traditam in sua Constitutione.

conformis accedere debeat. Pro totius ergo negotii finali absolutione, necessarium fuisset, ut Causa iterum in Congregatione proponeretur, et alia ederetur resolutio praecedenti conformis: sed, cum id fieri nullatenus posset, absque novis expensis, et longioris temporis mora, maximopere inopportuna in causa Matrimoniali a longo tempore introducta; non obstante gravi aetate, in qua sumus constituti, neque pariter obstantibus molestis negotiis, quibus quotidie vexamur, et opprimimur, inhaerentes etiam insinuationi praedictorum Cardinalium, qui in Congregatione uniformibus suffragiis censuerant Matrimonium fuisse nullum, quique expediens futurum esse duxerunt, ut posthabita nova propositione in Congregatione, Nos ipsi rem totam perpenderemus; laborem assumpsimus scripturas Congregationi exhibitas perlegendi, et omnia, et singula, quae a scribentibus fuerant deducta, ponderandi, ut, quatenus judicium Nostrum conforme fuisset resolutioni Congregationis, superabundanter dici possent adimpleta, quae a Nobis in Constitutione Nostra statuta sunt, et quatenus difforme fuisset, nulla amplius superesset de validitate Matrimonii dubitatio.

Ex peculiaribus tamen circumstantiis controversiae cognition. ipse Pont. assumpsit.

Tria quaestionis capita exponuntur.

§. 5. Tria sunt, de quibus actum est in Causae discussione. Primum est, an pro validitate Matrimonii necessaria fuerit dispensatio a Nobis concessa, permittens, ut, non obstante impedimento duplicis gradus, Matrimonium contrahi posset, vel potius sufficiens fuisset praecedens dispensatio a Nostro Praedecessore concessa, quae impedimentum sustulit tertii, et quarti gradus. Secundum, an dispensatio a Nobis concessa, eo sub praesupposito facta sit, quod tempore concessionis Violantes ignoraret impedimentum duplicitatis gradus. Tertium, an tempore expeditionis novi Brevis, Violantes ignoraret, seu potius conscia esset impedimenti duplicitatis gradus. Ex horum quippe dubiorum resolutione, prout uno, vel altero modo fieri contingat, judicium pendet validitatis, aut invaliditatis Matrimonii contracti.

De primo capite agitur. Communior est Doctorum Sententiae, ut impedimentum ex duplicitate gradus derivans ad obtinendam dispensationem exponatur.

§. 6. Ducto autem initio a primi examine puncti, cum in Tribunalibus, et communiori calculo a scribentibus ea opinio recepta sit, quae pro validitate dispensationis, et consequenter Matrimonii, quod dependenter ab ea contrahitur, requirit, ut conjunctio proveniens ex duplicitate gradus exponatur, et quod eidem derogetur, seu quod, ea minime obstante, permittatur, ut conjuncti duplici consanguinitatis gradu Matrimonium inter se contrahere possint; suo marte sequitur, pro validitate Matrimonii fuisse necessariam novi Brevis expeditionem, per quam impedimentum duplicis consanguinitatis gradus de medio tolleretur, nec sufficere potuisse primum Breve derogans impedimento quarti, seu tertii, et quarti, gradus. Hoc quippe Breve sufficiens fuisset, si Violantes, et Aloysius Franciscus fuissent conjuncti simplici tertio, et quarto gradu, juxta Constitutionem sanctae memoriae Pii V. 23. *Bullarii tom.* 2. ubi, excepto casu, quod vir, et mulier primum consanguinitatis, seu affinitatis gradum attingerent, in quo protestatus est, se nolle dispensare, quoad reliquos gradus decrevit, pro validitate dispensationis satis esse expressionem remotioris gradus, obtentis postea super propinquiore literis declaratoriis. Juxta quoque communem Doctorum sententiam in Tribunalibus receptam, illicitum tantum est, sed non invalidum Matrimonium, quod contrahitur ope dispensationis obtentae super quarto gradu, nulla tertii gradus facta mentione, et antequam literae declaratoriae praescriptae a S. Pio V. fuerint obtentae: prout, dum in minoribus Secretarii Concilii munere fungeremur, fuse a Nobis comprobatum est, et a Congregatione admissum in discussione Causae *Luceorien. Nullitatis Matrimonii*, quae fuit proposita, et resoluta *die* 18. *Martii* 1722. ut videri potest *Tom.* 2. *Thesauri Resolutionum* praedictae Congregationis, ubi noster discursus una cum Resolutione typis editus est. Sed, cum praedicta omnia sibi vindicent locum in simplicis impedimento tertii, et quarti gradus, et non in impedimento duplicis consanguinitatis gradus; nemo est, qui non videat, pro validitate Matrimonii, de quo nunc agitur, nullatenus fuisse sufficientem Dispensationem a Nostro Praedecessore concessam, quae tertii, et quarti gradus impedimentum sustulit, sed aliam pro dicta validitate fuisse necessariam, cujus ope duplex ex duplicitate gradus impedimentum derivans de medio tolleretur.

Nunc verum est, non de tertio et quarto, sed de duplici consanguinitatis gradu.

Itaque definitur novam dispensationem fuisse necessariam.

§. 7. Admissa necessitate expeditionis novi Brevis, et admissa primi insufficientia pro validitate Matrimonii, sequitur, ut videatur, an secundi Brevis facta fuerit concessio eo sub praesupposito, quod tunc Violantes ignoraret impedimentum duplicitatis gradus. At, si Aloysius Franciscus exorans pro concessione novi

Secund. controversiae caput examinatur.

Brevis, ut remanere posset in Matrimonio, non obstante impedimento duplicitatis gradus, exposuit, se timere, ne scandala orirentur, si hujus novi impedimenti notitia ad Violantem deveniret; si cohaerenter ad haec facta fuit concessio Brevis, exclusa necessitate novi consensus a Violante praestandi, vel quod ipsa de novo impedimento certior fieret, ut ex lectura Brevis plane dignoscitur; ex his evidenter desumitur, novae gratiae concessionem emanasse eo sub praesupposito, quod Violantes tempore concessionis ignoraret impedimentum descendens ex duplicitate gradus: et eo fortius, cum in eodem Brevi legatur, gratiam debere in suo robore permanere, si post ejus concessionem notitia impedimenti ad Violantem devenisset, quae circumstantia evidenter evincit, comprobatque, gratiam fuisse eo sub praesupposito concessam. Porro gratia concessa importat dispensationem in radice Matrimonii, quae a Romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento Matrimonii, ortum habente, non a Jure Divino, aut naturali, sed a Jure Ecclesiastico, et per eam non fit, ut Matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso Matrimonii contrahendi actu, producti fuerunt: de quibus omnibus a Nobis fuse actum est, dum in minoribus Secretarii Congregationis Concilii munere fungeremur in Causa *Pragen. Matrimonii*, quae fuit proposita *die* 13. *Junii* 1720., 16. *Januarii* 1723., 28. *Augusti ejusdem anni*, et tandem resoluta die 18. *sequentis Septembris*, uti videri potest *tom.* 1. *et* 2. *Thesauri Resolutionum* dictae Congregationis, ubi typis edita inveniuntur ea omnia, quae tunc a Nobis deducta fuerunt. Cumque solius Romani Pontificis sit, non solum dispensationes in radice Matrimonii indulgere, sed etiam conditiones statuere pro validitate gratiae adimplendas; in ea, de qua nunc agitur, ea quodammodo statuta dici potest conditio, quod, tempore concessionis Violantes novum impedimentum ignoraret, ne ipsa contradicente, et obnitente, prout contigisset, si impedimentum scivisset, concessa dispensatio diceretur: in hoc quippe rerum themate factum est, atque concessum, quidquid fieri, aut concedi poterat, ut Matrimonium, cujus validitas fuerat approbata, persisteret; nec mulieri sublata est facultas impugnandi ex novo capite validitatem, si novi impedimenti notitiam, tempore concessionis gratiae, novaeque dispensationis, habuisset, nulla habita consideratione notitiae supervenientis post concessionem Brevis; ea quippe superveniens, superveniret post sublatum ope novae dispensationis duplicitatis gradus impedimentum.

Tertium caput expenditur; et probatur, mulierem scivisse novum impedim. tempore concessionis gratiae

§. 8. Post haec nihil aliud remanet, quam, ut videatur, an tempore concessionis gratiae Violantes haberet notitiam novi impedimenti. Cumque ex documentis, et testibus quacumque exceptione majoribus demonstratum sit, quod Violantes impedimenti notitiam, ante concessionem, et tempore concessionis gratiae, habuerat et habebat, et omnia parabat necessaria pro instauranda controversia super nullitate Matrimonii in vim novi impedimenti, cui in primo Brevi non fuerat derogatum; nedum approbamus Congregationis Concilii judicium ultimo loco prolatum pro nullitate Matrimonii, sed hoc nostro Decreto inter acta Congregationis Concilii asservando, et per Literas Apostolicas in forma Brevis etiam corroborando, dicimus, et pronunciamus, Matrimonium contractum inter Violantem Josepham Enriquez de Almada, et Aloysium Franciscum Sanchez de Baena, nullitatis vitio laborare, et quatenus aliud Canonicum non obstet impedimentum, posse utrumque ad alia vota transire.

Judicium itaque Congreg. pro nullitate Matrimonii approbatur, et transitus ad secunda vota permittitur.

Datum apud S. Mariam Majorem die 27. Septembris 1755.

Dat. 27. Septemb. 1755.

BENEDICTUS PAPA XIV.

QUÆ, ET QUALIS LII.

Conveniat exemptio ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione Hospitali S. Angeli a Nido nuncupat. ejusdemque Ecclesiae, et personis, decernitur et declaratur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Praeclarum semper fuit, ac laudabile, opportuno consilio adversus ea occurrere, quae Di-

Proem. Pont. studium in componendis

inter Personas Eccles. controversis

vinum cultum imminuere, bonumque publicum perturbare videntur, eas praesertim controversias Apostolica auctoritate dirimendo, quae animorum dissensionem in rebus Ecclesiasticis foventes, mutuam caritatem labefactant, et quasi fontes sunt aliorum innumerabilium malorum. Quamobrem saepe Nos Praedecessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, quamquam gravissimis aliis curis, quae ab Apostolico ministerio disjungi nequeunt, assidue implicati sumus, haud tamen praetermisimus causas dissensionum hujusmodi ad Nos avocare, illas diligenter examinare, nostrisque oculis perscrutari, ac cognoscere. Quos quidem conatus, laboresque Nostros, qui verae solidaeque pacis auctor est Deus, pro sua in Nos immensa benignitate approbare et benedicere dignatus est, nam inter illas, vel Ecclesias, vel personas, ad quas Decreta Nostra direximus, insperatam ante concordiam, non sine magno Nostro, ipsarumque partium gaudio, vidimus plenissime restitutam.

Vetustissimae controversiae inter Archiepisc. Neapolit. et Deputatos Sedilis a Nido.

§. 2. Porro ejusmodi conditionis ac naturae, cum adhuc in minoribus versaremur, eam controversiam existimavimus, quae saepius excitata est inter Deputatos Sedilis, quod a Nido appellant, et Archiepiscopos pro tempore Ecclesiae Neapolitanae; eo quod in varios diversosque sensus distraherentur, tum Literae quaedam Apostolicae felicis recordationis Praedecessoris Nostri Martini Papae V. die 24. Aprilis anno 1426., seu veriori tempore, datae ad bonae memoriae Raynaldum S. R. E. Cardinalem Brancaccium nuncupatum, quum hic Hospitale S. Angeli a Nido in Civitate Neapolis tunc temporis pene dirutum a fundamentis restituere, novaque dote, ex bonis sibi a Deo collatis, ditare proposuisset: tum nonnulla pro ipsius Hospitalis administratione non ita multo post ab eodem Cardinali Apostolica auctoritate statuta die 11. Martii 1427. tum demum aliud Apostolicum Breve similis recordationis Praedecessoris pariter Nostri Pauli Papae III. expeditum ex officio Cardinalis Poenitentiarii. Itaque quum dissensiones istae nec longi temporis diuturnitate molliri, nec decretis seu resolutionibus Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum extingui potuerint; quin potius novissimis temporibus magis magisque visae fuerint recrudescere, eo quod reperta dicebantur vetusta quaedam documenta, quae vel incognita prius erant, vel non satis probata: propterea, quum primum Dilectum Filium Nostrum Antoninum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sersalium nuncupatum, modernum ex concessione et dispensatione Apostolica Neapolitanae Archiepiscopalis Ecclesiae Praesulem, et coram, et per literas, proclivem propensumque deprehendimus ad ea probanda, atque amplectenda, quae a Nobis in gravi hoc negotio decernerentur, et ex corde cupere, ut finis aliquando tot litibus imponeretur, quas Archiepiscopi Praedecessores non alio sustinuerant animo, nisi ut ipsis vitio verti non posset, quod jura Ecclesiae suae indefensa reliquissent: haec omnia statim Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo utriusque Siciliae Regi Illustri denunciavimus; qui non modo propositum Nostrum commendavit, sed etiam pietate, qua praeditus est, maxima, studioque Religionis incensus, magnopere Nos impulit, ut illud quamprimum executioni mandaremus.

Unde primum exortae.

Frustra ad easdem eradicandas hactenus adlaboratum.

Has omn ad se avoc supprimitq Poet.

§. 3. Quare Causam et litem, quae inter Cardinalem Archiepiscopum ex una parte, et ab alia inter Sacristam seu Rectorem Hospitalis et Ecclesiae SS. Angeli et Andreae a Nido, ac illius Gubernatores in Urbe Neapolis (cujus quidem litis verum statum hic pro expresso haberi volumus) cum omnibus et singulis incidentibus, et emergentibus, annexis, et connexis, rebusque aliis tam deductis, quam non deductis, a quocumque Judice, Tribunali, et Congregatione, et praesertim a praelaudata Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad Nos ipsos avocantes, eamque omnino supprimentes, et extinguentes; motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra, ac de plenitudine Apostolicae Auctoritatis declaramus, atque decernimus virtute dictarum literarum in limine fundationis, seu reaedificationis concessarum a Martino V. Praedecessore Nostro, ad supplicationem dicti Raynaldi Cardinalis Brancacci, nec non aliarum Pauli III. similiter Praedecessoris, dictorumque Statutorum, sive Ordinationum ejusdem Cardinalis Brancacci.

Per oppor tunas Lite rarum Apo stolicar. Statut. Ho spital. hic su bjectas decla rationes.

Exempt. Ho spital. ejus demque Ec cl. Orator honorum etc ab ordinari et Deleg. Ar chiep. juris dictione.

§. 4. In primis Hospitale S. Angeli a Nido, ejusque Ecclesiam exteriorem, nec non Oratorium, seu Cappellam interiorem, bona, reditus, jura, et pertinentias cujusvis generis universas, fuisse, et esse pleno jure exempta a quocumque dominio, visitatione, potestate, et jurisdictione tam Ordinaria, quam delegata

Archiepiscopi pro tempore Civitatis Neapolis, nobisque, et Sedi Apostolicae immediatae subjecta.

Duorum virorum Electio, eorumque in administrandis additibus auctoritas.

§. 5. Rursus et secundo loco: Ad universitatem Nobilium memorati Sedilis a Nido spectare et pertinere jus eligendi quolibet anno duos ex eorum gremio Nobiles Viros, quorum unus sit semper de Domo de Brancaccis; hisque duobus, ut praefertur, electis competere jus, et potestatem omnes fructus, redditus, et proventus, obventiones, et legata ad dictum Hospitale, Ecclesiam, et Cappellam quovis modo pertinentia, et quae pertinebunt in posterum exigendi, petendi, recipiendi, et de receptis quietandi; necnon recepta pro commodo, et utilitate dictorum Hospitalis, Ecclesiae, et Cappellae, ac Ministrorum illis inservientium expendendi, et dispensandi, prout ipsis videbitur expedire, et necesse erit, in quocumque judicio agendi, experiendi, respondendi, et prosequendi.

Eorum est eligere Sacristam seu Rectorem Hospitalis.

§. 6. Praedictos duos Nobiles, ut supra electos, et in posterum eligendos habere insuper jus et potestatem deputandi atque eligendi in Sacristam, seu Rectorem Hospitalis, et Ecclesiae, unum Clericum, seu Presbyterum, ad nutum, et voluntatem ipsorum quandocumque amovibilem qui tamen tempore ipso deputationis hujusmodi sit, ac reperiatur ab Ordinario suo rite, et canonice ordinatus, consuetisque literis testimonialibus super vita, et honestate ab ipso suo Ordinario debite ac de recenti munitus.

Nec non viginti quatuor tantum Clericos, seu Presbyteros idem inservientes.

§. 7. Item dictos duos Nobiles habere jus, et potestatem eligendi, ultra memoratum Sacristam, seu Rectorem, alios viginti quatuor, sed non ultra, Clericos, vel etiam Presbyteros pro servitio ipsius Hospitalis, ejusque Ecclesiae, et Oratorii, nec non pro cura, et custodia Bibliothecae, ad ipsorum nutum et voluntatem quandocumque similiter amovibiles: dummodo tamen sint, et unusquisque eorum sit ab Ordinario suo, ut supra rite, et canonice ordinatus, ejusque literis testimonialibus de recenti munitus; et quatenus eligantur Presbyteri, dummodo isti, et unusquisque eorum habeat a Curia Archiepiscopali licentiam, quae nondum expiraverit, celebrandi in Civitate, et Dioecesi.

Itidemque sexdecim Ministr.

§. 8. Habere etiam dictos duos Nobiles jus, et potestatem eligendi ad eorum nutum, et voluntatem, quandocumque amovibiles, et cum assignatione congrui Salarii sexdecim, et non ultra, Ministros Laicos, pro servitio Infirmorum, curaque et custodia Hospitalis, Ecclesiae, et Bibliothecae prout ipsi duo Nobiles, et Sacrista, seu Rector ordinaverint.

Laicos, omnes ad nutum amovibiles.

§. 9. Praeterea dictos duos Nobiles esse et intelligendos esse, quoad administrationem ipsis incumbentem, liberos totaliter et exemptos a quacumque visitatione, correctione et jurisdictione tam Ordinaria, quam delegata Archiepiscopi; itaut ipsis Archiepiscopo neque de bonis, et redditibus Hospitalis per eos administratis, neque de legatis Hospitali relictis, aut in posterum relinquendis, etiam cum onere Missarum, rationem ullam reddere vel exhibere teneantur; sed solum, finito anno, teneantur de receptis, et expositis, ac gestis, et administratis, rationem et computum suis successoribus reddere, ac eis, quod superest, assignare; et si aliquid mali gesserint, aut administraverint, vel aliqua inter eos discordia orta fuerit, declaramus atque decernimus, spectare ad Universitatem Nobilium dicti Sedilis, vel ad quinque Nobiles per illam deputandos, jus et potestatem eos coercendi, et compellendi ad debitam satisfactionem absque ulla ingerentia Archiepiscopi, salva dumtaxat, ut infra, auctoritate Sedis Apostolicae.

Duorum virorum exemptio a quacumque jurisdictione Archiep. quoad gestam administrationem.

Similis exemptio Sacristiae seu Rectoris actu inservientis.

§. 10. Item declaramus, atque decernimus Sacristam, seu Rectorem Hospitalis a duobus Nobilibus, ut supra electum, toto tempore, quo in hujusmodi Officio permanserit, esse atque intelligendum esse totaliter exemptum a quacumque visitatione, et jurisdictione tam Ordinaria, quam Delegata Archiepiscopi, Nobisque, et Sedi Apostolicae immediate subjectum.

Itidemque et 24 Clericor. seu Sacerdotum, aliorumque 16. Ministr.

§. 11. Item esse similiter exemptos a quacumque visitatione, et jurisdictione tam Ordinaria, quam Delegata Archiepiscopi, praedictos vigintiquatuor Clericos, seu etiam Presbyteros, nec non dictos alios sexdecim Ministros Laicos, qui a memoratis duobus Nobilibus, ut supra, electi fuerint pro servitio Ecclesiae, Hospitalis, et Bibliothecae pro toto tempore, quo unusquisque ipsorum in Officio sibi assignato permanserit; ita quod Archiepiscopus ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam possit in eorum personas, et bona jurisdictionem, potestatem, visitationem, seu domi-

nium, nec jure Ordinario, nec jure Delegato, exercere, vel ab ipsis computum, seu rationem exigere.

Praefati Clerici seu Presbyteri, Laicique Ministri quandonam expressa exemptione gaudere incipiant.

§. 12. Utque hac in parte omnis in posterum, circa numerum, et personas exemptorum, turbarum occasio praeventive submoveatur, Sacristae seu Rectori Hospitalis pro tempore existenti districte injungimus, ut Syllabum seu Rotulum diligenter conficere, et quoties propter mutationem personarum opus fuerit, renovare itidem teneatur, in quo scripta sint nomina et cognomina singulorum vigintiquatuor Ecclesiasticorum, et sexdecim Laicorum praedictorum, ipsumque Rotulum propria manu subscriptum, et sigillo Hospitalis munitum Nuntio Apostolico Neapoli residenti, ut eum pro notitia ad Archiepiscopum transmittere possit, tradere, et consignare debeat: ita ut nemo ex praedictis Ecclesiasticis, et Laicis, utcumque electis, et deputatis a dictis duobus Nobilibus, exemptione aliqua nisi post hujusmodi consignationem gaudere, et multo minus aliquis sive Clericus, sive Presbyter, qui infra praefixum numerum dictorum vigintiquatuor, in Rotulo, ut supra consignato, descriptus non reperiatur, exemptionem aliquam allegare possit; vel intuitu alicujus Cappellaniae, vel ex quo pro sua devotione, aut recepta etiam consueta eleemosyna, vel denique ex alio quovis titulo, seu praetextu, ad Ecclesiam exteriorem Hospitalis sive ad Oratorium, et Cappellam interiorem, accesserit, aut accedat pro celebrandis inibi Missis, aut aliis Divinis Officiis peragendis. Hos enim omnes, tanquam nullo pacto exemptos, volumus, atque decernimus, ut ne quidem ad celebrandas Missas in Ecclesia, seu Oratorio admittantur, nisi exhibita Sacristae seu Rectori consueta licentia Curiae Archiepiscopalis celebrandi in Civitate et Dioecesi, quae nondum expiravit.

Iidem omnes Rectoris jurisdict subjiciuntur.

§. 13. Declaramus itidem, atque decernimus, Rectorem, seu Sacristam Hospitalis a duobus Nobilibus, ut supra, electum, toto tempore quo in hujusmodi Officio duraverit, habere potestatem et jurisdictionem super dictos vigintiquatuor Clericos, seu Presbyteros, nec non super dictos sexdecim Laicos Ecclesiae, Hospitali, et Bibliothecae additos, eisque respective inservientes, postquam tamen in Rotulo, ut supra, consignato descripti fuerint, et non prius; ipsosque corrigendi, puniendi, excommunicandi, et omnem jurisdictionem Ecclesiasticam in eos exercendi, quotiescumque contingat, ipsos in delictum, seu crimen aliquod incidere.

Rectoris aliorumque Sacerdotum facultas in audiendis Confessionib. caeterisque Sacram. ministrandi.

§. 14. Item declaramus, atque decernimus Sacristam, seu Rectorem, et alios vigintiquatuor Ecclesiasticos in Rotulo descriptos, si Presbyteri fuerint, posse suas invicem, atque Infirmorum ibidem decumbentium, nec non etiam dictorum sexdecim Ministrorum Laicorum Sacramentales Confessiones audire, et Sacram Eucharistiam, atque Oleum Sanctum in ipso Hospitali, et respective in ejus Oratorio, vel Ecclesia eisdem ministrare, atque alia facere, quae circa haec necessaria fuerint, et opportuna: dummodo tamen ab Archiepiscopo approbati fuerint, vel generaliter ad Confessiones audiendas in Civitate, et Dioecesi, vel etiam in genere pro Hospitalibus; et dummodo insuper Oleum Sanctum infirmorum per eos quotannis accipiatur, consueto ritu, et tempore, ab Ecclesia Cathedrali Metropolitana, quemadmodum illud accipiunt, et accipere tenentur Regulares, et caeteri exempti.

Accedere non tenentur ad Processiones ab Archiepisc. quocumque jure indictas.

§. 15. Item Rectorem seu Sacristam praefatum, nec non dictos alios vigintiquatuor Clericos Presbyteros, Hospitali, ut supra, addictos, non teneri accedere neque ad Synodum, neque ad publicas et generales Processiones, aut alias quasvis functiones Ecclesiasticas, ab Archiepiscopis pro tempore jure Ordinario, sive etiam Delegato indicendas; et quatenus ipsi Processionem aliquam facere velint, posse eas facere, dummodo faciant tempore diverso ab illis indictis ab Archiepiscopo, easque ducant prope muros Ecclesiae, exterioris dumtaxat. In ea vero Processione, quam Sacrista, et Presbyteri Hospitalis facere solent die Festo S. Candidae, ad effectum accipiendi illius Imaginem sive statuam ab Ecclesia Metropolitana, declaramus atque decernimus, teneri eos observare Ordinem et formam, quam caeteri omnes observant, quando ob eamdem causam accipiendi statuas suorum Patronorum accedunt ad ipsam Ecclesiam Metropolitanam.

Suas ipsi Processiones an, et quomodo ducere debeant.

Indulg. publicare, dimissorias concedere, aliaque id genus attentare prohibentur.

§. 16. Item declaramus, atque decernimus, Sacristiae, seu Rectori Hospitalis nullo pacto licere, et multo minus alicui ex dictis vigintiquatuor Ecclesiasticis, Indulgentias, seu Jubilaeum publicare, aut literas dimissorias ad Ordines alicui, etiam ex ipsis vigintiquatuor, concedere, aut publicare Monitoria pro rebus subtractis, aut deperditis, aut reos extrahere

ab eorum Ecclesia, et Hospitali, aut vestibus, vel insignibus Praelatitiis inter ipsam Ecclesiam, et Hospitale, et multo minus extra illa, uti, et generaliter nullam aliam sibi assumere facultatem, praeter eas, quae in hisce nostris literis exprimuntur.

Rectoris facultas exercitia spiritualia exhibendi.

§. 17. Eidem tamen Sacristae, seu Rectori de benignitate Apostolica concedimus, ut per se, vel per alium exercitia spiritualia semel in anno, sed clausis januis intra Ecclesiam sive Oratorium Hospitalis, iis dumtaxat, qui exemptione, ut supra, gaudere debent, libere, et licite praebere possit, cum scientia tamen, atque intelligentia Nuntii Apostolici Neapoli residentis: alio vero quovis tempore, casu, et occasione, nolumus omnino, quod intra Ecclesiam, Oratorium, aut Hospitale praedictum, sive publice, sive privatim conciones habeantur, aut quod non exempti ad praedicta exercitia spiritualia ullo umquam tempore admittantur, non obtenta prius, et qualibet vice licentia in scriptis ab Archiepiscopo.

Limitata facultas exponendi semel in mense Sanctissimum Sacrament. irrequisito Arch.

§. 18. Ad haec eidem Hospitali de Apostolica benignitate similiter concedimus, ut semel in quolibet mense, idest prima die Dominica horis Vespertinis, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ejus Ecclesia exteriori, absque alia Archiepiscopi licentia publicae adorationi exponi possit, servatis tamen legibus, et regulis ab Archiepiscopo praescriptis pro expositionibus hujusmodi rite peragendis in aliis Civitatis Ecclesiis; et quatenus alio quocumque die, praeter diem ut supra praestitutum, Sanctissimum Sacramentum exponi velit, eo casu licentia in scriptis ab Archiepiscopo qualibet vice obtineri debeat.

Justissima praeservatio revcrentiae et obsequii Archiep. ab omnibus, etiam exemptis, ubique exhibendi.

§. 19. Ulterius declaramus, atque decernimus exemptionem, qua supra fruuntur, et gaudent, fruique et gaudere debent vigore dictarum literarum Apostolicarum Martini V. et Pauli III. nec non Ordinationum, seu Statutorum praefati Cardinalis Brancacci, Hospitale ejusque Ecclesia exterior, et Cappella interior, duo Nobiles Deputati, Sacrista seu Rector, nec non alii vigintiquatuor Clerici, seu Presbyteri, et sexdecim Ministri laici in Rotulo, ut praefertur, describendi, a quacumque jurisdictione tam ordinaria, quam delegata, visitatione, potestate, et dominio Archiepiscopi, intelligendam semper esse, salva reverentia eidem Archiepiscopo de jure debita ab omnibus, et quibuscumque exemptis, non solum extra, sed etiam intra ipsum Hospitale, ejusque Ecclesiam, atque Oratorium.

Recensitae omnes personae ut supra exemptae declarantur immediate subjectae S. Sedis auctoritati et jurisdictioni.

§. 20. Ac tandem declaramus, atque decernimus dictam exemptionem, et respective jurisdictionem, quam superius competere diximus Sacristae, seu Rectori in dictos viginti-quatuor Clericos, seu Presbyteros, et alio sexdecim Laicos, puniendi, excommunicandi, et corrigendi; necnon facultatem eidem Sacristae, dictisque aliis Presbyteris attributam, excipiendi Confessiones Sacramentales ipsorum Exemptorum, atque infirmorum in dicto Hospitali decumbentium, prout etiam administrandi iisdem infirmis alia Sacramenta Sanctissimae Eucharistiae, et Extremae Unctionis, ac praebendi, ut supra, semel in anno januis clausis Exercitia Spiritualia, atque exponendi semel in mense praelaudatum Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, intelligi semper debere, salva in omnibus nostra, et Sedis Apostolicae Auctoritate, cui, vigore ipsarum literarum Martini, et Pauli Praedecessorum nostrorum, atque Ordinationum Cardinalis Brancacci, Hospitale ipsum cum suis personis, et bonis immediate subjectum est. Volumus propterea, ut Nuntio Apostolico in Civitate Neapolis residente, tanquam speciali Delegato ejusdem Sanctae Sedis, quandocumque liceat, et quoties ei opportunum videbitur ipsum Hospitale, Oratorium, et Ecclesiam, ejusque Sacristam, seu Rectorem, aliosque tam Clericos, vel Presbyteros, quam Laicos a jurisdictione Archiepiscopi tam ordinaria, quam delegata, ut praefertur, exemptos, in iis, quae respiciunt divinum cultum, morum, vitaeque honestatem, et administrationem praedictorum Sacramentorum, ac doctrinae in Exercitiis Spiritualibus exponendae puritatem, et generaliter quoad omnia spiritualia, visitare, corrigere, et punire et in eos quoscumque jurisdictionis actus exercere, quos nomine Sanctae Sedis exercet, atque exercere potest, ac debet in alios hujusmodi, qui in limine fundationis a potestate et jurisdictione suorum Ordinariorum exempti fuerunt, et Sedi Apostolicae immediate subjecti. Et haec omnia cum expressa declaratione, quod ea, quae pro bono pacis et ad extinguendas tot lites, quae non sine magna Civitatis perturbatione hactenus exarserant, huic Hospitali S. Angeli a Nido, ut praefertur concessa et declarata fuerunt, ab aliis Civitatis Hospitalibus nullo pacto in Exemplum trahi possint.

Quae existenti pro tempore Apostol. Nuncio in Civitate Neapolis delegatur exercend.

Amplissimae clausulae et decreta in praemissorum firmitatem.

§. 21. Decernentes quoque has Nostras literas et in eis contenta, et decreta hujusmodi etiam ex eo quod quicumque in praemissis, vel illorum aliquo quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, aut ex quibusvis aliis causis, occasionibus, vel praetextibus, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut alias infringi, suspendi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse: easque omnino sub quibusvis contrariis Constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus generalibus vel specialibus, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac alias quandocumque, et quibusvis de causis pro tempore factis, et faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas ac de novo concessas, semperque et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari debere.

Aliter judicandi adempta facultas.

§. 22. Sicque, et non alias per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos quavis auctoritate, et potestate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Efficacissima contrarior. derogatio.

§. 23. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, etiam de jure quaesito non tollendo, et praedictis Martini V. et Pauli III., aliisque Apostolicis quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, ac in Synodalibus, Provincialibus, et universalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quibusvis praedictae Concilii Tridentini Interpretum, et aliarum ejusdem S. R. E. Cardinalium Congregationum decretis, seu resolutionibus, Apostolica etiam auctoritate confirmatis, ac quibusvis actibus in contrarium praemissorum omnium, aut singulorum antiquitus, aut nuper factis, et iteratis, seu pluries et saepe repetitis, nec non dicti Hospitalis, illiusque Ecclesiae, et Domus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; praemissis quoque, aliisque privilegiis, indultis, et literis Apostolicis, eisdem Hospitali, et Ecclesiae, ac Domui, illiusque Gubernatoribus, seu Deputatis praedictis, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores praedictos, et Sedem Apostolicam, vel alios quoscumque quacumque dignitate ac auctoritate fulgentes sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata inserti forent; praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis, et executionis, ac observantiae omnium et singulorum praemissorum, hac vice tantum harum serie derogamus: illasque et illa juxta omnia et singula praemissa modificamus, limitamus, et reducimus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 24. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrae avocationis, suspensionis, extinctionis, declarationis, concessionis, decreti, derogationis, modificationis, limitationis, et reductionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 4. Octobris 1755 Pont. 16.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto,

quarto nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Sextodecimo.

J. Card. Pro-Datarius.

D. Cardinalis Passioneus.

Visa De Curia

J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

LIII. CELEBRATIO TRIUM

Missarum Natalitio Christi die praecipuus Latinae Ecclesiae Ritus demonstratur: ideoque universim ab Orientalibus, praesertim vero ab Armenis Liburno in Portu commorantibus non usurpandus.

Ven. Fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodien. Congregationis Propagandae Fidei Secretario.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Conscribendae Epistolae occasio recensetur.

In superiori ante proximum ad Nos habito accessu, retulisti, Te in suspicionem adductum, Sacerdotes Armenos Liburno in Portu commorantes Sacro Natali Domini die tres unumquemque Missas in nationis suae templo celebrare, non praetermisisse opportunas ad Pisanum Archiepiscopum dare literas, ut certior fieres, num res, prout ferebatur, se haberet, et si ita quidem, ex quo tempore invaluerit usus, tria designato die offerendi Sacrificia; tibique fuisse a memorato Praesule rescriptum, offerri ab Armenis Sacerdotibus in Liburnensi suae gentis Ecclesia tres Missas Natalitio Christi die, idque in usu primum ea in Ecclasia fuisse positum a duobus Missionariis Parochis sub annum 1725., exindeque semper rem eodem modo transactam; ac insuper ejus gentis homines referre, multos per Orientem Sacerdotes Armenos Catholicos, ejusdemque Ritus Missionarios Sancto Natalis Christi die tres Missas singulos celebrare; a quibus porro omnibus, nostra ipse expetebas jussa, de relinquenda, vel interdicenda trium Sacrorum oblatione, ab Armenis Sacerdotibus, Natalitio Christi die, Liburni in gentis suae Ecclesia, fieri solita.

Latinae Ecclesiae Ritus est praecipuus, ut singuli Sacerdotes tres Missas offerant Natalitio Christi die.

§. 2. Pervetustus est, atque universim in Latinam Ecclesiam receptus Ritus trini Sacrificii per unumquemque Sacerdotem Natalitio Christi die offerendi; verum apud Orientalem Ecclesiam nullum extat praefati Ritus vestigium; ne verbum quippe de eo in Liturgiis Graeco Arabicis Melchitarum, Syriacis, Chaldeisque, neque etiam in reliquis Cophtorum, Armenorum, Graecorum, atque Ruthenorum, qui Graecos sibi ritus adscivere. Patres Basiliani Cryptae Ferratae, etsi Latinos aliquot Ritus amplexi sint, tres tamen Missas Natalis Domini die nec in memorato Monasterio, nec alibi celebrare consueverunt. Et in ipsa Provinciali Synodo habita sub annum 1736. in Monte Libano, cui praefuit Joseph Simonius Assemanus Praesul, qui jussu Clementis XII. Praedecessoris nostri eo profectus, imposito sibi muneri cumulate satisfecit, haec leguntur *cap.* 13. *de sacrosancto Missae Sacrificio: Privilegium autem, quod Latini Presbyteri habent in Natali Domini ter Missas celebrandi, ad nostros Sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus, et statuimus: non quod morem illum Sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris, ac magistrae condemnemus: absit hoc a nobis, qui filii illius obsequentissimi sumus; sed quia veterem nostrum ritum servari volumus.*

Ideoque Orientali Ecclesia eo uti non potest.

§. 3. Haec Synodus, praevio opportuno examine, fuit a Nobis confirmata, veluti nosse licet ex Constitutione Nostra in Bullarium Nostrum illata. Cumque ex memorata Synodo, aeque ac ex praeindicatis Liturgiis Orientalibus innotescat, offerri quidem in Occidentali Ecclesia trinum Natali Christi die Sacrificium, non item vero in Orientali Ecclesia, jam locus fit regulae latius per Nos firmatae in Nostris Encyclicis Literis datis octavo Kalendas Augusti anni 1755. ad Missionarios per Orientem, praeloque Congregationis Propagandae Fidei impressis, non esse scilicet permiscendos ritus; suum a Latina, suum itidem ab Orientali Ecclesia ritum servari oportere: hoc quippe est Sacris Canonibus sancitum, Constitutionibus Apostol. cautum, ac S. Sedis perpetuo systemate, praefatis literis late demonstrato, firmatum.

Vide superius easdem Encyclicas literas.

Diluitur objectum desumpt. ex

§. 4. Et si umquam excipi contingeret, iisdem in Literis in exemplum per Nos adduci

mutua Oriental. inter, et Latinam Eccles. nonnullorum Rituum participatione.

Latinos quosdam Ritus ab Orientalibus, et vicissim Graecos quosdam Ritus a Latinis cooptatos, parata suppetit responsio, estque ejusmodi, id factum, vel consectarium fuisse immemorialis consuetudinis secum ferentis famam concessi Apostolici privilegii, vel inductum ex privilegio Apostolico vero, conceptoque; quarum quidem rerum, quod ad praesentem quaestionem attinet, nec species ulla, quin potius prerspicua ex adverso perstat probatio. Cum enim Edessenus Archiepiscopus, Armeni Ritus, Romae degens facultatem sibi expetiisset, celebrandi tres Missas Natalitio Christi die, utque facultas ejusmodi ad reliquos etiam Sacerdotes Romae commorantes protenderetur; propositis hujusmodi precibus in Congregatione Sacrae Inquisitionis coram Consultoribus decimo tertio Kalen. Martii 1710., relatisque iterum in Congregatione de more habita in Palatio Apostolico tertio Kalendas Martii, negativum redditum fuit responsum; quamvis is, cui demandata fuit provincia scribendi ea de re, scriptoque suam proferendi sententiam, in partem affirmativam sese praestiterit proclivorem, quemadmodum deprehendimus ex scriptis negotium illud attingentibus, quae ex aedibus Sacrae Inquisitionis afferri ad Nos voluimus; et hoc fuit quidem dubium tunc propositum: *An dicto Archiepiscopo concedendum sit Indultum celebrandi tres Missas in die Nativitatis Domini more Latinorum, hocque extendendum ad omnes Presbyteros Armeni Ritus in Urbe commorantes;* hoc vero rescriptum: *Quoad petitum Indultum celebrandi tres Missas in die Natalis Domini more Latinorum, respondendum esse negative.*

Alia peculiaris ratio adversus Armenos Liburdi commot.

§. 5. Praetereundae nec sunt, quae in praefatis Literis Nostris §. 45. a Nobis afferuntur. Cautum fuerat jam inde ab anno 1674., ut Armeni Liburno in Portu domicilium habentes, quippe una nobiscum viventes, in Paschatis, ceterisque Festis diebus celebrandis, ad Gregorianum emendatum Kalendarium se conformarent. Tot tantasque turbas commoverunt praefati Armeni, ut habita sub annum 1699. iterata Congregatione decretum fuerit, ut usus veteris Kalendarii Armenis Liburnensibus relinqueretur, quousque ad novum recipiendum sese accomodassent, et quousque Apostolica Sedes aliud edixisset. Est itaque Liburnensibus Armenis sua pro ratione voluntas; respuunt Latinum Ritum, usum scilicet Kalendarii emendati, quamvis nobis intermixti vivant, sitque illud justitiae consonum: cumque porro Latinum Ritum ter offerendi Sacrificium Natali Christi die sibi indebitum exposcant, facile captu est, haud decere, ut sui voti compotes fiant.

Altera objectio desumpta ex oblatione trin Sacrificii a Sacerdot. Armenis peragi solita etiam per Orientem.

§. 6. Reliquum illud est, quod asseritur in Literis Pisani Archiepiscopi, Armenae nimirum nationis homines Liburno in Portu commorantes asseverare, memoratas tres Missas a multis per Orientem Armenis Sacerdotibus Catholicis, ejusdemque Ritus Missionariis celebrari; idque Nobis versimile videtur, at nihil inde in rem praesentem. Beatus Bartholomaeus Bononiensis ex Fratrum Praedicatorum familia, fuit a Joanne XXII. Pontifice in Armeniam ablegatus sub ann. 1318., et ab ipso Maragensis Episcopus inauguratus, exindeque translatus ad Naxivanum Archiepiscopatum. Quo ipso tempore praefatus Beatus Bartholomaeus celebri illa Missione fungebatur, aderat in Armenia Isaias quidam Schismaticus trecentis septuaginta discipulis praepositus. Mens ipsi inerat recta, et motus fama sanctitatis B. Bartholomaei, edoctusque ab ipso Catholicae Fidei veritatem, se ei socium adjunxit, suis omnibus discipulis secum adductis: tuncque contigit, ut institueretur Congregatio Fratrum unitorum, assumpto ab iis omnibus habitu Dominicani instituti, emissaque Professione vitae Regularis sub Regula Sancti Augustini, et Fratrum Praedicatorum Constitutionibus. Videre est omnia in Opere Patris Galani *de consensione Armenae Ecclesiae cum Romana part.* 1. *pag.* 508. *et seq.* atque elucubratius *tom.* 2. *historiae virorum illustrium Dominicani Ordinis*, Authore Patre Touron *lib.* 1. *pag.* 108. *et seq.* Isthaec Congregatio subjecta fuit Magistro Generali Dominicanae Familiae ab Innocentio VI. sub annum 1356., uti colligere est ex ejus Literis in Dominicanum Bullarium relatis *pag.* 148., et in generalibus totius Ordinis Comitiis habitis anno 1583. nuova haec Congreg. ad Regularis Provinciae gradus jura, et honores attolli coepit. Cum autem Isaiae discipuli unam noscerent Arm. Linguam, praeterea nullam, et plenam ceteroquin cum Dominicanae Familiae Religiosis unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum referunt praecitati Historici, ut Regulae, Statuta, Breviarium, et Missale Ordinis in Linguam verterentur Armenam. Comperimus autem tem-

Praemissa opportuna historici facti narratione, praxis haecce erronea causa verisimiliter derivata demonstratur.

poribus nobis proximis instetisse Patres Armenae Provinciae Ordinis Praedicatorum, quo sibi liceret typis mandare sua Breviaria, ac Missalia, e Latino in Armenum idioma translata; annuitque precibus Congregatio Romanae universalis Inquisitionis habita octavo Idus Septembris 1713. deputatis emendatoribus, sive praeli typici praesidibus, ut ad opportunas regulas exigerentur omnia, liceretque exinde tuto sibi polliceri, nullos in novam editionem errores irrepere, quod satis superque in hujusmodi casibus alias contigisse constiterat; probavitque omnia Summus Pontifex in Congregatione, proximo die, septimo videlicet Idus Septembris ejusdemmet anni habita.

Ideoque ex a nihil conci.

§. 7. Cum itaque Dominicanum Missale in Armenam linguam versum fuerit, cumque in Missali Dominicano tres reperiantur adnotatae Missae Natalitio Christi die celebrari solitae, videtur admodum simile vero, Sacerdotes quosdam Armenos, et Missionarios, videntes tres Missas a Patribus Dominicanis celebrari Natalitio Christi die, coepisse et ipsos tria Sacrificia offerre, Dominicano Missali utentes in Armenam Linguam reddito: quoties autem ita se res habeat, quod verosimilius est, quisque sanae mentis homo facile animadvertet, haud subsistere fundamentum, in oblatione trini Sacrificii a nonnullis Armenis per Orientem peragi solita, constitutum, nec eo juvari ullatenus posse Armenos Liburno in Portu commorantes; eo quod tres Missae in Missali Dominicano adnotatae, semper Latini Ritus esse censeantur, etsi in Armenam Linguam versae; nec liceat Armenis pro arbitrio Latinos Ritus usurpare. Simillimum Nobis suppetit exemplum

Similim. allato exemplo res confirmatur.

ex Missa Latina Patrum Dominicanae Familiae in Graecam Linguam versa juxta indultum a Bonifacio IX. datum Maximo Constantinopolitano Dominicanae Familiae viro, relatumque *tom.* 2. Bullarii Dominicani *pag.* 370. Ea quippe Dominicani Fratres quidem, nullatenus autem Graeci, in Sacrificio offerendo uti possunt.

Monita ad Secretarium.

§. 8. Haec itaque sunt, quae Nobis, quamvis male a podagra habitis, licuit colligere. Curae tibi erit, Venerabilis Frater, deferre omnia ad Congregationem de Propaganda Fide; et si mandatum ab ea tibi fuerit, quod facillimum, ut ad Pisanum Archiepiscopum rescribas, opportunum fortasse erit, hujus ad te Nostrae Epistolae exemplum eidem reddendum curare. Interea Apostolicam tibi Benedictionem impertimur.

Datum apud S. Mariam Majorem die 29. Decembris 1755. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Dat. 29. Decemb. 1755. Pont. XVI.

EXCITANTUR OMNES LIV.

Graeci Ritus Orientales, ut nova Euchologii editione utantur; narratur quoque quid pro ea perficienda factum fuerit; et quae eidem novae editionis Euchologio praeposita sunt Monita, latius explicantur.

EPISTOLA PRIMA.

Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ritus Graeci Ecclesiasticos, Saeculares et Regulares, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Prooem. a contestatione paternae charitatis et Pastor. sollicitudinis in Graecam, aliasque Orientales nationes.

Ex quo primum tempore Apostolicam B. Petri Sedem conscendimus, usque in praesentem diem, assidua Nobis videmur edidisse argumenta paternae prorsus charitatis, qua dilectos Nobis in Christo Ecclesiasticos, Laicosque Orientales Nobis consentientes, sive, uti vocant, *Unitos*, et a schismatis labe immunes, complectimur; nihilque intactum reliquisse, quo ii, qui in schismate sunt, ejuratis erroribus, Catholicae unitati consocientur. Nolumus hic quaecumque in hunc finem egimus, commemorare: quum et relata sint Regesta Congregationi de Propaganda Fide Decretis nostris hac de re conditis; et Apostolicas Literas, atque Constitutiones pro Orientalium rebus a Nobis editas, in Bullarii nostri Voluminibus unusquisque percurrere valeat. Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos, Venerabiles Fratres, Dilectosque Filios, certiores faciamus, absolutum jam esse opus correctionis Graeci Euchologii idque jam Typis ejusdem Congregationis de Propaganda Fide impressum fuisse, post diuturnum rerum omnium examen, accuratissima castigatione emendatum; ideoque vos hortemur, ut hoc potissimum in

Pontificis consilium in Encyclicis hisce Literis conscribendis.

sacris actionibus adhibeatis, sepositis aliis, quae variis erroribus satis superque infecta deprehenduntur. Quod quidem haud mirum videri debet; id enim incommodi facillime accidit, quoties in pluribus ac saepe iteratis unius Operis editionibus, ab iis, qui praesunt, aliquid omittitur exactissimae illius diligentiae, quae necessaria est; né aliqua, aut per fraudem, aut per inscitiam, identidem inserantur, aut adjiciantur, quae in primaevis purisque editionibus non erant; quaeque deinde resecanda quum sint, aut aliquo modo temperanda, tractu temporis causam praebent instituendis correctionibus, novisque repurgatis editionibus; quemadmodum in ipsa quoque Occid. Ecclesia, quantumvis prae Orient. minoribus periculis exposita sit, evenisse dignoscitur: quocirca Rom. saepe Pontifices coacti sunt opportune consulere, ut Missalia, Ritualia, Breviaria, et Martyrologia emendarentur, et castigata noviter ederentur. Verum quod attinet ad correctionem vestri Euchologii, quod, ut optime nostis, nihil aliud est, quam collectio Ecclesiasticarum precum, atque benedictionum, ideoque, ut Goarius explicat, Ecclesiae vestrae Rituale, seu Manuale, aut Sacerdotale, et Pontificale commode appellari posset: duo potissimum his nostris Literis agenda suscepimus: historiam nimirum exponere correctionis, novaeque editionis, quae nuper perfecta fuit: et Monita quaedam latius explicare, quae in ipsius Euchologii vestibulo opportune praeposita sunt: dilato in aliud tempus consilio aperiendi vobis, si Deus vitam et vires Nobis largietur, res alias complures ad Euchologium ipsum pertinentes, quae nec satis recta praesentibus Literis nimis in longum protrahendis insererentur, et immodicum Nobis afferrent laborem, aetati Nostrae prorsus alienum, nec apte conciliandum cum reliquis magni momenti curis, quae nunc praesertim Nos in Apostolici Ministerii procuratione circumstant, et a quibus Nos modo expedire non possumus.

Graecum Euchologium quid.

Summa eorum, quae hac Epistola continentur.

§. 2. Philippus IV. Hispaniarum Rex Catholicus is fuit, qui sub annum 1631. habito ad Apostolicam Sedem recursu, exposuit, delatum sibi esse a Graecis Unitis ditionis suae Terras incolentibus, editum fuisse a Graecis schismaticis Euchologium pluribus erroribus vitiatum, simulque rogavit, ut absurdis, quae inde manare possent, opportunis remediis occurreretur. Summus autem Pontifex Urbanus VIII. statim egregio operi manum admovit, deputata ad Euchologii correctionem peculiari Congregatione, cui et ipse primum nonnullos S. R. E. Cardinales, Romanaeque Curiae Praelatos, atque Theologos magni nominis, adscripsit; et alios per Orbem tunc maxime Ecclesiasticae eruditionis laude praestantes viros, eidem Congregationi adscribendos, Romam accivit. Inter hos vocatus fuit Dionysius Petavius Presbyter Societatis Jesu in Galliis degens, qui tamen justissima affectae aetatis excusatione usus fuit, ne tantum iter arriperet: et Joannes Morinus Gallicani Oratorii Presbyter, qui et ad Urbem accessit, et pluribus sessionibus interfuit, in quibus multa scitu digna protulit, ad rem recte instituendam dirigendamque opportuna, de quibus alibi sermonem habebimus.

Euchologii correctio, quando, quibusque de causis primum instituta.

§. 3. Summum profecto studium ac diligentiam in demandatum sibi opus contulerunt ii, qui Congregationem ab Urbano Pontifice deputatam constituebant; eorumque curas atque labores innuit Leo Allatius, quum de Graeco Euchologio sermonem habens, ita scripsit: *De libro plura possem referre, et examinare: verumtamen, cum sub censura, ac judicio acerrimorum virorum stet, sententiam de eo veram, et judicium infallibile expecto.* Et quidem duo supra octoginta sessiones inter eos habitae fuerunt, ut olim testatus est Cardinalis Franciscus Barberinus senior, in Congregatione de Propaganda Fide, quae die 23. Januarii anni 1645. coacta fuit coram Innoc. Papa X. paulo post obitum illius Decessoris Urbani, ejusdem Cardinalis Patrui. Non ideo tamen absoluta fuit Euchologii emendatio, nec nova editio confici potuit.

Quantoque studio ab Urb. VII. et Innoc. X. PP. curata fuerit.

§. 4. Subsequentium Pontificum tempore propositum opus nunquam omnino fuit desertum, sed parum lenteque promotum; dum novis, ut assolet, negotiis supervenientibus, incoeptorum antea exitus et finis retardatur. Quum autem Deo Optimo Maximo visum fuerit Nos, licet immerentes, ad Summum Pontificatum evehere, inter primas, quas libenter assumpsimus, curas, haec fuit, de correctione librorum Orientalis Ecclesiae, praesertim vero Euchologii Graecorum. Quare, ut optatam Nobis metam aliquando contingere liceret, haec, quae sequuntur, mandata per Nos tempestive edita, executioni diligenter tradita fuerunt. Primum itaque collecta, et in ordinem digesta

Opus sequentibus tempor. interm. summo studio Pont. instauravit.

sunt Acta Congregationum, quae sub Urbano VIII., et Successoribus Pontificibus habitae fuerant, ut comperta fieret captarum resolutionum sententia, quantumvis illae Pontificia confirmatione roboratae non fuissent; neque enim umquam ad Summos Pontifices facta apparebat earum relaxatio, sed in opportuniora tempora, justis fortasse de causis, dilata. Deinde quum jam omnes e vivis excessissent, quicumque olim adscripti fuerant praedictae Congregationi, ad Euchologii correctionem institutae, Nos alios S. R. E. Cardinales, et Consultores ad gravissimum opus urgendum deputavimus; e Cardinalibus nimirum bo. me. Antonium Xaverium Gentili, Philippum Monti, Joachimum Besozzi, et Aloysium Lucini, respective nuncupatos, qui omnes jam ex hac vita migrarunt; Congregationis autem Praefectum constituimus Dilectum Filium Nostrum Fortunatum Presbyterum Card. Tamburini nuncupatum, qui sospes vivit; Consultores vero designavimus Dilectos Filios Fr. Josephum Augustinum Orsi Ord. Praedic. Palatii Nostri Apostolici Magistrum, Leonardum Siderer Societ. Jesu Presbyterum, Dominicum Vitali Monachum Ordinis Sancti Basilii, Thomam Sergium e Piis Operariis Sacerdotem, et Dominicum Teoli Presbyterum Romanum, quorum aliqui supertites sunt, alii supremum diem obierunt; denique ejusdem Congregationis Secretarium elegimus Dilectum Filium Magistrum Nicolaum Antonellum Praelatum Nostrum Domesticum. His omnibus praescriptum fuit, ut certis recurrentibus diebus inter se convenientes, de rebus eorum cognitioni delegatis tractarent; id quod per integrum decennium exactissime praestitum fuit. Quum autem olim controversia fuisset de methodo in examine rerum servanda; censentibus nonnullis, ut ante omnia de Sacramentorum formis inquireretur, aliis vero suadentibus, ut secernerentur ea, quae ad simplicium Presbyterorum officium pertinent, ab iis, quae sunt Episcoporum propria: Nos hujusmodi controversiam de medio sustulimus, jubendo, ut Euchologii revisio, et correctio, a prima illius pagina ad subsequentes gradatim produceretur, eodem ordine, quo Euchologium ipsum conflatum, impressumque conspicitur. Denique praefato Congregationis Secretario id oneris imposuimus, ut ante singulas sessiones, folium efformaret, non modo cuilibet ex Cardinalibus, et Consultoribus, qui conventuri erant, sed Nobis etiam, qui omnibus de rebus in Congregatione discutiendis certiores fieri volebamus, opportune tradendum; quo in folio, indicatis proponendarum quaestionum capitibus, adnotaretur primo quidquid super illis expensum, atque conclusum fuerat in Congregationibus habitis sub Praedecessoribus Pontificibus, quatenus in anteactis Congregationibus de ipsis agi contigisset; deinde ea, quae circa hujusmodi quaestiones in Theologorum libris conscripta, et in Ecclesiasticis monumentis relata haberentur.

Congreg. ex spectabilibus Viris restituit, quorum nomina recensentur.

Sapientissimam statuit totius rei agendae, et perficiendae rationem.

§. 5. De veteribus Euchologiis, uti par erat, inspiciendis, conferendisque, minime necesse fuit eumdem Secretarium monere; quem porro invenimus et Graecae Linguae peritum, et sacra eruditione, doctrinaque praestantem, paratumque ad magnos quoslibet perferendos labores in Apostolicae Sedis obsequium et utilitatem; quemadmodum saepe alias, rebus ita exposcentibus, ac etiam editis plurimo studio voluminibus, demonstravit. Notum cuique est, P. Jacobum Goarium Ordinis Praedicatorum, natione Gallum, octo ipsos annos in Orientalibus Regionibus commoratum, ubi omnia attente exploravit, Romam deinde venisse sub ann. 1640., diuturnisque collationibus habitis cum insignibus doctrina viris, et rerum Graecarum peritissimis, Leone Allatio Romanae Curiae Praesule, Basilio Falasca Ordinis Sancti Basilii Procuratore Generali, Georgio Coresio, et Pantaleone Ligaridio, ut etiam de eo refert P. Echardus *De scriptoribus Ordinis Praedicatorum Tom.* 2. *pag.* 574. in Galliam denique reversum, in lucem edidisse Euchologium Graecum, una cum Latina illius versione. Pro cujus Operis majori perfectione, quum doctus ac diligens Vir plures manuscriptos Codices, et Libros Typis impressos, qui in ipsius Prooemio ad Lectorem recensentur, inspicere et perpendere non omisisset, variantes lectiones ubique adjecit, et opportunas, doctasque adnotationes huc illuc inseruit. Opus istud primo prodiit Parisiis anno Domini 1647. deinde Venetiis anno 1739. recussum fuit.

Peculiaris cura in conferendis veteribus Euchologiis, adhibita a Congreg. Secretar.

De Euch. edito a P. Goario, deque hujus peritia Graecor. Rituum.

§. 6. Norunt etiam eruditi Viri, complura Mss. exempla Euchologii Graeci in Bibliotheca Vaticana asservari: praeterea extare in Barberina Bibliotheca celebre *Euchologium Barberinum S. Marci*, sic dictum, propterea quod

Plures Euchologii Codices in Vaticana Bibloth. asservati.

e Coenobio S. Marci Florentiae ad praedictam Bibliothecam olim translatum fuit; illudque antiquissimum esse, ac decem saeculorum aetatem superare; quum Leo Allatius testatum reliquerit, a peritissimis sui temporis viris, jam tunc nongentis annis vetustius fuisse habitum: *Omnium autem antiquitatem superat Codex Barberinus in charta pergamena quadratis literis accuratissime descriptus, ante nongentos, et plures annos, sententia eorum, qui in hisce rebus judicandis primi habentur, conscriptus.* Illud quoque eruditis incompertum esse non potest, in Archivo Monasterii Cryptae Ferratae pretiosum asservari Codicem, *Euchologium Patriarchale* nuncupatum, quem magnus Cardinalis Bessarion, primus illius Monasterii Abbas Commendatarius, ejusdem Abbatiae Monachis testamento legavit; quum ipse eum dono habuisset a praeclarae memoriae Cardinale Juliano Caesarino: huic autem donatus fuisset in Concilio Florentino a Sacerdote Georgio Varj Cretense, quemadmodum testatur Arcudius; quapropter hujusmodi Codex a Cardinali Bessarione plurimi semper habitus fuerat. Omnes hi, quos innuimus, Euchologii Codices inspecti, explorati, collatique invicem fuerunt, tum a Praesule Secretario, tum ab aliis Congregationi adscriptis idioma Graecum callentibus, quo rectius tutiusque dirigeretur nova Euchologii editio; neque porro Nostris hortationibus, aut monitis ad id opus fuit, quum ipsi sua sponte hujusmodi curam susceperint, ac summa diligentia subierint.

Euch. Barberin. ejus denominatio, et antiquitas.

Euch. Cryptae Ferratae unde habitum, et cujus auctoritatis habeatur.

§. 7. Neque similiter necesse habuimus doctis Cardinalibus, et Consultoribus Congregationem efformantibus in memoriam revocare sapientes illas animadversiones, quae leguntur tum apud laudatum Joannem Morinum, in Praefatione illius Operis *De Sacris Ordinibus*, tum apud Lucam Holsteinnum *in Dissertatione I. de Sacramento Confirmationis*, tum denique apud Authorem *Vindiciarum P. le Brun*, in his, quae scripsit de Forma Sacramenti Eucharistiae; quasque prae oculis omnino habere debet, quicumque vult de Graecorum Ritibus rectum judicium ferre. Injusta quippe et fallax, Ecclesiaeque paci atque unitati contraria est eorum judicandi ratio, qui Latinorum tantummodo Ritualium notitiam habentes, nec aliud scientes, praeter ea, quae tradiderunt nonnulli ex nostris Scriptoribus, nostrarum quidem rerum periti, sed Graecarum consuetudinum rudes, ejusque rationis ignari, quam semper cum ipsis sequuta est Apostolica Romana Sedes, non dubitarunt in sacris Graecorum Ritibus ea omnia damnare, quaecumque Latino Ritui conformia, et consentanea non reperiebant. Haec, inquam, praefatis Cardinalibus et Consultoribus ad Euchologii correctionem delectis minime commemorare oportuit, quum ipsi jam hujusmodi agendi et judicandi normam sibi proposuerint, eamque reipsa plenissime sequuti sint: quemadmodum etiam revera factum fuisse agnovimus a Cardinalibus et Praelatis qui sub Urbano VIII. in Congregationibus hac de re habitis sententiam dixerunt. Quae autem a Nobis demandata fuisse superius innuimus, ea undequaque impleta fuerunt; nec satis dici potest, quam assidua diligentia et labore omnes Congregationem constituentes operi conficiendo incubuerint. Praedictus vero Secretarius, non solum ante singulas inter eos habendas sessiones, injuncta sibi folia docte et sapienter elucubravit, Nobisque exhibuit; verum etiam, post habitas sessiones hujusmodi, Congregatorum sententias, atque resolutiones Nobis referre non omisit; Nos autem omnibus perlectis, et mature pensatis, easdem, prout in Domino expedire visum est, approbavimus et confirmavimus. Et hac quidem servata methodo, absoluta est Euchologii correctio, et nova ejusdem editio elapso anno 1754. typis Congregationis de Propaganda Fide impressa est. Haec habebamus, Ven. Fratres, Dilecti Filii, quae ad vestram notitiam deduceremus, ut vobis compertum esset, quantum studii, laboris, ac diligentiae adhibitum fuerit, ut Euchologii vestri editio correctissima in lucem prodiret.

Amplior. curae, et labores, per Sect. caeterosq. Congreg. adscript. adhibentur.

Studium quoqj suum adjungit Pont. Euch. correct. absoluta.

§. 8. Porro sub initium novissimae hujus editionis quatuor posita sunt Monita, de quibus in hac Epistola, juxta id, quod superius constitutum Nobis esse diximus, operae pretium facturos nos esse existimamus, si ea vobis breviter indicemus, quae in iisdem statuendis prae oculis habita fuerunt.

Quatuor Monita Euchologio praeposita, de quibus singulatim dicendum.

§. 9. Primum itaque Monitum his verbis conceptum legitur: *Sciendum est, quod Sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent Ecclesiasticos Sanctorum Patrum Canones, et Catholicae Ecclesiae Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes Officia, errare comperiantur. Cum igitur in sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, opor-*

Primum bipartitum Monitum: de commem. Ro. Pont. nec non Episc. et Patr. in Missa facienda.

tet primum quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi, et Patriarchae, dummodo Catholici sint. Quod si alter eorum, vel ambo sint schismatici, sive haeretici, eorum commemoratio nequaquam fiat. Quod sane consentaneum omnino est iis, quae decreta fuerunt in Congregatione habita die prima Maji 1746. quaeque approbatione nostra confirmata fuerunt. Dubium in ea Congregatione propositum fuit sequens: *Num in precibus, quae a Sacerdote, et Diacono in Prothesi recitantur, ponendum sit Nomen Summi Pont. tum etiam in caeteris precibus: videlicet, Pro Summo Pontifice N.* Redditum autem fuit Dubio Responsum hujusmodi: *In Instructione initio Euchologii adscribenda, admoneantur Sacerdotes Graeci, ut commemorationem faciant Summi Pontificis, et eorum Episcopi, seu Archiepiscopi, si sit cum Ecclesia catholica Romana unitus, et insuper ponatur alia Rubrica in margine Liturgiae, quae eos remittat ad Instructionem.* Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quae in ipso Euchologii Textu desiderantur.

Dubium in Congr. discussum et Decr. hac de re editum.

§. 10. De commemoratione Romani Pontificis in Sacrificio Missae, deque hujus disciplinae vetustate, Nos ipsi fuse disseruimus in Nostro Tractatu *De Sacrificio Missae Sect. 1. n.* 219. sed post ejus Libri editionem, idem argumentum, congestis pluribus haud sane communibus monumentis, tractavit Dominicus Georgius noster, dum viveret, intimus Sacellanus, *De Liturgia Romani Pontificis Tom. 3. cap. 3. num. 14.* ubi haec habet: *Solemne semper fuit in Ecclesia Catholica, ut Romani Pontificis nomen inter sacra Mysteria recitaretur;* deinde *num. 22.* ita subdit: *De Romani Pontificis nomine ad unum omnia vetustissima monumenta concordant, et exemplaria sacri Canonis antiquissima.* Et quidem hujusmodi commemorationem in Missa habitam fuisse ostendunt Liturgia Ambrosiana, Missa Mozarabica, Missa Latina, quam Flaccus Illyricus Lutheranus vetusto e Codice exscriptam protulit; item antiquissima Liturgia, quae legitur in vetustiori Codice Sacramentorum Ecclesiae Romanae, quam Ven. Cardinalis Thomasius in lucem edidit; omnes denique Sacri Missae Canones, sive impressi, sive manuscripti; quemadmodum fuse demonstrat memoratus Praesul Nicolaus Antonellus in sua copiosa, ac erudita Dissertatione, quam pro injuncto sibi munere Secretarii praefatae Congregationis ad Eucholo-

De prima Moniti parte, sc. de Comm. Romani Pontificis.

Monum. ex quibus vetustissimus in Latina Eccl. probatur hujus commemorat. Ritus

gii correctionem deputatae, conscripsit, et Typis cudendam curavit, tunc quum a Cardinalibus, et Consultoribus ea de re disceptari coepit; quam etiam recusam legere est in Appendice ad antiquum Missale Monasticum Lateranense, *Tom. 1. Collectionis Liturgicae* a P. Emanuele de Azevedo adornatae.

§. 11. Hactenus enunciata Monumenta ad Latinam Ecclesiam pertinent. Quod autem spectat ad Graecam Ecclesiam, Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 11. num. 3.* ignotum esse ait, an ea prioribus saeculis in Sacrificio Missae Romani Pontificis mentionem fecerit: *An vero primis saeculis Graecia Orthodoxa mentionem fecerit Romani Pontificis, non liquet.* Porro Isaacus Habertus *in Observationibus ad Pontificale Graecorum part. 8. observat. 12.* fatetur se inter prioris aevi monumenta nullum invenire, ex quo constet, in Orientali Ecclesia, infra Missarum actionem, Romani Pontificis memoriam fieri consuevisse: *Vellem factum, et laudarem; sed factum non lego: factum quidem laudarem.* Quum autem in quibusdam antiquis exemplis Liturgiae Sancti Joannis Chrysostomi sequentia verba legantur: *Nicolai Sanctissimi Universalis Papae longa sint tempora;* credibile esse ait, temporibus S. Nicolai I. Pontificis Maximi, videlicet circa ann. Christi DCCCLVIII., Patriarchae nomini adjectum fuisse nomen Romani Pontificis. At vero laudatus Antonellus in citata Dissertatione contendit, multo ante Epocham ab Haberto indicatam, in Ecclesia Graeca Romani Pontificis commemorationem in Missa fieri consuevisse; idque evincit tum aliis multis monumentis, tum eo potissimum facto quod refert Nicephorus *in Historia Ecclesiast. l. 16. cap. 17.*, et testimonio nititur antiquioris atque gravioris Historici, Basilii Cilicis. Acacius nimirum Constantinopolitanus Episcopus, Eutychianae haeresis fautor, Zenoni Imperatori auctor fuerat, ut infaustum illud publicaret edictum, *Henoticon* appellatum, quo irrita fiebat Sacri Chalcedonensis Concilii definitio adversus haeresim Eutychetis. Quod cum Sanctissimus Pontifex Felix III. dissimulare non potuerit, ideoque Acacium communione privaverit, ausus est hic anno Domini CCCCLXXXIV., novo et inaudito ad eam diem temeritatis excessu, Felicis Romani Pontificis nomen e Sacris Diptychis abradere. Quam ob rem damnata deinde fuit Acacii memoria, ejusque damnationi acquievit

Ac idem primis saeculis in Graeca Ecclesia vigurrit, disputat.

Egregium factum, quo comprobatur affirmativa sent.

Ecclesia Graeca, sub Hormisda Pontifice, et Justino Imperatore; id quod a duobus Hormisdae Praedecessoribus, Anastasio II. et Symmacho, obtineri nequiverat. Erat igitur in magna Constantinopolitana Ecclesia, (cujus exemplum procul dubio sequutae erunt inferiores aliae Orientis Ecclesiae), erat, inquam, in Sacris Diptychis Romani Pontificis nomen, ideoque dicendum est, pro eo nominatim oratum fuisse inter Missarum solemnia. Quod si Acacius hujusmodi nomen primus abrasisse dicitur, ejusque factum ideo etiam improbatum specialiter fuit, quod, sine praecedenti alterius cujusque exemplo, rem perpetrasset novam, et eo usque inauditam, quamvis anteactis temporibus inter Romanos Pontifices, et Regiae Urbis Episcopos, offensiones ac dissensiones non defuissent; hinc satis superque evincitur, multo ante Acacii tempora, ideoque prioribus saeculis, Romani Pontificis nomen Sacris Graecorum Diptychis inscriptum fuisse, et in Missarum actione pro eo preces fieri consuevisse.

Commemoratio isthaec quid vi sua importet.

§. 12. Sed quidquid sit de hoc controverso Ecclesiasticae eruditionis capite, Nobis satis est affirmare posse, commemorationem Romani Pontificis in Missa, fusasque pro eodem in Sacrificio preces, censeri, et esse declarativum quoddam signum, quo idem Pontifex tanquam Ecclesiae Caput, Vicarius Christi, et B. Petri Successor agnoscitur, ac professio fit animi et voluntatis Catholicae unitati firmiter adhaerentis; ut etiam recte advertit Christianus Lupus, super Conciliis scribens *Tom. 4. Editionis Bruxell. pag.* 422. *Haec commemoratio est suprema et honoratissima Communionis species.* Neque id tantummodo probatur auctoritate Ivonis Flaviniacensis *in Chronico pag.* 228. ubi ita legitur: *Noverit se a communione totius Orbis separari, quicumque nomen Apostolici, pro qualicumque dissensione, in Canone non recitaverit;* aut vulgati Alcuini, qui *lib.* 1. *de Divinis Officiis cap.* 12. ita scripsit: *Constat, ab universi Orbis communione separatos esse, sicut B. Pelagius docet, qui qualibet dissensione, inter Sacra Mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant;* sed graviore sententia Pelagii II. Summi Pontificis, qui sexto Ecclesiae saeculo Apostolicam Cathedram tenuit, quique in suis literis, relatis in Labbeana Conciliorum Collectione *Tom.* 5. *col.* 794. *et seq. et col.* 810. ita ad rem nostram scriptum reliquit: *Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo; cum enim beatissimus Augustinus, Dominicae sententiae memor, quae fundamentum Ecclesiae in Apostolicis Sedibus collocavit, in schismate esse dicat, quicumque se a Praesulum earumdem Sedium auctoritate, vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quae in Pontificalibus Apostolicarum Sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab universi Orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter Sacra Mysteria secundum consuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, Apostolicae Sedis, per successionem Episcopatus, praesenti tempore videtis consistere firmitatem?* Quibus Pelagii literis usus est quoque magnus Lugdunensis Archiepiscopus Sanctus Agobardus in suo Tractatu *De comparatione utriusque regiminis*, qui impressus habetur *in Magna Bibliotheca Patrum, impressionis Lugdunensis Tom.* 14. *pag.* 315. *num.* 21., et a Balutio recusus fuit, inter alia ejusdem Sancti Opera *Tom.* 2. *pag.* 49.

Eadem, occasione schism. intermissa, et in tractanda unione, semper ante alia quaeque conventa.

§. 13. Satis praeterea Nobis est, hoc tuto asserere posse, quocumque demum tempore in Ecclesia Graeca recepta fuerit disciplina orandi nominatim pro Romano Pontifice in Missa, eam certe in Graecis Ecclesiis viguisse pluribus saeculis ante conflatum schisma, nec nisi post funestam divisionem fuisse intermissam. Extat epistola Petri Antiocheni Patriarchae, qui vivebat anno Christi 1053. ad Michaelem Caerularium, insignem schismatis Photiani instauratorem, quam Graece et Latine edidit Joannes Baptista Cotelerius *Tom.* 2. *Monument. Eccles. Graec.* Michael dixerat, se mirari, quod Antiochenus ipse Petrus, necnon Alexandrinus, et Hierosolymitanus Antistites, Romani Pontificem in sacris Diptychis referrent; quemadmodum desumitur *ex cit. Tom.* 2. *pag.* 140. Sed fanatici hominis audaciam Petrus acerrime perstrinxit, ostendens, ad suam usque aetatem, tum Antiochiae, tum Constantinopoli non fuisse intermissam Romani Pontificis commemorationem: *Ad haec ego quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia praecellunt, quod sub beatae memoriae Patriarcha Antiochiae Domno Johanne, Papa Romae, ipse etiam Johannes nominatus, in sacris Diptychis referretur. Constantinopolim praeterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus, reperi, sub sanctae memoriae*

Patriarcha Domno Sergio, praelectum Papam in sacra Missa cum aliis Patriarchis referri. Additur, nunquam agi coeptum de unione instauranda, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut Sacrae Liturgiae insereretur Romani Pontificis commemoratio; neque vero conventam unionem pro impleta habitam fuisse, nisi praeindicata initialis conditio reipsa executioni fuerit demandata. Ex quibus omnibus manifeste eruitur consensio Ecclesiarum Latinae et Graecae, in agnoscendo et statuendo, inesse in praefata commemoratione protestationem subjectionis debitae Romano Pontifici, tanquam Ecclesiae Capiti, ac voluntatis permanendi in unitate Ecclesiae, ut supra diximus; contra vero, per hujusmodi commemorationis omissionem, declarari animum schismati pertinaciter adhaerentem.

Probatur assertio literalis exemplis instauratae unionis, resque gestis ab Michaele Palaeolog.

§. 14. Quum Michael Palaeologus Constantinopolitanus Imperator, anno 1263. et sequenti, studium suum declarasset redeundi una cum Graecis sibi subjectis, in unitatem atque concordiam cum Ecclesia Romana, Urbanus IV. Praedecessor Noster hanc conditionem diserte proposuit, teste Nicéta *lib. 5. cap. 2. Ut in sacris Officiis e Diptychis Papae nomen cum quatuor Patriarchis memoraretur*. Cumque subinde hujusmodi unionis tractatio ab eodem Michaele Imperatore, et Patriarcha Joanne Vecco, resumpta fuisset, ac de ea serio actum fuerit in Concilio Generali Lugduni habito anno Domini MCCLXXIV. Beatus Gregorius X. Pont. Max. assentientibus Patribus in Concilio congregatis, ante omnia nonnullas proposuit conditiones, quae nisi acceptarentur, nullus Unioni tractandae ac perficiendae locus reliquus foret; quarum prima fuit: *Ut inter sacras Hymnodias Papa cum aliis quatuor Patriarchis in Dypticha relatus memoraretur;* ut apud eumdem Nicetam habetur, *loco citato*. Eam vero conditionem a Graecis acceptatam fuisse, et exequendo impletam, testatur Pachymeres *lib. 5. cap. 22. Ex hoc Legatorum adventu pacem factam referentium, duo consecuta sunt, vi prius conventorum; exauctoratio Patriarchae, et Papae in sacro commemoratio pubblica*.

Impia Andronici intermediis imperat. attentata.

§. 15. Michaeli Palaeologo successor in Imperio fuit Andronicus Filius, damnato schismati adeo perdite adhaerens, ut, quoniam Pater unioni Ecclesiae Graecae cum Latina inundae operam contulerat, illius Corpus extra locum sacrum sepeliri permiserit. Et quia, donec Ecclesiae Constantinopolitanae praesideret Catholicus Patriarcha Joannes Vecco, minime sperabat Imperator, destinatam sibi schismatis instaurationem ad exitum perduci posse, Josephum quemdam haeretica labe infectum in Patriarchalem Sedem intrusit. Exinde res in pejus ruere coeperunt, nec amplius obtineri potuit sincera Ecclesiarum reconciliatio, donec coacto Ferrariae Generali Concilio, quod deinde Florentiam translatum fuit, rebusque inter Latinos Graecosque Patres mature discussis, anno demum MCCCCXXXIX. dejectus fuit divisionis paries, qui unam ab altera Ecclesia tam diu sejunctam tenuerat. Utque omnibus testata fieret unionis peractae veritas, Joannes Palaeologus Graecorum Imperator jussit in sacris Diptychis reponi nomen Romani Pontificis; uti testatur vel ipse schismaticus scriptor Sylvester Sguropulus *in Historia Concilii Flor. sess. 10. cap. 12.* Eumque subinde unionis constitutae Decretum ad Philotheum Alexandrinum Patriarcham transmissum fuerit, non praetermisit hic, in sua responsione ad Eugenium IV. Pontificem data, testari, a se quoque statutum fuisse, ut in Sacrificio Missae, Romani Pontificis commemoratio, antequam aliorum Patriarcharum, fieri deberet: *Unde cum nostris Ægyptiis Pontificibus, et caeteris Clericis nostris statuimus, ut ubique, in omnibus Christi Ecclesiis, inter Missarum solemnia, prae caeteris Patriarchis, memoriam Tuae Beatitudinis faciamus, sicuti in Sacris Canonibus cautum est;* quemadmodum videre est in Actis Concilii Florentini a cardinale Justiniano collectis *part. 2. collect. 22. pag. 323.*

Altera probatio ex factis Joannis Palaeologi necnon Alexand. Patriar.

Tertia denique, ex pactis conventis inter Constantin. Imper. et Nicol. V. Pontific.

§. 16. Post Joannem Palaeologum in Graecia imperavit Constantinus, qui quum ad Nicolaum V. Legatos misisset, qui sibi perelitanti opem implorarent, hoc simul profiteri non omisit, se omni conatu daturum operam, ut concordia Florentiae constituta optatam sortiretur executionem; Ideoque effecturum, ut Pontificis Romani nomen sacris Diptychis restitueretur, uti testatur Ducas in Historia Byzantina: *Imperator suppetias rogatum Romam jam antea miserat, ut etiam Concordia Florentiae reconciliata restabiliretur, inque magnae Ecclesiae Liturgiis, Papae nomen e sacris Dyptychis recitaretur*. Pontifex autem promptum se atque paratum exhibuit ad afferendam illi pro viribus opem; simulque ipsum hortari, et urgere non destitit, ut Decretum Unionis in

Concilio Florentino peractae promulgaret, efficeretque, ut nomen Romani Pontificis *recitetur in Diptychis, et pro ipso nominatim expresse ab universa Graecorum oretur Ecclesia, sicut ii, qui Deo placuere, et Constantinopolitani Patriarchae, et Imperatores hactenus servavere*; ut habetur in Annalibus Raynaldi, *ad annum Christi* 1451. *n.* 2.

Graeci Orient. Catholici hujusce commem. habendae legem agnoscunt, et in iteratis Syn. evulgant.

§. 17. Haec sunt, quae pertinent ad priorem partem primi Moniti, ubi agitur de obligatione Celebrantium, orandi pro Papa in Sacrificio Missae; nec aliud praeterea addendum videtur, nisi quod ante hujusmodi Monitum, Catholici Episcopi Graeci Orientales, in suis Synodis, hoc ipsum statuere non omiserunt; et Nos ipsi pro Italo-Graecis opportuna Decreta edere non praetermisimus. Anno Domini MDCCXX. Zamosciae habita fuit Synodus Provincialis, de mandato fel. record. Praedecessoris Nostri Clementis Papae XI. ac praesidente in ea Hieronymo Grimaldo tunc Archiepiscopo Edesseno, et Apostolicae Sedis Nuntio in Regno Poloniae, deinde vero a recol. mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII. ad Cardinalatus honorem assumpto. In hujus itaque Synodi Decretis, quae etiam a piae memoriae Benedicto Papa XIII. similiter Praedecessore Nostro maturo praemiso examine, confirmata fuerunt, sub Titulo *de fide Catholica*, sequentia leguntur verba: *Eadem de causa*, nimirum ad removendam omnem schismatis suspicionem, *et ad demonstrandam sinceram Membrorum cum Capite conjunctionem, censuit etiam, ac praecepit, sub poenis arbitrio Ordinarii infligendis, ut ubicumque in sacris Diptychis commemoratio Romani Pontificis facienda erit, praesertim vero tempore sacrificii Missae, in translatione Oblatorum, fiat claris et expressis verbis, quibus alter quam Romanus universalis Episcopus designari non possit*. Consentiunt Patres Concilii Libanensis anno MDCCXXXVI. congregati, sub praesidentia Dilecti Filii Magistri Josephi Simonii Assemani Romanae Curiae Praesulis, et Ablegati Apostolici; in cujus pariter Concilii Decretis, sub Titulo *de Symbolo Fidei, ejusque professione*, *num.* 12. haec occurrunt verba: *Sanctissimi Romani Pontificis commemorationem, tam in Missis, quam in Divinis Officiis, ante Reverendissimi Domini Patriarchae nomen, uti hactenus consuevimus, celebrare non omittamus*. Et hoc etiam Concilium post accuratissimum rerum omnium examen, Apostolica auctoritate a Nobismetipsis confirmatum extitit, ut videre licet in Nostra Constitutione, quae incipit *Singularis*, *Tom.* 1. *Bullarii Nostri*, *num.* 31. Petrus Arcudius in suo Opere *de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis lib.* 2. *cap.* 39. monitum adscripsit pro Latinis Episcopis, in quorum Dioecesibus commorantur Graeci, ut eos adigere studeant ad faciendam in Missa commemorationem Romani Pontificis, ne qua reliqua sit suspicio propensionis erga schisma: *Episcopi Latini omnino curare debent, ut sibi subditi Parochi Graeci in unione Catholica sint, et Summum Pastorem agnoscant, juxtaque veterem morem, pro illo solemniter deprecentur*, in Sacrificio Missae, de quo nempe eo in loco agit. Consentanee autem ad hoc aequissimum monitum, in nostra Constitutione pro Italo Graecis emanata, cui initium *Etsi Pastoralis*, quaeque est 57. *in Bullarii Nostri Tom.* 1. §. 9. *num.* 4. ita cautum fuit: *Deinde Summi Romani Pontificis, ac Ordinarii loci, in Missis, atque Divinis Officiis, commemoratio fiat*.

Eamdem Italo-Graecor. indixit Pontifex.

§. 18. Sequitur pars altera ejusdem primi Moniti, in qua, uti superius notatum fuit, injungitur Sacerdoti Graeco, ut infra Missam, postquam oraverit pro Pontifice Romano, oret pro proprio Episcopo, oret etiam pro suo Patriarcha, si tamen Catholici sint; nam si eorum alter, vel uterque schismaticus esset, aut haereticus, de illo, aut illis commemorationem facere non deberet.

Secunda Moniti pars, de Commemor. Episc. et Patriarch. habenda, vel omit.

§. 19. In Latina Ecclesia nulla se se offerre solet difficultas, quoad commemorationem faciendam illius Episcopi, in cujus Dioecesi Sacerdos Missarum sacra facit. Hac de re Nos ipsi egimus in nostro Opere *de Sacrificio Missae sect.* 1. *num.* 220. *Latinae editionis*; ibique demonstravimus, debere eum, qui in Dioecesi aliqua Missam celebrat, Episcopi Dioecesani loci mentionem facere, non vero alterius, in cujus Dioecesi ipse ordinatus fuerit, seu cujus Ordinariae Jurisdictioni subjectus sit; neque vero licitum esse Regularibus, proprii Superioris Generalis, aut aliis Sacerdotibus alicui Praelato inferiori Territorium separatum habenti subjectis, hujusmodi Praelati commemorationem facere in Missa: quum is honor deferendus tantummodo sit ei Superiori, seu Praesuli, qui Episcopali auctoritate, et ordine est insignitus. Authores vero, qui haec omnia tradunt, et probant, ibidem a Nobis allati fue-

Latinae Ecclesiae disciplina quoad commem. Episcopi.

runt. Quare nihil aliud hic adjiciemus, nisi quod praecitatus Dominicus Georgius, qui post editum nostrum illud opus, suum praelo dedit Tractatum *De Liturgia Romani Pontificis*, plurimis antiquis perlustratis Codicibus, haec adnotata reliquit, *dicti Operis Tom. 3. cap. 3. num. 23. pag. 52. Omnia ferme vetustissima exemplaria Sacri Canonis Missae, post Romanum Pontificem, nomen Antistitis designant, quod quidem nomen Florus, et antiquiores Expositores Missae, quos in appendice damus, commemorant.*

piscopus brans formula se oret in sa.

§. 20. Utque adhuc a Latina disciplina non discedamus, hoc etiam adnotabimus, Episcopum Missam celebrantem, pro semetipso orare, se *indignum servum* compellando; quod consentaneum est his, quae leguntur *lib. 8. Constitutionum, quae Apostolicae dicuntur, inter Opera Patrum Apostolicorum a Cotelerio edita Tom. 1. pag.* 407. ubi is, qui sacrum facit, postquam pro aliis oravit, pro se ipso deprecatur his verbis: *Adhuc rogamus Te pro nullius pretii homine, qui Tibi offero etc.* Praeterea sciendum est, in Urbe Roma solius Romani Pontificis commemorationem fieri, eo quod ipse non modo sit Summus Pontifex, sed etiam specialiter Romanae Urbis Episcopus; ipsum vero Pontificem, dum Missam celebrat, pro se etiam orare, ad eum plane modum, quo Episcopus quilibet celebrans pro se ipso Deum orat. *Postulasti* (verba sunt Innocentii III. in Epistola non adhuc edita, sed in Regestis Vaticanis asservata *lib. 9. n. 33.* qua respondet Episcopo Auriensi, sciscitanti quomodo Pontifex Missam celebrans de se ipso mentionem faciat) *Postulasti praeterea doceri, quibus verbis Pontifex Romanus utatur in eo loco Canonis Missae, in quo Sacerdos inferior dicit, una cum Papa Nostro, cum idem pro se tunc videatur orare, ac supra se Antistitem non habere; ad quod devotionis tuae taliter respondemus, quod Nos ibi dicimus: una mecum indigno famulo tuo.* Denique notandum est, a Latinis Sacerdotibus, commemorationem Archiepiscopi, uti Metropolitani, in Canone minime fieri; ut etiam notat accuratus P. Merati *in suis Commentariis ad Gavantum part. 2. tit. 8. num. 5.* et quidem etiamsi vacet Sedes Episcopalis: *Si vero Episcopus Ordinarius loci, in quo celebratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur*, nimirum de eo non fit commemoratio: *sed advertendum est, loco Episcopi, non posse nominari Vicarium Capitularem, quia licet, sede vacante, Ordinarius sit illius loci, non tamen est Episcopus illius Dioecesis. Rursus neque nominari potest Archiepiscopus, aut Patriarcha Provinciae, intra quam continetur Episcopatus Episcopi defuncti, licet in eo habeat aliquam jurisdictionem; quia Archiepiscopus, aut Patriarcha, non dicitur Ordinarius in Dioecesibus suffraganeorum.*

nae solius if. fit tio, et re.

ntifex ce- nus quo- io pro se

rchiepisc. nquam fit ntio a La- is in Mis-

Italo-Graec. quoad commem. in Missa Latinam disciplinam servare debent.

§. 21. Nunc autem converso ad Graecos sermone, si quidem de Italo-Graecis agatur, hi omnimodae subjiciuntur jurisdictioni Episcopi Latini, in cujus Dioecesi suum constituerunt domicilium, juxta Constitutionem LXXIV. Praedecessoris Nostri Pii Papae IV., quae incipit *Romanus Pontifex, Bullar. Rom. Tom. 2.* de qua Nos fuse disseruimus in nostro Tractatu *De Synodo Dioecesana lib. 2. cap. 12. novissimae editionis Romanae.* Itaque hujusmodi Presbyteri Italo-Graeci, in Sacrificio offerendo, Latinam disciplinam sequi tenentur, commemorationem scilicet facientes Romani Pontificis, et Episcopi loci, nunquam vero Orientalium Episcoporum, aut Patriarcharum, quantumvis Catholici sint, quum hi nulla fruantur jurisdictione in Italia, et Insulis adjacentibus; ut etiam statutum est in praefata Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis §. 9. num. 4. Bullarii Nostri Tom. 1. Const. 57.* Sano in Dictato Sancti Gregorii VII. Rom. Pont. *Can. 10.* haec verba leguntur: *Quod Papae solius nomen in Ecclesia recitetur.* Et quidem Dictatum hoc Conciliorum Collectionibus insertum reperitur, nimirum Regiae Parisiensi, *Tom. 26.* Labbeanae vero *Tom. 6. part. 1.* Non tamen ignoramus vigentem inter eruditos controversiam, sitne Dictatum illud genuinum opus S. Pontificis, an potius suppositicium; adeo quidem ut P. Mabillonius in suo Tractatu *De Studiis Monasticis*, quaestionem hanc recensuerit inter graviores, quibus enodandis Ecclesiasticae Historiae Professores occupari possunt. Verum hoc etiam posito, Dictatum esse genuinum opus S. Gregorii VII. vera ac germana citati Canonis sententia haud quidem est, ut in Ecclesia Latina Episcopi Dioecesani nomen a Missae Canone sit removendum, sed ut eidem minime inserantur nomina Orientalium Patriarcharum, qui scilicet tunc temporis hac conditione consensuros se dicebant, ut Romani Pontificis nomen in Liturgia reponeretur, ac per universas Orientis Ecclesias pro eo preces fierent, si vicissim Pontifex consensisset, ut ipsorum nomina a Sacerdotibus Latinis Eccle-

Dictatum S. Gregor. VII. genuinum ne fit, an suppositicium in quaestione est.

siae Romanae, aliarumque Ecclesiar. Romani Patr. in Canone Missae recitarentur. Quae quidem conditio jure optimo rejecta fuit, prout sapienter observat Christianus Lupus *ad Concilia part. 4. pag. 437. editionis Bruxellen. A schismate recessurus Michael* (de Michaele Caerulario Constantinopolitano Patriarcha loquitur) *petit nomen suum inscribi Romanis tabulis, spopondit-que Pontificis nomen omnium suarum Ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo* (Romanum Pontificem innuit S. Leonem IX.) *noluit annuere: mutua enim Patriarchalium nominum recitatio viguit in solis aequalibus, et consororibus, Orientalium Patriarcharum Sedibus, nunquam in Romana. Haec enim Orientalium non tantum soror, sed etiam caput est et mater, ideoque nullius, nisi solius Episcopi, nomen unquam recitavit.* Et sequenti *pag.* 438. ita prosequitur: *Orientalium Patriarcharum nomina nunquam recitavit Romana, immo nec ulla Latina Ecclesia.*

Graecis Orientat licitum est pro Metropolita, et Patriarcha orare in Missa.

§. 22. Haec pertinent ad Italo-Graecos. Verum quod spectat ad caeteros Graecos, et Orientales, Monitum istud Euchologio praepositum, de quo nunc agimus, nequaquam iis prohibet suorum Metropolitarum, et Patriarcharum mentionem facere in Missa; sed cavet tantummodo, ne id fiat, quatenus illi schismatici sint, aut haeretici. Constat antiquum esse morem in Ecclesia Graeca, ut in Missarum precibus Patriarcharum nomina commemorentur. Theodorus Balsamon in iis, quae scripsit *de Patriarcharum juribus*, haec scripsit: *Statutum est, ut in quavis Ecclesia Dei, sive ad Euphratem, sive ad ipsum pertingat Oceanum, conjunctim Patriarcharum nomina referantur.* Goarus *in notis ad Rituale Graecorum pag.* 63. hoc refert, veluti usu receptum, videlicet in Graeca Liturgia, Sacerdotem orare pro omnibus Episcopis, et pro Metropolitano. Meratus autem *in notis ad Gavantum Tom. 1. pag.* 539. *Romanae editionis*, postquam illud posuit, quod supra retulimus, in Ecclesia Latina Archiepiscopi commemorationem non fieri in Missa, vacante licet Ecclesia suffraganea, ita subdit: *Hoc tamen non observatur a Graecis, aliisque Orientalibus, qui Patriarcham nominant, et Metropolitam.* Neque id ipsum in saepe indicato Monito iisdem indefinite prohibetur, sed tunc solummodo quum Metropolitae, aut Patriarch. schismatici sunt, vel haeretici; juxta regulas jampridem receptas atque statutas, antequam Euchologii correctioni manus admoveretur. Sane in Congregatione Sancti Officii anno 1673., quum de hoc disciplinae capite actum fuerit, decretum prodiit tenoris sequentis: *In Congregatione Generali Sancti Officii die 7. Junii 1673. Utrum in Missa possit nominare Sacerdos in Oppido Liburni Patriarcham Armenorum, pro ipso orando, qui est schismaticus; quod instanter petunt sibi concedi, ut per hoc natio magis, et majori erga Latinos afficiatur affectu; Sacra Congregatio respondit, non posse, et omnino prohibeatur. In eadem Congregatione 20. Junii 1674. lectis literis R. P. D. Nuntii Florentiae, datis die 10. Aprilis 1674. scriptis Sacrae Congregationi de Propaganda, et ab eadem remissis ad Sacram Congregationem Sancti Officii, decretum fuit, quod rescribatur eidem Nuntio, ut quoad permissionem orandi in Liturgia pro Patriarcha Armenorum, Sacra Congregatio stetit in decretis emanatis anno 1673. videlicet, non posse, et omnino prohibeatur.*

Modo ne sint haeretici vel schismat.

Aliud simi lis cautioni decretum.

§. 23. Consonat aliud plane simile Decretum Congregationis super correctione editionis Missalis Cophtorum habita anno 1732. ubi inter alia proposita Dubia, hoc fuit: *An, et quomodo emendanda sint verba, quibus Sacerdos commemorationem facit de Patriarcha, Episcopo etc.* Responsum autem datum fuit hujusmodi: *Initio Missalis ponatur Rubrica, in qua admoneatur, et instruatur Sacerdos de iis, quae spectant ad celebrationem Missae; et inter illas Rubrica specialis de commemoratione Romani Pontificis, nec non Patriarchae, et Episcopi, si sint uniti Romanae Ecclesiae; sin minus, eorum commemoratio omittatur; quae Rubrica proprio loco repetatur.* Porro haeretici, atque schismatici excommunicationis majoris censurae subjecti sunt, ex lege *Can. de Ligur. 23. quaest. 5.; et Can. Nulli, 5. dist. 19.* Sacri autem Ecclesiae Canones pro excommunicatis orari publice vetant; uti cautum legitur *in cap. A Nobis, 2. et in cap. Sacris, de Sent. Excomm.* Et quamvis id non obstet, quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita praestari non debet, ut eorum nomina in solemni Sacrificii prece pronuncietur; quod plene congruit veteri disciplinae, de qua Estius *in 4. Sententiar. Dist. 12. §. 15.* Satis est in eum finem, mente animoque Deum Optimum Maximum rogare, ut aberrantes ad viam salutis, et ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum reducere dignetur; quemadmodum pergit Sylvius *in 3. part. D. Thomae Tom. 4. quaest. 83. art. 1.*

Ratio hujus modi sanctionis.

quaest. 9. Atque haec est ipsiusmet Sancti Thomae doctrina *in 4. Sent. dist.* 18. *quaest.* 2. *art.* 1. *in responsione ad primum: Pro Excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quae pro membris Ecclesiae fiunt.* Neque ut huic Christianae charitatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiae, quae a Fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina, qui se ab illius unitate, et obedientia separarunt; quaeque, dum prohibet, ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab Officio Missae, quae publicum est Sacrificium, excludit. Quapropter Ven. Card. Bellarminus *Controversiarum Tom.* 3. *lib.* 6. *de Missa c.* 6. optime ad rem nostram scribit: *Aliquis petet, utrum liceat hoc tempore Sacrificium offerre pro Haereticorum, sive Infidelium conversione. Ratio dubitandi est, quia tota Liturgia Latinae Ecclesiae, quae nunc est in usu, refertur ad Fideles, ut patet ex precibus oblationis, tum extra, tum intra Canonem. Respondeo; Existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conversioni Infidelium, seu Haereticorum: id enim faciunt Viri pii, et docti, quos reprehendere non possumus, nec extat Ecclesiae prohibitio.*

De alio Graecor. Ritu, orandi in Missa pro Imp. Rege ejusque Palatio, et Exercitu.

§. 24. Nullum quidem verbum in hoc primo Monito fit de commemoratione, seu prece, inter Missarum actionem habenda, pro Imperatore, Rege, universoque ejus Palatio, et Exercitu. Sed quum id plurimum connexionis habeat cum caeteris rebus in eodem primo Monito enunciatis, haud inopportunum existimamus ea, quae sequuntur, adjicere.

Quid in Congreg. super Euchologii correctione habitis definitum fuerit.

§. 25. In omnibus Euchologiis, sive impressis, sive manuscriptis, quae anteriora sunt correctione a Leontio peracta, adscriptae leguntur preces habendae pro Imperatore, Rege, ejusque Palatio, et Exercitu. Quum autem in Congregatione super correctione Euchologii habita die prima Maji anno 1746. propositum fuerit Dubium, an hujusmodi preces tolli deberent, reseriptum fuit, Nobis subinde approbantibus, *relinquendas eas esse in Canone, seu Liturgia.* Sed quoniam Graeci easdem olim preces in Prothesi quoque faciebant, subinde vero eas sustulerant, additum fuit: *Non autem habendas esse in Prothesi, seu praeparatione.* Superfluum namque visum est hujusmodi preces fieri in Prothesi, dum ipsae jam fiunt in Canone, seu Liturgia. Atque ad hunc plane modum exacta res est in nova Euchologii editione seu correctione.

Commemoratio Imp. Regumque in Missa, an, et a quo tempore fiat in Latina Ecclesia.

§. 26. De commemoratione Imperatoris, seu Regis, cujus temporali ditioni Regio subjecta est quatenus in Canone Missa quibusdam in locis fieri solet, Nos ipsi jam disseruimus in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae Sect.* 1. *num.* 221. Et quidem Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 4. testatur, in multis Latinis Ecclesiis nomen Regis in Canone commemorari. Praeterea Martene *de antiquis Ecclesiae Ritibus l.* 1. *cap.* 4. *art.* 8. *num.* 9. post allata monumenta ad id opportuna, ita concludit: *Ex constanti Ecclesiae traditione ab Apostolis accepta, certissimum est, pro Regibus et Principibus inter Sacra Mysteria semper oratum fuisse.* Ubi satis patet, Authorem ad ea se referre, quae scripsit Apostolus *in Epist.* 1. *ad Timoth. c.* 2. mandans, orationes et obsecrationes fieri pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt: necnon ad ea, quae leguntur *in Constitutionibus, quae Apostolicae dicuntur*, in editione Patrum Apostolicorum a Cotelerio adornata *T.* 1. *l.* 8. *c.* 12. ubi haec habentur: *Adhuc rogamus te, Domine, pro Rege, et pro his, qui in sublimitate sunt, et pro cuncto exercitu, ut res nostrae in felicitate versentur;* deinde *seq. c.* 13. iterum legitur: *Pro Regibus, et in sublimi potestate constitutis, oremus, ut res nostrae pacificae sint.* Videri etiam hac de re potest Gregorius *in praecit. T.* 3. *de Liturgia Rom. Pont. l.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Quidquid autem sit de controversia illa, quae inter Balutium, et Lupum agitata fuit, de tempore nimirum, quo primum Imperatoris nomini subrogatum fuerit nomen Regis in terris dominio Regum subjectis, quam quidem quaestionem fusiori calamo tractat citatus Lupus *in Can.* 10. *Dictatum S. Greg. VII.*; illud satis compertum est, commemorationem Regis fieri in Ecclesia Latina per eas regiones, in quibus hujusmodi consuetudo dudum recepta est, aut Apostolicae Sedis concessio id permisit; ut advertit Meratus *ad Gavantum cit. T.* 1. *p.* 1. *pag.* 539. *num.* 6. *juxta editionem Romanam.*

Quaenam nunc servetur consuetudo.

Apud Orient. nationes universim receptus usus orandi in Missa pro Rege.

§. 27. At apud Orientales nationes communis dici potest haec disciplina, memoriam faciendi Regis in sacra Liturgia; uti videre licet in Liturgiis Armenorum, Cophtorum, Æthiopum, atque Syrorum. Si quis autem quaereret, qua ratione id tolerari possit, ubi certo constet, Reges illos, pro quibus orant, et quo-

rum commemorationem in Liturgia faciunt, infideles esse; huic Ven. Card. Bellarminus responderet (uti reipsa respondit in superius citato *cap.* 6.) nequaquam vetitum esse *ex natura rei*, ut ajunt Theologi, orare in Missa etiam pro Infidelibus; quandoquidem Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit. Et sane Divus Thomas *in 4. Sentent. dist.* 12. *quaest.* 2. *art.* 2. *quaest.* 2. *ad quartum*, docet, quod quamvis Sanctus Augustinus in libro *de origine Animae* scripserit, Sacrificium pro iis tantum offerri, qui sunt membra Christi, haec tamen sententia ita accipi debet, ut eos omnes complectatur, qui vel jam Christi membra sunt, vel tales evadere possunt. Quare idem Cardinalis subdit, rem totam ex interdicto Ecclesiae esse dimetiendam: *Certum est ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiae, licere offerre pro hujusmodi hominibus*, de Infidelibus loquitur. Cumque hujusmodi prohibitio extet quoad excommunicatos, adeoque quoad haereticos, et schismaticos, non vero quoad infideles, qui excommunicatione non liganter; hoc satis esse ait, ut de his commemoratio fieri possit in Missa, atque etiam pro his Sacrificium offerri, juxta manifestam hac de re traditionem, et Constitutionem Apostolicam: *Sed quaeret aliquis, utrum, si Rex infidelis est, ut in Graecia, ubi Turca dominatur, et in India, et in Japonia, apud Sinas, ubi Ethnici regnant, liceat Sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro Rege. Respondeo: Existimo licere, modo Rex ille non sit excommunicatus, ut sunt Reges haeretici, sed Paganus sive Ethnicus. Nam haec traditio, immo et constitutio, Apostolica est; ut paulo ante ostendimus. Neque extat, quod sciam, ulla Ecclesiae manifesta prohibitio.* Ad haec non inutiliter subjiciendus occurrit textus Tertulliani *ad Scapulam c.* 2. ubi sic legitur: *Sacrificamus pro salute Imper. sed Deo nostro, et ipsius; sed quomodo praecepit Deus; pura prece; non enim eget Deus, conditor universitatis, honoris, aut sanguinis alicujus.*

Explicatur, quomodo id ipsis licere, permittique possit.

§. 28. Verum, relictis in sua probabilitate hujusmodi assertionibus, nihil illis opus fuit, ad hoc, ut Imperatoris, et Regum commemoratio in Graeci Euchologii textu relinqueretur. Innotuit siquidem, Graecos Catholicos interrogatos, num in praefatis commemorationibus habendis, hoc animo essent, ut preces offerrent pro Turcis, quos Dominos temporales patiuntur, ex quo suis propriis Principibus orbati fuerunt: respondisse, se hoc semper propositum animo habere, ut pro Orthodoxis Regibus, et Christianis Principibus orent. Ita testatur Goarius *in notis ad Euchologium pag.* 38., ubi ait interrogationi Graecis Catholicis a se propositae, an preces illas pronunciando, pro Turcis Deum deprecari intenderent, constanter ab iis fuisse responsum: *Solos ut piissimos, et a Deo custoditos Reges Principes nostros Christianos profiteri, et quos dominio expostulant, fide jam et religione rectores dominosque in Ecclesiis praedicare, et pro eis solis impraetermisse, etiam libris editis preces supprimentibus, orare velle.*

Solidior Responsio, ex declarata Orant. mente desumpta.

§. 29. Sequitur nunc secundum Monitum ex his, quae novae editioni Graeci Euchologii praefixa fuerunt, in haec verba conceptum: *Ad haec, in eadem Divina et Sacra Liturgia Sacerdos Deo gloriam canens accedit ad dona, eaque decenter ac religiose supra caput tollens, ad Altare defert, circumducens et procedens per Templum, dum interim populus summa cum reverentia et devotione inclinat caput, et procidit, supplicans, memoriam sui fieri in ea donorum circumductione. Sed, quia nonnulli Fidelium procidentium, circumlata dona tanquam Corpus et Sanguinem Christi adorant, atque existimant; ab introitu fortasse Praesanctificatorum decepti, quando scilicet praesantificatus Panis defertur, ignorantes differentiam, quae inter hanc et illam delationem intercedit, idcirco oportet, in hoc operam suam studiumque impendere, ut cunctos Fideles accurate doceat, admoneatque de illa, quae inter utramque donorum delationem intercedit, differentia; cum alia quidem dona nondum sint immolata et perfecta, alia vero Dei verbo confecta, et sanctificata; et haec religiosissime debeant coli et adorari, cum sub specie ac symbolis panis et vini Corpus et Sanguinem Christi contineant: secus vero, antequam consecrentur, et perficiantur.*

Secund. Monitum de differentia inter Introitum, quo Oblata, et illum, quo Praesanct. Dona deferuntur.

§. 30. Jam illud recte nostis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, duos in vestra Liturgia esse ingressus, Minorem alterum, alterum Majorem nuncupatum. Minor est ille, quo sacri Evangelii Codex infertur; Major autem ille est, quo sacra Dona, nimirum Panis et Vinum, non adhuc consecrata, a parvo Altari, seu Mensa, quae *Prothesis* dicitur, super quam praeparata fuerant, supplicationis ordine instructo, ad sacrum Altare deferuntur. Itaque in secundo Capite hujus Moniti, non quidem

Quot sint Introitus, eorumque distinctio ac varius Ritus.

Introitus Major hujus Moniti obiect.

agitur de Minori Ingressu, sed de Majori; in quo nimirum Ritus hujusmodi observatur, ut Panis in Patena obtectus velo supra caput deferatur vel a Diacono vel a Sacerdote; a Diacono scilicet, quando solemne Missae Officium celebratur cum assistentia et ministerio Diaconi; tunc enim hic sinistra manu Patenam cum pane supra caput sustinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui Calicem cum vino utraque manu gestat; si vero Sacerdos sine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoletur, Sacerdos autem Patenam cum pane supra caput suum sinistra manu sustinet, dextra autem sacrum Calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur Majorem ingressum contingit, ut populus inclinetur, seu, pro vario regionum more, in terram procumbat, ac fronte humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis et vini, licet nondum consecrati, Corpus et Sanguis Christi Domini contineretur: *Populus passim, in Graecia quidem valde demisse se inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum; in Russia vero prosternit se, terram fronte percutit, ac veluti praesentem in ea oblatione Caelorum Regem alloquitur, et adorat.* Verba sunt Petri Arcudii *De Concordia Eccles. Occid. et Orient. lib. 3. cap. 19.*

Adstantis populi demissa nimis obsequia, ex quibus subiecta quaestio inferius proponenda.

Functionem Majoris introitus plures describer. prout plerisque Oriental. peregitur.

§. 31. Christianus Lupus *part. 3. suorum Operum super Conciliis Edit. Bruxel. p. 760.* ritum describit Majoris Ingressus, quando Patriarcha, aut Metropolitanus Missam celebrant. Magri *in Vocabulario Ecclesiastico*, verbo, *Prothesis*, singillatim describit quaecumque fiebant ab Imperatore, Sacrae Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat. Goarius *in notis ad Liturgiam Sancti Joannis Chrysostomi n. 110.* totam actionem Ingressus Majoris accuratissime exponit. Idemque fit a Cardinali Bona *Rer. Liturgic. l. 2. c. 9. n. 4.* Quaecumque vero ea occasione a Graecis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Cophtis, Æthiopibus, ac Syris Jacobitis, ut videri potest apud le Brun *in Explanatione Missae T. 3.* apud Chardon *in Historia Sacramentorum T. 2. c. 2.* et Renaudot *T. 1. in notis ad Liturgiam Cophtorum.* Quin etiam in hac Romana Urbe, in Festo S. Athanasii, videre est Graecos in sua Ecclesia ea omnia facientes, quae supra recensuimus: *Et ita etiamnum hodie faciunt Graeci, in Festo, ac in Romana Basilica S. Athanasii*, ait Lupus *loco citato.*

Idem Ritus Graecis omnae servatur.

Praesanctificatorum Missa quibus diebus, quoque ritu a Gr. celebret.

§. 32. Perspectum quoque vobis est, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, juxta Ritum vestrum, diebus Jejunii Quadragesimalis, solam tantummodo Praesanctificatorum Missam apud vos celebrari, exceptis Sabbatis, et Dominicis diebus, necnon Festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis, si in Quadragesimam inciderit, ad normam Canonis Trullani LII. his verbis concepti: *In omnibus sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato, et Dominica, et Sancto Annunciationis die, fiat sacrum praesanctificatorum Ministerium.* Nostis et iam, Sacerdotem, qui Missam celebrat in Quadragesima, diebus, quibus hoc fieri conceditur, Sabbato scilicet, et Dominico die, unam quidem hostiam consecrare, et consummare, alteram vero consecratam seponere; quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies, quibus celebranda est Praesanctificatorum Missa, in qua nimirum et seipsum, et alios, si qui sint communicantes, Eucharistico Pane superioribus diebus consecrato communicat; quemadmodum recte omnia persequitur Leo Allatius in Prolegomenis ad Gabrielem Naudaeum *de Missa Praesanctificatorum pag. 1531. num. 1. Quilibet Sacerdos venturae hebdomadis dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat: inde tot particulas Panis in oblatione abscindit, quot Missas dicturus est; eas, cum particula eo die absumenda, consecrat, et consecratas, Sanguineque Dominico intinctas, uti moris est, conservat in Pyxide, ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit, et in disco reponit, et ad Altare majus advectam consumit.*

Ejus occasione Panis Euchar. per Ecclesiam certa solemnitate defertur.

§. 33. Hac item occasione per Ecclesiam solemni Ritu proceditur, Diacono sacram Pyxidem, in qua Sacramentum sub specie Panis continetur, supra caput deferente, Sacerdote autem manibus gestante Calicem cum vino aqua mixto, non quidem consecrato, sed tantum benedicto: Et quoniam non semper a Sacerdote Missa cum assistentia Diaconi celebratur, si solus Sacerdos celebret, ipse sinistra manu defert Pyxidem capiti impositam, dextera autem Calicem sustinet: atque ita a parvo Altari ad Aram majorem progreditur; uti testatur Arcudius *in citato Opere lib. 3. cap. 58. Solent Graeci in Praesanctificatis Liturgiis, antequam incipiant Sacrum, reponere Sacramentum contentum in Patena super parvum Altare proposi-*

tionis, et infundere vinum in Calicem sine ullis precibus. Deinde circa medium sacrum, Sacerdos, si solus celebrat, Patena imposita capiti, et Calice manu dextera apprehenso, transfert ad majus Altare etc. Si vero Sacerdos hujusmodi sacra peragit administrante Diacono, solet Patenam cum Sacramento Diacono tradere, qui eam imponens capiti defert. Ipse autem, accepto Calice, exit, et Diaconum sequitur. Tunc vero non omittit populus genua flectere, pectus tundere, aliisque idoneis actibus Consecratum Panem a Sacerdote, vel a Diacono, ut supra diximus, delatum, uti par est, adorare. Quum autem hinc factum esse dicatur, ut similia praestentur a populo, dum in functione majoris Ingressus, Panis et Vinum non adhuc consecrata sed postmodum consecranda, supplicationis ritu per Ecclesiam deferuntur; hoc illud est, quod negocium facessit, quodque locum praebuit difficultatibus adversus Ingressum majorem excitatis. Nicolaus Cabasilla s *in Expositione Liturgiae cap.* 24. ita scripsit: *Si qui autem sunt, qui, Sacerdote cum donis ingrediente, humi procumbunt, et tanquam Corpus et Sanguinem Christi, dona, quae deferuntur, adorant et alloquuntur; ab ingressu praesanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam hujus, et illius Sacrificii; hoc enim in ipso Ingressu non sanctificata habet dona, et nondum perfecta; illud autem perfecta, et sanctificata, et Corpus et Sanguinem Christi.* Et post eum, Arcudius ita prosequitur *in eodem citato Opere lib.* 3. *cap.* 19. *Itaque Populus, ignorans discrimen hujus, et illius Liturgiae, similiter se gerit in ordinariis, atque in praesanctificatis. Quocirca et graviter errat, quippe in praesanctificatis verum Corpus Sacerdos in Patena defert, meritoque Populus humi procumbit, atque adorat: in aliis vero Sacrificiis, dum haec oblatio fit ante consecrationem, longius se gerat, oportet.* Idem Arcudius in subsequentibus ejusdem libri capitibus, refellit Gabrielem Archiepiscopum Philadelphiae, qui plura scripserat ad vindicandum hujusmodi Ritum. Quin etiam Goarius, *praeallegato loco*, necessarium duxit, ad eumdem Ritum tuendum, opportunas quasdam rationes afferre. In recentiori editione Operis inscripti *Perpetuitas Fidei Catholicae de Sacramento Eucharistiae, adversus Claudium vindicata pag.* 68. hoc scriptum legitur; tantum abesse, ut Graeci Sacramentum Eucharistiae non adorent, ut potius sese purgare teneantur, ostendentes, quomodo recti limites non excedant, nec iisdem adorationis actibus prosequantur panem et vinum nondum consecrata, quibus ea post consecrationem veneranter. Pater le Brun non dubitavit asserere, talem esse Ritum, ut aliquo modo reformari mereatur. Tournefort *Tom.* 3. *pag.* 411. *et seq.* quum se propriis oculis vidisse referat Armenos functionem hanc peragentes, cum aliqua indignatione de ea loquitur. Chardon *loco superius notato*, ea affert, quae scripserunt Tournefortius, et Pater le Brun; deinde quaestionis punctum indecisum relinquit. Itaque Patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720. *Decreto, de celebratione Missarum* §. 4. non dubitarunt interdicere, ne qua fiat genuflexio, aut capitis inclinatio dum Panis, Vinumque nondum consecrata a parvo Altari ad Majorem Aram transferuntur: *Prohibet Synodus, ne fiant genuflexiones, seu capitis inclinationes, dum transfertur panis oblationis a minori ad majus Altare, pro Consecratione, tempore Offertorii; praecipitque Parochis, ut Populum hac de re moneant, ne periculo idololatriae exponatur.* Illud enim Patres fortasse prae oculis habuerunt, quod in sacro Textu refertur *lib.* 4. *Regum, cap.* 18. de Ezechia Rege Juda, qui serpentem aeneum a Moyse conflatum fregit, propterea quod Filii Israel usque in eum diem thus illi adoleverant.

Procumbens Populus Sacrament. adorat.

Similiter externis actibus Panem, et Vinum veneratur in majori Introitu.

An ipsis Oriental. Synodali sanctione prohibentur.

§. 34. Haec sunt, quae nobis licuit colligere ex libris Authorum, qui de hoc Ritu tractarunt. Nunc autem ea subjiciemus, quae circa eumdem Ritum animadversa et constituta fuerunt, tum in Congregationibus sub Urbano VIII. coactis, tum in iis, quae nostris temporibus habitae sunt, et quarum Decreta Nos ipsi subinde approbavimus.

Aequius Congreg judicium ea de re.

§. 35. Primum itaque illud prudenter animadversum fuit, functionem hanc majoris Ingressus omnino tollere, atque interdicere, (quod caeteroquin, ut dici solet, falcem ad radicem misisset) rem fore Ecclesiae Graecae permolestam, nec consentaneam institutis Ecclesiae Latinae, quae Graecos Ritus in Ecclesia Graeca, quantum potuit, servare semper studuit: idque eo vel maxime, quod antiqua est hujusmodi caeremonia; quaeque in ea servatur solemnitas, ita explicari consuevit, ut triumphalem referat ingressum Christi, quum ex Bethania Jerusalem venit; quemadmodum scripsit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, hac ipsa de re agens: *Tunc enim pluri-*

Excludit temperamentum tollendi function. Majoris Introitus atque ita et memoratos obsequii actus.

ma turba, et Hebraeorum pueri, tanquam Regi, et mortis victori, sensibiliter hymnum referebant, spiritualiter autem Angeli cum Cherubim tersanctum persolvebant hymnum; deinde subjungens, per minorem Ingressum significari humilem adventum Filii Dei in hunc mundum.

Differentia rum quae diversis ection. de- ntantur pulo er- odi peri- lum.

§. 36. Secundo loco animadversum fuit discrimen, quod intercedit inter ea, quae canuntur in translatione Praesanctificatorum, atque ea, quae Clerus concinit in Processione majoris ingressus. Hic enim dicitur: *Ut Regem universorum excepturi;* quae verba non Regem praesentem indicant, sed postea venturum. In illa autem, omisso hymno Cherubico, sequentia verba ingeminantur: *Ecce Sacrificium mysticum et consummatum.* Adeo ut unusquisque, modica etiam intelligentia praeditus, inter unam, et alteram functionem discernere valeat, dum in translatione Praesanctificatorum, Jesus Christus sub Panis speciebus praesens exhibetur; in caeremonia vero majoris ingressus, idem Dominus indicatur, non veluti praesens sub speciebus Panis et Vini, sed ut proxime adfuturus, postquam nimirum consecrationis verba a Sacerdote prolata erunt.

ae obser- iones vin- antes me- ratos ns sb om- nota cul- illegiti- . Prima; ta ageo- n fides.

§. 37. Tertio perpensum fuit, quod si Graeci in rebus sacris edocti, perspectum habent, sub Panis et Vini speciebus, dum major ingressus ducitur, nondum existere Corpus et Sanguinem Domini; iidemque norunt, quod ignorare non possunt; Latriae cultum soli Deo deberi; nemo jure suspicari poterit, hanc illis esse mentem, ut per exteriores venerationis actus, quos ad ingressum Oblatorum exercent, Latriae cultum erga species non adhuc consecratas exhibeant: quum eaedem exterioris obsequii significationes aliquando erga Creatorem, aliquando vero erga res creatas exhiberi soleant; (quemadmodum in Scripturis Sanctis legitur, Abrahamum Angelos adorasse, et Jacob non semel coram fratre Esau procubuisse, et Nathan Prophetam idem in conspectu David praestitisse), quumque adoratio Latreutica non unice in actibus externis consistat, sed praesertim in interna affectione animi, qua hujusmodi actus eliciuntur. Praeterea si Graeci in Missa Praesanctificatorum, iisdem exterioris adorationis actibus prosequuntur Panem, qui consecratus est, simulque Vinum in Calice contentum, quod consecratum non esse constat; nec ideo iis objicitur, quod in praedicta Missa Praesanctificatorum, pari Latriae cultu adorent Panem consecratum, et Vinum mere benedictum; quia scilicet extrinsecae actiones ab interno animi sensu diriguntur, ita ut pro varia mentis intentione, unus idemque actus, nunc quidem Latriae adorationem, nunc autem minoris obsequii significationem importet: ex hoc ipso satis evincitur, quod quamvis etiam Graeci, dum major procedit Ingressus, in conspectu Panis, et Vini, quae nondum consecrata circumferuntur, eosdem ederent externos adorationis actus, qui erga Eucharisticum Panem, et consecratum Calicem exhiberi solent; non ideo jure affirmari posset, communem panem, vinumque non consecratum, Latriae cultu ab iis adorari: quum omnia metiri oporteat ex interiori animi sensu, cujus ea vis est, ut eosdem externos actus post Consecrationem quidem dirigere possit ad eliciendam adorationem Latreuticam erga Eucharisticum Panem et Vinum; eosdemque, ante Consecrationem, ad solemnem Oblatorum Ingressum exercendo, Latriae cultum ab illis excludere valeat. Ita ad rem nostram apposite disserit Leo Allatius *in suo Tractat. de Missa Praesanctificatorum num.* 8. *Cultus hic non dicitur Latria, quae soli Deo debetur, sed qualem veneratio creaturarum exposcit; Gestus enim exteriores reverentiae, capitis scilicet detectio; manuum oscula, in modum supplicantium complicatio, extensio, elevatio, et similia, nec non in genua procumbere, et prosternere se in terram, non solum adorationi Dei, sed creaturarum etiam attribuitur; nec in eo error committitur, dummodo Deum Creatorem a creatura, et creaturam excellentiorem a minus excellente, mente distinguamus. Per externos ergo corporis gestus, cultus Deo exhibitus in adoratione, non ob naturam ejusmodi actuum, sed ob intentionem, qua usurpantur, cum alias ex sola natura sint indifferentes, latria infertur. Interior enim voluntas atque intentio conciliandi per hos externos actus existimationem divinam, facit, ut sint materia cultus divini, atque adeo ut per illos adoratio Dei exterior exerceatur, Divinum cultum tribuens.* Sanctus Thomas 2. 2. *quaest.* 84. *art.* 82. *in Respons. ad secundum* ita docet: *Adoratio principaliter quidem in interiore Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis; sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum; prosternimus autem nos, quasi profitentes, nos nihil esse ex nobis.* Cujus

doctrinam explicans Sylvius *ad citat. art.* 2. haec subdit: *Decet, adorationem principaliter in interiore Dei reverentia consistere, secundario vero in quibusdam signis corporalibus. Quod adeo verum est, ut inter signa corporalia nullum fere sit obsequium, seu officium, quo non tantum Deo, sed etiam creaturae cultus exhiberi queat; ac proinde ex intentione colentis desumi debeat cultus externi distinctio. Nam si ei sit animus, de eo, quem per externum obsequium honorat, excitare opinionem Deo soli convenientem, atque illum honorare, ut summum, tunc ejusmodi officium pertinebit ad cultum Divinum: si autem sit intentio eum venerari ut creaturam excellentem, Deoque amicam, pertinebit ad cultum Duliae, vel Hyperduliae. Dixi, fere; nam de Sacrificio etiam externo, quod soli Deo possit offerri, non est dubium.* Itaque Sylvius unicum exterius signum, quod necessario Latriae cultum importet, externum Sacrificium esse asserit, quod soli Deo offerri certissimum est, sicut etiam fuse demonstrat idem D. Thomas 2. 2. *quaest.* 85. *artic.* 2. Quapropter in Actibus Apostolorum legimus, Laudicenos, quum Paulum, et Barnabam Deos esse autumassent, statim de offerendo iis Sacrificio cogitasse. Eamdem omnino doctrinam tradit Suarez *in* 3. *part. Divi Thomae Tom.* 1. *quaest.* 25. *art.* 2. *disput.* 61. *sect.* 4. ut ex sequentibus illius verbis deprehenditur: *Actus exteriores non sunt ita ex se determinati, quin tam ad venerandum Deum, quam ad honorandam Creaturam exerceri possint etc. Quo fit, ut distinctio Latriae soli Deo debitae, ab adoratione Creaturae, in his externis actibus, potissimum ex interiori intentione pendeat.* Et quamvis idem paulo inferius subjiciat, exteriorem actum, non solum ob internam agentis voluntatem, adorationis Divinae naturam induere, sed talem quoque evadere, ac dici posse, si hujusmodi significatio exteriori illi actui tributa sit ab eo, qui tali potestate et auctoritate polleat: *Attendenda est, praeter intentionem internam, publica impositio; nam si haec signa, sufficienti auctoritate, et potestate, ad significandum Deum, et cultum, sunt imposita, solum ad Divinum cultum usurpari possunt, et, si creaturis communicetur talis cultus, erit idololatria saltem exterior, si non ex animo, neque ex falsa aestimatione fiat.* Haec tamen doctrina ad id, de quo nunc agimus, aptari non potest; quum nullibi reperiatur, auctoritate publica statutum fuisse, ut exteriores illi actus, qui supra descripti sunt, quique a Graecis fiunt, dum major Ingressus per Ecclesiam procedit, pro actibus et signis cultus Latriae haberi debeant.

Sacrif. externum Creaturae offerri nunquam licet.

§. 38. Quarto demum, quum in Congregatione super correctione Euchologii habita die 5. Septembris 1745. proposita fuerit quaestio, an abolendus, seu emendandus foret Ritus Ingressus majoris, de quo hucusque sermonem habuimus, omnibus mature discussis atque perpensis, constitutum denique fuit, nihil esse innovandum; idque subinde approbatione nostra firmatum extitit. Nec alia profecto fuit sententia Congregationum, quae sub Urbano VIII. hanc ipsam quaestionem examinarunt. Placuit tamen consilium prudenter exhibitum, ut monerentur Episcopi, aliique animarum curam gerentes, et quorum ea est inspectio, ut rudem populum docere non praetermittant, quod dum sacra Dona a Prothesi ad Aram majorem solemni ritu transferuntur, quum ea nondum sint consecrata, sub eorum speciebus nequaquam existit Corpus, et Sanguis Domini nostri Jesu Christi, prout futurum erit post peractam Consecrationem; ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga praefata Dona nondum consecrata exhibentur, non ea ratione peraguntur, ut cultus Latriae soli Deo debitus iisdem praestetur, sed ut inferioris speciei cultus exerceatur, cujus objectum est, futura transubstantiatio eorumdem Donorum in Corpus et Sanguinem Domini. Non absimili methodo usi sunt Tridentini Concilii Patres, quum actum fuit de veneratione cultuque Sacrarum Imaginum; decernentes nimirum, ut nihil immutata hac in re antiqua Ecclesiae disciplina, onus esset Episcoporum, aliorumque, quibus docendi munus est demandatum, Christianam Plebem erudire de omnibus, quae circa hujusmodi cultum tenenda, et servanda sunt, uti videre est in praedicti Concilii *sess.* 25. *Decreto de invocatione, et veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et Sacris Immaginibus.* Quodque ad rem nostram propius spectat, Goarius *loco superius citato* consilium similiter dedit, ut minime abrogaretur Ritus Majoris Ingressus, sed ut populus opportunis documentis instrueretur: *erudienda est certe rusticae plebis illius fides; devotio nunquam extinguenda; aut cultus ille externus omnino comprimendus.* Similiter Pater Philipus de Carboneano *in Appendice ad Tract. P. Antoine de Eucharistia* §. 3. ita con-

Congreg. conclusio Nihil esse innovandum: a Pontif. approbatur.

Prudens tamen cautio superaddita ad quodcumque periculum removend.

Cautionis norma desumpta est e Conc. Trid. Decreto de Sacris Imaginib.

cludit. *Nihil ergo in hoc est reprehendendum, sed Gens illa rudis instruenda, ne Dona illa, ut Christi Corpus, et Sanguinem venerentur*. Quod quidem si a vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, praestabitur, quemadmodum facturos vos esse confidimus, eam a vobis procul amovebitis accusationem, qua Arcudius *de Concordia lib.* 3. *cap.* 19. Episcopos Graecos sui temporis reprehendit, dicens, Populum quidem tunc in summa ignorantia versatum fuisse; sed Episcopos facile potuisse idoneis instructionibus illius caecitati remedium afferre, nisi ob humanos respectus, ab hujusmodi onere implendo abstinuissent: *Possent autem, ac deberent Graecorum Antistites diligenter monere populum, et utique concordes multum proficerent; sed quoniam vel et ipsi laborant eodem morbo, et ex ignorantia in eodem errore versantur, vel si verum nonnulli vident, timent pauci plurimos, timent terrenam perdere gloriam, et humanos favores, verentur, ne instar Haereticorum, nomen ipsorum a vulgo conculcetur; propterea ipsimet, saltem externa specie, caeterorum errorem egregie imitantur, altoque silentio omnia praetereunt, ac dissimulant; ita caeci caecos ducunt, et omnes in foveam cadunt.*

a functio, ne ad Prosim, et xime ad jorem Intum haor, nimin oblatio nis consein plures tes divisi.

§. 39. Porro Sacerdos celebrans, sacris indutus vestibus, antequam sacra Dona a minore Mensa, seu Prothesi, ad majus Altare transferatur, ad illam accedit, et Panem consecrandum dividit in plures partes. Pars major offertur, ut Deo Optimo Maximo debitus praestetur cultus, in memoriam Salvatoris Nostri Jesu Christi. Reliquae minores partes, quae *Merides* appellantur, Omnipotenti Deo similiter offeruntur; sed earum una in honorem gloriosae Virginis Dei Genitricis Mariae, altera in honorem Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum nomina a Sacerdote enunciantur; alia vero pro salute vivorum, quorum etiam nomina ab eo recensentur; alia pro Defunctis, qui pariter nominatim commemorantur: alia in honorem illius Sancti, cujus Festus dies celebratur; relicta caeteroquin Sacerdoti facultate offerendi specialiter Sacrificium pro illo, aut illis, quos ipse maluerit. Ritus hujusmodi divisionis Panis in plures, prout a Nobis descriptus est, jamdudum viguisse probatur ex Typico Irenes Augustae, edito a Patre Montfaucon *Tom.* 1. *Analect. Graecor. cap.* 34. Si vero Episcopus, aut Presbyter primi Celebrantis personam sustinens cum aliis Sacerdotibus concelebret, et Diaconi quoque in Officio ministrantes assistant, non modo quilibet Sacerdos, sed unusquisque etiam ex Diaconis, Hostiam unam majorem offert, simulque minores particulas, seu *Merides*: ex quibus, si quae demum supersunt a Celebrante, seu Celebrantibus non consummatae, eae distribuuntur adstantibus, qui Eucharisticae Communionis participes fieri petunt. Haec omnia exacte describunt, et narrant Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. Arcudius *lib.* 2. *de Concordia cap.* 9., et Goarius *ad Rituale Graecorum, in notis ad Liturgiam S. Joannis Chrys. p.* 98. *et seq.*

ostiar. oblaad Prosim, non

sol. a Sacerd. sed etiam a Diacon. fieri solet.

De Host. divisione in Conc. Florent. vindicata nulla nunc qui inter Catholicos.

§. 40. Nulla inter Catholicos extitit controversia circa Ritum majoris Hostiae, aliarumque minorum, quae *Merides* appellantur. Quum enim de eo instituta fuisset quaestio in Oecumenica Florentina Synodo, adnotatum est in Actis, Archiepiscopum Mitylensem propositis interrogationibus cumulate satisfecisse. Et quamvis ibi relatus non sit illius responsionum tenor; non aliter tamen interrogationibus satisfecisse censendus est, quam ostendendo antiquitatem hujusmodi Ritus per plura saecula in Orientali Ecclesia observati, cujus ea est significatio, ut diversos innuat fines, ob quos Sacrificium offertur. *Puto dixerit, hanc esse antiquam Orientalis Ecclesiae consuetudinem, qua utitur illa Ecclesia ad declarandos varios fines Sacrificii:* sunt ipsa Arcudii verba *praefato lib.* 3. *cap.* 9. Porro nullam diximus super hoc Ritu viguisse controversiam inter Catholicos; e Schismaticis enim constat, Simeonem Archiepiscopum Thessalonicensem, in suo Tractatu *de Sacramentis*, addubitare se ostendisse de consecratione Particularum. Sed quam irrationabile fuerit illius dubium, unusquisque facile deprehendere potest. Quum enim Sacerdos ad sacrum Altare Consecrationis formam non minus proferat super majore portione, quam super minoribus particulis; quumque et illius intentio ad omnium consecrationem aeque dirigatur, et earum omnium materia ad sacramentalem transmutationem idonea sit; si portio major consecrationem recipit, profecto consecrari quoque oportet minores illas particulas, quae, ut jam diximus, *Merides* appellantur.

Temerar. dubium de portionum minorum consecratione a Schismat. excitatum.

Controv. vigens de Oblatione Diac.

§. 41. Controversia quidem fui inter Catholicos circa Oblationem, quam Diaconis

ac dissidentes de ea Script. sententiae.

fieri superius innuimus. Arcudius *lib.* 3. *cap.* 17. demonstrandum sumit, id illis per sacros Canones licitum omnino non esse. Goarius *ad Euchologium pag.* 72. testatur, Oblationem Diaconalem in magna Constantinopolitana Ecclesia usu receptam non fuisse. Nec defuerunt, qui contenderent, expungenda esse ab Euchologio verba quae pertinent ad Oblationem Diaconalem, utpote a Schismaticis adjecta. Contra vero Cardinalis Bona *Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. nullum esse Canonem tuetur, qui hujuscemodi Ritui obsistat, quum sacri Canones eam quidem Oblationem excludant, quam Diaconus ad sacrum Altare facere praesumeret, non autem eam, quam ad Prothesim peragit, quippe quae nihil aliud est, quam praeparatio ad aliam a Sacerdote perficiendam in sacro Altari. Ad haec idem Cardinalis ostendit, antiquum esse Ritum Oblationis Diaconalis et a pluribus saeculis in Ecclesia Graeca observatum; cumque de eo disputatum fuerit etiam in Florentino Concilio, satisfactum fuisse Patribus ibi adunatis, per responsiones ab Archiepiscopo Mitylenensi datas. Similiter Berlendis *Tractatu de Oblationibus impress. Venetiis anno* 1743. §. 5. *pag.* 143. inter functiones Diaconorum, admittit Ritum Oblationis ad Prothesim, interdicto eisdem jure offerendi ad Altare, quod solis Sacerdotibus competit: *Illud offerendi Diacono munus attributum, intelligi de prima Particularum oblatione, dum super mensam, Prothesim vocatam, adhuc adsunt; non vero de aliis duabus oblationibus, quae a Sacerdote inter Liturgiam fiunt.*

Dispensatio, seu Consecrat. Corp. Ch. in nonnullis veteribus monum. Diaconis tributa, quid importet.

§. 42. Sanctus Ambrosius virtutem Sancti Laurentii praedicans, qui, Diaconus quum esset, una cum Sancto Sixto Pontifice ad martyrium duci exoptabat, sic eum loquentem inducit: *Experire utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Scimus quidem nonnullos Codices, pro verbo *dispensationem*, hoc aliud habere: *consecrationem:* At consecratio hoc loco nihil aliud significat, quam ministerium, sive assistentiam Sacerdoti consecranti praestitam: *Nobis Diaconis consecratio illius salutaris Hostiae committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus:* ait Petrus Blessensis *in sua Epist.* 123. Nec absimilis est explicatio Petri Cantoris apud Menardum *in notis et observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii pag.* 287. Subdiaconis enim vetitum semper fuit Eucharistiam populo ministrare, sive sub specie Panis, sive sub specie Vini; juxta Canonem Laodicenum XXV. et in eum notas Balsamonis, Zonarae, et Aristeni: uti videre est apud Beveregium *Tom.* 1. *pag.* 464. Non sic autem Diaconis, quibus olim specialiter demandata erat sola Dominici Sanguinis distributio, quae deinde, ob enatos quosdam abusus, ipsis etiam adempta fuit: uti demonstrat Cotelerius *ad Capit.* 13. *lib.* 8. *Constitutionum, quae Apostolicae dicuntur Tom.* 1.

Diaconalis Oblatio ad Prothesim intacta servatur, et quare?

§. 43. Jam vero in Congregationibus habitis tam sub Urbano VIII. quam nostris hisce temporibus, minime praetermissum fuit examen propositae quaestionis; utrum tollenda esset Oblatio, quae a Diaconis fiebat ad Prothesim in ea autem, quae habita est die 3. *Januarii anni* 1745. rescriptum fuit, Nobis deinde approbantibus, *nihil esse innovandum.* Validiores enim atque firmiores visae sunt rationes huic Ritui faventes, per Cardinalem Bonam allatae, quam illae, quas ad oppugnandum eumdem Ritum congessit Arcudius. Itaque in nova Euchologii editione intactus relictus est Oblationis Diaconalis Ritus. De qua licet nulla mentio fiat in eo capite secundi Moniti, de quo hucusque egimus, Nos tamen hic aliquid circa eam ineundum duximus; tum quia una est e sacris actionibus, quae ad Prothesim fiunt, quaeque praecedentis sermonis objectum fuerunt; tum quia nullam elabi sinimus occasionem, qua Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, magis magisque testatum fiat, nequaquam infensam esse vestris Ritibus Romanam Ecclesiam, quin potius eam pro viribus id agere, ut inviolati serventur ii, qui errorem nullum, nihilque indecorum contineant.

Tertium Monitum de Sacr Extremae Unctionis.

§. 44. Tertium modo se se offert Monitum, duabus partibus constans, et sequentibus verbis conceptum. *Praeterea meminisse debent Sacerdotes, Sacramentum Sancti Olei, quod Eucheiaeon dicitur, a Christo esse institutum, tanquam coelestem medicinam, non pro animae tantum, sed etiam pro corporis salute; solis proinde infirmis administrandum, non autem bene valentibus; et in eo quidem tempore, in quo sibi constant, et sui compotes sunt: ut ita majorem Sacramenti gratiam recipiant, si cum Fide ac devota voluntate accedentes, Oleo Sancto ungantur. Item sciendum est, quod quamvis Orientalis Ecclesiae Pontifices in conficiendo Sacro Chris-*

mate pluribus de more aromatibus utantur, necessaria tamen Sacramenti materia sunt oleum, et balsamum, quibus, secundum antiquum Ecclesiae Orientalis morem, aliae aromatum species recte admiscentur, si juxta praescriptum adsint. Verum si earum quaedam desint (dummodo oleum et balsamum adsint) tanquam non necessaria ad Chrismatis materiam, rite omnino Sanctum Chrisma conficitur.

aria nomina quibus acr. illud a atinis Græsque desiuat.

§. 45. Sacramentum hoc, quod a Latinis *Extrema Unctio* dicitur, eodem plane nomine a Graecis appellatum legitur in Concilio Generali Lugdunensi secundo, ex Orientis, et Occidentis Praesulibus coacto, anno Domini 1274. cujus Acta leguntur in Collectione Harduini *Tom. 7. pag.* 695., quum scilicet Latini simul et Graeci formulae Fidei communibus sententiis probatae subscripserunt. Dicitur etiam a Graecis Sacramentum hoc, Oleum consecratum, et sanctificatum precibus Sacerdotum, atque perfectio, seu consummatio Sacramenti Poenitentiae. In Euchologio Goarii *pag.* 346. *numer.* 42. *et pag.* 349. *numer.* 1. nominatur *Euchelaeon:* idemque nomen a Scriptoribus sequioris aevi usurpatum legitur, uti videre est apud Georgium Pachymerem *lib.* 6. *Histor. Palaeol. cap.* 32., ubi Possinus idem quoque notavit, *lib.* 1. *Glos. pag.* 386. apud Gabrielem Philadelphium *De Sacramento Euchelaei, et Tom.* 1. *Actorum Ecclesiae Orientalis pag.* 338. Praeterea nonnunquam, licet raro, idem Sacramentum a Graecis nuncupatum invenitur *Heptapapadum*, quemadmodum legitur in Synodo Constantinopolitana, sub Patriarcha Joanne Vecco habita anno Domini MCCLXXVII. *in dicta Collectione Harduini Tom. 7. pag.* 758. *B.*, ubi idem Patriarcha, amplectens confessionem Fidei in Lugdunensi Concilio statutam, ita ad Romanum Pontificem Joannem XX., dictum XXI., scribit: *Extremam Unctionem etiam ipsam recipimus similiter cum aliis Sacramentis, quae et a nobis celebrata, Heptapapadum nominatur*, idest Officium septem Sacerdotum; hoc quippe modo a Graecis Sacramentum illud ministratur.

Nonnullis de hoc Sacr. aliqui videnda, ndicant.

§. 46. Nos hic nihil dicemus de hujus Sacramenti institutione a Christo facta, aut de illius effectu; nihil de legibus circa illius ministrationem servandis, ut scilicet solis Fidelibus graviter aegrotantibus, non autem bene se habentibus, ministretur, neque tamen expectetur tempus illud, quo aeger jam suae mentis compos non est; nihil praeterea de quibusdam Ritibus Ecclesiae Graecae, in qua videlicet Oleum Infirmorum, non solum ab Episcopo, ut apud Latinos; sed etiam a simplice Presbytero benedicitur, et Sacramentum extremae Unctionis, non ab uno tantum, sed a pluribus simul Sacerdotibus ministratur; quum de his omnibus plura tradiderimus in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana noviss. edit. lib.* 8. *a cap.* 1. *ad tot. cap.* 8. Sed ad illustrandam tantummodo priorem partem hujusce tertii Moniti, hoc adjiciemus, quod quum et olim sub Urbano VIII. et superioribus Pontificatus nostri annis, disceptatum diu fuerit, an a Graeco Euchologio delenda essent quaedam verba, quae innuere videntur, licitum esse, hoc Sacramentum etiam bene valentibus ministrare; in Consessu habito *die* 3. *Septembris anni* 1747. definitum fuit, deindeque a Nobis probatum, ut nihil in Textu immutaretur; sed quae necessario servanda erant, adnotarentur in Monito, quod initio Euchologii praeponeretur; id quod est factum per verba superius exscripta, monendo Graecos Sacerdotes, ne Sacramentum Extremae Unctionis ministrent bene valentibus, sed iis dumtaxat, qui gravi morbo laborant. Porro nihil necesse visum est Euchologii Textum hic mutare; propterea quod, illius verbis undequaque perpensis, apparuit, rectum illis sensum, sanamque interpretationem tribui posse. Neque enim ibi dicitur, ut Sacramentum ministretur iis, qui bene valent, sed ut ii quoque inungantur, qui ad Ecclesiam se conferunt; id quod percommode intelligi potest de iis etiam, qui, licet gravi morbo affecti, possunt nihilominus ad Ecclesiam vel peditus suis accedere, vel aliorum ope deferri; ibique, ut propriae devotioni magis satisfaciant, Extremae Unctionis Sacramentum sibi ministrari postulant; cujusmodi exempla in ipsa quoque Occidentali Ecclesia non desunt, uti videre licet apud Martene, *de antiquis Ecclesiae Ritibus lib.* 2. *cap.* 7. *art.* 2. *num.* 7. *et* 8. Et penes Mabillonium *in Praefatione ad Saeculum primum, in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini* §. 9. *num.* 101.

Graeca Euchologii verba, de Sacr. ministr. iis, qui ad Ecclesiam veniunt, in quaest. revocata.

Juxta interpretatione explicantur ac retinentur, adjecto praeseoti Monito.

§. 47. Cohaerentia sunt cum hac prima parte tertii Moniti duo haec, quae advertenda subjicimus. Primum, quod quamvis Graecis diserte vetitum fuerit, Extremae Unctionis Sacramentum aliis conferre, praeterquam aegrotis, et quidem gravi morbo laborantibus;

Subject. capax Extremae Unctionis Christifid. graviter aegrotans.

iisdem nihilominus interdictum non est, quominus Oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in Ecclesia asservatur, inungant Energumenos, aliosve, qui vel devotionis gratia, vel ut aliquo incommodo liberentur, hujusmodi Unctionem petunt; quum Oleum in lampade asservatum, nequaquam ab Episcopo, aut Sacerdote consecratum sit, ad effectum utendi eo in Extremae Unctionis administratione. Haud ignoramus, postulatum alias fuisse, ut Graecis permitteretur, Extremae Unctionis Oleo extra gravis infirmitatis casum sese inungere, absque eo quod Sacramentalis forma a Sacerdote pronunciaretur; ea scilicet ratione allata, quod per solam applicationem Materiae, Sacramentum minime conferretur, quum ad id necessaria omnino sit simultanea Formae prolatio. Verum nec id receptum fuit, nec recipi ullo modo potest; quum minime liceat Sacramentum a Christo institutum in arbitrariam quamdam, licet piam, caeremoniam convertere; ut etiam recte observat Pater de Carboneano *in Appendice ad Tractatum P. Antoine de Extrema Unctione* §. 4. *pag.* 661. et quamvis, pro eo quod pertinet ad Latinam Ecclesiam, Quintaduenas *in Tract.* 5. *de Extrema Unctione, singular.* 11. asseruerit, licere Parochis mittere ad aegrotos, aliosque petentes, Oleum Sanctum Infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a Tribunali Ecclesiastico plecteretur, vel tanquam abutens Sacramento Ecclesiae, vel tanquam suspectus non rectae Fidei circa Sacramentum Extremae Unctionis, ut opportune advertit Clericatus *de Sacramento Extremae Unctionis decis.* 70. *n.* 32.

Inunctio benevalentis, Oleo lamp. ut apud Graec. in usu est, non prohibetur.

Non tamen licet Sacrum Oleum adhibere, quamvis non proferatur Sacram. forma.

§. 48. Alterum est, quod, stante prohibitione administrandi Sacramentum Extremae Unctionis extra gravis morbi necessitatem, quum jam definitum sit, satisfactionem, seu poenitentiam, quae a Sacerdote Confessario sacramentaliter confessis imponitur, constare potissimum debere precibus, jejuniis, et eleemosynis (quemadmodum habetur in Decreto a fel. record. Eugenio PP. IV. pro Instructione Armenorum edito); minime licet, Poenitenti confesso pro satisfactione seu poenitentia imponere, ut Extremae Unctionis Oleo inungatur. Invecta sane olim fuit inter Orientales hujusmodi Unctio, veluti mere caeremonialis, uti deprehenditur ex Canone LXXIV. ex iis, qui in versione Arabica Micaeno Concilio tribuuntur, *in Collectione Harduini Tom.* 1. *pag.* 492. ubi statutum legitur, ut si quis Fidelis cum infideli muliere impudice versatus fuerit, post diuturnam peractam poenitentiam, Ecclesiae reconcilietur *per Aquam Benedictam, et Oleum Infirmorum*. Exinde vero, si fides habenda est Joanni Nathanaeli in responsione *de Moribus Graecorum*, et Francisco Richardo *de Expeditione sacra, c.* 12. abusus alter inductus fuit, ut poenitentibus divitibus, pro Sacramentali Poenitentia, hujusmodi sacra Unctio passim imponeretur: ex cujus satisfactionis usu, non exigua pecuniarum retributio colligebatur. Gravissimo huic absurdo occurrere non praetermisit fel. rec. Innocentius IV. Pontifex Maximus, dum in Epistola sua ad Tusculanum Episcopum ita scripsit §. 6. *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione Poenitentiae, Unctio aliqua solummodo injungatur*. Hoc idem statutum legitur in Synodo apud Nicosiam celebrata, *in dict. Collect. Harduini Tom.* 7. *pag.* 1714. Nosque etiam hujusmodi praeceptum instauravimus in Constitutione Nostra: *Etsi Pastoralis* §. 5. *Bullarii nostri Tom. I. num.* 57. Videatur etiam Thiers *de Superstit. l.* 8. *cap.* 6. Porro Arcudius loquens de Graecis Presbyteris, qui Poenitenti apud se confesso, sacram Unctionem poenitentiae loco imponebant, asserit eos, in ipsa unctione peragenda, Sacramentali forma uti consuevisse, idque gravibus sane verbis reprehendit, ut legitur in ejus Opere *de Concordia lib.* 5. *cap.* 4. §. *Ego praesentem*. Verum Goarius *in notis ad Euchologium pag.* 350. negat, hanc Graecis mentem fuisse, ut in ejusmodi Unctione peragenda Sacramentum conferrent: *Non ita tamen, ut unctio precibus adjuncta ex opere operato animae deleat infirmitates, sed, si quid possit, ex poenitentis tantum devotione, aut ex Sacerdotis deprecantis charitate, idest ex opere operantis, illud valet producere*. Nihilominus praefatam, qualemcumque consuetudinem ipsemet improbare non omittit; dum omnino curandum dicit, ut Graeci hanc in re ita se gerant, quemadmodum docet Sancta Romana Ecclesia omnium Christifidelium Mater, et magistra; quum praefatae unctionis usu plura, et gravia sequantur absurda, dum vel Sacramentum Extremae Unctionis confertur bene valenti, adeoque ei, qui subjectum capax hujusmodi Sacramenti non est; vel Sacramenti materia et

Multo minus Unctionem cum Sacro Oleo imponere sacrament. confessis in satisfactionem sacramental.

Caerem. inunctionum sacro Oleo quando, et quibus casibus apud Orientales. inveneta.

An in ea Unctione perficienda prolata fuerit sacrament. forma, confectumque Sacram.

Absurda, ob quae reprobata fuit hujusmodi unctio.

forma adhibetur, ut superius indicatum fuit, absque intentione ipsius Sacramenti conficiendi et ministrandi.

...crum Chris... ex quibus ...ud Graec. ...nficiatur.

§. 49. Secunda pars tertii Moniti pertinet ad Sanctum Chrisma; quod quidem a Graecis conficitur non Oleo dumtaxat et Balsamo, sed admixtis etiam aliis aromatibus. In hac autem Moniti parte, unicuique videre licet, haud quidem interdictam esse hujusmodi aromatum permixtionem, sed illud dumtaxat tenendum doceri, in Oleo et Balsamo consistere materiam Sacramenti, adeoque, si aliquod deficiat ex aliis aromatibus admisceri solitis, nihil deesse, quod necessarium sit ad Sacrum Chrisma conficiendum.

Apud eos ...ulla men... de impo... tione ma... uum in ...onfirmatio... is Sacram. ...inistr.

§. 50. Apud Graecos nihil praescriptum legitur de impositione manuum in administrando Chrismatis Sacramento. Morinus in suo Tractatu *de Confirmatione cap.* 4. ita scribit: *Ut Latini constantissime impositionem manuum unctioni conjunxerunt, sic Graeci non minus constanter alterum ab altero separarunt, soloque Chrismate in administratione istius Sacramenti usi sunt; manuum enim impositionis non meminerunt nec recentia Euchologia, nec antiqua.* Hoc idem constanter asserit Goarius *in Euchologio pag.* 299. *num.* 28. Renaudotius *in Operè de Perpetuitate Tom.* 5. *lib.* 2. *cap.* 12. testatur, a pluribus retro saeculis, nullum in Ecclesia Graeca reperiri vestigium impositionis manuum in conferendo Sacramento Confirmationis; suaeque assertionis Authores laudat recentiores Graecos sacra eruditione praestantes, Simeonem Thessalonicensem, Gabrielem Philadelphium, Sirinum, aliosque. Modernus Scriptor Chardon *in Historia Sacramentorum lib.* 1. *cap.* 1. *de Confirmatione*, contendit quidem, prioribus saeculis in Ecclesia Graeca adhibitam fuisse manuum impositionem in conferendo Chrismatis Sacramento, sed tamen ultro concedit, multis ab hinc saeculis, nullum illius superesse vestigium. Denique Dilectus Filius Joseph Augustinus Orsi Ord. Praed., nunc temporis Palatii nostri Apostolici Magister, in Dissertatione Historico-Theologica, quam olim edidit *de Chrismate Confirmatorio*, compluribus monumentis erudite congestis, demonstrat, materiam Sacramenti Confirmationis apud Graecos non esse manuum impositionem, sed sacrum Unguentum. Nec ideo dici potest, id quod a nonnullis temere affirmatum fuit, non adesse in Ecclesia Graeca Sacramentum Confirmationis, propterea quod in ea impositio manuum deficiat. Alioquin id sequeretur, quod nemo sibi persuaserit, tot saeculorum decursu, in tam ampla Christiani Orbis parte, atque in Ecclesia non minus doctrina, quam sanctitate illustri, defecisse Confirmationis Sacramentum; ut optime ad rem nostram pergit Goarius *loco cit. At vero tam amplam et spatiosam, tam eruditam, et Apostolicarum, Ecclesiasticarumque sanctionum tenacem Christiani Orbis portionem, adeo exquisitum Sacramentum respuisse, neglexisse, vel ignorasse, pauci, me quidem judice, dicere attentabunt.*

Nefas ta... en est as... rere in Ec...

cl. Graec. deficere Confirmationis Sacram.

§. 51. Caput hoc injustae atque inopportunae dissensionis inter Latinam et Graecam Ecclesiam, originem traxit a controversiis, quae inter nostrates Theologos agitari solent. Disputant hi, utrum Apostoli Sacramentum Confirmationis ministraverint per manuum impositionem; an etiam Sacro Chrismate adhibito; et quidem, ut assolet, nonnulli affirmant, quod alii negant. Disceptatur etiam inter eos, an sola manuum impositio sit materia hujus Sacramenti; nonnullis tenentibus, in ea dumtaxat consistere Sacramenti materiam; dum alii malunt in Sacro Chrismate statuere materiam remotam Sacramenti, proximam vero in illius applicatione, quae fit cum signo Crucis ad Confirmandi frontem; juxta id, quod legitur in Decreto pro Armenorum instructione ab Eugenio IV. Pontifice edito: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma, confectum ex Oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat banae famae, per Episcopum benedicto.* Ubi etiam Pontifex loquens de manuum impositione, quae ab Apostolis hoc Sacramentum ministrandis fiebat, ita subdit: *loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.* Alii denique impositionem manuum, et Chrisma simul jungunt; dicentes, tam illam, quam istud, materiam esse Sacramenti Confirmationis; sed illam aeque, ac istud, materiam inadaequatam, quotiescumque seorsim considerentur; si autem simul jungantur, tunc, ajunt, in iisdem ita conjunctis materiam totalem Sacramenti consistere. Caeterum ipsam manuum impositionem, alii putant eam esse protensionem manuum, quam facit Episcopus versus Confirmandos, sub initium sacrae actionis, dum priores recitat preces: alii eamdem agnoscunt in ipso ungendi actu, quo Episco-

Theolog. quaeston. de Ritu ab Apostolis servato in ministr. Confirmatione, deque ejusdem Sacram. materia.

pus signat frontem illius, quem confirmat; cum nequeat alicujus frons unguento liniri, nisi manus eidem imponatur. Hae sunt controversiae, de quibus Theologi nostri disputant; et circa quas unicuique licet eam sequi partem, quae magis ipsi placuerit. At nemini fas est asserere, in Ecclesia Graeca non adesse Sacramentum Confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifeste obstaret vetus Orientalis Disciplina, quam Apostolica Sedes optime perspectam habuit, nec umquam damnavit, aut improbavit, juxta quam in Graecorum Ritualibus libris nulla fit mentio de manuum impositione, tanquam materia adaequata, aut inadaequata Sacramenti Confirmationis. Quare ad evadendum hujus difficultatis labyrinthum, alio filo utendum est, quod quidem diligenter inquirenti non deerit; absque eo quod super propositione incerta, et nullibi definita, stabiliatur reprobatio alienae opinionis et sententiae, quae defensoribus orthodoxis non caret.

Licet opinionem quamlibet sequi, dummodo non negetur ad esse in Graeca Ecclesia Chrismat. Sacram.

§. 52. Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur; nimirum in Ecclesia Latina Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito Sacro Chrismate, seu Oleo Olivarum, Balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister Formae verba pronunciat. Et quidem pro iis Regionibus, in quibus vera Balsami species non reperitur, haud recusarunt Romani Pontifices indulgere, ut ad conficiendum Chrisma liceret uti certo quodam fragranti succo, seu liquore, qui communiter pro vero Balsamo accipitur, ut videre est in Constitutione 180. Sancti Pii V. *in Bullario novo Romae edito Tom. 4. Part.*, 3. per quam videlicet Constitutionem, Indiarum Episcopis ejusmodi Indultum conceditur; et in Constitutione 47. Sixti V. *eodem Bullar. eodemque Tom. 4. Part. 3.*, ubi exposita veri Balsami penuria, ex eo potissimum proveniente, quod arbusta illa, ex quibus major illius copia educebatur, quaeque olim in Palaestina, et maxime in Valle Jericho frequentia erant, a Turcis excisa, et radicitus extirpata fuerant; conceditur Archiepiscopis et Episcopis Lusitaniae, ut in conficiendo Sacro Chrismate, adhibere possint Balsamum, ex Brasilia, aliisque novi Orbis, Indiarumve Regionibus allatum; eaque in re Pontifex suorum Praedecessorum Pii IV., et Gregorii XIII. exempla sequi se profitetur. Quorum sane Pontificum providentiam collaudat Morinus in suo opere posthumo *de Sacramento Confirmationis pag.* 35. In Ecclesia Graeca similiter Confirmationis Sacramentum confertur, adhibito Sacro Unguento, quod compositum est ex Oleo Olivarum, et Balsamo, ac insuper ex aliis fragrantium herbarum speciebus, quae sunt numero viginti tres, adjecta quoque aliqua vini portione. Praedictas omnes herbas odoriferas accurate enumerat Habert *in librum Pontificalem Ecclesiae Graecae, observat. 5. ad Ritum Chrismatis*, et Pater Berti *Tom. 7. suae Theologiae lib. 32. cap. 5.*, qui tamen subdit, difficile admodum sibi videri, omnes illas herbas ab Haberto indicatas sacro Unguento a Graecis infundi, quum nonnullae ex illis incognitae sint, ita ut vix aliqua earum mentio extet in lexicis, et in libris Authorum, qui de plantis herbisque tractarunt. Sed quidquid sit de his, quum antiquus sit usus commiscendi has herbas Oleo, et Balsamo, intactus relictus est ritus in Monito, de quo nunc agimus; admonitis tantummodo Graecis, ne aliud quidpiam ad materiam Sacramenti necessarium putent, praeter Oleum et Balsamum; utque proinde validam agnoscant hujus Sacramenti ministrationem, quae fiat cum Oleo et Balsamo ab Episcopo rite benedictis, etiamsi aliquae forte defuerint ex illis herbis, quae, juxta eorum ritum, in sacri Unguenti compositione admisceri solent. Sapienter etiam, et magna cum ratione, in Synodo Zamosciae habita anno 1720. animadversum fuit a Patribus §. 2. *de Confirmatione*, quidquid herbarum Balsamo adjiciatur, cavendum esse, *ut maxima pars Chrismatis semper sit Oleum Balsamo mixtum*.

Quaestionibus sepositis, traditur quid tuto sentiend et tenendum sit, de Sacramento Confirm. in Latina Ecclesia.

§. 53. Expensa jam secunda parte tertii Moniti, nonnulla hic, appendicis loco, subnectemus, quae nec inopportuna, nec a proposito aliena jure censeri poterunt, quum et ejusdem Sacramenti Confirmationis doctrinam respiciant, et ad Euchologii correctionem pertineant.

Appendix ad tert. Monitum.

§. 54. Forma Sacramenti Confirmationis in Graeca ecclesia, juxta communem receptamque sententiam, sequentibus verbis continetur: *signaculum Doni Sancti Spiritus*; quae verba pronunciantur ab eo, qui Sacramentum ministrat, dum suscipientis fronti cum sacro Unguento Crucis signum imprimit; uti colligitur ex Canone 7. Concilii Constantinopolita-

Forma Sacram Confirm. apud G. Signacul. Doni Sancti Spir.

ni I., *in Collectione Harduini Tom.* 1. *pag.* 811,. utque ex illius Canonis verbis recte perpensis infert Bessarion Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis *in suo Opuscolo de Eucharistia*, quod impressum habetur in Bibliotecha Patrum *edit. Lugdunen. Tom.* 26. *pag.* 765. *Secunda Oecumenica Synodus, verba, quae sacrum Chrisma perficiunt, tradens in septimo Canone, ita inquit: Obsignantes, hoc est sacratissimo Chrismate eos chrismantes, dicimus: Signum Doni Spiritus Sancti: et haec verba, secundum eos, Chrismatis Sacramentum perficiunt.* Quamvis autem haec Cardinalis assertio oppugnata fuerit a Lupo *in notis ad Canonem* 95. *Concilii Trullani*, vix tamen erit, ut Lupi sententia plures inveniat suffragatores, prae sententia Cardinalis Bessarionis, ut optime advertit Arcudius *lib.* 2. *cap.* 7., ubi post relatum Bessarionis effatum, haec subdit: *Hactenus Bessarion; quo certe, quae fiunt in Ecclesia Orientali circa Sacramentorum administrationem, praestantius callere poterat nemo.* Arcudio consentit Goarius *in notis ad Euchologium pag.* 301. *num.* 31. Item Habert *in suis notis ad Pontificale Graecorum Observat.* 4. *n.* 2. Et, omissis aliis, qui facile cumulari possent, satis hic erit afferre, quae habentur in Synodo Zamosciae, ubi agitur de Sacramento Confirmationis: *Forma, quam probata, et schismate ipso antiquiora laudant Euchologia, haec est Signaculum Doni Spiritus Sancti, amen: eaque semel dumtaxat, simul cum ipsa Unctione proferri debet.*

Ex decr. cti Medii de reciliandis ostatis et nonnullis hologiis, ium intur de atio ne ramenti.

§. 55. Celebre est in Ecclesia Graeca Decretum Sancti Methodii Patriarchae Constantinopolitani, qui medio circiter nono saeculo floruit, ac semper in id maxime incubuit, ut aberrantes ad sanctae unitatis gremium revocaret. In quo Decreto quum illud statutum reperiatur, ut, qui ab Ecclesia desciverunt, deindeque ad illius sinum revertuntur, sequenti ratione recipiantur: *Oratione completa, sacro unguento accepto, secundum baptizatorum consuetudinem, illum injungit, Crucis signo expresso in fronte, et oculis, et naribus, et ore, et duabus auribus, et manibus, et pectore, et scapulis, dicens: Signaculum Doni Spiritus Sancti*, hinc oritur magni sane momenti difficultas, dum alterutrum dicendum videtur; aut scilicet ea verba: *Signaculum Doni Spiritus Sancti*, non esse in Ecclesia Graeca formam Sacramenti Confirmationis; aut in eadem Ecclesia Graeca Sacramentum hoc iterato conferri iis, qui jam semel ipsum, et quidem valide, susceperunt, si deinde, post apostasiae crimen, ad Ecclesiam reverti velint; quod sane contrarium est receptae sententiae, quae pro inviolabili regula habetur, ut Sacramenta, quae characterem imprimunt, iterari nequeant iis, qui semel valide ea susceperunt; juxta definitionem Tridentinae Synodi *Sess.* 7. *de Sacramentis in genere Can.* 9. Nec quicquam prodest confugere ad supra citatum Canonem 7. Concilii Constantinopolitani I., quo statuitur, ut sacrro Chrismate reconcilientur Ariani, Macedoniani, Novationi, et Appollinaristae quum ab haeresi conversi ad Ecclesiam se se recipiunt. Hujus namque Canonis sanctio praenominatos tantummodo Haereticos respicit, qui Sacramentum Confirmationis, aut nullo modo, aut invalide conferebant. At Sancti Methodii decretum generale est, eosque omnes complectitur, qui post defectionem ad Ecclesiae sinum redire cupiunt. Quum autem in quibusdam Euchologiis, ubi de poenitentium reconciliatione agitur, eadem legantur praescripta, quae habentur in Decreto Sancti Methodii, sequitur, ut eadem difficultas, quae circa Decretum hujusmodi offenditur, in praeindicatis etiam Euchologiis occurrat.

Variae de eo Decr. opiniones minus tutae.

§. 56. Incredibile est quantopere se torqueant Scriptorum ingenia, ut propositae difficultati satisfaciant. Sunt qui asserunt, Decretum illud nequaquam conditum fuisse a S. Methodio Patriarcha Constantinopolitano, qui, ut superius innuimus, floruit anno Christi DCCCXLII., sed ab alio quodam Methodio Patriarcha schismatico, qui Urbis Regiae Sedem occupabat anno MCCXL. Sed quum Goarius *in notis ad ipsum Decretum*, quas addidit ad Calcem Euchologii a se illustrati *pag.* 698., testetur se complura vidisse monumenta temporibus hujusce Methodii antiquiora, quae illud ipsum Decretum Sancto Methodio Patriarchae tribuunt; hoc satis est ad demonstrandam responsionis hujusce levitatem. Sunt alii, qui et admittunt verba illa; *Signaculum Doni Spiritus Sancti*, esse formam Sacramenti Confirmationis; et agnoscunt, juxta Decretum S. Methodii; quoties Apostatae conversi in unitatem Ecclesiae recipiebantur, eadem verba proferri debuisse, dum poenitentes sacro unguento ungebantur; sed tamen putant non ipso affirmari posse, Sacramentum Confirmationis collatum fuisse iis, qui jam semel illud susce-

perant; quum ad collationem Sacramentorum necessaria sit intentio Ministri; in ea autem actione satis appareat non fuisse Ministri intentionem, ut Sacramentum conferret, sed ut Apostatam conversum Ecclesiae reconciliaret. Hac responsione utitur Du Hamel *Theologiae Tom.* 6. *edit. Paris. ann.* 1605. *pag.* 383., eamque innuunt quoque Goarius *in notis ad Euchолog. pag.* 598. §. *verum potuisset*, Tournely *in Tractatu de Confirmatione, circa finem, ubi ad objecta respondet, pag.* 612. *et seq. juxta editionem Parisien.* et Assemanus Junior *Codicis Liturgici Lib.* 3. *De Confirmatione pag.* 63. Verum aliis pluribus responsio haec non probatur, et praesertim Juvenino *De sacramentis Dissert.* 3. *de Confirmatione, quaest.* 7. *cap.* 1. *art.* 1. §. 1. qui observat primo, nullum adduci Graecum monumentum, ex quo inferri possit, eum, qui Apostatam reconciliat, dum sacro Unguento illum ungit, et profert verba, quibus continetur forma Sacramenti Confirmationis, animum habere a collatione Sacramenti alienum: deinde, nequaquam recte agere, quin immo peccare Ministrum, qui sacramenti materiam, et formam ei applicat, qui eidem suscipiendo idoneus non est, etiamsi Sacramentum ei conferre non intendat. Alii denique advertentes, priorum saeculorum monumenta testari, in Occidentali Ecclesia, reconciliatos aliquando fuisse Apostatas per manuum impositionem, fatentur quidem nunc temporis vetitum esse Confirmationis Sacramentum iterato conferre iis, quibus semel valide collatum fuerit; at olim non ita se rem habuisse ajunt; proindeque concludunt, non adeo mirum videri debere, si in Decreto Sancti Methodii, quod pertinet ad Orientalem Ecclesiam, praescribitur, ut Apostatae reduces iterum Sacramento Chrismatis cofirmentur, quantumvis alias id ipsum valide susceperint. At minime tutum est hoc etiam systema. Quum enim nonnulla ex indicatis monumentis diserte testentur, Apostatas receptos fuisse *sola manuum impositione*, si quis hanc ipsam putat fuisse collationem Sacramenti Confirmationis, hoc probare tenetur, sola manuum impositione, nullaque unctione adhibita, Sacramentum istud tunc temporis collatum fuisse. Si quis autem dixerit (quod aliquo etiam exemplo fulcire posset), una cum impositione manuum, sacram quoque Unctionem in hujusmodi poenitentium reconciliatione adhibitam fuisse, illud nihilominus, ad evincendam iterationem Sacramenti, ostendendum illi supererit, an aliqua, et quaenam verborum formula proferri soleret ab eo, qui et manus imponebat, et Chrismate ungebat. Marcus Rhemensis *in Tractatu de variis Capitibus Ecclesiae c.* 18. plures recenset species impositionis manuum. Hoc ipsum accurate praestitit auctor Glossae *in Can. Manus impositio*, 1. *quaest.* 1. Duos celebres viri, Sirmondus *in suo Antirbetico secundo*, *cap.* 5. et Morinus *de Sacram. Confir. cap.* 12. *pag.* 56. et iterum *in Tract. de Poenitentia lib.* 9. *cap.* 9. *et* 10. existimant, impositionem manuum, de qua nunc loquimur, fuisse confirmatoriam. At Petrus Aurelius contendit, eamdem in reconciliandis haereticis adhibitam, meram fuisse caeremoniam, non vero alicujus Sacramenti collationem. Et hanc quidem sententiam amplectuntur Lupus *in Can.* 7. *Constantinopolitanum Tom.* 2. *pag.* 46. *et seq.* Arcudius *libr.* 2. *cap.* 18. Suarez *in* 3. *part. Divi Thomae Tom.* 3. *quaest.* 72. *disput.* 34. *sect.* 1. §. *Unde est tertia responsio, et disput.* 36. *art.* 11. *sect.* 3. §. *Ad rationem dubitandi.* Quapropter Witasse *in suo Tract. de Sacram. Confirmat.* post relata monumenta omnia, quae alterutri opinioni favere possunt, denique *pag.* 63. utramque in sua probabilitate relinquit; eademque prudentia se gerit Author additionum ad Estium *in lib.* 4. *Sentent. dist.* 5. §. 16. *litt. B. p.* 87.

Applicat materiae Sacram. cum prolatione formae, seclusa intentione confic. Sacram. nec praesumitur, nec sicuta est.

Impositio manuum, ubi non constat de Unctione, et prolatione Formae, non probat collation. Sacram. Confirm.

§. 57. Alia itaque ineunda est ratio, ut satisfiat praedictae difficultati, quae oritur ex Decreto S. Methodii, et ex his, quae in aliquibus Euchologiis, cohaerenter ad idem Decretum, adnotata reperiuntur. Et primum quidem, quod ad Decretum attinet, relatum idem legitur in Annalibus Ven. Cardinalis Baronii, *ad annum Christi* 842. sed diverso plane modo, ac ab aliis refertur, quamque a Nobis superius conscriptum fuit. In eo enim, quod refert Baronius, minime praescriptum legitur, ut in Apostatae reconciliatione proferantur verba: *Signaculum Doni Sancti Spiritus*, licet praescribatur Unctio cum sacro Unguento peragenda. E quamvis adhuc legatur: *Chrismate ungantur, ut solent inungi, qui baptizantur;* nihilominus (omisso etiam, quod aliqui satis verisimiliter defendunt, haec verba addititia esse, iisdemque admissis, tanquam authenticis) eorum naturalis germanusque sensus is semper erit, ut in reconciliatione Apostatae ungantur eaedem corporis partes, quae inungi so-

Meliore responsione satisfit difficultati exorta ex Decr. Sancti Methodi

lent, quum post Baptisma Confirmatio ministratur. Cumque nihil adjiciatur de prolatione verborum: *Signaculum Doni Spiritus Sancti;* evanescit vis omnis propositae difficultatis. Accedit insuper, quod quum Legati a S. Nicolao Papa I. in Bulgariam missi, Confirmationis Sacramentum iis contulissent, quibus jam idem a Graecis Presbyteris ministratum fuerat, ob eam praecipue rationem, quod hujusmodi Presbyteri facultatem a Sede Apostolica non obtinuissent pro talis Sacramenti administratione, acerrimam adversus eos querelam instituit Photius in suis enciclicis literis, hoc illis vitio vertens, quod Sacramentum Chrismatis contulissent iis, qui jam semel confirmati fuerant. *Talem quis insaniam unquam audivit, quam isti mentecapti audere non dubitarunt, ut illos, qui semel Chrismate uncti sunt, iterum chrismarent, excelsa denique mysteria in nugas et derisum convertentes?* Ex hoc autem aperte evincitur, S. Methodium in suo Decreto minime statuisse, aut voluisse, ut Sacramentum Chrismatis iterato ministretur iis, qui jam antea confirmati fuerant, si forte post apostasiae crimen ad Ecclesiam redirent. Nam Photius, qui quadraginta circiter annis post mortem S. Methodii floruit, quique pravi sane animi, sed doctus et cautus homo semper habitus fuit, non id Apostolicis Legatis adeo acriter objecisset, quod Sacramentum Chrismatis iterassent, si Sanctus Methodius antea decrevisset, aut ea mente fuisset, ut Apostatae ad Ecclesiam redeuntes idem Sacramentum iterato susciperent; facile enim prospexisset hoc sibi responsum a Legatis redditum iri, se nihil ultra citrave egisse, quam quod Ecclesia Orientalis, ex Decreto S. Methodii, servare consueverat, dum aberrantes in unitatem recipiebat.

rba ex Eu-
ol. allega-
addititia
ibant.

§. 58. Quod autem pertinet ad Euchologia, si in eorum aliquo praescriptum legitur, ut in poenitentium reconciliatione adhibeatur sacra Unctio cum prolatione verborum: *Signaculum Doni Sancti Spiritus;* id utique tribuendum est interpolationi Schismaticorum, quibus a Theodoro Balsamone persuasum fuit, ut si quis Latinus ad Graecos commigraret, huic Sacramentum Confirmationis denuo conferendum esset; uti testatur Gregorius Protosyncellus in Apologia adversus Marcum Ephesium, *in Collectione Concil. Harduini Tom. 9. pag.* 640. At enunciatae formulae prolatio minime praescripta reperitur in quamplurimis manuscriptis Euchologiis, quae inspexit et recognovit vir summa fide dignus Joannes Matthaeus Cariophylus Cydonius; quemadmodum refert Arcudius *lib. 2. de Reformat. c. 18.;* quodque magni aestimandum est, nihil ejusmodi legitur in celebri Euchologio Cryptae Ferratae. Quare in Congregationibus super correctione Euchologii habitis tam sub Urbano VIII. quam nostris hisce temporibus, Nobis annuentibus decretum fuit, ut in Euchologio, quod correctum typis edendum erat, Ritus reconciliationis poenitentium ad eam plane formam exigeretur, qua descriptum legitur in Euchologio Cryptae Ferratae: id quod est factum. Quum enim in Congregatione habita die 7. Januarii 1748. propositum fuisset dubium, an corrigendus esset ritus reconciliandi Apostatas in unitatem Ecclesiae redeuntes, ad formam in Decreto Methodii traditam, animadversum fuit, unctionem eorum, qui reconciliantur, ibi quidem faciendam, praescribi eo modo, quo unguntur ii, qui baptizantur; sed ut in hujusmodi unctione peragenda proferri debeant verba: *Signaculum Doni Spiritus Sancti;* id in paucis solummodo, iisque recentibus, Euchologiis adscriptum reperiri. Itaque in alia Congregatione habita die 18. sequentis Mensis Februarii decretum fuit: *Corrigatur Euchologium impressum ad formam Euchologii Patriarchalis Cardinalis Bessarionis; nunc Cryptae Ferratae.* Factaque Nobis relatione, atque omnibus per Nos inspectis, libratisque, Decretum idem approbatione nostra roboratum fuit.

Pristinae integrit. restituuntur omnia

§. 59. Agendum nunc sequitur de quarto Moniti capite, quod est de peculiaribus quibusdam immunditiis, ad quas expurgandas, nonnullae benedictiones et preces in Euchologio appositae leguntur. En autem Moniti verba: *Denique sciendum, quod, si contigerit, immundum quid, aut contaminatum incidere in puteum, aut in aliud vas liquidi cujuscumque, sive etiam rem immundam tangi, aut manducari, sive in Ecclesia animal impurum gigni, aut mori, Sacerdotes quidem Orient. Ecclesiae precibus et benedictionibus in Euchologio contentis, secundum Ecclesiae suae consuetudinem, utuntur, nullatenus tamen intendunt observare praecepta antiquae Legis, quae sunt per adventum Christi sublata, quemadmodum omnibus manifestum est.*

Quartum Monitum de quib. immund. et precib. ad eas abstergend. in Euch. appositis.

Oratio de cibis mundis, et immundis, quae in Euchol. legitur

§. 60. In Euchologio, cujus correctioni adlaboratum est, prout etiam in celebri Eu-

chologio Cryptae Ferratae, olim Cardinalis Bessarionis, et in aliis vetustissimis hujusmodi Codicibus, Oratio quaedam legitur, in qua et commemoratur id, quod in Lege veteri statutum fuerat de differentia inter cibos mundos et immundos, deque immunditia legali, quam contrahebat quicumque, contra interdictum Legis, immundum quid comedisset; et simul adjicitur, non posse eum, qui cibos immundos ediderit, pretiosum Corpus et Sanguinem Christi sine peccato suscipere. Id autem in causa fuit, ut discutiendum proponeretur, num ex praedicta, aliisque similibus Orationibus, seu ex his, quae in hujusmodi precibus continentur et enunciantur, justa praeberetur occasio suspicandi, ne forte observatio caeremoniarum legalium veteris Legis, una cum nova Lege et Evangelio, cumulari, seu retineri vellet. Ut igitur deprehendatur, an suspicio haec aliquo fundamento innitatur, sequentes propositiones strictim indigitabimus, ex quibus omnia illustrentur, et propria in luce collocentur.

An retinenda, vel tollenda esset, addubitatum, et quare?

Animadversiones ad rem recte definiendam necessar. Distinct. ciborum, caeremon. fuit veter. legis praeceptum, per adv. Christi sublatum.

§. 61. Prima est: Caeremonias legis Mosaicae per adventum Christi fuisse sublatas; et post promulgationem Evangelii, non posse amplius absque culpa servari. Quum itaque discrimen a lege veteri inductum inter cibos mundos, et immundos, ad caeremonialia praecepta pertineat; hoc satis est, ut asseri jure possit, nullum amplius superesse, aut statui debere discrimen inter cibos mundos et immundos. Quamvis enim beatissimi Apostoli, *Actor. cap.* 15. Fidelibus interdixerint, ne sanguine et suffocato vescerentur, juxta sententiam Jacobi in Concilio Jerosolymitano propositam in haec verba: *Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine;* hoc tamen constat ideo tunc sancitum fuisse, ut omnis dissidii occasio inter Judaeos et Gentiles ad Christum conversos tolleretur; qua causa jamdudum sublata, ejus quoque effectus sublatus dici debet. *Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicae legis caeremonias, sacra, Sacrificia, et Sacramenta, Domino nostro Jesu Christo adveniente, cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse. Ejusdem etiam Legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam, ad caeremonialia pertinere, quae, surgente Evangelio, transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, illi tempori congruisse, ut inter Judaeos et Gentiles dissensionis materia tolleretur, cujus Apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus.*

Consona allato principio Pontificum et Concilio rum Decreti

§. 62. Praemissa verba desumpta sunt ex Professione Fidei Orthodoxae, quam Orientales, ex praescripto Urbani Papae VIII. emittere debent, quaeque impressa fuit Typis Congregationis de propaganda Fide anno 1642. Consonat iisdem doctrina Sancti Thomae, quam is fuse tradit *in* 1. 2. *quaest.* 103. *art.* 4. *ad tertium*. Neque desunt antiquiora monumenta, quibus eadem doctrina firmatur. Siquidem Sanctus Gregorius II. in suo Capitulari, quo instructos in Bavariam ablegavit Marinianum Episcopum, et Georgium Presbyterum, *cap.* 7. ita loquitur: *Ut nihil in perceptione ciborum judicetur immundum, nisi quod fuerit idolis immolatum, quia, juxta quod magisterio Apostolico docetur, omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Similiter Sanctus Nicolaus I. in responsis ad Consulta Bulgarorum, *num.* 43. de animalibus mundis, et immundis, haec habet: *Quae animalia seu volatilia liceat manducare, quantum existimo, Dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noe tribuit, et Filiis ejus edenda . . . . Itaque omne animal, cujus cibus minime corpori nocivus esse probatur, et societas hoc in cibum admittitur humana, comedi non prohibetur.* Itaque in Concilio Florentino, in Decreto pro Jacobitis edito, *in Collectione Labbeana Tom.* 13. *pag.* 1209. sequentia verba leguntur: *Sacrosancta Romana Ecclesia etc. firmiter credit, profitetur, et praedicat, omnem Creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendam, quod cum gratiarum actione percipitur; quia juxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaicae Legis ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia asserit pertinere, quae, surgente Evangelio, transierunt . . . . . Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana: nec inter animalia discernendum, per quemcumque sive virum, sive mulierem, et quocumque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et Ecclesiastica disciplina, possint et debeant multa non negata dimitti, quia, juxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt.*

lest tamen
cl. cae-
n. praece-
innova-
exceptis
quae ven-
um Mes-
n refereb.

§. 63. Altera propositio est: Quamvis, promulgato Evangelio, cessarint caeremonialia praecepta veteris Legis, et nullum in Lege nova extet praeceptum, quo mundi ab immundis cibis secernantur, cujusmodi erat in Lege veteri; non minus tamen in potestate est Ecclesiae Christi, justis concurrentibus rationibus, gravibusque de causis, ut obligationem redintegret observandi aliquod ex praeceptis caeremonialibus, quae erant in Lege veteri, licet in nova, ut innuimus, abrogata sint; dummodo praeceptum non sit ex eorum numero, quae in Lege veteri praecipue ordinata erant ad praefigurandum Messiam venturum; cujusmodi patet fuisse, exempli gratia, Circumcisionem, et animalium sacrificia, uti ad rem nostram advertit Vasquez *in* 1. 2. *Divi Thomae Tom.* 2. *disp.* 182. *cap.* 9. §. *Ex quibus omnibus*; sed sit ex genere eorum, quae ad externam disciplinam, et corporis munditiem pertinebant, in quorum classem profecto referenda veniunt, quae de cibis mundis et immundis prescripta fuerant. Id autem assumptum non minus ex Occidentalis, quam ex Orientalis Ecclesiae disciplina, et quidem ex priorum saeculorum monumentis comprobatur.

Religio-
e priorum
ristian.
servan-
ne argu-
entum.

§. 64. Celebris est calumnia in primaevos illos Christifideles a Gentilibus conficta, quod scilicet Hominum, praesertim infantium, carnibus vescerentur: humanumque sanguinem biberent. Huic causam dedit religiosa, quae tunc vigebat, Arcani disciplina, juxta quam servato inter Fideles secreto circa praesentiam realem Corporis Christi in Eucharistica mensa, ex qua iidem pascebantur, quum tamen subobscura quaedam Mysterii notitia ad Gentilium aures pervenisset, hanc ipsi ansam arripuerunt, ut praedictam calumniam in Christianos excogitarent, et in vulgus spargerent; uti recte demonstrat Schelestratus *in Dissertat. de Disciplina Arcani artic. unic. cap.* 4. §. 17. Æque tamen celebris est responsio, quam veteres illi Apologiarum pro Christianis Scriptores, absque secreti violatione, Gentilibus reddere consueverunt, dicentes, fieri nullo modo posse, ut Christi Discipuli humanas carnes ederent, et sanguinem biberent, quum satis compertum esset, eos ab animalium quoque sanguine, et a suffocatis animalibus abstinere. Hoc argumento utitur Tertullianus *Apologetici cap.* 9. Ex hac autem responsione manifeste evincitur, temporibus illis, nimirum prioribus Ecclesiae saeculis, eiborum delectum apud Christianos aliqua ratione viguisse, eosque potissimum a sanguine et suffocato abstinuisse; ut sapienter observant Nicolaus le Nourry *Tom.* 2. *Apparatus in Biblioth. Patr., Dissert.* 4. *in Tertullianum c.* 12. *art.* 2. et Pamelius *in dictum cap.* 9. *Tertulliani n.* 138. Neque vero Christiani illi existimabant vigentem adhuc esse ea de re Mosaicae Legis sanctionem; neque porro ignorabant sublatum jam esse Apostolicum interdictum de abstinentia a sanguine et suffocato; nec alia demum de causa illicitas putabant, hujusmodi escas, sed tamen ab iis abstinebant, ex consuetudine a Majoribus tradita, quam sequi et servare maxime conveniens arbitrabantur: *Mos itaque abstinendi a sanguine et suffocato in illis Ecclesiis tanta religione servatus est, quia consuetudinem illam a Majoribus acceperant, quamvis esum sanguinis et suffocati absolute illicitum esse non censerent:* verba sunt Natalis Alexandri *Histor. Ecclesiast. saecul.* 1. *Dissert.* 10.

Ad quod us-
que tempus
ea disciplina
viguerit in
Latinis Ec-
clesiis.

§. 65. Asserit Calmet *in suis Commentar. ad Cap.* 15. *Actuum Apostol.* ad ea verba: *et suffocato et sanguine*, in aliquibus Ecclesiis Latinis, per plura saecula, et quidem usque ad decimum, et undecimum Aerae Christianae saeculum, observatam fuisse distinctionem inter cibos mundos et immundos, servatamque abstinentiam a sanguine et suffocato. Et quamvis ipse assertionem hanc suam nullis probationibus ibi confirmet, comprobari tamen facile posset a quolibet in monumentis Ecclesiasticis parumper versato. Etenim Canisius in lucem edidit vetus Poenitentiale Romanum, saeculo octavo labente, vel nono ineunte, compositum: in quo *sub Tit. de Suffocatis* statuitur poenitentia ab eo subeunda, qui suffocati animalis carnem ederit; sub Titulo autem *de Laceratis*, praescribuntur poenitentiae et jejunia iis injungenda, qui vel piscem comederint in piscina mortuum, vel aquam biberint ex eo puteo, in quo demortuus mus, vel gallina reperti fuerint, nisi prius exhaustus omnino fuerit ipse puteus. Humbertus autem Cardinalis Silvae Candidae, qui S. Leonis Papae IX. Legatus fuit, et quidem Constantinopoli cum Graecis acriter disputavit, in ipsis disputationibus hujusmodi, aperte fassus est, nullam hac de re dissensionem esse inter Latinos et Graecos; siquidem adhuc in aliquibus Latinis Ecclesiis observabatur, non secus ac apud Graecos,

abstinentia a sanguine et suffocato: *Antiquam consuetudinem, seu traditionem majorum nostrorum diligenter retinentes; nos quoque haec abominamur, adeò ut sanguine, vel quocumque morticinio, aut aquis, seu quacumque negligentia humana praefocato, apud nos aliquando vescentibus, absque extremo periculo vitae hujus, poenitentia gravis imponatur.* Et alibi: *Nos ergo, quamvis a Domino, et ab Apostolis licentiam habeamus manducandi omnia, quae nec nostrae, nec fraternae saluti officiunt, consuetudine tamen provinciarum, et praeceptis majorum nostrorum hactenus detenti, devitamus comedere nonnulla, non quia mala et immunda sunt, sed quia aut nobis aliquando non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso abhorrent.*

Apud eosdem Lat. nunc penitus obsolet.

§. 66. Jam verò in Latinis Ecclesiis nullum amplius superest hujusmodi abstinentiae vestigium, si fidem habeamus Cornelio a Lapide *in Commentar. in Actus Apost. cap. 15. verbo: Et sanguine.* Viget illa tamen vel nunc in Ecclesia Graeca, quae sibi laudi duxit, Apostolicum praeceptum de abstinentia a sanguine et suffocato, retinere et custodire, quemadmodum notant praecitati Calmet, et a Lapide *in d. cap. 15. Actuum Apost.*, pergitque Christianus Lupus in notis ad Can. 67. Concilii Trullani: *Graeci etiam dudum postea in observantia istius Apostolicae Legis manserunt constantes;* retenta nimirum lege praedicti Canonis Trullani 67., in quo ita legitur: *Divina nobis Scriptura mandavit, a sanguine, et suffocato, et fornicatione abstinere. Eos autem, qui propter lautum et delicatum ventrem, cujuscumque animalis sanguinem arte aliqua esculentum condiunt, ac instruunt, atque ita illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis ergo deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere aggrediatur, si sit quidem Clericus deponatur; sin autem laicus, segregetur.* Soli autem Armeni, quod quidem sciamus, in acceptanda unione cum Ecclesia Romana, hujusmodi Graecorum consuetudinem se relinquere professi sunt. Licet enim Vartanes schismaticus iis persuasisset, ut quibusdam cibis abstinerent, quos Lex Mosaica immundos pronunciavit, excepta solum carne suilla, quàm eis a S. Gregorio Illuminatore, primo eorum Nationis Patriarcha, concessam fuisse asserebat; eosdemque docuisset confringere vasa Oleo, Vinoque plena, si forte musca, vel aliud animalculum hujusmodi in ea cecidisset; nihilominus in Collationibus habitis ad conciliandam adeo exoptatam unionem Ecclesiae Armenae cum Romana, statutum fuit, ut sequitur: *Patres Armeni tum Sisensis, tum Adanensis Concilii, cum Romana Ecclesia suam conciliantes, approbarunt Epistolam Dogmaticam Gregorii Armeniae Patriarchae ad Regem Haytonem, ubi Hebraica illa ciborum discretio his verbis refellebatur: cibos autem immundos, praecipue, qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine Dei purificatos haberi jubemus, quos et orationibus benedici docuit Dominus Nierses, nimirum Ghelajensis, qui similiter Armeniae Doctor et Patriarcha fuerat.* Quae omnia videri possunt apud Galanum *Tom. 2. De conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana.*

Viget tamen adhuc in Ecclesia Graeca

Armeni hac in re Latinis plene consentiunt.

§. 67. Tertia denique propositio ea est, quae innuitur etiam in ipso capite quarto Moniti, de quo nunc agimus: videlicet minime prohibitum intelligi Graecis Sacerdotibus usum ullius ex precibus aut benedictionibus, quae in eorum Euchologio continentur, quantumvis respiciant, pertineantque ad eas ipsas res, quae in lege veteri subjectum erant caeremonialium praeceptorum, dummodo quidquid ab iis fit, non eo animo fiat, ut veteris jam abolitae Legis praeceptis pareatur, sed ut obsequium praestetur vel noxae Ecclesiasticae Legi, vel canonicae consuetudini, diuturni et continui temporis observantia roboratae. Lorinus *in cit. cap. 15. Actuum Apost. vers. 20. §. Si abstinent*, circa Graecorum morem abstinendi a sanguine, et suffocato, haec advertit: *Si abstinent hodie Graeci a sanguine, putantes hac se lege teneri, superstitiosi sunt, quia neminem nunc ligat, et ejus observatio sapit caeremonias veteris Legis: si vel quod naturaliter ab ejusmodi cibo abhorreant, vel honesta alia de causa, reprehendi non debent.* Goarius autem ad Euchologium Graecorum, *in variantibus lectionibus*, ubi eam Orationem expendit, quae fit *pro iis, qui prohibita et immunda comederunt*, sequentem ponit adnotationem: *Non Mosaicae, sed Ecclesiasticae Legis studio, ab immundis degustandis sibi cavent Orientales etc. Proindeque a Judaico ritu observando, dum Ecclesiae observant traditiones, longe alienos se praestant, quidquid in adversum garriat, et falso imputet Catumsyritus;* Cujus quidem audax assertio aliquid fundamenti haberet, si ad id, quod faciunt Graeci, non tam praeindicatis rationibus adducerentur, sed potius adstrictos se esse putarent ex falsa opinio-

Quomod. licita sit Graecis distinctio ciborum, ususque precum ad absterg. immund. inde contractam.

ne vigentis adhuc Apostolici praecepti de abstinentia a sanguine, et suffocato, quam opinionem parum feliciter tueri nititur Guillelmus Beveregius *Tom. 2. Codicis primitivae Ecclesiae illustrati, et vindicati, cap. 7. num. 5.* Tentarunt quidem Schismatici Ecclesiam Latinam, veluti judaizantem, traducere, propterea quod in azymo consecret, et Sabbata observet, Regumque Unctionem inter sacros ritus retineat. At Leo Allatius in suo egregio Opere, *de perpetua consensione Ecclesiae Occidentalis et Orientalis, lib. 3. cap. 14.* temerariam hanc illorum assertionem refellit; specialiter vero *sub n. 4.* ita adversus eos argumentatur: *Quia Judaei Sabbata servant, qui servat Sabbata, Judaeum agit: ergo qui suffocata non manducat, Judaeum agit, cum Judaei ex Lege prohibeantur illa comedere: sed Graeci suffocata non edunt; ergo Graeci judaizant.* Deinde *num. 9.* ad rem nostram recte concludit, minime posse absolute et indistincte dici, quod is judaizet, qui in Ecclesia aliquid agit, et servat consentaneum et simile caeremoniis antiquae legis. *Si quis sub alium finem et commoditatem, etiam ex intentione cultus, et tanquam religiosas caeremonias, non tamquam spiritu illius Legis, nec tanquam habentia in illa fundamentum, sed vel ex proprio arbitrio, vel ex aliqua consuetudine humana, vel ex praecepto et institutione Ecclesiae, observaret; neque peccaret, neque diceretur judaizare. Quare non semper quisquis in Ecclesia aliquid agit, quod cum caeremoniis veteris Legis similitudinem habet, statim dicendus est judaizare.*

§. 68. Quoniam vero unicuique ex tribus prioribus Monitis, de quibus in hac nostra Encyclica egimus, quamdam veluti appendicem addidimus; priusquam scribendi finem faciamus, huic etiam quarto Monito suam appendicem subnectere volumus, quae et ab ipsius Moniti subjecto, et a correcti Euchologii editione aliena non sit.

§. 69. In Lege Levitici, *cap. 12.* statuitur, ut Mulier, quae Masculum peperit, immunda sit septem diebus, deinde aliis triginta tribus diebus maneat *in sanguine purificationis suae;* si vero foeminam enixa fuerit, duabus hebdomadis immunda sit, et sexaginta sex diebus maneat similiter *in sanguine purificationis suae;* ita ut Sanctuarium ingredi nequeat, antequam elapsum sit hujusmodi tempus; quum autem primo Templum adierit, certam oblationem afferre debeat.

§. 70. Hoc interdictum in Ecclesia per aliquod tempus viguisse, negari nequit; legitur enim in Canonibus Poenitentialibus Theodori, quos refert Ivo *in suo Decreto*, quosque commemorat Ven. Card. Baronius ad annum Christi 266. *Mulier, quae intrat in Ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, si masculum genuerit, triginta tres dies poeniteat; si foeminam, quinquaginta sex. Si quae autem praesumpserit ante tempus praefinitum Ecclesiam intrare; tot dies poeniteat in pane et aqua, quot Ecclesia carere debuerat.* Sed neque negari potest, hujusmodi prohibitionem labentibus temporibus in Ecclesia Latina abrogatam fuisse. *Si eadem hora, qua genuerit, actura gratias, intrat Ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur:* verba sunt S. Gregorii Papae, relata etiam in Decreto Gratiani *Can. 2. dist. 5.* Subdit autem Innocentius III. in Decretali: *Volens, De purificatione post partum,* (recitato prius eo Textu: *Lex per Moysem data est; gratia, et veritas per Jesum Christum facta est*), Mulierem puerperam, quae Religionis causa ab ingressu Ecclesiae aliquamdiu abstinere velit, non prohiberi, ingredientem non peccare: *Nulla proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum aditus est eis aliquatenus denegandus, ne poenam in culpam convertere videamur. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.* Cumque Beatissima Virgo Maria, quantumvis in praeindicata Levitici Lege minime comprehenderetur, nihilominus eidem se se subjicere voluerit, dum, elapso puerperii tempore, se ipsam, Divinumque Filium in Templo praesentavit; in hujus praeclarissimi facti memoriam institutus fuit Ritus, qui descriptus legitur in Rituali Romano, Pauli V. Pontificis jussu edito, juxta quem mulier prolem enixa, post puerperii terminum, ad Ecclesiam se confert, ubi prae foribus a Sacerdote excipitur, et aqua benedicta cum prece aspergitur, deinde tenens extremam partem Stolae ejusdem Sacerdotis, pergit ad Altare, et coram eo genuflexa, orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis. Verum haec benedictio mulieris post partum, in Ecclesia Latina nullo jure praecipitur, eamque praetermittens mulier minime peccat, nisi forte id ageret per spretum atque contemptum; ut optime monet Quartus *in suo Opere de Benedictionibus Tit. 3. sect. 12. dub. 1.*

§. 71. In Graeca autem Ecclesia puerperii

Non absimilis Lex viguit quoque primitus in Ec.

Quae tamen subitude abrogata fuit in Ecclesia Latina.

Quid nunc temporis apud Lat. hac in re servetur.

Severior Graeca disciplina de Puerp. menstruatisque mulierib.

lex, tanquam de praecepto, religiose custoditur, nec mulier partum enixa permittitur ante praestitutum tempus ad Ecclesiam accedere; quin etiam superioribus saeculis eo severitatis pervenerat Graecorum disciplina, ut menstruatas mulieres ab Eucharistica Communione repellerent, quantumvis in vitae periculo versarentur. Qua de re graviter reprehensi fuerunt ab Humberto Cardinali Sylvae Candidae, ut videre est apud Cardinalem Baronium *ad annum Christi* 1054. Et quamvis subinde temperatus fuerit hujusmodi rigor, exclusis a sacra mensa mulieribus menstruatis tunc solum, quum nullo vitae periculo premerentur; quod consentaneum visum est Epistolae Canonicae Dionysii Alexandrini, et Novellae 13. Leonis Sapientis Imperatoris; peropportune tamen huc revocanda venit animadversio praedicti Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 266. *num.* 11. ubi observat, Dionysium in citata Epistola opinionem suam tantummodo exposuisse, ut eam aliorum judicio, et Basilidis praesertim, censurae subjiceret: *Ego, non ut Doctor, haec scripsi, sed, ut cum omni simplicitate convenit disserere, meam sententiam in communi ederem, quam tu cum examinaveris saepissime, quod justum meliusque apparuerit, vel etiam an sic de eis haberi existimes, rescribe.* At ex adverso, nimis perspicua est ratio per Sanctum Gregorium Magnum adducta in sua Epistola, cujus partem Gratianus inseruit *Can.* 4. *dist.* 5. *Naturae superfluitas in culpam non valet imputari, et per hoc quod invita patitur, justum non est, ut ingressu Ecclesiae privetur.* Quod autem pertinet ad Eucharisticam Communionem, non quidem improbat Sanctus Doctor, si mulier ab illa ex reverentia se abstineat; sed si nihilominus eo etiam tempore communicet, aperte declarat, se eam non damnare: *Si autem ex veneratione magna percipere non praesumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda: bonarum quippe mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.* Itaque Graecorum disciplina hac in parte nequaquam probatur Theophilo Raynaudo *Tom.* 16. *illius Operum*, in eo, quod inscribitur: *Heteroclita Spiritualia, impress. Lugdun. pag.* 33. *num.* 28. Ac ipse etiam Goarius, perpetuus caeteroquin Graecorum Rituum fautor et defensor, *in notis ad Euchologium p.* 270. ultro fatetur, in nimium rigorem vergere, et praeter omnem regulam invectam esse Legem, quae menstruatas mulieres a sacra mensa repellit: *Mitius tamen cum impuris mulieribus agendum, et naturae imbecillitas non spontaneo se onere levantis; quidquid in adversum objectant, et obtrectent Graeci etc.* post quae verba praemissam affert auctoritatem Sancti Gregorii, ex citata ipsius Epistola desumptam.

Vim coactivi praecepti habet Lex de Puerperis, apud Graecos.

§. 72. Sed quidquid sit de Mulieribus menstruatis, tam quoad earum ingressum in Ecclesiam, quam circa permittendam ipsis Dominici Corporis participationem; sermonem nunc referentes ad eas, quae a partu recentes sunt, quamvis puerperii observatio in Ecclesia Latina, uti jam dictum est, non praecipiendi modo illis praescripta sit, sed mere consulendo proposita; in Graeca tamen Ecclesia viget praeceptum, ut ab ingressu Ecclesiae abstineant, donec certus dierum numerus elapsus sit: *Obedientiam illam ex debito requirunt Graeci; Latini nonnisi ex reverentiae observantia:* ita Goarius loco citato, *pag.* 269. In Euchologio autem leguntur preces per Sacerdotem ea occasione recitandae; sicut etiam in eodem Euchologio describitur universus ritus, quo puerperii caeremonia completur.

Iterata hujusce disciplina. discussio, et nonnullorum de ea judicium.

§. 73. Itaque in Congregationibus pro Euchologii correctione habitis tam sub Urbano VIII., quam nostri Pontificatus tempore, de hac materia diligentissime actum, quaesitumque fuit. Nemo sane extitit, qui expungendum proposuerit ex Euchologio puerperii ritum; fuit tamen, qui suggesserit, ut tolleretur praefinitio termini quadraginta dierum; utque aliae preces subrogarentur in locum illius Orationis, quae in Euchologio legitur, quaeque nimium alludere videbatur ad immunditiam legalem, ob quam Judaei mulieres suas, quadrata diebus post partum, ab omni commercio segregabant, et a Templo excludebant; quum praesertim ibi minus proprie supplicari Deo videatur in hunc modum: *ab omni peccato, et ab omni sorde perpurga etc. sordes corporis ejus, et maculas animae ablue in quadraginta dierum cursu.*

Solidior probataque aliorum sententia ejusque fundam.

§. 74. Verum quum alii sapienter animadverterint, posse utique in nova Lege servari aliquem ex caeremonialibus Ritibus antiquae Legis, dummodo id non fiat tanquam in vim ipsius Legis antiquae, quae evacuata est, sed morem gerendo aut legitimae consuetudini, aut novo praecepto, ab eo edito, cui legislativa simul, et coercitiva potestas competere digno-

scatur, uti prosequitur Vasquez *cit. Tom. 3. in 3. part. S. Thomae, disput. 210. quaest. 80. art. 7.*, satis id visum est, ut nemo mirari jure possit, si puerperii observatio, Latinis mulieribus consilii modo proposita, Graecis pro Lege praescripta inveniatur. Cumque praeterea Graeci non eadem ratione, qua olim Haebrei, puerperii ritum adimpleant; neque enim Sacerdoti oblationem Judaico more afferunt; quin potius eumdem Ritum sanctificaverint per appositas preces, quibus Deus rogatur, ut mulieri peccata, si quae patraverit, dimittere dignetur, invocato in hunc ipsum finem Deiparae Virginis patrocinio; idcirco in sessione habita inter eos, qui a Nobis, ut initio diximus, Euchologii correctioni praepositi fuerant, die 8. Januarii 1747. conclusum fuit, nihil hac in parte innovari; Nosque subinde hujusmodi resolutionem approbavimus. Pronum est enim, supra relatis Graecae Orationis verbis rectum sensum aptare, dicendo nimirum, Deum ibi rogari, ut et mulieris animam ab omni culpa penitus emundet, et corpus etiam illius liberet ab omni immunditia, non quidem legali, sed naturali quatenus spiritualem immunditiam significat; quum etiam externa corporis mundities pars sit cultus et venerationis debitae erga Ecclesias, atque res sacras; quapropter prioribus saeculis Ecclesias non ingrediebantur Fideles, nisi prius diligenter loti fuissent, uti testatur Sanctus Joannes Chrysostomus; neque privatim sacrorum Evangeliorum Codicem attingere audebant, quin antea manus lavissent.

Pontificis ...ortat. pa...ni amoris ...erta, ad ...aecos, qui ...vo corre...que Eu...ol. uti ju...ntur.

§. 75. Haec vobis exponenda censuimus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, per has nostras Encyclicas Literas, ut et causas intelligatis, ob quas Apostolica Sedes laboriosam hanc provinciam jamdudum suscipiendam existimavit, ut Euchologii vestri correctioni manus apponeret; et Vobis compertum sit, qua diligentia, quo studio, et quam aequa prudentique ratione susceptum opus peractum fuerit. Intacta relicta sunt omnia, quaecumque reperta sunt in iis Euchologiis, quae et antiquitate, et auctoritate caeteris praestant: nihil ademptum, aut emendatum est nisi quod in recentiores quasdam editiones, nonnullorum oscitantia, aut malitia, irrepsisse apparuit: omnia retenta fuerunt, quaecumque demum retineri posse visa sunt, et benigna quaevis interpretatio adhibita est, ne Ritus vester aliqua in re labefactari videretur. Ex quibus omnibus quum sinceram nostram et Apostolicae Sedis in vos charitatem testatam vobis esse non dubitamus, tum etiam illud vos intellecturos confidimus, incredibili Nos studio, et sollicitudine urgeri, ut et vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, in sancta Unione constantes perseveretis, et alii aberrantes, et ad eamdem societatem, et ad salutis viam aliquando per Dei gratiam revocentur. Vestrum erit in posterum correcta hac Euchologii editione uti, ac diligenter curare, ut, si nova aliqua ejusdem editio fiat, ea ad normam hujus, quae prodiit anno 1754. e Typis Congregationi de Propaganda Fide, omnibus numeris exigatur; quo interclusus sit aditus erroribus omnibus, et absurdis, quae superioribus temporibus in alias quasdam editiones irrepserunt, easque foedarunt. Hoc denique a vobis petimus, ut Nos in ardua Ecclesiae universae procuratione laborantes, orationum vestrarum subsidio juvetis; vobisque Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 1. Martii 1756. Pontificatus Nostri Anno decimosexto. Dat. 1. Martii 1756. Pont. XVI.

LIV.*

Confirmatur Constitutio Pauli II. interdicens occupationem Domorum, Locorum, Conventuum inter Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis sub primaevis dicti Ordinis institutis, et Eremitarum ejusdem S. Augustini Conventuales nuncupat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae olim maturo consilio, et summa aequitatis ratione a Venerabilibus Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus ad conservandam praesertim inter Sacras Regularium Virorum Societates Christianae pacis tranquillitatem, Apostolica auctoritate, statuta noscuntur, novo confirmationis Nostrae munimine roborare, et ne longi temporis lapsu, per hominum fraudem aut oblivionem, eorum firmitati, ac debitae observantiae detrahi valeat, opportune providere non recusamus, prout et Apostolicae

Sedis dignitati conveniens esse, et eorumdem Religiosorum Ordinum utilitati expedire censemus. Sane pro parte dilecti Filii Augustini Bazano Presbyteri Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Congregationis de Observantia, seu Lombardiae nuncupat. expresse professi, et moderni Ordinis ac Congregationis praedictorum in Urbe Procuratoris Generalis, Nobis nuper exhibita petitio continebat quod alias fel. rec. Paulus PP. II. Praedecessor Noster attendens dictam Congregationem sub primaevis dicti Ordinis institutis, regularique observantia, Domino vota sua salubriter exsolvere, ne inter illam ac Ordinem Eremitarum dicti S. Augustini Conventualium nuncupat. illiusque Professores, occasione regiminis, seu acquisitionis, vel receptionis Domorum, seu alia quacumque de causa, ullae dissentiones aliquando oriri et emergere possent, habita super hoc cum tunc existentibus dicti Ordinis in Romana Curia Protectore, ac Priore Generali dicti Ordinis, ac Vicario etiam Generali dictae Congregationis matura consultatione, de Prioris et Vicarii praedictorum expresso consensu, per suas Literas Apostolicas sub Datum apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXIX. nonis Januarii Pontificatus sui Anno Sexto, inter alia statuit et ordinavit, ac Fratribus dicti Ordinis, tam Conventualibus, quam dictae Congregationis de Observantia, districtius inhibuit, ne proprio motu, industria, et malitia, videlicet Fratres Conventuales Observantium, et e contra illi de Observantia, de caetero Conventualium Fratrum praedictorum aliquam Domum, Locum, Conventum de novo recipere, invadere vel perturbare praesumerent; volens ut si quando Conventuales, vel de Observantia aut alii Fratres praedicti inhibitionibus hujusmodi, et Ordinationibus praedictis contravenirent, aut alias contra dictarum Literarum tenorem attentarent, excommunicationis sententiam, quam ex tunc in iis scriptis tulit, et a qua non possent nisi a Romano Pontifice, praeter quam in mortis articulo absolvi, eo ipso incurrerent, ac etiam Officis suis privati, et ad illa, et quaevis alia Officia, et quosvis actus legitimos in suo Ordine exercendos inhabilitati essent, nisi statim desisterent, prout in dictis Literis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, praefato Augustino et Congregationi praedictae pro illius felici regimine, plurimum intersit, dictas Pauli Praedecessoris praedicti Literas, signanter circa praemissa, novo supremae Nostrae auctoritatis munimine roborari; Ideo pro parte ipsius Augustini, ejusdem Congregationis nomine, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictae Congregationis quieti, et tranquillitati in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui justam, et summopere rationi consonam petitionem hujusmodi deprehendimus, ad magis et perpetuo id stabiliendum, quod antea inter dictam Congregationem et Ordinem praedictum de eorum respective Vicarii Generalis, et Prioris itidem Generalis consensu Apostolica auctoritate sancitum fuit; Ipsius Augustini votis in praemissis annuere, eique ac dictae Congregationi, in qua Nobis relatum est, cum Regularis Observantiae laude, bonorum operum exempla, et Sacrarum Literarum studia vigere, specialem gratiam facere volentes, eumdemque Augustinum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, plenamque Nos de statu, et regimine, tam Congregationis praedictae, quam dicti Ordinis notitiam habentes, ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine dictas Pauli Praedecessoris praedicti Literas, in praemissis, quibus reciproca acquisitio, seu occupatio Conventuum, et Domorum tam dictae Congregationi, quam Ordini praedicto inhibetur, ita quod, ut petitur Fratres Conventuales Observantium, et e contra illi de Observantia Conventualium Fratrum praedictorum nullam Domum, Locum, Conventum de novo recipere, acquirere, invadere, vel perturbare valeant, seu praesumant harum serie confirmamus, et approbamus, illisque Apostolicae firmitatis robur adjicimus. Ac propterea ad Ordinis praedicti et Congregationis hujusmodi conservationem, et integritatem asserendam volumus, statuimus, et mandamus, quod de caetero nec idem Ordo, aut ullus illius Superior, seu Frater ipsius Ordinis Conventualium Professor, sub quocumque titulo, colore, aut praetextu, aliquem Conventum, Domum, et Hospitium, quod ad dictam Congregationem de Observantia, seu de Lombardia nuncupat. spectet,

quamvis dicta Congregatio, illiusque Superiores vel eorum aliquis ad id cooperarent, vel tacite aut expresse assentirent, recipere, acquirere, invadere, occupare, seu etiam per alterius operam, ut occupetur, tentare audeant seu praesumant; Nec e converso Superiores, aut Fratres dictae Congregationis similiter possint, aut valeant ad illam ampliandam aliquem Conventum, Domum, et Hospitium ad dictum Ordinem Fratrum Conventualium praedictorum spectantem, seu spectans, etiam de alicujus eorum consensu, et opera recipere, occupare, et ut occupent tentare; Si quis autem adversus praemissa sub quocumque praetextu etiam interpretationis Nostrae voluntatis hujusmodi, aut alias praemissis contravenerit, quod neutiquam fore in Domino confidimus, privationis graduum, et officiorum, quae sive in dicto Ordine, sive in Congregatione ipse tunc obtineret, et vocis activae in quibusvis Capitulis, Actibus, et Conventibus, nec non inhabilitatis, et incapacitatis ad alia Regularia Officia consequenda: Ac insuper excommunicationis latae sententiae, poenas, quas, pro praemissorum observantia, Nos denuo per praesentes ferimus, eo ipso incurrat, quarum remissionem, et condonationem, ac respective ab excommunicationis sententia hujusmodi absolutionem praeterquam in mortis articulo, Nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici reservamus. Caeterum, quoniam Nobis id maxime propositum est, ut stabili, firmaeque tam Ordinis praedicti quam dictae Congregationis conservationi, et integritati consuleremus, ita Constitutiones, Regulas, Statuta, Consuetudines, Conventiones, Privilegia, Gratias, Immunitates, et Exemptiones circa regimen, et gubernium, tam dicti Ordinis, quam Congregationis praedictae laudabiliter vigentes, et vigentia nullatenus per praesentes immutare, extendere, vel limitare intendimus, sed illas, et illa in earum, et eorum primaevo statu, validitate, et observantia, in quibus nunc acta reperiuntur, permanere volumus, et declaramus, ac respective ab eorumdem Ordinis et Congregationis Superioribus, et Fratribus inviolabiliter servari praecipimus, et mandamus. Praesentes quoque Literas etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, ad id vocati, et audiri non fuerint, aut ex alio quovis capite numquam de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque Regulas, et Constitutiones Apostolicas per Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam Motu proprio, ac alias, sub quibusvis tenoribus, et formis pro tempore factis et faciendis, et concessis, ac concedendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, ac illas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere. Sicque, et non alias per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sanctae Sedis Nuncios judicari, et definiri debere decernimus. Irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu in Synodalibus, Provincialibus, Generalibusque Conciliis, editis vel edendis, Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon dictorum Ordinis et Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, Ordini, et Congregationi praedictis, ac quibusvis aliis Superioribus, et Personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo, ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata inserti forent; praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, et plenissime ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Seu si; quibusvis communiter aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Literas Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod earumdem praesentium

transumptis, etiam typis impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si originaliter exhibitae forent, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, statuti, mandati, reservationis, declarationis decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto, decimo septimo Kalendas Aprilis Pontificatus Nostri Anno sextodecimo.

J. Card. Pro-Datarius.

Pro D. Cardinalis Passioneus.

Joannes Florius Substitutus.

Visa De Curia

J. C. Boschi.

Loco ✝ Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

LV. FACULTAS TRIBUITUR

Jacobo III. Magnae Britanniae Regi, ut S. Eucharistiam possit suscipere, de Spiritualis Directoris sui consilio, etsi post mediam praecedentem noctem jenctaculum aliquod, sic exposcente valetudine, sumpserit.

Dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus Sancti Officii Assessori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pium Regis Britannici votum communionem sumendi etsi non jejunus.

Quadam, de more, tibi impertita audientia, detulisti ad Nos pium aeque religiosum Carissimi in Christo Filii Nostri Jacobi III. Magnae Britanniae Regis, liceret ut sibi Eucharisticum sumere Sacramentum, etsi de media nocte antevertente diem, quo sacris Mysteriis participem se fieri cupit, quandoque, ex aegra valetudine, cibum aliquem sumere cogatur, quo vires reficat, atque id quidem haud se facere paratum esse, nisi sui Confessarii consilium et approbatio accesserit.

Jejunium naturale parvitat. materiae non patitur.

§. 2. Facilioris doctrinae Theologus responderet, nulla Regem indigere dispensatione, cum res sit de exiguo cibo, necessitate cogente, non ex animi levitate sumpto, atque non minus in naturali jejunio, quam in Ecclesiastico materiae, ut inquiunt, parvitas indulgeatur. Verum opinio isthaec, etsi a Pasqualigo propugnata, falsa est; veluti pluribus demonstrant Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *quaest.* 80. *art.* 8. *disput.* 68. *sect.* 4. §. *Dico secundo*. Salmaticenses *tom.* 4. *Cursus Theologici Moralis tract.* 4. *cap.* 7. *quaest.* 4. *num.* 66. Eamdemque refutavimus ipsi pro viribus ac facultate, in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae sect.* 2. *cap.* 4. §. 2. *Patavinae editionis*. Alia itaque via insistendum, his, quae sequuntur, propositis.

Potuit Ecclesia, de cuitque, ut naturale jejunium Comm. praemitteod. statueret.

§. 3. Primum, etsi peramabilis Redemptor noster sacra sui Corporis Communione participes fecerit Apostolos non jejunos; cum tamen peculiaribus quibusdam gravioribusque de causis id praestiterit, haud tamen ademit ipse Ecclesiae suae auctoritatem constituendi prout reipsa constituit, ne cui, Viatici, aliisque paucis exceptis casibus, videndis apud Theologos Morales, non jejuno, et quidem a media superiori nocte Communionem praecedente, Eucharisticum Sacramentum ministretur. Rem hanc tractat S. Augustinus *Epist.* 54. *alias* 118. *ad Januarium cap.* 6. ubi postquam retulit, Christum Discipulis non jejunis Corpus suum ministrasse: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus et Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos;* ita subdit: *Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipiatur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam caeteri cibi.* Quod, post S. Augustini, traditur quoque a Magistro Sententiarum *in* 4. *Sent. dist.* 8. et a S. Thoma 3. *part. quaest.* 80. *art.* 8. Suntque in hoc ipsum gravia, et momentosa verba Pontificis S. Nicolai I. *ad consulta Bulgarorum cap.* 65.

Ab hac jejunii lege solvit Pontifex dispensare potest.

§. 4. Alterum, cum generali lege caveatur, ut nonnisi jejuno universim sacra ministretur Communio, quam ipsam legem innuit quoque

Synodus Constantiensis *sess.* 13. ubi haec leguntur: *Hujusmodi Sacramentum non debet confici post coenam, neque a Fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Ut alicui expressis casibus non comprehenso liceat, etsi non jejuno, sacra participare mysteria, necesse erit, eumdem expressa dispensatione juvari, quae porro dispensatio a nemine, praeter Romanum Pontificem, potest indulgeri. Id solide tuetur Henaus *de Eucharistia disput.* 14. *sect.* 3. *num.* 54. Et Suarez *citat. loco sect.* 5. §. *Nihilominus*, quaestionem versans, num possit Sacerdos etsi non jejunus Missam celebrare, ut aegro in vitae discrimine constituto Sacram Eucharistiam ministret, pervalide oppugnat sententiam asserentium, id ipsi licere ex dispensatione Episcopi: *Non potest Episcopus dispensare, quia est praeceptum universale totius Ecclesiae, et nulla auctoritate, vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo. Per se autem non potest inferior in lege Superioris dispensare.* Firmissimam in hanc regulam consentit Cardinalis de Lugo, *de Eucharistia disput.* 16. *sect.* 2. *n.* 55. et haec sunt ejus verba: *In hoc praecepto jejunii naturalis dispensare potest solus Papa. De facto autem neque ipse dispensare solet.* Dignumque animadversione est praepositum verbum *solet*, innuens rariora esse similium dispensationum exempla, veluti scite expendit Tamburinus *in metodo expeditae Communionis cap.* 2. §. 8.

Dispensatio hujusmodi missam praequirit, et eam.

§. 5. Tertium, quandoquidem omnem dispensationem ex causa esse oportet, in proposita autem facti specie unica tantum viget ratio indulgendi pietati ac religioni Regis Britannici, Eucharistico Pane se frequenter reficientis, expendendum propterea est, an satis idonea haec causa sit, numve afferri possint vetera similium dispensationum exempla; Nos enim difficiliores quidquam aggredimur novi, quod nulli Praedecessores Nostri praestiterint.

Aliqua exempla Communio. sumtae a non jejunis.

§. 6. Ut facilior imploratae dispensationi fiat locus, posset quisquam ad disciplinam confugere quarumdam Ecclesiarum Africae, in quibus Christifideles feria sexta majoris Hebdomadae coenati Sacram sumebant Communionem, idque ex religioso cultu erga institutionem Sanctissimi Sacramenti, ut praedictum est, a Christo Jesu Apostolis, postquam comederant, distributi: *Nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Coenam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri, et accipi liceat Corpus et Sanguinem Domini.* Verba sunt Sancti Augustini *in vit. Epistola ad Januarium cap.* 7. ad diu toleratam in Occidentalibus et Orientalibus Ecclesiis praxim, cum scilicet post Baptisma Communio ministrabatur infantibus, quibus matres vel nutrices, etiam ante sumptam Sacram Eucharistiam, eorum imbecillitatem commiserando, lac exhibere permittebantur; *ad epistolam* 125. Sancti Joannis Chrysostomi *ad Cyriacum Episcopum*, ubi Vir sanctus incusatus, quod Communionem pasto cuidam ministrasset, his respondet: *Quod si mihi obstinata mente id objicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu dejiciant, qui coenatus universam domum baptizavit; Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui Apostolis post coenam Communionem dedit;* ac denique ad celebre factum S. Udalrici Augustae Episcopi, de quo in Chronica incerti Authoris *ad annum* 978. haec leguntur: *Iste Udalricus Episcopus fecit prandium cum Conrado Constantiensi Episcopo, et eodem die, facto prandio, celebravit Missam cum Clero, et populo. De hoc accusatus respondit, ego non comedi, sed charitas.*

Irrelevantia ostenduntur nonnulla quidem, quia proscripta, vel obsoleta.

§. 7. In nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana novissimae editionis lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. egimus de Communione in nonnullis Ecclesiis feria quinta in Coena Domini ministrari solita etiam non jejunis, deque Eucharistia infantibus porrecta illico post Baptismum; verum monumenta ista viam nihilo faciliorem ad id, quod proposuimus, efficiunt. Invectum quippe usum communicandi post commestionem feria quinta majoris Hebdomadae proscripserunt subinde Patres Synodi tertiae Carthaginensis, quorum decreto congruit omnino Canon 29. Concilii Trullani habiti anno 692. uti etiam videre est in eruditis adnotationibus P. Lupi *ad dictum Canonem Trullanum*, et apud Juenin *de Sacramentis dissert.* 4. *quaest.* 8. *art.* 2. §. 1. *conclus.* 2. Quod autem spectat ad Communionem pueris, statim post Baptismum ministratam, jam a quadringentis et amplius annis is ritus in Occidentali Ecclesia obsolevit. Nonnulla quidem supersunt adhuc vestigia in Orientali Ecclesia; at et ipsa quoque pedetentim et antea, et nunc quoque temporis studuit ab eo deflectere, quemadmodum latius ostendimus in nostris encyclicis Literis ad Missio-

Vide has literas hic etiam editas, ut supra.

narios per Orientem §. 24. typis editis superiore anno 1755.

Caetera vero quia apocryph. vel saniorem habentia interpretationem.

§. 8. Mox supra indicata Epistola S. Joannis Chrysostomi genuinum ejusdem opus agnoscitur a Lupo, Tillemontio, et Montfoconio; verum tanquam supposititia rejicitur multis haud levibus conjecturis ab erudito Patre Stiltingio, Bullandiani operis prosequutore in Acta S. Joannis Chrysostomi illustrata, editaque anno 1753. nobisque dicata, uti videre est §. 69. *num.* 1072. *et seq.* ac praecipue *num.* 1081. At, utut Epistola genuinum opus S. Joannis Chrysostomi haberi vellet, Vir Sanctus haud probat, Communionem ministrari cuiquam non jejuno, inficiatur se umquam eamdem porrexisse pasto; profitetur, siquid ejusmodi attentasset, dignum se, qui de Episcoporum Catalogo, atque Fidelium Electorumque libro expungatur; subinde vero ex quodam orationis impetu superaddit ea, quae superius allata sunt de Communione non jejunis a Christo exhibita: ita ille inquit: *Multa adversum me struxerunt, ajuntque, me post epulas quibusdam Communionem impertiisse. Hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in Orthodoxae Fidei volumine scribatur, quoniam ecce, si quidquam ejusmodi perpetravi, Christus e regno suo me abjiciat:* hisque verbis cum addat Chrysostomus caetera superius expressa, facile intelligitur, haec quemdam animi impetum importare, et argumentandi modum, quo utuntur plerique, qui post factum solide inficiatum, ultra progressi, non verentur ex falsa hypothesi illud concedere, pugnantes tamen nullatenus exinde confici, quae adversarius inferre contendit. De S. Udalrico Episcopo nihil plane addemus; eum pura putaque fabella sit illud, quod quidam de eo comminiscuntur, uti innuit Christianus Lupus *in notis ad Can.* 29. *Trullanum*, et latius prosequitur recens eruditus Catalanus *in suis Commentariis ad eumdem Canonem.*

Alia nonnulla receptiora exempla Pontif. dispensationis.

§. 9. Itaque cum ea, quae hucusque demonstrata est, via minus tuta reperiatur aliam inire opus est, eritque haec haud ita vetustis monumentis suffulta, propterea quod nititur proximiorum temporum concessionibus a Praedecessoribus Nostris emanatis. In secreto Vaticano Tabulario inter Brevia Praedecessoris nostri Pii IV. *tom.* 18. *num.* 63. extat Breve ab eodem Pontifice ad preces Sebastiani Lusitaniae Regis relaxatum, in quo Sacerdotibus per Indias enunciati Regis dominio subjectas commorantibus, qui vel ob contractam aegritudinem, vel coeli inclementiam, post noctem mediam, aliquem sumunt cibum, fit facultas successivo die Sacrum peragendi. Innocentius XIII. Pontifex per suas Apostolicas literas in forma Brevis Romanorum Reginae Elisabethae Christinae concessit facultatem sumendi Eucharistiam, etiam post aliquod degustatum cibum, quo die in Bohemiae Reginam ungi solemniter, coronarique debebat; ita exposcente imbecilli ejusdem valetudine, quae tam diuturnam functionem, nullo recreata cibo, perferre non potuisset: *Tecum, ut dictae tuae unctionis et coronationis die, necessarium jentaculum, antequam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipias sumere libere et licite possis et valeas, harum serie dispensamus.* Simileque Indultum ab eodem Pontifice datum reperitur regnanti Regi Christianissimo, qui cum solemni Consecrationis suae die Sacram Communionem sumere deberet, eaque tunc esset aetate, in qua nondum oblirmata valetudine uteretur, justum ingesserat timorem, ne ullo praegustato cibo, tam diuturnae functioni non posset interesse. Perspectum denique est quid quotannis fiat Romae in Pontificio Sacello nocte Nativitatis Domini; in eodem quippe celebratur Missa ante mediam noctem, nec semper ab eo, qui praecedenti die ab omni cibo abstinuerit. Scripsere nonnulli, singulis annis concedi a Pontifice dispensationis literas in forma Brevis; at id a veritate aberrat. Verum cum Pontifici perspectum sit, qua hora celebretur Missa; innotescat quoque haud semper esse jejunum qui Sacrificium offert, nec tamen quidquam obloquatur, nec quidquam statuat, remque ita transigi sinat, locus fit tacitae cuidam dispensationi, quae tutam efficit conscientiam ejus, qui ea nocte Missam celebrat non jejunus; uti a Nobis fuit pluribus demonstratum in Nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana nuperae editionis lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 13. *et sequent.*

Haec quoque nec casui omnino congruere demonstratur.

§. 10. Exempla isthaec profecto proprius ad casum nostrum accedunt, quam caetera superius relata; verum nec plane rem praesentem attingunt: cum nunc disseratur de Sacrae Communionis participatione, ex singulari religione ac pietate exoptata; proxime autem indicata exempla versentur circa Missae celebrationem, vel sumptionem Eucharistiae, quodammodo necessarias, et quae praetermissae

admirationem induxissent, vel etiam offensionem: Facultatem fecit Pius IV., uti praenotatum est, Indiarum Sacerdotibus celebrandi Missam adhuc etiam post sumptum, evoluta jam media nocte, cibi aliquid vel potus; verum cum per eas regiones haud ita frequens esset Presbyterorum numerus, Sacerdos quilibet Sacrum singulis diebus offerre tenebatur. *Quodque nonnulli Presbyteri, qui aut propriae infirmitatis, aut aeris intemperiei occasione, quibusdam remediis comestibilibus, aut potabilibus nocte uti consueverunt, dubitant, si ipsos contingat post mediam noctem eisdem remediis uti, licere sibi Missam, ad cujus celebrationem ob penuriam aliorum Presbyterorum in illis partibus quotidie tenentur, die sequenti celebrare.* Sunt hae circumstantiae casus ad Pontificem delati; quas idem in ipsa concessione repetens, ita subdit: *Si eos dictis remediis post mediam noctem uti contigerit, si urgentissima fuerit celebrandi necessitas, ac paululum inde dormierint, nihilominus die sequenti celebrare libere et licite valeant, auctoritate Apostolica etc. licentiam et facultatem concedimus, et impertimur.* Facile quisquam animadvertet, quod, cum debeant Reges, summique Principes, quo consecrantur die, Sacra Eucharistia refici, tum ut statutis regulis et Ritualium legibus satisfaciant, tum ut populis suo exemplo praeluceant, si cum iis dispensatur, ut Sacramentum eo die sumant, licet quidpiam prius comederint, hanc tamen dispensationem minime pertinere ad privatam Communionem, ex privato devotionis affectu susceptam, sed ad publicam Eucharistiae sumptionem, cujus neglectus admirationem secum tulisset ac scandalum; eodemque ferme modo obtinere dici potest, quod relatum est de eo, qui Nocte Natalis Domini in Pontificio Sacello sacrum facit; cum nimis urgeat, ne praeindicata Nocte Sacra functio in Pontificia Capella omittatur, simulque haud ita facile sit adesse semper Cardinalem, qui, non obstante aetate, quam plerumque agunt praedicta dignitate decorati, potens sit protrahere naturale jejunium a media nocte superiore, ad alteram, in qua solemne intra memoratum Sacellum offert Sacrificium. Accedit insuper, in praxim omnino induci non posse, ut, media nocte transacta, constituatur initium Missae, dum ipsi intersunt Cardinales, Archiepiscopi, et Episcopi, qui sequente die, horaque congrua, ad reliquas Pontificii Sacelli functiones redire debent, quod porro non praestant, nisi lecto jam privatis in Sacellis suis, oblatoque trino Sacrificio; quemadmodum a Nobis latius enarratum fuit in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana, designato loco.*

§. 11. Unicum itaque exemplum privatae Communionis ex devoto Religionis affectu sumptae, in vim obtentae a Summo Pontifice facultatis eamdem sumendi, adhuc etiam post refectionis aliquid degustatum, ita exposcentibus imbecillitate, indigentiaque corporeae habitudinis in Carolo V. Imperatore suppetit. Is secum ipse cogitavit, constituitque de German. Prov. cedendis, uti contigit, Ferdinando fratri, subinde etiam Imperatori; deque transferendis reliquis ditionibus, id quod etiam perfecit, in Philippum filium suum, Hispaniarum Regem ejus nominis II.; tum se recepit in Monasterium S. Justi Monachorum S. Hieronymi situm in Extremadura, vitamque iniit eremiticam, adstans simul cum Monachis divinae Psalmodiae; Patrum volumina perlegens, res Divinas saepe commemorans, saepe Sacramentali confessione abstergens peccata, sacramque Communionem pio affectu frequentans, uti latius prosequitur Famianus Strada *de bello Belgico, decade prima, libro primo, sub titulo, Carolus V.* Cumque pius Imperator Eucharistiam jejunus sumere nequiret, eidem suasere Medici, ut nonnihil antea cibi degustaret. Ita aliquamdiu se gessit; at cum rescivisset, Apostolica opus esse dispensatione, ut liceret praefato modo ad Communionem accedere, recursum habuit ad Julium III. Pontificem, qui eidem, quod in praeteritum gesserat, relaxavit, indulxitque, ut in posterum, etiam post sumptum exiguum aliquod jentaculum, posset Sacram participare Communionem.

Exempl. affertur casui plane accommodatum.

§. 12. Non censuimus in re tanta fidendum esse Authorum assertioni, qui cursim innuunt datum Imperatori Carolo V. a Julio III. Praedecessore Nostro Indultum. Ex secretiori Vaticano Archivio afferri jussimus Pontificium Breve repertum *tom.* 70. *n.* 152. in quo Imperatoris precos sequentibus verbis referuntur: *Exponi nobis tua Majestas fecit, se nonnunquam, ratione suae valetudinis ita suadente, et cogente, diebus, quibus Sacratissimam Eucharistiam sumere instituit, de medicorum consilio, modicum jentaculum ad necessariam substentationem ventriculi sumere ante consuevisse, et nobis, ut tam de praeterito veniam illi dare, quam in futurum*

Pontificii indulti tenor.

secum super eo dispensare auctoritate Apostolica vellemus, supplicavit. Subsequitur in ipso Brevi Pontificia concessio, cujus en concepta verba: *Quare nos hujusmodi necessitatem tuam attendentes, et tuae Majestatis pium sincerumque in Catholica Religione, et Sanctorum Patrum Constitutionibus tuendis, ac venerandis animum omnibus in rebus agnoscentes, te omni conscientiae scrupulo, quod propter istiusmodi usum hactenus forsan contrahere potuisti, prorsus in Domino liberamus et absolvimus, atque ut in posterum eodem modo, post sumptum necessarium jentaculum, praefatum Sacratissimum Eucharistiae Sacramentum sumere possis, tecum, ab eodem Domino tradita nobis auctoritate, indulgenter dispensamus.*

Utriusque casus circumstant. confer. sibique respond. adinveniuntur.

§. 13. Quod Julius III. Praedecessor Noster praestitit erga Carolum V. Imperatorem, idipsum et Nos agere intendimus, quin et peragimus cum Jacobo III. Magnae Britanniae Rege. Perspecta Nobis esse non potest imbecillis valetudo Imperatoris Caroli V. a medicis contestata; scimus equidem, ipsum natum anno 1501., cumque datum fuerit Pontificium Breve sub annum 1554., eumdem, dum Breve obtinuit, non excessisse 54. aetatis suae annum. Quae patitur Britannicus Rex Noster incommoda, sunt Nobis satis superque nota, scimusque etiam, eum agere 68. aetatis suae annum. Ex animo credimus, quidquid scripsere Historici de pietate, ac religione Caroli Quinti. At Historicis minime indigemus, ut perspecta Nobis fiat singularis Charissimi in Christo Filii Nostri Jacobi Regis integritas vitae, pietas, et religio, quibus dum totam vivendi rationem moderatur, universae sit Urbi exemplo; cum ipsi simus horum oculati testes. Tu itaque, qui ad Nos Regium desiderium attulisti, nuncius Nostro nomine eidem eris, Apostolica Nos, qua fungimur, auctoritate, ipsi facultatem indulgere, sacram sumendi Eucharistiam, consulto conscientiae suae Moderatore, etsi post evolutam superioris noctis partem dimidiam, valetudine ita exposcente, exiguum aliquod jentaculum deglutiverit. Brevia Praedecessorum Nostrorum Julii III. et Gregorii XIII. superius relata, et ad rem nostram spectantia, concludit Paterna monitio ad Principes, quibus concessa fuerunt, pro eorum valetudine tuenda, veluti Christianae Reipublicae apprime necessaria. Nos quoque, dum Epistolae huic Nostrae finem facimus, idem praefato Jacobo Regi in memoriam revocantes, quod a Praedecessoribus Nostris commemoratum legimus iis Principibus, quos hujusmodi facultate donabant, Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Unde optatum indultum concedit.

Datum apud S. Mariam Majorem die 24. Martii 1756. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Dat. 24. Martii 1756. Pont. XVI.

DEFINITUR AUCTORITAS LVI.

Tum Metropolitani Nationis Ruthenorum, tum Proto-Archimandritae Ordinis S. Basilii Magni ejusdem Nationis, in Abbates, seu Archimandritas Monasteriorum ipsius Ordinis: Aliaque ad hujusmodi Abbates et Monachos Ruthenos pertinentia opportune statuuntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium, Pont. cura de Fidei puritate ac disciplinae integrit.

Super familiam Domini Coelestis Patris ordinatione constituti, ad omnes Nationes, et Gentes, quae Catholica Societate continentur sollicitudinis nostrae curas extendimus; quaeque ad Religionis, ac Fidei puritatem, et Ecclesiasticae Disciplinae integritatem ubique servandam, pro diversa regionum opportunitate, magis proficua fore prospicimus, ea peculiari studio fovere, et, quantum in Nobis est, augere ac promovere non praetermittimus. Quapropter, quum satis compertum habeamus, Ordinem Monachorum Sancti Basilii Magni, apud inclytam Ruthenorum Nationem, jampridem Catholicae Romanae Ecclesiae inviolabili unitatis foedere junctam, spiritualibus Ecclesiarum, et Populorum utilitatibus eximiam operam, assiduosque labores, et antea semper impendisse, et adhuc laudabiliter impendere; officii nostri partes esse duximus, ad ea per quae Ordo ipse in proprio Instituto firmius consistere, ac etiam felicioribus in dies incrementis augescere valeat, animum nostrum intendere; comparatisque necessariis rerum notionibus, ac saepius auditis tum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, tum aliorum Sedis Apostolicae Ministrorum consiliis, complura decrevimus et constituimus, quae ad praedicti Ordinis, ejusque Provinciarum, ac Monasteriorum perpetuam stabilita-

Ordinis commendatio, nec non Pont. sollicitudo de optimo illius regimine.

tem et ordinatam tranquillitatem, nec non ad definienda et asserenda ejusdem Superiorum jura, et Monachorum regimen ac disciplinam, magis opportuna fore, ut in Domino salubriter judicavimus.

nta in estite- ntifex.

§. 1. Jam enim usque ab anno Domini 1744. pluribus praehabitis consultationibus, editae a Nobis fuerunt Literae Apostolicae, quibus initium est: *Inter plures*, impressae deinde in Bullarii Nostri *T.* 1. *num.* 98., quibus potissimum unio Monasteriorum omnium praedicti Ordinis S. Basilii Ruthenorum, tam in Lithuania, quam in Polonia seu Russia existentium, in unam Congregationem ex duabus Provinciis coalescentem, de qua unione inter ipsius Ordinis Archimandritas et Professores convenerat, per Nos approbata et confirmata fuit: Cumque superiore anno 1743. habitum fuisset in Civitate Dubnensi Generale ejusdem Ordinis Capitulum, sub praesidentia Ven. Fratris Athanasii totius Russiae Metropolitani, assistente etiam in eo Ven. quoque Fratre Georgio Episcopo Zenopolitano, quem tunc existens Noster, et Apostolicae Sedis Nuntius in Poloniae Regno constitutus, ad id subdelegaverat; hujusmodi Capituli Generalis deliberationes atque decreta diligenter expensa, ac per supradictas Literas Nostras partim approbata et confirmata, partim temperata, et reformata fuerunt. Quum vero indecisa tunc temporis relicta fuerit quaestio, utrum Abbates, seu Archimandritae Monasteriorum praedicti Ordinis, jurisdictioni Metropolitani, an potius Proto-Archimandritae totius Congregationis, immediate subjecti esse deberent; propterea quod opportuna documenta ad eam quaestionem dirimendam nondum allata fuerant; exhibita Nobis postmodum hujusmodi documentorum serie, una cum copiosis allegationibus, quibus unaquaeque ex contendentibus Partibus rationes et jura sua fuse deduxit; tandem die 23. Novembris elapsi anni 1755. coacta fuit coram Nobis nonnullorum Ven. Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregatio, cui etiam interesse voluimus Ven. Fratres, Albericum Archiepiscopum Nicaenum Almae Urbis Gubernatorem, qui Apostolici Nuntii munere in praefato Poloniae Regno plures annos laudabiliter perfunctus est, ac praedictum Georgium olim Episcopum Zenopolitanum, nunc autem Theodosiae Archiepiscopum: Quorum omnium sententiis auditis, non solum definita fuit quaestio jamdudum pendens, utrum nimirum Abbates immediatae Metropolitani, vel potius Proto-Archimandritae jurisdictioni subesse debeant; opportuno quodam inito temperamento, quo et Regularis disciplinae conservationi prospiciatur, et minime recedatur ab obsequio, ac dependentia, quam Ordo S. Basilii Magni Ruthenorum erga propriae Nationis Metropolitanum innumeris atque solemnibus actibus semper professus est: verum etiam alia condita fuerunt decreta, ad consulendum Animarum saluti, earumque spirituali curae, et ad Divinum cultum promovendum, ut ex inferius afferendis perspectum fiet, maxime idonea.

stio de ctione. tum Archim. ous in- a.

Sedulo praemisso examine definitur, aliaque opportuna superadduntur decreta.

Abbatum seu Archimandritarum subjectio.

§. 2. Primo itaque definitum atque decretum fuit, Abbates seu Archimandritas Monasteriorum praefatae Congregationis, immediatae jurisdictioni Proto-Archimandritae pro tempore existentis subesse debere; ita tamen ut unusquisque eorum Institutionem quidem a Metropolitano, Installationem vero a Proto-Archimandrita suscipere teneatur; Obedientiae autem juramentum in Metropolitani manibus praestent; cujus quidem juramenti formula ita concepta sit, ut relationem habeat ad omnia jura, constitutiones, et decreta ab Apostol. Sede emanata, et signanter ad ea, quae in praecitatis, quarum initium est: *Inter plures*, et in praesentibus Nostris Literis continentur.

Iisdem jus vocis activae et passivae in Capitulis tribuitur.

§. 3. Secundo statutum est, ut praedicti Abbates, seu Archimandritae, in posterum tam in Provincialibus suarum respective Provinciarum, quam etiam in Generalibus universae Congregationis Capitulis, activi et passivi suffragii jure fruantur, servatis tamen, ac religiose impletis iis, quae circa Vocalium numerum decreta fuerunt in saepedicta Epistola: *Inter plures*; ita videlicet, ut in designato hujusmodi numero Abbates ipsi includantur.

Proto-Archimand. jus visitandi, et corrigendi asseritur.

§. 4. Tertio decretum fuit, Proto-Archimandritae licitum fore, Abbates Regulares seu Archimandritas Monasteriorum praefatae Congregationis visitare, atque etiam eos, in actu visitationis hujusmodi, quoties id exigat Monasteriorum utilitas, ab officio suspendere: reservato tamen suspensis jure appellandi in devolutivo ad Metropolitanum, tanquam Sedis Apostolicae Delegatum; ac etiam appellandi in suspensivo ad eumdem, si forte Proto-Archimandrita in praefata visitatione ad alias poenas cor-

poris afflictivas, aut infamiam irrogantes, contra praedictos Abbates processerit.

Extra Visitationem quomodo in causis graviorum procedat.

§. 5. Quarto, si extra Visitationis actum Proto-Archimandrita procedere velit adversus dictos Abbates, in causis graviorum et personalium criminum, quae, ex juris praescripto, depositionis poena, vel alia corporis afflictiva, aut infamiam irrogante, punienda essent; decretum fuit, id aliter ab eo praestari non posse, quam legitimo Processu efformato, et una cum Consultorio suo, collatis sententiis, statuendo quidquid in causa decernendum et pronunciandum existimaverit; Ab illius autem sententia, licitum et integrum fore appellationem etiam in suspensivo interponere ad praedictum Metropolitanum, tanquam Sedis Apostolicae Delegatum.

Ab illato per ipsum gravam. quomodo sibi Mon. possint consulere.

§. 6. Quinto permissum fuit Monachis quibuscumque, si forte gravamen sibi aliquod a Proto-Archimandrita illatum fuisse contendant, recursum habere ad Metropolitanum, tanquam praedictae Sedis Delegatum, salva tamen semper Apostolicae Nunciaturae, ejusdemque Sedis auctoritate.

Subsidiar. Monach. cooptatio ad curam Animar. vel in Cathedrales quomodo peragenda.

§. 7. His autem adjecta sunt alia Decreta, quae Animarum Christifidelium salutem, eorumque spiritualem curam concernunt: quibus edicendis occasionem et causam id praebuit, quod Nobis et Apostolicae Sedi innotuit, saepe contingere, ut propter penuriam Sacerdotum Saecularium Ritus Graeco-Rutheni, necessario cogantur ejusdem Nationis Episcopi, Monachos praedicti Ordinis ad gerendam Animarum curam evocare; ac etiam aliquando nonnullus ex iis ad inserviendum Ecclesiis Cathedralibus arcessere. Quod itaque spectat ad Monachos Animarum regimini praeponendos, decretum fuit, ut, quoties e Clero Saeculari Sacerdotes ad id muneris idonei revera deficiant, non omittant Episcopi rem cum Proto-Archimandrita communicare, et cum ipso agere, quo sibi eos Monachos concedi obtineant, qui in regimine et administratione Ecclesiarum, quibus cura imminet Animarum, defectum suppleant Saecularium Sacerdotum; utque hujusmodi Monachi, in exercitio muneris sibi concrediti, Episcopis ipsis subjecti esse debeant, eisque rationem reddere de injuncti sibi officii administratione: ita ut quicumque Regulares ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem, ut supra, assumpti fuerint, in iis, quae ad utrumque hujusmodi ministerium pertinent, immediatae Episcoporum jurisdictioni, visitationi, et correctioni subesse debeant; nunquam vero animarum curam suscipere possint, nisi antea opportunam eorumdem Episcoporum approbationem obtinuerint, quam quidem hi, praevio eorum examine circa idoneitatem, si id necessarium et expediens esse judicaverint, ipsi elargientur. Si autem aliquos ex Monachis ad inserviendum Ecclesiis Cathedralibus assumi contingat, hos etiam decretum fuit, in iis, quae Ecclesiarum hujusmodi servitium, Divinumque cultum respiciunt, praedictorum Episcoporum jurisdictioni subesse debere.

Episcop. in eos jurisdictio.

Iterata praedictorum confirmatio.

§. 8. Quas quidem omnes Resolutiones, ut supra, captas, Nos tunc approbavimus; et nunc iterum, praevia confirmatione supracitatae Constitutionis Nostrae: *Inter plures*, quoad ea omnia, quae iisdem resolutionibus hucusque relatis contraria non sunt, praesentium Literarum Nostrarum tenore, eas approbamus et confirmamus, atque omnimodae executioni mandari volumus et statuimus.

Novae propositae instantiae definitio ob recompert. ampliatur.

§. 9. Quum vero post praemissarum quaestionum examen, atque definitionem, expositum Nobis fuerit, nonnulla extare Monasteria, gubernari olim solita per Abbates, qui inibi ad nominationem Charissimi in Christo Filii Nostri Poloniae Regis, Magni Ducis Lituaniae pro tempore existentis, seu etiam aliorum inferiorum Patronorum, constituebantur; eaque nunc a Superioribus, et Monachis Provinciae Lituaniae, in simplices Superioratus conversa fuisse; Nobisque proinde supplicatum fuerit, ut hujusmodi Monasteria in pristinam Abbatiarum dignitatem restitui, ac debita Patronatus jura super illis, tum Regiae Majestati, tum aliis inferioribus Patronis, illaesa manere juberemus; providentes praeterea, ut quoties hujusmodi Abbatias vacare contingat, earum administratio ad Metropolitanum deferatur, seu ad Ordinarium Loci, in cujus Dioecesis finibus Monasteria ipsa consistunt, donec legitima per Patronos praesentatio expleta fuerit; Nos, qui ex una parte certam, atque distinctam de praemissis scientiam non habemus, ex alia vero promptos atque paratos Nos esse profitemur ad jus suum unicuique reddendum; omnibus et singulis, qui in hujusmodi negotio jus aliquod sibi competere, seu quavis ratione id sua interesse putabunt, denunciamus, ac respective injungimus, ut fundamenta jurium, quae super qualibet ex supradictis Abbatiis

sibi asserunt, Nostro et Apostolicae Sedis Nuntio distinctim exhibeant; eidem vero nunc et pro tempore existenti Apostolico Nuntio committimus, ut monumenta omnia, quae tum ab iis, qui hujusmodi Monasteriorum Patronatum sibi vindicare intendant, tum ab aliis, qui eorumdem libertatem propugnare conentur, sibi fuerint exhibita, ad Nos, et Sedem Apostolicam transmittat, ut, omnibus visis atque perpensis, sive a Nobis, sive a Successoribus nostris Romanis Pontificibus, tam circa asserta nominandi seu praesentandi jura, quam super vacantium hujusmodi Abbatiarum, et Monasteriorum administratione, prout justum fuerit, definiatur, et opportune provideatur.

§. 10. Volumus autem, ut praesentium Literarum exemplis, etiam typis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum apud S. Mariam Majorem die 30. Martii 1756. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

VI.*

In Ecclesiis, et Nosocomiis Ordinis Fratrum Bethelemitarum conceditur unum Altare Privilegiatum, per Ordinarios Locorum designandum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi aeterno Patri consubstantialis et coaeterni, qui pro redemptione generis humani de summo Coelorum Solio ad hujus Mundi infima descendere, et carnem nostram ex utero B. Mariae semper Virginis assumere, et in Bethelem Juda nasci dignatus est, vices, licet immeriti gerentes in Terris, et ejus exempla sectantes Animabus Christifidelium defunctorum in Purgatorio existentibus, quae per charitatem Deo unitae ab hac luce decesserunt, et piorum suffragiis juvari meruerunt, opportuna de thesauro Ecclesiae auxilia subministrare studemus, ut illae, quantum Divinae Bonitati placuerit, adjutae ad coelestem patriam facilius pervenire valeant. Volentes igitur omnes et singulas Ecclesias tam erectas, quam inposterum erigendas Ordinis Fratrum Bethelemitarum etiam in dicti Ordinis Nosocomiis ubique existen., in quibus aliud Altare Privilegiatum perpetuum, seu ad tempus nondum elapsum ab hac Sancta Sede forsan reperitur concessum, quod per praesentes Auctoritate Apostolica revocamus, et in qualibet ex dictis Ecclesiis, et quolibet Nosocomio situm Altare per Ordinarios Locorum semel tantum designan. hoc speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus dilecti Filii moderni Praefecti Generalis dicti Ordinis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque Sacerdos aliquis secularis, sive dicti, aut alterius Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularis Sacrosanctum Missae Sacrificium ad praedictum Altare per Ordinarios Locorum respective semel tantum specifican., ut petitur, in dictis Ecclesiis, et Nosocomiis existen. pro Anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; itaut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis MDCCLVI. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

Pro D. Card. Passionco.

Joannes Florius Substitutus.

LVI.** Indulgentia Plenaria conceditur omnibus Christifidelibus, qui accipientes a Praedicatoribus, aut Missionariis sacras Imagines sub invocatione Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae, non solum jejunium servant, rerum etiam peccata sua confitentur, et Sanctissimam Eucharistiam sumunt.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Coelestium munerum Thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae credidit Altissimus, praesertim cum ad Animarum salutem procurandam in Domino expedire cognoscimus, eos aequo animo, libentique in universos Christifideles erogare minime praetermittimus. Cum itaque, sicut accepimus, per nonnullos Presbyteros, tam Saeculares, quam cujusvis Ordinis Regulares, ac praesertim Congregationis Piorum Operariorum, tum in sacris Missionibus, tum in adhortandis quomodolibet ad pietatis opera Christifidelibus sacrae Imagines sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae distribui, et elargiri eisdem Christifidelibus soleant ad finem, ut unusquisque die sibi indicta ad honorem ejusdem Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae non solum jejunium servet, verum etiam peccata sua confiteatur, et Sanctissimo Eucharistiae Sacramento reficiatur. Hinc est, quod Nos ad insitum erga eamdem Beatissimam Dei Genitricem Mariam venerationis studium vehementioribus stimulis excitandum, sacrisque Ecclesiae Thesauris confovendum, singulis Christifidelibus ubique degentibus, qui die sibi semel in anno assignata jejunaverint, ac vere poenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti, aliquam Ecclesiam visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumtis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notari publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die v. Aprilis MDCCLVI. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

Pro Domino Cardinali Passionco.

Joannes Florius Substitutus.

BREVE LVI.***

Deputationis in visitatorem Apostolicum, et reformatorem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini pro Reverendissimo P. M. Francisco Xaverio Vasquez totius ejusdem Ordinis Priori Generali perpetuo.

Dilecto Filio Francisco Xaverio Vasquez Priori Generali perpetuo Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Inter alias nostrae Pastoralis sollicitudinis curas, quibus praemimur, illae non postremo cordis nostri loco insident, quibus de cunctorum Religiosorum statu prospere dirigendo, assidue cogitamus. Ad istum autem Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Ordinem, quem in visceribus gerimus charitatis, nostrae paternae considerationis intuitum dirigentes, illud praecipue in optatis habemus, ut per tuae circumspectionis ministerium illius Personarum status salubriter ubique dirigatur, et ad debitae reformationis normam in spiritualibus, et temporalibus reducatur, et si quid ab eisdem personis contrarium Ordini, et honestati praesumatur, ad Omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem, ac Religionis incrementum salubriter corrigatur. Cum itaque, sicut accepimus, Tu, qui Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini canonice in perpetuo electus existis, Visitationis totius Ordinis hujusmodi juxta praescriptum per illius Constitutiones Auctoritate Apostolica confirmatas, prope diem, benedicente Domino, inchoare, et peragere intendas; Nos, ut tu commissum tibi totius Ordinis hujusmo-

di Generalatus Officium ad Omnipotentis Dei laudem, et ipsius Ordinis propagationem, et utilitatem valeas eo salubrius exercere, et ut ea in hujusmodi Visitatione habenda statuantur, quae ad Regularem observantiam non modo inducendam, sed etiam stabili, perennique firmitate custodiendam, et augendam necessaria, et opportuna videntur, quantum Nobis, ex alto conceditur, consulere cupimus. Hinc est, quod Nos de tua fide, prudentia, doctrina, rectitudine, dexteritate, integritate, vigilantia, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, teque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequen. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Te in Visitatorem, et Commissarium Apostolicum totius Ordinis praedicti, ac quarumcumque Congregationum ab eo dependentium in quibusvis Mundi partibus existentium, per praesentes constituimus, et deputamus, Tibique praeter, et ultra facultates tibi ratione muneris Prioris Generalis competentes, alias novas facultates concedimus, nempe quoscumque quarumcumque Provinciarum, etiam Excalceatarum, et Congregationum, ac illarum Conventuum, Domorum, et Locorum quorumcumque ab Ordine praedicto dependentium Superiores quorumcumque nomine nuncupatos, et Fratres cujusvis status, gradus, qualitatis, et conditionis existentes, nec non Provincias tam Calceatas, quam Excalceatas, Congregationes, Conventus, Domos, et Loca hujusmodi tam in capite, quam in membris semel tantum visitandi, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus, et disciplinam diligenter inquirendi, nec non Evangelicae, et Apostolicae doctrinae, Sacrorumque Canonum, et Conciliorum Generalium Decretis, et Sanctorum Patrum traditionibus, regularibusque eorum respective institutis inhaerendo, quacumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, et renovatione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, revocandi, renovandi, ac etiam de novo condendi, condita Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, regularibusque institutis praedictis non repugnantia confirmandi, abusus quoscumque tollendi, Regulas, Institutiones, et Ecclesiasticam disciplinam, si fortasse, quod absit, exciderint, modis congruis restituendi, et reintegrandi, dicti Concilii Tridentini decreta custodiri praecipiendi, ac Personas praedictas ad debitum, et honestum vitae modum revocandi, et quidquid statueris, et ordinaveris, observari faciendi, et ubique inter Religiosos ejusdem Ordinis, ac quarumcumque illius Provinciarum, et Congregationum tam Calceatarum, quam Excalceatarum discordias, differentias, et lites quascumque decidendi, et terminandi, ac eosdem Religiosos ad pacem, et concordiam reducendi, ac personas praedictas, etiamsi Superiores quocumque nomine nuncupati fuerint, si dissidiosae, scandalosae, vel alias criminosae existant, juxta regularia ipsius Ordinis Instituta, ac excessuum qualitatem puniendi, nec non discolos in virtute sanctae Obedientiae sub censuris, et poenis tuo arbitrio imponendis, ut a malis inceptis desistant, et ad cor redeant, monendi, et requirendi, seu moneri, et requiri faciendi, et si spretis monitionibus hujusmodi incorrigibiles fuerint, elapsis terminis per Te statutis, eosdem tamquam membra putrida ab eodem Ordine per Te, vel per alium expellendi, et abjiciendi, nec non quae in praemissis decreveris, firmiter observari, ac omnia, et singula alia, quae juxta Instituta, et consuetudinem Ordinis hujusmodi ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis augumentum, Animarum salutem, et Christifidelium bonum exemplum, et alias circa salubre regimen, et felicem successum Domorum, Locorum, et Personarum eorumdem necessaria noveris, seu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, mandandi, et exequendi, ordinandi, et disponendi. Nec non motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, Tibi, si contingat Te occasione Visitationis hujusmodi quibusvis Capitulis, sive Congregationum, sive Provinciarum, etiam Excalceatarum hujusmodi interesse, et interdum eveniat, ut a Vocalibus pro celebratione Capitulorum praedictorum in unum congregatis, tum ob partium studia, tum propter animorum simultates, tum ob alias rationabiles causas, quae Religiosam quietem, et Regularem ob-

servantiam perturbare solent, atque una simul in superiorum electione non minus confusionem afferre dignoscuntur, inter se dissentientibus magno cum ipsarum Congregationum, et Provinciarum praejudicio in superiores minus digni proponantur, eliganturque, qui subinde haud debitum ministerii sui munus, prout tenentur, implere non valeant, aut augendis potius dissidiis, et contentionibus fovendis, quam sedandis, componendisque, occasioni sint, ut in eisdem Capitulis, quando necessitas, et bonum earumdem Congregationum, et Provinciarum regimen, sive utilitas id exegerit, Tu solus juxta datam tibi a Domino prudentiam, adhibitis prius omnibus diligentiis ut partes inter se dissentientes aversos animos componant, Vicarios Generales, Priores Provinciales, ac omnes etiam Definitores, super quo conscientiam tuam stricte oneramus, juxta Regularia cujuscumque Congregationis, et Provinciae instituta per Sedem Apostolicam approbata ad tempus solitum cum omnibus facultatibus, auctoritatibus, et privilegiis solitis, et consuetis, nec non in Conventibus Principalioribus, seu Generalitiis Priores ad sexennium, seu supra sexennium arbitrio tuo duraturos, si id expediens tibi visum fuerit, aut necessitas tum spiritualium, tum temporalium id exegerit, nominandi, eligendi, et deputandi; ac insuper motu, scientia, et potestate similibus Tibi in Visitatione hujusmodi per te pro tempore habenda unum dumtaxat ex Assistentibus ejusdem Ordinis ducendi, Contradictores quoslibet, et Rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae, nobilitatis, excellentiae, vel conditionis fuerint per excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ac depositionis ab eorum Officiis, aliasque formidabiliores, quibus tibi videbitur expediens, sententias, censuras, et poenas, sublato diffugii, ac appellationis obstaculo, etiam Auctoritate Apostolica compescendi, et si opus fuerit, auxilium Brachii Saecularis invocandi plenam, et amplam facultatem concedimus per praesentes, et impertimur. Et ut reformatio hujusmodi juxta sincerum cordis nostri desiderium liberius subsequatur, omnes, et singulos Principes, Proceres, Barones, et alios Dominos Temporales, nec non Communitates, ac Universitates in Domino requirimus, et hortamur attente, Venerabilibus etiam Fratribus Archiepiscopis, Episcopis aliisque Locorum Ordinariis, et Praelatis Ecclesiasticis, ac Personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, Nostrisque, et Sedis Apostolicae de Latere Legatis, seu Vice-Legatis, et Nunciis districte mandamus, quatenus Divinae Majestatis intuitu, ac pro eorum in hanc Sanctam Sedem reverentia, et devotione, ac Religionis Zelo Te benigno desiderio, et pio affectu sic sincere commendatum suscipiant, ac de tuto tibi accessu, et libero reditu provideant, et aliis benevolis favoribus efficaciter assistant, ut praesentes debitum effectum sortiantur, et Ordo ipse in statu prospero, et felici successu valeat inibi salubriter conservari. Praecipientes nihilominus in virtute sanctae Obedientiae, sub indignationis nostrae, ac suspensionis a Divinis, nec non privationis omnium, et singulorum privilegiorum, et indultorum tam Provinciis, quam Congregationibus in generali, et illarum professoribus a Sede praefata in particulari concessorum, etiam Mare Magnum nuncupatorum, ac absolutionis omnium Officiorum, nec non inhabilitatis ad illa, et alia inposterum obtinenda, ac vocis activae, et passivae, sententiis, censuris, et poenis ipso facto absque alia declaratione incurrendis per singulos non parentes omnibus, et singulis dicti Ordinis, ac Congregationum, et Provinciarum etiam Excalceatarum professoribus cujuscumque gradus, superioritatis, et qualitatis extiterint, tam conjunctim, quam divisim, ut tibi ultra obedientiam, quam Tibi de jure ipsius Generalatus Officii exhibere tenentur, etiam tamquam Commissario nostro efficaciter pareant, et intendant. Ac eisdem professoribus sub excommunicationibus latae Sententiae ipso facto incurren., ac similibus censuris, et poenis, ut Te in eorum Visitatorem, et Commissarium nostrum a Nobis, ut praefertur deputatum reverenter recipiant, et recognoscant, ac tibi in omnibus ad Visitationem hujusmodi spectantibus, et pertinentibus omnino obediant, et obsequantur, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, et teneantur; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, seu inobedientes ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Decernentes omnia, et singula per te in Visitatione hujusmodi de consilio, et cum assistentia memorati tecum

ducendi Assistentis decernenda, gerenda, mandanda, et ordinanda, nec non praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque perinde firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis ad quos quovis modo spectat, et spectabit in futurum inviolabiliter observari, ac si illa de consilio, et cum assistentia omnium memorati Ordinis Assistentium, decrevisses, gessisses, mandasses, et ordinasses; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit, nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, ac Fel. Rec. Clementis PP. VIII. super Assistentibus dicti Ordinis edita, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, ac illius Congregationum, et Provinciarum, ac Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus, et Literis Apostolicis Ordini, Congregationibus, et Provinciis etiam Excalceatis, et alias quomodolibet nuncupatis, Conventibus, Domibus, Locis, et Personis praedictis in genere, vel in specie, etiam favore Regularis observantiae, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et Sedem praedictam, et illius Legatos sub quibuscumque tenoribus, et formis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, et scientia similibus, etiam iteratis vicibus concessis, et approbatis, et innovatis, et forsan quod ipsae personae per alios, quam eorum Priores Provinciales visitari, et reformari non possint, disponentibus; Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et inererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Aprilis MDCCLVI. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

D. Card. Passionеus.

Loco ✠ Sigilli.

SPOLIA PRÆLATORUM LVII.

Neapolitani Regni, jam pridem ab Innocentio XII. Ecclesiis, quibus iidem praefuerunt, applicata, ut in designatos usus erogentur, novis superadditis cautionibus, providetur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis sollicitudo, qua Praedecessores Nostri Rom. Pont. indigentium Ecclesiarum necessitatibus occurrere, easque, collatis etiam in id Apostolici Ærarii redditibus, sublevare pro viribus studuerunt, Nobis una cum reliquis supremi Pontificatus Officiis imposita, animum Nostrum impellit, ut providas leges in eum finem ab ipsis Praedecessoribus Nostris statutas, quae temporum decursu, ob impedimenta postmodum objecta, et fraudes malitia hominum excogitatas, easque in pravam consuetudinem generaliter inolescentes, ad propositum utilitatis fructum inefficaces evasisse deprehenduntur, praesenti rerum conditioni attemperemus, novisque superadditis sanctionibus ita roboremus, ut remotis obstaculis, opportunum earumdem Ecclesiarum decori ac dignitati subsidium per Apostolicae Sedis largitatem allatum fuisse laetemur. Prooem. Assidua Pont. cura in sublevandis Eccl. indigentiis.

§. 2. Alias siquidem felic. record. Praedecessor Noster Innocentius Papa XII. paterna miseratione considerans inopiam complurium Ecclesiarum Archiepiscopalium, Episcopalium, aliarumque, quibus Praelati inferiores, seu Dignitates, jurisdictionem quasi Episcopalem, seu Ordinariorum jura habentes, praesunt, in Regno Neapolitano existentium, per suas li- Innoc XII. Constitutio de Spoliis Praelator. Neapolit. Regni, ipsorum Ecclesiis applicandis.

teras Apostolicas, incipientes *Inscrutabili*, datas apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae 1694. III. Kalendas Februarii, Pontificatus sui anno III. jus illud, quod Cameraë Apostolicae ex antiqua consuetudine, et in vim plurium Apostolicarum Constitutionum competebat, percipiendi videlicet, exigendi, et assequendi post obitum cujuslibet ex Archiepiscopis, Episcopis, et Praelatis inferioribus dicti Regni, quascumque pecunias, res, jura, et bona, etiam stabilia, per eos ex redditibus, fructibus, et proventibus suarum Ecclesiarum acquisita, Spolia nuncupata, nec non fructus naturales a solo separatos, et civiles ex praefatis redditibus tempore mortis exactos, et etiam inconsumptos, et incommixtos, ab eadem Camera Apostolica abdicavit, et separavit; volens ut successivis temporibus praemissa omnia et singula, ad antedictas Archiepiscopales, aliasque Cathedrales, et reliquas, quibus decedentes Archiepiscopi et Episcopi; seu Praelati inferiores praefuerunt, illisque non indigentibus, ad Parochiales Ecclesias eorum regimini commissas, omnino spectarent, et ad earum favorem, beneficium et utilitatem cedere, converti, ac erogari deberent; relicta decedentibus Praesulibus facultate designandi usus, in quos hujusmodi Spolia, pro utilitate et commodo earumdem Ecclesiarum, erogandà censerent; quod si ab ipsis praestitum non fuisset, id ipsum ab eorum Successoribus, cum suorum Capitulorum scientia et consilio, fieri permisit; quemadmodum latius videre est in illius citata Constitutione, per quam nihil aliud ex praemissarum Ecclesiarum redditibus, quam fructus pendentes, seu inexactos, favore dictae Camerae Apostolicae reservavit.

A Bened. XIII. in favorem earumd. Ecclesiar. declarat.

§. 3. Postmodum vero san. mem. Benedictus PP. XIII. similiter Praedecessor Noster, ad tollendas nonnullas controversias super hujusmodi Innocentianae Constitutionis intelligentia et executione exortas; per similes suas Apostolicas literas, quarum initium est: *Sacrosancti Apostolatus Officium*, editas anno 1724. v. Idus Julii, Pont. sui anno I., statuit et declaravit, eamdem Innocentii Constitutionem suum integrum et plenarium effectum ex tunc in posterum in praefato Regno Neapolitano sortiri, ac perpetuo obtinere debere, etiam in casibus, quibus memoratos Archiepiscopos, Episcopos, et inferiores Praelatos, extra fines Ecclesiarum, et Dioecesum, apud quas personalem residentiam facere, tenebantur, obire contingeret; nolens videlicet, praefatas Archiepiscopales, aliasque Cathedrales, seu Abbatiales, aut Parochiales Ecclesias, quarum favor, utilitas, et beneficium memorato Innocentio Pontifici in primis propositum fuerat, detrimentum ullum vel damnum accipere, ex eo quod earum Praesules extra debitum residentiae locum ex hac vita decederent; aliaque pro earumdem Ecclesiarum utilitate decrevit et sanxit, quae in praefatis ipsius literis latius continentur.

Iterata ejusdem Pontif. adversus pravas Innocent. Constit. interpret. declarat.

§. 4. Subinde autem, accepto quod aliqui, ad praemissas Innocentii, suasque Apostolicas Sanctiones eludendas, propositoque effectu fraudandas, humana suadente cupiditate, asserere non dubitabant, licitum sibi esse, de bonis et juribus ex redditibus Ecclesiarum suarum acquisitis, seu provenientibus, inter vivos disponere, eaque donare, seu aliter alienare et distrahere, reservatis sibi quamdiu in humanis egissent, hujusmodi bonorum fructibus, seu usu, et commoditate earum rerum, quas donatione, vel alio contractu inter vivos nuncupato, a se abdicassent; idem Benedictus Praedecessor per alias suas literas in forma Brevis incipientes: *Romanum decet Pontificem*, datas apud Sanctam Mariam Majorem die 12. Octobr. MDCCXXVI. Pont. sui anno III. confirmatis iisdem Constitutionibus, ejusmodi pravam interpretationem, et corruptelam reprobavit, damnavit, ac de medio sustulit; cavens ne in praxim deduci posset, vel, si forsan deduci contingeret, ne quid detrimenti afferret Ecclesiis, quibus juxta Innocentianam, suamque praecedentem Constitutionem, bona ex praemissis redditibus acquisita, aut provenientia, applicari debuissent.

Una Pont. mens, inopia Eccl. sublevanda

§. 5. Porro perspicuum est, memoratos duos Praedecessores Nostros omni commendatione dignissimos, dum ab Apostolicae Camerae redditibus, et proventibus id separarunt, et abdicarunt quo ipsa jam pridem pacifica possessione fruebatur, nil aliud spectasse, quam ut praedictarum Ecclesiarum indigentiis consulerent. Et nos quidem non solùm relatas eorum Constitutiones plena, ut par erat, executione servavimus; sed illud praeterea affirmare possumus, Nostrum pro tempore existentem Thesaurarium Generalem, qui singulis hebdomadis bis ad audientiam Nostram accedit, vix umquam ab ea recessisse, quin, ex-

Amplioris in id ipsum Pont. liberalitatis contestatio.

posita Nobis, ac sufficientibus documentis comprobata tenuitate atque inopia cujuslibet Ecclesiae Archiepiscopalis, seu Episcopalis, atque adeo cujuslibet Ecclesiastici Beneficii, per Antistitis seu Rectoris obitum vacantis, Nostrum secum tulerit assensum, vel potius mandatum, ut ex inexactis, sive pendentibus earum fructibus, ad Cameram Nostram Apostolicam indubie pertinentibus, non exiguam partem, seu pecuniarum summam, in earumdem Ecclesiarum utilitatem et beneficium erogandam, Nostro nomine relaxaret. Et tamen his omnibus praestitis, satis constat, Ecclesias pristina semper inopia sordescere, eademque indigentia laborare.

erelae ad-
sua sub-
ectores
dior. Ca-
rae olim
positae.

§. 6. Quo tempore in Regno Neapolitano colligendorum Spoliorum usus vigebat, atque hujusmodi Camerae Apostolicae jus exercebatur per Subcollectores, et Commissarios inibi constitutos, qui res et bona ex Ecclesiarum redditibus acquisita, et provenientia, pro eadem Camera capiebant; incusabantur hi, quod ad ipsius Camerae jura in tuto collocanda, viventibus adhuc, licet aegrotantibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Praelatis, auferrent usum et commoditatem suarum rerum, etiam earum, quae tunc maxime ipsis necessariae erant. Quod utrum vere ab illis fieret, Nos ignoramus; hoc unum scientes, quod si quid talia attentasset, contra expressam mentem, et manifesta mandata Thesaurarii Generalis ejusdem Camerae Apostolicae se gessisset; ut ex Edictis et Ordinationibus ad recte moderandam hujusmodi Ministrorum Cameralium agendi rationem in hac ipsa Spoliorum materia jam usque ab eo tempore promulgatis, et typis impressis, quilibet agnoscere poterit. Illud quidem compertum habemus, praefatum Innocentium Praedecessorem, in sua citata Constitutione *Inscrutabili*, qua Episcoporum et Praesulum Spolia Neapolitani Regni Ecclesiis addixit, diserte cavisse, ne hujusmodi Ecclesiarum Capitula et Canonici praedictos Antistites seu Praelatos viventes, quantumvis aegrotantes, et in extremis constitutos, suarum rerum commodo, usu, et possessione sub quocumque praetextu privare, neve illos, illisque inservientes quoquo modo perturbare, seu molestare praesumerent; et quidquid pro rerum hujusmodi descriptione et assecuratione, seu pro Ecclesiarum commodo et utilitate, agendum esset, id omne post eorumdem Antistitum et Praelatorum mortem exequendum decrevisse. Et nihilominus ex fide dignorum testimonio satis superque Nobis innotuit, hujusmodi interdictum, atque Decretum nequaquam servari; sed Ecclesiarum Capitula et Canonicos, aliosque, quibus jus est pro ipsis Ecclesiis, et in earum commodum, memorata Spolia curare, viventibus adhuc Praesulibus, ab occupandis eorum rebus et bonis non abstinere, ac etiam eorum familiaribus negotium saepe facessere.

Nunc contra Capitula, aliosque, quibus Spolior. cura delegata, regerentur.

§. 7. Cupientes igitur, quantum in Nobis est, hujusmodi abusus et incommoda removere, simulque Ecclesiarum jura, non minus ad Nostrae, quam ad praedictorum Innocentii, et Benedicti Praedecessorum mentis executionem, congruis adhibitis cautionibus, sarta tecta servare; motu proprio, et certa scientiâ, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, omnibus et singulis Archiepiscopalium, Episcopalium, aliarumque inferiorum Ecclesiarum in praedicto Regno Neapolitano existentium, tam scilicet earum, quae libere per Nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, quam quae ad Regiam nominationem conferri solent, Capitulis, Canonicis, seu aliis, ad quos, pro saepedictorum Spoliorum applicatione in Ecclesiarum commodum et favorem, earum nomine, advigilare spectat et pertinet, districte inhibemus, ne quidquam attentare, aut omnino moliri audeant, viventibus adhuc Ecclesiarum Praesulibus, quantumvis gravi morbo affectis, super rebus et bonis per eos acquisitis ex earumdem Ecclesiarum redditibus, etiam sub specie et obtentu illas et illa sequestrandi, aut assecurandi; neve ipsorum Antistitum et Praelatorum adhuc viventium domesticos, familiares, aliosque ipsis inservientes, quocumque similiter praetextu vexare, aut molestare praesumant; neque enim ferendum est, ut Sacri Pastores rerum suarum usu et commoditate priventur, vel alia ratione tunc animo perturbentur, quum maxime omnis generis subsidiis juvari opus habent, ut et aegritudinis dolores levius tolerare, et si ita Deo placuerit, in pace Christi requiescere valeant.

Nova ad haec tollenda incommoda provisio.

Viventibus Praesulibus, Canonici, Capitula, aliique, quibus Spolior applicandorum cura, quidquam attentare prohibentur.

§. 8. Quoniam vero ad id agendum, quod contra Innocentianae Constitutionis Sanctionem fieri compertum est, ea ratio, seu causa praetexi solet, quod caveri necesse sit, ne dum Praesul aeger decumbit, occultentur illius res,

Eccl. indemnitas Vicario Generali Praesulis aegrotant. demandatur.

atque disperdantur; quodque huic periculo non aliter occurri possit, quam si res ipsae, aegrotante Praesule, nec dum e vivis sublato, sequestrationi subjectae in tuto collocentur; idcirco volumus, atque statuimus, ut quoties agatur de rebus, quae disperdi facile, occultarique possint, Vicarius Generalis Praesulis aegrotantis hujusmodi res universas in uno pluribusque cubiculis concludat, seu easdem in consuetis cubiculis dispositas relinquens, cubicula ipsa clavibus obserata, Episcopali sigillo communiat, praesentibus duobus Sacerdotibus ejusdem Vicarii arbitrio eligendis, qui occlusionis et impressionis signi testes sint, adhibitoque Notario publico, qui super praemissis omnibus legale Instrumentum conficiat.

Demortui Praesulis Spolia quomodo, et a quibus describenda, et custodienda.

§. 9. Postquam vero Praesul ex hac vita migraverit, tunc claves obsignatorum cubiculorum a praefato Vicario Generali tradendae erunt Vicario Capitulari, et Canonici ad id a Capitulo deputatis, per actum solemnem coram iisdem Testibus explendum, et a Notario similiter literis consignandum. Quo facto, onus erit hujusmodi Vicarii Capitularis, et Canonicorum exactam rerum omnium descriptionem, sive Inventarium, sine mora incipere, et continenter usque ad finem urgere; eoque rite confecto, unum aut plures eligere Peritos, qui juxta artis suae regulas, uniuscujusque rei in Inventario descriptae pretium definiant, idque ipsum scripto mandantes, subscriptis proprio charactere nominibus testatum relinquant. Verum his omnibus absolutis, nequaquam licebit rem ullam in defuncti Spolio repertam vendere, aut alia ratione alienare, nisi postquam Ecclesiae de novo Pastore, seu Rectore provisum fuerit, atque hic ejusdem Ecclesiae possessionem adeptus erit; exceptis tantummodo iis rebus, quae sine certo detrimento, aut diurno impendio servari non possent; quas nempe, praevio ejusdem Vicarii Capitularis decreto, pro justo pretio distrahere licebit; ea lege, ut pecunia exinde redacta, apud sacram Ædem, quatenus adsit, alioquin apud idoneum, probatumque Depositarium deponatur, cum caeteris deinde pecuniis unienda, quae ex aliarum rerum venditione conficientur.

Quaenam illico distrahi valeant

Quaeve sint, ad usque captam a novo Praesule possessionem asservanda.

§. 10. Reliquae autem hujusmodi res, quarum distractio, atque venditio, ut praefertur, non prius fieri debebit, quam novus Praesul Ecclesiae possessionem apprehenderit, ita, uti superius praeceptum est, descriptae et aestimatae, in uno aut pluribus Episcopalis Palatii cubiculis obseratis, et Vicarii Capitularis sigillo obsignatis, asservari debebunt, Notario claves apud se custodiente; qui eas tunc demum exhibere debebit; quum novus Praesul Ecclesiae datus, illius possessione capta, hujusmodi cubicula coram se, vel legitimo Procuratore suo reserari postulaverit; id quod similiter per actum solemnem ab eodem Notario rogandum, praevia signorum recognitione, ac praesentibus Vicario Capitulari et Canonicis praefatis, iisdemque accitis testibus, explendum erit.

Distract. methodus nec non applicat. retractae exinde pecuniae.

§. 11. Denique apertis hac ratione cubiculis, procedendum erit ad venditionem rerum in Defuncti Spolio repertarum, juxta pretium iisdem a Peritis constitutum; idque, ad formam in praecitatis Innocentii, et Benedicti Praedecessorum Constitutionibus praescriptam, pro necessitatibus, et restaurationibus Ecclesiarum Archiepiscopalium, Episcopalium, sive Abbatialium, hisque non indigentibus, in Parochialium Ecclesiarum beneficium, et utilitatem omnino erogandum erit; ea tamen lege, ut liceat Archiepiscopo, sive Episcopo, aut Praelato recens electo, res illas, quas sibi usui fore conspexerit ex aliorum vendendarum cumulo seligere ac retinere, soluto tamen pretio, ut supra, per Peritos definito; quum nimis incongruum sit, ut novus Praesul ad Ecclesiae gubernium accedens, exhaustam penitus domum inveniat, distractamque suppellectilem, et alia domesticis usibus necessaria, quae ipse pro eodem pretio, quo aliis divendita sunt, sibi comparare potuisset.

Conciliari sanctio de redditione Rationum per Offic. Sede Vacante constitutos novo Praesuli exhibenda.

§. 12. Porro Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. de Reform.* statuit et decrevit, ut quilibet Episcopus ad vacantem Ecclesiam promotus, ab Oeconomo, Vicario, et aliis quibuscumque Officialibus et Administratoribus, a Capitulo, Sede vacante, constitutis, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, et administrationis per eos gestae; et si quid eos in officio seu administratione deliquisse compererit, in eosdem animadvertere possit; quantumvis antea ipsi Capitulo, vel deputatis ab eo, rationes reddiderint, et absolutionem seu liberationem ab iis obtinuerint. Huic itaque Conciliari Sanctioni inhaerentes, Nos etiam cuilibet Antistiti aut Praelato ad praedicti Regni Ecclesias in posterum recens promoto, injungimus et mandamus, ut diligenter inquirat atque cognoscat,

Ad Spol. Administ. protrahit. nec usque Praesuli, commendatur.

an a Vicario Capitulari, et aliis a Capitulo deputatis, quaecumque hac Nostra Constitutione statuta sunt, debitae executioni mandata fuerint, et si quid forte in aliquam ejus partem commissum, omissumve deprehendet, delinquentes pro modo culpae punire non praetermittat; illius praeterea conscientiam onerantes, ut summa cura, et sollicitudine advigilet, quo pecunia ex Praedecessoris Spolio confecta, in Ecclesiarum, quibus addicta fuerit, indigentias sublevandas fideliter erogetur.

Praemissorum confirmatio.

§. 13. Atque ita per omnes Ecclesias praefati Regni, quae in primodicti Innocentii Praedecessoris Constitutione comprehensae fuerunt, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus observari volumus et praecipimus: atque ad praesentis Nostrae Constitutionis formam, et non aliter, in omnibus et singulis praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ejusdemque Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis Sedis et Camerae praedictarum Officiales atque Ministros, et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicandum, definiendumque decernimus; ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat. contrariis.

§. 14. Non obstantibus praemissis Innocentii, et Benedicti Praedecessorum, quatenus praesenti haud penitus congruant, aliisque Apostolicis, seu in Provincialibus Conciliis, aut Dioecesanis Synodis ejusdem Regni, editis Constitutionibus et Ordinationibus, nec non Ecclesiarum, et Capitulorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, decretis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et exemptionibus, quavis etiam Apostolica auctoritate, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores et formas pro sufficienter expressis, ac etiam insertis habentes, ad praemissorum effectum, plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exempl. clorites.

§. 15. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhibitae forent aut ostensae.

Sanctio.

§. 16. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum prohibitionis, et interdicti, mandati, statuti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 23. Aprilis 1756. Pont. 16

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto, Quarto Kalend. Maji Pontificatus Nostri Anno Sextodecimo.

J. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passionеus.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

DEMONSTRATUR LVIII.

Congruentia ex Sacrorum Canonum praescripto iterum inaugurandi Bononiensem Metropolitanam Ecclesiam; munusque Consecrationis Pontificio nomine peragendae Cardin. Archiepiscopo delegatur.

Dilecto Filio Nostro Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiscopo Bononiensi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Proocm. a recensendis causis, quae ad scribend. impulere.

Jam inde a primis annis, cum Bononiensem Ecclesiam Archiepiscopali munere suscepimus administrandam, rescientes, dedicatum non fuisse Altare extructum intra Cappellam Gentis Boncompagniae, quam a fundamentis restituerat proximus Decessor Noster bonae mem. Jacobus Card. Boncompagnius, atque pretiosis marmoribus, selectissimisque picturis elegan-

tissime ornarat, nostri muneris esse censuimus, uti maxime decuit, memorati Altaris dedicationem peragere. Haud multos post annos, ex illius exemplo, quantulum quidem in Nobis fuit, extructo per Nos intus Metropolitanam Divi Petri Ecclesiam amplo Sacello, in quo Eucharisticum Sacramentum perpetuo asservatur, eoque marmoribus, aere, ac insignibus picturis ornato, ejusdem quoque Sacelli Altare sacravimus, ea plane adhibita Ecclesiastica pompa, quae, ut mox supra innuimus, ad inaugurandum Altare Cappellae Boncompagniae fuerat adhibita. Ea autem occasione Nostram evulgavimus Institutionem inter caeteras latinae editionis 67. meminimusque in ea Nos asseruisse, rectum videri, congruumque, ut Metropolitana S. Petri Ecclesia, in qua praefatum utrumque Sacellum situm est, solemni ritu inauguraretur, Nosque Sacrae peragendae functioni obtulimus, quoties quaedam superaccessissent conditiones, in praeindicata Institutione nostra expressae. Estque hoc illud, quo nunc impellimur has ad te dare literas, ut tibi perspicua sit, caeterisque omnibus causa, quae Nos adducit ad Ecclesiae Consecrationem praecipiendam, mandantes tibi egregio Praesuli, Divini honoris, Ecclesiasticique decoris studiosissimo, ut Nostro nomine functionem absolvas, quemadmodum inferius subjungetur.

Canonist. sententia de consecranda Ecclesia, de cujus consecratione ambigitur.

§. 1. Ex his autem, propius, ut ajunt, ad rem accedendo, cumque Canonici juris Interpretes vulgo edoceant, eam oportere dicari Ecclesiam, de qua justa subsit dubitatio, an fuerit unquam solemni ritu dicata, illud primo inquirendum, an hujusmodi axioma, vel potius sententia, satis valido sit fundamento innixa; exindeque dispiciendum, num in hujusce casus hypothesi, possit merito addubitari, fuisse unquam nostram Divi Petri Metropolitanam Ecclesiam solemniter consecratam.

Conform. Glossae Sententia ab Authoribus passim recepta.

§. 2. Glossa Canonica, cujus non levis non debet esse auctoritas, aperte docet, quoties de praeexistenti consecratione ambigatur, Ecclesiam consecrari oportere. Id ita habet *in Can. Ecclesiae, de Consecrat. dist.* 1. cujus ea verba: *Docetur quibus casibus Ecclesiae sunt reconsecrandae: unus, quando dubitatur de Consecratione.* Quae repetit quoque *in Cap. Proposuisti de Consecrat. Eccles.* cujus haec sunt concepta verba: *Nota, quando Ecclesia debet consecrari: primo, si dubitatur, an sit consecrata.* Perfacile esset plurimos cumulare Doctores, qui nulla praemissa disquisitione Glossam sectantur, quique Ecclesiae consecrationem comparantes cum Baptismate ministrando venientibus ad Sanctae Romanae Ecclesiae gremium, tradunt quemadmodum ubi jure ambigitur an quisquam fuerit Baptismalibus aquis ablutus, sacro ipso lavacro *sub conditione* abstergitur; ita, dum justa subest de Sacrarum aedium consecratione dubitatio, eamdem esse *sub conditione* peragendam. Verum si ex his sciscitari contingeret, quinam textui Canonico, vel publicae auctoritatis monumento fidentiores istae ipsorum assertiones innitantur, perfacile esset, haud exiguis eosdem difficultatibus implicari.

Allator. in id Can. auctoritas quanta sit.

§. 3. Perspectus est Nobis textus *in Can. Solemnitates, de Consecrat. dist.* 1. ubi haec leguntur: *De Ecclesiarum Consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes existunt, a quibus Consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas: nec talis trepidatio facit iterationem; quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum:* nec etiam alterum ignoramus textum *in Can. Ecclesiae, de Consecrat. eadem dist.* 1. *Ecclesiae, vel Altaria, quae ambigua sunt de Consecratione, consecrentur:* novimusque hos plane esse Canonicos textus a praefatis Authoribus in medium productos. At si Canon *Solemnitates* nihil plane est aliud, quam indubie apocrypha Epistola Felicis Pontificis, sique Canon *Ecclesiae* Meldensi Synodo tribuitur, in Meldensi autem Synodo idem ille desideratur; nullo negotio intelligitur relatam Doctorum opinionem, nulla scripta Canonica lege, juvari. Praeallata vero comparatio desumpta ex Baptismate ministrando, cum dubitatur, an illud fuerit antea collatum, satis validam patitur objectionem: collatum enim ab haereticis Baptismum propria adhibita materia et forma, ratum est, nec pure aut sub conditione iteratur; at inauguratae ab haereticis Ecclesiae iterata consecratione dicantur, uti videre est *Can.* 20. *Ecclesiis Can.* 21. *Ecclesias Arianorum, Can.* 23. *Agapitus de Consecrat. dist.* 1. in quibus exempla referuntur Joannis Papae, et Agapiti, qui Templa vasaque Ecclesiarum ab haereticis antea consecrata, *sacrilegis infecta fabulis haereticorum*, uti habet textus, iterato sacrarunt. Praeclarum quoque extat exemplum S. Gregorii Magni, qui Ecclesiam S. Agatae in Urbe ad Suburram tot antea annos ab Arianis haereticis consecratam, dicavit, veluti ipse enar-

Et quanta potissimae rationis efficacia.

rat *lib.* 3. *Dialogorum cap.* 30. testaturque Cardinalis Baronius ad *annum Christi* 591. *num.* 51. atque fusius prosequitur Floravantes Martinellius in suo Opuscolo *de Diaconia S. Agatae pag.* 69. Idemque ipse S. Gregorius *Epistola* 19. *lib.* 3. *tom.* 2. juxta editionem PP. S. Mauri, refert, paratum se ad consecrandam Ecclesiam *juxta domum Merulanam* sub titulo S. Severini erectam, eo quod sciret fuisse eam ab haereticis dicatam.

cretal. ean de re pist. S. g. Magni.

§. 4. Quaecumque hactenus attulimus, non eo consilio prosecuti sumus, ut a sententia recederemus edocente, dedicari templa, de quorum consecratione justa subsit dubitandi ratio, sed ad investiganda solidiora praefatae sententiae fundamenta. Felix Messanensis Episcopus literas dedit ad S. Gregorium relatas *num.* XVI. *lib.* 14. *Epistolarum* ejusdem S. Pontificis, haecque in iis leguntur: *Sunt quaedam Ecclesiae in nostra Provincia, super quarum Consecrationibus dubitatur, et tam propter antiquitatem, quam et propter earum custodum incuriam, nescitur, utrum dedicatae ab Episcopis fuerint, necne: super quibus omnibus nos a vestra Sanctitate, ac vestrae S. Sedis auctoritate instrui precamur.* Hisque Episcopi literis ita rescripsit Pontifex *in sua Epistola* 17. *col.* 1279. *De Dedicationum vero Ecclesiarum dubitatione, super qua inter caetera nos consulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis, quod ab Antecessoribus nostris traditum accepimus; idest, ut quoties tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum Consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiae consecratae sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiae canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstruatur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.*

dicat. adus Critiavillaes.

§. 5. Ex Criticis celebriores duo Oudinus et Du-Pinius utramque Epistolam suppositiam esse contendunt; et in severiorum hujusmodi criticorum partes concessit Joannes de Joanne, vir in Ecclesiastica eruditione versatus, nostrique, dum viveret, valde studiosus, in appendice ad suum Codicem Diplomaticum Siculum *Diplom.* 20. *et* 21. *pag.* 388. *et* 391. Verum quidquid sit de literis Felicis Messanensis, quod spectat ad Gregorii Epistolam, si ejusdem portionem quamdam exscribit Joannes Diaconus *lib.* 2. *cap.* 37., si eam saepe laudat Hincmarus, et tertiam saltem ejusdem partem affert, si de ea meminit Abbas Regino, qui floruit saeculo nono, si extat pluribus in manuscriptis Codicibus, si deprehensae in illa repetitiones quaedam, quamobrem suspecta aliquibus visa est, Magno Pontifici S. Gregorio noscuntur usitatae, nulla superest ratio oppugnandi, Epistolam genuinum esse Magni Pontificis opus; veluti fateri obstringitur Natalis ab Alexandro *in Historia Ecclesiastica saeculi VI. cap.* 4. *art.* 16. et uti mirabili diligentia prosequuntur Patres S. Mauri *in Notis ad litt.* 17. *lib.* 14. ejusdem Pontificis *tom.* 2. *col.* 1275. *et seq.*, utque etiam perspicue demonstrat adhuc celebris Author Ceillier *in Historia Sacrorum atque Ecclesiasticorum Authorum tom.* 17. *cap.* 9. *art.* 3. §. 14. *num.* 6. In tuto autem posita, vindicataque sententia, de qua nunc sermo ex Divi Gregorii auctoritate, omni plane vi destruitur proposita instantia, de iterata consecratione adhiberi solita Ecclesiis per Haereticos antea consecratis, licet caeteroquin non iteretur Baptisma ei, qui fuit ab haereticis ablutus salutaribus aquis. Etenim sicuti baptizatur, qui Baptismate ab haeretico donatus fuit, quotiescumque haereticus in eo conferendo praescripta non sit usus forma atque materia, ita dicatur Ecclesia jam ab haeretico inaugurata, quando eadem non fuerat ab illo juxta praescripta ritus Ecclesiastici consecrata: veluti apposite admodum docet Glossa ad citatos Canones 20. *et* 21. *de Consecrat. dist.* 1. *Intelliguntur in eo casu, quando Ariani non consecrant Ecclesias in forma Ecclesiae; nam quidam eorum faciebant Sacramenta in forma Ecclesiae, et quidam non:* et uti rectius ad rem nostram advertit quoque in praxi versatus Pax Jordanus *tom.* 1. *oper. Canonic. de re sacra lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 66. In hujusce articuli disquisitione longiores fuimus, memores nos in minoribus, veluti unum ex designatis Doctoribus in Decretis, interfuisse Concilio Romano habito sub annum 1725., ubi *cap.* 3. *tit.* 25. ita fuit constitutum: *Ecclesiae, vel Altaria si adsint, de quorum Dedicatione dubitetur, nec scripturae, aut testes existant, qui de Consecratione testentur hujusmodi, absolute ea ulla absque dubitatione consecrari posse, declaramus.*

Exindeque proposita superius exceptio diluitur.

Romanae Synodi in id ipsum definitio.

§. 6. Hoc itaque extra controversiam posito, licere nimirum Ecclesiam consecrare, cum ambigitur, an fuerit illa umquam consecrata; disquirendum modo, justane subsit, de con-

Primus hic dubiae consecrationis titulus an obtineat quoad Bononiens. Metropol. Eccl.

secratione Metropolitanae S. Petri Ecclesiae dubitatio ; exinde enim tota est determinatio, an possit eadem, quantum quidem ad caput hoc pertinet, nunc temporis nova dedicatione sacrari. Nullae in Templo signatae conspiciuntur Cruces, vivitque nemo, hujusmodi consecrationis argumentum se vidisse meminerit; quotannis tamen recitatur dedicationis Officium ; testanturque Historici nostri, consecratam eamdem fuisse a Lucio III. Pontifice octavo Idus Julii anno 1184. Videantur Ghirardaccius *lib.* 4. *fol.* 98. Sigonius *de Episcopis Bononiensibus* editionis Mediolanensis *lib.* 2. *col.* 419. Vizanius *lib.* 2. *fol.* 77. *et* 78. Celsus Falleonius *in Monumentis Historicis Ecclesiae Bononiensis fol.* 186. *et* 187. Masinius *in sua Bononia perlustrata part.* 1. *fol.* 107. *et* 108. Verum, integra ipsorum existimatione relicta, cum scripserint illi plura post saecula a Lucio III. Pontifice, nullumque attulerint enarrato facto coaevum monumentum, haud ita facile accuratiores homines plenam ipsis fidem adhibenda esse consentient. Haud absimilis nobis suborta est dubitatio nonnullos antea annos quoad Basilicam Liberianam, Sanctae Mariae Majoris nuncupatam, in qua, dum Ara Major a nobis extructa consecraretur, suborta est disputatio, num congrueret, ut Ecclesiam quoque solemni ritu dicaremus, quandoquidem Cruces in ea nullae conspiciebantur; quamvis caeteroquin in singulos annos fieret ab ejusdem Clero consecrationis Officium; nec deesset, de signis miraculisque, dum eadem consecraretur, peractis, ad nos usque protensa traditio. Evanuit autem omne dubium, dum opportuno studio ac cura perlustrato celebri Tabulario Capitul. memoratae Basilicae, adinventa est Bulla Greg. IX. Pontificis, in qua commemorantur Indulgentiae a S. Sixto III. Pontifice concessae, dum dedicavit Templum; quod reaedificavit, redegitque ad retentam hactenus formam, centum necdum evolutis annis, ex quo Liberius Pontifex illud a fundamentis primum excitaverat. Quod Liberianae Basilicae contigit, idipsum de nostra quoque S. Petri Eccl. evenire, possumus incunctanter asserere. Etenim adactus Lucius III. Pontif. excitatis tunc in Urbe vehementissimis dissidiis, inde abscedere, et sese in Cisalpinas Gallias recipere, dum Bononiam transgrederetur, Templum Divi Petri, et ulterius progressus, dum Mutinam praetergrederetur, Ecclesiam S. Geminiani, solemni ritu dicavit, uti legitur *in vetustis Mutinensibus Annalibus* Authoris anonymi impressis *tom.* 11. *Rer. Ital. Script. col.* 54. *et in Annalibus Italiae* a Muratorio editis, *ad annum* 1184. *tom.* 7. *pag.* 46. Utriusque inaugurationis monumentum exhibetur in Epistola ejusdem Pontificis data ad Gerardum Ravennatensem Archiepiscopum, cui, qua Metropolitano, suberant tunc temporis Bononiensis ac Mutinensis Dioeceses. Pontificiae literae in celebri Ravennatensis Ecclesiae Tabulario asservantur, editaeque sunt a claro de Rubeis *in Historia Ravennae pag.* 356., cum in iisdem literis haec adscripta legantur: *Dignum est, et consonum rationi, ut, cum ad tuae Fraternitatis instantiam, Bononiensi, et Mutinensi Ecclesiis impenderimus Dedicationis munus, nunquam ex hoc adversus ecclesiam tuam, cui tanquam Metropoli sunt subjectae, et aliquantam vindicare valeant libertatem. Nos itaque providere volentes, ne de facto nostro, contra te, vel successores tuos, injuriae, aut scandali materia oriatur, auctoritate Apostolica constituimus, ut nullum ex hoc tibi, vel successoribus tuis, praejudicium in posterum generetur, sed semper jam dictae Ecclesiae, sicut ante Dedicationem, quam eis impendimus, erant, in tua, et successorum tuorum obedientia, et subjectione, sine contradictione consistant:* licebit hic obiter adnotare, juxta vigentem iis temporibus disciplinam, si quam Ecclesiam a quopiam loci non Ordinario sacrari contigisset, evasisse eamdem obnoxiam auctoritati, et jurisdictioni Episcopi consecrantis, nisi is suo juri cessisset. Quod quidem et ipsum comprobatur ex solemni actu secuto sub annum 1140. quo, cum Falconius, Abbas insignis Monasterii SS. Trinitatis ad Cavam, Reginnensem rogasset Episcopum, ut Ecclesiam dicaret S. Joannis intra fines suae Abbatiae extructam, dedicatio per Episcopum, adjecta tamen sequenti declaratione, facta perhibetur: *Ita tamen, ut neque nostri, neque posteri, nos, nec ipsa Sancta nostra Reginnensis Ecclesia, nec aliquis pro parte nostra tibi aliquod dominium, aut aliquod jus aliquo tempore habeamus, aut quolibet modo habere quaeramus, sed semper ipsa praedicta Ecclesia S. Joannis, cum domibus, aut coemeteriis suis, et cum suis omnibus pertinentibus, sit juris et ditionis ipsius Domini Abbatis, et successorum ejus, et praedicti Coenobii SS. Trinitatis, habendi, et ordinandi, et faciendi exinde quae voluerint, absque nostra, successo-*

Liberian. quoque Basilicae consecr in dubium olim revocata.

Proditis de utriusque consecratione perspicuis monum. rejicitur allatus dubietatis titulus.

Opport. adnotat. de juribus in consecratam Eccl Consecranti olim tributis.

rumque nostrorum, et praedictae Sanctae Reginnensis Ecclesiae contrarietate: quemadmodum nosse licet ex ipso actu relato *tom.* 7. Ughellii, Venetae impressionis *anni* 1721. *col.* 299.

er iteran- conse- ionis ti- is, sub- itum in- d.

§. 7. Rejecto titulo ex dubia consecratione desumpto, alter subsequitur expendendus titulus, si nimirum Ecclesia combusta quandoque fuerit. Atque superius etiam servatae methodo insistentes, disquiramus oportet, an si qua Ecclesia fuerit incendio exusta, satis id sit, ut iterata possit ipsi adhiberi consecratio, exindeque an hujusmodi titulus in propositam nobis speciem de Bononiensi Divi Petri Ecclesia cadere possit. Canonicus indubie est injectae combustionis titulus; veluti deprehenditur *ex Can. Ecclesiis* 20. *de Consecrat. dist.* 1. cujus haec sunt verba: *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum Consecratio adhiberi, nisi ab igne exustae fuerint:* quod porro accipiendum ita est, quoties universa, vel maxima Ecclesiae pars fuerit igne absumpta, quemadmodum pergit Glossa *in Cap. Proposuisti, verbo, Reconciliari, de Consecrat. Eccles. vel Altaris;* cujus concepta verba sunt haec: *Si Ecclesia est exusta tota, vel major pars, debet iterum consecrari:* vel quando, licet consistant parietes, detractae tamen iis crustae, sejunctique lapides sunt; quod quidem ipsum notatur a Glossa *in praeallegatum Can. Ecclesiis, verbo, exustae, de Cons. dist.* 1. *Cum Ecclesia ita comburitur, quod destruatur, vel decrustatur interius, et exterius, tunc exsecratur. Consecratio enim Eccl. maxime consistit in unctione exteriori, et conjunctione, et dispositione lapidum.* Consentiunt Repetentes Canonici juris *ad praecitatum Cap. Proposuisti*, Innocentius nimirum *num.* 1. Zabarella, *num.* 2. Ostiensis *num.* 3. et ad rem praesentem perbelle Ivo Carnotensis, Scriptor saeculi IX. *in suo Serm.* 4. *de Sacramentis dedicationis*, consecrationis substantiam parietibus adhaerere, qui inunguntur, et Crucibus signantur: quod etiam expenditur a S. Petro Damiano *in suo Serm.* 1. *in dedicat. Eccles.*

atis ad id decrusta- fuisse pa- es, lapi- que se- ctos.

Sententia e aucto- itate et mplis con- atur.

§. 8. Titulo subsecutae, mox supra expresso modo, combustionis favet Liber Diurnus Romanorum Pontificum, vetustissimo e Codice exscriptus, Romanisque typis publici juris factus a celebri Luca Holstenio sub annum 1658., ubi *pag.* 130. *num.* 41. legitur sic cautum: *Basilicam, quam in Castro Illo dilectio tua post incendium asserit reparatam, et in honorem Beati Illius, habitatores loci Illius desiderant consecrari, Dedicationis tibi in eo per praeceptionis nostrae seriem facultatem tribuimus, ut fidelium devotio competens sortiatur effectum.* Neque ad hunc magis firmandum titulum ex igne vastante erutum, desiderantur in Ecclesiasticis Historiis opportuna monumenta. Nono jam elabente, vel decimo ineunte saeculo, in Italiam irruerunt Pannonii, igne ferroque immaniter miscentes omnia; et inter caetera Sacra loca igne consumpta, Nonantulanam quoque Ecclesiam una cum Coenobio concremarunt: *Si quidem barbarorum gladio vastante, tuumque Monasterium ab iisdem igne crematum, malorum hominum infestatione, te ipsum cum tuis turbatum audimus.* Ita Sergius Pontifex Nontulano Abbati Leopoldo scripsit. Haud neglexit providi consilii Abbas Monasterium et Ecclesiam a fundamentis restituere: *ut post tot flagella tui laboris certamine Ecclesiam ipsius tui Monasterii usque ad culmen levares etc.* pergit idem Pontifex. Cumque ab eo quaesiisset Abbas, ut Episcopum Ecclesiam consecraturum designaret, tres nominavit Pontifex, tributa ipsi facultate seligendi ex tribus jam designatis, quem maluisset ad dedicandam Ecclesiam invitare: *De caetero, si ad consecrandam tui Monasterii Ecclesiam Episcopum quaeris etc. de his tribus, qualem volueris induc ad consecrandam tuam Ecclesiam.* Monumentum hoc impressum est penes Ughellium *tom.* 2. praecitatae editionis *col.* 205. Ineunte XIV. saeculo cum Lateranensem Basilicam adverso casu intercessisset ignis, eadem una cum adjuncto Pontificio Palatio exausta mansit atque consumpta, uti referunt S. Antoninus 3. *part. Chronic. tit.* 21. *cap.* 1. §. 4. *et* Villanius *lib.* 5. *cap.* 98. Cumque Clemens V. Pontifex non praetermisisset eamdem reaedificandam curare, non multo post exactum praefati XIV. saeculi dimidium, novo adverso fato, ingenti suborto incendio, iterum fuit absumpta, quemadmodum testantur Rainaldus *in Continuatione Annalium ad annum* 1361. *n.* 3. et Soresinus *in Annalibus Lateranensibus* manuscriptis, asservatisque in Tabulario Capituli *fol.* 147. Et quamvis ex sollicita Romanorum Pontificum cura, omnia Basilicae suppeditata fuerint, quibus in pristinum statum restituta fuit, cum tamen non fuisset iterata consecratione dicata, quamvis superioribus temporibus, et cum primum constructa extitit, eam S. Silvester dedicavisset,

hinc placuit Benedicto XIII. Pontifici eamdem sacrare, quod quidem praestitit nobis spectantibus, vehementerque mirantibus universam laboriosam functionem a pio illo Pont. summa cum religione animique constantia peractam, quamvis idem ipse viribus esset destitutus, ideoque ad novissima vitae properaret.

Nec alter hic subsecuti incendii sit. Bonon. Eccl. accommod. demonstratur.

§. 9. Tradunt Historici nostri, providos Concives nostros iniisse consilium, de Bononiensi Cathedrali Ecclesia extra Civitatem olim constructa, Barbarorumque eversa populationibus, reaedificanda, sed intra Civitatis muros, eodemque ipso in loco, ubi vel nunc sita conspicitur: id quodquod praestitutum est x. ineunte saeculo. Iidem Historici referunt, sub Henrico I. Episcopo, medio circiter saeculo XII. sacram illam aedem igne penitus fuisse consumptam; subduntque, non ita multo post fuisse eamdem a Joanne Episcopo antea Lateranensi Canonico, egregio opere restitutam. Videri possunt ea de re Sigonius *in Vitis Episcoporum Bononiensium*, Ghirardaccius *in suis Historiis*, Pompeus Vizanius, fusiusque Celsus Faleonius, et Masinius; quibus porro Authoribus, etsi gestae rei haud coaetaneis, integra fides adhiberi valet, cum agatur de factis publicis, omnibusque perspectis, quorum in plura saecula protenditur recordatio, quorumque nulla servantur monumenta, ideoque resciri aliter nequeunt, quam si Historici regionis, in qua gesta res dicitur, consulantur. Indubium itaque est secutum incendium; certa itidem satis superque incendii conditio; at non propterea pronunciari potest exinde titulum profluere, ad Ecclesiae consecrationem jure iterandam. Subsecutum enim post consecrationem incendium iteratae dedicationi locum facit; non autem combustio, quae consecrationem antecesserit, veluti plane contigit in ea, quam versamus, facti specie, juxta quam, cum Ecclesiam Sancti Petri consumpsisset ignis, eamque Joannes Episcopus iterum a fundamentis excitasset ac reaedificasset, eamdem ipsam sic restitutam Lucius III. Pontifex consecravit. Aliud itaque indigitandum esset, evincendumque incendium, Pontificiam consecrationem subsecutum; at de hoc nullum nobis proditum monumentum.

Tertius iterandus consecrationis Eccl. videlicet, vel saltem parietum reaedificandi.

§. 10. Jam reliquum est, ut ad examen revocetur tertius titulus casui huic nostro aptus, per quem nova potest Ecclesiae adhiberi consecratio, quique in veteris Ecclesiae, ac praesertim parietum nova constructione continetur; si enim corruisset tectum, illudque iterum fuisset superinductum, veteres autem constitissent parietes, jam a Pontifice Innocentio III. *in Cap. Ligneis de Consecrat. Ecclesiae, vel Altar.* definitum fuit, consecratam Ecclesiam non debere iterata inauguratione dicari: *Inquisitioni tua taliter duximus respondendum, quod, cum parietes in sua integritate permanserint, et tabula Altaris mota, vel enormiter laesa non fuerit, ob causam praedictam nec Ecclesia, nec Altare debet denuo consecrari.* Scribensque in praedictum textum Abbas subdit *n. 1. Quia Consecratio Ecclesiae consistit, non in tecto etc. sed in parietibus; ideo, corruente tecto, non fiet reconsecratio:* et cum Abbate veteres Repetentes, quin et recentiores Authores passim consentiunt.

An satis ad id sit Eccl. parieterque per partes refici.

§. 11. At non propterea omnes submotae quaestiones a scriptoribus excitari solitae. Casum inducunt ipsi de Ecclesia, ejusdemque parietibus, paulatim, et per partes refectis; et inquirunt, an refectis hoc pacto omnibus integrisque parietibus, liceat Ecclesiae universim, uti praedictum est, refectae consecrationem iterare; negant aliqui, quod eadem semper sit Ecclesia; ad eum plane modum, quo eadem dicitur navis, quae paulatim, pro opportunitate, novis restituitur tabulis, lignisque; quamvis demum nullae tabulae, nulla supersint ligna ex veteribus, quibus fuit navis primum compacta; idemque ipse dicitur populus, etsi superstites non sint amplius illi, ex quibus olim coalescebat, fuerintque isti, natis subinde hominibus suppleti.

Negant, sententiam, et argum.

Affirmat sententiae fundam.

§. 12. In oppositam sententiam concedunt alii, tum quia quoad spiritualia, veritatem sequimur, non fictionem; tum quia sublatis antiquis parietibus, nec vetus manet amplius consecratio. Est haec Innocentii sententia, quam sequitur Abbas *in cit. Cap. Proposuisti, num.* 8. ubi postquam primam retulit opinionem, ita subdit: *Sed Innocentius super rubricam refert, contrarium teneri a quibusdam, ut indigeat reconsecratione. Et hanc partem puto veriorem: nam in istis spiritualibus consideramus veritatem, et non fictionem: sed in veritate non est illa Ecclesia, ex quo in toto de novo, licet successive, est refecta; nam negari non potest, quin Consecratio, quae consistebat in antiquis parietibus, sit sublata; et jura contraria loquuntur de fictione juris.*

§. 13. Alii denique sentiunt, si quae iteratis vicibus fit parietum superinductio, ita peragitur, ut pars major consecrati parietis consistat, iteratae consecrationi non esse locum: quod major consecrati parietis pars minori superadditae suam impartiat consecrationem. Ita disserit Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 81. sect. 4. §. Sextus casus: Quando parietes Ecclesiae ita destruuntur, ut eam integre reaedificare oporteat; tunc iterum consecranda est etc. Oportet autem, ut parietes simul ruant; nam, si paulatim, et successive destruantur, ac reparentur, non perditur Consecratio, quia semper censetur manere idem numero Templum. Quod intelligendum est, dummodo pars non consecrata, quae additur, non sit major; quia tunc id, quod est majus, censetur ad se trahere, quod est minus.* Huicque sententiae adhaerent alii, quos collegit, sequutusque est Schmalzgrueber *ad tit. Decretalium de Consecr. Eccles. §. 1. num. 27. et 28.* Verum, utut sit de recensitis sententiis, illud tuto pronunciari posse videtur, quoties destructum est vetus templum, vel quia corruit, vel quia illud subverterunt homines, vel quia Christifidelium religio, a primo posito lapide ad usque novissimum, novum excitare templum instituit, adeoni asserere nemo possit veterem consistere aedem, sed potius veteri illi in honorem certi alicujus Sancti Deo dicatae novam superinductam aedem, Deo itidem in honorem ejusdem Sancti nuncupatam; perspicuum esse, posse novam dicari Ecclesiam, licet vetus illa jam destructa, fuisset et ipsa solemni ritu inaugurata.

§. 14. In Historia Lotharingiae novissime publici juris facta a P. Calmet, *part. 2. tom. 1. col. 567.* publicus exscriptus legitur actus Requini Tullensis Episcopi, editus sub annum 1128., quo narratur, constructam ad Spinalium Ecclesiam quamdam, fuisse a S. Gerardo Tullensi Episcopo consecratam, ipsique exinde subversae novam fuisse superinductam, hancque iterum a S. Leone PP. IX. inauguratam. *Hoc etiam a notitia posterorum recedere nolumus, quod destructo etiam Monasterio, quod B. Gerardus dedicaverat, quia nimis parvum erat, et altero aedificato, quod Beatus Leo dignitate Sedis Apostolicae sublimatus dedicavit etc.*

§. 15. Templum S. Mariae situm in Urbis Regione Monticulorum nuncupata, dicatum jam fuerat a Paschali II. Pontifice, teste Pandulpho Pisano apud Papebrochium *in Propilaeo pag. 319. num. 27.*, Venetae impressionis. Plura post annorum centena, cum sacra Ædes fuisset in deteriorem statum perducta, Clemens XI. Pontifex fuit adeo pro ea sollicitus, ut ab ipso reaedificata merito dici queat, veluti perbelle adnotavit Gagnius Caeremoniarum Magister in publicis Actis a se confectis super dedicatione ejusdem Ecclesiae: *Quam Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XI. reaedificari fecit.* Haecque ipsa Ecclesia S. Mariae in Monticulis anno 1716. consecrata fuit, nil morante prima ejusdem inauguratione a Paschali II. Pontifice peracta, veluti praemunitum fuit; atque insuper dignosci omnia possunt ex Historia praefatae Ecclesiae scripta ab Horatio Ciuccoli *pag. 89. et pag. 94.* Ecclesiam a S. Benedicto extructam in Monte Cassino subverterunt Longobardi. Ipsam restituit Abbas Petronaces; sed a Saracenis deinde combustam Joannes Abbas reaedificavit, Abbas vero Desiderius ampliavit, atque demum Zacharias Pontifex consecravit, sub annum 748. qua de consecratione fusiori calamo scripsere Sigonius *de Regno Italiae lib. 3. ad annum 748.* Card. Baronius *ad eumdem annum 748. num. 16.* atque Gattola *parte prima Historiae Abbatiae Cassinensis ad saeculum III. pag. 20.* De alia quoque Consecratione, eidem Ecclesiae ab Alexandro II. sub annum 1071. adhibita, occurrit mentio. Ipsa insuper Ecclesia, ingenti terrae motu, anno 1349. diruta, Urbani V. Pontificis jussu fuit excitata. At cum eadem iterato corruisset, fuissetque anno 1649. a fundamentis restituta, et in eum, quem nunc tenet magnificentiae statum, adducta Benedictus XIII. anno 1727. eam tertio consecravit, quemadmodum quisque nostrum meminisse potest, atque etiam legitur in ejusdem Pontificis Vita edita a Praesule Borgia Archiepiscopo Firmano, *sub num. 57.*, ac veluti etiam adnotatum conspicitur in lapideo monumento in praedicta Basilica ad perennem rei gestae recordationem apposito: *Terraemotu anni 1349. prorsus dirutam, et Urbani V. jussu erectam, ac rursus ruina obrutam, atque a fundamentis anno 1649. excitatam, et recens magnificentius exornatam, Benedictus XIII. Pontifex Maximus Ordinis Praedicatorum anno 1727. die 19. Maii solemni ritu tertio consecravit.* Vetus denique Templum insignis Abbatiae Campidonensis fuit ab Hadriano I. Pontifice solemni ritu inauguratum; verum cum illud idem, saeculo XVII., Svedensi

bello, prostratum mansisset, et per Abbatem a fundamentis restitutum fuisset, Nos ex Pontificia Nostra auctoritate, Abbati, etsi Episc. charactere non insignito, facultatem fecimus consecrandi Eccles. adhibito tamen Oleo per Episc. benedicto, idque ut religioni ipsius Abbatis, et piis indulgeremus populorum votis, qui Abbatem, cujus tanta in opere perficiendo laus fuerat, sacram functionem peragentem cernere exoptabant; et sane fuit ab eodem, in vim dati a Nobis Apostolici Brevis, solemniter inaugurata Ecclesia, veluti nosse licet e Nostro Opere *de Synodo Dioecesana lib.* 13. *cap.* 15. *num.* 4. novae Romanae editionis.

Pensatur, rejicitorque titulus ex terraem. quo Bon. Eccl. pars concidit.

§. 16. Verum ad nostram iterum Metropolitanam Bononiensem Ecclesiam S. Petri redeundo, etsi post peractam a Lucio III. sub annum 1184., uti praenotatum est, ejusdem Consecrationem, Ghirardaccius *lib.* 5. *fol.* 146. Vizanius *lib.* 3. *fol.* 101. Masinus *part.* 1. *fol.* 107. 108. Celsus Faleonius *in Historicis Monumentis Ecclesiae Bononiensis fol.* 230., meminerint ingentis sequuti terraemotus, Henrico Fratta Episcopo, anno 1222., quo grave detrimentum Ecclesiae S. Petri fuit illatum; cum tamen iidem ipsi referant, corruisse tectum, ac testudinem Ecclesiae, providumque Episcopum haud praetermisisse illata reparare damna, ad rem praesentem satis haudquaquam est acerbus hic casus; superius namque animadversum est, consistentibus integris parietibus, quibus potissimum adhaeret consecratio, non licere iterato Ecclesiam consecrare, etsi ejusdem tecta concidant.

Canonic. titul. iterandae consecr. hujus Ecclesiae, tantummodo reaedificat. a fundam.

§. 17. Nova itaque adhibenda Consecratio alio debet fundamento inniti; paratumque illud est, nec a nobis excogitatum. Cum Raynutius Cardinalis Farnesius anno 1565. Bononiensem Ecclesiam Episcopus administraret, exiguum miratus aedificium majoris Cappellae ejusdem Cathedralis Ecclesiae, jam tum de alia a fundamentis excitanda secum ipse constituit; at cum nunquam manum operi admovisset, id curae reliquit Cardinali Gabrieli Palaeotto sibi Successori, primoque in Patria nostra Archiepiscopo. Magnus itaque is Cardinalis augustam construxit Cappellam majorem, ad quam ex Ecclesia per aliquot conscenditur gradus, ipsumque etiam subterraneum aedificium instauravit, solemnique pompa in eandem translatas, locatasque insignes nostrorum SS. Martyrum Vitalis, et Agricolae Reliquias, decenti admodum, elegantique urna inclusit. Conspicuum Sacelli aedificium Cardinalis a primo lapide instituit, perfecit, ditavit, instruxitque congruentibus ornamentis, atque picturis celeberrimis. Enarrantur omnia a Ledesma in Vita praefati Cardinalis *lib.* 3. *cap.* 9., ab Alberto Bruni ipsi a Secretis, in Vita iidem ejusdem per ipsum contexta, impressaque *tom.* 6. *veterum Scriptorum, et Monumentorum*, quae collecta fuerunt a Martene, et Durando, publicique juris facta Parisiis anno 1729. *col.* 1406. §. 31., a Sigonio, *de Episcopis Bononiensibus*, cum loquitur de eodem Cardinali: quibus accedunt, quae insuper testantur Vizanius in Historiis *lib.* 12. *fol.* 107. et 108. Ughellius *Italia sacra t.* 2. *citatae editionis col.* 41. Masinus *part.* 1. fol. 107. et 108. et latius Celsus Faleonius *in Monumentis Historicis Bononiensis Ecclesiae lib.* 6. *fol.* 619. *et seq.* ubi subdit, non praetermisisse Gregorium XIII. Pontificem Concivem Nostrum, quum collati sumptus in aedificium, ornatumque ingentis Cappellae, vicissent Cardinalis vires, iteratis vicibus ampla ipsi munificaque suppeditare subsidia.

Recensentur novi aedificii exordia.

Conficit. Archetypus, positoque primo lapide inchoatur.

§. 18. Novo licet absoluto majoris Sacelli aedificio, consistebant tamen adhuc reliqua vetustioris Templi; verum sive quod illud in deterius inclinasset, sive quod novae Cappellae amplitudini non responderet, Praesul Alphonsus Palaeottus, Gabrieli ejusdem familiae Cardinali in Bononiensi Archiepiscopatu Successor, novam adorsus est construendam Ecclesiam, Cappellae recens constitutae congruentem, acceptoque typo a celebri Architecto Patre Joanne Ambrosio Magente, Clerico Regulari Congregationis Sancti Pauli, primum posuit novae aedis lapidem sub annum 1605 die Annunciationi Virginis Deiparae sacra, cum e vivis sublato Clemente VIII, Apostolica Sedes vacaret, atque in fundamento lapideum hoc monumentum poni jussit: *Alphonsus Palaeotus Bononiensis Archiepiscopus, et Princeps, Metropolitanam Ædem angustam, ac prope dirutam, in ampliorem a fundamentis restituturus, primum hunc lapidem solemniter posuit anno salutis* 1605. *die Annunciationis B. Mariae Virginis, per mortem Clementis VIII. vacante Sede Romana;* eaque occasione complura excudi quoque curavit numismata, novum innuentia Metropolitiae Ædis incoeptum aedificium; quorum unum, simul cum aliis collectis numis-

matibus, transmissum a Nobis fuit ad celebre Nostrum Bononiense Institutum.

§. 19. Nostros inter Convices, qui amplioribus eleemosynis novum opus juvarunt, quidam commemoratur Ludovicus Rusticellius, a quo aere proprio ingens posita pila ad laevum majoris Sacelli. Certa ad Nos usque producta memoria scimus, aedificium sub Paulo V. Pontifice fuisse continuatum, cum in lapide novae Ecclesiae ad meridiem apposito, haec inscripta legantur verba: *Paulo V. Pontifice Maximo, Alphonso Palaeoto Archiepiscopo, anno Christi* 1610., *et Alexandro Ludovisio successore* 1614., alioque in Lapide ad septentrionem, haec alia: *Pauli V. Pontificis munificentia, Scipionis Burghesii Cardinalis Archiepiscopi III. auspiciis, Alexander Ludovis. IV. Archiepiscop. provid. anno* 1614. Quaecumque hactenus recensita sunt, afferuntur quoque ab Ughellio *Italia sacra tom. 2. col.* 46., a Rabbi *in Continuatione Historiae Episcoporum Bononiensium* a Sigonio scriptae *col.* 606., a Masinio *Bononia Perlustrata p. 1. fol.* 107. *et* 108. et a Faleonio *fol.* 648. *et seq. et fol.* 662.

§. 20. Quantum quidem Nobis suppetit memoria eorum, quae in monumentis in Archiepiscopali Tabulario asservatis vidimus adnotata, Archiepiscopus Ludovisius, qui Cardinalis renunciatus, haud ita multo post, assumpto sibi nomine Gregorii XV., Summus Pontifex fuit inauguratus, fabricam Metropoliticae Ecclesiae suae non est oblitus; at eo vita functo, cum plures controversiae de ingentibus subsidiis in praedictam causam ab ipso constitutis, fuissent excitatae, perfici non potuit aedificium, deficientibus adhuc postremis duobus magnis Sacellis, ipsaque nova fabrica producta tantum ad porticum, quae veteri Ecclesiae protendebatur, quaeque sub pontificatu Innocentii VIII. anno 1487. extructa fuerat a Juliano Cardinali de Ruvere Bononiae Episcopo, qui pontifex factus nomen sibi indidit Julii II., teste Sigonio *de Episcopis Bononiensibus*, in novissima editione illius operum Mediolani curata *col.* 518., qui hoc quoque lapideum monumentum in dicta Porticu appositum exscribit: *Sedente Innocentio VIII. Pontifice Maximo; Pontificatus sui anno tertio, Julianus Episcopus Ostiensis, Cardinalis S. petri ad Vincula, Sanctae Romanae Ecclesiae Major Poenitentiarius, et episcopus Bononiensis, condi jussit, anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, procurante Philippo Lucensi Episcopo Urbinate, Locumtenente, et Vicario Generali.*

§. 21. Ab Anconitana Ecclesia, Benedicti XIII. munificentia Nobis collata, ad Metropoliticam Bononiensem Ecclesiam sub annum 1731. a Clemente XII. nobis itidem benefico translati fuimus; cumque Porticum a Julio II. positam invenissemus undique fatiscentem, atque etiam ruinam minitantem, haud praetermisimus praestare quaecumque tum ad ejusdem firmitatem, tum ad congruam venustatem necessaria videbantur: sed cognoscentes fieri nullo modo posse, ut Ecclesiae aedificio producendo animum utiliter adjiceremus, curavimus tamen omnia, quae nostris viribus complecti potuimus; constructam Ecclesiae partem ornavimus; ac praeter Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, uti praedictum est, duo insuper Altaria ereximus in augustis Sacellis, proximis majori Sacello, a Cardinali Palaeotto erecto, quae eousque manserant Altaribus destituta. At subinde nullis nostris meritis ad Summum Pontificatum evecti curam omnem de Ecclesia perficienda suscepimus, adhuc deficientes geminas Cappellas addidimus, in iis posuimus Altaria, constructam a Julio II. reparatamque a nobis Porticum solo aequavimus, id exposcente novae Metropolis Archetypo, nec etiam magnifica fronte carere permisimus Augustum Templum, eidem insuper opportunis non ad necessitatem modo, sed et ad magnificentiam tributis supellectilibus. Gravior enim nobis contigisset (justa ne an injusta, ignoramus) Francisci Petrarchae ad Urbanum V. Pontificem exprobratio, oblitum eum scilicet fuisse Ecclesiae Sancti Joannis in Laterano: *Quo, inquam, animo tu ad ripam Rhodani* (quod Pontifex tunc Avenioni detineretur, de Nobis autem Romae residentibus *ad ripam Tiberis* dici potuisset) *sub auratis tectorum laquearibus somnum capis, et Lateranum humi jacet, et Ecclesiarum Mater omnium, tecto carens, et ventis patet, et pluviis?* uti videre est in ejus Opere *de rebus senilibus lib. 7.* in Epistola ad dictum Urbanum incipiente: *Aliquandiu, Pater Beatissime.* De nobis autem dictitari potuisset: dum Bononiensis Ecclesiae tuae imperfectum adhuc est aedificium, dum plura adhuc in ea desiderantur Altaria, dum quae extant, paucis exceptis, sordescunt nimis, dumque deficiunt caetera ad congruum divino numini cultum exhibendum opportuniora.

Pont. adhuc Bon. Episcopi, cura in urgendo templi aedificio.

Ab eodem jam Pont. complet. insigni opere, lectissimisque supellectilibus ditatur.

Confect. expositi facti conclusio.

§. 22. Ex hactenus expressa historica facti narratione rem iterum nostram repetentes, perspicuum fit, nihil plane superesse vetustioris Ecclesiae; novam ipsi a primo ad supremum usque lapidem subrogatam esse ampliorem atque spectabiliorem, et ex veteri illo Templo, praeter titulum et situm, nihil amplius superextare. Quapropter cum fuerit jam demonstratum, fas esse penitus renovatae Ecclesiae dedicationem perficere, quamvis praeexistens illa vetustior fuisset inaugurata, nihil est reliquum, quod novam moretur Consecrationem, eamdem peragi, juri admodum congruit ac Religioni. Tolletur quoque per id quaestio ab Auctoribus agitata, nimirum, an liceat retinere recitationem Officii Dedicationis Ecclesiae, etsi vetus haud supersit Consecratio, uti plane Bononiae hactenus factitatum; neque enim desunt Auctores, contendentes, non licere Officium Dedicationis Ecclesiae recitare, cum amplius non superest Consecratio, ad quam recolendam institutum fuit Officium, quemadmodum videre est penes Guyet *de Festis propriis Sanctorum l.* 1. et Bissum *in sua Hierurgia, verbe Dedicatio Ecclesiae num.* 51. Quamvis profecto nec desint alii oppositam sententiam docentes, ducti potissimum exemplo duarum Basilicarum Lateranensis et Vaticanae, in quibus ad veterum Consecrationum recordationem diu fuit retenta Offici recitatio, etsi novis positis constructionibus, veteres amplius non superextarent Consecrationes: quod scilicet in causa fuit, ut Benedictus XIII. Pontifex, veluti praediximus, Lateranensem Basilicam, Urbanus vero VIII. alteram S. Petri in Vaticano, iterata adhibita Consecratione, dicarent.

Opinion. discrep. de recit. sublatae consecr. Officio.

§. 23. Constituto itaque de congruentia iterandae Consecrationis Archiepiscopalis Bononiensis Ecclesiae consilio, conversoque sermone ad Consecrationis functionem, per Nos ipsos perficiendam, Tibi asseverabimus, id propositum Nos haud abjecisse, licet intermedio hoc tempore, supremo Numini placuerit, Nos omni plane merito destitutos ad Summum Pontificatum extollere. Saepe animo recogitavimus dilectam Nobis Sponsam, Ecclesiam, in qua gemina Baptismatis et Confirmationis Sacramenta suscepimus, et in qua Sepulchrum Nobis destinavimus, uti nosse licet ex Lapide vel hodie ad Altare Sanctissimi Sacramenti substrato. Tenuit Nos semper vehemens desiderium revisendi Nostrum Clerum, Concives Nostros, Nostros Dioecesanos. Augebatur autem illud in dies, percurrentibus Nobis Annales Nostrorum Praedecessorum, a quibus tot per Italiam consecratae fuerunt Metropolitanae, atque Cathedrales Ecclesiae, Nobisque, qui iis successimus, haud secus videbatur cum Bononiensi Ecclesia Nostra rem transigi debuisse. Ab Alexandro II. Pontifice, legitur, inclinante seculo xi., consecratam fuisse Lucensem Cathedralem Ecclesiam, quemadmodum mox infra demonstrabimus. De Gelasio II. narrat Ughellius *tom.* 4. *Italiae sacrae col.* 851. consecrasse eumdem Cathedralem Ecclesiam Januensem; extatque hujusce rei monumentum in illius sacrario, ubi in quodam Lapide haec leguntur: *Sexto Idus Octobris anno Dominicae Incarnationis* 1118. *indict. xii. Dedicatio Ecclesiae Beatissimi Laurentii, atque Sanctissimi Syri Januensis Episcopi. Quae consecrata fuit a Gelasio Papa, primo anno Episcopatus sui, cum pluribus Episcopis etc.* Cardinalis Baronius ad annum Christi 1120. *n.* 3. colligit ex Vaticano Manuscripto de rebus gestis Calixti II., hunc Luca decedentem, atque pertranseuntem Hetruriam, exceptum, honorificentissimeque habitum Pisis, ubi exoratus a praeclaris illis Civibus, *rogatus ab ipsis Pisanis, et magna instantia postulatus, majorem Ecclesiam ad honorem Beatae Mariae, tota ibidem Thuscia concurrente, dedicavit solemniter.* De duarum, Bononiensi, et Mutinensi, Cathedralium Ecclesiarum inauguratione a Lucio III. peracta, jam superius verba fecimus. Annalium Baronii continuator Raynaldus ad annum Christi 1225. *num.* 55. exemplum affert, a dicto Cardinali relictum, vetustae inscriptionis spectantis ad Reatinam Cathedralem Ecclesiam, in qua ita legitur: *In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem* 1225. *Indictione xiii. quinto Idus Septembris, tempore Honorii III. PP. Pontificatus anno ejus decimo consecrata est major Ecclesia Reatina ab ipso Domino Honorio cum talibus Episcopis, videlicet Ostiensi, Albanensi etc. ad honorem Beatae Mariae semper Virginis.* Celebris denique perhibetur Consecratio Florentinae Metropolis ab Eugenio IV. Pontifice sub annum 1436. peracta, de qua meminere S. Antoninus in suis *Chronicis part.* 3. *tit.* 22. *cap.* 10. § 6. Ughellius *tom.* 3. *col.* 170. Scipio Ammiratus in Historiis Florentinis *part.* 2. *lib.* 22. Idemque S. Antoninus exacte describit ingentem pontem ab Ecclesia PP. Praedicatorum ad Cathedralem Ec-

Confirm. ex Praed. Pontific. exemplis.

Pont. propositum consecr. per se Bononiens. Eccl.

clesiam S. Mariae de Flore protensum, non minus ad magnificentiam, quam ob necessitatem praestandi Pontifici expeditum transitum, ne immensa manu confluentis populi esset circumfusus.

...end. in ...um lu... ...ius fa... Ale... ...i II.

§. 24. Haec nobis plures annos prae oculis obversata sunt exempla, ut iter Bononiam aggrederemur, novam Metropoliticam Ædem consecraturi. Urgebat autem praesertim illud Alexandri II. exemplum, quum ipse simul cum Summo Pontificatu Lucensem retinuerit Episcopatum, et Nos Summum Pontificatum multos annos, retento Bononiensi Archiepiscopatu, obtinuerimus; ipse Lucensis Cathedralis Ecclesiae aedificium absolverit, et Nos ea perfecerimus, quae ad Bononiensis Ecclesiae complementum desiderabantur. *Eodem anno* (concepta sunt verba Cardinalis Baronii *ad ann.* 1070. *num.* 27.) *Alexander Papa, qui imitatus Sanctum Leonem IX. licet Romanus Pontifex creatus, nunquam titulum prioris Lucensis Ecclesiae dimittere voluit, emenso decennio, ex quo coeperat illic egregiam Basilicam aedificare, ea jam absoluta, Lucam petit, eamque in honorem S. Martin. Episcopi et Confessoris Deo dicavit pridie nonas Octobris.* Verum aetas ingravescens, incidens podagra, Pontificiique aerarii tot calamitatibus exhausti tenuitas, invitos Nos, satisque moerentes adegerunt, ut propositum suscipiendi itineris Bononiam, atque per Nos ipsos absolvendi inclitae Metropoliticae aedis S. Petri inaugurationem, seponeremus.

...erposita ...dimenta ...sentur.

...uaenam ...fuerit, ...ve nunc ...ani ...aucto... ...in con... Eccle... ...er alie... Dioece...

§. 25. Ex privativis juribus Romani Pontificis quondam fuit, Ecclesias inaugurare; adeo ut, quicumque dicare eas cupiebat, deberet opportunam ab eo petere, et obtinere facultatem. Hujusce olim vigentis disciplinae argumenta extant Canone quarto et quinto *de Consecratione, dist.* 1. sumpta ex Epistola quinta Gelasii *I. tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 904. Et in superius citato Diurno Romanorum Pontificum edito ab Holstenio, *num.* 35. preces afferuntur Episcoporum supplicantium Pontifici, ut sibi liceret sitas suis in Dioecesibus Ecclesias consecrare; *et num.* 36. *et seq.* excripta reperiuntur gratiae, facultatisque rescripta Romanorum Pontificum. Quamvis autem is usus transalpinis quibusdam in Provinciis forte non obtinuerit, quamque alibi universim Episcopi a Romano Pontifice expetebant facultatem consecrandi Ecclesias, eam Suffraganearum Ecclesiarum Praesules a suo Metropolita exquirerent, atque tandem pluribus ab hinc saeculis, ob insigniter adauctum Ecclesiarum numerum, invectum sit, ut quilibet Episcopus, nulla praeobtenta Apostolica facultate, sitas in Dioecesi sua Ecclesias solemni dedicatione consecret, voluti etiam perbelle observat Gretserus *tom.* 5. *lib.* 1. *de Festis cap.* 10. *pag.* 123., id tamen non facit, quin si Romano Pontifici videatur Ecclesiam aliquam in quacumque per Orbem Dioecesi solemniter dicare, id ipsi per se liceat, et ex propria auctoritate, ad Dioeceses omnes protensa. *Habent illi sibi assignatos Greges singuli singulos*, scripsit S. Bernardus *lib.* 2. *de Considerat. ad Eugenium cap.* 8. loquens de Episcopis; subindeque ad Papam sermone converso, ita subit: *Pontifici universi sunt crediti, nec modo Ovium, sed et Pastorum est omnium Pastor.*

Inconsulta Rodulphi Glabri assertio, ratione et auctorit. improb.

§. 26. Rodulphus Glaber *lib.* 2. *Historiae suae cap.* 4. narrat, cum Joannes XVIII. Pontifex Maximus, rogante Fulcone Andegavensi Comite, suum misisset Legatum Petrum Cardinalem, ut Bellilocensis Monasteri Ecclesiam, quam Hugo Turonensis Archiepiscopus dicare detrectaverat, consecraret, aegerrime id tulisse Gallicanos Episcopos: *cum multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quisquam Episcoporum in alterius Dioecesi id praesumat exercere, nisi Praesule, cujus fuerit, compellente, seu permittente.* Verum praeterquam quod nullum extat vestigium assertae disciplinae Episcoporum Galliae, uti nosse licet *tom.* 4. *Galliae Christianae* Sammartanorum, vetustioris impressionis *p.* 150. *et* 151. Petro de Marca *lib.* 4. *de Concordia cap.* 8. *n.* 2. animadvertit praeterea Natalis ab Alexandro *in Historia Ecclesiastica saeculi* XI. *in Synopsi c.* 1. *art.* 1. si Glaber Monachus erat Historicus, eumdem sane nec Canonica facultate instructum, nec Theologica fuisse scientia praeditum, ideoque minus apte scriptitasse, quaecumque adnotata reliquit de Pontificia auctoritate in Consecrandis Ecclesiis intra aliorum Episcoporum Dioeceses existentibus: *Sed corrigendus Glaber, qui se Juris, ac verae Theologiae haud satis peritum ostendit, cum Romanum episcopum in aliorum Praesulum Dioecesibus munia Episcopalia exercere non posse asserit, nisi ipsis permittentibus.* Cardinalis Baronius quoque, *ad annum Christi* 996. *n.* 25. in Glabri assertionem invehitur. *Haec Glaber: sed sicut in recensenda Historia fidelis, ita in pervestiganda, atque definienda cau-*

sa ruinae Templi valde hallucinatus erravit, dum nihil vult in aliena Dioecesi posse praesumere Romanum Pontificem, plusquam caeteros Episcopos, quibus certis limitibus est definita Dioecesis, et extra ipsam nihil penitus agere posse vane existimavit, contra omnes Ecclesiasticas leges, usumque ipsum, atque antiquam traditionem. An non jure, sancte, pieque Joannes Papa et Martyr consecravit Constantinopoli Ecclesias, quae erant Arianorum, in usum Catholicorum? Et Pagius *in notis ad Annales Cardinalis Baronii* 1009. *num.* 3. loquens de Glabri assertione haec scripsit: *Sed hic male asserit, Pontificem aliquid tentasse contra Canones, et Turonensi Episcopo repugnante factam esse Bellilocensis Ecclesiae Consecrationem.*

Nec non exemplis ex vetustate desumptis.

§. 27. Redundant Historiae exemplis Consecrationum Ecclesiarum, quas Romani Pontifices non modo intra, sed et extra Italiam peregerunt, proprio utentes jure, quin Episcoporum quisquam conqueri ausus sit, vel asserere, nequivisse sua in Dioecesi, se inconsulto, Consecrationis opus absolvi: uti cognosci potest ex dedicatione peracta a Stephano III. in Gallia, seculo VIII. *Gallia Christiana tom.* 7. *col.* 344. ex facta Consecratione inclinante seculo sexto Paderbonae a Leone III. *in Annalibus Cardinalis Baronii ad annum* 799. *num.* 10. commemorata; ex dedicatione Ecclesiae S. Stephani ineunte seculo XI. Bambergae celebrata a Benedicto VIII. apud ipsum Cardinalem Baronium *ad annum* 1019. *num.* 1. aliisque ex innumeris Ecclesiarum dedicationibus, quae per Lotharingiam, XI. elabente seculo, a S. Leone IX. peractae leguntur *in Historia Ecclesiastica et Civili Calmeti lib.* 19. *num.* 119. *et seqq. et tom.* 1. *part.* 2. *col.* 423. et quae per Galliam eodem seculo XI. ab Urbano II. factae recensentur a Mabillonio *in suis Annalibus Benedictinis ad annum* 1095. *lib.* 69. *n.* 29. *pluribusque seq.* quaeque insuper in ipsa Gallia a Gelasio II. factae, circa seculum XII. per Cardinalem Baronium *ad annum Christi* 1118. *num.* 16. et in Provincia Viennensi a Calisto II. per eumdem ipsum Cardinalem adnotantur *ad proximum annum* 1119. *num.* 16.

Pont. cum nequit per se, potest consecrat. quacumque in Dioeces. peragendam alteri delegare.

§. 28. Vindicata Romano Pontifici auctoritate consecrandi jure proprio Ecclesias quacumque in Dioecesi constitutas, ipso quoque irrequisito Dioecesano Episcopo, consequitur, ut, si propositum sibi Consecrationis opus per se nequeat absolvere, possit alteri functionem suo nomine peragendam delegare; qua ratione absoluta Consecratio, dici potest ab ipso Pontifice peracta, eidemque tribuenda venit, ex juris regula, *qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Cum Metropolitae, veluti superius adnotavimus, jure potiebantur consecrandi Ecclesias suorum Suffraganeorum, hisque non licebat, sine praeobtenta ab illis facultate, Consecrationis opus aggredi, designabatur a Metropolitano Episcopus dedicationem peracturus, quemadmodum colligi potest ex iis, quae constituit Montanus Toletanus Episcopus in sua Epistola *ad Fratres Territorii Palentini*, relata post Concilium Toletanum habitum *anno* 531. *Salubri Ordinatione censuimus, ut si quando talis necessitas incubuerit,* (loquitur de consecranda Ecclesia) *litteris nos informare debeatis, et aut per nos, aut eum, qui nobis ex Fratribus et Coepiscopis nostris visus fuerit, Consecratio Ecclesiarum Deo auspice poterit celebrari.* Reperiuntur haec apud Harduinum *tom.* 2. *col.* 1143. Penes Ughellium *tom.* 5. *col.* 399. extat mandatum Pontificis ad Patriarcham Aquilejensem, ut suo nomine Parentinam Cathedralem Ecclesiam dedicaret; reliquaque tantummodo est inter Criticos disceptatio, sitne ejusmodi mandatum Joannis XII. aut Joannis XIII. Summorum Pontificum. Tribuebatur autem Consecratio ei, qui cum ejusdem peragendae auctoritate polleret, non ipse per se, sed alteri delegabat perficiendam; nullatenus vero adscribebatur absolventi eamdem ex aliena delegatione, etsi in ipso rei gestae monumento de hoc quoque fieret mentio. Tetolo Turonensis Archiepiscopus seculo X. ex delegatione Frotherii Pictaviensis Episcopi Ecclesiam dedicavit S. Cypriani, et in Consecrationis monumento *relato praecit. tom.* 4. Sammartanorum *p.* 751. *col.* 2. haec scripta leguntur. *Ego Tetolo Episcopus, vice Domini Frotherii Episcopi, dedicavi hanc Ecclesiam.* In Perusina Dioecesi, extra Oppidum Titignanum nuncupatum, sita est Ecclesia S. Joanni dicata, sub annum 1229. ex mandato Gregorii IX. Pontificis a Pedinae Episcopo consecrata, et intus ipsam Ecclesiam vetus legitur hisce verbis concepta inscriptio. *De mandato Domini Gregorii Papae IX. anno Domini* 1229. *mense Mart. die* 11. *fuit consecrata Ecclesia S. Joannis extra Castrum Titignani per V. P. D. Petrum Filium Gruamontis quondam Bovacciani Matthaei de Comitibus de Monte Marte, Episcopum Pedi-*

Eodem jure quandoque usi sunt Metropolit. quoad suos Suffragan.

Pont. delegationis exempla.

nensem, concedentem singulis diebus pro Indulgentia quadraginta dies, anniversario ejusdem unum annum quadraginta dies, ac etiam pro omnium defunctorum dicta Consecratione.

§. 29. Hactenus dicta quo spectent, jam prospicis, Dilecte Fili Noster. Supra vires nostras est, Bononiam, quod optatissimum nobis semper fuit, reverti, et Consecrationem Metropolitanae Ecclesiae nostrae per nos ipsos peragere. Propositum nobis est, nostra uti auctoritate mandantes alteri Consecrationem nostro nomine perficiendam. Cui autem id opus possumus opportunius mandare, quam tibi, Creaturae nostrae, proximo in Bononiensi Archiepiscopatu Successori, tantoque cum spirituali Civitatis et Dioecesis progressu, gaudioque nostro plane incredibili, emeritissimi Praesulis muneribus cumulatissime perfugenti; quo quidem nomine enixas in dies Deo Optimo gratias rependimus. Te itaque, veluti ex nostris ad te Literis in forma Brevis luculentius demostratur, ad Ecclesiam nostro nomine, cum tibi commodum erit, consecrandam delegamus. Ne autem a nobis demandata Consecratio idem plane subeat casum, quem pertulit a Lucio III. peracta Consecratio, cujus monumenta fuerunt ex Historicis, Tabulariisque Ravennatensibus repetenda, tibi mandamus, ut de Consecratione per te nostro nomine perficienda, publicum confici cures Instrumentum in Archiepiscopali Tabulario asservandum, jubeasque affigi intus Metropoliticam Ædem, opportuniore, quem judicaveris, loco, Lapideum monumentum, in quo inscribantur huic Epistolae subjicienda verba. Atque nunc quidem paterno te amore amplectentes, tibi, tuaeque curae concredito Gregi, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 12. Maji 1756. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

Dat. die 12. Maji annum 1756. Pont. 16.

METROPOLITICAM S. PETRI
APOSTOLORUM PRINCIPIS ÆDEM
QUAM
BENEDICTUS PAPA XIV. PONT. MAX.
GRAVISSIMIS CURIS PROHIBENTIBUS
DEO DICARE
QUOD IPSI OPTATISSIMUM ERAT
NON POTUIT
VINCENTIUS MARIA S. R. E. CARD. MALVETIUS
AB EO PURPURA DONATUS
IPSIQUE IN BONONIENSI ARCHIEPISCOPATU
SUCCESSOR
VICARIUS EI MUNERI DELEGATUS
SOLEMNI RITU CONSECRAVIT

. . . . . .

ET FIDELIBUS RELIGIOSE AD ECCLESIAM
ACCEDENTIBUS S. S. DIE
INDULGENTIAM PLENARIAM
ANNIVERSARIA VERO CELEBRITATE RECURRENTE
SEPTEM ANNORUM ET TOTIDEM QUADRAGENARUM VENIAM
SUMMI PONTIFICIS AUTHORITATE
PERPETUO CONCESSIT
JUSSUQUE EJUS
M. P. C.

Dilecto filio nostro Vincentio tituli S. Marcellini et Petri Presbytero S. R. E. Cardinali Malvezzi nuncupato ex concessione et dispensatione Apostolica Archiepiscopo Bononiensi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Literae in formâ Brevis, quibus Card. Malvezzi facultas tribuitur ad dedicat. Ecclesiae Pontificio nomine perficiendam.

Tibi prae caeteris, Dilecte Fili Noster, qui Bononiae, dum Archiepiscopum ageremus, et Romae, ubi primum intimus Cubicularius, deinde Cubiculo nostro Praefectus per plures annos fuisti, magis compertum exploratumque est, quantum, quoad Nobis integrum fuit, pro Metropolitana Ecclesia Bononiensi olim Nobis, modo Tibi desponsa, studuerimus et adlaboraverimus, ut illius instauratio a tot annis coepta, neque umquam absoluta, tandem per Divinae bonitatis abundantiam perficeretur, et Sacrarium sacris Supellectilibus etiam pretiosis ex auro et argento affatim locupletaretur. Quoniam autem ipsam Metropolitanam Ecclesiam ita instauratam esse probe novimus, ut nova Consecratione indigere non dubitemus, cum ea potissimum concurrant causae, quae juxta sacros Canones novam ejusdem inaugurationem jure ac merito exigere videntur; quemadmodum per nostram Epistolam Italico sermone scriptam, ac typis editam, gravissimis rationum momentis ostendimus ac probavimus: ea propter eo semper flagrantissimo desiderio tenebamur, atque spe alliciebamur, fore nimirum, ut luculentis nonnullorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum exemplis insistentis, Bononiam repetere, dilectissimum Clerum ac populum nostrum invisere, atque una invicem gratulantes, Metropolitanae Ecclesiae laudatae Consecrationem peragere valeremus. Verum Votorum nostrorum impotes faciunt, atque a concepta spe dejiciunt non contemnenda provectae aetatis impedimenta, et non levia podagrae incommoda. Itaque illud tandem consilium suscepimus, in eamque devenimus sententiam, ut relicta Nobis pariter a nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris documenta sequentes, aliquem deputaremus, qui nostro nomine illam perficeret. Itaque Te, Dilecte Fili Noster, qui a Nobis Sacra Purpura donatus, qui a Nobis Archiepicopus Bononiae constitutus, qui Creatura Nostra es, qui tanta cum nominis tui laude, tanta cum Christiana pietate, Pastorali sollicitudine, Sacerdotali vigilantia, bono exemplo, et Ecclesiastico zelo impositum Tibi ministerium cumulate adimplere satagis et adniteris; Apostolica auctoritate, tenore praesentium, constituimus ac deputamus, ut solemnem saepedictae Ecclesiae Metropolitanae, eo die, eo mense, prout Tibi opportunius visum fuerit, Nostro nomine Consecrationem facias ac perficias. Volumus autem, ut universis et singulis Christifidelibus per Edictum publicum indicas, plenarias Indulgentias a Nobis concessas esse iis omnibus, qui sive in ipso Consecrationis die, sive in duobus immediate sequentibus diebus confessi, ac sacra Communione refecti, eamdem Metropolitanam Ecclesiam visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effederint: Indulgentiam vero septem annorum, et totidem quadragenarum, pro visitantibus ipsam Metropolitanam Ecclesiam in anniversario Consecrationis die in perpetuum assignes.

Porro etsi persuasum habemus, Te, Dilecte Fili Noster, memorem impositionis manuum nostrarum super te, et Paternae caritatis, qua Te semper complexi sumus, et pro filiali Tua erga Nos observantia, assiduas ad bonorum largitorem Deum pro Nobis preces fundere; tamen hac occasione Te, Dilecte Fili Noster, rogamus et poscimus, ut ferventioribus deinceps obsecrationum suffragiis tam dilectionis tuae, quam aliorum Christifidelium curae tuae commissorum, quos excitare et hortari ne omittas, ad supremum pastorum Principem Jesum Christum, cujus vices in terris immerentes gerimus, continue pro Nostra imbecillitate instes, et urgeas: ut cor, et corpus Nostrum coelesti lumine illustret, Divina virtute repleat, et superna ope confirmet, non solum in gravissima universalis Ecclesiae procuratione, et in omnium Ecclesiarum sollicitudine, verum etiam in ultimo mortalis hujus vitae Nostrae exitu, cum districtam de actibus gestisque Nostris Æterno Judici rationem reddituri sumus. Caeterum volumus et mandamus, ut Te, Dilecte Fili Noster, in fine solemnis Missae, in ipso Consecrationis die per Te celebrandae, Nostro nomine et auctoritate, Papalem Benedictionem Christifidelibus Tibi creditis impertiaris:

dum Nos ad prosperum rerum omnium successum, coelestis praesidii auspicem, et studiosae Nostrae voluntatis pignus, Apostolicam Benedictionem uberrima cum Divinorum munerum copia conjunctam, Tibi, Dilecte Fili Noster, ex intimo corde depromptam elargimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1756. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Cajetanus Amatus.

IX. VERONENSIS

Episcopi Ordinaria privativa auctoritate in Civitatem universamque Dioecesim Veronensem redintegrata, definitur jurisdictio, qua idem Episcopus in Capitulum, subjectasque tum ipsi, tum Monasterio S. Mariae in Organis Veronen., Parochiales, ac simplices Ecclesias, et Personas earum servitio addictas, utatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regis pacifici vices divinitus Nobis, licet immeritis, concreditas, non satis cumulate implevisse videremur, si postquam perturbatum Ecclesiarum regimen et administrationem pro viribus componere studuimus, non ea quoque semina restinguere, noxiasque radices funditus evellere conaremur, ex quibus, cum anteactis temporibus plura saepe eruperint litium ac discordiarum incommoda, jure meritoque pertimescendum est, ne futuris quoque temporibus, inimici hominis praevalente versutia, ejusdem generis prava germina in Dominici agri populationem succrescant.

§. 2. Quum itaque post Aquilejensis Patriarchatus omnimodam suppressionem et extinctionem, per Nos, cohaerenter ad ea, quae inter Carissimam in Christo Filiam Nostram Mariam Theresiam Romanorum electam Imperatricem, Hungariae et Bohemiae Reginam, Austriae Archiducem, ex una parte, dilectosque Filios Nobiles Viros Ducem et Rempublicam Venetiarum ex altera, feliciter conventa fuerant, conclusam peractamque per Nostras Apostolicas Literas, Anno Incarnationis Dominicae 1751. pridie nonas Julii, Pontificatus Nostri Anno XI. datas, quarum initium est *Injuncta Nobis;* quibusque etiam ex tunc decreta et statuta fuit duorum Archiepiscopatuum Utinensis et Goritiensis erectio, cum respectiva Dioecesum, Provinciarum, et Suffraganeorum assignatione, peculiariter deinceps ordinanda: subinde per alias Nostras Apostolicas Literas datas Anno ejusdem Incarnationis 1752. XIV. Kal. Februarii, Pontificatus Nostri Anno XIII., quibus initium est: *Suprema dispositione*, Archiep. Eccl. Utinensis erectionem, cum omnibus ad ipsius statum et mensam, jura, atque jurisdictionem tam Dioecesanam, quam etiam Metropoliticam, pertinentibus, plenius et uberius compleverimus; animo repetentes innumera litium et controversiarum capita, quibus Ecclesia Veronensis saepe turbata fuit, propter eam jurisdictionis partem, qua olim existentes Patriarchae Aquilejenses in ipsius Veronensis Ecclesiae Capitulum et Canonicos, nec non Ecclesias, et loca, ac personas ab ipsis dependentes, sicut etiam in Monasterium S. Mariae *in Organis* nuncupatae, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Montis Oliveti, in eadem Veronensi Civitate existens, ejusque similiter dependentias fruebantur; scientesque hujusmodi controversiis et litibus penitus extinguendis et in futurum tempus praecavendis, per iteratas concordias, lauda, et transactiones inter Episcopos Veronenses, ejusque Ecclesiae Capitulum et Canonicos, seu etiam praefati Monasterii Abbates, diversis temporibus initas, nunquam satis prospectum fuisse; ad eas aliquando compescendas, earumque occasiones omnino de medio tollendas, praedictorum etiam nobilium Virorum Ducis et Reipublicae Venetiarum piis et laudabilibus votis hac in parte libenter obsecundantes, Nobis proposuimus, quum primum asserta partium jura discuti potuissent, opportunam rebus perpetuo componendis adhibere providentiam, suum tamen effectum et executionem habituram dumtaxat post obitum Dilecti Filii Nostri Danielis Tituli Santae Mariae supra Minervam S. R. E. Presbyteri Cardinalis Patriarchae Delphini nuncupati, cui pristinam circa praemissa in Civitate et Dioecesi Veronensi jurisdictionem, ejusque exercitium, vita ejus naturali durante, integrum,

Extant ante t. 4. n. 300

Relatae sunt tom. 4. num. 47.

Novae Pontific. provid subjectum Capitul. Veron. et Mon. S. Mariae in Organ. eorumque depend.

Suspensa exequut. Literar. Apostol. durante vita Card. Delph.

et liberum, ut antea manere voluimus. Nunc itaque, postquam innumera documenta a praedictis partibus exhibita, copiosasque allegationes pro eorum respective juribus tuendis elaboratas, diligenti et maturo examine perpendimus, supremam operi manum imponere, et opportunas circa eadem praemissa leges et ordinationes edere deliberavimus.

Expressio quorumd. locorum, ad quae inferius disposita non porriguntur.

§. 3. Itaque motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae auctoritatis plenitudine, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem (cujus tamen effectum, durante vita praefati Danielis Cardinalis et Patriarchae, suspensum, ut supra, fore decernimus; et sub cujus dispositione nec Monasterium, Abbatiam nuncupatum, S. Zenonis, ejusque dependentias, in eadem Veronensi Civitate seu Dioecesi existens, et respective existentes, dictique Monasterii Abbatem Commendatarium, nullo modo comprehendere intendimus; sicuti etiam Ecclesias et pia loca Veronensi Capitulo quidem subjecta, sed extra Veronensis Dioecesis fines inter aliarum Dioecesum ambitum constituta, si quae sint, nequaquam comprehensa fore declaramus), omnes et singulas lites, causas, et controversias, cujusvis generis, in quibusvis Tribunalibus, seu coram quibusvis Judicibus, in quacumque instantia, inter Ven. Fratrem Episcopum Veronensem ex una, et dilectos filios Veronensis Ecclesiae Capitulum, Archipresbyterum, et Canonicos, seu etiam praefatum Monasterium S. Mariae in Organis nuncupatae, illiusque Abbatem, et Conventum, ex altera partibus, introductas, contestatas, atque pendentes (quarum status et merita, et alia quaecumque, etiam de necessitate juris vel facti omnino exprimendae, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus) ad Nos advocamus, penitusque et omnino supprimimus et extinguimus, perpetuumque desuper silentium partibus imponimus, atque os occludimus. Insuper omnia et singula cujusvis generis Indulta, gratias, et Privilegia praefatis Episcopo et Ecclesiae Veronensi, nec non Capitulo, Archipresbytero, et Canonicis, ac etiam Monasterio et Abbatibus praedictis, quavis, etiam Apostolica Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, et Nostra, seu Patriarchali Aquilejensis olim existentis Ecclesiae Praesulum, aut respective Episcopali Veronensium Antistitum, concessione et auctoritate, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis, quocumque tempore et quavis de causa, seu titulo, etiam oneroso, largita, et emanata, ac saepius et iterum, etiam in Generalibus, Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis approbata, confirmata, et innovata; transactiones quoque, lauda, et concordias, etiam juramento, aut speciali confirmatione Apostolica, seu longi et immemorabilis temporis usu et consuetudine, aut quavis firmitate alia roboratas (quorum et quarum tenores pro hic satis expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis, formasque in illis traditas pro plene observatis, haberi decernimus) quatenus tamen praesentibus literis, seu alicui ex iis, quae per easdem praesentes inferius statuere ac disponere intendimus, quoquo modo adversentur, praedicta auctoritatis Nostrae plenitudine, revocamus, cassamus, et abolemus; omnesque alios, et quoslibet juris titulos, tam per Episcopum, quam per Capitulum, Archipresbyterum et Canonicos, seu Monasterium et Abbates praedictos, sive ex praemissis, sive etiam ex juribus praefati Aquilejensis Patriarchatus per Nos, ut praefertur, suppressi et extincti, adversus eadem inferius per Nos statuenda et ordinanda forsan deducendos, et allegandos, rejicimus, ac de medio tollimus per praesentes.

Avocatio et suppressio quarumc. litium.

Amplissimaque derogatio jurium, ac titulor. quae inferius statuendis adversentur.

Veron. Archiep. privative ad quoscumque Ordinarii jura et auctoritatem in Civitate et Dioece. Veronen. asseruntur.

§. 4. Iisdemque motu, scientia, et potestatis plenitudine, volumus, decernimus, et declaramus, praefatum Episcopum Veronensem pro tempore existentem, solum et unicum immediatum et universalem Ordinarium esse et haberi in tota Veronensi Civitate et Dioecesi, et in quacumque ipsius Civitatis atque Dioecesis parte, et uti talem ab omnibus et singulis reputari, agnosci, et honorari debere; ita ut neque futurus et pro tempore existens Archiepiscopus Utinensis, etiam sub obtentu jurium praefati Aquilejensis Patriarchatus per Nos, ut praefertur, suppressi et extincti, neque Archipresbyter, et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Veronensis, neque Abbas et Conventus praefati Monasterii S. Mariae in Organis nuncupatae, ullum Titulum, seu Jus Ordinarium in aliquam praefatae Veronensis Civitatis aut Dioecesis partem, vel in aliquam ipsius Civitatis atque Dioecesis Parochiam in posterum sibi arrogare, aut praetendere nec ullum Epis., seu quasi, et Ordinariae jurisdictionis actum in ejusdem Dioecesis aut Paraeciae Clerum et Populum exercere possint aut valeant.

§. 5. Salvo dumtaxat, et reservato favore praedicti Utinensis Archiepiscopi pro tempore existentis Jure Metropolitico, ejusque exercitio in dicta Veronensi Civitate et Dioecesi ad formam Sacrorum Canonum, et juxta methodum atque rationem, qua alii Archiepiscopi, et Metropolitani, hujusmodi jus exercere valent in suffraganeorum Civitatibus et Dioecesibus, secundum ea, quae in Sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, et non aliter, nec alio modo.

§. 6. Et salvis insuper ac praeservatis favore Archipresbyteri, aliarumque Dignitatum, atque Capituli dictae Veronensis Cathedralis Ecclesiae, nec non Abbatis et Monasterii S. Mariae *in Organis* nuncupatae, infrascriptis Privilegiis, exemptionibus et Praerogativis; quas Nos in posterum ipsis, juxta modum mox exprimendum, competere volumus, ac respective iisdem de apostolica liberalitate perpetuo concedimus et elargimur.

§. 7. Poterit itaque Episcopus Veronensis, vel potius debebit, quotiescumque opus fuerit, visitare Capitulum dictae Cathedralis Ecclesiae, singularesque Personas, Dignitates in ea obtinentes, ipsiusque Ecclesiae Canonicos, ac inferiorem Clerum, et omnes ejusdem Ecclesiae Ministros, eique quomodolibet inservientes; atque eos omnes et singulos, in actu visitationis hujusmodi, vel per se ipsum solum, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta praelaudati Concilii Tridentini Decretum *in Cap.* 3. *et* 4. *Sess.* 6. *de Reform.* admonere, corrigere, et emendare.

§. 8. At ubi idem Episcopus, extra Visitationis actum procedere velit contra aliquem ex Canonicis dictae Cathedralis Ecclesiae, seu ex his, qui Dignitates in ea obtinent et pro tempore obtinebunt, sive id fiat ex officio, sive ad petitionem Partis; tunc, habita ratione Privilegiorum exemptionis, quae retroactis temporibus eidem Veronensi Capitulo concessa fuerunt, teneatur in omnibus et per omnia procedere ad formam in eodem Concilio Tridentino praescriptam *Cap.* 6. *Sess.* 25. *de Ref.*, dummodo tamen Capitulum idem infra terminum xx. dierum, postquam praesentium literarum executioni locus factus fuerit, ac subinde initio cujuscumque anni, duos Adjunctos, prout a praefato Concilio dicto *Cap.* 6. exemptis Cathedralium Ecclesiarum Capitulis conceditur, elegerit, et Episcopo significaverit. Quod si Capitulum praescripto tempore hujusmodi adjunctorum electionem facere, et Episcopo significare neglexerit; tunc liceat eidem Episcopo adversus Dignitates et Canonicos, quoties ita res ferent, etiam extra Visitationem procedere, vel per se ipsum solum, vel aliis adjunctis, qui sibi magis videbuntur, in eum finem assumptis.

Cathedr. regimen in quibus commune sit Episc. cum Cap.

§. 9. Cathedralis autem Ecclesiae regimen, quoad ea, quae spectant ad Divina Officia, et ad observantiam Ecclesiasticae Disciplinae in eadem Ecclesia, ad Episcopum et ad Capitulum cumulative pertineat; ita tamen ut Episcopi mandata, et ordinationes, in casu oppositionis et discrepantiae, omnino praevalere debeant, et promptam executionem sortiantur.

In quibus Episcopo privat.

§. 10. Sacrarii vero, ac Suppellectilium, et Campanarum, omniumque aliarum rerum ad Fabricam, et ad materialem ejusdem Cathedralis Ecclesiae statum quoquo modo pertinentium, administratio et dispositio, ad solum spectet Episcopum, cui etiam unice subjecti esse debebunt Sacrista, et *Zaghi* nuncupati; nec non Campanarum pulsatores, in omnibus et per omnia, praeterquam in iis rebus, in quibus juxta Ordinationes anno 1615. bo. me. Augustino Card. Valerio, tunc Veronensis Ecclesiae Praesule, et ab ejusdem Ecclesiae Capitulo conjunctim editas, quas etiam in posterum hac in parte servandas decernimus, cumulativae auctoritati Episcopi, et Capituli subjecti fuerunt.

Mensae Capitul. admin. privata Capituli.

§. 11. Bonorum autem atque reddituum ad mensam Capitularem spectantium omnimoda et libera administratio ad Capitulum privative pertineat. Quod vero ad Thesaurarium, serventur ea, quae in erectione hujusmodi Thesaurariatus Officii disposita fuerunt, ut scilicet Thesaurarius, in iis, quae spectant ad ipsius Officium, et ad exercitium Divini cultus intra Ecclesiam, Archipresbytero subjectus esse debeat, eique obtemperare; de expensis autem, et administratione reddituum, Episcopo soli rationem reddat, et si culpabilis in his repertus fuerit, ab eo dumtaxat corrigendus sit, et pro modo culpae puniendus.

Thesaur. in quibus Episcopo, vel Arc. sit subjectus.

Acolith. mensa a quo administranda quibusve reddenda administrationis ratio.

§. 12. Alia vero mensa, *Acolythorum* nuncupata, per unum ex Canonicis a Capitulo pro tempore deputatum, ut hactenus servatum fuit, gubernari et administrari debebit: ea tamen lege, ut Canonicus ille administrationis suae

rationes tam Episcopo, quam Capitulo reddere teneatur, et si quid forte deliquerit, ab utroque pro merito puniri possit; ita ut inter eos locus sit praeventioni.

Acolyti, magistri cantus et Gramat. ipsique Cantores, quomodo eligendi.

§. 13. Hujusmodi autem Acolytorum electio ad Episcopum et ad Capitulum alternis vicibus, ut antea, ita et in posterum pertinebit; sed eorum magistri tam in Grammatica, quam in Cantu Ecclesiastico, prout etiam Cantores, ab Episcopo et Capitulo eligentur, ea plane servata methodo, quae ante hac similibus electionibus obtinuit.

Privileg. Canonic. utendi BUGGIA.

§. 14. Integrum erit Archipresbytero, Dignitatibus, et Canonicis, tam in solemni, quam in privata Missarum celebratione, in Cathedrali Ecclesia, et extra eam, Palmula, seu *Buggia* libere uti, ad formam specialis Indulti eisdem a Nobis concessi per Literas Apostolicas in forma Brevis datas die 19. Januarii anno 1749.

Onus Capituli, et Can. quoad Synodum Dioecesanam, et assistent. Episcopo praestand.

§. 15. Synodo Dioecesanae interesse tenebitur Capitulum Cathedralis Ecclesiae. Episcopo autem Pontificalia exercenti, tam intra eamdem Cathedralem Ecclesiam, dummodo intra Civitatem; duo ex Canonicis assistentiam praestare debebunt. Qui vero Canonici Episcopo sacram Visitationem peragenti operam suam navabunt, Praebendae quidem fructus, non autem distributiones quotidianas lucrabuntur.

Expositio Euchar. nec non eleem. distribut. Episcopi arbitrio providendae.

§. 16. Augustissimae Eucharistiae expositionem, quae statis per annum temporibus, quadraginta horarum spatio, in dicta Cathedrali Ecclesia fieri solet; sicuti etiam distributionem Eleemosynarum, quae in eadem Ecclesia Cathedrali colliguntur, solus semper Episcopus arbitrio suo moderabitur.

Dignitat. Ecclesiae Veron. quomodo providendae.

§. 17. Excepta Archipresbyteratus Dignitate, quae prima post Pontificalem in dicta Veronensi Ecclesia esse dignoscitur, atque idcirco Nostrae et Apostolicae Sedis dispositioni, collationi, et provisioni semper et quandocumque reservata esse et censeri debebit; reliquae duae, nimirum Praepositura, quae secunda, ac Thesaurariatus, quae tertia in eadem Ecclesia Dignitates existunt, de Jure Patronatus Ecclesiastico ejusdem Capituli, ut hactenus fuerunt, ita etiam in posterum remanere debebunt, et ad illas nominatio seu praesentatio personarum idonearum, in eis ad nominationem seu praesentationem hujusmodi per Episcopum instituendarum, ad dictum Capitulum pertinebit. Ita pariter Capitulum in sua antiquissima immemorabili possessione permanebit, conferendi videlicet in mensibus Apostolicae Sedi non reservatis, aliisque cessantibus Apostolicis reservationibus et affectionibus, tam ipsius Cathedralis Ecclesiae Canonicatus et Praebendas, quam caetera omnia Ecclesiastica Beneficia et Cappellanias, quibus animarum cura adnexa non sit, in eadem Cathedrali Ecclesia, et extra eam consistentia, quae tamen, juxta ultimum statum, ad ipsius Capituli collationem, et provisionem pertinere dignoscantur.

Capituli jus quoad Collat. Canonic. aliorumq; Benefic. quibus cura anim. non adhaereat.

§. 18. Ad Theologalem Praebendam et Canonicatum, quoties illum et illam pro tempore vacare contigerit, Episcopus quidem duos proponet et nominabit, Capitulum vero ex his duobus nominatis unum eligere debebit, de hujusmodi Canonicatu et Praebenda providendum, quemadmodum hucusque servatum fuit.

Theolog. Canonic. et Praebenda quomodo provid.

Forma providendi Parochiales alia que Curata Beneficia ad collationem Capituli spectantia.

§. 19. Quod autem spectat ad infrascriptas Parochiales Ecclesias eidem Capitulo subjectas, et alia, si quae sint, Ecclesiastica Beneficia, quibus adnexa sit animarum cura, quaeque, juxta ultimum statum, ad ipsius Capituli collationem pertinere dignoscantur; quoties, et quocumque anni mense, illas et illa vacare continget, toties ab Episcopo deputandus erit Oeconomus ad eorum temporariam administrationem et curam, et ab eodem Episcopo publicanda erunt edicta pro concursu habendo, adhibitis Examinatoribus Synodalibus, juxta Decretum saepedicti Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 18. *de Reform.* Hoc tamen servato, ut si vacatio in mense Capitulari contigerit absoluto examine, Episcopus duos eligat ex iis, qui a praedictis Examinatoribus approbati fuerint, eosque significet Capitulo, cui libera erit facultas conferendi Ecclesiam, seu Beneficium curatum vel uni vel alteri ex his duobus, et supra approbatis et praeelectis. Quod si Examinatores unum tantummodo sententiis suis approbaverint, huic uni, ab Episcopo nominando, collatio seu deputatio per Capitulum concedenda erit.

Catalogus hujusm. Paroch. Ecclesiar.

§. 20. Eccl. autem Curatae seu Parochiales, praedicto Cap. Veronensi subjectae, de quibus praemissa Decreta intelligenda sunt, sequentes dumtaxat, et non aliae sunt et censeri debent; nimirum I. Ecclesia Archipresbyteralis Sancti Joannis in Valle. II. Ecclesia similiter Archipresbyteralis Sancti Pauli in

Campo Martio. III. Ecclesia pariter Archipresbyteralis Sancti Joannis in Quintiano. IV. Ecclesia Parochialis Sancti Joannis in fonte nuncupati. V. Item Ecclesia Parochialis Sancti Clementis. VI. Ecclesia Parochialis Sanctae Caeciliae. VII. Parochialis Ecclesia Sanctae Mariae Consolatricis nuncupatae. VIII. Ecclesia pariter Parochialis Sanctorum Firmi et Rustici in Curte Alta. IX. Item Ecclesia Parochialis Sancti Michaelis in Campo nuncupati, cui adnexum est Monialium Monasterium eidem Capitulo Veronensi subjectum. X. Ecclesia Parochialis Omnium Sanctorum in loco Mazzani. XI. Denique Ecclesia Parochialis Sanctae Mariae in Cinto Territorii Patavini, si tamen in Veronensi Dioecesi sita comperiatur; alioquin si in Patavina Dioecesi constituta sit, eam sub praesentis Constitutionis Nostrae censura, juxta id, quod initio declaravimus, nequaquam comprehensam volumus.

...clesia S. ...rgii in ...o, seu Helenae, ...mptis ...och. jure ...tulo, ad ...tinum ...am re...itur.

§. 21. De Ecclesia autem, sive Cappella Sancti Georgii in Domo nuncupati, quae etiam Sanctae Helenae nunc temporis appellatur, praefatae Cathedrali Ecclesiae contigua: sine peculiari tamen Turri Campanaria, et sine Campanis, quamvis novissime sub annum 1740. a Patriarcha Aquilejensi in Parochiam specialem Canonicorum dictae Cathedralis Ecclesiae erecta fuerit, volumus, decernimus, atque statuimus, ut ea deinceps pro Parochiali Ecclesia nullatenus habeatur; Nos enim, dicta Apostolica auctoritate, ac earumdem praesentium tenore, omnem in ea Parochialitatis titulum, qualitatem, et denominationem supprimimus et extinguimus, atque omnia Parochialia jura ab ea separamus et abdicamus, eamque in pristinum statum, in quo ante praefatam erectionem in Parochialem reperiebatur, reducimus et revocamus; ita ut unusquisque ex Canonicis dictae Cathedralis Ecclesiae, ac Dignitates in ea obtinentibus, qui sparsim per Civitatem sua quique domicilia incolunt, illam tantummodo Ecclesiam, et non aliam in propriam respective Parochiam agnoscere teneantur, in cujus districtu singuli domicilium habent. In praefata autem Ecclesia sive Cappella retineatur dumtaxat Fons Baptismalis, quemadmodum a vetustissimis temporibus inibi extitisse dignoscitur.

...Ecclesiae ...curatae, ...pellae ...Oratoria ...tulo su...ta enu-

§. 22. At praeter memoratas Parochiales Ecclesias eidem insuper Capitulo subjectae sunt, ac pro subjectis in posterum haberi debebunt infrascriptae etiam Ecclesiae, sive Cappellae, aut Oratoria, seu Hospitalia, quibus adnexa non est animarum cura, et non aliae, seu alia: videlicet I. Ecclesia praefata sive Cappella Sancti Georgii in Domo, nunc etiam Sanctae Helenae nuncupata, praedictae Cathedrali Ecclesiae contigua: quam scilicet, quum jam inde a primaeva sua antiquissima fundatione sub protectione tunc existentis Patriarchae Aquilejensis constitutam et receptam fuisse constet; Nos nunc, attenta hujusmodi Patriarchatus suppressione et extinctione per Nos, ut praefertur, facta, sub immediata Nostra et Apostolicae Sedis protectione suscipimus, ac perpetuo constituimus; volentes nihilominus, ut temporalium bonorum atque reddituum, quae ad ipsam Ecclesiam sive Cappellam pertinent, et pertinebunt in posterum, omnimoda administratio, per dictae Cathedralis Ecclesiae Capitulum et Canonicos, absque ulla Episcopi Veronensis, seu alterius cujusque Ordinarii, aut Metropolitani ingerentia, libere geratur et exerceatur. II. Ecclesia Sancti Pauli Vetuli nuncupati juxta ripam Athesis. III. Ecclesia S. Basilii in Districtu praefatae Parochiae S. Clementis. IV. Eccl. Sancti Faustini de Monte Draconis: In quibus quatuor Ecclesiis adsunt quaedam Beneficia simplicia, ad collationem seu institutionem ejusdem Capituli pro tempore providenda. V. Ecclesia seu Hospitale S. Mariae Novellae nuncupatae, prope Canonicam. VI. Ecclesia, seu Hospitale Sancti Joannis in Sacro nuncupat. sub praedicta Parochia S. Pauli in campo Martio. VII. Ecclesia seu Hospitale S. Jacobi de Gallaecia nuncupati, sub eadem Parochia S. Pauli: Quae quidem tria Hospitalia a Laicis reguntur et administrantur: praedicto autem S. Joannis in Sacco dumtaxat, quatuor praesident Commissarii, a pro tempore existente Marchione Familiae illorum de Malaspina Fundatorum deputati, videlicet unus ex Canonicis praefatae Cathedralis Ecclesiae, ac tres Regularium Conventuum Superiores. VIII. Ecclesia seu Oratorium sub titulo S. Rochi, vel S. Alexandri, sub Parochia S. Joannis de Quintiano. Haec autem Ecclesia seu Oratorium, alias, ut accepimus, a praefatis Capitulo et Canonicis concessa fuit Communi Civitatis Veronensis; quod quidem Commune ad Beneficium simplex in ea erectum, quoties illud vacare contingit, unum Clericum seu Presbyterum praesentat Capitulo, a quo idem

per suas Bullas instituitur, et de eo providetur. IX. Ecclesia seu Oratorium, Sepulchrum S. Rochetti in Monte nuncupatum, quod simplex est Eremitorium nullo Ecclesiastico Beneficio decoratum. X. Denique Ecclesia seu Oratorium S. Valentini prope dictam Parochialem Ecclesiam de Quintiano, in quo nullum pariter Ecclesiasticum Beneficium erectum reperitur, sed a pio Laicorum sodalitio Divina Officia in eo persolvuntur.

Has omnes tam curatas, quam non curatas Ecclesias visitare potest Capitulum per suos Deputat. salvis tamen juribus Epis. visitat.

§. 23. Has omnes Ecclesias, tam Parochiales, quam non Parochiales, Cappellas, Oratoria, seu Eremitoria, quas, et quae hactenus propriis invocationibus atque denominationibus expressimus, et non alias, seu alia poterit Capitulum per Visitatores a se deputatos, qui tamen prius ab Episcopo pro tempore approbati sint, visitandas curare, non ita tamen, ut vetitum sit Episcopo, illa, quantumvis Capitulo, ut praefertur, subjectas atque subjecta, seorsum visitare, tam per se ipsum, quam, si ipse impeditus fuerit, per alios Visitatores a se deputatos, servata videlicet in omnibus praefati Tridentini Concilii sanctione *in Cap.* 3. *Sess.* 24. *de Refor.* prout etiam alias definitum fuit a Congregatione Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum, in causa *Veronen. proposita et decisa die* 24. *Aprilis anni* 1595. Id quod potissimum obtinere et servari debebit in visitatione eorum omnium, quae animarum curam, ejusque exercitium, et Sacramentorum administrationem concernunt; circa quae, si aliqua forte in decretis, ordinationibus, et mandatis discrepantia occurrat, volumus, statuimus, et declaramus, potiora semper haberi ea, quae Episcopus decreverit, jusserit, atque praescripserit: juxta ea, quae Nos ipsi alias decrevimus in Nostra Constitutione, quae incipit: *Firmandis*, Data VIII. Idus Novembris 1744. et impressa in Bullarii Nostri Tom. I. num. 450.

Confessarii et Vicarii in hujusmodi Eccl. quomodo assumendi, quom. itidem et Concion.

§. 24. Confessarii, et Parochorum adjutores in exercitio curae animarum, per Capitulum assumpti, aut assumendi pro dictarum Ecclesiarum Parochialium eidem Capitulo subjectarum servitio, ab Episcopo antea examinandi et approbandi erunt. Neque vero cuiquam licebit in praefatis, sive Parochialibus, sive non Parochialibus Ecclesiis, Verbum Dei praedicare, nisi prius, et mandatum a Capitulo habuerit, et Benedictionem ab Episcopo petierit atque obtinuerit.

Jura et Auctoritas Epis. et Capituli in Mon. Monial. adnexum Paroch. S. Mich. in Campo.

§. 25. Quod autem pertinet ad Monasterium Monialium, quod, uti superius innuimus, adnexum est praefatae Ecclesiae Parochiali S. Michaelis in Campo nuncupati, eidem Capitulo Veronensi subjectae; poterunt quidem Monasterium hujusmodi, ejusque Moniales, ab Archipresbytero et Capitulo visitari; servata tamen, quoad modum, et tempus visitationis, et quoad Visitatorum numerum, forma praescripta per fel. record. Praedecessorem Nostrum Alexandrum Papam VII. in sua Constitutione, quae incipit: *Felici*, impressa, *in Bullar. novo Tom.* 6. *inter Constitutiones ejusdem Pontificis num.* 153. qua scilicet opportunas leges, in visitationibus Monasteriorum Monialium Regularibus subjectarum servandas, praescripsit. Sed non ideo interdictum erit Episcopo, quo minus et ipse seorsim idem Monasterium ejusque Moniales visitet, prout in dicta Alexandri Praedecessoris Constitutione decretum legitur; et omnem aliam jurisdictionem in hujusmodi Monasterium atque Moniales libere exerceat, quaecumque, in vim Decretorum Concilii Tridentini, nec non totissimae Constitutionis piae memor. Praedecessoris pariter Nostri Gregorii Papae XV., cujus initium est *Inscrutabili*, aliarumque Apostolicarum Constitutionum, Episcopo Dioecesano competit in Monasteria Monialium, etiam Regularibus et Exemptis subjectarum. Quocirca nemini licebit munus Confessarii Ordinarii, aut Extraordinarii earumdem Monialium assumere et exercere, quamvis ad id a Capitulo deputatus sit, nisi antea ab eodem Episcopo pro Monialibus specialiter approbatus fuerit. Licentiae quoque ingrediendi Monasterium, aut alloquendi praedictas Moniales, nemini suffragabuntur, nisi eaedem non solum ab Archipresbytero, sed etiam ab Episcopo fuerint impetratae.

Capitul. nequit facult. concedere quaestuandi extra memorat. Ecclesias.

§. 26. Quaestuandi licentiam et facultatem, extra superius recensitas Ecclesias sibi subjectas, non poterit Capitulum cuiquam concedere.

Nec casus sibi reservare, aut a reservatis casibus vel censuris quibuscumque, etiam per alios, absolvere; multoque minus in dispens. se immiscere.

§. 27. Idem absolutiones a casibus et censuris quibuslibet sibi neutiquam reservare poterit; minusque absolvere per se vel per alios a casibus et censuris, quorum et quarum absolutionem et relaxationem Episcopus sibi reservaverit, aut in posterum reservare voluerit; ac multo etiam minus a censuris Papalibus, etiam in iis casibus, in quibus concessum est Episcopis ab earum vinculo poenitentes absol-

vere. Denique nec vota relaxare, nec in dispensationibus concedendis aut exequendis ullatenus se valeat immiscere.

§. 28. Liceat solummodo praefatis Archipresbytero, et Capitulo licentias vescendi cibis ab Ecclesia vetitis, in Quadragesima, aliisque diebus esurialibus, concedere personis Ecclesiasticis dictarum Ecclesiarum sibi subjectarum servitio addictis, accedente tamen consilio utriusque medici, et servata lege jejunii, diebus illis, quibus id ab Ecclesia praecipitur: at nunquam ipsis licebit hujusmodi facultatem sive Indultum concedere Laicis quibuscumque; cum quibus nimirum solus Episcopus poterit dispensare.

§. 29. Causae Matrimoniales, quas inter Personas sub Parochiis dictarum Ecclesiarum Capitulo subjectarum degentes oriri et agitari contingat, ad Episcopi judicium, exclusis quibuslibet aliis, pertinebunt. Quod si, earum occasione, opus erit inhibitionem aliquam ad hujusmodi Ecclesiarum Parochos dirigere, haec quidem in Officio, seu Cancellaria Episcopali efformanda erit, mox ad Capitulum transmittenda, cujus Deputati eamdem, nulla interposita mora aut exceptione, subscribere tenebuntur; idque in prima tantummodo inhibitione in singulis causis expedienda servabitur; nam quoad caeteros subsequentes actus, Episcopus libere procedet, suaque omnimoda auctoritate fruetur. Ita pariter solius Episcopi erit dispensare super denunciationibus, quae ante Matrimonii celebrationem fieri debent; sicut etiam licentias ad Matrimonium contrahendum impertiri; dispensationes Matrimoniales ab Apostolica Sede concessas executioni mandare; ac demum in omnibus rebus, quae Matrimonia quomodolibet concernunt, ea omnia praestare et facere, quae ad Episcopalem et Ordinariam jurisdictionem pertinere dignoscuntur.

§. 30. Criminales Causae contra praedictos Parochos, et quoscumque alios in recensitis superius Ecclesiis Capitulo subjectis Sacramenta administrantes, illae videlicet, in quibus, legitimo efformato Processu, servataque Judicii forma legibus praescripta, extra visitationem procedendum erit, si quidem reorum crimina ipsam animarum curam, et Sacramentorum administrationem concernant, cumulativae jurisdictionis erunt, tam scilicet Episcopi, quam Capituli, ita ut inter eos sit locus praeventioni; at ubi delicta nec ad animarum curam nec ad Sacramentorum administrationem pertineant, ad privativam Capituli cognitionem spectabunt.

§. 31. Ad solum pariter Capitulum spectare debebunt Causae Criminales extra Visitationem agitandae contra Cappellanos et Mansionarios praefatis Ecclesiis Capitulo subjectis inservientes; si tamen Cappellaniam vel Mansionariam ex collatione Capituli obtinuerint; et quatenus delictum versetur circa ministerium illius Officii, aut Beneficii, quod ab ipso Capitulo recognoscent. Verum si quis ex hujusmodi Parochis, Cappellanis aut Mansionariis a Capitulo provisis, alterum forte Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum ab Episcopo sibi collatum eodem tempore obtineat, et quidem in hujus ministerio et servitio aliquo modo deliquisse arguatur, quoad hoc dumtaxat, a solo Episcopo corripiendus et puniendus erit.

§. 32. Si quis autem ex his, qui duo hujusmodi Beneficia aut Officia obtineant, alterum ab Episcopo, et alterum a Capitulo sibi collatum, alicujus delicti reus fiat, quod ipsorum Beneficiorum servitium et ministerium minime respiciat, integrum erit Episcopo aeque, ac Capitulo, contra ipsum procedere, eritque inter eos praeventioni locus.

§. 33. Sub appellatione tamen Cappellanorum, seu Mansionariorum, ac generaliter sub praemissorum Decretorum censura, nequaquam comprehensos esse, aut censeri volumus Presbyteros illos, qui de licentia aut mandato Capituli, in aliqua ex praedictis Ecclesiis eidem Capitulo subjectis Missas celebrant, seu aliter in Divinis ministrant, sed tamen nullum Titulum Beneficiale ab ipso Capitulo obtinent; Hos enim solius Episcopi judicio et correctioni subjacere volumus et mandamus.

§. 34. Praeterea decernimus et declaramus, in omnibus supradictis casibus, in quibus tributum fuit Capitulo privativum jus procedendi criminaliter contra Parochos, Cappellanos, et Mansionarios Ecclesiarum ipsi subjectarum, qui tamen de hujusmodi Beneficiis ab eodem Capitulo provisi fuerint, si quando praefati Archipresbyter et Capitulum negligentes se praebeant in procedendo adversus delinquentes, tunc, et pro ea vice dumtaxat, totam jurisdictionem ad Episcopum devolvi, ac devolutam censeri debere, quatenus tamen Episcopus antea ter monuerit, et interpellaverit Ar-

A quo itidem Criminales Causae Cappellan. et Mansionarior. in praefatis Eccl. inservient.

Quid si aliquis duo Ben. alterum ab Episc. alterum a Capitulo obtineat.

Quidve insuper si is deliquu. in re neutrum Beneficium respiciente.

Sub nomine Cappellani, seu Mansionarii quinam quoad rem praesentem comprehendant.

Causae privativo judicio Capituli reservatae quomodo per illius negligentiam devolvant. ad Episc.

chipresbyterum, praefigendo illi singulis vicibus quatuor dierum spatium.

Capitulo recensita privilegia ad ad praescriptam formam redacta ex integro concedit

§. 35. His itaque privilegiis, et praerogativis hactenus recensitis, et non aliis, praefatum Capitulum Veronense, sub ordinaria universali Jurisdictione Episcopi Veronensis pro tempore existentis, in posterum frui et gaudere debebit. Nos enim praemissa omnia et singula, prout superius expressa sunt, eisdem Capitulo, Archipresbytero, Dignitatibus, et Canonicis, praesentium tenore, ac dictis, motu, scientia, et potestatis plenitudine, ex nunc, et ex integro, perpetuis futuris temporibus valitura, concedimus et elargimur.

Abbatis et Mon. Monast. S. Mariae in Organis jura in Parochias. Parochor. caeterosque Clericos inservientes intra suos limites redact. recensent.

§. 36. Denique quod spectat ad privilegia, et praerogativas, quibus praefatum Monasterium Sanctae Mariae *in Organis* nuncupatae, ejusque pro tempore existentes Abbates et Monachi, nec non Ecclesiae ab eodem Monasterio, seu a Congregatione Montis Oliveti dependentes, tam Parochiales, quam non Parochiales, in dicta Veronensi Civitate, aut in illius suburbiis, seu prope illam, existentes, in posterum similiter vigore praesentis concessionis, et non aliter, frui et gaudere debebunt; Volumus, statuimus, decernimus, et declaramus, hujusmodi Abbates, et Monachos in dicto Monasterio ejusque dependentiis pro tempore existentes, eorumque Conventum, nullam activam jurisdictionem ordinariam, seu quasi Episcopalem, sibi praesumere, aut exercere posse in Clerum quarumvis Ecclesiarum hujusmodi, seu in Populum praefatis Paroch. subjectum, multoque minus speciem aliquam Territorii separati sibi arrogare, sed tantummodo ipsis Abbati, et Monachis, eorumque Ecclesiis, competere debere simplicem passivam exemptionem, ad formam et terminos Privilegiorum, quae generaliter praedicto Ordini, eorumque Congregationi Montis Oliveti, ab Apostolica Sede concessa reperiuntur. Quocirca Abbas et Monachi praefati pacificam, ut antea, possessionem retinebunt dictarum Ecclesiarum tam Parochialium, quam non Parochialium, eorum Monasterio seu Congregationi praedictae unitarum; ac proinde, quod attinet ad Parochiales Ecclesias, salvo, ac praeservato favore Episcopi, jure deputandi in ipsis Oeconomos, quoties et quousque easdem Rectore destitutas manere contingat, integrum erit Abbati et Conventui praefati Monasterii, futuros hujusmodi Ecclesiarum Rectores eidem Episcopo praesentare, ut, praevio consueto examine, ad curam animarum in eis exercendam, sive perpetuo sive amovibiliter, pro diversa Parochialium conditione, ab eo approbentur; ac praeterea eisdem licebit omnes praedictas Ecclesias, et Clericos earum servitiis addictos, visitare, prout fieri consuevit ab aliis Praelatis Regularibus, et Exemptis, non habentibus Territorum separatum; sed tamen integra semper, ac prorsus illaesa manere debebit ejusdem Episcopi jurisdictio pro omnibus et singulis casibus, in quibus alii Episcopi locorum Dioecesani eam exercere possunt in Regulares, quantumvis exemptos, eorumque Ecclesias, praesertim circa ea, quae animarum curam, et Sacramentorum administrationem concernunt juxta decreta praefati Tridentini Concilii, et ad formam memoratae Constitutionis Nostrae, quae incipit *Firmandis*, aliarumque a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus editarum, et non aliter, nec alio modo.

Clausulae et Decreta ad praemissorum firmitat.

§. 37. Praesentes quoque literas semper et perpetuo firmas et validas existere et fore, omniaque et singula in eis contenta, post obitum tamen praedicti Danielis Cardinalis Patriarchae, et Archiepiscopi, suum plenum effectum, et omnimodam executionem sortiri et obtinere, ac deinceps ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari debere, nec ullo umquam tempore, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specifica et individua mentione digni, ad ea vocati, et auditi non fuerint, seu ex alia qualibet privilegiata causa, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut alias infringi, vel quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari ullatenus umquam posse: Easque sub quibusvis contrariis Constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, et declarationibus, quomodolibet, et quibusvis de causis etiam pro tempore factis, et faciendis, minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas esse et censeri. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis authoritate et potestate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, dictae-

que Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

ut dati
oppor-
acultat.

§. 38. Quo circa Venerabilibus Fratribus Nostris Episc. Vicentino et Brixiensi eorumque in Episcop. Vicentino et Brixiensi Successoribus pro tempore futuris, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel unum eorum, per se, vel alium, seu alios, ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, statim ac tamen illarum effectui locus factus fuerit, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte sive Episcopi, sive Capituli Veronen. aut Abbatis et Monachorum praefati Monasterii S. Mariae in Organis nuncupatae, seu aliorum, quorum favorem eaedem praesentes concernunt, aut alicujus eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant authoritate Nostra easdem praesentes, et in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; et Episcopum, ac Capitulum et Canonicos, necnon Abbatem et Monachos praefatos, aliasque Ecclesias et loca hujusmodi, caeterosque omnes, quos eaedem praesentes quomodolibet concernunt, et concernent in futurum, illis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere: non permittentes eos, vel ex ipsis quempiam desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoslibet, et rebelles, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae fuerint, per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas; etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

gal.
iis.

§. 39. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de Jure quaesito non tollendo: necnon Bonifacii PP. VIII. qua cavetur, ne qui extra suam Civitatem vel Dioecesim ad judicium evocetur, seu ne Judices a Sede Apostolica deputati extra Civitatem vel Dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, vel praesumant, et in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis authoritate praesentium ad Judicium non trahatur, aliisque Apostolicis aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et ordinationibus, necnon primodicti Capituli, ac praefati Monasterii, et Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, etiam Patriarchalibus et Metropolitanis, personis, et locis, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, et Sedem praedictam, vel alios quoscumque, etiam qualibet authoritate et potestate fulgentes, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis: Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis et perpetuae firmitatis praemissorum omnium et singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus; aliisque omnibus et singulis contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, nisi per literas Apostolicas facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 40. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem prae-

Sumptuum
fides.

sentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 41. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrae avocationis, suppressionis, et extinctionis, silentii impositionis, revocationis, cassationis, et abolitionis, voluntatum, statutorum, declarationum, concessionum, indultorum, decretorum, commissionum, et derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat 17 Maji 1756. Pont. 26.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto, decimosexto Kalendas Junii, Pontificatus Nostri anno sextodecimo.

J. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

Visa De Curia

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LIX.* Indulgentia Plenaria elargitur omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesias Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupat. visitaverint in Festis Nativitatis D. N. J. C., Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, ac Purificationis, et Assumptionis B. M. V. Immaculatae, nec non Dedicationis S. Michaelis Archangeli ejusdem Ordinis Protectoris principalis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redditurі de commisso Nobis Grege Dominico in extremo Judicio rationem, summis, ut tenemur, affectibus singulos Christifideles, quos Hostis humani generis a justitiae limitibus saepe divertit, nostro Piissimo Redemptori ab omni labe mundatos restituere, eosque sibi acceptabiles, et bonorum operum efficere cupimus sectatores, ut per grata, et accepta Deo opera illius, qui misericordiarum Pater est, gratiam, et misericordiam valeant facilius reperire, et Nos in ipsa ratione reddenda divinae justitiae possimus evadere ultionem. Cum, sicut Dilectus Filius Franciscus Galindo Zelosus, seu Procurator Generalis Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, magnus Christifidelium concursus ad Ecclesias dicti Ordinis in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, ac Purificationis, et Assumptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, necnon Dedicationis S. Michaelis Archangeli ejusdem Ordinis Protectoris principalis Festis diebus accedere soleat: Nos eosdem Christifideles ad pietatis, charitatisque opera incitare, et Ecclesias ipsas aliquo spiritualis favoris dono illustrare cupientes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; supplicationibus dicti Francisci Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesias dicti Ordinis ubique existentes tam erectas, quam in posterum erigendas in supradictis festivis diebus annis singulis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praedictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et largimur. Ac insuper omnibus, et singulis modernis, et pro tempore existentibus Conventuum dicti Ordinis Correctoribus, ut ipsi, seu alii ab ipsis Correctoribus deputandi memorati Ordinis professores in diebus festis supradictis supra omnes Christifideles in praedictis Ecclesiis existentes Benedictionem nostro nomine impertire, absolutionemque indicere libere, et licite possint, et valeant, servata tamen in omnibus, et per omnia dispositione, et forma cujusdam nostrae Epistolae Encyclicae ad Patres Generales Ordinum Regularium, quibus ab hac S. Sede Indulta est facultas Pontificiam Benedictionem effundendi super Populum statis diebus die XIX. Martii MDCCXLVIII. editae, Auctoritate Apostolica tenore praesentium facultatem tribuimus, et impartimur. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, aliisque Decretis in contrarium prae-

missorum facientibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu dicti Francisci moderni, seu pro tempore existentis Procuratoris Generalis dicti Ordinis subscriptis, et sigillo ejusdem Ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioecesis sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1756. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Pro D. Card. Passionco.
Joannes Florius Substitutus.

Loco ✠ Sigilli.

X.** LITERÆ IN FORMA BREVIS

Confirmatoriae, aliarum similium san. mem. Clementis VIII. favore universitatum Artis Serici, Tinctorum, et Crispatorum velorum Civitatis Bononiae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Mercatores Serici, Tinctores, et Crispatores velorum, seu crisparum texturarum, vulgo ut dicitur, *Mercanti di Seta, Tintori, e Increspatori di veli* Civitatis nostrae Bononien., quod die decimaoctava mensis Martii proxime elapsi inter dilectos filios *Joannem Baptistam Sozzifanti* procuratorem deputatum ex una, et *Josephum Lepri natum* naturalem, et legitimum, ac procuratorem dilecti etiam filii *Caroli Ambrosii Lepri* moderni conductoris generalis *Calcanthi* vulgo *Vetriolo* Status Nostri Ecclesiastici ex altera partibus cum interventu dilecti filii *Magistri Joannis Juliani Rubini Camerae nostrae Commissarii* habitus fuit congressus, quo de communi ambarum partium consensu statutae, et mutuo subscriptae remanserunt nonnullae cautiones, per quas *dictus Carolus Ambrosius* conductor a fraudationibus, quae in sui praejudicium patrari possunt tutus, et securus remanet, seu servatur, attento quod dicti *Exponentes non obstante publicatione cujusdam Edicti, seu Decreti anno millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo instante dicto Carolo Ambrosio confecti, non solum usu Vetrioli Teutonici pro tingendis Sericis gaudere, verum etiam* FACULTATE ILLUD PROPRIIS SUMPTIBUS *juxta dispositionem, et tenorem quarumdam Felicis Recordationis* CLEMENTIS PAPÆ VIII. *Praedecessoris Nostri in simili forma Brevis expeditarum Literarum committere, et transportare facere possent, quas in causa inter dictos Exponentes ex una, et memoratum Carolum Ambrosium ex altera partibus in Congregatione Camerae Nostrae Apostolicae habita nuper vertente* IN SUO ROBORE PERMANSURAS VOLUIMUS.

Tenor autem dictarum Literarum est qui sequitur, videlicet.

Dilectis Filiis Vexillifero, et Viris Reformatoribus status libertatis Civitatis Nostrae Bononien.

» CLEMENS PAPA VIII. Dilecti Filii salu» tem, et Apostolicam Benedictionem. Cum » sicut accepimus, experientia compertum sit » Vetriola, quae in Statu Nostro Ecclesiastico » fabricantur, et Romana dicuntur, non con» venire qualitati aquarum Civitatis nostrae » Bononien., quemadmodum conveniunt Ve» triola extera, quae ibidem Theutonica ap» pellantur, ac propterea ex usu Vetriolorum » Romanorum hujusmodi in eadem Civitate » vigore Appaltus Vetriolorum praedictorum » per Cameram Nostram Apostolicam facti cum » conditione, quod in Universo Statu Nostro » Ecclesiastico aliorum Vetriolorum usus ha» beri non possit, maximum Tinctoribus di» ctae Civitatis damnum, et praejudicium ge» nerare, eo quod a Mercatoribus Belgis, Gal» lis, et aliarum nationum, qui prius sericum, » et alias merces in Civitate Bononien. emere » soliti erant, nunc hujusmodi Serici, ac pan» norum, aliaeque Merces refutentur, quod » etiam in publicum ejusdem Civitatis detri» mentum cedere dignoscitur. Cumque alias a » diversis Romanis Pontificibus Praedecesso» ribus nostris, et praesertim felicis recorda» tioni CLEMENTE VII., PAULO IV., ET » GREGORIO XIII. indultum fuerit, ut Tin» ctores dictae Civitatis, eo Vitriolorum gene» re, quod ipsis magis utile foret uti valerent, » prout in diversis eorumdem Praedecessorum » Literis, quarum tenores praesentibus pro

» expressis haberi volumus, plenius continetur. Nos qui pro nostra erga Subditos nostros paterna charitate eorum commoda, et publicam utilitatem privatae Camerae nostrae utilitati postponi nolumus, eorumdem etiam Praedecessorum exemplo adducti, Motu proprio, et ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, per praesentes statuimus, et ordinamus, quod durante etiam tempore praesentis Appaltus Vetriolorum Romanorum hujusmodi, dicta Vetriola Theutonica tam ex mineriis ex quibus proveniunt, quam ex quibuscumque locis per quamcumque Personam, seu Mercatorem cujuslibet loci possint in quantitate, et numero, quae pro tingendis Sericis necessaria fuerit tantum ad dictam Civitatem nostram Bononien. conduci, dummodo in prima Civitate, Terra, vel Oppido Sedi Apostolicae mediate, vel immediate subjecto, in quam, seu quod ipsorum Vetriolorum conductores intraverint, et successive in omnibus, et singulis Terris, per quas transibunt antequam Bononiam appulerint assignent Dohanerìis, Gabellariis, seu Datiariis Civitatis, Terrae, seu Oppidi praedictorum, exprimendo etiam nomen Vecturalis illa conducentis, et Mercatoris, cujus nomine conducuntur, et ab eisdem Dohanerìis, Gabellariis, seu Datiariis teneantur accipere Bullectas de dictis Vetriolis, et de illorum assignatione, ut praemittitur facienda, ac illas, et dicta Vetriola postmodum Dohanerio, seu Datiario Bononien., qui pro tempore fuerit, assignare, qui Dohanerii, Gabellarii, et Datiarii praedicti debeant de his retinere librum proprium, et separatum ab aliis Negotiis, in quo dictim transitus, et assignationes dictorum Vetriolorum, modo, et forma praedictis, ac etiam dicta Vetriola assignantes, et quibus ponderabuntur, et consignabuntur annotentur, et ad beneplacitum Conductorum dictorum Vetriolorum Romanorum, et Agentium pro eis, Dohanerii, et Datiarii Bonon. teneantur eisdem Conductoribus, et Agentibus pro eis dare computum, et ostendere Librum annotationum Vetriolorum hujusmodi toties quoties fuerint requisiti; quodque per, vel ad eamdem Civitatem Bononien., et ejus Territorium, et Comitatum, nulla alia Vetriola cujuscumque qualitatis, et quorumcumque locorum, etiam transeundo solum praeter Romana, et Theutonica, ut praemittitur conduci, et portari possint. Declarantes, et statuentes, quod Tinctores, et alii in dicta Civitate Bononien. Vetriolo Theutonico, nisi pro usu tingendi sericum, uti nequeant. Volumus etiam, quod praesenti ordinationi nostrae contraveniens, et in fraude repertus, et coram Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario, vel ab eo in dicta Civitate Bononien., et alibi deputando accusatus, convictus, vel confessus, et declaratus praesentibus contravenisse, et fraudem commisisse, si particularis persona fuerit, qualibet vice incidat irremissibiliter in poenam quingentorum aureorum, ammissionis Vetriolorum, et animalium illa conducentium, ac eamdem poenam etiam is incurrat, qui talia Vetriola miserit, vel emerit, vel qui talibus Vetriolis usus fuerit: si vero Communitas praesentibus contravenerit, vice qualibet incidat in poenam mille ducatorum similium, quarum poenarum dimidium applicetur Camerae Apostolicae, reliquum inter Appaltatorem, et Accusatorem dividatur, qui Accusator a Judice coram quo talis accusatio, vel denunciatio porrecta erit, secretus retineatur. Quam poenam, ut supra, applicandam, etiam incurrat quicumque hujusmodi Vetriola etiam ex Causa donationis extra Civitatem, et Territorium praedictum praesenti ordinationi nostrae contravenendo transmiserint; Conductores tamen praedicti per se, vel alios conducere, et retinere in dicta Civitate Bononien., et ejus Dominio omnem quantitatem Vetriolorum Romanorum praedictorum pro libito voluntatis, illaque exinde extrahere, ac mittere, et conducere ad quascumque partes voluerint, et demum ad eamdem Civitatem Bononien. reducere, vel vendere libere possint, et valeant, non obstante conductione a praedictis Conductoribus facta, et Capitulis cum Camera Nostra Apostolica per eosdem Conductores initis. Volumusque, et mandamus has praesentes Nostras Literas, ac omnia, et singula in eis contenta per publicum praeconem in dicta Civitate Bononien. in locis publicis, et consuetis publicari infra mensem, a data praesentium, computandum, et a die dictae publicationis suum robur obtinere, et contravenientes ligari decernimus. Non obstantibus praemissis, ac inhi-

» bitione Camerali ad Commissarii nostri generalis, et Appaltatorum dictorum Vetriolorum Romanorum, et aliorum adhaerentium instantiam contra dictos Mercatores Bononien. emanata, ac Legibus, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, conductione, et capitulis praefatis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, et cum quibusvis Clausulis etiam derogatoriis, et fortissimis, quodque illis, nisi certis modis, et formis, derogatum non censeatur, etiamsi toties renovarentur, quoties illis derogari contigerit. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio habenda esset, eorumdem praemissorum omnium, et singulorum tenores praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die trigesima Augusti millesimo sexcentesimo Pontificatus Nostri Anno Nono. M. Vestrius Barbianus. Loco ✠ Sigilli.

Cautionum vero est sequentis: videlicet — In Dei Nomine. Amen — Die trigesima Aprilis millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto » Avendo avuto noi infrascritti notizia dei Capitoli, e Convenzioni a nostro nome convenuti dall' Illustrissimo Signor Avvocato Giovanni Battista Sozzifanti col Signor Giuseppe Lepri, come Figlio, e Procuratore del Signor Carlo Ambrogio Appaltatore generale de' Vetrioli dello Stato Ecclesiastico, con la promissione, che i medemi saranno da noi infrascritti ratificati entro il termine di due mesi, il tenore de' quali Capitoli, e convenzioni è il seguente » cioè

» Essendo stata comunicata da Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Commissario della Camera Apostolica a Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Tesoriere, et al Signor Giuseppe Lepri figlio, e procuratore del Signor Carlo Ambrogio Appaltatore generale de' Vetrioli dello Stato Ecclesiastico la suprema volontà di Nostro Signore felicemente Regnante, cioè che il Breve della santa memoria di CLEMENTE VIII. emanato fin dall' anno 1600. a favore dell' Università delli Mercanti della Seta di Bologna, » restasse inviolabilmente osservato in tutte le » sue parti, cioè tanto in quella parte, in cui » ad essi si concede l' uso delli Vetrioli Tedeschi per la sola tinta delle Sete, quanto nell' altra parte, nella quale viene alli medesimi accordata la facoltà di commettere a proprio conto i Vetrioli Tedeschi, e questi far » trasportare in Bologna; ed avendo nel medesimo tempo ordinato Sua Santità, che si » tenesse un congresso avanti il prelodato Monsignore Illustrissimo, e Reverendissimo Commissario coll' intervento dell' Illustrissimo » Signor Avvocato Gio. Battista Sozzifanti per » parte delli Mercanti delle Sete di Bologna, » e con il Signor Giuseppe Lepri, per parte » del Signor Carlo Ambrogio suo Padre Appaltatore generale delli Vetrioli, per stabilire quelle cautele, per le quali resti assicurato detto Signor Lepri, e suo Appalto dalle » fraudi, che potrebbero commettersi in di lui » pregiudizio, qualora detti Vetrioli Tedeschi » si spargessero per lo Stato Ecclesiastico, oppure si adoprassero in altre tinte fuori di » quella della seta: perciò per obbedire alli » sovrani comandi della Santità Sua, si è tenuto sotto questo dì XVIII. Marzo MDCCLVI. » il detto congresso colla partecipazione anche di Monsignore Illustrissimo, e Reverendissimo Tesoriere, in cui sono state di comun consenso stabilite le seguenti cautele, » e condizioni — In primo luogo si conviene, » che il presente concordato s' intenda ristretto per i soli Vetrioli Tedeschi, e non per li » Vetrioli d' altri luoghi, e per le sole tinte » di sete — Secondo che detti Vetrioli non si » possino introdurre dentro lo Stato Ecclesiastico, e molto meno dentro la Città di Bologna, e suo Contado, se non con quelle » cautele d' assegne, e bollette prescritte nello » stesso Breve Clementino, e nel Bando generale — Terzo che ad effetto di garantire » detto Appaltatore, o Appalto da ogni pregiudizio, subito, che detti Vetrioli saranno arrivati con le cautele, come sopra, in Bologna, e visitati in Dogana, si debbano direttamente trasportare in un magazeno da destinarsi da detto Appaltatore, o suo Ministro, purchè detto magazeno sia luogo atto » a custodire li detti Vetrioli — Quarto che la » pigione di detto magazeno quale servirà per » detti Vetrioli di detti Signori Mercanti di seta di Bologna, debba pagarsi da medesimi

» Signori Mercanti, per comodo de' quali unicamente serve detto magazeno, con dichiarazione espressa, che in caso patissero detti Vetrioli, o qualunque disgrazia potesse accadere debba tutto andare a cura, rischio, e danno delli stessi Mercanti proprietari, purchè la disgrazia non provenga da colpa del Signor Appaltatore, o suoi Ministri — Quinto che di detto magazeno, si debbano fare due chiavi, e due serrature diverse, e che una delle chiavi debba tenersi da detti Signori Mercanti di seta, o da Persona, che verrà, da essi destinata, e l' altra dal detto Signor Appaltatore, o suo Ministro; affinchè uno senza dell' altro non possa aprire, ne entrare in detto magazeno — Sesto che quante volte a detti Signori Mercanti abbisognerà prevalersi di detti Vetrioli Tedeschi per tinte di sete, debba detto Appaltatore, o suo Ministro esser pronto per la sua parte ad aprire detto magazeno per consegnarli il Vetriolo, che gli abbisognerà per quella operazione, o tinta di seta solamente. — Settimo finalmente detto Signor Appaltatore sia obbligato a consegnare a ciascun Mercante il Vetriolo, che gli abbisognerà, con la condizione però, che un tal Mercante dia volta per volta la nota da esso sottoscritta della quantità della seta, che vorrà tingere, e che a misura, e proporzione di detta quantità della seta, debba detto Appaltatore consegnarli tanto Vetriolo, quanto è necessario per formare il bagno della tinta denunziata: riservandosi detto Appaltatore le facoltà concesseli nel Bando generale di poter far le perquisizioni per rinvenire le fraudi, e contravenzioni de' sopradetti patti. E per osservanza di quanto sopra, detto Signor Giuseppe Lepri in nome proprio, e come Procuratore del detto Signor Carlo Ambrogio di lui Padre si obbliga nella più ampla forma della Rev. Camera Apostolica, e detto Illustrissimo Signor Avvocato Sozzifanti obbliga parimenti nella più ampia forma della Rev. Camera Apostolica i sopradetti Mercanti di seta, promettendo, che i medesimi ratificheranno i sopradetti patti, capitoli, e convenzioni, obbligandosi entro due mesi esibire a Monsignore Illustrissimo, e Reverendissimo Tesoriere la ratifica in valida forma come sopra, ed in fede questo di 18. Marzo MDCCLVI. — Avvocato Gio. Battista Sozzifanti nel nome come sopra mi obbligo etc. — Giuseppe Lepri mi obbligo a quanto sopra — Giovanni Giuliano Rubini fui presente.

» E perciò noi sottoscritti ratifichiamo, ed approviamo li capitoli, e convenzioni così, come sopra, fatti in tutto, e per tutto come sopra; e per le predette cose tutte obblighiamo le nostre respettive Arti, e li di loro beni, e nostri in quelle rispettivi successori, e ciò in ogni etc. — Giovan Batista Facci Rettore dell' Arte della Seta, approvo quanto è espresso di sopra — Bernardino Giovanardi affermo quanto addietro — Giovanni Giacinto Giovanardi affermo, ed approvo quanto sopra — Giovanni Battista Rizzardi affermo, e prometto quanto sopra — Filippo Covelli affermo, ed approvo quanto sopra — Giuseppe Canevelli affermo ed approvo quanto sopra — Giuseppe Canevelli di Paolo affermo, ed approvo quanto sopra — Bonaventura Gandolfi affermo, ed approvo quanto sopra — Nicola Casolari affermo, ed approvo quanto sopra — Giuseppe Bignami affermo, ed approvo quanto sopra — Matteo Girolamo Atti assunto per l' Arte de' Tintori affermo, ed approvo quanto sopra — Gaetano Tartarini assunto per l' Arte de' Tintori affermo, ed approvo quanto sopra — Gaetano Vecchi assunto per l' Arte de' Tintori, ed Increspatori da Veli affermo, ed approvo quanto sopra — Rinaldo Cupini assunto de' Tintori, e Increspatori de' Veli approvo quanto sopra.

» Die trigesima mensis Aprilis MDCCLVI.

» In mei etc. Perillustres Domini Joannes Baptista quondam Domini Caroli Antoni Facci Capellae Sancti Marini, et modernus Rector Artis Serici Bononiae, Bernardinus olim Domini Caroli Giovanardi, Joannes Hyacinthus Giovanardi Capellae Sancti Andreae de Ansaldis, Joseph Canevelli, et alter Joseph quondam Pauli Canevelli Capellae Sancti Matthaei de Accarisiis, alias de Foro piscario, Bonaventura quondam Domini Angeli Gandulphi Capellae Sanctae Mariae Muratellarum, Nicolaus filius Domini Petri Casolari Capellae Sancti Gregorii, et Joseph filius Domini Laurentii Bignami Capellae Sancti Georgii in Podiali, omnes publici Mercatores Bononiae: Joannes Baptista, olim alterius Joannis Baptistae Rizzardi Capellae

» Sancti Nicolai Sancti Felicis, omnes publici » Mercatores Bononiae, et singuli de Univer- » sitate, seu Arte Serici: necnon et DD. Mat- » thaeus Hieronymus olim Domini Angeli Ma- » riae Atti Capellae Sanctae Catharinae de Sa- » ragotia, et Cajetanus olim Domini Antonii » Tartarini Capellae SS. Cosmae, et Damiani, » ambo Tinctores Bononiae, et de Arte Tin- » ctorum, et DD. Cajetanus olim Domini Jo- » seph Vecchi Capellae Sanctae Mariae Majo- » ris, Raynaldus quondam D. Joannis Lau- » rentii Cupini, ambo Tinctores, et Vela- » minum Incrispatores, et pariter de Arte » Tinctorum Bononiae, et omnes assumpti, a » Massario, et Hominibus eorum Artis depu- » tati cum facultatibus necessariis, et oppor- » tunis, ut in Congregatione habita sub die » vigesima Aprilis anni elapsi MDCCLV. ad » quam etc.: Quibus et unicuique eorum per » me Notarium infrascriptum ostensa supradi- » cta Scriptura, et per eos, et quemlibet eo- » rum bene visa, lecta etc.: necnon et visis » subscriptionibus in illius calce existentibus, » et sub eorum respective nominibus, et co- » gnominibus cantantibus, sponte etc. dixe- » runt, et unusquisque eorum dixit omnia in » supradicta ratificatione contenta fuisse, et » esse vera, subscriptionesque praefatas fuisse, » et esse eorum, et cujuslibet eorum propria » manu, et charactere factas, et pro praedicta » recognoverunt, et quilibet eorum recogno- » vit medio eorum, et cujuslibet eorum jura- » mento per eos, et quemlibet eorum manu » tactis Scripturis ad delationem mei etc. in » forma etc. suscepto, omni etc.: super qui- » bus etc.: Rogan. etc. praesentibus Bononiae » in respectivis Negotiis dictorum DD. Mer- » catorum Admodum Reverendo Domino Joan- » ne Baptista filio Domini Joannis Antonii Ma- » setti Sacerdote Capellae Sancti Donati, et » Domino Bernardino filio olim Joannis Bapti- » stae Ragazzi Capellae Sanctae Mariae Petrae- » latae, et respectu dictorum DD. Tinctorum » Domini mei Notarii sub Capella S. Catha- » rinae de Saragotia dicto Domino Bernardino » Ragazzi, et Domino Dominico olim D. Petri » Franceschi Capellae Sanctae Catharinae de » Saragotia Testibus etc. — *De supradictis re- » cognitionibus rogatus sum ego Franciscus Ma- » ria olim Ser Dominici Lolli Civis, et publicus » Bononiae Notarius Apostolicus quoque et Im- » perialis etc. In quorum fidem etc. Loco ✠ Signi.*

Quoniam autem dicti Exponentes, qui, ut asserunt, Instrumentum Conventionis, seu Cautionum hujusmodi proprio charactere subscripserunt, literasque praefatas, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderant. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendi, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas memorati CLEMENTIS Praedecessoris Literas, necnon cautiones, seu conventiones inter dictos Exponentes, et Conductorem generalem hujusmodi factas, Statutas et subscriptas, ut petitur, Auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos Juris, et Facti etiam substantiales defectus, si qui desuper in dictis cautionibus, seu conventionibus inter partes praefatas initas irrepserint, seu irrepsisse dici, vel censeri possit, supplemus, et sanamus, et quatenus opus sit dictas CLEMENTIS Praedecessoris literas, ac omnia, et singula in eis contenta, dicta auctoritate innovamus, seu de novo concedimus. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstante memorato edito, et publicato Edicto, seu Decreto, ac omnibus, et singulis illis, quae idem CLEMENS praedecessor in suis Literis praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dioecesis sub Annulo Piscatoris die

decimaquinta Junii MDCCLVI. Pontificatus Nostri anno Decimo Sexto.

Loco ✠ Sigilli.

Pro D. Cardinali Passionco.
Joannes Florius Substitutus.

LX. UTINENSI

Metropolitanae Ecclesiae Missa de Spiritu Sancto cum certis Collecta et Orationibus celebranda conceditur in die depositionis, seu commemorationis Beati Bertrandi Aquilejensis Patriarchae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Procem. A studio ampliandi Sanc. cultum.

Non est equidem, quod Nos in hoc ipso potissimum Apostolicae omnium Ecclesiarum sollicitudinis et procurationis gravissimo ministerio, imbecillitati Nostrae a supremo Pastorum Principe Jesu Christo, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, imposito rite sancteque obeundo fere defessos, magis reficere et recreare videatur, quam cum opportunae sese Nobis offerunt occasiones, per quas Pontificiae auctoritatis, benignitatisque partes adhiberi a Nobis petitur in promovendo ampliandoque eorum Christi fidelium cultu, quos in Domino confidimus in caritate Dei conjunctos ex hac vita migrasse, et in aeterna Beatorum statione in Coelis positos gaudere; cum per totum fere vitae Nostrae spatium, quoad Nobis integrum fuit, non omiserimus immensos labores impendere, ut praeclara Venerabilium Servorum Dei, Beatorum, et Sanctorum gesta tot editis voluminibus illustraremus.

Immemorialis praestitus B. cultus.

§. 1. Quoniam autem in Metropolitana Ecclesia Utinensi, sicut Dilectus Filius Noster Daniel Tituli Sanctae Mariae Supra Minervam Presbyter S. R. E. Cardinalis Patriarcha Delphinus Archiepiscopus Utinensis nuper Nobis humiliter exposuit, Corpus sive Ossa Beati Bertrandi, dum in humanis ageret, Patriarchae Aquilejensis viam universae carnis anno MCCCL. ingressi reperiuntur, cui, quemadmodum pariter exposuit, publicus cultus impendi coeptus ex eo Transitus sui tempore, ad hanc usque diem exhiberi pergit, pro quo sane Cultu comprobando necessaria quoque documenta ad Nos transmittenda curavit, atque insimul retulit, in die nimirum defunctionis ejusdem Beati Bertrandi solemnem Missam pro gratiarum actione in Omnipotentis Dei honorem cani, juxta providum sapiensque consilium Venerabilis Servi Dei Caesaris Cardinalis Baronii Ecclesiasticorum Annalium Auctoris, de Sanctis quoque in Martyrologio Romano descriptis meritissimi, qui a fel: rec: Clemente PP. VIII. Praedecessore nostro oraculum acceperat. Praeterea idem Daniel Cardinalis Patriarcha et Archiepiscopus supplices preces obtulit, ut publicum hujusmodi Cultum ampliare de Apostolica benignitate et auctoritate dignaremur.

Ad preces Eminent. Car. Pat. et Arch. conceditur, ut in die commemor. B. Bertr. celebret. Missa de Spiritu Sancto cum inscriptis orationibus.

§. 2. Nos igitur, qui laudatum Danielem Cardinalem Patriarcham et Archiepiscopum, ob eximias generis animique dotes, ac Sacerdotales in regendis populis suae Pastorali curae commissis virtutes, plurimi facimus, magnoque in honore habemus, piis votis porrectisque precibus benigne obsecundare cupientes, postquam omnia et singula ad hujusmodi gravissimum negotium spectantia, matura consideratione expendimus, ac praesertim allata super publico exhibito Cultu documenta, et quidquid de eodem Beato Bertrando illius temporis Auctores gravis notae scriptis suis consignarunt, in hanc sententiam devenimus, atque Apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus, ut in die quidem, in qua annua in memorata Ecclesia Metropolitana Utinensi saepedicti Beati Bertrandi Corpus sive Ossa reposita sunt, celebratio solemnis Missae cum Cantu pro gratiarum actione in Omnipotentis Dei honorem in singulos annos peragatur. Hujusmodi vero Missa sit illa, quae de Spiritu Sancto in Missali Romano habetur; atque in ipsa addantur Orationes, sive Collectae, ut infra, nimirum, post primam quidem Orationem, sive Collectam de Spiritu Sancto, sub unica Conclusione dicatur; *Deus, qui Beatum Bertrandum pro Ecclesiae suae juribus ad mortem usque certantem invicta pastorali fortitudine roborasti, praesta fidelibus tuis, ut ad pietatis et religionis constantiam ejusdem informentur exemplis. Per Dominum etc.* Post alteram vero, sive Secreta: *Sacra dona, quae Tibi, Domine, reverenter offerimus in commemorationem Beati Bertrandi, Ecclesiae tuae libertatem tueantur et pacem, et sanctificationis nostrae incrementa promo-*

vent. Per Dominum etc. Post tertiam demum, sive Postcommunio: *Praesta, quaesumus, Omnipotens Deus, ut in honorem Beati Bertrandi celebrata mysteria, ejus virtutum imitatores, et tua propitiatione nos dignos efficiant. Per Dominum etc.*

onsuetae ulae et ete in missoo firmit.

§. 3. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, judicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

pt. fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

18. Ju- 1756. ont. 16.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioecesis sub annulo Piscatoris die XVIII. Junii MDCCLVI. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Cajetanus Amatus.

XI.

PRIVILEGIA MONASTERII

Monialium B. Mariae Virginis, Ordinis S. Benedicti, prope et extra muros Civitatis Aquilejensis, opportuna locorum subjectorum descriptione, ac definitione jurisdictionis Delegati Apostolici apposita, confirmantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis in Christo Filiabus, Abbatissae et Conventui Monasterii Monialium Beatae Mariae Virginis, Ordinis Sancti Benedicti, prope et extra muros Civitatis Aquilejen. nullius Dioecesis, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Prooem. Privilegia non temere abrog. suis tam, limitibus cohibend.

Quae ex Apostolica Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum auctoritate et liberalitate Religiosis Domibus ac Personis concessa dudum fuerunt Privilegia et Indulta, ne propter varias labentium temporum et circumstantium rerum vicissitudines labefactari contingat, novo confirmationis munimine roborare, simulque eadem generalibus Ecclesiae Legibus, et Canonicis institutis, per opportunas voluntatis nostrae declarationes congruenter attemperare non recusamus; prout ipsarum Domuum ac personarum religiosae utilitati et quieti, ac Ecclesiasticae Disciplinae integritati salubriter expedire in Domino judicamus.

Monast. ejusque personae, ac res quaecumque amplissimis privil. ditatae.

§. 2. Sane exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod quum alias nonnulli Romani Pontific. Praedecessores nostri, antiquissimo Monasterio vestro, ejusque Personis et rebus, ac possessionibus, Ecclesiis quoque, Cappellis, et locis ab eo dependentibus, quae in aliquot eorumdem Praedecessorum literis, propriis leguntur expressa vocabulis, Apostolicae Protectionis, aliaque complura privilegia et indulta concessisse dignoscerentur; fel. record. Praedecessor pariter noster Bonifacius Papa IX. per suas, sub Dat. Romae apud S. Petrum Kalend. Junii, Pontificatus sui Anno XI. expeditas Literas Apostolicas, idem Monasterium vestrum, cum membris suis, ejusque Abbatissam et Conventum, ac singulares Personas in eo tunc degentes, et posteras, earumque bona, et jura quaecumque, quae tunc obtinebant, et in posterum obtinerent, ab omni potestate, jurisdictione, dominio, servitute, et visitatione Patriarchae Aquilejensis tunc existentis, et pro tempore futuri, nec non Capituli Aquilejen. aliorumque Ordinariorum, et judicium quorumcumque, Auctoritate Apostolica exemit, et perpetuo liberavit, ac sub Beati Petri, et Sedis Apostolicae, ac sua, protectione suscepit, et exempta ac libera, exemptasque ac liberas esse voluit, sibique et Successoribus suis Romanis Pontificibus, ac dictae Sedi, immediate subesse; ita ut Patriarcha et Judices supradicti, ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, nullam in ipsas Ab-

A Bonif. IX. singul. exemptionis priv. donantur, et sub immediata Sedis Apostolicae jurisdict. suscipiuntur.

batissam et Conventum, earumque Monasterium, Personas, membra, Bona, aut jura praedicta, possent jurisdictionem, potestatem, dominium, aut visitationem exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede, vel ejus delegatis, tenerentur de justitia respondere.

Clementis VII literae, quib. hujusmodi exemptioni ad tempus derogatur.

§. 3. Quodque subinde, post iteratas confirmationes, hujusmodi exemptionis, susceptionis, et subjectionis, ab aliis Romanis Pontificibus eidem Monasterio vestro, ejusque Personis, membris, et Bonis elargitas, recol. mem. Praedecessor pariter noster Clemens Papa VII., qui alias ad collapsam Regularis observantiae Disciplinam in eodem Monasterio vestro redintegrandam, illud, et illius Moniales, cum earum juribus, bonis, et pertinentiis universis, gubernio et regimini bo. me. tunc in humanis agentis Marini Tituli S. Vitalis S. R. E. Presbyteri Cardinalis, et Patriarchalis Aquilejensis Ecclesiae Praesulis, quamdiu Ecclesiae hujusmodi praeesset, per speciales suas in forma Brevis Literas supposuerat, et subjecerat; postmodum, ad supplicationem tunc existentium dicti Monasterii Abbatissae et Monialium, attento quod plures Romani Pontifices dictum Monasterium, et illius Personas, Terras, et Bona, ab omni Jurisdictione pro tempore existentis Patriarchae Aquilejensis, ejusque Vicariorum et Officialium, exempta ac libera, ut praefertur, sub sua, ac dictae Sedis Apostolicae protectione perpetuo manere ipsique Sedi Apostolicae immediate subesse voluerant; et ipsae Abbatissa et Conventus in possessione, seu quasi, exemptionis hujusmodi, a quadringentis annis, vel circa, et tanto tempore, cujus initii hominum memoria non erant, jam tunc existebant; aliisque de causis tunc latius expressis; ac etiam consideratione clare mem: tunc in humanis agentis Ferdinandi Hungariae et Bohemiae Regis, et Comitis Goritiae, sub cujus temporali dominio Monasterium praedictum existebat, per alias posteriores in simili forma Brevis literas datas apud S. Petrum die 26. Novembris 1530. Pontificatus sui anno VIII. praefatas suas anteriores literas, et inde sequuta quaecumque, revocando, cassando, et annullando, ac pro nullis et infectis habendo, ac pristinas exemptionem, susceptionem, et subjectionem praedictas in suo robore subsistere, ac monasterio, Abbatissae et Conventui, illorumque rebus, et bonis praedictis suffragari decernendo; nec non hujusmodi exemptionis, et susceptionis, ac subjectionis literas, et Monasterium praedictum, in pristinum, et eum, in quo ante priorum literarum hujusmodi editionem erant, statum restituendo, reponendo, et plenarie reintegrando; ac veterem renovando consuetudinem, qua alii Romani Pontifices in more habuerunt alias Personas in Dignitate Ecclesiastica constitutas, secluso Patriarcha Aquilejensi, in Visitatores, Correctores, et Reformatores Monasterii praedicti, tamquam sibi et Apostolicae Sedi immediate subjecti, constituere, et deputare; earumdem Literarum tenore, Abbati Monasterii S. Georgii Majoris Venetiarum dicti Ordinis S. Benedicti tunc et pro tempore existenti, donec per ipsum Clementem, seu Successores suos, aliud ordinatum foret, commiserit et mandaverit, ut ipse, ejusque Successores Abbates, Monast. ipsum in capite, et in membris, in spiritualibus et temporalibus visitarent, et prout opus esse perspicerent, ad debitam Regularis Discipl. observantiam reducerent, et reformarent.

Ab eodem Pont. revocantur

Ac in pristinum statum restitutis omnibus privileg. jurisdictio, correctio, et visitat. Abbati Mon. S. Georgii Majoris Venet. demand.

Pacificis, et ad haec usque tempora continuata privil. possessio.

§. 4. Ex quo tempore, sicut eadem expositio vestra subjungebat, tam Monasterium ipsum, ejusque Abbatissa, et Moniales pro tempore existentes, quam etiam earum bona, ac res, et Personae ipsum subjectae Indultis et Privilegiis sibi concessis usque in praesentem diem pacifice frui non destiterunt, sub protectione Sedis Apostolicae, ac Romanorum Pontificum, etiam pro tempore existentium, inter quos recol. mem. Praedecessor quoque noster S. Pius Papa V. Datis Apostolicis Literis apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDLXVI. Idibus Aprilis, Pontific. sui anno primo, in amplissima confirmatione omnium Privilegiorum et Indultorum eidem Monasterio, Abbatissae, et Monialibus per Praedecessores Pontifices, et Sedem Apostolicam eatenus concessorum, comprehensa quoque voluit, ac specifice exprimenda duxit, decretum, et declarationem jam inde ab anno 1503. per bo: mem: Angelum Leoninum, dum viveret, Episcopum Tyburtinum, Legatum Apostolicum cum potestate Legati a Latere olim in istis partibus degentem facta, per quae, inter alia, omnia et singula Beneficia Eccl. cum cura, et sine cura, in praefatis ejusdem Mon. Privilegiis contenta, et descripta, ad vos et Conventum vestrum, vestramque Nationem, provisionem, et omnimodam dispositionem spe-

Iterum confirm. a S. Pio V.

Una cum Decreto an. 1503. Legati a latere liberam Beneficior. dispos. Monast. e Monialibus adjudic.

ctare et pertinere, ac de mensa vestra esse, et fore, vosque, stantibus praemissis, de hujusmodi Beneficiis ad vestrum nutum et voluntatem disponere potuisse, et in antea posse, ideoque collationes, provisiones, et alias dispositiones de iisdem Beneficiis per vos factas, omniaque et singula inde sequuta, pro canonice et legitime factis censeri debere; nec non eorumdem Beneficiorum Cappellanos, et Beneficiatos, iisdem privilegiis, gratiis, et favoribus, ad instar praefati Monasterii vestri pariformiter uti, frui, et gaudere posse, et debere, decreverat, et declaraverat; prout Nobis expositum fuit in indicatis ipsius Pii Praedecessoris Literis latius contineri.

rerum, ersonar. et gu- hacte- demau- Person. Dignit. consti- i.

§. 5. Ipsius autem Monasterii Vestri, ac illius personarum, et rerum, nec non Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliorumque membrorum ab eo dependentium, a Dioecesani, et cujuscumque alterius Ordinarii jurisdictione, et superioritate, ita ut praefertur, exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subjectorum, regimen, et gubernium, per diversas personas Ecclesiasticas a pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successive delegatas geri et administrari consuevit; eumque in finem, hujusmodi personis delegatis, sive per Literas Apostolicas, sive per organum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, amplissimae facultates concessae dignoscuntur; videlicet tam Monasterium ipsum, quam aliud quodvis Monasterium, Ecclesiam, Hospitale, Confraternitatem, Locum Pium, Terram, Castrum, et aliud quodcumque membrum eidem Monasterio subjectum, Abbatissas, Moniales, et aliam quamvis Personam in eis degentem, cujuscumque status, gradus, et conditionis, tam in capite, quam in membris, visitandi, corrigendi, et reformandi, abusus tollendi, ac disciplinam et observantiam regularem restituendi; nec non Rectores, Cappellanos, et Confessores, tam ordinarios, quam extraordinarios, pro ejusdem Monasterii, et Terrarum, Castrorum, Villarum, et Locorum illi subjectorum servitio, deputandi et constituendi, Puellas ad habitum, et ad Professionem admittendi, illasque ad hujusmodi effectum examinandi, et approbandi, praeterea quascumque Personas eidem Monasterio subjectas, excessus seu delicti alicujus reas et culpabiles repertas, certa servata methodo, corrigendi, puniendi, et castigandi, ac omnes et singulas tam civiles, quam criminales, et mixtas causas, ad ejusdem Monasterii forum et jurisdictionem spectantes, prout juris fuerit, illiusque ordine servato, cognoscendi, decidendi, et terminandi, aliaque omnia et singula ad Officium Vicarii, Visitatoris, et Reformatoris spectantia, et pertinentia, faciendi, et contra contumaces et inobedientes, illorumque consultores et fautores, ad censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque necessaria et opportuna juris et facti remedia procedendi; sicuti in nonnullis hujusmodi deputationum Literis latius accepimus contineri; ac etiam Dilectus Filius modernus noster, et Sedis Apostolicae Delegatus, ad ipsius Monasterii vestri Regimen, ejusque jurisdictionis administrationem istic constitutus, hujusmodi facultates hactenus circa praemissa obtinuisse, et exercuisse dignoscitur.

olissimae ismodi gato A- ol. iri- se facul- te.

Cur isthaec pivil. tot Pont. literis firmata, iterum confirmari petatur.

§. 6. Cum autem, sicut eadem petitio prosequebatur, postquam Nos, gravissimis, justissimisque de causis, Ecclesiam Patriarchalem Aquilejensem dudum existentem, ejusque Patriarchalem dignitatem, ipsamque Cathedram, et Sedem, penitus et omnino suppressimus et extinximus, duasque Archiepiscopales Ecclesias, Goritiensem videlicet, ac Utinensem ereximus; et Goritiensi quidem Ecclesiae unam partem antiquae Dioecesis Aquilejensis, in qua Civitas ipsa Aquilejensis, in cujus districtu primodictum Monasterium vestrum, cum aliquibus terris, locis, et villis, nec non Ecclesiis eidem subjectis existit, subjecimus et attribuimus; alteri vero, Utinensi videlicet Ecclesiae, reliquam ejusdem antiquae Dioecesis Aquilejensis partem, in cujus ambitu situm est alterum Monasterium vestrum, prope muros Civitatis Forojuliensis extructum, ad quod, ex antiqua consuetudine, universa Conventus vestri communitas, aestivis mensibus ob aerem insalubrem, qui eo tempore periculosam reddit Aquilejensis tractus stationem, singulis annis transferri solet; nec non caetera ejusdem Monasterii vestri bona, et loca, seu terrae, villae, et Ecclesiae eidem subjectae consistunt, subjecimus pariter, et attribuimus; verendum esset, ne forte in hujusmodi rerum immutatione, et novarum Dioecesum constitutione, ac respectiva earum terminatione, praejudicium aliquod amplissimae exemptioni, caete-

risque juribus et privilegiis, quibus vos et Monasterium vestrum, cum suis membris, et bonis, ac personis in eo degentibus, et ab eo dependentibus, sub immediata Sedis Apostolicae subjectione, ut praefertur, hactenus uti, frui, et gaudere consuevistis, inferri aut illatum censeri contingeret; ideoque pro parte vestra Nobis fuerit humiliter supplicatum quatenus praefatam Mon. vestri, ejusque membrorum exemptionem, aliasque gratias, concessiones, et privilegia, a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus vobis elargita, et longa, vel etiam antiquissima, et immemorabili possessione, seu quasi, et plurium saeculorum usu, a vobis retenta, novo Apostolicae confirmationis munimine roborare, et opportunae declarationis praesidio amplius asserere et firmare dignaremur.

Petitioni annuit Pontifex, amplissimamque Monaster. Personar. ac rerum exemptionem confirmat.

§. 7. Idcirco Nos, ad rem maturius atque consultius peragendam, requisitis primum, auditisque Venerabilibus Fratribus Nostris modernis Utinensi, et Goritienis Archiepiscopis, ac omnibus tam per eos, quam per vos, et Procuratores vestros fuse deductis, aliisque ad rem pertinentibus diligenter expensis et consideratis, votis vestris in praemissis annuere volentes, vosque, ac vestras singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque etc. censentes; ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praemissas Bonifacii, et Clementis aliorumque Praedecessorum praedictorum respective literas, nec non dicti Monasterii vestri, illiusque bonorum, villarum, castrorum, et locorum, ac Ecclesiarum in illis consistentium, seu ab eodem Monasterio alias dependentium, prout in praesentibus enumerantur, et sunt, libertatem, et exemptionem, ac immediatam Sedi Apostolicae subjectionem; ita ut tam primodictum Monasterium vestrum, quam alterum prope Civitatem Forojuliensem existens, nec non Ecclesiae, ac villae, et castra, ac loca hujusmodi, quarum, et quorum nomina inferius describimus, vosque, et aliae personae, in illis nunc, et pro tempore degentes, a jurisdictione, dominio, superioritate, et visitatione Goritiensis, et Utinensis Archiepiscoporum pro tempore existentium, ejusque Vicariorum, et Officialium, ac utriusque Ecclesiae Capitulorum, prorsus et omnino, perpetuis futuris temporibus, exempta, immunia, ac libera, ac exemptae, immunes, et liberae, et sub Nostrae, ac Successorum Nostrorum Romanor. Pontificum pro tempore existentium et Sedis Apostolicae praedictae immediata protectione, et subjectione suscepta, et susceptae, ac vere et immediate subjecta, et subjectae sint, et esse censeantur, ac respective permaneant; harum serie perpetuo confirmamus et approbamus, illisque novum, et inviolabile Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Provideq; recenset, quae tali exempt. fruantur.

§. 8. Quae igitur sub praesentium literarum nostrarum dispositione comprehensa, ac praefatae exemptionis, susceptionis, et subjectionis munere decorata esse, et perpetuo censeri volumus, propriis duximus exprimenda vocabulis, et sunt quae sequuntur; videlicet a parte dominii in temporalibus Austriaci.

Loca in tempor. Austriaco Dominio Constitut.

I. Monasterium vestrum *Sanctae Mariae* nuncupatum prope muros Civitatis Aquilejensis extructum, *cum sua Ecclesia*.

II. Item Villa *Monasterii* nuncupata, et in hujusmodi Villae ambitu Ecclesia Parochialis sub titulo *Annuntiationis B. Mariae Virginis*.

III. Item Villa *Sancti Martini de Tertio* nuncupata, cum sua Ecclesia Parochiali sub titulo ejusdem *Sancti Martini*.

IV. Item Villa *Tertii* nuncupata; et in hujus Villae ambitu, Ecclesia *Sancti Blasii* filialis praedictae Ecclesiae Sancti Martini.

V. Villa *de Ronchis*, et in ejus tractu Ecclesia *Sancti Joseph* filialis ejusdem Ecclesiae Sancti Martini.

VI. Villa *de Maruzzis* nuncupata.

VII. Alia Villa *de Malborghetto* nuncupata.

VIII. Item Villa *de Cervignano* nuncupata, et in hujus Villae ambitu Ecclesia Parochialis sub titulo *Sancti Michaelis Archangeli;* nec non alia Ecclesia sub titulo *Sancti Hieronymi;* ac insuper *Oratorium publicum*; de Jure patronatus, ut asseritur, Familiae de Bressanis; non longe vero extra eamdem Villam, Ecclesia *Sancti Martini*.

Alia Veneto Dominio comprehensa.

A parte vero temporalis Dominii Veneti.

I. Aliud *Monasterium* vestrum prope Moenia Civitatis Forojuliensis, cum sua Ecclesia sub titulo *Sanctae Clarae*.

II. Villa de *Pradizzolo* nuncupata, et in ejus ambitu Ecclesia sub titulo *B. Mariae Virginis de Salute, et Sancti Osvaldi*, quae est filialis praefatae Ecclesiae Parochialis S. Michaelis Archangeli de Cervignano.

III. Villa *de Muscoli* nuncupata, et in ea

similiter Ecclesia Sacramentalis *Sancti Zenonis*, quae etiam filialis est ejusdem Parochialis Ecclesiae de Cervignano.

IV. Villa de *Preteolis* nuncupata et in ea Parochialis Ecclesia *Sancti Thomae Apostoli*; extra vero eamdem Villam Ecclesia *Sancti Andreae Apostoli*, filialis praefatae Parochialis Ecclesiae in dicta Villa existentis.

V. Villa de *Sacilleto* nuncupata cum suo Castro; et quidem in dicta Villa, Ecclesia Sacramentalis *Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli*, in Castro autem, Ecclesia *Sancti Antonii*; quae ambo filiales sunt praefatae Parochialis Ecclesiae Sancti Thomae de Preteolis.

VI. Villa de *Alturis* nuncupata, cum Ecclesia *Sancti Blasii* Episcopi et Martyris, filiali ejusdem Parochialis Ecclesiae de Preteolis.

VII. Villa de *Mortesinis* nuncupata.

VIII. Villa de *Chiasellis* nuncupata, et in ejus ambitu Ecclesia Parochialis *Sanctae Mariae Virginis*.

IX. Villa de *Zumpicchia* nuncupata; et in eadem Ecclesia Parochialis *Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli*.

X. Villa de *Piantanico* nuncupata, et in ejus ambitu Ecclesia Sacramentalis *Sancti Cantiani* Martyris: prope eam vero Ecclesia *Sancti Antonii Abbatis* in Campo; quae sunt filiales praedictae Parochiali Ecclesiae de Zumpicchia.

XI. Villa de *Begliano* nuncupata, et in ipsa Villa, Ecclesia Sacramentalis *Sancti Martini*, atque insuper alia Ecclesia *Sanctae Mariae Magdalenae* in Arce dirutà ejusdem Begliani, quae pariter filiales sunt praefatae Parochialis Ecclesiae de Zumpicchia.

mpt. vis delegati oritas dit. expli-

§. 9. Ne autem ob superius enunciatas rerum immutationes, controversiae et dissidia, seu ambiguitates, et dubia, tum super effectibus praefatae exemptionis, vobis, Monasterio vestro, dictisque locis, Ecclesiis, atque personis concessae, tum et potissimum circa usum jurisdictionis activae, quam dilectus filius modernus et pro tempore existens Noster, et Apostolicae Sedis Delegatus, qui nunc istic deputatus existit, et futuris quoque temporibus, ad formam praedictarum literarum, nostrarumque praesertim super suppressione dicti Patriarchatus Aquilejensis Anno Incarnationis Dominicae 1751. pridie nonas Julii, Pontificatus Nostri anno XI. editarum, quibus initium est: *Injuncta Nobis*, deputandus erit: in spiritualibus, et temporalibus juxta earumdem literarum suae deputationis continentiam et tenorem, receptamque consuetudinem, circa praemissa exercere debebit, in Ecclesiasticae pacis, et Canonicae disciplinae perturbationem, ac detrimentum, suboriri contingat; idcirco Nos infrascriptas declarationes, ordinationes, et regulas subjicere opportunum duximus; ad quarum formam, et terminos omnia redigi, et moderari volumus, ac earumdem praesentium tenore, dictaque scientia, et potestatis plenitudine praecipimus, et mandamus.

Delegatus Apostol. Synodalia Archiep. Decreta in respect. locis Monasterio subjectis servari jubeat.

§. 10. Primo videlicet, quod dictus Delegatus pro tempore existens, Synodales leges, ad Ecclesiasticam disciplinam tuendam, aut reparandam, a Goritiensi, et Utinensi Archiepiscopis editas, et pro tempore edendas, Clero saeculari Ecclesiarum, villarum, et locorum, a praedicto Monasterio vestro dependentium, servata circumpositarum Dioecesum distinctione, respective proponere, et ab eo observari facere debeat; sub poenis in hujusmodi Synodalibus legibus etiam respective adscriptis, quas ipse Delegatus a contrafacientibus districte exigere non omittat.

Casus eosdem sibi reservet.

§. 11. Secundo, quod in omnibus praefatis villis, et locis, jurisdictioni primodicti Monasterii vestri subjectis, idem Delegatus pro tempore existens eosdem casus, quos Archiepiscopi Goritiensis, et Utinensis in eorum respective Civitatibus, et Dioecesibus sibimetipsis pro tempore reservabunt, juxta praefatam locorum positionem, et personarum domicilium, sibi ipsi reservare; et Confessariis, ut infra, approbatis, facultatem ab ipsis absolvendi interdicere, iisdemque respective, etiam sub certis modo et forma sibi benevisis, tribuere possit et valeat.

Sacerd. a respectivo Archiepisc. ad curam animar. vel confessiones, quoad idoneitat. tantum approbat. usum jurisdictioni concedat.

§. 12. Tertio, quod approbatio Sacerdotum, tum qui animarum curam exercere, quam qui Sacramentales Christifidelium Confessiones in iisdem Ecclesiis, villis, et locis, excipere debebunt, quoad idoneitatem, ad alterutrum ex dictis Archiepiscopis juxta locorum positionem praemissam, spectet atque pertineat; qui tamen Archiepiscopi literas hujusmodi Sacerdotibus a se approbatis tradendas ita efforment, ut eorum tantummodo idoneitatem, ad munus, de quo agitur, in genere testatam faciant; reservata praedicto Delegato auctoritate conce-

dendi Sacerdotibus sic approbatis usum jurisdictionis in Foro Poenitentiali exercendae.

Concionatoribus opportun. facultat. indulgeat.

§. 13. Quarto, quod Concionatores in hujusmodi Ecclesiis, et locis praefatae jurisdictioni subjectis verbum Dei publice annunciaturi, ab hujusmodi Delegato Apostolico tantum licentiam petere, et obtinere teneantur.

Monial. Confessor. ii assum. qui idonei ad hoc munus fuerint ab Archiep. renunc.

§. 14. Quinto, quod nullus in Confessarium, sive Ordinarium, sive Extraordinarium, pro Monasterio vestro, et pro vobis, communiter, seu singulariter, eligi et deputari possit, nisi qui antea specialem approbationem circa idoneitatem ad excipiendas Monialium Confessiones, juxta formulam hactenus servari solitam, obtinuerit; et quidem ab eo Archiepiscopo, cujus Dioecesis ambitu continebitur Conventus vestri Communitas, quo tempore ad Confessarii hujusmodi electionem et deputationem devenietur. Verumtamen Confessarius sic electus, per integrum tempus deputationis suae, susceptum munus libere prosequi, et Confessiones vestras, aliarumque personarum in Monasterio vestro cum debitis licentiis pro tempore degentium, audire poterit, etiamsi interea praefata Communitas vestra ad aliud Monasterium se transferat, alterius Archiepiscopalis Dioecesis ambitu circumclusum, absque eo quod novam ab altero Archiepiscopo Dioecesis hujusmodi approbationem obtinere teneatur.

Elapso quod Confessar. suae approbat. tempore, iterum se sistere Archiep. respective debeant

§. 15. Sexto, quod Confessarii ad Sacramentales Fidelium Confessiones excipiendas in praefatis Ecclesiis a Monasterio vestro dependentibus assumpti et deputati, elapso tempore in eorum respective approbationibus enunciata, iterum se sistere debeant eidem Archiepiscopo seu illius Successori, a quo primum approbati fuerunt; reservata semper Delegato Apostolico facultate concedendi Confessariis ipsis sic iterato approbatis exercitium jurisdictionis in Foro Poenitentiali.

Idem delegatus Parochos, et Vicarios Curatos in possessionem inducat.

§. 16. Septimo, quod novi Parochi, et Vicarii Curati ad Animarum curam in praefatis Ecclesiis exercendam constituendi seu deputandi, in eorum Officii exercitium ab eodem Delegato Apostolico, Nostra, et Apostolicae Sedis auctoritate, immittantur.

Oeconom. vacantibus Ecclesiis curatis, ab Abbatissa eligantur, a Delegat. jurisd. exercit. tradatur.

§. 17. Octavo similiter, quoties hujusmodi Parochiales Ecclesias, seu Officia Curata vacare contigerit, Presbyteris Oeconomis per abbatissimam pro tempore existentem electis, ut hactenus in more positum fuit, usus et exercitium jurisdictionis, durante vacatione hujusmodi exercendae a praefato Delegato Apostolico, eadem auctoritate, tradatur.

Jus visitandi Monasteria, adnexaeq; Ecclesias privative Delegato reservat.

§. 18. Nono, quod idem Delegatus pro tempore existens, solus, et privative quoad unum, et alterum Archiepiscopos praefatos, visitare possit, et debeat, tam primo, et secundo dictum Monasterium vestrum, etiam quoad Clausuram, servatis tamen quoad modum et tempus visitationis hujusmodi, et quoad numerum personarum in visitationibus assumendarum, Apostolicis Decretis, atque Constitutionibus: quam omnes praefatas Ecclesias, Oratoria, et Pia loca a praedicto Monasterio vestro dependentia, prout hactenus visitare consuevit, ac visitatione hujusmodi completa, praemissorum omnium status relationem, singulis triennis, ad Sedem Apostolicam transmittere teneatur, ad formam Constitutionis Nostrae incipientis *Quod Sancta*, datae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1740. Nono Kal. Decembris, Pontificatus Nostri Anno I.

Ejusdem Delegati jurisdict. in cognoscendis causis civilibus et criminal.

§. 19. Decimo, quod Delegatus ipse causas omnes civiles, et criminales, et mixtas Cleri, et Populi dictarum villarum, castrorum, atque locorum ad ejusdem Monasterii vestri forum, et jurisdictionem spectantes cognoscere, decidere, et terminare, atque in iisdem, prout juris fuerit, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam procedere; et contra delinquentes, ad formam sacrorum Canonum, et Constitutionum Apostolicarum, dictorumque Synodalium statutorum respective procedere, eosque pro modo culpae punire, mulctare, et emendare possit, ac debeat.

Dimissor. tamen Delegatus non concedat.

§. 20. Undecimo, nullatenus tamen ipsi Delegato liceat Dimissoriales Literas concedere personis hujusmodi Monasterii vestri jurisdictioni quocumque titulo subjectis, pro suscipiendis Ordinibus, sive Majoribus, sive Minoribus, vel ut Clericali Militiae adscribantur.

Ad Pont. in locis Monast. subjectis peragenda quis advocand.

§. 21. Duodecimo, quod pertinet ad Pontificalia peragenda in Ecclesiis tam uni, quam alteri Monasterio vestro adnexis, aliisque superius enunciatis, nec vobis, nec ipsi Delegato liceat quemcumque Antistitem ad id pro libito accire, sed illum dumtaxat ex duobus Archiepiscopis praefatis invitare teneamini, cujus Dioecesis finibus respective conclusa reperitur Ecclesia, in qua Pontificales Functiones habendae erunt; Quod si Archiepiscopus requisi-

tus, hujusmodi Functiones et Munia Pontificalia peragere recusaverit, sive nequiverit, tunc liceat vobis, et Delegato praedicto, quemcumque alium Catholicum Antistitem, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem, in eum finem advocare. Salva semper Nostra, et Apostolicae Sedis auctoritate, si quando, vel in hoc, vel in aliis quibuslibet ex praemissis rerum capitibus in peculiaribus casibus, specialiter indulgendum censuerimus, seu Successores Nostri Romani Pontifices indulgere opportunum duxerint. Et firmis integrisque manentibus favore utriusque praefati Archiepiscopi, Goritiensis videlicet, et Utinensis nunc, et pro tempore existentium omnibus et singulis juribus, tam quae ad Ordinem, quam quae ad Jurisdictionem pertinent, etiam circa praemissa loca, Ecclesias, res, et personas, in iis tamen, de quibus in ipsis Literis super deputatione saepedicti Delegati Apostolici confectis, ac deinceps super similibus deputationibus Successorum ejus, juxta consuetam formulam, sed salva praesentium Nostrarum dispositione conficiendis, nihil expresse cautum reperiatur; seu de quibus Nos per easdem praesentes, nihil decrevimus, statuimus, et declaravimus.

§. 22. Denique easdem praesentes Literas, et in eis contenta, etiam ex eo quod aliqui in praemissis, vel eorum quopiam interesse habentes; aut habere praetendentes, ad hoc vocati, vel auditi non fuerint, aut ex quibusvis causis de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quocumque alio defectu notari, vel impugnari, aut alias infringi, vel quomodolibet retractari, suspendi, limitari, vel eis in aliquo derogari, nullatenus umquam posse; easque sub quibusvis contrariis Constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine, aut alia, et quibusvis de causis, etiam pro tempore factis, minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, ac de novo concessas, semperque et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit, quomodolibet in futurum, perpetuo, et inviolabiliter observari, ac primodicto Monasterio, vobisque, ac futuris pro tempore existentibus Abbatissae, et Monialibus ipsius Monasterii, aliisque personis, Ecclesiis, et locis praedictis, quorum favorem eaedem praesentes quomodolibet concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere: sicque in praemissis ab omnibus censeri, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, et ignoranter contigerit attentari, irritum quoque et inane decernimus.

Amplissima contrariorum derogat.

§. 23. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de Jure quaesito non tollendo: ac quibusvis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, ac etiam praemissis literis Praedecessorum eorumdem in iis, quae praesentibus adversantur: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, etiam Metropolitanis, personis, et locis, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros praedictos, vel alios quoscumque, et quacumque dignitate, et auctoritate fulgentes, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes; illis alias in suo roboro permasuris, ad effectum validitatis et perpetuae firmitatis praemissorum omnium et singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus; contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, declarationum, ordinationum, derogationum, decretorum, et statutorum infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipo-

tentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. 30. Julii 1756. Pont. 16.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto, tertio Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri anno XVI.

J. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LXII. REFRACTARIIS

Constitutioni *Unigenitus* an, et quando SS. Corporis Christi Viaticum denegari debeat, Encyclica hac Epistola definitur.

Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Archiepiscopis, et Episcopis Regni Galliarum, in novissimis comitiis Cleri Gallicani congregatis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pont. cura et sollicitudo de turbata in Galliis Eccl. tranquillitate restituenda.

Ex omnibus Christiani Orbis regionibus, ad quas imposita imbecillitati Nostrae pastoralis cura protenditur, quum multa saepe ad nos deferantur, quae animum Nostrum pro omnium singularumque Ecclesiarum statu sollicitum et anxium habeant, vix tamen aliunde nobis majores perturbationis, atque doloris causae acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum et dissensionum incommodis, quibus florentissimum istud Regnum, et Catholicam Gallorum nationem aliquot abhinc annis jactari cognovimus. Neque sane destitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum optimum maximum enixe rogare, ac interpositis etiam aliorum precibus, orare atque obsecrare, ut ipse, qui Deus pacis est, veram solidamque tranquillitatem turbatis Ecclesiis vestris reddere dignaretur. Saepe etiam, datis ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Galliarum Regem Christianissimum Apostolicis literis, illius opem et brachium ad Ecclesiasticae pacis tutelam atque praesidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos et ad Sedem Apostolicam de rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus Nos promptos paratosque declaravimus, pro pace Ecclesiae Gallicanae, quam sincera et constanti dilectione prosequimur, quidquid Nobis vitae superesse posset, libenter impendere; atque omnia, quae Nobis agenda proponerentur, et aggredi et urgere, dummodo ejusmodi consilia essent, quae ad revellendum malorum germen apta et idonea dignoscerentur, et quorum executio cum spe prosperi eventus suscipienda, et ad intentum finem utiliter processura videretur.

Pluribus nominib. Gallicani Cleri virtus commendat.

§. 2. Gravem atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hactenus affecti fuimus, non parum sublevarunt literae e Gallicani Cleri Comitiis die 31. Octobris elapsi anni ad Nos scriptae; quas quidem legentes, vestram, Venerabiles Fratres, firmitatem atque constantiam, vestram perspeximus perfectam consensionem in custodiendo verae sanaeque doctrinae deposito, et in retinenda, quam semper majores vestri professi sunt, erga Apostolicam Beati Petri Sedem, Catholicae Unitatis centrum, observantia et veneratione. Neque enim ullam inter vos dissensionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas et principia; sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque mediis, quibus utendum necessario est, ut eadem communia principia in usum deducantur. Quod quamvis optandum fuisset longe abesse a Conventu vestro, haud tamen mirum videri debet, scientibus, id alias inter sacros Antistites, et doctrina et morum sanctitate conspicuos, in gravissimarum rerum tractatione evenisse. In magnum autem praeconceptae consolationis nostrae accessionem sese obtulit eximia Christianissimi Regis pietas et religio, cum haereditario ipsius in hanc Apostolicam Sedem obsequio conjuncta, quae non in recentioribus tantummodo illius literis, quas die 19. Decembris ejusdem elapsi anni, praedictam Cleri epistolam huc mittens, ad nos dedit, sed in caeteris quoque omnibus ab eo conscriptis, praeclare enituit; in quibus testari possumus atque debemus,

Nos semper illius Regii animi sensus eos plane deprehendisse, qui maxime decebant Orthodoxum Principem, et vera in Deum religione, et sincera erga Romanam Sedem pietate praeditum, eumdemque pacis atque concordiae in suis regnis restituendae et conservandae amantissimum.

blicis et ... re- riis Con- ...onis ...ENITUS ...iaticum denega-

§. 3. Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicae Constitutionis, quae incipit *Unigenitus*, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium, et obedientiam ubique vindicat, ut nemo Fidelium possit, absque salutis aeternae discrimine, a debita erga ipsam subjectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quae exorta est, controversia, utrum hujusmodi refractariis sanctissimum Corporis Christi Viaticum expetentibus denegari debeat, sine ulla haesitatione respondendum sit, quoties praedictae Constitutioni publice et notorie refractarii sint, denegandum eis esse; ex generali nimirum regula, quae vetat publicum atque notorium peccatorem ad Eucharisticae Communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat.

...blici et ...ii refra- qui.

§. 4. Publici autem atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam a Judice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam praedictae Constitutioni *Unigenitus* venerationem, obsequium, et obedientiam contumaciter denegaverint; quicumque etiam hujusmodi contumaciae reos se in judicio confessi sunt; ac praeterea illi, qui quamvis nec a Judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus Constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur, vel in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio, et obedientiae eidem Constitutioni debitae, in eoque facto moraliter perseverare; quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit; in his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus Judex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit moralis certitudo praedictae similis et aequipollens.

...plex no- species, ...que de- ...tratio.

§. 5. In quo tamen prae oculis habenda est differentia quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii aut concubinarii; et aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud in gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus certioribusque argumentis probari oportebit.

Certitudo ex quibus non satis idonea habeatur.

§. 6. Ea vere, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, praesumptionibus, incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui praejudicatis opinionibus, vel partium studiis ducuntur; quibus dum fides habetur, satis compertum est, tum praeteritorum temporum, tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli, ac in transversum agi contingat.

Quorumdam anxietas in dubiis casibus.

§. 7. Quia vero nonnulli animarum Pastores, Ecclesiaeque Ministri, pietate et zelo commendati, hujusmodi conjecturis et praesumptionibus deferentes; dum ad sacrum Viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo anxii haerent, verentes ne id sine propriae conscientiae periculo administrare non possint; certam subnectimus agendi regulam, quam sequantur.

Praescribitur methodus, cui Sacramentor. minister tuto adhaerere possit.

§. 8. Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum ante ad sacram mensam accederet, Paschali praesertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio administrata fuerit: si enim haec illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitae publice postulanti denegari non posse; nisi forte, postquam olim ad Eucharisticam mensam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema Sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam, juxta praemissa, contraxerit.

§. 9. Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validae adversus aegro-

torum praesumptiones, et indicia gravia et urgentia militent, ob quae obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, aegrotantem alloqui, eique cum omni lenitate et mansuetudine, non tanquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quae et qualia sint indicia, quae suspectum reddunt ipsius vitae tenorem; rogantes eum et obsecrantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeterna ipsius salutis sors pendet; eidemque praeterea demonstrantes, quod, quamvis ipsi parati sint sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo judicium sibi manducavit et bibit; caeterum se non alia de causa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae jubenti obtemperent, quae praeter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, aegroti ipsius infamiam praecavere studet, et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum, licet peccatorum in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio Tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscit.

Hortatio ad Praesules, ut traditam regulam sectentur, aliisque proponant servandam.

§. 10. Hanc itaque judicandi agendique normam oportet vos, Venerabiles Fratres, utpote Nostro et Apostolicae Sedis judicio probatam, inferioribus animarum Pastoribus, caeterisque Presbyteris per Civitates et Dioeceses vestras Sacramenta legitime administrantibus, sequendam et observandam proponere. Quod quidem judicium super vigentibus controversiis a Nobis interpositum, et Ecclesiasticis regulis nititur, et Conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus habitorum decretis, et gravium ipsius Nationis vestrae Theologorum sententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illustrium praedecessorum vestrorum exempla sequendo, promotas istic controversias subortaque dubia ad Nos et Apostolicam Sedem deferre, certamque hinc regulam, ad revocandam tuendamque Ecclesiarum vestrarum pacem, exposcere; ita nunc officii vestri partes, vestraque simul apud Deum et Ecclesiam merita cumulabitis, si suprascriptam agendi methodum, ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino servari curabitis. Quod Nos a Fraternitatibus vestris eo fidentius expectamus, Nobisque pollicemur, quo magis Nobis ipsi conscii sumus, nihil diligentiae aut studii a Nobis praetermissum fuisse, sive in perpendendis ac discutiendis articulis, quos Episcopi in praefatis Cleri Comitiis adunati, licet non unanimi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notionibus ad rem penitus percipiendam, rectoque judicio definiendam opportunis; sive in legendis ponderandisque sententiis scripto exaratis a Venerabilibus Fratribus nostris hujus S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisivimus; sive in caeteris omnibus exequendis atque praestandis, per quae Divini luminis adjutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non praetermisimus, Nobis promereri possemus.

Ad id praestandum futura sponderetur religio, validumque praesid. Christianissimi Regis, Ecclesiastica jura vindicaturi.

§. 11. Neque vero dubitamus, quin Carissimus quoque in Christo Filius noster Rex Christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad nos datis literis fovere, et adjuvare non recusavit; pro sua perspecta in Deum et Ecclesiam religione ac pietate, validam Fraternitatibus vestris opem praebere studeat, quo tam vobis, quam inferioribus Ecclesiae ministris, liberum et integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum Misteriorum administrationem moderari. Qua quidem fiducia freti, nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis Fratrum vestrorum articulis respicientibus Episcopalia jura circa eorumdem Sacramentorum participationem concedendam, vel denegandam, et varias super hac re obortas controversias; sed potius cum ipso Christianissimo Rege per alias literas nostras agendum duximus, ut is sacra Episcopatus jura, sua animi magnitudine ac praestanti virtute tueatur. Quod ipsum, et proprio, et majorum suorum more, facturum certo confidimus: ut nobilissimae Galliarum Ecclesiae, illius regio favore nostris vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse, et perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse laetentur. In cujus optatissimi eventus auspicium, Fraternitatibus vestris, cunctisque populis Pastorali curae vestrae concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die decima sexta Octobris MDCCLVI. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

Dat. 16. Oct. 1756. Pont. 17.

DE JURE METROPOLITICO

Archiepiscopalis Ecclesiae Moguntinae in novam Dioecesim Fuldensem; ejusque Clerum et Populum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Saluberrimum Apostolicae providentiae benignitatisque institutum a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus sapientissime initum servatumque, ut iis, quidem, quibus potuissent, titulis et honoribus insignes Eccl. magis magisque ad Nominis Divini cultum, et Christifidelium utilitatem adaugerent, sed pari nihilominus circumspectione ac diligentia Hierarchicum Ecclesiae Catholicae ordinem in hisce ipsis honorum largitionibus inviolatum atque intactum decretis ac rescriptis suis custodirent, a suscepti Pontificatus Nostri exordio ita, quoad Nobis integrum fuit, tenere et sequi studuimus, ut nullas hac in re Apostolicae Nostrae vigilantiae partes ubique gentium desiderari passi fuerimus. Quamobrem cum insignis et antiquissima Abbatia Fuldensis, quae intra fines Provinciae Moguntinae sita esse non ambigitur, multis nominibus clara, maxime vero propter Privilegia, quibus per Romanos Pontifices, atque ipsos etiam Seculares Principes locupletata fuit, in Germania plurimi fieret, magnoque in honore haberetur; non immerito Nos, ad majus Catholicae Fidei praesidium atque ornamentum, Abbatiam ipsam in Episcopatum ereximus, ejusque Abbatem pro tempore existentem in Episcopum et Abbatem insimul constituimus, quemadmodum ex aliis Nostris sub Plumbo expeditis literis, quorum tenorem, quatenus opus sit, hisce praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus uberius continetur.

§. 1. Cum autem post Episcopatus hujusmodi erectionem, atque Episcopi ordinationem, quaedam eruperit controversia super auctoritate, quae Archiepiscopo Moguntino in dicta nova Episcopali Dioecesi Metropolitico jure competere deberet; ut ea quamcitius, et absque ullo judiciali strepitu absolveretur, controversiam ipsam ad Nos avocavimus, reque tota per Nos ipsos diligenter considerata, itemque in consilium adscitis peritissimis in jure Canonico viris Nostrae Romanae Rotae Auditoribus, quemadmodum eximia Moguntinae Sedis dignitas, non inter Germanos tantum, sed universo Christiano Orbi perspecta exoscere videbatur, laetati admodum sumus, quod eorum suffragia tum oretenus, tum etiam scripto exposita, et in manibus Nostris relicta, cum concepta jamprius in mente Nostra sententia prorsus convenirent. Quapropter uniformi praedictorum Auditorum sensui inhaerentes, ea ipsa die, videlicet decima Augusti superioris anni MDCCLV. decrevimus ac declaravimus, praedictas Nostras literas super erectione Abbatiae Fuldensis in Episcopatum atque alias praecedentes itidem Nostras super approbatione et confirmatione cujusdam concordiae inter Episc. Herbipolensem et Abbatem Fuldensem peractae, ita semper accipiendas esse, interpretandas, atque intelligendas, ut per eas nihil omnino detractum, aut imminutum censeatur de auctoritate et jure Metropolitico, quod in tota Provincia, atque adeo etiam in novo Episcop. Fuldensi, et universa ejus Dioecesi, Moguntino Archiepiscopo competit, juxta praescriptum Sacrorum Canonum, et Sacri Concilii Tridentini; salva tamen ex alia parte, atque illaesa manente exemptione passiva, atque immediata subjectione huic Sanctae Sedi Apostolicae, quibus hactenus juxta formam suorum privilegiorum gavisi sunt; et gaudere debent Monachi omnes, et Monasterium Fuldense, cum sua Abbatiali Ecclesia, quae nuper in Cathedralem erecta est, aliisque Ecclesiis, quae secundum praesentem statum eidem Monasterio pleno jure incorporatae et subjectae reperiantur; ita tamen ut Populus et Clerus Secularis ab ejusmodi Ecclesiis quomodolibet dependens, propter hoc a jure Metropolitico praedicto nequaquam exemptus censeatur.

Metrop. jus Eccl. Moguntin. in novam Dioeces. Fuldens. ejusque Clerum et Populum asseritur.

Nihil detractum vult exemptioni Abb. Episc. Ecclesiae, Monast. eidemque adnexar. Eccl.

§. 2. Quo itaque firmius Decretum hoc Nostrum subsistat, et conservetur exactius, Decretum ipsum tenore praesentium Apostolica auctoritate confirmamus, atque inviolabili Apostolicae firmitatis robore communimus.

§. 3. Decernentes idem Decretum, et praesentes Nostras literas, semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari debere, sicque, et non aliter in

Clausulae et Decr. ad praemissorum firmitat.

praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque preaeminentia et potestate fungentes et functuros, judicari, et definiri debere; ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat. contrar.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, et quibuscumque aliis, in contrarium praemissorum, etiam a Nobis, quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides sumpt.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. 15. Sep. 1756. Pont. 17.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Septembr. MDCCLVI. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

LXIV. CONSECRATIO

Electi in Episcopum, qui fuerat a Pontifice Ordinatus Presbyter, an ab ipso Pontifice, vel ex speciali ejus delegatione, sit peragenda.

Dilecto Filio Carolo electo Episcopo Justinopolitano.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Provisionis Consistorialis quinam sit effectus.

In postremo secreto Consistorio per Nos habito die 20. proxime superioris mensis septembris, emeritam virtutem tuam prae oculis habentes, te in Justinopolitanum Episcopum proposuimus; cumque de eo Episcopatu provisum tibi fuerit, praemissis antea omnibus, quae a Sacro Tridentino Concilio *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* et Constitutionibus Apostolicis praescribuntur, electus ipse merito dici potes, ac confirmatus; communis quippe Doctorum sententia est, provisionem in Consistorio factam, habere vim electionis insimul et confirmationis. Ita post Glossam *in Cap. verb. Provisionem, de elect. in* 6. docent Ripa *in Cap. Eam te, num.* 11. *de Rescript.* Fagnanus *in cap. Nullus n.* 9. *et in Cap. Nihil, n.* 29. *de elect.* Barbosa *Jur. Eccles. Univ. lib.* 1. *c.* 9. *num.* 14. et a Nobis quoque advertitur in Nostro Tractatu de Synodo Dioecesana novissimae editionis *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 3.

Episc. Consecr. suscipiendae terminus.

§. 2. Quod itaque tibi adhuc reliquum ipsa Consecratio est, quae, juxta regulas a Sacro Tridentino Concilio praescriptas *Sess.* 23. *Cap.* 2. *de Ref.* intra trimestre, a die confirmationis tuae supputandum, est a te suscipienda: cumque in collatis nobiscum sermonibus asseruerit, ostenderisque, Sacros Diaconatus et Presbyteratus Ordines fuisse tibi a Praedecessore Nostro, nobisque munifico Benedicto XIII. collatos, Diaconatum quidem die 30. Septembris 1758. in Sacello S. Pii in Palatio Apostolico Vaticano, Presbyteratum autem 11. Junii 1729. intra Vaticanam Basilicam; effecit id, ut in examen disputationemque veniret, num successiva in Episcopum Consecratio a Nobis, praeterea nemine, vel certe quidem ab alio ex Nostra ad id sibi delegata auctoritate, confici debeat.

Subor quaestionur Ord. Presby ter a Pont tantum pos sit consecra Episcopus.

Indefinita ir terpretatio textus de O dinatis a Pi pa ad supe riores Ord nes non pro movendis infer.

§. 3. Celebris est Textus Innocentii III. Pontificis in *Cap. Cum in distribuendis, de temporibus Ordinationum,* quo Mutinensi Episcopo rescribit, quandoquidem commendatus ab ipso Clericus, Romae Subdiaconatum susceperat, indulgere se Bononiensi Episcopo, (tunc temporis Gerardo Ariosti, uti videre est apud Sigonium *lib.* 1. *de Episcopis Bononiensibus, in Vita ejusdem*) facultatem ipsum promovendi ad Ordinem Diaconatus: estque hic praecipuus Textus, cui universa Canonistarum schola innixa docet, ordinatum a Papa, non posse ad superiores Ordines promoveri praeterquam a Papa, vel ab alio, cui id muneris ipse delegarit. *Ordinatus a Papa, sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur:* sunt haec concepta verba epitomes textus. A colligendis hic veterum Canonistarum dictis in praecitatam Decretalem temperabimus, cum unicuique in eorum operibus evolvendis parumper versato perspectum sit, plerumque alterius dicta

ab altero transcribi. Unius tantummodo, alteriusque ex recentionibus verba afferemus. Altaserra est alter, in Commentariis ad citatum *Cap. Cum in distribuendo*, ubi haec adnotat: *Semel ordinatus a Summo Pontifice non potest recipere superiores Ordines ab alio Antistite, sine mandato ipsius Pontificis.* Alter est Layman *in eumdem textum*, ubi ita scribit: *Est autem hoc speciale in Pontifice, et videtur accipiendum de omnibus Ordinibus, etiam prima Tonsura, ut qui eam a Pontifice accepit, ab alio Episcopo sine licentia Papali ordinari non possit.*

is firmo incitur.

§. 4. Pater Christianus Lupus *part. 4. in Canones Synodorum Generalium et Provincialium editionis Bruxellensis pag.* 488., accuratius, de more, animadvertit, textum *in Cap. Cum in distribuendis de temporib. Ordinationis*, quum scriptus appareat de Clerico Romanae Ecclesiae obsequiis addicto, uti ex his verbis colligitur: *Ecclesiae Romanae Subdiaconus erat;* sibi quidem vindicare posse locum quoad eos, qui in eorum Ordinatione fuerant alicui Urbis Ecclesiae adscripti; propterea quod prohiberentur ii, deserto illius servitio, ad aliam transire Ecclesiam: accepturi ab ejusdem Episcopo superiores Ordines, quibus a Romano Pontifice non fuerant in Urbe initiati. *Quisquis semel in hac Ecclesia* (de Romana Ecclesia loquitur S. Gregorius) *Ordinem Sacrum acceperit, egrediendi de eo licentia ulterius non habet*, ita plane *in Epist.* 38. *l.* 5. *indict.* 13. *pag.* 673. *tom.* 2. Maurinae editionis. Verum eumdem ait neque posse protendi, neque debere, ad alios, qui Romam adventantes, pio quodam studio Subdiaconatum vel Diaconatum sibi conferri obtinebant a Pontifice, nec tamen a Pontifice servitio alicujus Ecclesiae Urbis adscribebantur, sed postquam fuerant sacro Ordine insigniti, ad proprias abscedebant Dioeceses, servitio alicujus Ecclesiae per suos Episcopos addicti; permodeste innuens idem Pater Lupus, quam necesse sit, aliis collectis monumentis demonstrare, initiatos *honoris causa* in Urbe per Pontificem aliquo Sacro Ordine, subindeque ad proprias regiones reversos, nequivisse ad superiores Ordines, praeter quam a Romano Pontifice, vel ab alio ad id per ipsum delegato promoveri. *Voces* (inquit Pater Christianus Lupus) *Erat Romanae Ecclesiae Subdiaconus*, evincunt, *illum fuisse Romano Cardinali adscriptum*, etsi textus epigraphe latiorem ipsis sensum attribuat. *Verum Capituli epigraphe facit sensum ampliorem: Ordinatus a Papa, sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur:* pergit idem Lupus.

§. 5. Non innuit Lupus monumenta, quibus evincitur, ipsos quoque ordinatos a Papa *honoris causa*, nulliusque Ecclesiae servitio in Urbe addictos, nequivisse superiores Ordines, nisi ab uno Papa suscipere, vel ab alio Episcopo Pontificia ad id delegatione instructo; etsi profiteatur se sequi opinionem asserentem, Ordinatum a Pontifice honoris causa, ab eodem tantummodo, vel ab alio ex praeobtenta Pontificis facultate, posse ad reliquos Ordines promoveri. Verum curabimus ipsi opportuna quæque ad rem hanc investigare, traditasque ab aliis rationes ad eam firmandam colligere.

Aliunde tamen comprob. potest assertio.

§. 6. In Dictato S. Gregorii VII. duo extant Canones, quorum alter est decimusquartus hisce verbis constans: *Quod Papa de omni Ecclesia, quacumque voluerit, Clericum valeat ordinare;* decimus quintus est alter, qui haec habet: *Quod a Papa ordinatus, alii Ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.* Horum textuum primus generalis est, afficitque non minus Ordinationes Clericorum ex alienis Dioecesibus fieri solitas per Pontifices, ut illorum ministerio in Urbe uterentur, quam caeterorum etiam inaugurationes, qui *honoris causa* ordinati, subinde in proprias regiones discedebant. Alter vero de iis tantum loquitur, qui in Urbe ordinati per Pontificem, Romanae Ecclesiae adscribebantur: et quamvis propositum ibi interdictum recipiendi superiores Ordines ab alio Episcopo, videatur ad eos cohibitum, de quibus est sermo in canone; ipsi tamen addemus, Nos primum allatorum Canonum protulisse, ad innuendam tantummodo auctoritatem Romani Pontificis initiandi Ordinibus caeterorum Episcoporum subditos, non solum ut eorum ministerio et opera in Urbe utatur, sed etiam ad id solum, ut eos hujusmodi decoret honore, integra ipsis praeservata libertate ad suas redeundi Dioeceses, haud tamen seposito consilio derivandi subinde ex aliis fontibus Jus Pontificium, ne qui ab ipso Pontifice etiam honoris causa ordinatus fuerit, valeat a quorumque, praeter quam ab eo, vel ab alio ex ejusdem delegatione, superioribus Ordinibus inaugurari.

Praenotiones quaedam in elucidationem adstruendae doctr.

§. 7. Duodecimo vertente seculo, Mediolanensi praeerat Ecclesiae Archiepiscopus Phi-

Solidius praeadductae doctr. fundam.

lippus Lampugnanus; cumque Mediolani plures existerent Clerici per Pontificem in Urbe ordinati, quos propterea nequibat ipse, non praeobtenta a Pontifice facultate, ad superiores Ordines promovere, licet eorum opera indigeret Ecclesia, Innocentium III. Pontificem consuluit, quomodo se gerere ea in re deberet. Epistolae summa in Pontificio responsio affertur: *Sicuti ex tenore tuarum literarum accepimus, Mediolanensis Ecclesia tam in capite, quam in membris, occasione Clericorum illorum, qui ab ipso Romano Pontifice Ordinem receperunt, adeo est ministrorum solatio destituta, ut paucos Clericos in eadem Ecclesia valeas invenire, quos ad Diaconatus, et presbyteratus possis officium promovere.* Pergit Pontifex referens, petiisse Episcopum facultatem ordinandi praefatos, concluditque, se eamdem ipsi indulgere, modo ii, quos promovere constituit, idonei sint, seque promoveri consentiant: *Verum quia Fraternitas tua suppliciter a Nobis expetiit, ut ipsius Ecclesiae necessitatem sollicitudine paterna pensantes, tibi deberemus licentiam indulgere, manus posse illis Ordinationis imponere, super hoc tuae Fraternitati taliter duximus respondendum, quod, ipsius Ecclesiae necessitate pensata, si aliqui fuerint de supradictis Clericis, qui ad hoc videantur idonei, et spontanea voluntate per tuum ministerium voluerint ad Sacros Ordines promoveri, eos auctoritate Nostra tibi liceat ordinare.* Innuens Innocentius, illis verbis, *spontanea voluntate*, privilegium, quo fruuntur Ordinati a Pontifice, ne inviti superiores Ordines suscipere adigantur; quo de privilegio late disserit Hallier *de Sacris Ordinationibus part.* 2. *sect.* 5. *cap.* 3. *art.* 9. §. 1. *in fine*, meminitque etiam Glossa *in Cap. Cum in distribuendis, in verb. indultum, de temporibus Ordinat.* ubi loquens de privilegiis competentibus Ordinato per Pontificem, inter caetera hoc quoque recenset; *non potest cogi ab Episcopo recipere Ordines;* superiores nimirum, qui sibi non fuerant a Pontifice collati.

Alterum privileg. Ordinati a Papa, ut invitus non cogatur ad superiorem Ordinem ascendere.

§. 8. Clerici, quos commemorat Epistola Mediolani degebant, fuerantque Romae a Pontifice ordinati; fuerant ergo ordinati *honoris causa*, nullique Urbis Ecclesiae addicti. Et si hi nec ad superiores Ordines conscendere, nec eosdem poterant suscipere a Mediolanensi Archiepiscopo sine licentia Pontificis, e quo fuerant minoribus Ordinibus initiati; cum Nobis plane casum Ordinatorum *honoris causa* a Summo Pontifice, qui ab uno Summo Pontifice, vel alio ex Pontificia facultate, poterant superiores Ordines recipere. Innocentii Epistola est *num.* 22. *lib.* 1. *tom.* 1. Balutianae editionis, estque etiam impressa in praeclaro Opere posthumo *De Archiepiscopis Mediolanensibus* Sassii *tom.* 2. *pag.* 264. et licet in Collectionem Decretalium Gregorii IX., qua utimur in scholis, et foro, non sit relata, haud tamen propterea vim auctoritatemque amittit Canonicae legis: uti colligitur *ex Can. Romanorum id dist.* 19. latiusque prosequuntur Cardinalis Turrecremata *in Summa, de Ecclesia lib.* 2. *cap.* 108. Fagnanus *in Cap. Statuimus num.* 42. *de supplenda negligentia Praelatorum*, Cardinalis de Aguirre *in Defensione Cathedrae S. Petri tractat.* 2. *disputat.* 30. *sect.* 3. Neque enim Jurisprudentia Canonica circumscribitur praefata Decretalium compilatione, sed complectitur quoque Epistolas Summorum Pontificum in ea non comprehensas, aliasque plures Constitutiones Pontificias in eamdem non relatas, totque praeterea fontes, apprime perspectos omnibus, qui Canonicam facultatem, qua decet diligentia, pertractant.

Jus Can. ex quibus colligatur.

Superius adducti textus sanctione praesentem plane casum definiri demonst.

§. 9. Praeter Patrem Lupum iterato superius memoratum, in eam sententiam, quod ordinatus a Papa *honoris causa* non possit superiores Ordines suscipere, praeter quam a Papa, vel ab illo Ep. de ejusdem licentia, consentiunt Hallier. *praecit. loco*, et Gonzalez *in Cap. Cum. in distribuendis n.* 2. *temp. Ordinat.*, et reliqui passim. Et quamvis se referant tantummodo ad praecit. textum *Cum in distribuendis*, nihilque meminerint de Epist. 22. Pontificis Innocentii III. non tamen omittunt aliquid afferre, quod propositam sententiam firmare valeat; nimirum, juxta generalia praecepta, non licere Inferiori manus apponere iis, quae fuere Superioris manibus subjecta. Addunt praeterea, si quo die Episcopus Sacrificium obtulit ad certum Altare, non permittitur simplex Sacerdos ad illud, eodem die, sine ipsius Episcopi licentia, celebrare, uti noscitur *ex Can. ult. de Consecrat. dist.* 2. multo potiori jure abjudicandam Episcopo facultatem sacram peragendi Ordinationem supra Altare vivum, in quo Romanus Pontifex Ordinis Sacramentum contulit, expressa ab eo non praeobtenta licentia. Scimus inter Auctores reperiri nonneminem, qui praefatum Episcopale privilegium non agnoscit, asserens vel illud nunquam

Auctorit. ratione, exemplisque confirmatur allata sententia.

Ad quod Altare celebravit Episcopo nequit eodem die celebrare simplex Sacerdos sine ejus licentia.

obtinuisse, vel contraria consuetudine fuisse sublatum, uti videre est apud Pasqualigum *de Sacrificio novae legis t.* 2. *quaest.* 1236. Verum seposito, quod hi communi adversantur sententiae, et in bene constitutis Dioecesibus, Episcopale privilegium religiose custoditur, ut omni Nos impedimento explicemus, ne latum quidem unguem a proposita comparatione recedentes, dicimus, super Pontificia Altaria intra Patriarchales Urbis Basilicas existentia, non posse quemquam celebrare Missam, nisi id ipsi fuerit a Romano Pontifice per Apostolicum Breve indultum; uti noscitur ex libro *Sacrarum Caeremoniarum* attributo Christophoro Marcello *lib.* 3. *sect.* 1. *cap.* 11. et uti etiam accurate animadvertitur a praedefuncto Sacellano Nostro Dominico Georgio, *in sua Liturgia Romani Pontificis tom.* 2. *dissert.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. et per Nos quoque in ea, quam habuimus, allocutione, cum Ara major Liberianae Basilicae fuit consecrata, quae allocutio impressa legitur *in appendice ad tom.* 3. *Bullarii Nostri, estque numero* 3. §. 3. Neque id tantum obtinet quoad Altaria Patriarchalium Urbis Basilicarum. Quapropter Nos prae oculis habentes id, quod gessit Sixtus V. Pontifex, cum ad Philippum II. Hispaniarum Regem dono mittens Altaris mensam a se consecratam, super quam, in Sanctorum Album referens S. Didacum, Missae Sacrificium obtulerat, Personas simul designavit, quibus indulgebat, ut ad idem Altare Missam celebrarent; idem plane praestandum duximus tunc quum ad cl. mem. Joannem V. defunctum Lusitaniae Regem misimus Altare a Nobis consecratum in Ecclesia S. Antonii Lusitanae Nationis in Urbe; uti videre est ex Nostris literis ad praefatum Regem datis die decima quinta Januarii 1745. jam typis evulgatis. Quod ipsum denique iterato praestitimus quoad Altare Assisiensis Basilicae, Papale et ipsum declaratum: sancivimus namque in Nostra Constitutione incipiente *Fidelis Dominus*, data sub annum 1754, inserenda *tom.* 4. *Bullarii Nostri*, qui nunc colligitur, et imprimitur, ne cui liceat in ipso sacra peragere mysteria sine expresso Indulto Apostolico, subindeque eadem in Constitutione Personas designavimus, quibus offerendi ad praefatum Altare Sacrificii facultatem indulgebamus. Animadversum namque fuit, pro ea, quae est inter Assisium et Urbem distantia, fieri nullo modo posse, ut qui dignus haberi poterat celebrandi ex religioso quodam affectu ad praedictum Altare, peculiare indultum obtineret.

...ilis vi... ...ue pro... ...o cele... ...li super ...ibus ...fic. Basili... ...o Urbis.

...a quae... Altaria Urbem privi... ...donata.

§. 10. Constituto autem, datoque, ut qui etiam *honoris causa* a Romano Pontifice recepit inferiorem Ordinem, puta, Diaconatum, non possit ab Inferiore ad Presbyteratus Ordinem promoveri, sed a Romano Pontifice, vel alio, de illius tamen licentia, sit promovendus: investigandum expendendumque superest, num idem affirmari debeat de eo, qui ordinatus Presbyter a Pontifice, consecrandus est in Episcopum nimirum, an consecratio in Episcopum sit a Pontifice, vel alio per ipsum delegato peragenda, quod Inferiori id agere non liceat. Hic autem Nobis videris vehementer causa nostra commoveri, quasi ingressi simus immensum pelagus Scholasticarum quaestionum, an scilicet Episcopatus sit Ordo a Presbyteratu distinctus, num *adaequate*, vel potius *inadaequate* distinctus, num Character in Episcopali Consecratione impressus alius sit a Charactere impresso in susceptione Presbyteratus, vel potius sit ejusdem extensio, eoque vehementius causa Nostra commoveri videris, perpendens animo, investigandum Nobis fore historicum factum, quod conferre plurimum poterit ad praefatas involutas Quaestiones Scholasticas elucidandas; estque illud; an fuerit unquam ad Summum Pontificatum, vel ad Episcopatum canonice promotus, qui Presbyter non esset, sed simplex Diaconus, antea ipsi non collato Presbyteratu, sed tantummodo eidem ministrata Episcopali Consecratione, ex ea persuasione, quod insit videlicet Episcopali Consecrationi *eminenter*, ut ajunt, collationem Ordinis Presbyteralis: de qua quidem celebri controversia, Æneas Parisiensis Episcopus in suo libro *adversus objectiones Graecorum pag.* 210. apud Lucam de Achery *tom.* 7. *Spicilegii pag.* 148. primus ad refellendam Graecorum objectionem, de qua inferius redibit sermo, in partem affirmantem concessit, cui quoque adhaesere Pater Mabill. *in suis commentariis ad Ordinem Roman. tom.* 2. *Musei Italici pag.* 119. Martene *de Antiquis Ecclesiae ritibus lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 3. *num.* 10. Pagi *Breviario Romanorum Pontificum, in Vitam S. Sabiniani Pontificis*, Sandini *in notis ad Vitam S. Leonis Magni.* Negantem vero viriliter tuentur Morinus *de Sacris Ordinationibus part.* 3. *exercit.* 11. *cap.* 2. ubi haec scribit: *Nullum extat exemplum Epi-*

Status repetitur praesentis quaestion.

Schol. quaestion de Ordine et Charactere Ep.

Historica quaestio, an unquam Diaconus, non suscepto prius Praesb. fuerit consecratus Episc. ac discrepantes Auctorum sentent.

scopatus non Presbytero collati. Idipsum asseritur a Juenin *de Sacramentis dissert. 8. de Sacramento Ordinis in communi, quaest. 8. cap. 4.* cujus haec sunt verba: *Nulli unquam collatus fuit Episcopatus Ordo, nisi qui Presbyterali jam insignitus esset*. Haecque ipsa sententia solide confirmatur ab erudito Sacerdote Catalano, vel nunc in humanis agente, *in suis elegantibus commentariis ad Pontificale Romanum tit. 13. de Consecratione Electi in Episcopum* §. 7. *num. 3.* At Nos ea persuasione ducimur, posse quaestionem enodare, atque dirimere, intactis omnino relictis Scholasticis controversiis; ipsa etiam declinata provincia inquirendi in factum historicum, de quo siquid deberemus attingere, assereremus, haud ita certum esse; quemadmodum non nemo sibi blanditur, Diaconos electos in Pontifices, vel Episcopos, non recepisse Presbyteralem ordinem, antequam consecrarentur Episcopi, sed a Diaconatu ad Pontificatum, vel Episcopatum, per solam Episcopalem Consecrationem conscendisse.

Rationes pro sententia negante.

§. 11. Etenim (liceat hic leviter attingere, nec plane inopportuna digressione nonnihil immorari) etsi commemorentur plures, qui simplices Diaconi, primis octo Ecclesiae seculis, fuerunt in Summos Pontifices electi, atque iisdem seculis multos etiam adinvenire sit Diaconos, qui Episcopi evasere, uti noscitur ex *Diurno Romanorum Pontificum* edito ab Holstenio, quod opus censetur seculi septimi; quod factum est ob gerendorum negotiorum participationem, quam sibi Diaconi, ac praesertim Archidiaconi, in Pontificatus vel Episcopatus administratione sumebant, quemadmodum perbelle advertit Papebrochius *in Conatu in Vitam S. Leonis*, pergitque Garnerius *in suis notis ad citatum Diurnum Romanorum Pontificum cap. 3. titul. 3.* neque in Vitis Diaconorum, qui Pontifices facti sunt, mentio occurrat de collato ipsis Presbyterali Ordine ante Consecrationem Episcop. ex hoc tamen antecedenti nunquam inferri tuto poterit, non fuisse iisdem ante Consecrationem Episcopalem collatum Ordinem Presbyteratus, imo vero locum habet praesumptio, commemoratis priori veluti extremo, Diaconatu nimirum, nec non posteriori, scilicet Episcopatu, non fuisse neglecta intermedia, ac proinde ipsam Presbyteratus collationem.

§. 12. Advertunt quidem accurati, eruditique oppositae sententiae propugnatores, cum Photius caetera inter objecta in Ecclesiam Latinam proposita, hoc quoque inseruisset, Episcopos assumi ex Diaconis, non collato ipsis antea Presbyteratu; post Photii objectionem, in electionibus Diaconorum in Pontifices, conspici perspicue expresseque adnotatum, fuisse ipsis, ante Papalem Consecrationem, collatum Ordinem Presbyteratus. At ne id quidem satis, ut tuta fiat assumptio; reponi namque verosimilius potest, Photium tot inter falsas criminationes adversus Latinam Ecclesiam excogitatas, eam quoque proposuisse, Diaconos nimirum inungi Episcopos, non collato ipsis antea Presbyterali Ordine; criminationis causa nimirum exinde per ipsum derivata, quod videret, in actis electionis Diaconorum ad Summum Pontificatum, vel ad Episcopatum, nullam fieri mentionem de collato Presbyteratu; ideoque ad ipsam quoque incursationis speciem removendam, existimatum fuisse peropportunum in historica narratione Electionis Pontificum et Episcoporum, qui antea Diaconi erant, meminisse Sacerdotalis Ordinis iisdem collati: quae quidem animadversiones ut minimum probabiles multum detrahunt jactatae certitudini, Diaconos quondam consuevisse in Pontifices, Episcoposve, Ordine Presbyterali non suscepto, consecrari.

Affirmantium, objectio, congruaque ejusdem solutio.

§. 13. Sacro Tridentino Concilio *Sess. 22. cap. 2. de Reform.* cavetur, ne eligi quisquam possit Episcopus, qui sex antea mensibus non fuerit sacro Ordine initiatus; *Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, aetate, moribus, vita, ac aliis, quae a sacris Canonibus requiruntur, plene sit praeditus, verum etiam in sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio, constitutus*. Cumque ulterius non progrediatur Concilium, nec edicat, electum hujusmodi, antequam Consecrationem recipiat Episcopalem, ordinandum Diaconum et Presbyterum; quis umquam auserit asserere, ex Tridentini sanctione, Subdiaconum fieri posse Episcopum, aut umquam Subdiaconos consecratos fuisse Episcopos, Diaconatu, ac Ordine Presbyterali non suscepto? Imo vero quisque consentiet, satis fuisse Concilio innuere, quo gradu esse deberet assumendus in Episcopum, nec censuisse, exprimendos tunc caeteros sacros Ordines, quibus erat ante Episcopalem consecrationem initiandus.

Data responsio confirmi proposito simillimae sanctionis exemplo.

§. 14. Ad haec, cum post plures annos a

Tridentino Concilio obtinuerit stylus inserendi in Bulla data ad Subdiaconum Electum in Episcopum, sequentia verba, antea praetermissa: *Tecum, ut Ecclesiae N. praefici, illique praeesse, ipsamque in spiritualibus, et temporalibus regere, et gubernare, ac munus Consecrationis praedictum, postquam tamen ad Sacros Diaconatus, et Presbyteratus Ordines te promoveri feceris etc.* uti videre est apud Rigantium *ad regul. 24. Cancellariae tom. 2. §. 1. num. 17.* Quis umquam in Bulla perlegens praedicta verba antea non adhibita, tam fidenti animo erit, ut asserat, intermedio tempore, inter Concilium Tridentinum, invectamque praxim inserendi in Bulla praememoratam formulam, Subdiaconos consecrari consuevisse Episcopos, non praesuscepto Diaconatu et Presbyteratu? Fatebitur quisque, placuisse ex accuratiori quodam studio id in Bulla exprimere, quod antea non exprimebatur quidem, sed pro indubio certoque habebatur.

§. 15. Verum, rem Nostram repetentes, retinentesque, quod mox supra sumus pollicti, velle Nos propositum quaesitum dirimere, intactis penitus relictis Quaestionibus Scholasticis satis involutis, praefermissoque accurato examine praefati historici facti, dicemus, sublatis Electionibus olim celebrari solitis a Canonicis vacantis Ecclesiae, ob gravia inde profluentia incommoda, restitutaque veteri disciplina providendi Episcopatibus per Apostolicam Sedem; salvis tamen Concordatis initis cum aliquibus Nationibus, in quibus, retentis Electionibus, earum confirmatio reservatur Romano Pontifici; in eumdem quoque recidit jus consecrandi Episcopos, vel constituendi delegatos ad Consecrationem peragendam; etsi superioribus saeculis Suffraganeorum consecratio esset Metropolitae reservata, nec manus in ea apponeret Summus Pontifex, praeterquam si quandoque Metropolita injuste Suffraganeum consecrare abnueret, veluti noscitur ex *Rhemensi historia* Frodoardi, atque etiam ex Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 885. ubi cum Pontificem Stephanum VI. appellasset electus ad Episcopatum Lingonensem, retulissetque, Lugdunensem Archiepiscopum Metropolitam suum detrectare ipsi consecrationis munus impertiri, praemissis iteratis monitionibus, ut imploratam Consecrationem perageret, ipsoque Archiepiscopo in sua contumacia obfirmato, Pontifex, usus competenti sibi in universam Ecclesiam auctoritate, in Episcopum eumdem consecravit. Vigens nunc temporis disciplina describitur a Gonzalez *in Cap. Nec Episcopus, num. 6. de tempor. Ordinat.*, per haec verba. *Hodie consecratio Episcoporum, non ex Metropolitani jussu, sed Pontificis mandato fit; cum enim Romanus Pontifex sibi reservaverit Cathedralium Ecclesiarum collationem, similiter ab ejus libito pendere voluit Episcoporum consecrationem:* quod ipsum in Pontificali Romano quoque accurate describitur, *tit. de consecrat. electi in Episcopum*, haecque sunt verba: *Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per literas Apostolicas, si sit extra Curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis:* pergitque Schmier *tom. 1. Jur. lib. 1. tract. 3. cap. 1. num. 569. Moderno jure consecratio Episcoporum, et Archiepiscoporum, Summo Pontifici reservata est; et ab eo specialiter delegandam esse, communiter dicitur.*

§. 16. Munificus Nobis Pontifex Benedictus XIII. curavit pro viribus intactum servare jus Pontificium, salvo, vel certe quominus fieri potuit, imminuto veteri jure Metropolitico expresso *in Cap. Si Archiepiscopus, et in Cap. Nec Episcopus, de temporib. Ordinationum:* quoad consecrationem Suffraganeorum. Itaque cum animadvertisset, consuetam Bullam, qua absentibus Episcopis fit facultas suscipiendi consecrationem, conceptis hisce verbis expressam esse: *Cuicumque, quem maluissent, Catholico Antistiti, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habenti:* jussit Mandatum *de consecrando*, quod Suffraganeo Episcopo conderetur, imposterum dirigi ad ejus Metropolitanum, tributa simul ipsi facultate, si aliquo detineretur impedimento subdelegandi alium sibi benevisum Episcopum: casu autem sese offerente consecrandi Metropolitam, constituit, ut Mandatum *de consecrando* antiquiori Episcopo Suffraganeo inscriberetur, superaddita facultate, aliquo superaccedente impedimento, eum, quem maluisset Episcopum, substituendi. Verum tot tantaeque excitatae expostulationes, et querelae, non solum propter incommoda, sed et ob sumptus necessario subeundos, si Suffraganeo abeundus fuisset suus Metropolita, ut consecraretur, vel Metropolitae Suffraganeus per ipsum consecran-

Regula in delegandis Suffrag. et Metrop. consecr. praescript. a Bened. XIII.

dus, ut quum Nos nullis licet Nostris suffragantibus meritis, ad Summum Pontificatum fuimus evecti, restitutam invenerimus veterem formulam, juxta quam, uti praedictum est, Mandatum *de consecrando* ad eum dirigitur Episcopum, quem sibi consecrandus elegit. Nec Nobis aliud quidquam datum, quam aliquid praescribere circa Episcoporum consecrationes, quae in Urbe peraguntur; statuimus namque, Consecrandum, cui facultas fit eligendi Consecratoris, seligere debere aut unum ex Cardinalibus Episcopali Charactere insignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hierosolymitanum; eo tantum excepto casu, quo nemo ex praefatis, quod perdifficile est, oblatum sibi consecrationis peragendae munus acceptum haberet; in hac quippe casus hypothesi, facta est Episcopo Consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Episcopumve, qui ei consecrationem impenderet. Neque in his edendis sanctionibus excidit Nobis Metropolitarum memoria; cum constituerimus, ne, si in Urbe praesentes sint Metropolita, ejusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei cuiquam, praeter quam suo Metropolitae, delegetur.

Nova Methodus a Pontifice praefinita consecrationibus Episcoporum in Urbe peragendis.

§. 17. Evincit historica haec narratio, quandoquidem Episcopi, sive a Summo Pontifice, sive a proprio Episcopo in Presbyterum ordinati, Consecratio est Summo Pontifici reservata, nunc temporis jus esse Pontificibus praecipuum, consecrationem Episcopalem peragere, vel aliis eam peragendam delegare; ideoque omnino extraneam fieri quaestionem, num, sicuti ordinatus Diaconus a Pontifice, ab uno tantummodo Pontifice, vel ab alio ex ejusdem Mandato potest ad Presbyteratum promoveri, idem pronunciandum sit de Sacerdote per Pontificem ordinato, qui inaugurandus est Episcopus, nimirum hujus quoque consecrationem a Papa tantummodo, sive ab alio per ipsum delegato, esse perficiendam. Extraneae itidem fiunt quaestiones scholasticae de Episcopis, sit ne ille Ordo distinctus a Presbyt. an impressus per ipsum character alius sit a charactere impresso in susceptione Presbyteratus, vel sit ejusdem ampliatio, extensioque; eodemque loco habenda est quaestio historica num Diaconi fuerint umquam ad Summum Pontificatum, vel Episcopatum assumpti, non praesuscepto Presbyterali Ordine: positiva quippe lex viget, reservans Pontifici Maximo Episcoporum consecrationes, sive Episcopatus Ordo distinctus sit a Presbyteratu, sive non; et impressus in eo suscipiendo character alius sit, vel potius ampliatio characteris per Presbyteratum impressi; fuerintve alias, vel non fuerint inaugurati Pontifices, seu Episcopi, Diaconi non antea Sacerdotes ordinati, ob eam rationem, quod in Episcopatu *eminenter* contineatur Presbyteratus. Hujusmodi enim quaestiones nullum praestare possunt impedimentum juri consecrandi Episcopos, ad Pontificem, uti praedictum est, devolutum, iisdemque locus tantummodo erit quoad peractas consecrationes: quum nemo prohibeat disceptare, num Episcopatus sit Ordo a Presbyteratu distinctus, an character in Episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliatio quaedam characteris in collatione Presbyteralis Ordinis impressi, itidemque an vetustioribus temporibus a Diaconatu factus sit transitus ad Episcopatum, Ordine Presbyterali non antea suscepto.

Ex praemissis concluditur, indiscriminatim Episcoporum consecrationes ad Papam spectare, ideoque superfluum, praenotatas quaestiones aggredi.

§. 18. Res Nobis videtur satis perspicua: at quoties ad eamdem vel magis illustrandam exemplo aliquo opus esset, illud minime desideraretur. Fuit alias Instituta quaestio, an qui a Pontifice Ordinem suscepisset, exemptus propterea maneret a jurisdictione proprii Episcopi: et Pontifex Innocentius III. in sua Decretali *Per tuas, de majoritate, et obedientia*, negativum edidit responsum: *Ad quod breviter respondemus, quod, etsi decens sit, ut illis, quantum convenit, a te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas Apostolica collatione ipsius Ordinis honoravit, per eam tamen ab obedientia, quam alias tibi debent, minime absolvuntur.* Hac sublata quaestione, alia in medium prolata est; nimirum, an praeservata ab Innocentio III. obedientia eousque pertingeret, ut si Ordinatus a Pontifice esset a collato sibi Ordine suspendendus vel deponendus, praestari id posset ab Episcopo, vel potius esset Pontifici reservatum. Glossa, Innocentius, aliique apud Joannem Andream *in suis Commentariis in Cap. per tuas, num. 5. de majoritate, et obedientia*, docent praestari id non posse ab Episcopo: Oppositae sententiae adhaerent Abbas *num.* 2. Felinus *col.* 1. Layman *ad praecitatum Capitulum*. Hallier autem *part.* 2. *sect.* 5. *cap.* 3. *art.* 9. §. 1. *num.* 6. mediam quamdam sequitur viam: censet nimirum, debere

Accomodatissimo exemplo res illustratur.

Episcopum conficere processum, et ad Pontificem transmittere, ut ipse in eum, quem ordinavit, sententiam proferat; id ita exposcente obsequio Summo Pontifici exhibendo. Hoc posito, si, ob praenotatam opinionum varietatem de Ordinato a Pontifice in Diaconum, vel Presbyterum, quoties res est de eo suspendendo, vel deponendo ab Ordine suscepto, exposceret quisquam, quomodo transigendum sit negotium, quoties consecratus a Pontifice Episcopus, suspendi, deponive promereretur, nulla interposita mora quisque responderet, unius Pontificis esse suspensionis, vel depositionis poenam irrogare; cum sacris Canonibus, sacroque Concilio Tridentino cautum sit *cap.* 8. *Sess.* 13. *de Reform.* ut Episcoporum causae, in quibus pro criminis objecti qualitate, comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, et terminentur, sive fuerint Episcopi ab ipso consecrati, sive ab alio quocumque per ipsum ad id delegato. Idipsum igitur, et in hac facti specie statuendum est, jus esse praecipuum Romani Pontificis peragere per se, vel aliis peragendam delegare Consecrationem Episcopi sive a Pontifice, sive ab Ordinario suo in Presbyterum ordinati; urgente quoad utramque facti speciem eadem ratione, intermediae legis peculiaris, perspicuis verbis conceptae, omnemque submoventis controversiam.

Justino-
. Epis-
conse-
acturus
ifex, de-
at.

§. 19. Cum itaque, uti praedictum est, reservata sit Pontifici consecratio, ab ipsomet, vel ab alio ex ejusdem mandato, peragenda, videris ipse ex Nobis modeste sciscitari, de tua Consecratione quid Nobis sit in animo. Cui quidem interrogationi respondemus, propositum Nobis esse, eamdem per Nos ipsos peragere, sequendo exemplum factae tibi collationis Diaconatus et Presbyteratus a Munifico Nobis Pontifice Benedicto XIII., necnon in publicum testimonium amoris, quo te, virtutemque tuam complectimur, gratamque memoriam ejus, qua Nos prosequebatur praedefunctus Patruus tuus Urbevetanus Episcopus, benevolentiae. Verum quia, qua saepe laboramus, podagra efficere Nos potest minus idoneos satis prolixae functioni per Nos obeundae, si id umquam, (quod Deus avertat,) contingeret, praesentes saltem adesse volumus functioni per alium ex speciali delegatione Nostra absolvendae.

us, dies
hora pe-
ndae
ctionis.

§. 5. Peragendae functionis dies erit 28. mensis labentis, dicata celebritati SS. Simonis et Judae, ita etiam statuente Pontificali Romano: *Statuta die consecrationis, quae debet esse Dominica, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit.* Locus, atque hora indicabuntur tibi a Praesule Reali primo Nobis Caeremoniarum Magistro. Peracta autem Consecratione, siquae se obtulerit occasio alias ad te conscribendi literas, te non titulo *Dilecte Fili*, veluti nunc, sed *Venerabilis Frater*, compellabimus, qui quidem titulus adeo inhaerens est Characteri in Consecratione impresso, ut ne eo quidem careant Episcopi, qui Episcopalem Characterem illicite, malo eorum fato, dummodo valide receperint. Hac de re actum fuisse comperimus in particulari Congregatione de Propaganda Fide, habita 8. Novembr. 1631. in qua quaesitum fuit, quo honoris titulo Pontifex appellare posset Patriarchas, Archiepisc. Episcoposque Schismaticos: cumque celebris Pater Waddingus adeo Bullarum, Breviumque peritus, asseruisset, dummodo valida fuisset eorum Ordinatio, Pontifices rationem habentes impressi per eam Characteris, iisdem semper tribuisse titulum *Venerabilis Fratris*, hoc ita servandum esse, statutum fuit. Ipsique vidimus, in nonnullis Brevibus datis a Summo Pontifice Innocentio XI. ad Joannem Patriarcham Alexandrinum Schismaticum, quibus illum ad sanctam Unionem invitabat, ac in aliis datis ab Innocentio XII. Pontifice ad Archiepiscopum Æthiopiae, quibus ipsum hortabatur, ut audiret Patrem de Salem, ejusque Socios Minores Observantes Reformatos, de unione ipsius, universaeque Nationis suae cum Romana Ecclesia secum acturos, ob praeadductam rationem, titulum *Venerabilis Fratris* iisdem attribui: praeter complura alia exempla videnda in collatione Brevium Pontificis Clementis XI., et nominatim *t.* 1. *pag.* 575. *et tom.* 2. *pag.* 135. Atque huic Epistolae finem imponimus, Apostolicam tibi Benedictionem impertientes.

Titulo Venerab. Fratris, Episcopi quoque Schism. a Pont. decurant.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 20. Octobris 1756. Pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

Dat. 20. Oct. 1756. Pont. 17.

CONFIRMATUR

Motus proprius S. Pii V., et Constitutio Urbani VIII., contra tondentes monetas aureas

et argenteas: necnon Bannimenta et Decreta adversus falsificantes, alternantes, ac expendentes Cedulas Montis Pietatis, et Mensae Nummariae Sancti Spiritus: et poenae in illis inflictae ad omnes Ecclesiasticas personas extenduntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SERVUS SERVORUM DEI.

Procem. Poenales quandoque leges ampliandas, suadet publicum bonum.

Ad curam Nostram pertinere dignoscimus, pro ea vigilantia, quam rectae Justitiae in Civitatibus et locis temporali Dominio Nostro subjectis administrandae praestare debemus, omni studio satagere, ut meritis justisque poenis ea praesertim delicta coerceant, quae humanae Societatis leges perturbant, et publicae utilitatis rationibus magnopere officiunt, eumque in finem non modo veteres Praedecessorum Nostrorum Constitutiones confirmare, atque in usum et memoriam hominum revocare, verum etiam easdem extendere, et ad casus in ipsis non satis expressos ampliare non recusamus, prout labentium temporum et occurrentium causarum necessitates exposcere videntur, Nosque ad providum Reipublicae regimen expedire in Domino judicamus.

Poenas, in tondentes monetas aureas inflictas, ad tondentes argenteas extendit Pius V.

§. 2. Sane felicis record. Praedecessor Noster Sanctus Pius Papa V. per suam Schedulam Motus proprii datam Romae apud S. Petrum octavo Kal. Novembris Pontificatus sui anno V. cujus initium est: *Cum nil magis:* attendens, quod licet monetarum aurearum tonsoribus ultimi supplicii poena de jure inflicta esset, argenteas tamen monetas tondentibus satis minor poena imposita erat; animoque reputans, pro publici commercii subsistentia nimis necessarium esse eodem juris rigore in utroque delicti hujusmodi genere adversus delinquentes procedere: statuit atque decrevit, eos, qui argenteas tonderent monetas, ultimi supplicii, et ea, qua aurearum tonsores eatenus puniti fuerant, et de jure puniri debebant, poena puniendos esse; volens hujusmodi Sanctionem ab omnibus Judicibus tam in Urbe, quam alibi in toto Statu Ecclesiastico, remotis impedimentis, quae ipsis a temporalibus Terrarum, Locorum, et Civitatum Dominis objici forsan potuissent, debitae executioni mandari.

Urban. VIII Pianae Sanctioni obnoxios volos Eccl. tam Saeculares quam Regulares intra Ital. et insulas adjacent.

§. 3. Postmodum vero recol. mem. Praedecessor pariter Noster Urbanus Papa VIII. per suam perpetuo valituram Constitutionem incipientem: *In suprema*, datam apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1627. Idibus Novembris, Pontificatus sui anno IV. ejusmodi statutum, decretum, et voluntatem praefati Sancti Pii Praedecessoris approbavit, confirmavit, et innovavit; ac ad omnes et singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam saeculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam de necessitate exprimendi, necnon Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Regulares, non solum in Statu Ecclesiastico tunc sibi et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subjecto, sed etiam in omnibus et singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, et Locis, in Italia dumtaxat, existentes, quae aureas et argenteas monetas tondere, vel alias, ut ibi latius exponitur, circa eas delinquere praesumpsissent, extendit et ampliavit; volens ut Ecclesiastici hujusmodi, culpabiles in praemissis reperti, praevia degradatione, Curiae saeculari puniendi traderentur.

Quos degradandos brachio Saculari tradendos decrevit.

§. 4. Cum autem hujusmodi delicta, perversis hominum cupiditatibus suadentibus, interdum pullulare non desinant, ac praeterea nonnulli perditionis filii saepe reperti fuerint, qui majore commercii publici, et privatorum, seu etiam Communitatum, et Universitatum, ac Locorum Piorum, ipsiusque forsan Camerae Apostolicae detrimento, Syngraphas, seu Cedulas tam Montis Pietatis et Depositorum hujus Nostrae Almae Urbis, quam Mensae Nummariae Sancti Spiritus, aut falsas conficere, aut genuinas corrumpere et alterare, alii autem, qui eas vel falsas, vel corruptas et alteratas, sive in Urbe, sive in aliis Civitatibus et Locis Ditionis Ecclesiasticae, ubi nimirum hujusmodi Syngraphae liberum obtinent cursum, et non secus ac auri et argenti signati monetae, expenduntur, expendere praesumpserint; et licet adversus hujusmodi delinquentes, cujuscumque status, ordinis, et conditionis existant, condignae poenae, etiam ultimi supplicii, in generalibus Bannimentis, tum per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium super Consultationibus Negotiorum universi Status Ecclesiastici, quam per pro tempore existentes prae-

Poena ultimi supplicii saepius quoque decreta in falsantes seu corrumpentes Cedulas Montis Pietatis, vel Banci S. Spiritus easque scienter expendentes.

dictae Almae Urbis Gubernatores ejusdem S. R. E. Vice Camerarios, ac etiam Camerae Apostolicae Thesaurarios, Nostra et Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum auctoritate, editis et promulgatis, aliisque Pontificiis legibus et Constitutionibus, inflictae, latae, et decretae comperiantur; Cum tamen in occurrentibus causarum judiciis dubitari contigerit de omnimoda et plenaria hujusmodi poenalium sanctionum extensione ad personas Ecclesiasticas hujusmodi delictorum reas compertas, nec sine speciali definitione Nostra hujusmodi dubia submoveri posse visum fuerit.

Suborta quaestio, an auctionibus aliae poenae ibus omnimode afficerentur Ecles.

§. 5. Idcirco Nos praefatas S. Pii V. et Urbani VIII. Praedecessorum leges atque Constitutiones contra tondentes monetas aureas et argenteas, seu alias circa eas delinquentes, nec non praemissa Bannimenta, aliaque statuta et decreta adversus falsificantes, et alterantes dictorum Montis, et Mensae Nummariae Syngraphas, seu Cedulas, easdemque falsas, seu alteratas scienter expendentes, quarum et quorum tenores praesentibus literis pro insertis haberi volumus et decernimus, in omnibus et per omnia approbamus, confirmamus, et innovamus: Ac praeterea earumdem praesentium tenore, necnon Motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praedictam Urbani VIII. Constitutionem, quae incipit: *In suprema*, cum omnibus decretis et clausulis in ea contentis, ad omnes et singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam seculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam de necessitate exprimendi, necnon Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Regulares, praedictas Cedulas falsificantes, seu aliter circa eas, et cum iis, ut infra, delinquentes, expresse extendimus et ampliamus; Itaut quicumque, etiam Ecclesiastici hujusmodi, praedictorum Montis Piefatis hujus Almae Urbis, et Mensae Nummariae Sancti Spiritus, Cedulas falsificasse, nimirum falsas ad verarum imitationem et similitudinem confecisse, seu veras in substantialibus corrupisse, et quoad valorem in quacumque summa alterasse, quique in hujusmodi falsificatione, seu corruptione et alteratione, quolibet modo complices fuisse, nimirum aliqua ratione ea in re dolose operam praestitisse, etiamsi falsificatio, corruptio, alteratio hujusmodi extra Ditionem Ecclesiasticam patrata fuerit, quique demum hujusmodi Cedulas, seu falsas, seu, ut supra, corruptas et alteratas, tam in predicta Urbe, quam in Bononien., Ferrarien., Beneventana, aliisque Civitatibus, Terris, Oppidis, et Locis Italiae, Nobis et Sedi Apostolicae praedictae mediate vel immediate subjectis, scienter expendisse comperti fuerint, iisdem poenis, etiam ultimi supplicii, quibus tondentes monetas aureas et argenteas, seu aliter circa eas delinquentes, juxta praemissas S. Pii V. et Urbani VIII. Praedecessorum leges et Constitutiones subjecti sunt, pariformiter puniantur, et cum effectu subjiciantur; et, si Ecclesiastici fuerint, etiam exempti et privilegiati, ut supra, praevia degradatione, Curiae Saeculari puniendi tradantur.

Tollitur subsiciendo ipsos Eccl. Cedulas hujusmodi corrumpentes, vel dose expendentes, omnibus poenis n Urbani Constit. statutis.

Prohibit. aliter judicandi.

§. 6. Atque ita, et non aliter, in quibusvis ejusdem Urbis, et Ditionibus Ecclesiasticae Tribunalibus, ac per quoscumque Judices in hac materia competentes, etiam specifica et individua mentione dignos, contra delinquentes in praemissis, etiam Ecclesiasticos exemptos, et privilegiatos, ut supra, in Judicio confessos, sive legitime convictos, procedi, decerni, judicari, et sententiari omnino mandamus; sublata cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate; ac irritum et inane decernentes, si secus super his a quolibet eorum scienter vel ignoranter judicari contigerit.

Amplissima derog. contrarii.

§. 7. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis aliis, etiam Apostolicis, et in Generalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus et Ordinationibus, Privilegiis quoque Indultis, et Literis Apostolicis, praefatis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, etiam de necessitate exprimendis, nec non Militiis quibuscumque, etiam Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani, et aliis Religiosis, ac piis locis, alias concessis, ac saepius confirmatis et innovatis, ac eorumdem, et quarumvis, etiam Urbis praefatae, nec non Bononien. Ferrarien. Beneventanae, aliarumque Ditionis praedictae Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, et Locorum, ac omnium et quorumcumque Tribunalium in ipsis consistentium, etiam confirmatione Apostolica, seu quavis alia firmitate roboratis, statutis, resolutionibus, usibus, stylis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus: Quibus omnibus et singulis, eorum om-

nium tenores pro expressis, ac de verbo ad verbum praesentibus insertis, necnon praescriptas in ipsis derogationum formas pro plene observatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestatis plenitudine praefatis, specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum fore decernimus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Sumpt. fides. §. 8. Volumus autem, quod praesentes in Valvis Ecclesiae Lateranen. Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac in aliis consuetis ejusdem Urbis locis, publicentur et affigantur; et postquam sic affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos perinde arctent et afficiant, ac si unicuique nominatim et personaliter intimatae fuissent.

Sanctio poenalis. §. 9. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, et innovationis, extensionis, ampliationis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. 31. Oct. 1756. Pont. 17. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLVI. pridie Kalendas Novembris, Pontificatus Nostri anno XVII.

J. Card. Pro Datar.

D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

LXVI. PRÆSCRIBITUR RATIO

Construendi Processus tum super statu Ecclesiarum in partibus infidelium existentium, et Populum fidelem habentium, quarum provisiones in Congregatione de Propaganda Fide proponuntur; tum super meritis praefficiendorum iisdem Ecclesiis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procem. Provid. Pontif. circa ea, quae Gratissimum Apostolicae procurationis ministerium, quod a supremo Pastorum Principe Jesu Christo per ineffabilem divinae bonitatis suae abundantiam imbecillitati Nostrae impositum est, et praeclara Apostolicae providentiae ratio a fel. record. Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris inita, servata, ac tradita, jure ac merito a Nobis quoque exigunt, ut illa, quae ipsi Romani Pontifices Praedecessores quomodolibet, ac praesertim pro forma ac dispositione promovendorum ad pastorale Ecclesiarum in infidelium partibus existentium, populumque fidelem habentium regimen statuerunt, sive nova confirmatione, quo firmius subsistant, et serventur exactius, sive pro rerum vicissitudine novis praescriptionibus, et additamentis indigeant, de novo deinceps approbare, et Apostolicae auctoritatis praesidio, quatenus opus sit, munire; aliisque Pontificiae benignitatis documentis, et statutis ampliare, et augere satagamus, et adnitamur.

a Praedec. sancita sunt, pro iis, qui ad pastorale munus sunt promovendi.

§. 1. Sane post provida, ac salutaria decreta Concilii Tridentini super iis, qui ad Cathedrales Ecclesias promoveri deberent, felic. record. Gregorius PP. XIV. Praedecessor Noster, qui dum in minoribus esset, eidem Tridentino Concilio interfuerat, statim Apostolicas suas sub plumbo expeditas Literas dedit. In ipsis certe omnia ad hujusmodi negotium opportuna, ac necessaria continentur. Porro, quo clarius ad praxim eadem ab ipso Gregorio Praedecessore statuta reducerentur, jussu recol. mem. Urbani PP. VIII. itidem Praedecessoris Nostri anno 1627. ex Typographia Camerae Apostolicae prodiit in lucem Instructio particularis circa conficiendos Processus inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimen Cathedralium, aut aliarum superiorum Ecclesiarum, vel Monasteriorum, ad hoc ut in dictis Processibus conficiendis serventur Sacri Canones, et Concilia Generalia, praesertim Tridentinum, et Constitutio fel. rec. Gregorii PP. XIV. super forma Processuum conficiendorum sub dat. Idibus Maji 1591. Pontificatus sui anno primo. Hanc autem Instructionem alia quoque subsequuta fuit, quae in Congregatione particulari nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum deputata a fel. pariter rec. Clemente PP. XI. itidem Praedecessore Nostro, et de Nobis meritissimo, atque in aedibus bon. mem. Josephi ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Sacripanti tunc temporis Congregationi de Propa-

Constit. hac de re edita a Greg. XIV. atque etiam instruction. ab Urb. VIII. et Clemente XI. pro conf. in Promovendos processu evulgatae.

ganda Fide Praefecti die 9. mensis Octobris anno 1716. habita, maxime vertitur, cum adveniente casu vacationis, ac proinde provisionis earum Ecclesiarum, quae sunt in partibus infidelium, et nihilominus habent populum fidelem, Processus promovendorum ad hujusmodi Ecclesias plerumque difficulter in hac alma Urbe Nostra confici possit.

§. 2. Verum cum Ecclesiae, quae sunt in partibus infidelium, et populum habent fidelem, proponantur in Congregatione de Propaganda Fide, et consentaneum sit, ut quantocius de iisdem provideatur, ne diutius Pastore careant cum spirituali animarum detrimento; atque etiam cum Processus super statu Ecclesiarum, meritisque eligendorum, juxta laudatam utramque Instructionem, difficulter in Urbe confici possint, et experientia compertum sit, hujusmodi Processus longius protrahi, si alicui Episcopo in illis partibus immoranti committantur; eapropter Nos pro Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudine Nobis injecta a Pastorum Principe Jesu Christo, cujus supremas vices in terris plane immerentes gerimus, primum quidem Apostolica Auctoritate, tenore praesentium, utramque Instructionem tum Urbani, tum Clementis Praedecessorum Nostrorum, quas hisce praesentibus pro insertis haberi volumus, confirmamus, atque in iis, quae infra dicenda sunt, quatenus adversentur, et opus sit, derogamus, et derogatum esse statuimus; deinde vero decernimus, et mandamus, ut ad omnes et singulos Venerabiles Fratres Antistites transmittantur Interrogatoria in hisce Nostris praesentibus Literis inserta. Praeterea praecipimus, ut responsiones ipsi Antistites reddant, easque sua manu subscribant, ac proprio sigillo obsignent. Insuper jubemus hujusmodi responsiones asservari in Archivio ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, ut quoties vacatio alicujus Ecclesiae contigerit, loco Processus super illius statu, exhibeantur. Denique volumus, ac statuimus, ut cum novus Episcopus vel Archiepiscopus possessionem Ecclesiae susceperit, ad ipsum mittantur praedicta Interrogatoria, quibus ut supra respondebit; ex quo colligi possit, utrum spatio temporis aliqua mutatio intervenerit.

Interrogatoria super statu Ecclesiarum Albaniae, Macedoniae, Serviae, Bulgariae, Persidis, et Armeniae.

I. In qua Provincia sit Civitas etc. cujus situs, qualitatis, et magnitudinis sit; quot confletur domibus, et a quibus Christifidelibus inhabitetur; cujus dominio in temporalibus subjaceat?

II. An in illa Civitate sit Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana; sub qua invocatione; cujus structurae, et qualitatis? aut aliqua reparatione indigeat?

III. Si est Ecclesia Archiepiscopalis, quot Episcopos Suffraganeos habeat, et qui sint? si vero est Episcopalis, cui Archiepiscopo sit Suffraganea?

IV. An in dicta Ecclesia cura animarum exerceatur; per quem; an sit in ea Fons Baptismalis, ac servetur Sacrosancta Eucharistia publice, an vero privatim cum lampade, nec non olea sacra cum decentia?

V. An habeat Sacrarium sufficienter instructum cum sacra suppellectili, caeterisque rebus ad Divinum cultum, et etiam ad Pontificalia exercenda necessariis; et Coemeterium, in quo Catholicorum corpora solummodo sepeliantur.

VI. An sint in ea Corpora, vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum; et quomodo asserventur?

VII. An habeat domum pro Archiepiscopi, vel Episcopi habitatione, ubi, et qualem, quantum distet ab Ecclesia; et an reparatione indigeat?

VIII. Qui sit verus valor reddituum mensae Archiepiscopalis, vel Episcopalis; ad quam summam annuatim ascendant, et in quibus consistant?

IX. Quot existant in illa Civitate Ecclesiae Parochiales; et an unaquaeque habeat Fontem Baptismalem; quot item in illa existant Beneficia Ecclesiastica, legata pia, et Confraternitates? Quinam ibi sint Regulares, et an Conventus formatos habeant, aut Hospitia.

X. Quantum sit ampla Dioecesis; quot, et quae loca amplectatur; et quot in singulis locis existant familiae Catholicae?

XI. An, et quantum, Catholicae Religionis exercitium, Sacramentorum administratio, divinique verbi praedicatio a Gubernatoribus infidelibus permittatur?

XII. Quot Sacerdotes seculares indigenae, et exteri sint in Dioecesi; et quot Clerici sint studiorum causa in aliquo Collegio, vel Seminario?

XIII. An sit magister aliquis, qui juventutem in literis, et rudimentis fidei instituat.

Interrogatoria super statu Ecclesiarum Maris Ægei.

I. In qua Provincia sit Civitas etc. cujus situs, qualitatis, et magnitudinis sit; quot confletur domibus; et a quibus Christifidelibus inhabitetur; cujus dominio in temporalibus subjaceat?

II. An in illa Civitate sit Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana; sub qua invocatione, cujus structurae, et qualitatis; aut aliqua reparatione indigeat?

III. Si est Ecclesia Archiepiscopalis, quot Episcopos Suffraganeos habeat, et qui sint; si vero est Episcopalis, cui Archiepiscopo sit Suffraganea?

IV. Quot, et quales sint in dicta Ecclesia Dignitates, Canonicatus, et alia Beneficia Ecclesiastica; quis sit numerus omnium Presbyterorum, et Clericorum inibi in Divinis inservientium; quae si Dignitas major post Pontificalem; quales sint redditus Dignitatum, Canonicatuum, et aliorum Beneficiorum; et an adsint praebenda Theologalis, et Poenitentiaria?

V. An in ea cura animarum exerceatur; per quem; an sit in ea Fons Baptismalis?

VI. An habeat Sacrarium sufficienter instructum sacra supellectili, caeterisque rebus ad Divinum cultum, et etiam ad Pontificalia exercenda necessariis, Chorum, Organum, campanile cum Campanis, et Coemeterium?

VII. An sint in ea Corpora, vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum; et quomodo asserventur?

VIII. An habeat domum pro Archiepiscopi, vel Episcopi habitatione, ubi, et qualem; quantum distet ab Ecclesia; et an reparatione indigeat?

IX. Qui sit verus valor reddituum mensae Archiepiscopalis, vel Episcopalis; ad quam summam annuatim ascendant; in quibus consistant?

X. Quot existant in illa Civitate Ecclesiae Parochiales; et an unaquaeque habeat Fontem Baptismalem; quot Monasteria virorum, et mulierum; quot Confraternitates, et Hospitalia; et an ibi sit Mons Pietatis?

XI. Quantum sit ampla Dioecesis; quot, et quae loca amplectatur; quot in singulis locis existant familiae Catholicae; an, et quantum, Catholicae Religionis exercitium, Sacramentorum administratio, Divinique verbi praedicatio a Gubernatoribus infidelibus permittatur?

XII. Quot Sacerdotes seculares indigenae, et exteri, sint in Dioecesi; et quot Clerici sint studiorum causa in aliquo Collegio, vel Seminario?

XIII. An sit magister aliquis, qui juventutem in literis, et rudimentis fidei instituat?

Quid in processu super qualitatibus promovendi servandum sit, praescribitur.

§. 3. Qui ad hujusmodi Ecclesias promovendi sunt, si Romae adfuerint, vel in Italia; Processus super qualitate personae conficiatur: Si vero extra Italiam morentur, ac duo testes in Urbe sint, qui possint de illis ferre testimonium, tunc idem Processus super qualitate personae minime praetermittatur. Quod si praedicti testes non adsint, tunc sufficiens habeatur judicium ejusdem Congregationis, quae illum a Summo Pontifice eligendum consuluit.

Interrogatoria super qualitatibus Promovendi.

I. An cognoscat promovendum, quomodo, a quo tempore citra: an is sit ejusdem promovendi consanguineus, cognatus, affinis, nimirum familiaris, aemulus, vel odiosus?

II. An sciat, in qua Civitate, vel loco, et Dioecesi, promovendus sit natus; et quae sit causa scientiae?

III. An sciat, ipsum esse natum ex legitimo matrimonio, atque honestis, et Catholicis parentibus: et quae sit causa scientiae?

IV. An sciat cujus aetatis sit, praesertim an expleverit annum trigesimum, et quae sit causa scientiae?

V. An sciat, eum esse in sacris ordinibus constitutum; quibus, a quo tempore citra, praesertim an ante sex menses; et quae sit causa scientiae?

VI. An sciat, eum esse in Ecclesiasticis functionibus, et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione Sacramentorum frequentem, et devotum; et quae sit causa scientiae?

VII. An sciat, eum semper Catholice vixisse, et in fidei puritate permansisse; et quae sit causa scientiae?

VIII. An sciat, eum praeditum esse inno-

centia vitae, bonisque moribus, et an sit bonae conversationis, et famae: et quae sit causa scientiae?

IX. An sciat, eum esse virum gravem, et prudentem, et usu rerum praestantem; et quae sit causa scientiae?

X. An sciat, eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in sacra Theologia insignitum esse; quibus in locis, quanto tempore; et quo fructu ipsi Theologiae, vel Juri Canonico operam dederit; et an vere ea doctrina polleat, quae in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere; et quae sit causa scientiae?

XI. An sciat, eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum, aut regimen alterius Ecclesiae se exercuisse; quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem, et mores; et quae sit causa scientiae?

XII. An sciat, eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam; vel aliquo corporis, aut animi vitio, aliove Canonico impedimento teneri, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri; et quae sit causa scientiae?

XIII. An eum idoneum esse existimet ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, et praesertim eam, ad quam ipse est promovendus; an dignum, qui ad illam promoveatur; et an ipsius promotionem eidem Ecclesiae utilem, et proficuam futuram esse censeat; et quare ita existimet?

Quid in Ep. ab una Eccl. ad aliam transfer.

§. 4. Si quis Episcopus ab una Ecclesia ad aliam transferendus sit, tunc observentur ea omnia, quae num. 1. decernuntur, quoad Processum super statu Ecclesiae; pro altero vero, qui conficiendus erit super qualitate transferendi, ea serventur, quae num. 2. praescribuntur.

Interrogatoria super qualitate Episcopi ad alteram Ecclesiam transferendi.

I. An testis cognoscat Episcopum transferendum; quomodo, et a quo tempore citra; an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus, vel odiosus?

II. An sciat, ipsum consecrationis munus suscepisse; et quae sit causa scientiae?

III. An sciat, per quot annos fuerit Episcopus illius Ecclesiae, et quae sit causa scientiae.

IV. An sciat, eum in sua Ecclesia, et Dioecesi assidue residisse; et quae sit causa scientiae?

V. An sciat, eum diligenter saepedictam suam Ecclesiam, et Dioecesim visitasse, opportune omnibus necessitatibus occurrisse, et providisse; ejusque decreta, et mandata debitae exequutioni demandari curasse; et quae sit causa scientiae.

VI. An sciat, eum saepe solemniter celebrasse; Ordinationes juxta necessitatum exigentiam habuisse; Confirmationis Sacramentum administrasse; caeteraque Pontificalia exercuisse; et quae sit causa scientiae?

VII. An sciat, eum pietatis, caritatis, et prudentiae in gubernando speciem dedisse, ac verbo, et exemplo profecisse; et quae sit causa scientiae?

VIII. An sciat, eum prudenter ubilibet, et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis, et augendis jurisdictionibus spirituali, et temporali, juribus, ac bonis omnibus suae Ecclesiae; et quae sit causa scientiae?

IX. An sciat, vere ea Doctrina ipsum ad praesens pollere, quae in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere; et quae sit causa scientiae?

X. An dignum eum existimet, qui transferatur ad Ecclesiam N.; et an censeat, ejus translationem fore ipsi Ecclesiae N. utilem, et proficuam; et quare ita existimet, et censeat?

Quid denum in Vicariis Apostol. charact. Episc. insignitis?

§. 5. Denique cum pro Vicariis Apostolicis titulo, et charactere Episcopali insignitis nullus Processus conficiatur super statu Ecclesiae; attamen si in Urbe, vel in Italia commorentur, sin autem extra Urbem, et Italiam extiterint, ac duo testes in Urbe reperiantur, qui testimonium ferre possint, tunc fiat Processus super qualitate personae. Processus vero in hac alma Urbe Nostra conficiendi omnino conficiantur coram Nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis Auditore. Quod si etiam testes deficiant, sufficiens habeatur judicium ejusdem Congregationis, quae illum a Summo Pontifice eligendum consulet.

Firmitati praemissorum consulitur.

§. 6. Omnia itaque, et singula a Nobis, ut praemittitur, praescripta, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus, et confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper auctoritate memoratae Congregationis de Propaganda Fide. Decernentes, praesentes

Literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida, et efficacia existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, judicari, et definiri debere: ac irritum, et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, et quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quibuscumque Decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sempt. fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Praefecti, et Secretarii praefatae Congregationis subscriptis, et sigillo ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. die 18 Jan. 1757. Pont. 17.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii MDCCLVII. Pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

CONFIRMATUR

Decretum Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium universali adversus haereticam pravitatem Inquisitioni Praepositorum, coram Sanctitate Sua habitae, pro tollendis conciliandisque dissidiis et controversiis, inter nonnullos Antistites Indiarum Occidentalium, et Missionarios Societatis Jesu, exortis, super concessione Dispensationum Matrimonialium, juxta facultates ab Apostolica Sede utrisque concedi solitas.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Cath. Regi stud. pro tollendis dissi-

Cum Venerabilis Frater Noster Joachimus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Portocarrero nuncupatus Episcopus Sabinensis, nomine Carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici, cujus regiis negotiis apud Nos et Apostolicam Sedem agendis praest, Nobis exposuerit, obortis quibusdam dubiis circa facultates concedendi Dispensationes Matrimoniales, quibus Dilecti Filii Presbyteri Societatis Jesu, Missionarii per Indias Orientales et Occidentales constituti, ex Apostolicae Sedis Indultis gaudere dicuntur, et circa hujusmodi facultatum usum et exercitium; ad removendas dissensiones inter eosdem Presbyteros Missionarios, et Ordinarios locorum, sedandosque conscientiarum et animorum motus, Nostram ejusdemque Apostolicae Sedis definitionem magnopere exoptari; cumque, praeter urgens pastoralis curae et sollicitudinis debitum, quo ad hujus praesertim generis officia impellimur, gratissimum Nobis accidat justis semper et aequis praefati Catholici Regis votis obsecundare; statim propositae materiae discussionem demandavimus Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, in rebus Fidei, aliisque Sancti Officii nuncupati negotiis Generalium Inquisitorum; haud tamen propterea refugientes laborem studiumque singula per Nos ipsos inspiciendi atque discutiendi. Itaque coacta coram Nobis die 29. Julii elapsi anni 1756. praedictorum Cardinalium Congregatione, auditis etiam prius Consultoribus, tum Sacrae Theologiae Magistris, tum Canonici Juris Peritis, captae editaeque fuerunt sequentes resolutiones, distinctim expressae in infrascripto Decreto, quod ipsi jam tum approbavimus et confirmavimus, cujusque tenor talis est, videlicet:

diis inter Missionarios Soc. Jesu, e Ordin. locorum in Indi circa dispen sationes, quoad impe dim. Matrim excitatis.

Libentissim a Pontifi praestita ad hoc negot tium opera coacta coram se Cong. Ca S. Officii.

Hoc edictu ab ea deor tum.

DECRETUM.

Occasio abortae eor trov. recet set.

Cum olim R. P. Ignatius de Padilla, quo tempore Civitati Sancti Dominici in Insula Hispaniola Indiarum Occidentalium praerat Archiepiscopus, complures excitasset controversias adversus Presbyteros Societatis Jesu, circa Dispensationes Matrimoniales, quibus nimirum ipsi, in vim specialium facultatum sibi, ut asserebant, competentium, cum Neophytis Indiarum Orientalium et Occidentalium, super impedimentis Matrimonii dirimentibus, et antea dispensaverant, et adhuc dispensare pergebant; cumque subinde R. P. Joseph More-

no Curiel, qui; postquam praefatus R. P. Ignatius ad Ecclesiam Jucatanensem in Indiis Occidentalibus Hispanicis sitam translatus fuit, eidem in Archiepiscopatu Sancti Dominici successit, illius actionem ea de re studiumque prosequutus fuerit; ut hujusmodi contraversiis quantocitius finis imponatur, infrascripta dubia proposita, discussa, et dirempta sunt a Sanctissimo D. N. BENEDICTO PP. XIV. feliciter regnante, audita prius sententia et consilio Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum in Congregatione coram Sanctitate Sua habita die 29. Julii anni 1756.

Dubia autem proposita sunt, quae sequuntur: Primum, an facultates in Apostolicis Brevibus concessae Presbyteris Societatis Jesu, qui Missionariorum munus per Indias exercent, atque illae potissimum, quae Matrimoniales Dispensationes respiciunt, ad eas Provincias protendantur et loca, quae pluribus abhinc annis ad S. Cathol. Religionem redacta sunt, in quibus reperiuntur Infideles aliunde profecti, et ultro Christi Fidem amplexi; adeo ut Missionarii operam studiumque suum impendant, non quidem in iis ad Sanctam Religionem convertendis, sed tantummodo in iisdem Christianae Doctrinae institutionibus, rectisque moribus informandis.

Secundum: quatenus memoratae facultates ad hujusmodi Regiones protendantur, ac praesertim facultas concedendi Dispensationes quod praedictorum Matrimonia exerceri valeat; an id ita accipiendum sit, ut concessa dicatur auctoritas dispensandi super impedimentis publicis pro foro externo, tum ante tum post contractum Matrimonium.

Tertium: an posita extensione facultatum ad publica quoque impedimenta pro foro externo, et in casibus contrahendi, aeque ac jam contracti, Matrimonii, hujusmodi facultatibus uti possint Missionarii per ea loca, in quibus Episcopus Dioecesanus easdem obtinet facultates sibi ab Apostolica Sede peculiaribus Indultis concessas.

Quartum: etsi possent Missionarii Dispensationes concedere, suisque uti facultatibus etiam pro foro externo, an tamen id ipsis praestare liceat sine praevia summaria Informatione, coram Notario, locique Vicario capta, ad comprobandas dispensationis causas, et impedimentorum qualitates; an potius satis ad id habenda sit verbalis et extrajudicialis instructio seu informatio.

Quintum: an, quatenus hujusmodi facultates concessae tantummodo dignoscantur Missionariis adlaborantibus pro conversione Infidelium, et non aliis; revalidanda sint Matrimonia celebrata in vim dispensationum, quas pro exteriori foro indulsissent Missionarii illi, qui in tradendis Fidei rudimentis, informandisque moribus solummodo exercentur.

Nonnulla ad rectam dubiorum resolutionem expendenda praemittuntur.

Priusquam vero ad propositorum dubiorum decisionem procedatur, summatim recensenda sunt ea, quae pertinent ad facultates, quae Presbyteris e Societate Jesu Missionariis, cum pro Orientalibus, tum pro Occidentalibus Indiis, peculiaribus Apostolicis Brevibus tribuuntur; exinde enim pendet justa dubiorum resolutio. Utque res ordine procedat, primo exponetur summa memoratarum facultatum, quoad impedimenta Matrimonii, deinde expendetur concessum jus ipsis facultatibus utendi, tam in interiori, quam in exteriori foro; tertio indicabuntur personae, cum quibus dispensare possunt Missionarii; quarto recensebuntur loca, in quibus integrum ipsis est praefatis facultatibus uti; quinto denique attingentur quaecumque ad rectum dispensationum usum conferre possunt; atque haec omnia desumentur ex concessionum Brevibus, a superioribus Romanis Pontificibus, atque etiam a Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnante expeditis.

Et primo, quae vis insit facultatib. dispensandi concessis Missionariis Soc. Jesu.

Ducto itaque initio; juxta praestitutam methodum, ab ipsa vi atque substantia facultatum quoad impedimenta Matrimonii concessarum; quum olim facultas amplissime protenderetur ad omnia impedimenta, sive gradus, non vetitos jure Divino, ea in subsequentibus Pontificiis Brevibus nonnihil cohibita fuisse dignoscitur: prohibentur namque modo Missionarii dispensare *in primo Consanguinitatis vel Affinitatis gradu (A)*: excepto tantum *primo gradu, etiam rectae lineae, affinitatis; ex illicita tamen copula resultantis, (B)*. Atque haec quidem omnia, ad hoc ut *Fideles Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere possint (C)*: Quibus verbis tam inita, quam ineunda Matrimonia comprehenduntur.

Qualis esse debeat eorum usus quoad internum externum forum.

Proximum est, ut de praefatarum facultatum usu, quoad internum externumve forum videatur. Licet autem facultates in prioribus indultis concessae, ad forum conscientiae restri-

ctae essent, in posterioribus tamen concessionibus ad externum quoque forum ampliatae conspiciuntur ; ea tamen lege adjecta, ut quibus in locis reperiuntur Ordinarii easdem habentes facultates, ab Apostolica Sede sibi de more concessas, vel absunt ducentis saltem passuum millibus, nequeant Societatis Missionarii suis uti facultatibus pro foro externo. Ordinariis etenim reservata est privativa facultas dispensandi in exteriori seu judiciali foro; neque datum est missionariis, ut dispensationes ejusmodi indulgere, concessisque sibi pro foro externo facultatibus uti valeant; praeterquàm in iis locis, in quibus nulli adsunt Ordinarii, Episcopi nimirum, seu eorum Vicarii; vel, si qui existunt, ultra duas dietas, non minus ducentis passuum millibus inde absunt; aut si praesentes adsunt, vel parum distant, non tamen a Sede Apostolica impetrarunt facultativa dispensandi indulta, quae Patribus Missionariis concessa reperiuntur *(D)*. Ad forum porro conscientiae tantum semper cohibita apparet tributa facultas dispensandi *in primo gradu rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis*, super quo impedimento dispensare permittuntur *in occultis, et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus justis causis (E)*.

Cum quibus personis dispensare possint.

Hinc transeundo ad personas, cum quibus Missionarii, sive pro conscientiae, sive pro judiciali foro, juxta praemissa, dispensare possunt; Neophyti quidem hi sunt. Neophytorum autem appellatione, secundum editas et a Summis Pontificibus approbatas resolutiones, non solum intelliguntur ii, qui paulo ante Baptismum susceperunt, sed etiam eorum filii, quamvis in infantia baptizati fuerint; ac insuper ii, qui ex Indo Neophyto, et ex Muliere Europaea, vel ex Europaeo Viro, et Indica Muliere sunt progeniti; ideoque *mixti* seu *mistitii* vocitantur. Atque hae sunt omnino personae, cum quibus dispensare possunt Missionarii *(F)*: interdicta ipsis quacumque facultate dispensandi cum *Quarteronibus* et cum *Pucuellibus;* cum iis nimirum, qui vel pro una tantum parte ducunt originem ab Indis Neophytis, ideoque dicuntur *Quarterones*; vel per Proavum, aut Proaviam dumtaxat ab Indis Neophytis trahunt originem, proindeque *Pucuelles* appellantur; quum hi Neophytorum nomine seu appellatione contineri non possint, ac consequenter nequeant Missionarii cum illis, sive in foro conscientiae, sive in foro judiciali, super Matrimonii impedimentis dispensare: Eorum enim facultas cohibita est ad Neophytos; quorum nomine veniunt tantummodo ii, qui fuerunt superius designati *(G)*.

Loca, in quibus dispensandi facultate uti possunt.

Quod spectat ad loca, in quibus Missionarii praefatis dispensandi facultatibus, ut supra, uti possunt, satis perspicua res est, quum Indulta ipsis concessa, utriusque, Orientalis nempe, et Occidentalis, Indiae partes, seu Provincias, aliasque Maris Oceani Regiones, diserte complectantur *(H)*.

Justa debeat subesse causa dispensationis, omnia gratis expediendo.

Quare nil aliud reliquum est, quam ut ea tradantur, quae ad rectum probatumque Dispensationum usum conferre possunt. In quo sane, praeter exactam observationem eorum, quae superius adnotata sunt, duae potissimum generales regulae servari debent: prima nimirum, ut in omni Dispensatione justa adsit illius concedendae causa, altera, ut tunc etiam, quum pro exteriori foro conceditur Dispensatio, nihil plane recipiatur, sed omnia gratis fiant *(I)*. Quamvis autem in Brevibus facultativis, quae olim tradi solebant Episcopis et Ordinariis praefatarum Regionum, pro Dispensationibus super impedimentis Matrimonialibus in foro interno externoque concedendis, junctum iis legeretur, ut in Dispensationibus pro foro externo indulgendis, Missionariorum consilium exquirerent, quoties hi tam longe non abessent, ut id sine magno incommodo praestari non posset: cum tamen Episcopi subinde petiissent se levari hoc onere, quod etsi alias poterat opportunum videri, nunc quidem temporis nonnisi ad ferendas discordias aptum dignoscebatur, ut omnis dissidiorum et offensionum inter Ordinarios locorum, et Missionarios occasio submoveretur, plena libertas iisdem Ordinariis relicta est dispensandi etiam in foro externo, sublato penitus onere memoratum antea consilium requirendi *(K)*.

Ordinarii locorum indispensationibus conced. non tenentur Mission. consilium exquirer.

In quo casu teneantur Episcopi subdeleg. Mission. pro elargiendis dispensat.

Praeterea cum Episcoporum arbitrio concredita reperiatur facultas subdelegandi idoneos probatosque Sacerdotes, qui pro ipsis Episcopis subdelegantibus, in remotis Dioecesum locis, Dispensationes concedant pro exteriori seu judiciali foro *(L)*; ad confovendam eo magis inter Episcopos et Missionarios animorum consensionem, statutum est, ut si pro iis locis nulli deputati reperiantur Vicarii, vel absint spatio ducentorum milliariorum, non possint ab Episcopis alii subdelegari Sacerdotes; quam qui ab Apostolica Sede habent dispensandi fa-

cultatem; hi autem soli consueverunt esse Missionarii.

mandin facultas dispensandi in ssion. du-

Denique ad rectum usum facultatum dispensandi, adnotasse juvabit, facultatem dispensandi in foro conscientiae perpetuo concessam esse; eam vero, quae ad forum judiciale spectat, intra viginti annorum curriculum esse cohibitam *(M)*. Cumque juxta receptam praxim, soleat hujusce facultatis confirmatio indulgeri, omnino necesse est, ut Missionarii hac in re sibi provide consulant, non redigentes ad suprema propemodum statuti termini momenta cogitationem et curam petendae confirmationis; ne periculum subeant, vel nullitatis actus, si quid efficiant post elapsum facultatum terminum, vel fraudandi pauperes Christifideles opportunis malorum remediis, quatenus eo deveniant, ut hujusmodi facultatibus amplius uti non valeant. Haec sunt, quae in Apostolicis Constitutionibus San. Mem. Pii IV. Pont. Max. aliorumque ipsius Successorum, et in Pontificiis Brevibus Clementis IX. Alexandri VIII. Clementis XI. Clementis XII., et Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. feliciter Regnantis, continentur; quibusque, ut par est, observatis ac respective perpensis, non solum omnes submoventur controversiae, verum etiam facilis evadit et obvia

sponsa ad posita du-

responsio ad Dubia, quae ad Sacram Congregationem examinanda ac dirimenda transmissa fuerunt.

Primo itaque Dubio, quo quaeritur, an facultates concessae Presbyteris Societatis Jesu Missionariorum munus per Indias obeuntibus, et nominatim illae, quae Dispensationes Matrimoniales respiciunt, ad ea protendantur loca et provincias, in quibus non alii reperiuntur Infideles, quam qui aliunde venerunt, Christique fidem ultro amplexi sunt; affirmativum redditum responsum, ad formam tamen Brevium, et Constitutionum Apost. quae superius indicatae fuerunt.

Secundo itidem Dubio, quo quaeritur, an quatenus facultates ad memorata quoque loca protendantur, eaedem comprehendant Dispensationes Matrimoniales super impedimentis publicis, pro foro externo, tam ante, quam post contractum Matrimonium, concedendas; affirmative respondetur, juxta tamen disposita in Apostolicis Brevibus superius indicatis.

Tertio Dubio, quo exquiritur, an Missionarii praefatis facultatibus uti possint in iis locis, in quibus Dioecesani Episcopi similes obtinent facultates: respondetur, posse eos uti memoratis facultatibus, pro foro externo, tam in Matrimoniis contractis, quam in contrahendis dispensando, in iis tamen locis, in quibus non existunt Ordinarii similibus facultatibus instructi, vel absunt ultra duas Dietas, non minus ducentis millibus passuum, juxta id, quod itidem in Brevibus et Constitutionibus Apostolicis cautum reperitur.

Quarto, quo definiendum proponitur, num in iis casibus, in quibus possunt Missionarii dispensare in judiciali foro, hoc ipsis praestare liceat sine praevia summaria informatione coram Notario et Vicario loci capta, ad comprobandam Dispensationis causam et impedimenti qualitatem, vel potius sufficere dicenda sit verbalis et extrajudicialis informatio: responsum est, nihil esse innovandum: et quoniam superioribus temporibus sufficiens visa est moralis certitudo tum causae dispensandi, tum obstantis impedimenti, quantumvis judicialibus documentis non innixa, satius esse, ut eadem methodus in futurum quoque retineatur.

Ad quintum denique Dubium, respiciens convalidationem Matrimoniorum, de qua quaerebatur sub hypothesi eorum nullitatis, desumptae ex defectu facultatum in iis, qui Dispensationes concesserunt, ad ea Matrimonia ineunda: quum ex data superius responsione ad primum dubium satis deprehendere licuerit hujusmodi positionem, seu hypothesim non subsistere, nullus relinquitur respondendi locus.

A Pont. approbantur.

Haec itaque sunt responsa data, seu resolutiones captae in Congregatione Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum habita coram Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO PP. XIV., quas Sanctitas Sua, praevio maturo examine, approbavit et confirmavit; volens easdem, ad majorem solemnitatem, Apostolicis literis in forma Brevis roborari: praecipiensque, ut, quoties casus confirmandi hujusmodi facultates obvenerit, imposterum confirmatio non concedatur, nisi praemissa seria adnotatione temporis, quo indultum antea concessum fuerat, ut ita deprehendatur, an constitutus in eo terminus sit elapsus, exindeque valeat hac super re opportune provideri: Ac denique injungens omnibus

Ministris seu Officialibus utriusque Secretariae, videlicet Brevium Secretorum, et Congregationis de Propaganda Fide, ut sive nova fiat concessio, sive confirmatio facultatum jampridem obtentarum indulgeatur Missionariis Societatis Jesu, tam concessio, quam confirmatio, ad normam eorum, quae praesenti Decreto exposita sunt, atque statuta, in omnibus et per omnia redigantur et conformentur.

Monumenta, quibus innixa sunt ea, quae in supradicto Decreto Sanctissimi D. N. BENEDICTI Papae XIV. statuuntur.

(*A*) *In quocunque, seu quibusvis, non tamen in primo, Consanguinitatis vel Affinitatis gradibus:* Ita legitur in Brevi San. Mem. Alexandri PP. VIII. quod incipit: *Animarum saluti:* quod est 14. in ordine Tom. IX. novissimi Bullarii Romae impressi §. 9.

(*B*) *In primo gradu etiam rectae lineae ex copula illicita resultantis:* Haec sunt verba Brevis San. Mem. Clementis PP. XII. quod incipit: *Cum dudum:* et est 142. in ordine, Tom. XIV. citati Bullarii §. 2.

(*C*) *Ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant:* Ita legitur in Brevibus Summorum Pontificum Alexandri VIII. Clementis XII. et aliorum.

(*D*) *Praeterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputandis Presbyteris, cum Neophytis Provinciarum utriusque Indiae, aliarumque Maris Oceani Regionum, in quibus inter Infideles Fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dictas existunt, in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo, Consanguinitatis, vel Affinitatis gradibus, vel alias, conjunctis, seu se attinentibus, aut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen dispensandi; et insuper ibidem, locorum Ordinariis etc. etiam in judiciali foro: in reliquis autem Provinciis praefatis: Ordinariorum praesentia destitutis, vel ab eis ultra duos dietas praedictas, non minus ducentis millibus passuum remotis, Provincialibus et Deputatis Presbyteris praedictis cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro, gratis dispensandi:* Ita legitur in citato Brevi San. Mem. Alexandri VIII. §. 9. et in citato Brevi San. Mem. Clementis XII. §. 2.

(*E*) *Cum eisdem Neophytis in primo gradu, etiam rectae lineae, Affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut Matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant in occultis tamen, et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus justis causis, gratis tamen dispensandi:* Sunt verba citati Brevis San. Mem. Clementis XII. §. pariter 2.

(*F*) *Et insuper quia a nonnullis dubitatum, seu haesitatum fuit, an omnes Indigenae illarum Regionum oriundi et naturales, et Christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati, jure* Neophyti *appellari possint, idcirco tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus, omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium; imo etiamsi Æthiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum trasmarinarum regionum, etiamsi Christianorum filii, et in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis hujusmodi effectum esse et intelligi debere Neophytos . . . . Quin etiam quia de mixtim progenitis, quos* Mixtos *vocant, majus dubium accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum Neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et Matrimoniis contractis et contrahendis praedictis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare posse; eisdemque Presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam:* Verba sunt citati Brevis San. Mem. Alexandri VIII. §. 16. in quo etiam confirmatur similis alia praecedens Constitutio San. Mem. Clementis PP. IX. quae incipit: *Animarum saluti:* expedita die 8. Januarii 1669.

(*G*) Proposito in generali Congregatione Cardinalium Generalium Inquisitorum habita feria IV. die 2. Junii 1618. sequenti dubio: *An appellatione* Neophytorum *Indi solum noviter conversi comprehendantur; an non etiam qui sunt originarii per omnes eorum lineas, qua pro una dumtaxat parte ab illis originem trahunt, vulgo* Quarterones *appellati: et an comprehendantur, qui octavam partem per Proavum et Proaviam, et sive ab alterutro, sive ab utroque habeant, vulgo* Pucuelles *nuncupati:* Huic dubio responsum fuit: *Non comprehendi Quarterones, multoque minus Pucuelles:* Hoc Congregationis Responsum confirmatum subinde fuit, instante Rege

Catholico, una cum aliis Declarationibus, a San. Mem. Clemente PP. XI. in suis Apostolicis literis expeditis in forma Brevis die 29. Aprilis 1701. et iterum aliis literis Apostolicis in forma Brevis expeditis a Summo Pontifice BENEDICTO XIV. die 17. Julii 1748.

(*H*) Verba Brevium pro re, de qua nunc agitur, sunt comprehensiva *Omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, et etiam Æthiopum, Angolanorum, et quarumvis aliorum transmarinarum Regionum:* Id colligitur ex praecitatis verbis contentis in Brevi San. Mem. Alexandri VIII. §. 16.

(*I*) Verbum: *gratis:* reperitur in omnibus Apostolicis literis, et concessionibus ad hanc materiam spectantibus.

(*K*) Feria IV. die 3. Maji 1752. Lecto Memoriali, in quo Procurator Generalis Societatis Jesu postulabat renovationem facultatum extraordinariarum in forma Brevis, quae ab anno 1734. San. Mem. Clemente XII. ad annos viginti pro Missionariis ejusdem Societatis propagatae fuerant, Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardinales Generales Inquisitores dixerunt: *Pro gratia* renovationis Brevis, dempta tamen clausula, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit: et est, quae sequitur: *Et insuper locorum Ordinariis, ut de Presbyterorum eorumdem tamquam Adjutorum et Assessorum suorum, in locis praefatis, et ubi eorum commodae haberi potuerit copia consilio, et cum illis, etiam in judiciali foro:* Et Feria V. die ejusdem mensis in consueta Audientia per R. P. Assessorem S. Officii a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papa XIV. habita, Sanctitas Sua benigne annuit pro renovatione Brevis, dempta tamen clausula, ut supra. Hoc Decretum communicatum fuit per R. P. Assessorem S. Officii, R. P. Secretario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sub eadem die quinta Maji 1752.

(*L*) *Dictisque Ordinariis aliis Presbyteros idoneos a se prius approbatos, in locis, ubi non adsint Missionarii similem facultatem habentes, quoad praemissa in sui locum subdelegandi, licentiam et facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur:* Ita legitur in citato Brevi San. Mem. Clementis PP. XII. §. 2.

(*M*) In Brevi Apostolico San. Mem. Pii IV. expedito die 15. Junii 1563. habentur haec verba; *In foro conscientiae tantum perpetuo:* Prorogatio ad annos viginti *pro foro externo* legitur tam in hoc, quam in aliis subsequentium Summorum Pontificum Brevibus.

§. 2. Nunc autem cupientes, ut ea, quae praevio tam sedulo accuratoque examine, in praeinserto Decreto definita, decisa, et constituta fuerunt, eo semper firmius subsistant, et serventur exactius, praeinsertum Decretum singulaque in eo contenta, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, et quatenus opus esset, eadem illa ex integro, ac in omnibus et per omnia juxta praeinserti Decreti seriem et tenorem, dicta Apostolica auctoritate, ac earumdem praesentium literarum tenore, statuimus, decernimus, et ordinamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime, suffragari, ac respective ab iisdem observari debere; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationes, dictaeque Apostolicae Sedis Nuntios, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decret. hujusmodi Apost. auctos. munimine. oboratur.

§. 3. Non obstantibus contrariis forsan, etiam Apostolicis, seu in Synodalibus, aut Provincialibus Conciliis editis Constitutionibus et Ordinationibus, seu per dictas Indiarum Regiones invectis usibus et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, dictarum Regionum Ecclesiis, etiam Metropolitanis, earumque Praesulibus, seu cujusvis Ordinis, et Instituti, etiam praefatae Societatis Jesu, Missionibus, et Presbyteris Missionariis, in genere, aut in specie, etiam ad Regum, aliarumque sublimium Personarum instantiam, seu, quorumcumque meritorum intuitu; sub quacumque forma concessis, ac saepius confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis,

Sumpt. fides.

etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. 17. Januar. 1757. Pont. 17.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Januarii MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

LXVII.* Confirmatur Constitutio sub die XXIII. Augusti MDCCXLV. super Privilegia Fratribus quatuor Provinciarum Franciae, Sancti Bonaventurae, Turoniae Majoris, et Aquitaniae recentioris, nec non Magni Conventus Parisiensis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat., et extenduntur etiam ad alias Provincias cum iisdem cautelis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Emanarunt alias a Nobis quaedam in simili forma Brevis literae tenoris sequentis, videlicet — BENEDICTUS PP. XIV. Ad perpetuam rei memoriam — Ecclesiae Catholicae regimini meritis licet imparibus Divina dispositione praesidentes, illa, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris ad Divini cultus, ac religionis, piorumque operum incrementum, et propagationem provide emanasse noscuntur, ut firma semper, atque stabilia persistant, Apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, patrocinio libenter constabilimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ministri Provinciales, ac Fratres quatuor magnarum Provinciarum Galliae confederatarum nuncupat., videlicet Franciae, Sancti Bonaventurae, Turoniae majoris, et Aquitaniae recentioris, nec non magni Conventus Parisiensis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod ipsi a duobus et ultra saeculis Corpori, et Capiti ejusdem Ordinis adhaerent cum retentione usus simplicis bonorum stabilium sub administratione tantum Syndicorum Apostolicorum a fel. rec. Nicolao III., Martino V., Eugenio IV., Sixto IV., Alexandro VI., et Julio II. Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessorum, necnon etiam bonorum mobilium, fundationum, legatorum perpetuorum, et appositionis Cipporum, seu Truncorum in Ecclesiis, Sacristiis, et aliis piis Locis eorumdem Fratrum usui destinatis. Adeo autem constans fuit dictorum Exponentium in hujusmodi privilegiorum conservatione manutentio, ut cum tunc in humanis agens Franciscus Maria Rhini de Politio dum vixit dicti Ordinis Minister Generalis dictos Ministros Provinciales, aliosque Superiores, et Fratres dictarum Provinciarum eisdem Privilegiis spoliare voluisset, Causa hujusmodi agitata, et discussa coram bon. mem. Francisco dum pariter vixit Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Barberino nuncupato ejusdem Ordinis apud Sedem Apostolicam Protectore, auditis tunc quoque existentibus Procuratore, et Commissario Generalibus ejusdem Ordinis in Romana Curia commorantibus; idem Franciscus Cardinalis, et Protector die IX. Junii MDCLXXIII. suum decretum edidit, quo declaravit ipsos Fratres supradictis privilegiis uti, et frui debere, prout ab immemorabili usi fuerant; et subinde praemissa omnia recor. itidem mem. Clemens PP. X. Praedecessor etiam noster per quasdam suas in simili forma Brevis die XI. Augusti supradicti anni expeditas literas, cujus initium est — *Nuper pro parte dilectorum filiorum etc.* confirmavit. Quoniam autem anno MDCLXXIX. die XX. Novembris piae quoque mem. Innocentius PP. XI. Praedecessor pariter noster suam edidit Constitutionem sub Plumbo expeditam, quae incipit — *Sollicitudo Pastoralis Officii etc.* pro sustinenda pura Regulae dicti Ordinis observantia in universo eodem Ordine, qua omnes in genere dispensationes, concessiones, et consuetudines quorumcumque privilegiorum dicto Ordini concessorum revocatae, cassatae, et annullatae fuerunt, numquam autem tunc existentes Ministri Provinciales, Superiores, et Fratres memoratarum Provinciarum, ac Conventus putarunt sese in dicta Constitutione comprehensos esse, cum ipsi a tempore quo unili, et aggregati fuerunt ipsi Ordini sua praenarrata privilegia sibi reservaverint, iisque inconcusse, et inalterabiliter semper potiti fuerint, illaque eis tam a praefato Francisco Cardinali, et Protectore, quam ab ipso Clemente Praedecessore sibi confirmata, et renovata fuerint, utpote

necessaria ad conservandum suorum tam in publicis Sorbonae, quam in aliis in Galliae Regno existentibus Studiorum generalium Universitatibus dicto Ordini, Ecclesiaeque Catholicae adeo utilium decus, et incrementum: unde ab eo usque ad praesens tempus dictis privilegiis absque ullo conscientiae scrupulo uti perrexerunt; dicti vero Exponentes ad eorum conscientiae tranquillitatem privilegiorum hujusmodi confirmationem, seu novam concessionem sibi a Nobis concedi, ac in praemissis opportune provideri summopere desiderent. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, ac pro tempore existentibus Ministris, Provincialibus, Superioribus, ac Fratribus supradictarum quatuor Provinciarum, Franciae, Sancti Bonaventurae, Turoniae majoris, et Aquitaniae recentioris, necnon magni Conventus Parisiensis dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupat., ut ipsi supradicta Innocentii Constitutione minime obstante eisdem privilegiis, quibus antea usi fuerunt; nempe usu simplici bonorum, sive stabilium, sive mobilium, fundationum, legatorum perpetuorum, ac appositionis Cipporum, seu Truncorum in Ecclesiis, Sacristiis, et Locis piis, servatis omnibus, et singulis cautelis, quantum ad Syndicos Apostolicos hujusmodi a Praedecessoribus nostris praefatis demandatis uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; ac quatenus opus sit, privilegia praefata per Constitutionem dicti Innocentii Praedecessoris minime cassata, irrita, et inania existere, auctoritate, et tenore praefatis decernimus, et declaramus, illaque dicta auctoritate confirmamus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praefata Innocentii Praedecessoris, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis Provinciarum, et Conventus praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in Judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel extensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Augusti MDCCXLV. Pontificatus nostri Anno sexto — Cum autem, sicut dilecti filii Claudius Husson Definitor Generalis Provinciae Franco — Parisiniae, Joannes le Sage Ex-Definitor Generalis, Provinciae Turoniae Custos Custodum, Didacus Aragon Minister Provincialis Provinciae Aquitaniae antiquioris et Ludovicus Perdigon Pro-Minister Provinciae Sancti Ludovici Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia praedictorum Nobis nuper exponi fecerunt memoratae Provinciae in possessione, seu quasi possessione existant retentionis usus simplicis bonorum stabilium sub administratione Syndicorum Apostolicorum, qui per se, vel per alium suum substitutum recipit, et impendit fructus, redditus, et eleemosynas pro Fratribus alendis, vestiendis, et Ecclesiarum, Conventuum, Provinciarum praefatarum, vel Domorum reparationibus peragendis, construendis, conservandisque, sine quibus stare, et subsistere ne-

queunt his caritatis frigidis temporibus, non acceptis retributionibus; ac propterea dicti Exponentes pro Superiorum, et Fratrum Provinciarum praefatarum conscientiae quiete, et tranquillitate, memorata Constitutione ipsius Innocentii Praedecessoris non obstante, et supradictam facultatem per memoratas nostras literas primodictis Provinciis, et Conventui concessas ad secundo dictas Provincias per Nos extendi, et ampliari plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, referente Venerabili Fratre Nostro Francisco Episcopo Albanensi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Burghesio nuncupato Ponente, qui relationem dilecti filii Pro-Commissarii Generalis Curiae dicti Ordinis eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, praeinsertas Nostras Literas, ac omnia, et singula in eis contenta, et expressa ad favorem praedictarum Provinciarum, et Conventus expeditas, ac concessas ad Secundo dictas Provincias auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus, et ampliamus, seu de novo, servata in omnibus, et per omnia forma, et dispositione dictarum Literarum Nostrarum, auctoritate, et tenore praefatis, dicta Innocentii Praedecessoris Constitutione minime obstante, concedimus, et indulgemus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praefata Innocentii Praedecessoris, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, et Provinciarum hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in Judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Februarii MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Pro D. Card. Passionco.

Joannes Florius Substitutus.

Sequitur legalitas in forma etc.

Loco ✠ Signi.

Prohibitio extrahendi Libros, quinterna, folia LXVII.** sive impressa, sive manuscripta ex Bibliothecis Conventuum, et Hospitiorum Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Excalceatorum nuncupat. sub poena Excommunicationis Latae sententiae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Conservationi et manutentioni Librorum Bibliothecarum Conventuum, et Hospitiorum

Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum quantum cum Domino possumus benigne consulere, ac dilectum Filium Josephum a Sancto Bartholomaeo Superiorem Generalem ejusdem Ordinis specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis Personis sive Secularibus, sive Regularibus cujusvis Ordinis, status, gradus, conditionis, praeeminentiae, et Dignitatis, etiam Ecclesiastica, ac quacumque auctoritate, officio, et Superioritate fungentibus, et functuris, ne ullo umquam tempore libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta ad quamcumque materiam spectantia, et pertinentia tam hactenus in Bibliothecis Conventuum, et Hospitiorum Ordinis praefati collocata, reposita, et ad usum Religiosorum, et Bibliothecarum praefatarum empta, quam in posterum collocanda, reponenda, et emenda sub quovis quaesito colore, ingenio, causa, ratione, et occasione, ac praetextu ex Bibliothecis praefatis extrahere, asportare, commodare, et accipere, aut de uno ad alium Conventum, et Hospitium ipsius Ordinis transferre, seu ut extrahantur, asportenturque, sive ut commodentur, ut accipiantur, vel transferantur permittere, aut consentire quocumque modo audeant, seu praesumant sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constituti) absolutionis beneficium valeant obtinere, et quoad Regulares etiam suspensionis a Divinis, nec non privationis vocis activae, et passivae, ac Officiorum poenis ipso facto per contrafacientes incurrendis absque ulla alia declaratione auctoritate Apostolica tenore praesentium interdicimus, et prohibemus. Volumus autem in suo robore permanere debere Constitutionem dicti Ordinis Dist. II. Cap. XXIV., quae precipit, ut omnibus Religiosis de hac communi Bibliotheca sufficienter provideatur, quam Constitutionem locum habere non intendimus pro illis Libris, qui nuper a memorato Josepho Superiore Generali dicti Ordinis, et ab aliis Religiosis Bibliothecae Conventus Sanctae Barbarae Oppidi Matriti Toletanae Dioecesis attributi sunt, et in posterum attribuentur in ornamentum, et complementum dictae Bibliothecae; qui quidem Libri postquam assignati fuerint a supradicto Josepho Superiori Generali (durante suo munere) et postea a Provinciali, et Definitorio Provinciae non valeant retineri praeteritis tribus diebus in cellulis religiosorum, sed transacto statuto tempore trium dierum in Bibliotheca praefata sub poenis supradictis reponantur; Servata in reliquis omnibus forma enunciatae Constitutionis dicti Ordinis, pro eo quod respicit ad alios Libros ejusdem, vel alterius generis in supradicta Bibliotheca existentes. Permittimus autem, ut si necessitas, et utilitas Bibliothecarum dicti Ordinis id postulaverit; Libri ex Bibliotheca unius dicti Ordinis, Conventus, seu Hospitii ad Bibliothecam alterius Conventus, seu Hospitii transferri, ac permutari, et ut Libri duplicati alterius ex Bibliothecis praefatis, seu minus necessarii cum aliis magis necessariis, et utilibus Libris cum quibusvis Personis permutari, seu vendi possint, et pecunia ex venditione percipienda in alios necessarios Libros, non autem in alios usus, aut in commodum, utilitatemque Conventuum, et Hospitiorum hujusmodi impendi, et erogari; haec vero permutatio, seu venditio indispensabiliter fiat de consensu sive Capituli Generalis, sive Provincialis, et Definitorii Provinciarum dicti Ordinis, Librique sic permutati, et empti in propria Bibliotheca ipsiusmet Conventus, seu Hospitii reponi omnino debeant sub eisdem poenis. Demum cum experientia compertum habemus repositionem quorumcumque librorum in Bibliothecis cujusvis Ordinis in commodum, utilitatemque Religiosorum, ac bonum, incrementumque Bibliothecarum cedere, et conducere, volumus itidem, et sub supradictis poenis ipso facto incurrendis omnino praecipimus, et mandamus, ut omnes, et singuli Libri, qui post obitum cujusvis dicti Ordinis Professoris in proprio ejus cubiculo, seu cellula reperiuntur, vel ad proprium usum habeat, vel ex Religionis more ipsi concessi, si ad alium Conventum, seu Hospitium spectare dignoscuntur (ut contingere potest in Religiosis iter

agentibus, ac Hospitibus, et similibus) ad communem ipsius Bibliothecarum mittantur; Si autem ad alium Conventum, seu Hospitium non pertineant, in communi Conventus, seu Hospitii Bibliotheca, ubi e vita decesserit, collocentur, et reponantur; nec valeant Superiores cujuscumque conditionis, vel gradus sint, ad proprium usum, seu commodum sub eisdem poenis dictos Libros retinere, minusque in posterum Professores quicumque praefati Ordinis Libros, seu Codices, ac manuscripta ex eis, qui communi Bibliothecae Conventuum, et Hospitiorum praefatorum descripti, assignati, et deputati sunt, in alium transferant Conventum, seu Hospitium. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis, Conventuum, et Hospitiorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis exemplum ad hoc, ut omnibus notum fiat, tam in Archivio cujusvis Conventus, et Hospitii hujusmodi, ac in valvis Bibliothecarum praedictarum, aut alio in loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni, et legi possit affixum assidue remaneat: Quodque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die duodecima Februarii MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Pro Domino Cardinali Passioneo.

Joannes Florius Substitutus.

ANTIQUUS URBIS LXVII

Pantheon, nunc Ecclesiae Sanctae Mariae ad Martyres nuncupata, sub peculiari Romanorum Pontificum tutela suscipitur, ejusque Fabricae conservatio Apostolicarum Ædium Praefecto pro tempore committitur, Palatii Apostolici sumptibus procuranda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad summi Sacrorum Christianorum Antistitis curam specialiter pertinere non ambigitur, ut conservationi et decori Sacrarum Ædium diligenter prospiciat, earumque praesertim, quae remotissimae antiquitatis memoria, egregii operis amplitudine, et quod magis est, pretiosis Sacrarum Reliquiarum theusaris, ac singulari Christifidelium cultu jampridem conspicuae, inter alia Deo sacra loca supereminere, peculiarisque sollicitudinis studium sibi vindicare conspiciuntur.

Prooe

§. 1. His porro nominibus neminem ignorare arbitramur, quantum clarescat celeberrimum Romae Pantheon, quod olim a Marco Vipsanio Agrippa in Campo Martio extra Urbem insigni aeternoque opere extructum, nunc ipsius Urbis interiori, ac frequentissima regione situm deprehenditur, ex quo nimirum Aurelianus Imperator ejusdem Urbis ambitus latius prolatum, novis moenibus circumclusit; quod quidem Pantheon, ineunte septimo Ecclesiae saeculo, Praedecessor Noster S. Bonifacius Papa IV. ab Imperatore Phoca sibi concessum, et ab omni Gentilium superstitione expurgatum, vero aeternoque Deo sub invocatione Beatae Mariae Virginis Martyrum Reginae dicavit.

Quam cel bre Rom fuerit Ten plum Pa theon.

A S. Bon IV. Deo honorem Mariae Vi ginis Marty Reginae d catum, a que ingen Sacrarum r liquiar. cop insignitum

Ea occasione Sanctissimus Pontifex, veteris disciplinae retinentissimus, juxta quam incruentum Religionis Nostrae Sacrificium, aut ad ipsa Sepulchra Martyrum, aut super Altaria, quae simul eorum corporum conditoria evasissent, Omnipotenti Deo convenientissime offerri consuevit, ingentem vim Sacrarum Reliquiarum e variis Martyrum Coemeteris collectam, solemni instituta pompa, non minus XXVIII. curribus, ut vetus traditio docet, im-

positam, in acquisitum Christianae Religionis Templum invexit; nec alia occasione putandum est sub Ara majore collocata fuisse Corpora Sanctorum Martyrum Rasii et Anastasii, quae inibi reperta An. Jubilaei MDCLXXV. jubente piae memoriae Praedecessore Nostro Clemente Papa X., festiva prius supplicatione in eorum honorem, et ad intermortuam ipsorum memoriam in populo revocandam per Urbem ducta, in eumdem locum religiosissime restituta fuerunt.

Solemnis que exti- hujus De- ationis moria.

§. 2. Ecclesiae hujus Dedicatio, utpote insignis Christianae Fidei triumphus de extincta Idolatriae tyrannide, in Romana quidem Ecclesia adhuc ipso die consecrationis ejus, qui fuit tertio Idus Martii, anniversaria celebritate recolitur; ideoque ab antiquo tempore jugiter observatum fuisse evincit Sacramentarium vetus Gregorianum nuncupatum, ab Hugone Menardo editum, in quo praedictae diei Missa ita inscribitur; *In Natali Ecclesiae Sanctae Mariae ad Martyres:* quo scilicet *Natalis* nomine, non solum Martyrum obitus, sed Ecclesiarum quoque Dedicationes, ac etiam Sedium Episcopalium constitutiones, ipsasque Sacrorum Pastorum consecrationes ac enthronismos appellari consuevisse constat. Quum autem hujusce diei solemnitas per Christianum Orbem longe lateque propagata, frequentes ad Urbem attraheret Fideles eo anni tempore, quo consumptis jam superioris anni frugibus, saepe eveniebat, ut confluenti multitudini nequaquam sufficiens annona suppeteret; hinc satius visum est Praedecessori nostro Gregorio Papae IV. circa annum Domini octingentesimum trigesimum quartum, hujusmodi solemnitatem ad opportunissimum anni tempus, ad diem videlicet Kalendarum Novembrium, celebrandam transferre: quo facto, solemne Festum, quod nunc praedicta die, non solum in honorem Deiparae Virginis, et Sanctorum Martyrum, sed etiam in caeterorum omnium Coelestium spirituum, atque Sanctorum cum Christo regnantium memoriam, universa per Orbem Ecclesia concelebrat, institutum fuisse non dubitatur.

que hinc nslata ujusm. so- nnit. a eg. IV. ad um Kal. vemb. o- ium SS. um cele- ri coepit.

Magnus oque ad m Tem- m con- tus erat m. Eccl. xims an- Pentecos- n Domi-

§. 3. Celebris quoque fuit superioribus saeculis ad eamdem Ecclesiam Sanctae Mariae ad Martyres Romanae Ecclesiae Conventus, alia per singulos annos stata die haberi solitus, Dominica videlicet, quae Festum Pentecostes immediate praecedit; dum Pontifex cum universo Clero ad eam accedens, Stationemque ibi et Missarum solemnia celebrans, sermonem ad Populum habebat de Spiritus Sancti adventu proxime recolendo, in cujus typum, (ut ait Benedictus Canonicus in suo Caeremoniali, quod praedecessori Nostro Coelestino Papae II. tunc S. R. E. Cardinali Vidoni de Castello nuncupato, inscriptum edidit) *de altitudine Templi mittebantur Rosae in figuram Spiritus Sancti*, quae scilicet igneas linguas decidendo repraesentabant; unde etiam apud Scriptores Ecclesiasticos hujusmodi dies Dominica *de Rosis*, seu *de Rosa* appellata fuit, et adhuc hujusce ritus vestigium retinetur ab ipsius Eccl. Canonicis, quibus praedicta die Officia Divina in Choro persolventibus Rosae distribuuntur.

Collegial. Ec- Ecclesa jam- prid. extitit, titulusque Presbyt. Card.

§. 4. Ecclesia isthaec a vetustissimis temporibus non solum Parochialis, sed etiam Collegialis fuisse dignoscitur, insigni videlicet Saecularium Canonicorum Capitulo jugiter decorata: ac insuper ex autenticis Romanae Ecclesiae monumentis eruitur, eam aliquando Presbyteris Cardinalis Titulum extitisse, quamvis recentioribus saeculis inter Urbis Titulos minime adnumerata fuerit, donec fel. record. Praedecessor Noster Benedictus Papa XIII. adlecto in Diaconorum Cardinalium Ordinem bon. mem. Nicolao de Judice, qui sub Clemente XI., Apostolicarum Ædium Praefectus quum esset, eidem Ecclesiae instaurandae ordinandaeque praefuerat, Ecclesiam ipsam ad Diaconiae dignitatem evexit, dictumque Nicolaum primum Sanctae Mariae ad Martyres Diaconum Cardinalem renunciavit.

Ad Diaconiae dignitatem a Bened. XIII. restituta.

Olim quoque Cappellae Pontificiae nomine nuncup. et quare.

Sunt etiam, qui eamdem Ecclesiam Cappellae Pontificiae nomine appellarint, seu quia Pontifices propinquas illi Ædes ab Anastasio Papa IV. extructas, urbanis negociis commodius consulturi, identidem incolere consueverint; seu quia eamdem singulari studio sartam tectamque tueri, sacrisque donariis, vasis, ac vestibus instructam ornatamque habere, ac de omnibus ad eam pertinentibus, quasi peculiaris dominii jure, disponere nunquam omiserint.

Nonnullorum Pontific. provid. pro hujus Templi conservatione.

§. 5. Et sane in vitis Pontificum apud vulgatum Anastasium, frequens occurrit mentio tum profusae in eamdem Ecclesiam liberalitatis ac munificentiae, tum etiam assiduae circa illius statum et conservationem providentiae et curae Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum; inter quos merito

commemorandus videtur S. Gregorius Papa III., qui illata huic Sacro Templo gravissima damna ab Imperatore Costante, dum aereum amplissimi fornicis tectum, aliaque aedificii ornamenta simul ac firmamenta hostilem in modum abstulerat, murario primum opere diligentissime emendari curavit, mox plumbeis superinductis laminis totam molem ita communiit, ut gravissimae impensae opus nonnisi post septem elapsa saecula sub Nicolao Papa V. ex integro renovari necesse fuerit, idemque adhuc tegumentum, aliorum Pontificum studio temporibus suis opportune ac diligenter aptatum, augustam Ædem adversus vim temporum tempestatumque injurias satis tueatur.

Aliorum cura in eo ornando.

§. 6. Simili cura Praedecessores Nostri S. Benedictus II. et Hadrianus I. ad interiorem Templi ornatum conversi, illius Parietes marmoribus incrustasse narrantur; quamobrem alteri eorum merito tributus videtur ornatus ille, qui supra Ædificii Coronam, ad usque Fornicis curvaturam assurgens, dum per aetatem licuit, stetit; porphyreticis quidem, aliisque e vario marmore laminis speciosus, sed neque ad reliqui operis soliditatem exactus, neque ad priscam aedificandi rationem, quae Augustaeo seculo viguit, elaboratus. Idem Hadrianus Aram Templi principem contexerat argenteo Ciborio, quod sive hominum manibus sublatum, sive temporum injuria detritum, Innocentius VIII. marmoreum restituit.

Quod autem a Templi solo ad supradictam Coronam interjacet, fel. record. Praedecessor Noster Clemens Papa XI. hac Nostra aetate, aptissimo simul, ac splendidissimo ornatu decoravit, perpolitis ingentibus pretiosisque columnis; incrustatis vario marmore parietibus, novaque Ara Maxima magnifico opere extructa.

Externam vero Templi faciem, quam vetustate fatiscentem similis memoriae Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII. (aerei lacunaris reliquiis, ad ornandam Principis Apostolorum Confessionem, instruendamque tormentis bellicis Hadrianam Arcem, translatis) nova contignatione communierat, ac binis extructis ad usum aeris campani Turribus exornaverat, idem ipse Clemens XI. area laxata, Ægyptioque Obelisco supra Fontem erecto, speciosiorem pulchrioremque reddidit.

Pontifex etiam insigni opere tum conservationi, tum ornatui prospexit.

§. 7. Horum itaque aliorumque Praedecessorum Pontificum exemplis, Officiique Nostri debito, quod in aliarum Sacrarum Ædium decore tuendo, ac pro viribus augendo implere semper curavimus, excitati, et commonefacti; quum accepissemus, interiorem Testudinis partem, non solum contracto tot seculis volventibus situ sordescere, sed etiam decidentibus quotidie caementis, quaeque reliqua erant ex plumbeis laminis, quibus olim interius obducta fuerunt ipsius fornicis laquearia, secum trahentibus, non sine confluentium periculo, sensim labefactari; rem omnem sedulo explorari praecipimus, compertoque jampridem a fel. record. Alexandro PP. VII. Praedecessore Nostro admotas fuisse manus hujusmodi reparationi, quae, eodem morte intercepto, absolvi non valuit, opus ipsum ex integro resumi jussimus, appositisque miro Opificum Nostrorum artificio machinis, ingentes undique rimas obstrui, laquearia redintegrari, universumque fornicem firmari et perpoliri curavimus; mox etiam subjectum parietis gyrum, qui inter utramque Coronam intercurrit, ab antiquo squalore vindicaturi, novum illius ornatum totius aedificii formae respondentem albario tectorioque opere perficiendum mandavimus.

Exemplo Clem. XI. Cardin. Hieron. Columnae Apostol. Ædium Pro-Praefecto hujus operis cura demandata.

§. 8. Qua in re dirigenda urgendaque, quum egregia extiterit diligentia et opera Dilecti Filii Nostri Hieronymi SS. Cosmae et Damiani S. R. E. Diaconi Cardinalis Columnae nuncupati, ejusdem S. R. E. Camerarii, et Apostolicarum Ædium Pro-Praefecti, cui Nos, praefati Clementis XI. Praedecessoris exemplo, hanc curam demandavimus; ad asserendam perpetuo Sacri Augustique Templi conservationem valde opportunum, simulque recensitis superius Praedecessorum Pontificum studiis convenientissimum fore judicavimus, illius specialem tutelam in posterum in Nos et Successores Nostros susceptam, ejus vigilantiae committere, qui nunc et pro tempore Pontificii Palatii, ac caeterarum Ædium, quae peculiari jure ad Romanorum Pontificum curam, aut usus pertinent, Praefectus, et pro Officii sui munere Curator existet.

Apostol. Ædium pro tempore Praefecto id perpet. commit. ut praesit conservationi Pantheon, Palatii Apostolici sumptibus perficiendae.

§. 9. Itaque motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, Dilectos Filios Conservatores Camerae Urbis Romae, necnon ejusdem Camerae Fabricerios nuncupatos, ab omni cura et sollicitudine, qua hactenus circa sarta tecta ipsius Panthei, ad

instar aliorum veterum Urbis Ædificiorum et monumentorum, intendere consueverunt, absolventes et penitus liberantes: Dilecto etiam Filio Nostro Prospero S. Mariae ad Martyres Diacono S. R. E. Cardinali Columnae de Sciarra nuncupato, ejusque Successoribus praefatae Ecclesiae Diaconis pro tempore futuris, committimus et mandamus, ut a Capitulo Canonicorum ejusdem Collegiatae Ecclesiae, nunc quidem, cum primum commode fieri poterit, deinde vero singulis annis, seu quoties aliorum ipsius Capituli Officialium electio celebrabitur, duos ex ipsorum Canonicorum numero Æditos seu Fabricerios nuncupandos eligi et deputari curent, qui hujusmodi munus, ea qua decet, cura, et diligentia assumere atque obire sciant et valeant: Quibus sic electis, atque deinceps, ut praefertur, eligendis Nos, earumdem praesentium tenore injungimus, et mandamus, ut diligenter studioseque Panthei fabricam identidem scrutentur, explorantes numquid a quoquam factum, illatum, appositumve fuerit, quod ei detrimento esse possit, vel quidquam vetustate labefactatum, seu imbrium ac tempestatum vi dejectum vitiatumve appareat, quod opportuna reparatione emendari conveniat. Quaecumque autem providenda, ordinanda aut restauranda compererint, ea omnia quamprimum deferre non omittant ad nunc et pro tempore existentem Palatii Apostolici Praefectum; quem volumus deinceps, ad eum plane modum, quo caeteris Pontificiis Ædibus praeest, hujus quoque Templi fabricae conservandae restaurandaeque praeesse; illiusque indemnitati pro Officii sui auctoritate prospicere; ejusdemque reparationibus et restaurationibus pro tempore necessariis et opportunis, Apostolici Palatii sumptibus et expensis, consulere et providere: Nos enim praefato Hieron. Cardinali et Pro-Praefecto, ejusque Successoribus, per easdem praesentes, hujusmodi curam committimus et demandamus, atque ad praemissos effectus plenam et omnimodam facultatem et potestatem tribuimus et impertimur.

§. 10. Decernentes, has Nostras Literas et in eis contenta hujusmodi, etiam ex eo quod quicumque in praemissis aliquod interesse habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, seu ex quovis alio capite, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel quovis alio defectu notari, impugnari, aut in jus vel controversiam vocari posse; sed semper perpetuo firmas, validas, et efficaces existere et fore, atque ab iis, ad quos pertinet, seu in posterum pertinebit, omnimodae observari, iisque, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari. Non obstantibus, de jure quaesito non tollendo, aliisque Regulis, Constitutionibus, et Literis Apostolicis, nec non praedictae Urbis, et Camerae Capitolinae, seu praefatae Ecclesiae, ejusque Capituli et Canonicorum, Statutis, usibus, consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel immemorabili observantia, seu quavis firmitate alia roboratis, ac iteratis vicibus confirmatis et innovatis: Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus aliisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrarum absolutionis et liberationis, commissionum et mandatorum, facultatum impertitionis, voluntatis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Sanctio poenalis.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto, duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus Nostri anno decimoseptimo. Dat. 18 Feb. 1757. Pont. 17.

J. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

Visa

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

CONFIRMATIO LXIX.

Concordiae inter Archiepiscopum Moguntinum, S. R. I. Electorem, et Episcopum, atque Abbatem Fuldensem initae, super jure Metropolitico Ecclesiae Moguntinae in Episco-

patum, atque Ecclesiam Fuldensem; nec non super aliis utriusque Ecclesiae controversiis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis studium pro tuenda quiete, et tranquillitate inter Personas Pastorali dignitate insignitas.

Ad sacram Petri sedem in plenitudine potestatis, divina dispositione evecti, ad ea potissimum, quae pro personarum quarumlibet praesertim Pastorali dignitate praeditarum, quiete, et tranquillitate observari debere dignoscuntur, libenter intendimus, ac iis, quae vicissim provide per concordiae ministerium ordinata fuisse comperimus ut illa firma persistant, Apostolici muniminis robur adjicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Venerabilium Fratrum nostrorum Joannis Friderici Caroli moderni Archiepiscopi Moguntin. ac S. R. I. Electoris, necnon Adalberti moderni Episcopi, et Abbatis Fulden., ac ejusdem S. R. I. Principis, petitio continebat, quod cum inter dictum Joannem Fridericum Carolum Archiepiscopum, et Electorem, ac Decanum, et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Moguntinae ex una, ac praedictum Adalbertum Episcopum, et Abbatem, ac Decanum, et Capitulum Ecclesiae Episcopalis, et Abbatialis Fulden. ex altera partibus, ad removendas omnes controversias, et ad omnium dissensionum semina penitus tollenda quaedam concordia inita fuerit, cujus tenor est qui sequitur.

Tenor instrumenti Concord.

§. 2. Nos Joannes Fridericus Carolus Dei gratia S. Sedis Moguntinae Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, et Princeps Elector: Et Nos Adalbertus electus Episcopus, et Abbas Fuldensis, Sacri Romani Imperii Princeps, Augustissimae Romanorum Imperatricis Archi-Cancellarius per Germaniam, et Galliam, Primas etc. notum facimus, et profitemur etc. Dudum inter Archiepiscopatum, et Electoratum Moguntinum, ac principalem Abbatiam Fuldensem, optata per Divinam gratiam concordia, novisque frequenter ab Archiepiscopis Electoribus eidem Abbatiae impensis favoribus aucta viguit amicitia, ita quidem, ut cum circa annum 1532. cogitatum esset de erigendo Episcopatu Fuldensi, Archiepiscopus Elector Moguntinus tum temporis existens, ejusque Capitulum Metropolitanum erectioni hujusmodi, et Fuldensi tunc Abbatis sibi exposito desiderio faciles se praebuerint, et dum res ad exitum non perduceretur, ut Abbates Fuldenses Jura Moguntina porro libenter agnoverint, Archiepiscopi vero Moguntini eisdem Abbatibus saeculo praecedente Ecclesiasticam in Fuldensi Ditione Jurisdictionem reliquerint, eaque super re per Commissarios Moguntinos solemnem Anno 1662. concordiam inter Moguntinam Metropolitanam, Cathedralem Herbipolensem, et Abbatialem Fuldensem Ecclesias conciliarint, tenoris, qui sequitur:

Vetus transactio stipulata an. 1603 inter Archiepis. Mogunt. eumdemque et iam Episcop. Herbip. atque Abbatem Monast. Fuldensis integre hic repetitur.

§. 3. » Nos Dei gratia Joannes Philippus » Sedis Moguntinae Archiepisc., Sacri Roma- » ni Imperii per Germaniam Archicancellarius, » et Princeps Elector, qua Episcopus Herbi- » polensis, et Franciae Orientalis Dux etc.: » Et Nos Joachinus Abbas Fuldensis Sacri Ro- » mani Imperii Princeps, Romanorum Impe- » ratricis Archicancellar. per Germaniam, et » Galliam, Primas etc. notum facimus, et pro » Nobis, nostrisque Ecclesiis Herbipolensi, ac » Fuldensi, earumque Successoribus tenore » praesentium cunctis palam profitemur: po- » steaquam inde a pluribus annis inter honora- » biles Praedecessores nostros, Nos, et concre- » ditas Nobis Ecclesias multifariae differentiae, » et contentiones, et in specie quidem ob prae- » tensam a Nobis Episcopo Herbipolensi in » diversa loca, et Parochias dictae Fuldensis » Ecclesiae potestatem Ecclesiasticam, et Ju- » risdictionem Episcopalem, exortae sunt, ex » quo schismata, et inordinationes in rebus » tam Ecclesiasticis, quam saecularibus, in » notabile utriusque Ecclesiae, et boni publi- » ci detrimentum, non vane suspicari potui- » mus, quod tandem Nos Episcopus Herbi- » polensis, et Nos Abbas Fuldensis, suasu, et » fideli interpositione, atque hortatu Eminen- » tissimi Principis, ac Domini Joannis Philip- » pi S. Sedis Moguntinae Archiepiscopi, Sacri » Romani Imperii per Germaniam Archican- » cellarii, et Electoris, Episcopi Herbipolen- » sis, et Franciae Orientalis Ducis, qua Ar- » chiepiscopi, et Electoris Moguntini, Domi- » ni, et Amici nostri in primis dilecti, maxi- » meque venerandi, ex studio vicinitatis, et » affectu, praevia inter nostros ad id deman- » datos utraque ex parte, Consiliarios, et re- » spective Legatos, tractatione, prae primis

» autem cum praescitu, et consensu Reverendo-
» rum nostrorum Episcopi Herbipolensis di-
» lectorum devotorum Praepositi, Decani, et
» Capituli nostrae Ecclesiae Cathedralis Her-
» bipolensis, uti etiam Reverendorum nobi-
» lium nostrorum Abbatis Fuldensis dilecto-
» rum ac devotorum Decani, et Capituli Ec-
» clesiae Fuldensis, ad incrementum, et con-
» servationem bonae vicinitatis, et mutuae
» consensionis, necnon in matura perdiffici-
» lium, nostrosque ante oculos observantium
» temporum, ac circumstantiarum contempla-
» tione, atque hinc perspecta summa necessi-
» tate artioris inter Nos conjunctionis, et in
» nostrae praesertim Abbatis Fuldensis Eccle-
» siae bonum tendentis concordiae ineundae,
» sequenti ratione per amicam transactionem
» inter Nos conventum fuerit, prut etiam hi-
» sce transigimus modo, quo sequitur.

Plenissim. sdictio uati Ful- si tribui- in Cle- et Po- isibi sub- am;

» §. 4. » Et primo quidem, cum ratione
» Episcopalis, et Ecclesiasticae Jurisdictionis,
» quam (Nobis Episcopo Herbipolensi, et Ve-
» nerabilibus nostris Praedecessoribus in di-
» versa Fuldensis suae dilectionis Ecclesiae Lo-
» ca, Coenobia, et Parochias competere ha-
» ctenus praetendimus) differentiae essent ob-
» ortae, dum dilectio sua Fuldensis supra di-
» ctam Jurisdictionem Episcopalem a tempore
» immemoriali exercitam, et ad se traductam
» fuisse constantissime tueri voluit; ita conve-
» nit inter Nos, et promisimus Nos Episcopus
» Herbipolensis, quatenus Dilectionem suam
» Fuldensem, ejusque Successores, et Eccle-
» siam, ratione Jurisdictionis Ecclesiasticae
» hucusque praetensae, nullatenus post hac
» impugnare velimus, sed eamdem pro nunc,
» et perpetuis temporibus integraliter relin-
» quimus libere, atque ultronee penes Dile-
» ctionem suam, ejusdem Successores, et Ec-
» clesiam Fuldensem; ut Ecclesia Fuldensis
» sit, maneatque eatenus nullius Dioecesis,
» habeatque ejusdem Antistites in Clerum et
» Populum Jurisdictionem Ordinariam priva-
» tive, qualis Praelatis Episcopo inferioribus,
» et de facto Reverendissimo Fuldensi sive de
» jure, sive ex consuetudine, competente,
» hancque Jurisdictionem exerceat, ut hacte-
» nus exercita est, tam in Civilibus, et Ma-
» trimonialibus Laicorum, quam in Benefi-
» cialibus, et Criminalibus Clericorum, aliis-
» que Ecclesiasticis Causis quibuscumque, si-
» ve per se, sive per Vicarium (aut Commis-
» sarium suum) quos constituere, et destitue-
» re, sicut et Clerum in omnibus tam Curatis
» quam non Curatis Beneficiis instituere, et
» destituere, visitare, Synodum convocare,
» et alia omnia facere, quae ab hac Jurisdi-
» ctione quasi Episcopali dependent, ipsi sem-
» per integrum sit, sine ullo appellandi Jure
» ad Nos Episcopum Herbipolensem, salvo ta-
» men Jure Metropolitano, et remedio appel-
» lationis ad Metropolitanum, juxta ordinem
» ab Ecclesia Catholica, cunctisque Dioecesi-
» bus hujus Provinciae Moguntinae laudabili-
» ter receptum, et in viridi observantia con-
» stitutum: salva item libertate pro iis, quae
» sunt Ordinis, quaeque ex defectu gradus,
» Reverendissimo Fuldensi competere neque-
» unt, non tantum Regulares, sed et Clericos
» saeculares sui Principatus mittendi, sive ad
» Metropolitanum, sive ad Nos Episcopum
» Herbipolensem, pro Ordinibus sacris susci-
» piendis: salva item libertate quemcumque
» accersendi Catholicum Antistitem pro Sa-
» cramento Confirmationis, consecrandis Ec-
» clesiis, Altaribus etc., idque sine nostra,
» nostrorumque Successorum, et Ecclesiae in-
» terpellatione, contradictione, et impedi-
» mento, quomodolibet haec nuncupari, aut
» excogitari queant. Nos tamen Abbas, et
» Princeps Fuldensis hisce per expressum de-
» claramus, quod Jurisdictio quasi Episcopa-
» lis a Dilectionibus suis Domino Archiepisco-
» po, et Electore Moguntino, uti etiam a Do-
» mino Episcopo Herbipolensi, ut praefertur,
» Nobis relicta, non diutius, quam dum Ec-
» clesia et Principatus noster Fuldensis, juxta
» fundationem, in Catholicorum manibus per-
» stiterit, vigere, et in suo robore permanere
» debeat. Ubi vero per vim majorem, vel aliam
» quamcumque viam (quod, uti speramus,
» avertet Dei clementia) in alienas, sive Ca-
» tholicorum, sive Acatholicorum manus de-
» venerit, volumus, ac statuimus, ut tali ca-
» su haec transactio neque Archiepiscopo Mo-
» guntino, neque Episcopo Herbipolensi ul-
» latenus cedat in praejudicium, nec illi hac
» teneantur, sed Jus suum Episcopale plenarie
» tunc manutenendi, atque exercendi libe-
» ram habeant potestatem. Quemadmodum
» etiam Nos Joannes Philippus qua Archiepi-
» scopus Moguntinus, et Nos Joannes Philip-
» pus qua Episcopus Herbipolensis, hoc inspe-
» rato casu, Nobis Jura nostra, et Potestatem

Salvo tamen Metropolit. jure Eccles. Moguntin. aliisque omnibus conditionibus.

» per expressum reservamus, hancque cessio-
» nem eo usque dumtaxat exclusive valituram
» hisce declamus.

Nuper electis Abbatibus injungit, ut de sua electione certiores faciant Archiep. Mogunt. et Episc. Herbip.

§. 5. » E contrario, ac pro secundo; quo-
» niam praesentis concordiae finis unicus, sco-
» pus, ac propositum est, ut nostra utriusque
» Archiepiscopi Moguntini, et Episcopi Herbi-
» polensis amica, et vicinali cooperatione, at-
» que assistentia, nostra Abbatis Fuldensis Ec-
» clesia eo melius adversus hostiles, ac violen-
» tos impetus defendatur et protegatur: Hinc
» nostri Abbatis Fuldensis Successores pro
» tempore existentes, vigore praesentium, obli-
» gentur, ut quamprimum aliquis a nobili
» Capitulo per canonicam Electionem in lo-
» cum Abbatis et Principis fuerit suffectus, id-
» ipsum semper Nobis Electori Moguntino, ut
» Mediatori, et absque eo Provinciae Mogun-
» tinae Metropolitano, tum etiam Nobis Epi-
» scopo Herbipolensis, per literas notificare,
» atque una confirmationem supradictae ces-
» sionis, necnon actualem, quatenus necessi-
» tas exegerit, apud ipsos manutenentiam
» amice teneantur postulare.

Hi vero, jurisdict. et superiorit. Ecclesiast. eidem Abbati, in vim hujus concord. relictae, confirm. teneant.

§. 6. » Tertio; quo facto etiam Nos Archie-
» piscopus ac Princeps Elector Moguntinus,
» et Nos Episcopus Herbipolensis, pro Nobis,
» Successoribus, et Ecclesiis nostris spondé-
» mus per praesentes, ac pollicemur, quod ad
» confirmationem a Dilectione sua Fuldensi
» praedicto modo petitam superioritatis Eccle-
» siae, et Jurisdictionis quasi Episcopalis, vi-
» gore hujus Concordiae eidem relictae, et
» quidem absque ullis impensis, vel taxae
» cujusdam pensione impertiendam, necnon
» ad praestandam reipsa manutenentiam, casu
» eveniente, pariter obstricti et obligati esse
» debeamus ac velimus.

Tenor Epist. qua Abbas suam electionem Archiep. Mogunt. et Episc Herbip. nunciat.

§. 7. » Quarto; ad evitandam vero in ejus-
» modi petitione respective confirmationis, et
» responsoria declaratione, omnem ambigui-
» tatem, dissensiones, conventum inter Nos
» omnes, ac constitutum est, quatenus illae
» sequentis tenoris esse, et constanter manere
» debeant; ex parte videlicet nostra Abbatis
» Fuldensis ad utramque suam Dilectionem
» Moguntinam, et Herbipolensem (mutatis
» mutandis) ut sequitur » *Praevia parata Of-*
» *ficiorum nostrorum oblatione. Dilectionem Ve-*
» *stram propensae vicinitatis confidentia celare*
» *non debemus, qualiter Nos post decessum (N.)*
» *Venerabilis Praedecessoris nostri p. m. concor-*
» *dibus suffragiis, et electione nobilis nostri Ca-*
» *pituli hujatis, in Abbatem, et Principem Ful-*
» *densem non ita pridem, et die quidem (N.)*
» *electi fuerimus, simulque in actuali, et tran-*
» *quilla nostrae Abbatiae, et Principatus Ful-*
» *densis possessione constituti. Cum itaque probe*
» *recordemur, qualem concordiam Venerabilis*
» *Praedecessor noster Abbas (N.) anno (N.)*
» *die (N.) cum Dilectionis Vestrae Domino*
» *Praedecessore tanquam Mediatore, uti etiam*
» *cum sua Dilectione Herbipolensi celebravit,*
» *conventumque inter ipsos praeter alia fuerit,*
» *ut quivis Princeps, et Abbas Fuldensis, mox*
» *ab electione, confirmationem Jurisdictionis Ec-*
» *clesiasticae ea in concordia nostrae Ecclesiae*
» *relictae, tum etiam manutenentiam, necessita-*
» *te flagitante, per literas petere, et vicissim Di-*
» *lectio Vestra eam Nobis pariter per literas re-*
» *sponsorias sine recusatione impertiri, et respe-*
» *ctive assecurationem praestare teneatur, ac ve-*
» *lit; Eapropter Dilectionem Vestram officiose*
» *requirimus, ut ad has nostras memoratae su-*
» *pra Concordiae conformes petitorias literas, ea-*
» *tenus se erga Nos declarare dignetur, quatenus*
» *in praedicta Concordia continetur, et paci-*
» *scentium congruit intentioni. Qui ad Officia*
» *Dilectionis vestrae omni tempore prompti per-*
» *manemus.*

Exemplar responsionis ab his Abbat. reddendae.

§. 8. » Quinto: Ad responsorias vero tam
» Nobis Archiepiscopo, et Electore Mogunti-
» no, quam a Nobis Episcopo Herbipolensi,
» et Franciae Orientalis Duce, ad Dilectionem
» suam Fuld. dandas, quod attinet, erunt hae
» (mutatis mutandis) vicissim tenoris sequen-
» tis » *Praevia etc. Redditae Nobis fuerunt Di-*
» *lectionis Vestrae perhumanae literae de die (N.)*
» *ex quibus perlegimus, eamdem unanimi Nobi-*
» *lis Capituli sui consensu in Abbatem, et Prin-*
» *cipem Fuldensem fuisse electam, esseque in*
» *actuali, et pacifica possessione constitutam: et*
» *quae praeterea in vim Concordiae anno (N.)*
» *erectae. Ipsa Nobis revocare in memoriam vo-*
» *luit. Quemadmodum igitur Dilectioni Vestrae*
» *ad obtentam istam Principalem Dignitatem, et*
» *Fuldensis Ecclesiae Administrationem, omnem*
» *a Deo benedictionem, gratiam, opemque appre-*
» *camur: ita quoque ex praescripto memoratae*
» *Concordiae non solum relictam tum temporis*
» *Dilectionis Vestrae Praedecessori p. m., ejus-*
» *que Successoribus, et Ecclesiae, Jurisdictio-*
» *nem Ecclesiasticam, in praesens plenarie de-*
» *nuo confirmamus, et ratificamus, verum etiam*

» *promptos Nos paratosque declaramus, ubi Di-*
» *lectionem Vestram, ejusdem Successores, et*
» *Ecclesiam, praeter omnem spem et opinionem,*
» *a quocumque demum, spectatim vero a Catho-*
» *licis, vel Acatholicis vicinis, aut externis, in-*
» *memorata Jurisdictione Ecclesiastica, aliisve*
» *Juribus suis infestari, aut turbari contingeret,*
» *Nos eidem omnem vicinalem assistentiam, ope-*
» *ram, ac manutenentiam (prout eo casu a Di-*
» *lectione Vestra fuerimus requisiti, et reliquae*
» *tulerint circumstantiae) nullo non tempore*
» *praestituros. Dum Nos Dilectioni Vestrae gra-*
» *ta etc.*

gra u-
ue spon-
Tran-
nois ob-
ntia.

§. 9. » Secundum haec omnia, asserendo » promittimus ac spondemus Nos Joannes Phi- » lippus qua Archiepiscopus Moguntinus, et » Mediator, et Nos quoque Joannes Philippus » qua Episcop. Herbipolensis, Franciae Orien- » talis Dux, ac Nos Joachimus Abbas Fulden- » sis etc. respective Elector, et Principes, pro » Nobis, nostris in Metropolitana Moguntina, » Herbipolensi, ac Fuldensi Ecclesiis Succes- » soribus, interpositis nostris Electorali, et » Principalibus Dignitatibus, fide et fidelita- » te, quod contenta in hac Concordia puncta » omnia et singula firmiter inviolata servare, » neque iis umquam contraire, vel ut contraea- » tur, permittere velimus, sive per Nos, sive » per nostros, quacumque ratione, aut via, » ac quocumque id demum fiat nomine, aut » excogitare in contrarium mens humana va- » leat: prout etiam praeter nunc adducta hu- » jus transactionis puncta, omnes et singulos » olim fortasse habitos tractatus; et conven- » tiones praesentium tenore penitus abolemus, » iisque per expressum perpetuo renuntiantes » universim abrogamus, et cassamus. In cujus » rei fidem, ac perenne robur Nos saepe me- » moratus Joannes Philippus qua Archiepisco- » pus Moguntinus, et Mediator etc. tum etiam » Nos Joannes Philippus qua Episcopus Her- » bipolensis, et Franciae Orientalis Dux etc. » et Nos Joachimus Abbas Fuldensis etc. hanc » Concordiam manu propria subscripsimus.

» Et nos Joannes ab Hoppenheim condi- » ctus de Saal, Decanus, et universum Capi- » tulum Ecclesiae Metropolitanae Moguntinae, necnon Nos Joannes Hartmannus de » Rosenbach, Decanus, et Capitulum univer- » sum Ecclesiae Cathedralis Herbipolensis, et » Nos Matthias Benedictus de Rindorff Deca- » nus, et Capitulum universum Ecclesiae Ful- » densis; profitemur, et notum facimus per » praesentes literas, pro Nobis, et Successori- » bus nostris, hanc Concordiam Nobis scienti- » bus, et consentientibus initam, atque ere- » ctam fuisse, quemadmodum in eam vigore » praesentium consentimus fideliter, fraude ac » dolo remotis. In cujus rei testimonium Emi- » nentissimi, et Reverendissimorum Domino- » rum nostrorum Electoris, et Principum si- » gillis, etiam consueta Capitulorum nostro- » rum sigilla his Literis apposuimus. Actum » die 23. Martii Anno 1662.

» *J. Philippus A. M. E. H. manu propria.*
» *Joachimus Abbas manu propria.*

L.S. L.S. L.S. L.S. L.S.

» Archiep. Mog. et Ep. Herbip. | Abbatis Fulden. | Cap. Metrop. Mog. | Cap. Cath. Herbip. | Cap. Fuld.

§. 10. Quae quidem Concordia ab Archiepiscopo Moguntino, qua tali, necnon simul qua Episcopo Herbipolensi, ac Abbate Fuldensi subscripta, triumque Ecclesiarum Moguntinae, Herbipolensis, et Fuldensis Capitulari consensu, et sigillis munita, plures per annos inviolata feliciter substitit; sed cum Apostolica careret confirmatione, et Herbipolensi Ecclesiae Cathedrali minus utilis videretur, eaque propter impugnata pro parte Episcopi Herbipolensis, per judicata Sacrae Romanae rescinderetur, acrior Herbipolensem inter et Fuldensem Ecclesias coram Sacrae Rotae Tribunali lis exorta fuit, donec tandem ad novas easdem inter Ecclesias Concordiae leges anno videlicet 1722., ac novissime anno 1751. deventum est; quam postremam quidem Concordiam Hammelburgi initam Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus dignatus est confirmare. Archiepiscopi interea Moguntini, rogatu Placidi Abbatis Fuldensis in Concordia anni 1662. persistentes, nec litem Herbipolensis Ecclesiae quantumvis implorati suam facientes, Abbatiam novis favoribus prosequi non dubitarunt, atque tum maxime, cum pro obeundis in Fuldensi Ditione Pontificalibus, Episcopus in Partibus ab Apostolica Sede indulgeretur, cui concessioni non tantum minime sunt reluctati, verum etiam ut Consecrationis munus in ipsa reciperet Electorali Urbe Moguntina, fecerunt facultatem; cum vero anno 1752. de erigendo

Sequitur tenor recentis Concord.

Plures lites super concordia ann. 1662. inter Ep. Herbipol. et Abbat. Fuld. excitatae per aliam concord. inter eosdem initam anno 1751. sedatae sunt. Vide supra p. 18. CONST. III. Archiep. Mogunt perstiterunt in concordia an. 1662.

Episcopatu Fuldensi ageretur, re cum Ecclesia Metropolitana Moguntina haud communicata, ac ipsa erectio Episcopatus a SS. Domino Nostro BENEDICTO XIV. Pont. Max. desuper 5. Octobris 1752. edita perficeretur; tunc vero temporis existens Abbas, et Princeps Fuldensis Episcopatum istum Fuldensem neo-erectum exemptum, nullique Metropolitano, sed soli S. R. Sedi subjectum crederet; ea super re ex parte Metropolitanae Ecclesiae Moguntinae conquestum fuit, et in litis hujus decursu, supradicta Concordia de anno 1662. Moguntinam inter, et Fuldensem Ecclesias inita, ab Abbate Fuldensi asserta fuit insubsistens. Demum vero decima Augusti anno 1755. a Sanctissimo Domino BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo re mature discussa, ac adhibitis in consilium omnibus Sacrae Rotae Auditoribus, habitoque illorum in scriptis unanimi suffragio, definitum fuit, constare de jure Metropolitico Moguntino in totum Territorium Fuldense, edito subinde desuper Apostolico Brevi dato 15. Septembris 1756. tenoris sequentis.

Vide supra p. 27. CONST. IV. Post erectionem Abbatiae Fuldensis in Episc. lis exorta super jure Metrop. Archiep. Mogunt. Ejus tamen favore a Pont. definita.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Literae Apostol. in forma Brevis desuper expeditae.

§. VI. *Saluberrimum Apostolicae providentiae, benignitatisque institutum a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus sapientissime initum, servatumque, ut iis quidem, quibus potuissent titulis et honoribus insignes Ecclesias magis magisque ad Numinis Divini cultum, et Christifidelium utilitatem adaugerent, sed pari nihilominus circumspectione, ac diligentia Hierarchicum Ecclesiae Catholicae ordinem, in hisce ipsis honorum largitionibus inviolatum, atque intactum, Decretis, ac rescriptis suis custodirent: a suscepti Pontificatus Nostri exordio ita, quoad nobis integrum fuit, tenere, et sequi studuimus, ut nullas hac in re Apostolicae nostrae vigilantiae partes ubique Gentium desiderari passi fuerimus: Quamobrem cum insignis, et antiquissima Abbatia Fuldensis, quae intra fines Provinciae Moguntinae sita esse non ambigitur, multis nominibus clara, maxime vero propter privilegia, quibus per Romanos Pontifices, atque ipsos etiam saeculares Principes locupletata fuit, in Germania plurimi fieret, magnoque in honore haberetur, non immerito Nos, ad majus Catholicae Fidei praesidium, atque ornamentum, Abbatiam ipsam in Episcopatum erexerimus, ejusque Abbatem pro tempore existentem in Episcopum, et Abbatem insimul constituimus; quemadmodum ex aliis nostris sub plumbo expeditis literis, quarum tenorem, quatenus opus sit, hisce praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum vero post Episcopatus hujusmodi erectionem, atque Episcopi ordinationem, quaedam eruperit controversia super authoritate, quae Archiepiscopo Moguntino in dicta nova Episcopali Dioecesi Metropolitico Jure competere deberet; Ut ea quam citius, et absque ulla judiciali strepitu absolveretur, controversiam ipsam ad Nos vocavimus, reque tota per Nos ipsos diligenter considerata, itemque in Consilium adscitis peritissimis in Jure Canonico Viris nostrae Romanae Rotae Auditoribus, quemadmodum eximia Moguntinae Sedis Dignitas non inter Germanos tantum, sed universo Christiano Orbi perspecta exposcere videbatur, laetati admodum sumus, quod eorum suffragia tum oretenus, tum etiam scripto exposita, et in manibus nostris relicta cum concepta jam prius in mente nostra sententia prorsus convenirent. Quapropter uniformi praedictorum Auditorum sensui inhaerentes, ea ipsa die, videlicet decima Augusti superioris anni 1755. decrevimus, ac declaravimus, praedictas nostras literas super erectione abbatiae Fuldensis in Episcopatum, atque alias praecedentes itidem nostras super approbatione, et confirmatione cujusdam concordiae inter Episcopum Herbipolensem, et Abbatem Fuldensem peractae, ita semper accipiendas esse, interpretandas, atque intelligendas, ut per eas nihil omnino detractum, aut imminutum censeatur de authoritate, et Jure Metropolitico, quod in tota Provincia, atque adeo etiam in novo Episcopatu Fuldensi, et universa ejus Dioecesi, Moguntino Archiepiscopo competit, juxta praescriptum SS. Canonum, et S. Concilii Tridentini; salva tamen ex alia parte, atque illaesa manente exemptione passiva, atque immediata subjectione huic S. Sedi Apostolicae, quibus hactenus juxta formam suorum Privilegiorum gavisi sunt, et gaudere debent Monachi omnes, et Monasterium Fuldense, cum sua Abbatiali Ecclesia, quae nuper in Cathedralem erecta est, aliisque Ecclesiis, quae secundum praesentem statum, eidem Monasterio pleno Jure incorporatae, et subjectae reperiantur: Ita tamen ut Populus, et Clerus saecularis ab ejusmodi Ecclesiis quomodolibet dependens, propter hoc a Jure Metropolitano praedicto nequaquam exemptus censeatur. Quo*

itaque firmius Decretum hoc nostrum subsistat, et servetur exactius, Decretum ipsum tenore praesentium Apostolica authoritate confirmamus, atque inviolabili Apostolicae firmitatis robore communimus. Decernentes, idem Decretum, et praesentes nostras literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, judicari, et definiri deberet ac irritum, et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et quibuscumque aliis in contrarium praemissorum etiam a Nobis quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Septembris 1756. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

Cajetanus Amatus.

§. 12. Nos itaque Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus Moguntinus, et Princeps Elector etc., et Nos Adalbertus electus Episcopus, Abbas, et Princeps Fuldensis etc. ad reducendam inter utramque Ecclesiam Moguntinam, et Fuldensem pristinam concordiam, ac ad illam inviolabiter, et in perpetuum stabiliendam, et ad removenda omnia, quae futuris perpetuis temporibus Catholicorum, et Vicinorum Principum amicitiam, et quietem turbare possent, re mature diuque deliberata, habitoque cum Capitulis Ecclesiarum nostrarum tractatu, deque eorum consilio, et consensu, in sequentibus reductae pacis, et concordiae leges convenimus — Nos Adalbertus electus Episcopus Abbas, et Princeps Fuldensis, praehabita jam tempore Sedis nuper vacantis in Capitulo nostro deliberatione, ac re etiam dejnceps uberius perpensa, cognoscentes non aliam futurae cum Ecclesia Moguntina pacis, ac stabiliendi novi Episcopatus Fuldensis basim esse posse, quam supradictam Concordiam anno 1662. inter utramque Ecclesiam feliciter initam, et usque ad recentes annos magno Fuldensi Abbatiae bono observatam; Nos ab Eminentissimo et Celsissimo Principe Archiepiscopo Electore Moguntino Domino nostro cum primis Venerando, ejusque Capitulo Metropolitano, ejusdem Concordiae continuationem decenter petivimus, et petimus per praesentes, eamdemque futuris perpetuis temporibus illibatam servare, tam pro Nobis, quam nostris in Ecclesia Fuldensi Successoribus, promittimus, Nosque, Successoresque nostros ad literas in eadem concordia praescriptas, nihil immutato illorum tenore, nisi quoad Episcopi nomen, obligamus.

Mutatis tamen iis quae sunt de exercitio Pontificalium.

§. 13. Cum tempore concordiae anni 1661. in Fuldensi nostro Territorio non extaret Episcopus cum exercitio Pontificalium, sed Ordinandi, juxta Concordiae leges, mittendi essent, sive ad Metropolitanum, sive ad Episcopum Herbipolensem, haec et reliqua ibi de Pontificalium exercitio dicta, ipsa novi Episcopatus Fuldensis erectione mutata intelligantur.

Jus quoque Metrop. Archiep. Moguntini in universam Dioecesim suam agnoscit, et Brevi Apostolico obedientiae praestiturum pollicetur.

§. 14. Cum ab omni retro tempore Praedecessores nostri Abbates, et Capitulum Fuldense, Archiepiscopos Moguntinos, usque ad nuperae litis exordium, agnoverint totius Territorii Fuldensis Metropolitanos, Nos quoque Dilectionem suam modernum Eminentissimum Dominum Archiepiscopum et Electorem Moguntinum, ejusque in perpetuum Successores, tanquam Metropolitanos nostros, et universae Dioecesis nostrae Fuldensis eis et trans amnem Fuldam agnoscimus, ac pro nobis, et Successoribus nostris promittimus Nos supremae Apostolicae Definitioni supradictae, et Brevi Apostolico desuper edito die 15. Septembris anno 1756. supra de verbo ad verbum inserto, plenariam debitam paritionem praestare velle, sicque totum, et integrum Episcopatum nostrum Fuldensem (salva tamen, atque illaesa manente exemptione passiva, atque immediata subjectione S. Sedi Apostolicae quoad Personas in eodem Brevi expressas) Metropolita-

nae Moguntinae Ecclesiae subjectum, et suffraganeum esse, et manere debere profitemur.

Profitet. se aurraturum ne Appellationes ad Metrop. a quopiam impediantur.

§. 15. Et cum contra bonam fidem, et amicitiae leges ageretur, si nostri Fuldenses subditi a quopiam quomodolibet absterrerentur ab appellationibus ad Metropoliticum Moguntinum Judicium, juxta ordinem ab Ecclesia Catholica praescriptum, interponendis, cavere studebimus omnino, ne ab Ecclesiasticis, vel Saecularibus nostrae Ditionis Magistratibus, vel Particularibus etiam Personis, impediantur iidem Fuldenses nostri subditi ab appellationibus in omnibus Causis ad Vicariatum Generalem Episcopatus nostri devolutis, ad Metropolitanum Moguntinum interponendis, vel prosequendis; quem in finem etiam hanc nostram concordiam, Apostolica confirmatione secuta, Vicariatui nostro Generali, Parochisque notam faciemus. Cumque sic omnis discordiae fomes sublatus sit, Nobis promittimus, fore, ut sua moderni Eminentissimi Domini Archiepiscopi Electoris Moguntini Dilectio Abbatiam nostram in Episcopatum legitime erectam, Nosque, et Successores nostros legitimos Episcopos Fuldenses tam cis, quam trans amnem Fuldam agnoscat, et ut in S. R. Imperio, ejusque Comitiis, et Tribunalibus, ac ubicumque opus fuerit, Nobis et Successoribus nostris praedicatum, ac titulus Episcopi tribuatur, officia sua impendat.

Archiep. Moguot. quoque suam fidem obligat pro observanda Concordia anni 1662.

§. 16. Et Nos Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, et Princeps Elector etc. Praedecessorum nostrorum, praesertim Joannis Philippi Archiepiscopi Electoris Moguntini exempla secuti, de consilio, et consensu Metropolitani nostri Capituli, ob salutares fines supra expressos Concordiam saepedictam de anno 1662. superius insertam hisce renovatam volumus, ac renovamus, declarantes pro Nobis et Successoribus nostris, eamdem Concordiam perpetuis temporibus valere, et quae ibidem in favorem Abbatiae Fuldensis disposita sunt, observari inviolabiliter debere. Nosque, et Successores nostros praedictos ad epistolam cujuscumque eligendi Fuldensis Principis, ea, quae in Concordia praescribitur, formula responsuros esse, ac promissam in iis opem, assistentiam, ac manutentionem praestituros.

Admittit exempt. passivam Abbatiae Fuldensis in Apost Brevi praeservatam.

§. 17. Sicuti nihil novi umquam petere, vel Fuldensis Abbatiae Juribus, et privilegiis quidquam detrahere voluimus, ita non tantum exemptionem passivam Fuldensem in supradicto Apostolico Brevi praeservatam et stabilitam sponte agnoscimus, sed etiam ne contra illam quidquam a quocumque tentetur, invigilabimus.

Ejusdem erection. in Episc. et Abbat. in Episc. se agnoscere profitetur.

§. 18. Similiter Antecessorum nostrorum Archiepiscoporum benevola erga Fuldensem Abbatiam vestigia, et faventem Episcopatus Fuldensis erectioni intentionem secuti, eamdem Episcopatus Fuldensis erectionem a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo factam, hisce probamus et laudamus, atque Dilectionem suam modernum Reverendissimum Dominum Abbatem, et Principem Fuldensem, legitimum totius Dioeceseos Fuldensis cis et trans amnem Fuldam Episcopum, nostrae tamen Ecclesiae Metropolitanae Moguntinae suffraganeum agnoscimus, et ut ubique in Sacro Romano Imperio agnoscatur, officiis nostris non deerimus.

Cavetur, ut ab utraque parte Apostolic. Beneplac. impetretur pro hujus Concord. confirm.

§. 19. Hanc nostram Concordiam Nos Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus Moguntinus, et Princeps Elector, et nos Adalbertus electus Episcopus, Abbas, et princeps Fuldensis, ut eo magis roboretur, et perpetuis temporibus inviolata perduret, Sanctae Sedi Apostolicae prout Praesules, et Principes eidem vere devotos decet, submittemus, ejusque Apostolicam Confirmationem per nostros ibidem Ministros, ante confirmationem modernae novae Electionis Fuldensis, una rogabimus. Ante obtentam vero eamdem Apostolicam confirmationem hujus Concordiae, et omnium in illa contentorum, eadem haec Concordia in nullius partis praejudicium poterit allegari, sed utriusque Ecclesiae Jura, salva, et integra manere debent.

Utraque pars hinc Concor. sanctissime se observatur, promittit et recipit.

§. 20. Atque haec nostra Concordia matura deliberatione feliciter inita, sicque a S. Sede confirmata, perpetua basis mutuae inter Ecclesiam Metropolitanam Moguntinam, et Cathedralem, et Abbatialem Fuldensem amicitiae existet, neque contra illam exceptiones ullae, cujuscumque nominis, aut Pontificum, Caesarumque Constitutiones, Bullae, literae, vel Privilegia, nomine tenus vero Bulla Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi super confirmatione Concordiae Hammelburgensis inter Herbipolensem et Fuldensem Ecclesias initae, vel subsequuta Episcopatus Fuldensis erectio, et desuper edita Apostolica Constitutio, aut aliud quodcumque poterit allegari; prout alte fatus Sanctissimus

Dominus noster in Brevi Apostolico supra inserto jam diserte declaravit, haec omnia Juribus Moguntinis nihil derogare. In cujus rei majorem fidem Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus Moguntinus, et Princeps Elector, et nos Adalbertus electus Episcopus, Abbas, et Princeps Fuldensis has Concordiae paginas signavimus, et nostris jussimus communiri sigillis. Moguntiae die duodecima Februarii, Fuldae die 18. Februarii anno 1757.

J. Fridericus Carolus Archiepiscopus, et Elector. — Adalbertus Electus Episcopus Abbas et Princ. Fuld.

L.S. L.S.

Nos similiter Joannes Franciscus Antonius ab Hoheneck Decanus, totumque Capitulum Metropolitanum, necnon Nos Carolus de Pechenbach, Decanus, et totum Capitulum Ecclesiae et Abbatialis Fuldensis, pro nobis, nostrisque utrinque Successoribus, profitemur Concordiam hanc suprascriptam, cum scitu, consilio, et consensu nostro in omnibus, et per omnia fuisse initam, prout eidem omni meliori modo consentimus, eademque omnia probamus et laudamus. In quorum fidem Eminentissimi et Reverendissimorum DD. Nostrorum Electoris, et Principum sigillis, etiam consueta Capitulorum nostrorum Metropolitani Moguntini, et Cathedralis ac Abbatialis Fulden. sigilla his literis apposuimus. Moguntiae 15. Febr. Fuldae 18. Febr. anno 1757.

L.S. L.S.

Quod copia praecedens vero suo originali, praehabita diligenti et accurata collatione in omnibus de verbo ad verbum consona et conformis sit, vigore appositi Sigilli Electoralis Moguntini corroboratur. Moguntiae die 16. Februarii 1757.

In fidem

L. S. — P. Matthaeus Maria Regim. Electoralis Moguntini Secretarius et Expeditor.

§. 21. Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus, et Elector, ac Adalbertus Episcopus, et Abbas praefati, Concordiam hujusmodi pro debito ergo Sedem Apostolicam obsequio, et reverentia, in omnibus ejus judicio, et authoritati subjectam esse voluerunt; quapropter Nobis supplicari fecerunt, ut Concordiam praedictam Apostolica authoritate approbare, et confirmare de benignitate Apostolica dignaremur; hujusmodi autem precibus Nos inclinati, hujusmodi negotium confirmationis ad Congregationem Particularem super rebus Consistorialibus praepositam expendendam remittere dignati sumus, ac eadem Congregatio praefatae Concordiae Instrumento diligenter inspecto, omnibusque in ea contentis accurate perpensis, sub die 22. Mensis Martii proxime praeteriti, censuit Concordiam praedictam esse confirmandam, adjectis tamen nonnullis clausulis, quibus Nobis placuit, alias quoque clausulas etiam adjungere, prout ex Decreto ejusdem Congregationis latius apparet: cujus quidem dictae Congregationis Decreti tenor est, qui sequitur:

Moguntin. et Fulden. Confirmationis Concordiae.

Ejusdem Congreg. decretum.

§. 22. Cum inter Eminentissimum, et Reverendissimum Dominum Joannem Fridericum Archiepiscopum, et Electorem, ac RR. Decanum, et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Moguntinae ex una, et R. P. Adalbertum electum Episcopum, et Abbatem, ac RR. Decanum, et Capitulum Ecclesiae Episcopalis, et Abbatialis Fulden. ex altera partibus, ad removendas omnes controversias, et ad omnium dissensionum, ac simultatum semina penitus tollenda, Concordia inita, et mense Februario proxime praeterito propriis subscriptionibus munita fuerit, quam pro debito erga Apostolicam Sedem obsequio, ac reverentia, in omnibus ejus Judicio, et authoritati subjecta esse voluerunt: ideo tam praedicti Archiepiscopus Moguntin., quam Episcopus, et Abbas Fuldensis, Literis ad Sanctissimum Dominum nostrum datis, humiliter supplicarunt, ut eam Apostolica authoritate approbare, et confirmare dignaretur. Hujusmodi autem precibus per Sanctitatem suam ad Congregationem Consistorialem Particularem remissis, eadem Congregatio, Concordiae Instrumento diligenter inspecto, omnibusque in ea contentis accurate expensis, censuit, Concordiam esse confirmandam; Ita tamen ut nullum unquam inde praejudicium illatum intelligatur alteri Concordiae initae inter Episcopum Herbipolensem, et Abbatem nunc Episcopum Fuldensem, et a Sede Apostolica confirmatae per Apostolicas Literas sub plumbo Kal. Octobris 1752. tum etiam erectioni Episcopatus Fulden., ejusque jurisdictioni Ordinariae, per similes Literas ter-

CONGREG. IDEM CENSUIT CONCORD. ESSE CONFIRMANDAM NONNULLIS ADJUNCTIS CLAUSULIS.

tio nonas Octobris anno 1752. *nec non Juri Motropolitico Archiepiscopi Moguntini per alias Literas in forma Brevis die* 15. *Septembris* 1756. *expeditas; factaque per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua dictae Congregationis sententiam benigne approbavit, decrevitque, ut omnia in iisdem Apostolicis Literis suis contenta, quatenus opus sit, de novo data, indulta, concessa, approbata, et confirmata censeantur. Datum Romae die* 22. *Martii* 1757.

Loco ✝ Sigilli.

J. Cardinalis Millo.

N. Antonellus Sac. Congregationis Consistorialis Secretarius.

Juxta Congreg. Decret. Concord. confirm. Apostol. auctorit.

§. 23. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ea, quae ab Apostolica Sede approbantur, et confirmantur, firmius subsistant, et ab omnibus exactius observentur; proindeque Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus, et Elector, ac Adalbertus Episcopus, et Abbas praedicti, plurimum cupiant Concordiam praedictam, cum dictis adjunctis clausulis in praedicto Decreto appositis, ac Decretum hujusmodi, per Nos et Sedem Apostolicam, ut infra, approbari, et confirmari: Quare pro parte tam dicti Joannis Friderici Caroli Archiepiscopi et Electoris, quam Adalberti Episcopi, et Abbatis praedicti, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum, ac Archiepiscopi, et Abbatis Fulden. praedicti pro tempore respective existentium, quieti, et tranquillitati in praemissis opportune providere, ipsosque specialis gratiae favore prosequi de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui quantum cum Domino possumus, diuturnam pacem, mutuamque amicitiam inter Ecclesiasticas Personas, praesertim Pontificali dignitate insignitas, non tantum promovere, sed et stabilire sinceris desideramus affectibus, Joanni Friderico Carolo Archiepiscopo, et Electori, ac Adalberto Episcopo, et Abbati praedictis, specialem gratiam facere volentes, eorumque singulares personas, a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Concordiam hujusmodi, cum praedictis clausulis in eodem Decreto expressis, necnon Decretum hujusmodi, Apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, ac Concordiam hujusmodi, cum praedictis clausulis in eodem decreto expressis, necnon Decretum praedictum, ab ipsis modernis, et pro tempore existentibus Archiepiscopo et Electore Moguntin., ac Episcopo et Abbate Fulden., ac ab aliis, ad quos spectat et pertinet, ac spectare et pertinere poterit in futurum, et perpetuo observari, nec illi ullo umquam tempore derogari posse, neque debere.

Decreta cum derogatione contrariis.

§. 24. Praesentes quoque Literas Apostolicas semper, et perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et sic ab omnibus censeri; et ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-legatos, dictaeque Sedis Nuncios, judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Ecclesiarum Moguntin., et Fulden., etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Sanctio.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, ac decreti, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. 21 Mai 1757. Pont. 17.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo septimo, duodecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

J. S. Villa

Loco ✝ Plumbi.

LXX. MISSAM CELEBRANTES.

Aut Fidelium Confessiones excipientes ad Presbyteratus Ordinem non promoti, quibus poenis ex sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum praescripto subjiciantur; quae praxis hactenus in Judiciis adversus hujusmodi reos sit servata, et quomodo inposterum sit providendum.

Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, Locorum Ordinarios.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, etc.

Pontific. stit. de ebr. non motis, umque nis.

Quam grave horrendumque scelus admittat, quicumque Sacerdotali Ordine non initiatus, Sacrificium Missae celebrare praesumit, superfluum censemus multis verbis demonstrare; quum omnibus perspectae sint rationes, ob quas sacrilegum hujusmodi crimen merito detestandum, atque districto poenarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicas Praedecessorum nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus severissimae adversus memorati criminis reos poenae statuuntur; quae scilicet a fel. record. Paulo IV., Sixto V., Clemente VIII., et Urbano VIII. Romanis Pontificibus editae fuerunt; quarum sanctionibus decernitur, ut quicumque Sacerdotali charactere destitutus, compertus fuerit Missam celebrasse, Foro saeculari puniendus tradatur.

ddita hum. Sanon. firmicontra exgitatas udes.

§. 2. Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus, et confirmavimus in nostra, quam usque ab anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIV. Pontif. Nostri IV., sub Dat. XII. Kal. Majas edidimus, cujus initium est: *Sacerdos in aeternum*, quaeque impressa est in Bullario Nostro *Tom.* 1. *n.* 97, ubi praeterea plures tolluntur exceptiones, et subterfugia, quae per Defensores reorum afferri solebant, ut eos eximerent a decreta poena traditionis brachio saeculari; quantumque legitimis probationibus plane constaret, eosdem, Sacerdotali ordinatione nunquam suscepta, Missam celebrasse.

enam in ditos hoes sic irgat Eccl. lenis, piæe Matris ritum ser-

§. 3. Quamvis autem Ecclesia praefatos celebrantes non promotos, justitia sic exigente, saeculari Foro tradendos decrevit; quum tamen eadem pia mater sit, et ut omnibus constat, lenitatis et misericordiae viscera gerat, nec umquam omisit, nec adhuc desinit mansuetudinis suae argumenta praebere, tum in statuenda forma degradationis verbalis quae realem degradationem praecedit; tum in ipsa reali degradatione exequenda; tum denique in providis legibus, et cautelis editis atque susceptis, ut nequissimos homines arceret a sacrilego ausu se se immiscendi Sacror. Mysteriorum celebrationi, absque Sacerdotali ordine et charactere, viam illis quodammodo praeoccupando, qua in praefatam poenam traditionis brachio saeculari prorsus possent.

Id eruitur primo ex praescripta verbalis degradationis forma.

§. 4. In Pontificali Romano habetur forma degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem, non minus in eos, qui Sacris Ordinibus, excepto Presbyteratu, insigniti sunt, quam et caeteros Clericali tantum Tonsura, aut Minoribus initiatos. Hoc solum inter utrosque intercedit discrimen, quod in Clericos Minorum Ordinum, aut simpliciter Tonsuratos, verbalis degradatio peragitur, seu quod idem est degradatio realis decernitur a solo Episcopo, absque aliorum quorumcumque interventu: in alios vero Majoribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos non licet Episc. ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus, et suffragium simul ferentibus aliis quibusdam personis, quarum praesentiam, sententiamque Canonicae Leges exposcunt:

Indicant. de ea canonicae sanctiones.

§. 5. Celebris est Decretalis Praedecessoris Nostri Bonifacii Papae VIII. *in Cap. degradatio, de Poenis, in sexto*, ubi haec leguntur: *Super quo tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus, vel Gradibus Ecclesiasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus certo Episcoporum numero definito Canonibus, facienda; quamquam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum praesentia, sufficiat in degradatione eorum, qui Minores dumtaxat Ordines receperunt.*

Subsidiaria degradationis forma a Concilio Trident. permissa.

§. 6. Notae sunt etiam sanctiones Canonum, quos indicat Glossa Canonica, *in cit. Cap. Degradatio, in verb. Canonibus — de poenis, in sexto*, quique definiunt numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuncianda sit degradatio verbalis adversus Clericum in Majoribus ordinibus constitutum.

Assessores in verbali degradat. quo jure frustentur.

§. 7. Nec quemquam latere potest quod in Sacro Concilio Tridentino statutum fuit *Sess.*

XIII. cap. 4. de reform., ubi quum animadversum fuisset, non ita facile in occurrentibus degradationum casibus reperiri posse numerum Episcoporum a Canonibus requisitum, facultas fit Episcopis procedendi etiam absque illis; adhibitis tamen, sibique ea in re assistentibus totidem Abbatibus, in Civitate, aut Dioecesi residentibus, atque usu Mitrae et Baculi ex Apostolicae Sedis indulto decoratis, vel, si hi non adsint, aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, matura aetate, et sacrarum legum scientia spectabilibus.

§. 8. Quoniam vero juxta veterem disciplinam, verbales degradationes peragebantur in Synodis Provincialibus, et in his quidem singuli Episcopi suum proferebant suffragium; quum nunc Episcopi, vel alii Ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Conciliis Provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse jus ferendi suffragii in degradationibus verbalibus, ad quas, uti Assessores, invitantur; quemadmodum plene demonstratum a Nobis fuit in nostro Tractatu *De Synodo Dioecesana*, *lib.* 9. *cap.* 6. *n.* 4. *novissimae edit.*

In reali quoque degradat. Ecclesia eadem praebet lenitatis argum.

§. 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cujus exequendae ratio distincte praescribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perspicua lenitatis, et pietatis suae argumenta praebere. Etenim priusquam degradatum tradat saecularis Curiae Ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne poena mortis, aut mutilationis membrorum eidem infligatur: *Domine Judex*, verba sunt citati Pontificalis, *rogamus Vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis, et misericordiae intuitu, et nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis.* Multoque ante Pontificalis Romani compilationem, idipsum expressum legitur in *Cap. Novimus*, quod est Innocentii III. *De verbor. et signific.* ibi: *Pro quo tamen*, sermo est de degradato, saeculari Curiae tradendo, *debet Ecclesia efficaciter intercedere*, apud Judicem laicum, *ut citra mortis periculum, circa eum sententia moderetur.* Videri quoque potest Alteserra *ad cit. Cap. Novimus, de verb. signif.* ubi plures colligit Patrum auctoritates congruentes iis, quae in praeindicata Decretali statuuntur.

§. 10. Ad confirmandum autem assumptum nostrum, de summo pietatis studio, quo Ecclesia etiam nil tale meritos prosequitur, vianique ipsi interclud re nititur, ne mortis poenam per delicta incurrant: dicimus, antiquissima providentia cautum fuisse, ut qui e propria in alienam Dioecesim transgreditur, nisi fuerit in hac plene cognitus, secum ferat Ordinarii sui literas quibus fides fiat, eum esse Sacerdotem, nulloque, quod sciatur, Canonico impedimento detentum, quominus Sacra Mysteria celebrare queat. Jam id decretum habetur in Sacra Chalcedonensi Synodo; ubi quum interdictum legatur Clerico atque Lectori, e sua in aliam Dioecesim commigrare, non praeobtentis memoratis literis, quas Discessus appellamus, a proprio Episcopo; Jacobus Cujacius, aliique post eum accurati Scriptores, monuerunt, cum vera Textus lectione non congruere verbum, *Lectori*, sed *ignoto*; quemadmodum et ipsi adnotavimus *in nostra Institutione* 34. *editionis latinae* §. 1. Quod si vetustiora etiam propositae disciplinae principia investigare libeat, consuli possunt Canones, qui Apostolici vocantur, apud Cotelerium in editione *Patrum Apostolicorum Tom.* 1. *lib.* 8. inter quos adest Canon XIII. ita decernens: *Si quis Clericus, aut laicus, a communione suspensus, vel communicans, ad aliam properet Civitatem, et suscipiatur praeter commendatitias literas; et qui susceperunt, et qui susceptus est communione priventur: excommunicato vero proteletur ipsa correptio, tamquam in mentitus sit, et Ecclesiam Dei seduxerit.* Consonat huic Canon XXXIV. ut patet ex subjectis illius verbis; *Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, sine commendatitiis suscipiatur epistolis, et cum scripta detulerint, discutiantur attentius: et ita suscipiantur, si probatione pietatis extiterint: sin minus, nec quae sunt necessaria subministrentur eis, et ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.*

Idem spiritus eruitur ex cautelis ad praecavenda delicta statuta.

Provida sanctio de Sacerdot. e propria in alien. Dioecesim commigr.

Vetustiora circa id ipsum monum.

§. 11. Porro, quidquid disputent eruditi de vero Canonum Apostolicorum Auctore, certum est, eos magnum auctoritatis pondus habere, quum saltem saeculo Ecclesiae tertio decurrente collecti fuerint ex pluribus Conciliis ante Nicaenam Synodum celebratis: uti nunc temporis inter sacrarum antiquitatum investigatores convenire videtur.

Canonum Apostol. auctoritas et antiqu.

§. 12. Sanctissimis hisce legibus conformes sunt Concilii Tridentini sanctiones: conformes

Vetustioribus congruunt recentior. Ecclesiae leges.

sunt Epistolae Encyclicae a Congregationibus Urbis ad Ecclesiarum Antistites saepe transmissae. Idque etiam pro firmo tenendum est, quod licet non oporteat Episcopum sollicitum esse de Regularibus, qui in propriis Ecclesiis Missas celebrare intendunt, quum ejus rei cura reservata sit eorum Superioribus Regularibus; si quis tamen saecularis Sacerdos in Ecclesiis Regularium Missam celebrare velit, hic etiam debet literas Discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cujus Dioecesi Sacrum vult peragere, uti videre quoque est in Nostra *Institutione* 34. *latinae editionis* §. 1.

§. 13. Veterem hanc, justissimamque sanctionem, de cujus executione plura tradiderunt nostri Scriptores pragmatici, (quos inter merito memorandus est diligentissimus Monacellus *Formular Legal. Part.* 1. *Tit.* 4. *Formul.* 8. *pag.* 81. *et Formul.* 6. *pag.* 79. *item Tit.* 6. *Formula* 18. *pag.* 160.) providis excogitatis cautelis plurimum roboravit magnus Ecclesiasticae disciplinae restitutor S. Carolus Borromaeus, cujus hac de re Decreta pluribus in locis extantia studiose legenda, et expendenda monemus; videlicet in Concilio Provinciali Mediolanensi primo habito anno 1565. *part.* 2. in secundo pariter Provinciali anni 1569. *Tit.* 2. *Decret.* 1., ac in Provinciali tertio, anni 1753. item de Instructione ad Sacerdotes de celebratione Missae, ac denique in Concilio Provinciali quarto celebrato anno 1579. Quibus in locis constitutum habetur, ut Parochus, in cujus Paroecia Sacerdos alienigena domicilium figit, si id per Dioecesim contingat, intra octo ad summum dies, illius adventum nunciare debeat Vicario Foraneo, qui rem ad Episcopum deferat; si autem in Civitate, Parochus ipse de omnibus certiorem faciat Episcopum, qui sibi literas discessus ab hujusmodi Sacerdote exhiberi mandet, easque inspiciat, totumque earum tenorem sedulo expendat. Si enim Ordinarius subdito sibi Sacerdoti licentiam abessendi ad certum definitumque tempus indulserit, facultas celebrandi Missam eidem non ultra tempus illud concedenda decernitur. Notanda quoque jubetur dies qua expeditae fuerunt literae discessus; ne scil. ante eam diem, qua inspiciendae, ac discutiendae offeruntur, antiquiores sint duobus, vel quatuor, aut respective sex mensibus; duobus nimirum, si literae confectae sint intra Provinciam, quatuor vero, si extra Provinciam, in Italia tamen expeditae fuerint; sex denique, si extra Italiam datae comperiantur.

§. 14. Ex omnibus hisce tum generalibus, tum peculiaribus sanctionibus manifeste desumitur, quantopere Ecclesia abhorreat ab ea poena ad effectum perducenda, quam Sacri Canones in Celebrantes non promotos sanxerunt; quandoquidem tot veluti aggeres hominibus objiciuntur, ne in ejusmodi delictum labantur, unde locus fiat executioni ejusdem poenae Sacris Legibus definitae.

Praemissarum conclusio.

§. 15. Majoris tamen ponderis, ad hoc ipsum evincendum, est id, quod subjicimus. Sistit se aliquis coram Ecclesiastico Judice, seque ipse denunciat, quamvis Sacerdotali Ordine destitutum, Missarum Sacrificia celebrasse, vel etiam Sacramentales Christifidelium Confessiones audisse. Ita se sponte sistens, eo privilegio gaudet, ut impositis ipsi salutaribus poenitentiis, dimittatur; nisi tamen in ipso suo Constituto diminutus, ut ajunt, vel aliunde praeventus fuerit; in his enim casibus carceribus custodiendus includitur. Sed si idem subinde Judici interroganti, an sciat causam, ob quam carceribus mancipatus sit, statim, non expectatis ulterioribus interrogationibus, seu quaesitis, sincere rem totam aperiat; quamvis de illius incursu in poenales Apostolicarum Constitutionum sanctiones non dubitetur; ideoque dignus sit, qui saeculari Foro, uti capitalis criminis reus, libere tradatur; nihilominus admittitur ad beneficium minorationis poenae, commutata ipsi poena mortis in damnationem perpetuam ad triremes; uti testatur bon. mem. Cardinalis Albitius harum rerum peritissimus, in suo Tractatu *de Inconstantia in Fide part.* 1. *cap.* 14. *num.* 70. *Si vero citatus, et vocatus, ad generalem interrogationem, an sciat qua de causa fuerit vocatus, vel sciat causam suae carcerationis, vel quomodo hic reperiatur, fatetur de plana veritatem, is tractatur, ac si esset sponte confessus, et cum eo mitius agitur, praesertim post condemnationem, ut scilicet gravior poena commutetur in mitiorem etc. Et ita fuit resolutum in sacra Congregatione sub die* 12. *Maji* 1604.

Instaur. validius argum.

Cum se sponte sistentibus, vel crimen statim fatentibus quomodo res transigat.

§. 16. Illud etiam animadversione dignum est, quod quamvis in Pontificali Romano praescripta reperiatur degradatio, etiam a prima Clericali Tonsura, licet de hac quaestio sit, an inter Ordines numerari debeat, nec ne;

Hodierna praxis circa verbalem et realem degradat.

possitque Judex Ecclesiasticus, uti praenotavimus, quando agitur de Minoribus Ordinibus, solus per se verbalem Degradationem peragere, quod ipsi non licet sine aliorum interventu, ubi res est de Ordinibus Majoribus; nihilominus nunc temporis Sacerdotes, aliique Clerici, tam Majorum, quam Minorum Ordinum, ad Triremes libere amandantur, vel etiam perpetuo carceri mancipantur, sine praevia verbali, multoque minus reali Degradatione; uti cuique perspectum est, et adnotatum quoque fuit a Sacerdote Catalani *Comment. ad Pontif. Rom. Tit.* 16. §. 4. *n.* 6. *Tom. III.*

Factum unde exorta praesens quaestio.

§. 17. In Tribunalium Ecclesiasticorum carceribus nunc quoque satis superque reperiuntur aliqui, eo nomine detenti, quod Sacerdotali Ordine carentes, Missas celebraverint, Sacramentales Fidelium Confessiones excepérint, iisdemque etiam Eucharistiam Communionem expetentibus, Particulas distribuerint a se nulliter consecratas. Hos inter, duo erant, qui statim ac interrogati fuerunt, num detentionis suae causam scirent, omnia ingenue confessi sunt; orta est quaestio, an iidem admittendi essent ex quo ad beneficium minorationis poenae; ita nimirum, ut non quidem Saeculari Foro traderentur, tamquam capitis rei; sed potius in Triremes, seu Carcerem perpetuo detruderentur.

Judicum, Consultorumque circa ipsam sententiam.

§. 18. Nulla quidem discordia detecta est in suffragiis eorum, qui sive consulendo, sive judicando, in praedictorum Causis sententiam dixerunt, super eo, an uterque reus poenam traditionis Foro Saeculari, atque adeo Capitis poenam incurrisset. Verum nonnulli subdiderunt, attenta eorum prompta confessione, quo unusquisque delictum suum plene aperuerat, non expectatis ulterioribus Judicis interrogationibus; ambos promeritos esse, ut pro sponte confessis haberentur, utque propterea ad Triremes dumtaxat, vel Carcerem perpetuo damnarentur. Alii autem numero plures censuerunt, eosdem, tamquam capitis reos, brachio saeculari libere tradendos esse.

Definitivum de eadem judicium Pontificis.

§. 19. Nos vero, quamvis ob aegritudinis nostrae pervicaciam, Congregationibus super his habitis, ut semper alias Nobis in more positum fuit, interesse non potuerimus; quum tamen subinde omnia perlegere, et expendere non omiserimus, Pontificiae Clementiae et mansuetudini magis consentaneum existimavimus, in mitiorem sententiam concedere; eo vel magis, quod et Cardinalis Albitius in hujus generis rebus adeo versatus, testatum reliquit, ejusmodi poenae minorationem, veluti proemium, indulgeri consuevisse iis, qui ad primam Judicis interrogationem delictum suum integre, aperteque fatentur; et plura suppetunt exempla causarum, quae in similibus circumstantiis ita transactae fuerunt. Itaque volumus praefatos reos promeritae poenae minoratione in praesenti casu gaudere, nimirum Triremibus perpetuo addici; ita ut ab iis nunquam dimitti, seu poenae hujusmodi commutationem ullam impetrare valeant, praeter quam a Romano Pontifice pro tempore existente, ac de eorum delictis, cum omnibus adjunctis circumstantiis, edocto; relicta dumtaxat Judicibus facultate, ut quoties perpetuum triremium Opus praefatis reis minime congruere videatur, in illius locum subrogare valeant perpetuam in ergastulo aut reclusionem carcere, si reliqua ipsis ad id necessaria non desint. Praeterea volumus atque mandamus, ut quum damnatio ad Triremes, seu ad perpetuam reclusionem, ut supra praefatis reis formiter intimanda erit, id fiat a Judice, praesentibus iis, qui ad Ecclesiarum Sacraria moderanda deputati sunt, quique ad hujusmodi actum evocandi erunt ab ipso Judice sub poenis ejusdem arbitrio infligendis; atque ea occasione gravis admonitio iis fiat, de omnimoda observantia et executione eorum, quae saepe praescripta sunt; ne scilicet ignotos Sacerdotes Missam celebrare permittant, nisi postquam Literae discessus, quas secum a propria Dioecesi prodeuntes attulerunt, recognitae et examinatae fuerint per eum, cui hujusmodi cura demandata est. Id ipsum enim praestitum alias fuisse meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. Praedecessore nostro Clemente Papa XI. tunc quum saeculari Foro traditus fuit reus quidam capitali poena plectendus, eo quod Sacerdot. Ordine non insignitus, Missam celebraverat.

Sententia hujusmodi reos quomodo a Judice ferenda.

§. 20. Cum iis igitur, qui usque nunc comperti fuerint ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promoti, Missam celebrasse, aut Sacramentales Confessiones excepisse, juxta rationem hactenus descriptam, a competentibus Judicibus, et Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam hujusmodi crimen, utpote gravissimum, et satis superque frequentatum, omni ratione praecavendum, et, quantum fas est, a Christiana Republica eliminandum, ex-

Haec quo anteactum tempus. No in futuru contra n quissimum scelus para tur subsid

tirpandumque Nobis esse cognoscimus; novam hac de re legem a Nobis statutam per Apostolicam Constitutionem, (cujus exemplum Epistolae huic adnexum Fraternitas Tua accipiet) in posterum, post tres scilicet menses ab ejusdem Constitutionis data computandos, omnino servari, et ad effectum perduci mandamus, Tibique interim, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

. 2. Au- i 1757. t. 17.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 2. Augusti MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno XVII.

XXI.

CELEBRANTIBUS MISSAM,

Aut Fidelium Confessiones excipientibus, sine Sacerdotali Charactere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil suffragatura decernitur, ad evadendam poenam traditionis brachio saeculari, indictam in Constitutionibus Apostolicis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

roocm. Divinarum, humanarumque Legum custodia vigilantiae Nostrae concredita hoc Nobis onus imponit, ut et assiduo studio caveamus, ne scelera atque flagitia contra ipsas Leges committantur, et ut ea, quae ab iniquitatis filiis perpetrari contingat, justo poenarum rigore, ad formam Sanctionum iisdem Legibus adscriptarum, puniri et vindicari curemus.

Praedeces. otific. nstitutio- m de Ce- rantibus promotis a pridem Pontifice ifirm ac rib. ad- am; eluci- ac.

§. 2. Sane Nos alias, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sacerdotalem Ordinem non promoti, Missarum Sacrificia celebrare, Fidelium Confessiones excipere, et accedentibus ad Eucharisticam Mensam, Panem a se nulliter consecratum distribuere, ausu temerario praesumerent; edita Constitutione, quae incipit: *Sacerdos in aeternum:* data XII. Kalendas Maji Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIV. Pontificatus Nostri IV., antiquiores Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones adversus hujus generis delinquentes jampridem editas confirmantes et innovantes, complures alias declarationes, atque cautelas addidimus, ad eliminandum a Christiana Republica sacrilegum ejusmodi facinus maxime opportunas, quae distincte legi possunt in citata Constitutione nostra, impressa in Bullario nostro *Tom. I. num.* XCVII.

Nova provid. adversus novum effugium nunc roboraodae.

§. 3. His tamen ampliorem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus effugium ibi non enunciatum, et ab invecta sensim in Tribunalibus consuetudine jam ipsis pene concessum, quo debitas sibi graviores poenas plerique evadere possent una cum caeteris per dictam Constitutionem nostram sublatis, pariter adimamus.

Benigna agendi ratio cum reis delictum suum prompte fatentib. jam pro consuetudine recepta.

§. 4. Invenimus siquidem hunc morem hactenus observari consuevisse, ut si Reus constitutus, quum primum a Judice interrogatus fuerit, an sciat qua de causa carceribus inclusus sit, aperte et candide delictum suum fateatur et narret; tunc is, veluti sponte confessus, ad obtinendam poenae minorationem habilitetur; quod nimirum eo recidit, ut ad Triremes, vel ad carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam Foro Saeculari tradatur, tamquam capitalis criminis reus; quemadmodum praefatae Praedecessorum nostrorum Constitutiones, a Nobismet ipsis, ut supra diximus, confirmatae, et innovatae praescribunt; uti latius a Nobis expositum est in Epistola Encyclica ad Antistites Ordinarios Locorum, et Judices in hac materia competentes, hac ipsa die per Nos data.

Eadem delinquentibus nota, impunitat. Plerisque praestat.

§. 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerosque reos, qui Sacerdotali Charactere carentes Missam celebrarunt, aut Sacramentum Poenitentiae nulliter ministrarunt, de hujusmodi Tribunalium indulgentia satis edoctos, vix umquam omittere, quin statim atque carceribus detenti, et coram Judice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc ut traditionem Foro Saeculari, extremumque supplicium exinde consequens evadant; quumque hac ratione reipsa eveniat, ut vix ullus sit ex hujusmodi criminis reis, qui moderationem poenae in praefatis Constitutionibus statutae non obtineat; eoque beneficio fruatur, ut quum Saeculari Foro, tamquam capitali judicio damnatus, et mortis reus, tradendus fuisset, perpetuo potius Carceri, aut Triremibus mancipetur.

Hujusmodi praxis in posterum tem-

pus proscribitur, et Constitut. rigor servandus jubetur.

et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine per hanc nostram perpetuo valituram Constitutionem decernimus, atque statuimus, in posterum, videlicet post tres menses a data praesentium Literarum computandos, nulli amplius Clerico, sive Laico saepedicti criminis reo, promeritae poenae minorationem ullam concedi debere, sive posse, intuitu promptae, apertaeque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Judici fassus fuerit; sed, ea non obstante, omnes et singulos in praecedentibus Constitutionibus hac de re editis comprehensos, a Judice competente, in casibus ibidem expressis, praevia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, et esse Brachio Saeculari, capitali poena puniendos.

Tollitur aliter judicandi, interpretandique facultas.

§. 7. Sicque, et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, Nostrosque et Apostolicae Sedis etiam de Latere Legatos, seu Nuntios, et in quibuscumque Tribunalibus, et Officiis, etiam specifica mentione dignis, sublata cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, definiri, et post lapsum trium mensium, ut supra, ad executionem, et effectum omnino perduci debere.

Derogat. contrariorum.

§. 8. Non obstatibus contrariis quibusvis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, et Decretis; nec non dictorum Tribunalium, et Officiorum praxi, stylo, statutis, usibus et consuetudinibus; etiam immemorabilibus; Personarum quoque, Locorum, et Ordinum, Congregationum, Societatum, Institutorum, et Militiarum, Privilegiis, Exemptionibus, et Indultis, quae supradictae prioris Constitutionis Nostrae executioni decrevimus non obstare: Quibus omnibus et singulis, etiam ad praesentium Literarum nostrarum effectum, iterum plenissime et amplissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 9. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrorum Decretorum, Statutorum, et Derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. 2 Augusti 1757. Pont. 17.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnat. Dominicae MDCCLVII. Quarto Nonas Augusti, Pontificatus Nostri anno XVII.

J. Card. Pro-Datar.

D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

Publicata die 11. Augusti 1757.

DAMNATIO LXXII.

Et prohibitio Epistolae manuscriptae, quae directa legitur: *Amplissimis S. R. E. Cardinalibus, et clarissimis Theologis in Urbe Praeneste, congregatis post pacem Ecclesiae Gallicanae restitutam, et methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab Alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide ad Haereticos profligandos, ad Gentiles, et Atheos in sinum Ecclesiae reducendos.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Epist cui praefixa est direct. hujusm AMPLISSIMIS etc. Theologis, quorum examini a Pontifice subjecta fuit, damnandam et proscribend. esse censuerunt.

Cum ad nonnullos ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus pervenerint Exempla manuscripta cujusdam Epistolae, cui praefixa est Directio hujusmodi — *Amplissimis S. R. E. Cardinalibus, et clarissimis Theologis in Urbe Praeneste congregatis post pacem Ecclesiae Gallicanae restitutam, et methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab Alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide, ad Haereticos profligandos, ad Gentiles, et Atheos in sinum Ecclesiae reducendos;* quae incipit: *Haec sunt Dubia etc.;* ac desinit in ea verba: *et explodendam novitatem:* unumque etiam ex hujusmodi Exemplis transmissum fuerit ad Dilectum Filium Nostrum Albericum ejusdem S. R. E. Cardinalem Archintum nuncupatum, Nostrum in universi Status negociis Secretarium, eo scilicet consilio, ut Nostris quoque oculis Epistola ipsa subjiceretur, id quod est factum: Cumque officii Nostri partes sint, pro commissi Nobis divinitus Gregis Dominici cura, animarum periculis, atque detrimentis, quae ex praefatae Epistolae lectione et usu provenire

possent, Pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere: Idcirco Nos statim aliquot Viros doctos, Theologicae facultatis professores, nulliusque partis studio addictos, elegimus, iisque injunximus, ut de praedicta Epistola, deque in ea contentis, judicium facerent, qui sane mandatis Nostris diligenter obtemperantes, sententiis suis docte prudenterque conscriptis, unanimiter censuerunt, praedictam Epistolam, utpote refertam assertionibus respective falsis, temerariis, scandalosis, multimode injuriosis, contumeliosis, impudentibus, captiosis, seditiosis, et schismati faventibus, damnandam a Nobis et proscribendam fore.

§. 2. Relato Theologorum examini successit aliud, quod Nos ipsi pariter commisimus nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris praedictae S. R. E. Cardinalibus Theologicarum Disciplinarum scientia praestantibus; qui eadem Epistola mature perpensa, ponderatisque dictorum Theologorum suffragiis, in eamdem cum ipsis sententiam convenerunt, quaeque ab illis adducta et firmata sunt, suis quoque calculis comprobarunt.

§. 3. Nos denique ipsi, quaecumque in primo et altero examine discussa fuerant, inspicere, legere, et considerare non praetermisimus; dictaeque Epistolae tenorem cum illius censura studiose comparavimus. Subinde vero Nos ipsi rem totam communicavimus cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Christ. Generalibus Inquisitoribus adversus haereticam pravitatem Auctoritate Apostolica deputatis, in Sacrorum Canonum sanctionibus, graviorumque negociorum tractatione apprime versatis; quibus quum omnia distincte exposuerimus, quae tum a Nobis gesta sunt, tum a praedictis Theologis et Cardinalibus in priori et posteriori Epistolae examine prae oculis habita fuerunt; his quoque consentibus praedictam Epistolam damnandam et proscribendam esse; Nos, inhaerentes hujusmodi Theologorum et Cardinalium judiciis atque consiliis, ac etiam motu proprio, et certa scientia Nostra, praesentium Literarum tenore, saepedictam Epistolam, tamquam continentem assertiones respective falsas, temerarias, scandalosas, multimode injuriosas, contumeliosas, impudentes, captiosas, seditiosas, et schismatici faventes, Auctoritate Apostolica damnamus et reprobamus, ejusque Exempla legi, describi, et retineri prohibemus: mandantes omnibus, et singulis Christifidelibus, qui ejusmodi Exempla penes se habuerint, seu in quorum manus subinde pervenerint, ut illa, statim atque praesentes Literae eis innotuerint, haereticae pravitatis Inquisitoribus, seu eorum Vicariis, ubi adsit Sancti Officii Tribunal, alioquin Episcopis, seu Ordinariis locorum, tradere et consignare teneantur: sub poena excommunicationis majoris, quoad Personas saeculares, quo vero ad Personas Ecclesiasticas, etiam Regulares, hujusmodi mandato Nostro non obedientes, et contrafacientes, sub poena suspensionis a Divinis, ipso facto, absque alia declaratione incurrendis; quarum absolutionem, et respective relaxationem, Nobis et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, reservamus; excepto dumtaxat, quoad excommunicationem praedictam, uniuscujusque mortis articulo, quo nimirum Confessarius quilibet ab hujusmodi censura, ut praefertur, incursa, absolvere poterit.

§. 4. Quia vero aequum non est, ut impunitus remaneat Auctor praedictae damnatae, et proscriptae Epistolae, qui per assertiones, ut supra, reprobatas, carpere atque traducere ausus est rectissimam agendi rationem eorum Cardinalium, quorum Nos consilio, et opera usi sumus, ubi actum fuit de conscribenda Epistola Encyclica, quae prodiit superiore anno 1756. sub Dat. die XVI. mensis Octobris; idemque contra ipsam Epistolam Nostram Encyclicam audendo, Nos etiam, qui eam conscripsimus, malignitatis suae jaculis petere non veretur; Idcirco Nos Officio Sanctae Inquisitionis committimus et injungimus, ut exactissima diligentia adhibita, curet Auctorem saepedictae damnatae Epistol. qui adhuc latet, detegere, et agnoscere: Volentes, ut statim ac collecta fuerint indicia, quae semiplenam, ut ajunt, probationem constituat, ad capturam Rei ejusmodi indiciis gravati, juxta stylum, et consuetudinem Sancti Officii, deveniatur; deindeque completo et concluso Processu, ad ulteriores poenas adversus eum procedatur, juxta Sacrorum Canonum et Constitutionum Apostolicarum sanctiones; sic exigente justitia publica, quae perniciosos hujusmodi ausus severiori vindicta coerceri jubet.

§. 5. Ut autem eaedem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec

Publicat harum Literar. Apostol. de-

cernit. et fides earum sumptis habenda.

quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio et in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illarum personaliter notificatae, et intimatae fuissent: ipsarum autem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent vel ostensae.

Dat. 5. Septemb. 1757. Pont. 18.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 5. Sept. MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

D. Card. Passioneus.

Publicat. eodem Die, Mense, et Anno.

LXXII.* Omnes Christifideles vere poenitentes, et confessi, ac sacra Communione refecti, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum singulis sabbatis totius anni devote visitaverint, ibique Missae propriae de Beata Maria Virgine de Mercede nuncupat. cantari solitae interfuerint, in quarto Sabbato cujus libet mensis conceditur Indulgentia Plenaria, in reliquis vero Sabbatis septem annos; et totidem quadragenas de injunctis eis debitis poenitentis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus praesentes Literas inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ad augendam Fidelium religionem, et Animarum salutem coelestibus Ecclesia Thesauris pia caritate intenti, ac supplicationibus Dilecti Filii Josephi Manantes moderni Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum nuncupat. Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum dicti Ordinis ubique existentibus singulis Sabbatis totius anni devote visitaverint, ibique Missae propriae de B. Maria Virgine de Mercede nuncupat. cantari solitae piae interfuerint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam quarto Sabbato cujuslibet mensis omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero Sabbatis totius anni eisdem Christifidelibus etiam vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, ac praemissa in dictis Ecclesiis peragentibus, et ut supra orantibus, quod Sabbato praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notari publici subscriptis, et Sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsi praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Novembris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Pro D. Cardinali Passioneo.
Joannes Florius Substitutus.

Loco ✠ Sigilli.

Ad eliminandas lites, et dissensiones exortas inter Religiosos Societatis Jesu confirmantur Constitutiones Gregorii XIII., Pii V., et Sanctissimi, quae incipit *Praeclaris*, prohibentes possessionem quorumcumque bonorum, nisi in commune. LXXII.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Laudabile Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum institutum, ut si quas super quibusvis negotiis emergere, et erumpere perspexissent, contentiones, lites, ac disceptatio-

nes statim Apostolica auctoritate, et providentia dirimerent; componerentque; eo majori studio tenere ac sectari Nos in Sacrosancti Apostolatus Specula constitutos decet, quo per omnem vitae nostrae aetatem nihil curavimus impensius, quam ut e medio sublatis contentionum, litium, disceptationumque forensium dissidiis, ac tricis per solam liquidamque veritatis inspectionem jus suum unicuique tribueretur, ac justitia, et pax sese invicem oscularentur. Nuper pro parte dilecti filii Joannis Antonii Timoni Vicarii Generalis Societatis Jesu nobis expositum fuit, quod juxta facultates eidem Societati ab Apostolica hac Sancta Sede benigne attributas nonnullae saecularium personarum Congregationes, seu Confraternitates in omnibus fere Collegiis, seu Domibus Regularibus ejusdem Societatis canonice erectae, et institutae fuerunt, et reperiuntur, quae quidem Congregationes, seu Confraternitates tamquam Collegiis, seu Domibus praedictis in quibus erectae sunt conjunctae, nihil possidere possunt, quippe quae omnimoda dispositio, et dominium omnium supellectilium, aliarumque rerum ad illarum usum, commodum, et ornatum spectantium penes Collegium, aut Domum Regularem, hujusmodi, cui incorporatae existunt, remanere debet; Congregati vero, seu Confratres pro spirituali eorum profectu Praeposito Generali pro tempore existenti dictae Societatis, seu pro eo Directoribus ab ipso assignatis, et assignandis in omnibus parere, obtemperare, et subesse teneantur, ad ipsummet Praepositum Generalem, seu ab illo deputatum pro spirituali dictarum Congregationum, seu Confraternitatum bono legitime pertinet, regulas, statuta, et decreta condere, facere, et statuere, quae juxta datam a Domino prudentiam opportuniora existimantur, quae quidem Regulae, statuta, et decreta ab ipso Praeposito Generali, vel a Directoribus ab eodem deputatis variari, et immutari, aliaque de novo statui et praescribi possunt, illaque sic variata, immutata, et de novo praescripta ipsi Congregati, seu Confratres inviolabiliter observare tenentur, prout latius continetur non solum in Constitutione a felic. recor. Gregorio PP. XIII. Praedecessore nostro Anno MDLXXXIV. edita, quae incipit: *Omnipotentis Dei*: et subinde a rec. mem. Sixto PP. V. Praedecessore pariter nostro per aliam suam Constitutionem Anno MDLXXXVI. incipien. *Superna dispositione*: confirmata, verum etiam in alia a Nobis MDCCXLVIII. pariter edita Constitutione, cujus initium est: *Praeclaris*: in qua praesertim reperiuntur haec verba: *In omnibus, quae ad Congregationum statum, et regimen pertinebunt, Generalis Praepositi, et peculiarium moderatorum ab ipso deputatorum mandatis, consiliisque alacri, ac prompta voluntate obtemperare numquam recusent.* Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ob pravam humani generis hostis instigationem in aliqua ex dictis Congregationibus, seu Confraternitatibus discordia identidem sata fuerit, et interdum ab aliquibus ex Congregatis contensum sit, supellectilia earumdem Congregationum multo jure sua esse, claves penes se habere, et retinere, seseque proprio marte moderari, ac debitam proprio Superiori obedientiam negare, obsequiumque exuere, ac Constitutiones, decreta, et statuta condere, ac condita statuta, et decreta absque ulla Superiorum approbatione observare, aut semel a Superiore approbata absque ipsorum Congregatorum consensu nunquam variari, aut mutari posse; Ita ut toties quoties dictae dissensiones irrepserint, necesse fuit causas hujusmodi judicialiter sustinere, et defendere. Et licet in Causa Asculana Anno MDCCXIII. in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum perpensa, ejusmodi Congregatio decreverit — *Sodalitates non posse possidere, ipsosque Confratres parere debere Praeposito Generali Societatis* — quod quidem Decretum Anno MDCCXL. in Causa Firmana ab eadem Cardinalium Congregatione confirmatum fuerit, nihilominus nuper judicio contendere necesse fuerit, ut mobilia Congregationis sub Invocatione Nativitatis Beatae Mariae Virginis Immaculatae in Collegio Civitatis Castelli erectae ab illius Congregatis rapta dictae Congregationi restituerentur prout quidem in aliis Congregationibus hujusmodi praedictae dissensiones irrepserint: In hoc rerum Statu memoratus Joannes Antonius Vicarius Generalis considerans non minus dispendia hactenus facta, quam alia in posterum subeunda, si lites in praemissis producantur, ac lites ipsas publicae tranquillitati, et Christifidelium pietati detrimentosas, atque ideo dirimendas esse. Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de be-

nignitate Apostolica dignaremur. Hinc est; quod Nos, qui lites, dissidiaque opportunis rationibus dirimere, illisque ne rursus quandocumque excitentur, ansam praecidere studemus, supradictis, aliisque ex causis animum nostrum moventibus adducti, necnon supradictas Constitutiones, et Decreta a memorata Cardinalium Congregatione edita, ac controversiae, et litis hujusmodi statum, et merita, nominaque, et cognomina, ac qualitates Judicum, et Collitigantium, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, Motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine quascumque lites, et causas super praemissis inter dictos Congregatos, seu Confratres ex una, et Praepositos Collegiorum, aut Domorum Regularium dictae Societatis ex altera partibus coram quibusvis Judicibus, et Tribunalibus, motas, et pendentes, in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ad Nos harum serie cum suis emergentibus, annexis, et connexis avocamus, illasque sic avocatas motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus perpetuo supprimimus, et extinguimus, perpetuumque Silentium imponimus. Ac insuper motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus Decreta a memorata Cardinalium Congregatione in Causis Asculana, et Civitatis Castelli edita confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnes, et singulos juris, et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus. Praeterea motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus perpetuo statuimus, decernimus, et mandamus, ut Congregationes praefatae jam erectae, et quandocumque deinceps erigendae in Collegiis, et domibus regularibus ejusdem Societatis, ita dictis Collegiis, et domibus, in quibus erectae existunt, unitae, et incorporatae sint, et esse debeant, et intelligantur, ut earumdem Congregationum Congregati, seu Confratres nullum jus, nullumque dominium, nullamque actionem supra aedes, vasa, mobilia, ornamenta, et supellectilia quaecumque sacra, quam profana ad easdem Congregationes nunc, et pro tempore quandocumque spectantia, et pertinentia, ac pro illorum usu, et ornatu empta, et emenda habeant, nec habere possint, minusque Claves Armariorum, in quibus mobilia, ac supellectilia, aliaque praemissa asservantur, et custodiuntur nullo modo, nullave ratione, et causa penes se habere, et retinere, ac praetendere queant, sed dumtaxat eas claves retinere valeant, quae a Directoribus earumdem Congregationum a Praeposito Generali ipsius Societatis pro tempore deputatis, et deputandis sponte, et ad tempus ipsis Directoribus benevisum tradantur, et consignentur, minusque dictis Congregatis pro tempore existentibus ullo umquam tempore licitum sit decreta, statuta, regulas, et constitutiones condere, statuere, praescribere, et edere, sed facultas condendi, edendi, praescribendi, statuendi, et publicandi regulas constitutiones, statuta, et decreta legitime spectet, et spectare teneatur, censeatur, et debeat ad Praepositum Generalem, seu Vicarium Generalem dictae Societatis, qui juxta facultates, ut praefertur attributas statuta, decreta, regulas, et constitutiones hujusmodi ad sui libitum variare, et mutare valeat, nullo requisito, et obtento consensu dictorum Congregatorum, qui ea omnia ad regimen, curam, gubernium, et administrationem tum spiritualium tum temporalium ipsarum Congregationum spectantia, et pertinentia, quae sive a memorato Praeposito, sive Vicario Generali ipsius Societatis, aut a Directore ab ipso Praeposito, sive Vicario Generali pro tempore assignato, seu assignando injuncta, et praescripta fuerint omnino exequantur, et exequi debeant, et teneantur. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis praeeminentiae, et Dignitatis, aut alias etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni in praemissis forsan jus, vel interesse habentis, seu habere quomodolibet praetendentis illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vi-

tio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, et extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et inviolabiliter observari, et adimpleri; Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et dictae Sedis Nuncios, sublata eis, et cuilibet eorum quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Congregationum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Febr. MDCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Pro D. Cardinali Passionei.
Joannes Florius Substitutus.

Loco ✠ Sigilli.

APPENDIX

AD TOMUM III. P. II.

BULLARII

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

I.

ACTA, ET DECRETA

In Causis Beatificationum, et Canonizationum, aliisque ad Sacrarum Rituum materiam spectantibus, addenda ad Tomum VI. Operum Sanctissimi Domini Nostri Romae editum anno 1751.

Decret. generale Sanctissimi D. nostri Ben. pae XIV. per testimonia de auditu in causis Beatific. Canon.

Cum nonnulla post annum Pontificatus sui decimum BENEDICTUS XIV. Decreta, Epistolas, Constitutionesque ediderit ad materiam Sacrorum Rituum spectantia, quae in Tomo VI. Operum ejusdem SS. Domini Nostri edito anno 1751. locum habere non potuerunt, ea hic in unum collegimus, singula suis, prout indicantur, locis postea inserenda; quandocumque nova horum Operum editio fieri contigerit. Igitur ad caput I., ubi referuntur *Decreta Generalia*, post IV. Decretum pag. 22. addatur V. scilicet.

DECRETUM GENERALE

SANCTISSIMI D. N.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Testes de auditu auditi, qui solum extant in processu Apostol. juncti possint in linea prob. cum testibus de visu, qui extant in processu Ordinario.

Cum ex relatione eorum, quae in Congregationibus Sac. Rituum, aut Antepraeparatoriis, aut Praeparatoriis proponuntur, et discutiuntur, facta Nobis pro sui muneris adimplemento tam a Congregationis Secretario, tum a Fidei Promotore, innotuerit, saepe excitatam fuisse inter ejusdem Congregationis Consultores controversiam, an in Causis Beatificationis, et Canonizationis Servorum Dei, procedentibus per viam non Cultus, cum disputandum proponitur Dubium super Virtutibus aut Martyrio, Testes de auditu auditus, qui soli extant in Processu Apostolico, in linea probationis jungi possint cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario, contendentibus nonnullis, id tantum fieri posse, si Testes de auditu qui extant in Processu Apostolico, sint de auditu a videntibus, aliisque asserentibus, id ipsum fieri debere, etiamsi Testes non sint de auditu a videntibus, sed de auditu auditus, dummodo caetera alia non desint, quae requiruntur pro conjunctione Processus Ordinarii cum Processu Apostolico, et alia etiam concurrant a Congregatione Rituum statuta, ut rite, et recte admittantur Testes de auditu, de quibus omnibus in Nostro Opere de Canonizatione Sanctorum *lib. 2. c. 4. et 5.*

Id fieri non posse, et solis testibus de auditu a videntibus id competere decernitur.

§. 2. Nos ad amputandam quamcumque controversiam, decernimus primo, non posse in linea probationis conjungi Testes de auditu auditus in Processu Apostolico examinatos, cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario, praedictamque conjunctionem in linea probationis competere tantum Testibus de auditu a videntibus, qui sint in Processu Apostolico examinati, dummodo caetera supra indicata non desint requisita: et ex conjunctione Testium de visu examinatorum in Processu Ordinario, cum Testibus de auditu a videntibus, examinatis in Processu Apostolico, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi posse, Constare de Virtutibus etc. *aut* constare de Martyrio: *Et in pro-*

gressu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione sufficere debere duo miracula, quae ante Beatificationem patrata sint, et approbata; et pro obtinenda Canonizatione sufficere debere alia duo miracula, post Beatificationem secuta et approbata.

Robur tamen et vim adminiculi testes de auditu auditus habere quandoque possunt.

§. 3. *Decernimus secundo loco, quod, si in Processu Ordinario Testes extent de visu, et in Processu Apostolico non reperiantur nisi Testes de auditu auditus, Testes hi de auditu auditus, in Processu Apostolico excepti, vim et robur adminiculi habere valeant, modo quidem levis, modo gravis, prout eorum numerus, et qualitas exposcit, ita ut, exclusa a Postulatoribus quacumque fraudis, aut negligentiae suspicione, ex qua factum sit, ut soli Testes de auditu auditus in Processu Apostolico fuerint examinati, si, attentis numero, et qualitate Testium de visu in Processu Ordinario examinatorum, habitaque consideratione adminiculi non levis, sed gravis, desumpti ex Testibus de auditu auditus in Processu Apostolico examinatis, res ad eum statum redacta sit, ut faciat fidem, et auctoritatem Viro prudenti de re gravi judicaturo, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi possit, ita constare de Virtutibus, aut ita constare de Martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, hoc est ad discussionem Miraculorum: Nec obtineri posse Decretum Beatificationis, nisi tria Miracula praecesserint, quae fuerint approbata; neque demum Canonizationis Decreto locum esse debere, nisi duo alia post Beatificationem Miracula superveniant, quae pariter fuerint approbata.*

Praesenti Decreto nihil immutatum pro causis quae procedunt per viam casus excepti, aut in quibus soli testes de auditu extant in Processu.

§. 4. *Demum tertio loco decernimus, nihil per praesens Decretum a Nobis fuisse immutatum super Dubio Virtutum, aut Martyrii, in Causis, quae procedunt per viam casus excepti, aut in quibus, etsi procedant per viam ordinariam non Cultus, soli Testes de auditu extant in Processu tum Ordinario tum Apostolico; quoad eas enim exacte observari mandamus Decretum Generale a Nobis editum die 23. Aprilis 1741. et impressum in Nostro Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 3. c. 3. n. 25. editionis Patavinae, et editionis Romae, quod etiam nunc confirmamus, tum quoad numerum Miraculorum, tum etiam quoad caetera, quae in dicto Decreto continentur; et in quibus statuitur, Miracula semper esse comprobanda per Testes contestes de visu, sive agatur de Causis procedentibus per viam Ordinariam de non Cultu, sive per viam extraordinariam de casu excepto, et sive res sit de Miraculis pro obtinenda Beatificatione, sive de aliis, quae proponuntur pro Canonizatione obtinenda. Et Secretario Congregationis Sacrorum Rituum mandamus, ut praesens Nostrum Decretum inter acta Congregationis referat, et typis edi curet, ut ad omnium notitiam deveniat.*

Datum hac die 17. Julii 1744. Dat 17 Julii 1744.

D. F. Card. Tamburinus Praef.

Loco ✝ Sigilli.

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

II.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PP. XIV. Epistola ad Capitulum, et Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis data, occasione, qua S. Proci Martyris Corpus repertum in S. Thrasonis Coemeterio, in eadem Ecclesia collocandum, transmittitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Jam dudum Nobis erat in animo, unum aliquod Sancti Corpus cum suo nomine proprio inventum mittere ad istam Nostram Metropolitanam Ecclesiam, inter caetera dona, quae ei largiri solemus quotannis, occasione Solemnitatis S. Petri Apostolorum Principis, in cujus honorem eadem Ecclesia dedicata est. Prooem.

§. 1. Non ignoramus, veneratione coli debere non solum cujuscumque Sancti Corpus integrum, sed quamlibet etiam partem a reliquo ejus corpore divisam: *Haec est enim Sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per universum Mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo:* ita loquitur Sanctus Maximus *Serm.* 55. inter Sermones, qui olim Sancto Ambrosio adjudicabantur, ut videre est in Operibus hujus Sancti Patris *tom. 2. editionis Parisiensis ann.* 1690. *pag.* 466. Cum Sancto Maximo cohaeret Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui *in suo Carmine de Virtute* juxta interpretationem Petavii *lib. 14. de Incarnatione cap. 11. §. 3.* ait: Quaelibet pars Corporis cujuscumque Sancti veneratione prosequ.

Tanta porro est veritatis veneratio;
Ut vel exiguus pulvis, aut aliquod reliquiarum
Ossium vetustorum, vel capillorum particula,

Aut panniculi, aut aspersi cruoris
Nota quaepiam, ad totius honorem aliquando sufficiant;
Et appellatione sanctae sunt reliquiae:
Cum certis locis attributa fuerint illa pro toto Martyre:
Eadem quippe vi praedita: O Miraculum!
Salutem enim affert etiam sola recordatio.

§. 2. Nobis constat praeterea, quod quotiescumque habentur indicia certa, corpus aliquod, aut partem ipsius, esse corpus, aut partem corporis alicujus Sancti, licet hujus nomen lateat; corpori tamen, aut parti illi religiosus cultus debetur, qui caeteris Sanctorum Reliquiis praestari solet, ut late ostendimus *in nostro Opere de Canonizatione lib. 4. part. 2. cap. 27.* editionis praesertim Patavinae, a Nobis etiamsi assiduo gravissimarum occupationum pondere premeremur, plurimum locupletatae; qua editione, pro nunquam intermissa benevolentia vestra erga Nos, laboresque Nostros qualescumque, minime vos carere arbitramur.

§. 3. Ut ut vera sint quae diximus, nemo tamen inficiabitur, multo praeclarius quid esse Corpus integrum, quam pars insignis ejusdem Corporis, et multo majorem esse Fidelium devotionem erga Corpus alicujus Sancti, de cujus nomine proprio constet, quam alterius, cujus nomen ignoretur. Et propterea juxta veterem Romanae Ecclesiae consuetudinem, Sanctorum corporibus, quorum nomen ignoratur, appellativum nomen imponitur; ut recte ad rem Nostram, dum loquitur de consuetudine imponendi nomen appellativum Corporibus Sanctorum, qui sine nomine inveniuntur, animadvertit eruditus Ferrandus *in Disquisit. Reliq. lib. 1. c. 5. Minime superfluum est certa nomina incertis Sanctorum Reliquiis attribuere, quod experientia, usuque quotidiano videamus, Fideles multo minori affectu, studio, ac pietate affici, et ferri erga Divorum illorum exuvias, quorum nomina mortales latent, quam adversus eas; quae certis nominibus indigitantur: potentius enim Nobis nota, et certa, quam obscura, ignota, et incerta, solent movere animos; ideoque major Dei gloriae, atque Coelitum cultus, ac venerationis plerumque accessio fit:* praeter ea, quae collecta videre licet in Nostro supra citato Opere editionis Patavinae *lib. 4. part. 2. c. 28.*

§. 4. Hisce rationibus permoti Corpus alicujus Sancti integrum cum proprio nomine invenire studuimus, illudque mittere ad vos, ut, quemadmodum significavimus, in Nostra Metropolitana Ecclesia collocaretur.

Diligent. adhibitae, ut Corpus alicujus S. inveniretur, Bon. transm.

Atque ut id, quod in animo erat consequeremur, necesse fuit Nostras perquisitiones ad ea venerabilia loca convertere, quae tantopere almam hanc Urbem Romam illustrant. Loca, quae excavata olim, et effossa a Gentilibus, ut extraheretur arena communis, et dicaearchea, ad extruenda magnifica illa aedificia, quorum adhuc apparent reliquiae, fuerunt postea decursu temporis a primis Christifidelibus sanctificata, qui illuc se ob persecutionum metum recipiebant, suos religiosos conventus ibi facturi, itaut ibidem sacrae etiam functiones a Summis Pontificibus perficerentur, et Ecclesiastica sepultura defuncti donarentur. De Coemeteriis loquimur, seu Catacumbis, de quibus tam devote Sanctus Hieronymus scribit, praeter alios quamplurés. Antiquitatis Scriptores a Nobis citatos *in cap. 27. Operis Nostri*, quibus in editione Patavina Joannem Bottarium addidimus, Bibliothecae Vaticanae Custodem, et Nobis ab intimo Sacello, qui *tom. 1. Romae subterraneae* Catacumbarum modo explicatam originem feliciter detexit.

Catacumbarum origo.

§. 5. Invento autem in Catacumbis Corpore integro cum nomine proprio, necesse fuit ultra procedere. Certum est enim, quod nulla sepeliebantur in Catacumbis nisi Christianorum Corpora; sed quod omnia Christianorum Corpora ibi sepulta, essent Sanctorum Corpora, certum non est. Propterea examinanda veniunt signa, quae in sepulchro erant, ubi condebatur corpus integrum, aut ejus pars, sive cum nomine proprio, sive non. Nostri enim primitivae Ecclesiae Patres collocabant semper in Sanctorum sepulchris signa indicantia sanctitatem; ea vero nunquam collocabant in sepulchris illorum, quos uti Sanctos non habebant.

Praemittendum examen, num Corpus cum mart. notis signisque sit condit.

Basnagio in suis Operibus minime arridet sententia, quod in Catacumbis non sepelirentur nisi Christianorum Corpora. Sed illum egregie confutavit in suo Opere *de Monogrammate Christi Domini* Cappellanus Noster intimus Dominicus Georgius, cujus nomen claret in Republica Literaria celeberrimum. Idem praestitit supra laudatus Bottarius, Basnagii sequacibus respondens. Nos vero, qui in pri-

In catacumbis Christian. dumtaxat Corpora sepelieb.

ma editione Operis Nostri *de Canonizatione* conati sumus clare ostendere, quod soli Christifideles in Catacumbis, de quibus loquimur, sepelirentur; summa animi Nostri voluptate in nupera editione Patavina addidimus ea pariter, quae duo praedicti Scriptores egregii animadverterant, eosque, uti par erat, nominavimus; abhorruimus namque semper, semperque abhorrebimus a prava quorumdam consuetudine, qui ut suos faciant alienos labores, indigno plagio tegunt Auctorem verum, cujus nomen postea nihilo tamen seclus innotescit.

Praetextati Coemeterium primo visitatum.

§. 6. Hoc systemate praestabilito, prima Catacumba, seu Coemeterium, quod visitari jussimus, fuit Praetextati Coemeterium, in Martyrologiis adeo celebre, situm in via Appia, et vix unum miliare ab Urbe Roma distans. De ipso loquitur Marcus Antonius Boldettus Canonicus Sanctae Mariae trans Tyberim, in suo laudabili Opere, cujus titulus: *Osservazioni sopra i Cimiterj de' Santi Martiri, ed antichi Cristiani di Roma*, *lib.* 2. *cap.* 18. quod Opus Auctor eruditus composuit post continuatum triginta annorum studium, post iteratas locorum perquisitiones, et animadversiones varias, post multos mentis et corporis susceptos labores, ac feliciter exantlatos, ut materiam praepararet, simulque ut suo muneri quoad Coemeteria satisfaceret.

In eo detectum Corpus cum proprio nomine ILARI.

§. 7. In hoc eodem Praetextati Coemeterio detectum fuit anno elapso Corpus integrum cum nomine proprio *Ilari*; quod nomen Christianis valde erat commune, ut colligitur ex antiquis inscriptionibus apud Arringhium, Fabrettum, et Reinesium; neque erat cognitum Ecclesiasticis Martyrologiis, ut videre est in Martyrologio Florentini *die prima Februarii*, atque in alio item Martyrologio apud Bollandum *tom.* 1. *Februarii pag.* 294. Sepulchro insculptum apparebat Monogramma Christi cum litera A ab uno latere, ab altero litera Ω. Inscriptio vero hujusmodi erat. *Hic requiescet in pace fede constitutus Ilarus qui vixit annus P.L. MS. XXV.* Errores, qui huc irrepserunt, neminem debeant in admirationem adducere, nisi quem ipsae latent notiones primae in hac materia: Siquidem extra omnem controversiam certum est, quod verba recte praeparata, ut inciderentur in lapidibus, corrumpebantur ab imperitis sculptoribus in ipso incidendi actu, at non tamen ita corrumpebantur, ut verus sensus omnino deperderetur.

Una cum inscript.

§. 8. In Nostro Opere *de Canonizatione c.* 27. *saepius citato num.* 14. *editionis Patavinae*, dum loqueremur de signis, unde Sancti Corpus a Corpore alterius Christiani distinguitur, non dubitavimus ita asserere; *Primum itaque Signum est, si aliquod forte Corpus reperiatur cum Inscriptione, dummodo Inscriptio ipsa nullis ambagibus subjecta sit, sed in ea expressa sint, quae verum pro Christo Martyrium praeseferant, et ideo indubitatam Sanctitatem.* Ibidem *num.* 18. diximus etiam, quod ex Monogrammate *Pro Christo* sepulchris insculpto, unum hoc inferri potest, Corpus scilicet ibi repositum, fuisse Corpus alicujus Christiani: quod insuper in editione Patavina comprobavimus, adducentes auctoritatem praelaudati Georgii, et Ludovici Antonii Muratorii viri in Republica Literaria adeo insignis. Literae autem A, et Ω quae significant Christum esse principium rerum omnium et finem, ejusque divinitatem exprimunt; quaeque olim inscribebantur Christianorum Monumentis etiam ante Arii, et Constantini aetatem, ut luculenter ostendunt Lupus *in Dissertatione de Sancta Severa pag.* 142. et Georgius citatus *de Monogrammate Christi Domini cap.* 2. indicant similiter, quod Corpus illud erat Corpus Christiani alicujus. Eodem collimant verba *requiescit in pace*, quae nunquam adhibita fuerunt a Paganis, sed a Christifidelibus tantummodo, quod ipsum demonstrat Mabillonius *de Cultu Sanctorum ignotorum pag.* 557. Jam vero, omissis siglis *P.L. MS.* significantibus *plus minus* ad indicandam defuncti aetatem; quae siglae in tot Inscriptionibus inveniuntur apud Arringhium, et Fabrettum, quaeque in usu esse coeperunt quarto saeculo, si fides habenda est Sponio in Antiquitatum investigationibus *pag.* 350. tota difficultas reduci debet ad illa verba *fede constitutus*, hoc est *fide constitutus*, ut incisoris sphalma corrigatur.

Varia Signa, ex quibus eruitur Corpora, quae in Catacumbis condebantur, Christiana tantum fuisse.

Inquiritur quid significent illa verba FEDE CONSTITUTUS, quae in laudata inscript. leguntur.

§. 9. Ut constaret, num praedicta verba in aliis quoque inscriptionibus invenirentur, et quisnam esset eorumdem sensus, rem totam communicavimus Literatis illis viris, qui frequentes adsunt eruditis Exercitationibus, quae singulis secundis Feriis habentur coram Nobis de rebus Ecclesiasticis, aut Romanis Antiquitatibus tum sacris, tum profanis, quo solatio inter molestissimas Pontificatus Nostri spinas unice recreamur. Post accuratas igitur perquisitiones, relatum est Nobis, hujusmodi verba nullibi

in Lapidibus Sepulchralibus inveniri potuisse. Quo vero ad eorum intelligentiam, putarunt aliqui, eo loco Sacramentum Confirmationis significari, quo Ilarus insignitus fuerit, cum legatur in antiquo Canone *Spiritus Sanctus, de Consecrat. dist.* 5. quod Spiritus Sanctus in Baptismate *plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam*. Sed ea sententia minime placuit; nam licet in Inscriptione quadam, quam afferunt claraе memoriae Cardinalis Norisius *in Fastis Consularibus pag.* 43., et Fabrettus *in Inscriptionibus pag.* 577. legatur de quodam Severo Paschasio, quod *percepit* XI. *Kal. Majas*, absque eo quod subjungatur quid perceperit, idque de Baptismo intelligatur; nescimus tamen an ulla Inscriptio inveniatur, quae expresse mentionem faciat de Confirmatione; ob eam fortasse causam, quia ubi mentio fieri vellet de perceptis Sacramentis, cum omitti nullatenus posset Baptismus; ibi idem erat dicere aliquem fuisse baptizatum, ac dicere fuisse quoque confirmatum; tunc enim in pluribus Ecclesiis Confirmatio immediatè conferebatur post Baptismum, quae consuetudo vigebat etiam in Ecclesia Romana, ut videre est *in Ordine Gelasiano* in lucem edito a Ven. Servo Dei Card. Thomasio *pag.* 84. et 85. De hujusmodi ritu fuse egimus *in Dissertatione de Synodo Dioecesana*, quae a Nobis Bononiae composita, deinde Nostri Pontificatus tempore locupletata, Deo annuente, publica luce donabitur. Baptismi, et Confirmationis Sacramentis addebatur olim in quibusdam Ecclesiis etiam Eucharistia quamvis Baptizati, et Confirmati essent adhuc lactentes puelluli; ut colligere potestis ex Nostro Opere *de Festis Jesu Christi, et Beatae Mariae Virginis, et de Missae Sacrificio*, quod Opus, quanto major est librorum copia, qui Nobis post Nostri Pontificatus exordia suppeditantur ab insigni Bibliotheca Dominici Cardinalis Passionei, variis notitiis tanto magis adauctum, atque insuper ex italico sermone in Latinam linguam feliciter translatum a Michaele Angelo de Giacomellis Nobis ab intimo Sacello, hoc ipso anno typis Patavinis prodiit in lucem.

§. 10. Sacerdos Petrus Morettus Canonicus S. Mariae trans Tyberim, qui tam egregia volumina de rebus Ecclesiasticis edidit, aliaque plura actu praeparat, quamvis non levi oculorum incommodo laboret; duas Nobis indicavit S. Cypriani epistolas, alteram Rogatiano Episcopo scriptam, in qua sic legitur: *Salomon in Spiritu Sancto constitutus testatur, et docet, quae sit Sacerdotalis auctoritas et potestas, dicens etc.* alteram, ad Populum Tibaritanum, quae sic habet: *Nemo quidquam de saeculo jam moriente desideret, sed sequatur Christum, qui et vivit in aeternum, et vivificat servos suos in fide sui nominis constitutos:* atque hinc inferebat per illa verba *in fide constitutus*, quae sunt in Ilari lapide, significari, quod Ilarus plenus fide, stabilis in fide, radices in eadem fide jecerat admodum profundas.

§. 11. Porrò dum hanc ipsam Epistolam dictaremus, ecce Nobis exhibita est Dissertatio pulcherrima typis edita, et praelaudato Dominico Georgio Nobis ab intimo Sacello dicata. Ea habet Auctorem Sacerdotem Alexium Symmachum Mazochium Canonicum Ecclesiae Metropolitanae Neapolis, virum tum sacra, tum profana eruditione clarissimum. Ibi ad examen revocantur ea verba *fide constitutus*, ab iisque significari ostenditur Sacramentum Baptismi susceptum ab Ilaro. Legitur enim in Tertulliano *lib. de Pudicitia cap.* 18. et alibi, *ante fidem*, et *post fidem*, ad significandum *ante* et *post Baptismum*, immo vetera Monumenta passim utuntur hac phrasi *fidei Sacramentum* ad Sacramentum Baptismi indicandum.

Et quia intelligit posse opponi, totum hoc superfluum videri, quandoquidem si Ilarus Christianus erat, necesse pariter erat, fuisse baptizatum, animadvertit quam diligentissime, quod tunc tempus suscipiendi Baptismum protrahebatur, adeoque Christiani dividebantur in duas veluti classes, quarum unam constituebant Catechumeni, alteram Baptizati, atque hi quidem *Fideles* nominabantur; *a Fidei Sacramento*, non *a virtute Fidei;* qua Fidei virtute imbuebantur Christiani Catechumeni Parochorum catechismum sua praesentia frequentantes. Non est admodum inverisimile, quod aliae ad Nos super eodem argumento Dissertationes perveniant. Si ita erit, libenti animo eas percurremus. Nos interim hanc materiam intactam relinquentes, ad aliud Sacrum Corpus curam Nostram convertere statuimus, quod ad Ecclesiam Nostram Bononiensem mittamus.

§. 12. Paucis abhinc annis detectum fuit Coemeterium S. Thrasonis; de quo mentionem facit Martyrologium Romanum *die* 11. *Decem-*

Alii tandem judicant intelligi ea verba de Sacram. Baptismi.

Duae Christianorum Classes, altera Baptizatorum Catechumenorum altera.

S. Thrasonis Coemeterium Romae detectum.

bris: Romae Passio Sancti Thrasonis, qui cum Christianos laborantes in Thermis, aliisque operibus publicis fatigatos, et in carcere positos de suis facultatibus, aleret, jubente Maximiano, tentus, cum aliis duobus Pontiano, et Praetextato, Martyrio coronatus est. Et notum est unicuique, Maximianus aedificium aggressus est Thermarum Diocletiani. Excessu credulitatis abreptus, atque ut experiretur, utrum id, quod obtinere non poterat prompta morte Christi sequacibus violenter illata, obtinere posset ignominioso et diuturno supplicio, milites Christi damnavit ad excavandam arenam pro tam ingenti aedificio necessariam. Immanis procul dubio fuit illorum numerus, qui in Christiana Religione perseverantes mortui sunt ex nimio labore. Qui superstites vixerunt decem mille ducenti et tres, ii occisi sunt in odium Christianae Fidei intra Vallis Planitiem extra Portam Trigemniam, in loco, qui appellatur *Gutta fugiter manans, ad Aquas Salvias*, ut fuse narratur in Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 298., ubi piissimus Auctor animadvertit, quod cum dirutae sint et redditae inutiles reliquiae omnes Romanorum veterum Thermae, unicae si minus integre, saltem magna ex parte subsistunt Diocletiani Thermae, in Ecclesiam commutatae ad honorem Beatissimae Virginis, et Angelorum, fortasse quia sudoribus Confessorum Christi fuerunt exaedificatae.

Christiani damnati a Maxim. ad arenam pro Diocl. Thermis excavandam.

§. 13. Sed ut reditum faciamus ad Coemeterium Sancti Thrasonis Via Salaria, quod detectum fuit in arenariis ad fodiendam arenam apertis pro Thermarum praedictarum aedificio: Joannes Marangonius Sacerdos supra commendati Canonici Boldetti studiorum laborumque, per triginta et amplius annos, socius indivisibilis, historiam fideliter narrat in Appendice ad Acta S. Victorini Episcopi typis edita simul cum longa serie marmorearum Inscriptionum quas in Coemeteriis collegerat; et quarum memoria in fatali incendio ejus domicilii ideo non periit, quia priusquam aedes conflagrarent, eas jam viris eruditis ipse communicaverat.

Narratur, quomodo in Coem. S. Thrasonis repertum fuerit Corpus S. Proci, cum propria inscriptione et Vase sanguine respersa.

Joanni igitur Marangonio Sacerdoti una cum Canonico Boldetto feliciter successit, ut via quaedam subterranea sese aperiret, valde lutulenta, in qua ipsi operariis insistentes, ut excavationem prosequerentur, tum demum invenerunt sepulchra nonnulla, quorum alia suas inscriptiones praeferebant, alia non item; in omnibus tamen habebatur vasculum aut sanguine plenum, aut tinctum colore sanguineo, aut crustas saltem sanguineas aliquo modo occludens.

Inter caetera, unum inventum est Sepulchrum cum sequenti Epigraphe.

Pater Filio Proco Qui
vixit Filio VIIII. *mens.* VIII.
in pace fecit.

Epigraphe haec insculpta erat marmori Salino, et poris pleno, quod ab aqua penetratum et corrosum, levissimo quoque attactu in pulverem redigebatur. Quapropter cum providus, et peritus antea laudatus Marangonius clare animadvertisset fieri non posse, ut marmor illud extraheretur, deliberavit verba transcribere, eaque in citata Appendice *pag.* 88. in lucem proferre.

Nullum os desiderabatur ad corporis integritatem, quin etiam in Sepulchri loco consueto existebat vas tinctum, cum crustis sanguineis: quae ossa cum vasculo a Sacerdote, pro sui Officii munere, exhibita Cardinali Guadagni Romae Vicario, reposita fuerunt de more in Custodia, ut deinde opportuno tempore illustri alicui viro concederentur, qui preces porrigeret ad impetrandum aliquod Corpus sacrum integrum, cum proprio nomine, ut in insigni quapiam Ecclesia collocaretur.

Extracta fuerunt ossa cum vase supra memorato die 9. Maji anni 1737. Nos autem quoniam nihil amplius de corpore invento cum Ilari nomine cogitabamus, Sacerdoti Marangonio communicavimus desiderium Nostrum habendi saerum aliquod Corpus insigne, quod Ecclesiae Nostrae Bononiensi, ut diximus, mitteremus. Hoc audito, ipse indicavit Nobis Corpus Sancti Proci, ipse idem Nobis illud attulit in parva capsa sigillo Card. Vicarii munita, ipse Nobis fideliter narravit ea, quae supra exposuimus; addiditque praeterea, prope Sancti Proci Sepulchrum duo pariter Sepulchra inventa esse cum sanguinis vasculo, ubi ossibus plene in cinerem solutis, lapides indicabant, illa duo esse Puerorum Corpora, quorum alter septem, alter erat annorum trium: ex quo colligebat eruditus vir, persecutionem illam, qua Martyrio coronatus est Sanctus Procus, esse non potuisse nisi gravem, atque

unam ex crudelissimis. In hujusmodi enim persecutionibus crudelis Tyrannorum barbaries neque sexui pepercit, neque aetati, quamtumlibet infantili. Denique in urna, quam confici fecimus, vobisque pariter donamus, idem ipse propria manu collocavit vas, aptavitque ossa singula, quae, mandantibus Nobis, recognita ab intimo Cubiculario Nostro et Archiatro Antonio Leprotto, integrum corpus perficiunt.

Corpo-
us de-
, et ti-
S.
oqui-
as res-
in san-
iodu-
marı-
ota.

§. 14. Ecce igitur, Dilecti Filii, narrationem completam tum loci, tum temporis, caeterarumque circumstantiarum omnium, quae spectant ad seriem facti, per quod inventum est atque extractum Sancti Proci Corpus, quod vobis mittimus, ut juxta Nostra mandata collocetur sub una ex aris Metropolitanae Nostrae publico cultui expositum. Ipsi debetur cultus, et titulus Sancti, quia procul dubio, ut eruditioni vestrae notum esse debet, nulli umquam venit in mentem, quantumvis acuto ingenio is fuerit, et cupidus quaerendi, ut ajunt, nondum in scirpo, nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod Corpus in Catacumbis Romanis inventum cum vasculo sanguinis aut pleno, aut tincto, non sit Corpus alicujus, qui mortem pro Christo sustinuerit. Arringhius, Mabillonius, bonae memoriae tum Senator Buonarruoti, tum Raphael Fabrettus, et qui unus pro cunctis valere debet Ludovicus Antonius Muratorius, Canonicus Boldettus, Sacerdos Marangonius, Eques Victorius, aliique Ministri Corporum extractionibus inservientes, in hoc unanimiter conveniunt; ut eruere facile potestis *ex cit. Cap.* 27. *Operis Nostri de Canonizatione Sanctorum lib.* 4. *part.* 2. *a num.* 22. *usque ad finem, editionis Patavinae*, ubi fideliter enumerantur, et adoptantur a Nobis auctoritates praedictae, simul cum experimento praelaudati Fabretti, quo redarguit nimis audacem eorum opinionem, qui contendebant illorum vasculorum crustas non improbabiliter a salium mineralium concretione fuisse productas; atque ostendit, eas sine ulla controversia provenire a sanguinis massa. Arringhius, Muratorius, Nos ipsi, verba facimus de pia veterum Fidelium consuetudine colligendi et conservandi Sanctorum Martyrum Sanguinem, de qua re si plura discere exoptatis, percurrite *primam Partem tom.* 2. *de Cultu Sanctorum Dissert.* 7, *cap.* 1. §. 7. *et cap.* 31. concivis Nostri Joannis Chrysostomi Trombelli Abbatis; qui ea qua solet, ingenti eruditione etiam hoc argumentum pertractavit.

§. 15. Nihil amplius requiritur, ut pro certo habeatur, non modo titulum Sancti, Proco deberi, sed etiam cultum ejusdem Corpori, quod vobis mittimus, negari non posse. Verumtamen illud pariter pro complemento inquirere diligenter voluimus, atque alios indagare fecimus, utrum in veteri aliqua Litania, aut in Martyrologiis Rosvveydi, Bedae, Flori, Rhabani, Notkeri, Wandelberti, in Ephemeridibus Graeco-Moschis, et in Basiliano Menologio e Graeco in Latinum sermonem translato a sanctae memoriae Clemente Papa XI., mentio de hoc S. Proco habeatur.

Quaeritur num in aliquo Eccl. monumento Sancti Proci fiat mentio.

§. 16. Nomen Proci non fuit ignotum Gentilibus, ut videre est in satis ampla Inscriptionum Collectione apud saepe laudatum Muratorium *pag.* 815. *n.* 4., *et pag.* 1472. *n.* 2. Quod autem spectat ad Martyrologia; eruditioni vestrae manifesta fieret injuria, si dubitaremus vobis non esse perspectum, quanta in aestimatione sit, ac semper fuerit Martyrologium Sancti Hieronymi, cui decursu temporis multa a piis, ac religiosis viris facta sunt additamenta quorumdam SS. qui certe post S. Hieron. floruerunt. In Monasterio Corbejensi antiquum hujus Martyrologii exemplar inventum est, quod Hugo Menardus typis edere cogitaverat. Quod tamen ipse non potuit conficere, perfecit postea Lucas Acherius in suo Spicilegio, seu Collectione veterum quorumdam Scriptorum, quos in Galliae Bibliothecis invenit. Hieronymianum hoc Martyrologium extat *in tom.* 2. *cit. Collect., editionis Parisiensis* 1723. ibique *pag.* 12. *die* 2. *Junii* inter caeteros Sanctos legimus Sanctum Procum: *Item Marthae, Marcellae, Proci, Datulae, Victuriae, Joviani.* Atque ibi cum sermo sit de Sancto Romae passo, ut diximus, cumque pariter certum sit, quod, qui Romae Martyrium substinebant, sepeliebantur in Catacumbis cum Vase sanguinis, praecipuo sui Martyrii signo, verisimile admodum est, Sanctum Procum, cujus Corpus extractum est cum signo praedicto, esse utique illum eumdem, de quo fit mentio in Martyrologio Sancti Hieronymi.

Verisimile est, S. Procum, de quo agitur, eumdem esse cum illo, de quo memini Martyr. S. Hier.

§. 17. Ne quid tamen dissimulemus; dicere necesse est, Martyrologium hoc ipsum editum pariter fuisse ab erudito viro Francisco Maria Florentino, qui secutus lectionem Codicis cu-

In alio Codice pro PROCO PERCUS legitur.

jusdam Lucensis *die* 2. *Junii pag.* 567. non legit *Proci*, sed *Perci*, aliud quoque MS. vetus Antuerpiense *in Adnotationibus* producens. Sed cum *in iisdem adnotationibus pag.* 568. non praetermittat ingenuus Florentinius Codicem etiam Corbejensem citare, qui legit non *Percum*, sed *Procum*; et, quod majus est, cum in SS. Indice ad finem Martyrologii mentionem faciat de *Proco*, non autem de *Perco*; hinc oritur validum argumentum inferendi, quod a Florentinio Corbejensis Lectio Lucensi anteponatur, atque Antuerpianae. Eruditi viri, qui acta Sanctorum collegerunt, Henschenius nempe, Papebrochius, Baertius, et Janningus *tom.* 1. *mensis Junii die* 2. *pag.* 209. post Catalogum Martyrum Romanorum, in quem inserunt nomen *Perci*, amplectentes lectionem editionis Florentinii *pag.* 210. fateri deinde non dubitarunt, quod *Procus* legebatur in aliis Codicibus, non *Percus*.

Sed PERCI nomen nullibi occurrit.

§. 18. His omnibus addendum est, nullum aliud neque sacrum, neque profanum monumentum, quacumque diligentia adhibita, potuisse inveniri, in quo nomen *Perci* haberetur; e contrario *Proci* nomen facile, ut diximus, in antiquis inscriptionibus occurrere. Ex quo inferri possunt haec duo: alterum, quod lectio Codicis Corbejensis verisimilior sit, quam lectio Codicis Lucensis, et Antuerpiani: alterum vero, quod sine temerarii judicii nota affirmare liceat, *Proci* nomen ab Amanuensibus per iteratas exemplarium transcriptiones in illud *Perci* mutatum fuisse.

Nil facilius, quam ab Amanuensibus PROCI nomen in aliud PERCI commutatum fuisse.

Quod si forte objiciatur, nomen *Perci* mutari potuisse ab Amanuensibus in illud *Proci*, semper reponi posset, facilius esse, iterum atque iterum rescribendo, mutare *Procum* in *Percum*, quam *Percum* in *Procum*. Nam apud Martene, et Durand *tom.* 3. *Novi Thesauri Anecdoctorum*, *edit. Parisiensis* 1717. *pag.* 1614. apparet nomen *Sanctorum Proti*, *et Hyacinthi* Amanuensium incuria mutatum fuisse in quibusdam Martyrologiis antiquis cum nomine *Sanctorum Presti et Hyacinthi*, non vice versa.

Publicus Corpori S. Proci cultus decernitur.

§. 19. Valeat tamen quod diximus usque adhuc, quantum valere potest. Nos asserimus *Proci* nomen, propter marmoris sepulchralis auctoritatem: asserimus Martyrium, propter Vasculum tinctum crustis sanguineis: et nihil amplius requiri certi sumus ad publicum cultum, et Sancti titulum Nostro Martyri asserendum. Exponite igitur publico cultui Corpus, quod vobis mittimus, vestra et totius Populi, ac Cleri pietas accendatur magis ac magis erga sacras exuvias; illudque in mentem revocate, quod Corpora, et Sanctorum Reliquiae illis Civitatibus, ubi jacent, et venerantur, solent esse divina favente misericordia, validum praesidium ad arcendas inde calamitates, a quibus secus opprimerentur. Martyri Theodoro acceptum refert S. Greg. Nyssenus, quod Civitas, in qua ejus Sacrum Corpus asservabatur, liberata fuerit ab impendenti devastatione, quam Scythae minabantur, ut videre est *in Oratione de eodem Martyre*. Idem scribit Evagrius *lib.* 4. *cap.* 27. de Martyre Sergio, qui Civitatem, ubi erat Sacrum ejus Corpus, a terribili Regis Choiroae invasione liberavit. Superius mentionem fecimus de Concive Nostro Joanne Chrysostomo Trombelli Abbate, nunc iterum ejus memoriam repetimus, qui pariter *supra cit. Dissert.* 7. *cap.* 24. *et seq.* hoc idem assumptum summa felicitate, atque eruditione comprobavit. Jam vero ut finem faciamus, paterna vos benevolentia complectentes, Apostolicam Benedictionem Vobis impertimur.

SS. Rel. ad arcend. a Civitatib. calamitates praesidio sunt.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 20. Aprilis 1745. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. 20. A prilis 174 Pontif. V.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilectis Filiis Capitulo, et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis.

Literae Apostol. in forma Brevis Capitulo Canonicis Ecclesiae Metrop. Bonon. script.

Dilecti Filii Salutem, et Apostolicam Benedictionem. Insignes, quae amplissimam istam Metropolitanam Ecclesiam maxime illustrant et ornant, laudes, et decora, tum opportunis ad divini honoris et Ecclesiasticae disciplinae incrementum editis legibus, tum aedificiorum vel accessione vel instauratione, tum denique additis pretiosae supellectili ornamentis, pro viribus hactenus augere adeo sollicite studuimus, ut officio quidem minime defuisse Nobis ipsi quodammodo blandiamur: amori vero erga Sponsam, quae gaudium et corona Nostra semper erit, nunquam videamur satisfecisse. Ut autem constantissimam voluntatem Nostram eidem novo testimonio amplius declaremus, ad coeleste praesidium publicis necessitatibus confirmandum, Corpus S. Proci

Martyris e Sancti Thrasonis Coemeterio eductum et extractum, in eadem Metropolitana semper adservandum, Vobis, paterni Nostri amoris pignus, dono mittimus. Porro de hujus Sancti Martyris inventione, deque certissimis argumentis, notis ac symbolis, per quae ejus Martyrium exploratissime designatur, pluribus ac subtiliter admodum scribimus in epistola, quam Italico idiomate ad Vos hac ipsa die damus: cui has etiam in forma Brevis literas adjungimus, quas pro publico authenticoque documento futuris temporibus esse volumus. Eapropter Venerabile Sancti Proci Corpus, una cum Ampulla vitrea ipsius Sanguine respersa, qua cum fuit Sepulcro conditum (quemadmodum antiquis erat in more positum Martyrum Corpora tumulo mandare) decenter composuimus atque collocavimus in Capsula ex aere auro inducto ad urnae instar compacta et conformata, elegantissimo opere elaborata, crystallinis sex tabulis undique contecta: quam ad certam perpetuamque rei fidem Nostris in cera hispanica rubri coloris impressis signis obsignavimus. Vobis igitur injungimus et mandamus, ut Sacra tanti Martyris pignora, cum perenni paternae caritatis Nostrae memoria, ad majorem Divini nominis gloriam, Sanctorumque cultum, in ista Metropolitana Ecclesia publicae Fidelium venerationi exponatis: Fore certo sperantes, ut praesentissimo etiam ejusdem Martyris patrocinio, ampliora in dies divinae clementiae munera Vobis comparetis, quibus euntes de virtute in virtutem, ambuletis, digne Deo in omni opere bono fructificantes, et veritatem in caritate facientes, crescatis in illo per omnia, qui est Caput Christus: apud quem assiduas ad opportunam imbecillitati Nostrae opem implorandam preces effundite. Ac Vobis, Dilecti Filii, quos eadem, qua antea praesentes, nunc autem absentes benevolentia complectimur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. 20. Aprilis 1745. Anno Quinto.

III.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPÆ XIV.

Epistola prima ad R. P. Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis, de facultate consecrandi Abbatialem Ecclesiam Campidonensem.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Abbas Campidonensis Ecclesiam Abbatialem consecrat ex privil. Apostol

Ex tuis precibus mense Martii nuper elapsi ad Nos perlatis accepimus, Ecclesiam Abbatialem, cui praees, sub invocatione Beatae Mariae Virginis, et Sanctorum aliquot Martyrum erectam, vetustate et dignitate conspicuam, cum a Praedecessore Nostro Hadriano PP. I. sacro Ecclesiae ritu fuerit consecrata, occasione belli contra Suecos initi, decimoseptimo saeculo fere dimidio funditus eversam, tandem nobili edificio rursus fuisse instauratam. Cumque, juxta Sacrorum Canonum Sanctiones, Ecclesia novo opere instructa, nova itidem consecratione initianda sit; illud a nobis postulasti, ut ejusmodi consecrationis ministerium tibi, auctoritate Apostolica perficiendum demandaretur. Etsi vero tanti privilegii magnitudo Nobis perspecta esset, nihilominus meritorum tuorum intuitu, ipsa quoque Ecclesiae tuae insigni nobilitate, de qua Mabillonius *Analect. tom. 1. ad iter Germanicum;* ipsa item Campidonensi Monasterii remotissima vetustate, cujus initia, privilegia, praerogativas late enumerat Bruschius *in serie Monasteriorum Germaniae illustr.;* tandemque iis circumstantiis, in quibus versabaris, id suadentibus, petitam facultatem, iis tamen, quas infra enumerabimus, conditionibus circumscriptam, ultro concessimus. Par enim Nobis visa est, cum ad Sacramenti Confirmationis, tum ad Ecclesiarum Dedicationis Ministrum designandum, causa, et exemplum. Enim vero, quamvis Sacramenti Confirmationis administratio ita soli conveniat Episcopo, ut nullus Antistes simplicem Sacerdotem, qui baptizatos confirmet, possit delegare; multis tamen Praedecessorum Nostrorum exemplis docemur, ejusmodi munus Sacerdotibus, et praecipuis quibusdam Abbatibus, esto nullo charactere Episcopali insignitis, fuisse collatum; modo extraordinarius Confirmationis Minister, Oleo, cui Episcopus pridem benedixit, utatur: ut fusiori calamo scripsimus in Nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana*, qui nuper e typis prodiit, *lib. 7. cap. 7. et seq.* Haud dissimili dispensatione, Ecclesias consecrandi privilegium quod alioquin nulli convenit, nisi Episcopali dignitate praefulgeat, Apostolicae auctoritatis limites non excedit,

quamvis nulli Episcoporum jus sit, simplicem Sacerdotem ad id muneris designare. Hinc Nobis jure ac merito ex Apostolicae potestatis plenitudine ad Ecclesiam Campidonensis Monasterii consecrandam Te Ministrum delegimus, his verbis, quae ex literis Nostris Apostolicis die 12. Martii proxime praeteriti editis hic subjimus: *Hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, eamdem Ecclesiam Monasterii Campidonensis, juxta praescriptum in Rituali Romano, servatis alias de more servandis, recepto prius Oleo Sacro ab Episcopo benedicto, pro hac vice tantum, consecrandi facultatem, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.* Hinc mense Majo sequenti, ejusdem Ecclesiae Consecratio, te id agente, solemni ritu, peracta est.

Canonist. sententia de jure Episc. in Eccl. dicandis.

§. 2. Conveniunt Canonistae, Episcopis jus esse Ecclesias in eorum Dioecesi existentes consecrandi, imo et alium delegandi Episcopum, qui, delegatione seclusa, consecrationem citra reatum non posset perficere; cum ex praescripto Synodi Tridentinae *Sess. 6. cap. 5. Reformat.*, nefas sit extraneo Antistite, sine Ordinarii licentia, in aliena Dioecesi exercere Pontificalia. Addunt vero iidem Canonistae, non posse ab Episcopo simplicem Sacerdotem ad consecrationis opus obeundum designari; quandoquidem uni Summo Pontifici peculiaris haec jurisdictio reservatur. Ita sentiunt inter Hispanos Gonzalez *Cap. Aqua num. 3. et seq. de Consecr. Eccles.*, inter Belgas Van Espen *Juris Ecclesiast. part. 2. art. 16. num. 10.* inter Germanos Pirhing *ad lib. 3. Decretalium art. 4. §. 1.* et Schmalzgrueber *ad eumdem tit. §. 1.*, nostrosque inter Italos Tamburini *de jure Abbatum tom. 1. disput. 23. quaest. 7.*

Juxta Canones, Ecclesia dicanda est ab Episc. in cujus Territor. aedificat.

§. 3. Hanc Canonistarum Sententiam nonnulla Ecclesiasticae Historiae monumenta illustrant, atque confirmant. In Concilio Arausicano I., quod anno Christi 441. coactum est, quodque in Collectione Labbeana refertur *tom. 3. pag. 1449.*, haec ad rem nostram decernuntur: *Si quis Episcoporum in alienae Civitatis Territorio Ecclesiam aedificare disponit, vel pro fundi sui negotio, aut Ecclesiastica utilitate, vel pro quacumque sua opportunitate, permissa licentia aedificandi, quia prohibere hoc votum nefas, non praesumat dedicationem; quae illi omnimodis reservatur, in cujus Territorio Ecclesia assurgit.* Neque exemplum Sidonii, qui, ut legimus *in Epist. 15. lib. 4.*, Rutheno-

Neque offert Sidonii exemplum.

rum Ecclesiam citra ullam Ordinarii licentiam consecravit, Ecclesiae moribus, aut disciplinae adversatur. Sicut enim Savarus *in Notis ad praeallatam Sidonii Epistolam* animadvertit, nedum Ruthenorum, sed et aliae, quae circumpositae erant Ecclesiae, Pastoribus, quos Arianae persecutionis impetus propulsaverat, jacebant destitutae; quod idem vel ex ejusdem Sidonii *Epistola 6. lib. 7.* aperte colligimus: Hinc nil mirum, si, inconsulto Episcopo, qui non aderat, Sidonius ad alienae Dioecesis Ecclesiam consecrandam accesserit, ne alioquin sacra illa Aedes eximia Consecrationis praerogativa fraudaretur.

Ex isdem Sacris Canonibus vetitum Presbyteris Ecclesias consecr. tum Episcopis consecr. Presbyt. delegare.

§. 5. Quod uni asseritur Episcopo, ex praestituto Arausicani Concilii Canone, aperte denegatur Presbyteris in secundo Bracarensi Concilio anno Christi 563. sub Pontifice Joanne III. In memorata Collectione Patris Labbe *tom. 5. pag. 842.* recitatur *Can. 19.* hisce verbis conceptus: *Item placuit, ut, si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Eccl. aut Altare consecrare, a suo officio deponatur; nam et antiqui hoc Canones vetuerunt.* Sed propius ad rem nostram Concilium Hispalense secundum, cui anno 619. praefuit S. Isidorus, aperte docet, non posse Episcopos simplicem Sacerdotem delegare ad Ecclesiarum Consecrationem perficiendam. Splendidi hujusce monumenti verba sic habent: *Septimo examine relatum est Nobis, venerandissimum quondam Agapitum Cordubensis Urbis Episcopum frequenter Presbyteros destinasse, qui, absente Pontifice, Altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum id praecipisse virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum, et statim a saeculari militia in Sacerdotale Ministerium delegatum. Ergo, ne ultra talis a Nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit: scientes, quia sicut Presbytero illicita Consecratio est Altaris, ita et constitutio.*

Dubium ac Hispalensis Concilii Canon, etiam de Chorepiscopis meminerit.

§. 6. Codices nonnulli, in quibus praefati Canonis verba exscribuntur, nedum Presbyteros, sed et Chorepiscopos nominant, quibus Ecclesiarum dedicatio, etiamsi Episcopi delegatio faveat, pari jure denegatur. Verum Cardinalis de Aguirre *in Collectione maxima Conciliorum Hispaniae tom. 2. pag. 464.* accuratiorum Codicum fides secutus, Chorepiscoporum nomen, aliena manu additum, expungit; non enim de Chorepiscopis, sed de solis Presbyteris, Hispalensis Concilii Canon sermonem ha-

bet. Praeterea doctus idem scriptor *loco citato pag.* 473. postquam satis probavit, Epistolam 88. quae S. Leoni a nonnullis tribuitur, tanti Pontificis foetum non esse, sed illam ex Canone septimo Hispalensis Concilii fuisse desumptam; tandem concludit, Chorepiscoporum nomen Canoni insertum, in ipsam Epistolam, quae ex Canone illo concinnata est, facile descendisse.

§. 7. Etsi vero daremus, Hispalensis Concilii Canonem Presbyteros atque Chorepiscopos una sociasse, nihil inde conficitur; jam enim nostra aetate communis eruditorum opinio est, Chorepiscopos, si paucos excipias Episcopali charactere decoratos, puros putosque Sacerdotes fuisse. Qua de re consulendi Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* 17., Hallier *de Sacris Ordinationibus sect.* 5. *cap.* 2., Morinus *Exercitat.* 3. *cap.* 2. Thomassinus *de Ecclesiastica disciplina part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. Carolus de Fresne *in verb. Chorepiscopi*, Witasse *in Appendice ad dissertationem de Episcopis art.* 3., Le Droit *lib.* 8. *sect. ult.* Hoc in sensu Hispalensis Concilii Canon commode accipitur, ut nimirum de iis Chorepiscopis, qui Presbyteratus metam non excedunt, sit intelligendus. Juvatur haec interpretatio ex alia lectione ejusdem Canonis, quem ex Concilio Hispalensi supra recitavimus, si editionem Conciliorum, quae anno 1585. sub auspiciis Sixti V. Praedecessoris Nostri Venetiis procusa est, consulamus. Etenim vero *vol.* 3. *pag.* 55. *num.* 7. in ipso Canonis contextu, Chorepiscopi, ac Presbyteri una sociantur; ita tamen, ut par utrisque tribuatur auctoritas. Canonis verba hic atteximus: *Septimo examine relatum est Nobis, venerandissimum quondam Agapitum Cordubensis Urbis Episcopum frequenter Chorepiscopos, vel Presbyteros ordinasse, qui tamen juxta Canones unum sunt etc.*, qua verborum additione, nullum, ut cuique patet, Chorepiscopos, inter ac Presbyteros, statuitur discrimen.

§. 8. Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Confir. cap.* 12. docet, inesse Episcopis integram, absolutam, et quae a nullo dependeat, authoritatem ministrandi Confirmationis, atque Ordinis Sacramenta, quibus Nos addimus et ipsam Ecclesiarum Consecrationem. Ex quo fit, ut possint Antistites in propria Dioecesi ejusmodi jurisdictione pro libito uti; quamvis, si forte qui Episcopis praeest, id prohibeat, vel impediat, hoc in casu actus Superiore vetante exercitus, illicitus quidem sit, non etiam frustraneus. Verum, eodem Bellarmino teste *in loco cit.* longe dissimilis, ubi de simplici Sacerdote sermo est, militat ratio. Etsi namque Ordinis potestas, quae ex vi characteris Sacerdoti tribuitur, plena, integra, atque absoluta, sit in Baptismi, atque Eucharistiae Sacramentis conficiendis; inops tamen, inchoata, atque a Superioris nutu dependens habenda est Sacerdotum potestas, quo ad collationem Confirmationis, ac Minorum Ordinum, atque ex pari ratione quoad ipsam Ecclesiarum Consecrationem. Hinc sequitur, ut, nisi Superioris accesserit delegatio, mutila haec, atque infirma Sacerdotum auctoritas, neque in licitum, neque in validum actum erumpere possit.

Cum tamen hi potest. habeant in Corpus Christi verum.

§. 9. S. Thomas, Theologorum facile princeps, *in lib.* 4. *sententiar. dist.* 7. *quaest.* 3. *art.* 1. *quaestiunc.* 3. asserit, Episcopatum, nihil Sacerdotio *per relationem ad Corpus Domini verum*, sed multo potiorem jurisdictionem conferre, habito respectu *ad Corpus Domini mysticum*. Ex quo infert, Summum Ecclesiae Pontificem, Episcoporum omnium caput, in quo potestatis omnimoda residet plenitudo; eam, qua pollet absolutissimam auctoritatem in Corpus Christi mysticum, hoc est in Ecclesiam, exercere posse, ideoque ad ea perficienda, quae ad mysticum Christi Corpus quoquomodo pertinent, summo jure Sacerdotibus, qui ex vi Ordinis, ac praecipuo quodam jure Eucharistiae Sacramentum conficiunt, potestatem conferre, quod tamen Diaconis, *qui non habent perficere Corpus Domini verum*, jure ac merito denegatur. Huic nixus fundamento S. Doctor affirmat, simplicem Sacerdotem, a Summo Pontifice delegatum, Sacramentum Confirmationis, ac minores Ordines rite ministrare. Quidni ergo et Ecclesias poterit consecrare? Simplices Sacerdotes in extraordinarios Confirmationis, ac minorum Ordinum Ministros pluries fuisse designatos, satis probavimus in praelaudato Tractatu Nostro *de Synodo Dioecesana*. Illud ergo inquirendum superest, quonam tempore delegatam ad consecrandas Ecclesias jurisdictionem in usum revocaverint.

Exemplis agitur: illud Steph. II. de consecration. Ecclesiae Monast. Nonantulani ad rem non facit.

§. 10. Ad id demonstrandum nonnulli proferunt Diplomata Stephani II. quem putant jus tribuisse S. Anselmo Abbati Monasterii Nonantulani in territorio Mutinensi, ut *Altaria simul, et Ecclesiam, Apostolica auctoritate consecraret*, verba sunt Pontificii Diplomatis apud

Ughell. *Ital. Sacr. tom.* 2. *in serie Episcoporum Mutinensium pag.* 84. *postremae editionis*, cujus item Diplomatis seriem exhibet Abbas Muratorius *tom.* 1. *part.* 2. *scriptor. rer. Italicar. in Opuscul. de Fundatione Monasterii Nonantulani pag.* 190.: ac Bullarium Romanum Romae excusum anno 1739. *tom.* 1. *Constitut.* 2. inter eas, quae Stephano II. adscribuntur, *pag.* 150. Verum, si Apostolicae Constitutionis verba paulo accuratius perpendatur, legendi patebit, Stephanum Pontificem Sergio Ravennatensi Archiepiscopo, non etiam Abbati Anselmo, Sergii dumtaxat consocio, auctoritatem contulisse, ut S. Silvestri, aliorumque Sanctorum Reliquias deferret Nonantulam, ibique Ecclesiam, ac Altaria initiaret; quandoquidem ea aetate vigebat adhuc mos, et disciplina, quae insequentibus item temporibus aliquandiu obtinuit, ut nimirum nefas esset Episcopis Ecclesias, inconsulto Pontifice, consecrare. Quo pertinent verba illa Nicolai I. ad Consulta Archiepiscopi Vesonsionensis, relata *in cap.* 5. *tom.* 1. *Spicilegii* Lucae d'Achery *pag.* 597. *Quomodo autem Chorepiscopos posse dicimus Ecclesiam consecrare, quam nulli Episcoporum licet sine Nostro praecepto, secundum sanctas regulas dedicare?* Vetustam hanc Ecclesiae disciplinam colligimus *ex Can. de locorum* 4. *de Consecrat. dist.* 1., atque ex iis, quae edisserunt Gonzalez *in Cap. Ad haec, de Consecrat. Eccles. num.* 11. *in fin.*, Grananet. *ad lib.* 3. *Decretal. tit.* 36. *in notis ad Cap. Ad haec, de Religiosis Domibus, num.* 3. *et seq.*, et Garnerius *in notis ad lib. Diurn. Romanorum Pontificum cap.* 5. *pag.* 91.; Caeterum, ut in viam, a qua paulatim deflexeimus, regrediamur, Abbatiae Nonantulanae Ecclesiam a Ravennatensi Archiepiscopo fuisse initiatam, Auctor est Pater Mabillonus *part.* 1. *saecul.* iv. *Sanctorum Ordinis Benedictini tom.* 2. *pag.* 146. *num.* 62. *editionis Lucensis*, ubi refert geminam in territorio Nonantulano, Stephani Papae II. jussu, peractam Eccl. Consecrationem, alteram quidem a Geminiano Mutinensi Episc. alteram vero ab Archiep. Ravennatensi Sergio, qui post absolutum sacri ritus ministerium, tridui spatio cum Anselmo Abbate, ejusque Monachis commoratus est.

Ecclesiam consecr. si polluatur, a Sacerdotib. ex privil. Apostol. reconciliari posse exempla probant quamplurima.

§. 11. Hoc igitur monumento posthabito, ad alia progrediamur. Constat cum primis, soli Episcopo jus competere Ecclesias consecratas, si polluantur, reconciliandi; contra vero simplici Sacerdoti id omnino vetitum, quamvis Episcopalis intercesserit delegatio. *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus: per Sacerdotes simplices, hoc fieri de caetero prohibentes: non obstante consuetudine Provinciae Bracarensis, quae dicenda est potius corruptela:* verba sunt Gregorii IX. *in cap. Aqua, de Consecratione Ecclesiae.* Posse tamen Summum Pontificem ejusmodi auctoritatem vel simplici Sacerdoti conciliare, fatetur Abbas *in dicto cap. Aqua;* quodque rem plane conficit, eamdem authoritatem pluries contulisse, testatur Innocentius *ad praefatum Caput, Aqua*, ita scribens: *audivimus ante, quod Papa pluribus Episcopis indulsit, quod per simplices Sacerdotes possent reconciliare Ecclesias, aqua tamen per Episcopum benedicta.* Nec desunt e Regularium numero, qui de hujusmodi privilegio sibi plaudant, adhibita tamen aqua ab Episcopo benedicta, ut scite animadvertit P. Bremond Ordinis Praedicatorum Generalis Magister *tom.* 8. *Bullarii Ordinis Praedicator. tit.* 1. *quaest.* 4. Eadem Basilicae Vaticanae Canonicis, nimirum Priori, ex Constitutione Innocentii VI. quae in nupero Bullarii Vaticani *tom.* 1. *pag.* 361. late exscribitur; nec non Altaristae, ex privilegio Urbani V., cujus authographum in Archivo ejusdem Basilicae servatur, tribuitur facultas, ut Basilicam ipsam, ejusque Cappellas, ac Coemeteria polluta, aquae ab Episcopo benedictae usu, valeant reconciliare. Haec tamen in iis dumtaxat Ecclesiis, quas consecratio distinguit, locum habent; secus pollutas Ecclesias, quas sola benedictio, non etiam consecratio sanctificavit, reconciliare, cuique Sacerdotum conceditur, adhibita lustrali aqua, citra ullam delegationis necessitatem: *si Ecclesia non consecrata,* (inquit Gregorius IX. *cap. Si Ecclesiae, de Consecratione Ecclesiae*) *cujuscumque seminis fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne Divinae Laudis organa suspendantur.*

Si vero polluta Ecclesia benedicta tantum fuerit, citra ullum privilegii poterit a Presbyt. reconciliari.

§. 12. Sicuti Ecclesiae pollutae reconciliatio, ita et solemnis consecratio a Summo Pontifice vel simplici Sacerdoti jure demandatur; esto nec ad expiandam pollutam, neque ad consecrandam novam Ecclesiam, fas sit Episcopis simplicis Sacerdotis ministerio uti. Ita censent Azorius *Institut. Moral. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quaest.* 4. et Anacletus *ad lib.* 3. *Decretal. tit.* 40. §. 2. *num.* 32. *et* 33. Dictis facta re-

Facultas Altaria consecr. ex Indulto Pii IV. Abbatib. Cassinens. concessa.

spondent; cum multa suppetant exempla Romanorum Pontificum, qui Abbatibus Regularibus auctoritatem consecrandi Altaria in eorum Ecclesiis erecta, concesserunt. Quod ad Cassinenses Abbates pertinet, luculentissimum privilegium suppeditant Constitutiones Praedecessoris Nostri Pii IV. consulendae *in tom.* 1. *Bullar. Ordinis Benedictini sub num.* 175. *et* 176.

...ra Conse-...tio Sacel-...in Monast. ...nsild. si ...ra, in ...empl. pro-...ri nequit.

§. 13. Ab aliis abstinemus exemplis, cum illorum meminerit notissimus Auctor Clericatus *decis.* 13. *de Sacrificio Missae num.* 18. *et seq. et num.* 26. Pari silentio missa facimus, quae de celeberrimo Einsildensi Monasterio narrantur in Opere, cujus titulus: *Idea Congregationis Helveto Benedictinae*, quod Opus Typis Monasterii S. Galli anno 1702. editum haec habet *pag.* 18.: *Ad annum* 948. *a S. Eberhardo Conradus Constantiensis Episcopus Sacellum consecraturus invitabatur. At praevenit illum in benedictionibus summus e Coelo Sacerdos, illudque Divina manu sacravit, humana, nisi oleum et operam perdere mallet, a Consecratione cessare jussa.* Quidquid enim sit de veritate historiae, nihil inde, quod Nostram juvet causam, licet colligere.

...plom. qui-...m Pauli ... et Pii IV. ...nsild. Mo-...t. Abba-... jus tri-...unt Ec-...sias con-...r.

§. 14. Illud vero ratum, indubiumque est, Paulum III. Praedec. Nostrum Abbati Ludovico, ejusque in Einsildensi Abbatia Successoribus copiam fecisse, ut, quandiu haereses obtinerent, Ecclesias, Oratoria, ac Coemeteria dedicarent. Pontificium Diploma ann. 1542. die 19. Decembris evulgatum est, quod rursum Pius IV., Noster item Praedecessor, suis Literis Apostolicis ann. 1562. nova sanctione roboravit, servato eodem verborum tenore, qui sic habet: *Quod ipse Ludovicus, et pro tempore existens Abbas Monasterii hujusmodi, durantibus dictis haeresibus, praefatum Monasterium, et quaecumque ad illud pertinentia, Ecclesias, Oratoria, Coemeteria, et loca hactenus consecrata et benedicta, quovis modo pro tempore polluta, reconciliare, et nondum consecrata, et benedicta, nec non Calices, Patenas, Libros, vestimenta, et alia mobilia, ac etiam Tabernacula custodiae Eucharistiae, consecrare et benedicere.*

Eadem ...lomata ...ncii Apo-...l. senten-... probata.

§. 15. Neque ejusmodi privilegia ignota delituere; quo enim tempore Rhodiorum Archiepiscopus Nuncii Apostolici munere in partibus Helveticorum fungebatur, Diplomatum Authographis in judicium delatis, atque iis probe discussis, praefatus Archiepiscopus, Partibus hinc inde contradicentibus, hanc contra Ministros Curiae Episcopalis Constantiae sententiam tulit: *visis documentis exhibitis, ex quibus constat manifeste, Reverendissimos Abbates Einsildenses pro tempore, a biscentum circiter annis, usque ad moderna tempora, quamplurimos, et varios actus solemnes ac publicos Consecrationis hujusmodi, gessisse, et exercuisse etc. dicimus, decernimus, et definitive pronunciamus, Reverendissimum Abbatem praedictum manutenendum, conservandum, ac defendendum fore et esse in quieta, et in pacifica possessione Juris consecrandi Ecclesias, et Cappellas suo Monasterio subjectas, et incorporatas, pro ut Nos ipsi manutenemus, conservamus, atque defendimus.* Quae quidem sententia viget adhuc. Quod si forte eveniat, ut ea in Judicii prosecutione aliquando revocetur, non jam ob defectum Apostolicorum Diplomatum, quae Abbatibus concessa fuere, id eveniet, sed potius privilegiorum abusus, qui praefinitos limites excessit, damnabitur.

Aliud argument. ex Abbat. Corbejensis monumentis petitum.

§. 16. Praeterea extat Elenchus, quem Nos ipsi perlegimus, in quo Ecclesiae, quas Corbejensis Abbas dicavit, enumerantur, nec numerantur dumtaxat, sed insuper momenta adduntur, ac probationes compulsatae in actibus Tribunalis Romanae Rotae, occasione litis, quae inter Paderbonae Episcopum, et memoratum Abbatem exarsit; quam deinde sequuta est decisio Rotalis coram Millino, nunc Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, die 5. Februarii 1745. Porro Corbejenses Abbates, Apostolicis privilegiis destituti, ad ejusmodi consecrationes perficiendas manum profecto non admovissent; ex quo indubia redditur sententia, quae docet, Romanum Pontificem posse Sacerdotibus, iis potissimum, qui in Abbates evaserunt, auctoritatem ad Ecclesias consecrandas conferre: quodque caput est, ejusmodi auctoritatem a Nostris Praedecessoribus reipsa in usum fuisse revocatam.

Hujus Epist. conscribendae causa et occasio.

§. 17. Quo tandem spectent, quae huc usque narravimus, atque in hac Epistola, quam tibi damus, collegimus, a Nobis si quaeras, ingenuos animi Nostri sensus aperire non dedignabimur. Ad Nostras pervenit manus Libellus hoc eodem anno Campidonae editus, cujus titulus: *Triplex Triumphus Campidon.* quod nempe circa consecrationem Abbatialis Ecclesiae ex Apostolico privilegio a te peractam, totus occupetur. In hoc Libello auctoritas a No-

bis tibi collata usque adeo extollitur, ut *inaudita* dicatur; ejusmodi privilegii nullum in Monachorum chartis extare vestigium tuto asseritur; tandemque concessio tibi facta facilis nimirum indulgentiae portentum nominatur quod Germaniam universam in sui traxit admirationem. Equidem putamus, haec, atque his similia, magnificis verbis ideo jactari, ut beneficii magnitudo extollatur, atque ut majores Benefactori grates referantur. Haud temere tamen suspicari licet, posse nonnullos, ex iis, quae liberius scribuntur, in eam adduci opinionem, ut credant, Nos hac in re aliquid, quod Praedecessores Nostri intactum relinquere, tibi exequendum demandasse. Etsi vero a graviori censura immune sit opus, quod Romanus Pontifex ex indicta sibi auctoritate, quam in praesenti casu nemo inficiatur, in actum revocat; nihilominus ad quascumque ambages tollendas, illud tibi significandum duximus, morem hunc designandi Abbates, qui Ecclesias Chrismate per Episcopum benedicto consecrent, nec novum esse, nec a Nobis primo fuisse introductum.

Privileg. Abbati Campid. concessum, nec novum, nec sine causa.

§. 18. Equidem Tamburinus hac in re verbatissimus, in Opere et loco a Nobis supra memorato, ait, se nescire, fuerit ne umquam Abbatibus collata potestas, qua Ecclesias initiarent. Si hac verborum servata mensura Libellus loqueretur, jam nullus Nostrae huic Epistolae fuisset locus; verum, cum in exagerationem effusus, modum excesserit, oportuit, ut de iis, quae et Nostrum Diploma vindicant, et praeposteram, quam ex Libello quis haurire posset, interpretationem evertunt, hic una colligeremus. Quocirca, ut rem hanc paucis conficiamus, fatemur, te ad consecrandam Abbatialem Ecclesiam a Nobis electum, magno utique, et eximio privilegio fuisse decoratum. Ejusmodi tamen privilegii alia succurrunt exempla, quae a Nostris Praedecessoribus ad Nos promanarunt. Multa item ac gravia Nobis praesto fuerunt argumenta, ut petitam delegationem tibi concederemus. Horum nonnulla in Literis Nostris Apostolicis die 12. Martii praesentis anni editis indicavimus; alia, multo item in pretio habenda, praeterire maluimus; cum nulla Nos adigat ratio, ut imos animi Nostri recessus sive tibi, sive aliis manifestemus.

Altera Abbatis Campid. petitio,

§. 20. Consecratione peracta, ac Libello, cujus supra meminimus, evulgato, cum jam nulla tibi ad aliam consecrationem peragendam facultas superesset, quandoquidem pro una dumtaxat vice, privilegium concessimus, esto, in caeteris Praedecessorum Nostrorum Diplomatibus favore Abbatum, ejusmodi limitatio nullibi occurrat, iterum oblatis tuo nomine precibus postulasti, ut Ecclesiam Ordinis S. Francisci intra jurisdictionis tuae limites erectam, aut solus, aut una cum Episcopo consecrares. Verum postulata rejecimus; nec Nobis grave erit in postrema harum Literarum parte rationem, ac causas attexere, ob quas privilegium duximus denegandum.

ut aut solus, aut una cum Episcopo Ecclesiam consecraret, rejicitur.

Affertur ratio, cur privileg. alterius consecr. Ecclesiae denegetur.

§. 21. Et primo, quod ad Ecclesiae Ordinis S. Francisci consecrationem attinet, jam, ut putamus, eam, quae Nobis difficultatem ingerit, rationem facile assequeris. Quod si ea adhuc tibi impervia sit, Nos ultro dabimus. Solida nimirum Nos urget suspicio, ne, grati animi impetu abreptus, eadem repetas, et majori fortasse verborum vi, ac amplitudine ingemines, quae in Libello de triplici Triumpho nuper conscripta sunt. Quod vero alteram postulati partem attingit, de consecrationis ritu ab Episcopo ac Abbate insimul peragendo, id Ecclesiae moribus, ac disciplinae nullatenus Nobis consonare videtur. Porro si de Sacerdotum degradatione casus incidat, possunt sane, ex praescripto Synodi Tridentinae *Sess.* 13. *cap.* 4. *de Reform.* Episcopi atque Abbates ad id exequendum una convenire. Si privilegia, quae summi Pontifices electis Episcopis nonnunquam concessere, inspiciamus, haud inficiamur, Episcoporum consecrationem, quae a tribus Episcopis perficienda esset, ab eorum uno, ac duobus sive Abbatibus, sive aliis in Ecclesiastica dignitate constitutis, impleri posse; cum aliquando difficile admodum sit, tres Episcopos una convenire; nec invalida, sed solum illicita sit Episcopi consecratio, quam unus peragit Episcopus citra Apostolicam dispensationem, ut ex communiori opinione docent Cabassutius *in Notit. Ecclesiast. saeculi IV. ad Can.* 4. *Nicaenum*, Christianus Lupus *ad Concilia Generalia et Provincialia tom.* 1. *pag.* 29. *et pag.* 33. Juvenin *de Sacramentis dissert.* 9. *de Ordinibus in specie quaest.* 1. *de Episcopatu cap.* 4. Cardinalis Gotti *de Eucharistia tom.* 15. *de Episcopatu dub.* 4. §. 1. *et* 2.

Exponit, quoque, cur consecratio ab Episc. ac Abbat. insimul non sit peragenda.

Episcop et Abbat. Ecclesias simul consecrasse, nullo probatur exemplo.

§. 22. At vero nullum suppetit exemplum, quod in Ecclesiarum consecrationibus, Episcopum atque Abbatem una componat. Desunt

Pontificum Privilegia, Episcoporum dispensationes frustra quaeruntur, cum nequeant Episcopi Abbates in consecrationum Comministros designare. Nec mirum subeat, si nulla occurrunt exempla, quae hac in re Abbates Episcopis addant consocios, cum possint Episcopi, secluso alterius ministerio, consecrationis munus obire. Neque Abbatum ministra manus Episcopo, qui Ecclesiam consecrat, pondus addit, aut numerum, ut in Sacerdotum degradatione, aut Electi consecratione revera superaddit. Mirari quoque non debes, si asseramus, Episcopis jus nullum esse, ut in Ecclesiis dicandis, Abbates in Comministros assumant; quandoquidem Abbates et simplices Sacerdotes pari in numero habendi. Nequit Sacerdos in Comministrum eligi ab Episcopo; nec Abbas igitur poterit in Comministrum designari. Haec sunt, quae, rerum circumstantiis ita suadentibus, tibi duximus significanda. Interim vero tibi, tuisque Confratribus Apostolicam Benedictionem impertimur.

. 16 Nobr. 1748. atific. IX.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 16. Novemb. 1748. Pontificatus Nostri Anno Nono.

IV. SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PP. XIV.

Epistola secunda, ad R. P. Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis, de Consecratione Ecclesiae S. Apollinaris Romae a Sanctitate Sua peracta.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quomodo catio Ecclae S. Anaris peta fuerit, eratur.

Peracta a Nobis est Consecratio Ecclesiae S. Apollinaris, electo in Comministrum Cardinale Gentili Episcopo Praenestino, et universo Cardinalium adstante Collegio. Sacris Ritibus, qui cum intra, tum extra Ecclesiam praescribuntur, initium Nos ipsi dedimus, iisdemque supremam manum imposuimus; quae vero ab initio ad exitum intercurrunt opera, Cardinalis Comminister implevit. Ara major Nostro sumptu erecta, Nostris item manibus dicata est; nec alius, praeter Nos, Graecas, Latinasque Alphabeti Literas super cineres, exaravit. Interim vero Cardinalis Consocius, et Coadjutor, Pontificalibus indumentis ornatus, Faldistorio insidens, expleto consecrationis ritu, Missam ad Altare a Nobis pridem dicatum, de more celebravit; fas enim Episcopo consecranti, Romano Pontificali id permittente Missam alteri Sacerdoti celebrandam committere, ni pares ad id agendum suppetant vires; ut Nobis plane contigit, qui idcirco in privata Apostolici Palatii Nostri Cappella sacrum pridem obivimus. Quo item tempore solemnem Altaris Consecrationem peregimus, Dilectus Filius Noster Carolus Albertus Cavalchini primo Episcopus, mox S. R. E. Cardinalis, in Ecclesia Beatae Virgini dicata, ac S. Apollinaris Templo ita contermina, ut unum veluti Corpus cum illo constituat, Nostro jussu Altare Sacro Ritu initiavit.

Ratio adhibiti in dedicatione Comministri exponitur.

§. 2. Cumque ad Nostram devenerit notitiam, praedictam methodum adhibitam, a nonnullis fuisse reprobatam; eo sub obtentu, quod integra Ecclesiae Consecratio aut a Nobis fieri, aut integra alteri demandari debebat, non inopportunum esse arbitrati sumus, tibi, Dilecte Fili, in hac secunda epistola aperire consilii Nostri rationes, ob quas Ecclesiae Sancti Apollinaris Consecrationem peregimus modo supra exposito; tibi enim hac ipsa die aliam scripsimus epistolam de Ecclesiarum Consecratione tractantem.

Dedicationum ritus in Ecclesia perantiquus, ac mysteriis refertus.

§. 3. Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 20. num.* 3. affirmat, Sacrum Ecclesias dicandi Ritum e veteri in novum Testamentum, atque ab Apostolis in eorum Successores fuisse translatum. Non eadem tamen Ecclesiae disciplina in Consecrationibus peragendi ubique semper obtinuit, Eusebius, qui veterem dedicationum Ritum exhibet, neque Benedictiones aquae lustralis usu, neque Cruces Sacro inungendas Chrismate, umquam commemorat: ex quo Dallaeus *in Tract. adversus traditiones Latinorum lib.* 3. *cap.* 15. perperam infert, sacros hosce Ritus tunc temporis nondum obtinuisse: Imo vero Dallaeo adhuc deterior Josua Arndius *in Lexico Ecclesiasticarum antiquitatum pag.* 1085. non veretur asserere, veteres Ecclesiarum consecrationes solis precibus, concionibus, atque hymnis fuisse institutas; quam sententiam sibi adoptavit Gotofredus Wictus *de altaribus cap.* 11. *num.* 15. Haec tamen, quae ab Haereticis insano ore jactantur, inania sunt, nec ulli subnixa funda-

mento. Si enim, ut scire ratiocinatur Sinesius *in Epistola* 67. *pag.* 212. *juxta edition. Parisien. anno* 1633. sola precum prolatio par est ad Ecclesias dicandas, jam locus nullus, non Oppidum, non Castrum occurret, cui dedicationis praerogativa non conveniat; quandoquidem vix, ac ne vix quidem ullus poterit inveniri locus in quo aliquae preces, hymni, laudes ad Deum effusae aliquando non fuerint. Quod igitur hac in re inoffenso pede affirmari potest, illud est, Ecclesiarum consecrationes Sacrum Opus esse, quod solemni Ritu, precibus, aliisque ab Ecclesia praescriptis actionibus, Episcoporum ministerio perficitur; quamvis lateat adhuc, quo primum tempore multiplices illi dedicationum Ritus incoeperint. Vetustos tamen esse fateri oportet, ac refertos mysteriis, quae a sacris Nostris Scriptoribus elucidantur; quos inter primo loco eminet undecimo Ecclesiae saeculo Ivo-Carnotensis *in Sermone* 4. *de Sacramentis Dedicationis*, ubi de Crucibus, quae Sacro inunguntur Chrismate, sermonem habens, ita loquitur: *De consecrato Altari chrismantur in parietibus illae duodecim Cruces, quae Typum gerunt Apostolicum, qui et primitias spiritus acceperunt, ut Crucis mysterium populis et gentibus manifestare studuerunt*. De Crucibus item, ac de candelis, quae coram iisdem Crucibus in Ecclesiae consecratione accenduntur, disserit Gretserus *de Cruce lib.* 2. *cap.* 7. §. *Sacra haec Dedicationis etc.*

Consecrationem Ecclesiae vel ab uno Episcopo, vel a pluribus insimul perfici posse, scriptorum auctoritate comprobatur

§. 4. Ecclesiarum consecratio duobus modis peragitur: vel etenim ab uno consecratur Episcopo; quod ut plurimum contingit, uti etiam adnotavit Vanespen. *Juris Ecclesiastici, part.* 2. *tit.* 16. *num.* 10., vel a pluribus insimul Episcopis, Garnerius *in Notis ad lib. Diurn. Romanorum Pontificum tit.* 5. *cap.* 16. ea Textus verba expendens, *petitque, ut eadem Ecclesia solemniter debeat consecrari*, animadvertit, geminum consecrationis Ritum obtinuisse, alterum quidem communem, quem unus operabatur Episcopus; solemnem alterum, ad quem viciniores Episcopi conveniebant: *Observa*, inquit Garnerius, *geminum consecrationis modum, communem unum, de quo superiores formulae, alterum solemnem, ad quem vicini Episcopi convocantur. Talis fuit dedicatio Basilicae, quae Synodo secundae Arausicanae causam dedit*. Consulendus in rem hanc Bellottus *de ritibus Ecclesiae Laudunensis pag.* 859. *num.* 5. *et seqq.* Neque profecto credendum est, Ecclesiam ab uno Episcopo fuisse consecratam, caeteris tantum assistentibus; cum certum sit, omnes fuisse Comministros, et omnes sociam manum adhibuisse. Audiendus P. Martene *de antiquis Ecclesiae Ritibus tom.* 2. *postremae editionis Antuerpiensis lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 5. ita scribens: *Caeterum non solum ut spectatores, et testes, quod forte existimabit aliquis, sed ut Coadjutores, et Ministri, ad ejusmodi Ecclesiarum Dedicationes convocabantur Episcopi, in quibus suas quique partes adimplebant*. Idem repetit Sacerdos Joseph Catalani *in suis ad Romanum Pontificalem Operosis Notis tom.* 2. *tit.* 2. *num.* 9. Ut hanc, quam tractamus, materiem magis adhuc illustret, eruditus Martene nonnulla producit exempla cuique consulenda; quibus Nos duo superaddimus, unum ex Venantio Honorio, cui etiam Fortunati nomen tribuitur, excerptum *in lib.* 3. *ad Felicem Episcopum de dedicatione suae Ecclesiae*, ubi Euphronium, Victorium, Donnulum, Domitianum, et Macarium consecrationis Comministros expresse nominat, quos omnes Episcopos revera fuisse probat Broverus *in Notis ad Venantii Honorii Opus lib.* 3. *cap.* 4. Alterum vero longe illustrius exemplum consecrationis Ecclesiae Sanctae Mariae de Valle, quae contigit anno 1608. suppeditat d'Acherius *tom.* 6. *Veter. edition. pag.* 444. ubi sic legimus: *Domnus Willhelmus Carpenctoratensis Episcopus, sive Dominus Willhelmus Tolonensis Episcopus, moniti vice Domni Rostagni Aquensis Metropolitani Episcopi, anno Incarnati Verbi* 1068. *indict.* 6. *sub die* 6. *Idus Januarii hanc dedicaverunt Ecclesiam*.

Idem exemplis quoque confirmatur.

Adduntur in eandem rem Romanorum Pontificum gesta, et primum Leonis IX.

§. 5. Concordant ipsorum Romanorum Pontificum gesta. In actis Concilii Rhemensis sub Leone IX. legitur, ab eo fuisse peractam consecrationem Basilicae S. Rhemigii hoc, qui sequitur, modo: *Dominus Papa, convocatis Episcopis . . . Rhemensem Archiepiscopum cum Lisojensi Episcopo ternam circuitionem cum Crucibus et Sanctorum Reliquiis, secundum Ecclesiasticum Ordinem, exterius constituit agere, ibique consecrationis officium adimplere, ipsi vero cum sibi necessariis remanens, interius Divini Tabernaculi sanctificationem strenue diligenterque exequitur*.

Gelasii II.

§. 6. Gelasius II. consecravit Metropolitanam Ecclesiam Pisanam, et, uti legitur in Codice apud Ughellium *in Italia Sacra tom.* 3.

pag. 377., *consecrationi adjutores et consecratores interfuerunt quamplurimum Episcopi*.

Calixti II.

§. 7. A Calixto II. facta fuit Ecclesiae consecratio, de qua *tom.* 4. *Galliae Christianae pag.* 794. *editionis anni* 1656., et Pontifex consecravit *Altare Dominicum*, idest *Majus*, aliique tres Episcopi Ecclesiae consecrationem perfecerunt: *Tunc Pontificis ipsius jussu Ecclesiam dedicarunt*.

bani VIII. dedicatio Basilicae ticanae.

§. 8. Alia plura cumulari possunt exempla: sed iis omissis, sufficere posse videtur illud Summi Pontificis Urbani VIII., qui die 18. Novembris 1626. Basilicam Vaticanam consecravit. De hoc solemni Ritu loquuntur Bonanni *tom.* 2. *Numismatum Romanorum Pontificum pag.* 574., Paullus Alaleon Caeremoniarum Magister *in Diario*, ac Liber Turnarius Capituli S. Petri, qui in Archivo Basilicae diligenter servatur. Omnium tamen accuratissimam historiam exhibet Diarium Vaticanum a Sacerdote Francisco Speroni Romano ejusdem Basilicae Mansionario, concinnatum, quod inter manuscripta celebris Bibliothecae, quam Cardinalis Renatus Imperialis in publicam Eruditorum instituit utilitatem, numeratur. Ita vero in hujusce Diarii *pag.* 353. rei series attexitur. Summus Pontifex Porticus Ecclesiae benedictionem exorsus, sex Cardinalibus Episcopali charactere insignitis, nimirum Ginnasio, Peretto, Madruzzio, Sabellio, Lanti, ac Leni demandavit, ut extimos Templi parietes circumirent, ac illis benedicerent; quod in ea, quae cuique obtigerat, Molis parte peractum est. Pari methodo, ut legimus *pag.* 359. interioribus Ecclesiae muris collata benedictio; unam siquidem Templi partem ipsemet Pontifex dicandam suscepit; aliam vero sex iisdem Cardinalibus perficiendam reliquit. Ab Altaris consecratione Urbanus abstinuit; jam enim, ut in Alaleonis Diario, et Basilicae Vaticanae Turnario adnotatur, Clemens VIII. Urbani Praedecessor Aram maximam Vaticani Templi consecraverat.

Moralium dogmatum consecutio accedit.

§. 9. Quodque notatu dignum est, apud Scriptores Moralis Theologiae adeo certa est Ecclesiarum dedicatio plurium Episcoporum ministerio obeunda, ut nullam de ea instituant disputationem; sed ea supposita et admissa, ad alias quaestiones progrediantur. Quaerunt hi apud Henriquez *de Indulgentiis cap.* 32. §. 1., an Episcopi, qui ad unum idemque dedicationis opus perficiendum conveniunt, Indulgentiam dispensare possint majorem, et potiorem ea, quam unus Episcopus consecrationis Minister conferre solet, anni scilicet unius, iis, qui consecrationis die, aut dierum quadraginta, iis, qui anniversario dedicationis die recurrente, Ecclesiam visitaverint, *ex cap. Cum ex eo*, §. *Ad haec, de poenitentiis et remissionibus, et cap. ad haec, eod. tit. in sexto*. Porro haec Theologorum disquisitio consecrationem Ecclesiarum plurium Episcoporum opere peragi posse, non tam affirmat, quam praesupponit: uti bene observat Pasqualig. *de Sacrificio novae legis quaest.* 514. *numer.* 3. ubi proposita quaestione, an possit Ecclesia consecrari a pluribus Episcopis, retentaque affirmante opinione, haec habet: *Secunda sententia asserit, posse consecrari a pluribus Episcopis simul concurrentibus ad consecrationem. Ita supponunt potius, quam disputent, plures Doctores, dum quaerunt, an, quando plures Episcopi consecrant Ecclesiam, possint singuli concedere illum annum Indulgentiae, quem potest concedere, quando unus tantum consecrat*.

Munus benedicendi, ungendique Cruces, inter plures Episcopos consecrantes partiri fas est.

§. 10. Non ab uno ergo tantum, sed a pluribus Episcopis ejusdem Ecclesiae dedicatio fieri potest. Sed, cum adhuc examinandum supersit, an in hypothesi, in qua a pluribus Episcopis ejusdem Ecclesiae fiat dedicatio, alter ex eis solus duodecim juxta morem Cruces benedicere et ungere debeat, vel hoc ministerium inter eosdem dividi possit, ita ut decem ex. gr. Cruces ab uno consecrari possint, et reliquae duae ab altero, quemadmodum a Nobis factum est in consecratione Ecclesiae Sancti Appollinaris, in qua decem Cruces a Cardinali Episcopo Comministro, et reliquae duae a Nobis ipsis consecratae sunt, alia subdimus exempla, quae suadent, licite fieri posse quidquid a Nobis factum, et modo expositum est.

Urbani II. exemplum in id affertur.

§. 11. Urbanus Papa II. saeculo undecimo Ecclesiam Majorem consecravit Monasterii Turonensis. Sacri Ritus historiam describit Anonymus apud Patrem Mabillonium *tom.* 5. *suorum Annalium pag.* 364. *Editionis Parisiensis anno* 1713. Ea vero sic habet. Rodulphus Turonensis Archiepiscopus, Urbani jussu, Sanctorum Reliquias, quae ad Ecclesiam translatae fuerant, sub Altari collocavit. Ita textus Anonymi: *A Rodulpho Turonum Archiepiscopo, sub Dominico Altari, jubente Papa* [*Reliquiae*] *fuerunt collocatae*. Eodem die Summus Pontifex una cum Rangerio Rhegiensi Archiepisc. Com-

ministro, Graecum ac Latinum Alphabetum conscripsit, Cruces inunxit, ac postremo Aram dicavit. *Qua die idem (Pontifex)* ita prosequitur Anonymus, *cum Rangerio Archiepiscopo Rhegiensi duplex Alphabetum Graecum et Latinum in Basilica descripsit, et ipsius Basilicae parietibus Crucis signum ex oleo imposuit, atque Altare Crucifixi sacravit.* Si ergo Pontifex una cum Archiepiscopo Alphabetum exaravit, si Cruces inunxit, oportet fateamur, aliquas Alphabeti Literas, atque e Crucibus nonnullas, ipsius Archepiscopi manu fuisse obsignatas. Ita namque ipsa textus docet Litera; ita historica suadet narratio, quae Sacros Ritus a Pontifice, atque Episcopo conjunctim peractos, ab iis segregat, quos Pontifex, nullo in Comministrum adhibito, solus perfecit. Hi vero sic ab Anonymo explicantur: *Denique Pontifex ipse Dominicum Altare, in quo ineffabile Corporis Christi Sacramentum cum multis Sanctorum Reliquiis collocatum est, ipsamque Basilicam consecravit in honorem Sanctae Crucis, ac Beatissimae Dei Genitricis Mariae.*

Alterum Urbani III.

§. 12. Urbanus Papa III. in districtu Veronensi Ecclesiam dedicavit Sancti Juliani de Lepia, seu Lepida. Duo Altaria in ea dedicatione consecrata fuerunt: unum in Cappella subterranea Sanctae Mariae; aliud in Ecclesia superiore Sancti Juliani. Inter Pontificem, et alios duos Episcopos Comministros ministeria divisa sunt, et Episcopi Cruces benedixerunt et unxerunt: cumque id alio modo peragi non potuerit, nisi alter ex Episcopis aliquas Cruces, et alter alias benedixerit; si enim alter Crucem unxisset, et alius verba benedictionis protulisset, vel alter benedixisset et unxisset eamdem Crucem, quam alius benedixerat, et unxerat, res undequaque absona, et ritibus Ecclesiae adversa fuisset. Exemplum hoc satis aptum esse videtur rei, de qua nunc agitur, et ut ostendatur, non novum esse, ut in dedicatione Ecclesiae, quae fiat a pluribus Episcopis, ministerium etiam benedictionis et consecrationis Crucum inter eos modo praedicto dividatur.

Monumentum dedicationis Ecclesiae S. Juliani ab Urbano III. peractae.

§. 13. Ughellus *tom. 5. Italiae Sacrae pag.* 808. Instrumentum exhibet dedicationis memoratae Ecclesiae Sancti Juliani. En ejus verba: *D. Jonathas Concordiensis Episcopus, et D. Aldemarinus Xantonensis Episcopus . . . . . intraverunt in suprascriptam Ecclesiam, et fecerunt aquam benedictam cum sale, cinere, et vino, et sanctificaverunt Altaria S. Mariae Virginis, et S. Juliani Martyris cum aqua benedicta, et iverunt de intus per circuitum suprascriptae Ecclesiae tribus vicibus, et fecerunt fieri quadrivium in praedicta Ecclesia cum cinere, et scripserunt literas in quadrivio de cinere, et unxerunt pedes praedictorum Altarium, et mensas cum oleo exorcizato, et Chrismate, et fecerunt duodecim Cruces deintus per circuitum istius Ecclesiae.* Describitur deinde delatio SS. Reliquiarum in Ecclesiam, et postremo haec adduntur: *Hoc facto, D. Papa consecravit, et confirmavit propriis manibus Altare Sanctae Mariae, quod est intus Truina, cum Chrismate, et collocavit de Reliquiis praedictis in Altari, et confirmavit mensas altarium cum oleo et Chrismate, et fecit ardere quinque grana Incensi super illam mensam, et praecepit Episcopo Concordiensi, ut collocaret Reliquias S. Juliani cum aliis Reliquiis in Altare, quod est foris, et consecraret illud in honorem Sancti Juliani, qui statim fecit praeceptum Domini Apostolici.* Hicque per transennam adnotare fas sit, *Truinae* nomen, cujus du Cangius non meminit *in suo Glossario*, significare inferiorem Cappellam ad Sepulchra Sanctorum: in supra citato quippe Instrumento Altare S. Juliani, quod erat *Foris*, contraponitur Altari S. Mariae *intus in Truina*. Interpretationem confirmat inscriptio ad sepulchrum SS. Benigni, et Chari in Agro Veronensi, quam exhibet Ughellius *tom. 5. pag. 864. B. anno Domini* 1314. *Indic. 12. de Mense Maii . . . incoeptum fuit opus hujus Truinae, et eodem anno perfectum, et de mense Novembris Ven. Pater D. Fr. Theobaldus Dei gratia Episcop. Veronensis diligenter reposuit Reliquias, seu Corpora SS. Benigni, et Dhari etc.* Derivatur forte a Trua, quae, apud Varronem, subterraneum meatum, seu cuniculum significat ad exonerandas aquas; ex qua, *Truinae* subterraneum specus, *Nascondiglio*. Hinc in Vita Sancti Caesarii Arelatensis *truere*, pro *ascondi*, legitur *lib. 1. num. 26.: At ille publica voce, elevatis oculis, et manibus in Coelum, dixit: Domine Jesu Christe, ne in locum ultra Apri accessum habeant; et eadem hora usque in praesentem diem numquam ibi truerunt:* idest *absconditi sunt;* quamquam Mabillonius interpretetur: *destruxerunt:* et ejus socii Maurini Patres, *inventi sunt*, a *Truir* antiquo Gallico *invenire*.

Truinae nomen quid significet, explicatur.

§. 14. Qui dedicationis materiem tractant Morales Theologi, pari fere methodo Ecclesia-

Morales Theologi pari fere ratio-

rum consecrationem, atque sacramentorum naturam explicant; esto non nisi in latiori quadam significatione Ecclesiarum dedicatio Sacramentis adnumeretur; quatenus scilicet aut Coelestis Templi, aut animae, quam gratia sanctificat, signum est mysticum. Itaque docent, Sacrum Chrisma, quo Cruces inunguntur, consecrationis materiam esse; formam vero constituunt in hisce verbis, quae in ipsa Chrismatis unctione proferuntur; *sanctificetur, et consecretur hoc Templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* nec diffitentur, Ecclesiae consecrationem ab Archiepiscopo una cum Suffraganeis perfici posse; modo unus, idemque sit Archiepiscopus, qui et Cruces inungit, et formam pronunciat. Consulendus Clericatus *de Sacrificio Missae decision.* 41. *numero* 24. *et sequentibus*.

§. 15. Nolumus hic sententiam modo propositam de materia, et forma dedicationis Ecclesiarum impugnare. Illud tantum addimus, fieri aliquando posse, ut vel in ipsa Sacramentorum administratione, si partes subjecti ab invicem sejunctae sint, uni parti ab uno Ministro, alteri ab altero, materia ac forma seorsim applicetur, et validus et licitus sit actus. In Ecclesia Graeca Extremae Unctionis Sacramentum a pluribus Sacerdotibus administratur: de quo plura apud Arcudium *de concordia Ecclesiae Occidentalis, atque Orientalis lib.* 5. *cap.* 6., et etiam hodie modus hic administrationis Sacramenti Extremae Unctionis admittitur quoad Italo-Graecos, dummodo credant, illud Sacramentum, servata debita materia et forma, ab uno Presbytero valide et licite confici, ut in Nostra Constitutione *Etsi Pastoralis*, *la* 57. §. 5. *num.* 3. *et* 4. *Bullarii Nostri tom.* 1. In Ecclesia quoque Occidentali hoc ipsum olim factum fuit, quemadmodum legi potest in Nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 5. et verisimile admodum est, rem tunc sic peractam fuisse, ut idem organum sensus non fuerit a pluribus Sacerdotibus innunctum, nec unus Sacerdos materiam sensui applicaverit, et alter super eo formam protulerit, sed quod singuli diversos sensus unxerint, et verba unctioni correspondentia effuderint. Legi possunt Chardon *in Historia de Sacramentis tom.* 4. *cap.* 1. *de Sacramento Extremae Unctionis*, Cardinalis Gottus *in Theologia Scholastico-Dogmatica tom.* 4. *in* 3. *part. D. Thomae, tom.* 15, *Operis quaest.* 3. *de Ministro Extremae Unctionis dub.* 2. §. 2. *num.* 12. Benedictus de Gaetanis *in Tractatu de suprema Unctione cap.* 11. *in fine.* Favet modus hic administrationis Sacramenti Extremae Unctionis, Ecclesiarum dedicationi, in qua alter ex Episcopis aliquas Cruces inungat, et insimul preces proferat, et alter alias Cruces inungat, easque inungendo, super ipsis effundat, proferatque preces; quemadmodum bene argumentatur Pasqualig. *de Sacrificio novae Legis quoest.* 514. *num.* 6. Quod si subdatur, modo in Ecclesia Occidentali ab uno tantum Presbytero valide et licite administrari Sacramentum Extremae Unctionis; id libenter admittetur, cum sic in Ritualibus Ecclesiae statutum sit; dummodo tamen admittatur, quod, legitima concurrente causa, etsi Ritualia obstent, nedum valide, sed etiam licite hodie in Occidentali Sacramentum Extremae Unctionis administretur a pluribus Sacerdotibus, quorum unus unum organum sensus inungat, proferatque formam, aliique idem praestent super aliis sensuum organis: quod satis est pro re, de qua nunc agitur. Si aliquae partes jam fuerint unctae ab uno Sacerdote, qui ob morbum deficiat, potest alter Sacerdos unctiones reliquas prosequi; in quo, licet dividatur ministerium, adhuc valide et licite conficitur Sacramentum. Ita expresse S. Thomas *in* 4. *Sentent. dist.* 23. *quaest.* 1. *artic.* 1. *quaestiuncula* 2. *ad* 3. *Dicendum, quod, quamvis in Eucharistia, si post consecrationem Panis moriatur Sacerdos, alius Sacerdos possit ad consecrationem Vini incipere, ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite super aliam materiam; tamen in Extrema Unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere, quia unctio bis in eadem parte facta tantum valet, ac si consecraretur bis eadem Hostia, quod nullo modo faciendum est:* Ita etiam Durandus ibi *quaest.* 1. Petrus de Palude *quaest.* 2. *in fine*, Sotus *quaest.* 1. §. *Aliud tamen*, Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 43. *sect.* 2. *num.* 4. *et* 5., asserens, esse communem sententiam; Toletus *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. Ludovicus Meratius *tom.* 3. *de Extrema Unctione sect.* 1. *num.* 4. atque ita fieri statuisse Ecclesiam, scribit Platelius *cap.* 3. *num.* 471. *tom.* 7., ubi forte nomine statuti Ecclesiae intelligit generalem consuetudinem. Posse etiam modo dicto dividi unctiones inter duos Sacerdotes ob instans periculum vitae infirmi, ut sic citius ungatur, non pauci Theologi admittunt, Toletus, Suarez *num.* 8. alios

citans; in quo casu, Sacramentum esse validum pro certo affirmat: *Quia*, ait, *unitas personae ministrantis non est essentialis;* negat vero extra necessitatem licite fieri, quia contra usum Ecclesiae. Concordat Cardinalis de Lauraea *in 4. sentent. tom. 3. disp. 11. art. 9. num. 114.*, cui Nos etiam adhaesimus in citato Tractatu *de Synodo Dioecesana lib. 7. cap. 19. num. 5.*

Resolutionem in Causa ULYSSIPON. a Congregatione Rituum editam, non obstare, demonstratur.

§. 16. At repones, fuisse olim a Congregatione Rituum resolutum, Consecrationem Ecclesiae ab uno Episcopo inchoatam, si ex aliqua causa non perficiatur ex improviso casu, debere ab alio Episcopo denuo inchoari et perfici. Resolutio edita est in causa *Ulysipponensi* die 12. Aprilis 1614, ex qua intulit Episcopus Pax Jordanus *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 9. num 7.*, unum et solum Episcopum debere totam consecrationem perficere. Resolutio, de qua mox sermo habitus est, refertur a Barbosa *in Collect. decis. Apostolic. verb. consecratio*. At idem Barbosa alibi, *part.* videlicet 2. *Juris Ecclesiastici lib. 2. cap. 2. num. 52.* factum narrat, cujus occasione declaratio emanavit. En ejus verba: *Cum in Dioecesi Ulysipponensi quidam Suffraganeus Archiepiscopi, de ejus ordine et mandato, Ecclesiam quamdam consecrare incoeperit cum omnibus Caeremoniis descriptis in Pontificali Romano, et circa medium consecrationis improviso accidenti correptus ipse Episcopus defecerit, et Ecclesiae Consecrationem perficere non potuerit: pro parte ipsius Archiepiscopi a S. Rituum Congregatione quaesitum, an ab alio Archiepiscopo Ecclesiae praedictae incoepta Consecratio continuanda sit, vel potius de novo inchoanda? Quae quidem S. Congregatio commisit prius hujusmodi articuli examinationem Illustrissimo D. Cardinali Bellarmino: qui in alia Congregatione sententiam suam declaravit, posse utroque modo sine scrupulo fieri, nempe, vel de novo inchoare a principio, vel ipsam coeptam continuare, et perficere: sed melius sibi videri, ut de novo ab alio Episcopo inchoaretur etc.* Et prosequitur narrando, quod sub die 12. Aprilis proposito dubio in Congregatione ordinaria, S. Congregatio censuit, iterum totam Ecclesiam a principio consecrandam, quia credebatur Episcopus defecisse, antequam ullam Crucem inungeret.

§. 17. Censuit ergo Cardinalis Bellarminus, Consecrationis partem ab Episcopo deficiente factam, posse sine scrupolo continuari cum ea, quam secundus prosequeretur Episcopus. Addidit deinde, fore melius, si Consecratio de novo ab alio Episcopo inchoaretur, prout etiam Congregatio censuit: non quia timuerint, multiplicitatem Ministri obfuturam valori Consecrationis, sed quia in casu proposito notabilissima intercedebat temporis interruptio; erat enim expectanda Congregationis responsio, quae nonnisi post aliquot menses ad Archiepiscopum Ulysipponensem poterat pervenire. Concurrente autem notabili temporis intercapedine, partes Consecr. factae nedum a duobus Episc. sed etiam ab uno et eodem, coalescere non possunt in unam et integram Consecrat. idque facit, ut Consecratio fieri debeat perinde ac si nunquam coepta fuisset; uti docent auctores ipsi, qui admittunt, plures ministros, concurrente legitima causa, posse inungere infirmum Oleo infirmorum: quemadmodum videri potest apud Ludovicum Meratium *tom. 3. de Sacramentis disput. 10. de Extrema Unctione num. 8.*, nec non concordant alii, qui admittunt, dedicationem Ecclesiarum fieri posse a pluribus Episcopis, quemadmodum legi potest apud Pasqualigum *de Sacrificio novae Legis quaest. 514. num. 9.*

Coeptae priidem consecrationis partes non possunt cum extremis, si longum intercedat temporis intervallum, in unam et integram consecrationem coalescere.

§. 18. Quod si quaeratur, qua de causa, Nobis annuentibus, decem priores Cruces fuerunt in Consecratione Ecclesiae Sancti Apollinaris benedictae et consecratae a Cardinale Episcopo Comministro, et ultimae duae a Nobis; ingenue respondebimus, de nostrorum genuum stabilitate timuisse in toties repetito ascensu et descensu per scalas, etsi tali nunquam timore fuerimus correpti, dum in viridi aetate constituti Ecclesias in Dioecesi et Civitate Bononiensi consecravimus, quas semper soli peregimus. Sed quae in una aetate fiunt, in alia fieri non possunt. En tibi, Dilecte Fili, tota rei series, post quam tibi tuisque Confratribus Apostolicam Benedictionem impertimur.

Quid in Causa fuerit, cur Pontifex in dedicatione Templi S. Apollinaris, non omnes suas Cruces benedixerit et consecraverit?

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 16. Novembris 1748. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Dat. 16. Novemb. 1748. Pont. anno IX.

LETTERA CIRCOLARE V.

Della Sagra congregazione della Disciplina, diretta a' superiori Regolari d'Italia, e dell'Isole Adjacenti, sopra il dubio; se li Confessori Regolari, non Curati, siano obligati

ad intervenire alla Conferenza dei Casi Morali, ordinata dalli Vescovi nelle loro Diocesi.

Occasione disputa.

Altre volte è stata esaminata nelle Sagre Congregazioni l'Istanza di alcuni Vescovi, di potere astringere i Confessori Regolari, non Curati, a dovere intervenire nella Conferenza de' Casi Morali, da detti Vescovi in certi giorni della Settimana destinati: e varie furono le risoluzioni, secondo la diversità de i casi, i quali nelle medesime furono proposti. Essendosi poi conosciuto il pregiudizio, che recava all' Osservanza della Disciplina Regolare il dovere assistere alla detta Conferenza in quel tempo, in cui dovevano i Regolari adempire i di loro Officj Claustrali; e l'abuso che si era introdotto tra i Confessori sudetti, i quali col pretesto di dovere assistere alla detta Conferenza, non volevano indi intervenire all' altra stabilita dalla sa. me. di Clemente VIII., e dalle loro Costituzioni dentro i Chiostri: per potersi in tanto dare l'opportuno rimedio a questi inconvenienti, molti Procuratori Generali, specialmente quello de i Minori Conventuali, hanno stimato cosa necessaria il dover far ricorso in questa S. C. della Disciplina, per poterne sentire la finale risoluzione, colla quale si potessero in avvenire togliere i contrasti. Riferitasi perciò questa Causa in essa S. C. dall' Eminentissimo Signor Cardinal Guadagni Prefetto della medesima sotto il seguente Dubbio.

Dubbio proposto in Congregazione disciplina Regolare.

Se li Confessori Regolari, non Curati, siano, o non, obligati ad intervenire alle Conferenze de i Casi di Coscienza da i Vescovi nelle di loro Chiese Secolari stabilite?

§. 2. Et essendosi, prima di dare la risposta al dubbio suddetto, considerato, che questa materia era stata già magistralmente esaminata, e risoluta a favore delli Regolari nella S. C. del Concilio, nel tempo, in cui la Santità di Nostro Signore PP. BENEDETTO XIV. era Segretario della medesima, in una Causa d'Acquapendente — Visitationis Sacrorum Liminum 12. Martii 1718., inserita nella Notificazione 15. — al §. De i Confessori Regolari, nel Tom. 5. delle Notificazioni, et Editti della Santità Sua, quando era Arcivescovo di Bologna. Fu di comun consenso risposto al Dubbio suddetto nel dì 29. Maggio del corrente Anno 1752.

Risoluzione medesima.

Negative, et dentur Decreta alias in re hac emanata. Scilicet, a S. C. Concilii in una Aquipendii Visitationis Sacrorum Liminum 12. Martii 1718. et in Forosempronien. 12. Maji 1685. Riferita nel Foglio della citata Causa d'Acquapendente. Et ex S. C. super statu Regularium, in una Maceraten. 15. Januarii 1682. Quali tutte si danno per extensum nel fine della presente Lettera.

Provvedimenti per far tener ai Regolari la lezione di Morale, e per far loro osservare il Decreto di Clem. VIII.

§. 3. Passò poi essa S. C. nel dare l'opportuno Provedimento sopra l'abuso introdotto in alcuni Conventi, nei quali o per negligenza, o per ignoranza, de Decreti suddetti, non vi si tiene la lezione della Morale, nè vi si fanno le Conferenze de i Casi giusta il Decreto di Clemente VIII., e delle di loro Costituzioni Regolari, con ordinanare, siccome colla presente ordina a tutti i Superiori Regolari d'Italia, e delle Isole adjacenti, l'esatta, e puntuale osservanza del citato Decreto di Clemente VIII., e delle di loro Costituzioni circa la Lezione della Morale, e la Conferenza de i Casi di Coscienza, da farsi impreteribilmente in tutti i Conventi del di loro Ordine, tanto in quelli, nelli quali vi è la sufficiente Famiglia di Religiosi quanto ne i piccioli Conventi, dove però vi sono Confessori Regolari approvati da i Vescovi per ascoltare le Confessioni dei Secolari: E coll' espressa condizione, che qual' ora dentro i Chiostri non venissero eseguiti ad unguem i Decreti di Clemente VIII., e le Costituzioni del loro Ordine, le quali prescrivono la Lezione della Morale, e la Conferenza dei Casi di Coscienza, da farsi dentro i loro Conventi, e Monasterj, in detto caso siano tenuti, ed obbligati i Confessori suddetti Regolari d' assistere, et intervenire alla Conferenza dei Casi stabilita dai Vescovi. S' incarica intanto ai detti Superiori Regolari, di fare eseguire quanto nella presente Lettera si contiene, acciò con effetto restassero adempiti i Decreti di Clemente VIII., e le Costituzioni dei loro respettivi Ordini, le quali hanno prescritta, e stabilita la detta Lezione di Morale, e Conferenza di Casi, come un Punto principale dell' osservanza della Regolare disciplina dentro i Chiostri: E di dover trasmettere la presente Lettera in tutti i loro Conventi, e Monasteri, con farla ivi leggere due volte l' Anno, tenerla affissa nel luogo solito, e registrarla nelle loro Segretarie, acciò non si possa allegare causa d' ignoranza in contrario. Per esser così, e non altrimente, l' intenzione di Nostro Signore, a cui essendo stata fatta da Monsignor Segretario la Relazione di tutto il contenuto nella presente Lettera, si è benignamente degnato di approvarlo, e di confermarlo. Dato dalla

nostra solita Residenza questo dì 8. Novembre 1752.

F. G. A. Card. Guadagni Prefetto.

F. Solazzi Arcivescovo di Tebe Segretario.

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII

In una Aquipendii Visitationis Sacrorum Liminum editum 12. Martii 1718.

Decr. S. Congreg. Conc. de quo sup.

In relatione Status Ecclesiae de more ab Episcopo Aquipendii ad hanc Sacram Congregationem transmissa, legitur, ab eodem institutas fuisse in sua Dioecesi Conferentias, sive Congregationes pro discutiendis Casibus Conscientiae, quae singulo quoque Mense coguntur, cuique diligentissime interveniunt omnes Parochi, et Sacerdotes, quibus Fidelium Sacramentales Confessiones commissae sunt, et reliquus Ecclesiasticorum Coetus.

In eadem Relatione habetur, quatuor esse Conventus Regularium in Civitate Aquipendii, Augustinianorum videlicet, Minorum Conventualium, et PP. Minorum Observantiae, et Religiosos in iisdem degentes saepe saepius non esse in numero a Sanctionibus Apostolicis praescripto.

Rursus in citata legitur Relatione, alios quinque esse Religiosorum Conventus in Dioecesi, duos PP. Minorum Observantiae, alterum in Terra Canini, alterum in Terra Farnesii, ubi pariter existit Conventus Capucinorum: quartus Conventus est ille Servorum Beatae Mariae Virginis, qui est in terra Ischiae; et postremus est Conventus Carmelitarum in Oppido Cellularum, qui est Episcopali Visitationi subjectus.

Tandem in Relatione, aliis praetermissis dubiis, quae specialem non merentur discussionem, proponit Episcopus, an, Regularibus, qui suorum Subditorum Confessiones audire cupiunt, liberum sibi sit et licitum, conditionem in concedendis facultatibus injungere, interessendi videlicet menstruis Disceptationibus, et Congregationibus Casuum Conscientiae?

Pro parte affirmativa ponderari posse videtur, id non esse novum: clar. etenim mem. Card. de Luca in adnotationibus ad Concilium Tridentinum discurs. 2. num. 12. *dixit, id futurum esse maximopere proficuum, tum, ut Episcopus perspectas habeat opiniones omnium suorum Confessariorum, tum, ut quantum possibile est, uniformis sit Confessariorum doctrina in materia morum, et signanter Contractuum, in qua saepe saepius Theologi dissident a Theologis, et a Canonistis: quibus addi posset, Collationem hanc omnium Confessariorum, tam Saecularium, quam Regularium, futuram esse non inutilem pro animarum unione; juxta ea, quae habentur* in actis Ecclesiae Mediolanensis tomo 1. par. 4. in Instruct. Confess. pag. 647. Ideo Regularium Superiores Confessarios suos saepius moneant, et ad hanc animorum unionem in Fidelium aedificationem adhortentur, curentque in primis, ut dum in Casuum resolutione, diversa inter eos, et Parochis sententia fuerit, prudenter in eos se gerant, et ad Laicorum notitiam id non veniat, sed ad Nos pro Decisione recurrant.

Negativae e contra favent opinioni ea, quae se quuntur. Primo, quod Episcopus Confessariorum Regularium Doctrinam perspectam habere potest in examine, quod illorum approbationem praecedit, ad terminos Sacri Concilii Trid. sess. 23. cap. 15. de Reformat. *Secundo, quod in Decretis pro Reformatione Regularium editis a Clemente Octavo praescribitur, quod in singulis Monasteriis, et Conventibus bis in hebdomada habeatur lectio Sacrae Scripturae, vel Casuum Conscientiae, ad quam Fratres omnes convenire tenentur: Tertio, quod hic in Urbe, in decem et septem Conventibus fiunt Congregationes Casuum Conscientiae, illisque interveniunt Parochi tantummodo, et Confessarii ex Clero Seculari, non vero Regulares, in quorum Conventibus praedictae casuum lectiones habentur; Quarto tandem, quod ab hac Sacra Congregatione die* 12. *Maji* 1685., *uti habetur* lib. Decretorum 35. fol. 238. *prodiit haec resolutio in quadam Causa Forosempronien. Accessus ad Congregationem Casuum Conscientiae.*

Episcopus exponit, in Civitate Forosempronien. duo adesse Regularium Coenobia, unum scilicet Minorum Conventualium S. Francisci, alterum vero Barnabitarum; quae propter exiguum Religiosorum numerum inibi degentium, subjecta sunt jurisdictioni Ordinarii ex Decreto San. mem. Innocenti X. incipien., *Ut in parvis*, et licet dicti Religiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patiantur, qui tamen ex eis Saecularium Confessiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, ad Congregationem Casuum Conscientiae, quae singulis Mensibus habetur, cuique Confessarii omnes

intersunt, accedere renuunt; quo circa petit declarari, an praedictos Confessarios Regulares cogere possit ad interessendum praefatae Congregationi Casuum Conscientiae? Sacra Congr. etc. Respondit: Negative.

His positis, onus erit EE. VV. decernere.

An in casu, de quo agitur, permissum esse valeat Episcopo concedendi Sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi Confessiones Saecularium, injungere, ut intersint Congregationibus Casuum Conscientiae?

Negative: et decretum in Forosempronien. 12. *Maii* 1585.

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS

Super Statu Regularium in una Maceraten. 15. Januarii 1682. editum.

Cum Conventus suppressi, et postea restituti, in quibus non degunt de Familia duodecim Religiosi, sint vigore Decreti: Ut in parvis *fel. rec. Innocentii X. subjecti Visitationi, correctioni, et omnimodae Jurisdictioni Ordinariorum Locorum, contigit dubitari, an Religiosi Confessores, et non Parochi, in hujusmodi Conventibus degentes, compelli possint ab eisdem Ordinariis, ut accedant Conferentiam Casuum Conscientiae?*

Proposito hoc Dubio in Sac. Congregatione super Statu Regularium habita in Palatio Vaticano die 15. *Januarii* 1682., *Eminentissimi PP. censuerunt, Ordinarios Locorum posse quidem hortari, non autem compellere praedictos Religiosos Confessores, non Parochos, ad accedendum ad Conferentiam Casuum Conscientiae.*

I.

DECRETUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

IN CAUSA POLONA, SEU LUCEORIEN.

Beatificationis, seu declarationis Martyrii Ven. Servi Dei ANDREÆ BOBOLA *Sacerdotis Professi Societatis Jesu.*

Proposita in Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die 13. Maji 1749. Causa Beatificationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Andreae Bobola Sacerdotis Professi Societ. Jesu, disputatoque dubio sequentibus verbis concepto — *An constet de Martyrio, et causa Martyrii, nec non de Signis, seu Miraculis, in casu, et ad effectum etc.* — sequens a nobis editum fuit responsum die 22. ejusdem mensis, et anni: *Non constare* videlicet *de Martyrio, et causa Martyrii, per probationes directas, per Testes videlicet de visu contestas idoneos, et aptos, juxta Congregationis praxim, et Sedi Apostolicae institutum.* Sed insimul Postulatoribus concessum est, ut in alia Generali Congregatione dubium supradictum iterum proponere possent, et Causam, in eo quod attinet ad Martyrium, et causam Martyrii, prosequi per viam subsidiariae probationis in suo genere perfectae: et in eodem supradicto responso nonnulla alia addita fuerunt, quae fuerant a Postulatoribus omissa, et quae demandatum fuit, ut ab iisdem supplerentur.

Ejusdem resolutio.

§. 2. Ad praedicti responsi tramites, derelicta a Postulatoribus via directa probationis, aliaque inita subsidiariae probationis super Martyrio, et causa Martyrii; caeterisque adamussim adimpletis, quae adimplenda in supradicto responso praescripseramus; cum in alia Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die 26. Novembris 1754. ab ipsis fuerit iterum proposita Causa Beatificationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Andreae Bobola Sacerdotis Professi Soc. Jesu, et iterato fuerit disputatum dubium — *An constet de Martyrio, et causa Martyrii, nec non de Signis, et Miraculis in causa etc.* — elsi ante accessum ad Congregationem tum Scripturae Postulatorum, tum etiam Consultorum omnium suffragia, Nobis juxta morem scripto exhibita, a Nobis diligenter perlecta fuissent, et singula rationum momenta a Procuratoribus, et Advocatis viva quoque voce coram Nobis exposita propriis auribus excepissemus, et Congregationi deinde dicta die interessentes, omnia et singula, quae a Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus praedictae Congregationi addictis deducta sunt, audivissemus, a Nostra tamen promenda sententia tunc abstinuimus, et interessentes rogavimus, ut suis precibus a Patre luminum humiliter peterent, ut Nobis praesto esse, mentemque Nostram illustrare dignaretur, antequam super proposito dubio responsum a Nobis ederetur.

Iteratum ejusdem dubii examen ex praescripta methodo comprobandi martyrium et causam Martyrii per viam subsidiariae probationis.

§. 3. Post haec, aliorum precibus Nostras quoque conjunximus, resumptoque negotio, et omnibus iterum mature perpensis, habitaque potissimum ratione tercentum fere Testium in Processibus tum Ordinariis, tum Apostolicis juridice examinatorum, qui de Martyrio, causaque martyrii, et perseverantia finali, etsi uno, aut altero exceptis, qui sunt de visu, de auditu deponentes, moralem constituunt certitudinem, quae, si non impossibile, imprudens tamen redderet judicium de opposito; inhaerentes etiam suffragiis Consultorum, et Cardinalium Congregationi Sac. Rituum adscriptorum, qui in mox exponendam, in sufficienti, juxta morem ejusdem Congregationis, numero, sententiam devenerant, Divino iterum in Sacrosancto Missae Sacrificio ferventissime implorato praesidio, Decretum edimus, quod Secretario Congregationis propriis manibus consignamus, in quo statuimus, et declaramus, Martyrium, et causam Martyrii Ven. Servi Dei Andreae Bobola Sacerdotis Professi Societatis Jesu ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem, et approbationem quatuor Miraculorum, juxta formam Decreti Generalis die 23. Aprilis 1741. enunciati in supra memorato responso Nostro edito 22. Maji 1749.

Dat die 9. Febr. 1755. Pont. XV.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 9. Februarii 1755. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto,

D. F. Card. Tamburinus Praef.

Loco † Sigilli,

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

VII. EPISTOLA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPAE XIV. ad Reverendissimum Dominum Vincentium Card. Malvetium Bononiensem Archiepiscopum, de S. Philocali Martyris Corpore.

Dilecto Filio Nostro Cardinali Vincentio Malvetio Bononiae Archiepiscopo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Sororis Imeldae de Lambertinis pia votapro alicujus Sancti Corpore obtinendo, collocandoque in interiore Monasterii Ecclesia.

Soror Imelda de Lambertinis Monialis Professa in isto S. Mariae Novae Monasterio, utpote Filia Nostri quondam Fratris Joannis Lambertini Senatoris, Nostra etiam Neptis est secundum carnem ut Pontificio dicendi genere utamur. Ea cum a Nobis, ex religioso animi studio postulasset, ut alicujus Sancti Corpore in interiori Monasterii sui Ecclesia collocando donaretur, haudquaquam respondimus perinde ut duo ex Praedecessoribus Nostris Gregorius IV., et Clemens itidem IV. responderunt, se videlicet non habere, unde piis hujusmodi precibus satisfacerent. Tunc enim Romae non omnia sacra Coemeteria fuerant detecta, quae deinceps alia aliis temporibus detecta sunt; quemadmodum Ipsi Nos post celeberrimum Virum Joannem Mabillonium animadvertimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 27. num. 11. et 12.* Sed cum feliciter accidisset, ut nonnullae apud Custodes haberentur insignes Reliquiae, nonnullaque Sanctorum Corpora ex Coemeteriis, seu Catacumbis praedictis eruta, unum selegimus quod in Urna sacra sigillis clausa honorifice, ut par est, reconditum, et non sine multa diligentia custoditum, Bononiam transmitti jussimus, ut in praedicta Ecclesia decenter reponeretur; quam quidem Urnam ad hunc finem in tuas manus prius deferendam curavimus, ut tu eam postquam receperis, ad praefatum Monasterium mittas cum debita veneratione; simulque praeesse velis, quando eadem in loco sibi destinato collocabitur. Cultus enim sacrarum Reliquiarum una est ex Pastoralibus curis, quas Sacra Tridentina Synodus Episcoporum solertiae vult esse commendatas. Cum tu caetera Pastoralis officii munera diligentissime adimpleas, id quod Nobis est maxime causa laetitiae, non dubitamus, quin idem facturus sis in hac quoque re, quam nunc tuae sedulitati committimus. Ut autem ea, quae de hoc Sancto Corpore sciri potuerunt, omnia comperta habeas, ne tibi grave sit legendo percurrere, quas contigit Nobis in hoc argumento sive conjecturis, sive librorum studio notitias coadunare.

Coemeterium, ex quo illud erutum fuit.

§. 2. Sanctum Corpus, quod isthuc transmittimus, erutum fuit ex antiquo Pontiani Coemeterio foris Portuensem Portam quingentis circiter passibus procul ab Urbe, quod alio nomine appellatur nunc Coemeterium *SS. Abdon, et Sennen*, nunc vero etiam *ad Ursum Pileatum* propter quamdam Ursi Statuam ibidem olim erectam. De hujus porro Coemeterii sive

antiquitate; sive religioso cultu, agunt satis superque tum celebris vir Paulus Aringhius *in sua Roma subterranea Tom. 1. lib. 2. cap. 19.* tum diligentissimus Canonicus Marcus Antonius Boldettus in suo opere, cui titulus: *Osservazioni sopra i Cimiterj de' SS. Martiri, e d'altri Antichi Cristiani, Tom. 2. pag. 540.* Cum autem sacrum Corpus, de quo sermo est, repertum sit cum Vase sanguine resperso, nihil certius desiderari potest, ut, juxta rigidioris Criticae leges vel severissimas, tuto affirmari queat, Corpus hoc, sive Ossa, procul dubio esse Corpus, atque Ossa unius alicujus, qui pro Christi Fide Martyrium passus est: de qua re uberius et fusius disseruimus tum in citato Opere Nostro *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 27 a num. 22. usque ad finem;* tum etiam in Epistola Bononiae typis edita, quam 12. Kalend. Maji anno 1745. ad istius Ecclesiae Metropolitanae Capitulum dedimus, simul cum S. Proci Corpore, quod in S. Thrasonis Coemeterio repertum fuerat.

Quaeritur si PHILOCALUS, quod a Sancto quopiam nomen est, appellativum an vere proprium.

§. 3. Nomen huic Sancto *Philocalus* est, quod perinde sonat atque amans pulchri, non quidem in eo sensu, quatenus pulchrum apud Latinos idem est ac formosum, sed quatenus pro decoro saepe explicatur apud eosdem, et indecoro seu turpi contrarium est. Atque hinc fortasse quis dubitare queat, utrum *Philocali* nomen sit huic Sancto proprium, an potius appellativum. Sanctis enim Corporibus, quae a Catacumbis extrahuntur, solet interdum nomen aliquod appellativum imponi, *Justi* videlicet, *Candidi*, *Victoris*, et similium. Nos non ignoramus laudabilem hujusmodi consuetudinem. Nos de illa egimus *in supradicto capite 27. et seq.* Nos adversariorum oppositionibus satisfecimus, qui falso criminabantur id legitimo Sanctorum cultui obesse, et magno pietati ac Religioni detrimento esse; Nos superius allatam hujus vocis *Philocalus* explicationem ultro recipimus: *Erat autem illis in diebus archimédicus regionis Hollandrinorum, vir Philocalus, ac devotorum pauperum zelator magnus, nomine Godefridus, cognomine Sonderdank:* ut habetur in Vita S. Liduinae a Bollandianis edita *Tom. 2. Aprilis, die 14.* nihilo tamen minus affirmare omni cum veritate possumus, nomen *Philocali* haudquaquam appellativum esse in hoc casu, sed omnino proprium hujus Sancti; neque enim raro contingere solet, ut idem nomen alias appellativum sit, alias proprium. Atque id non aliunde, praeterquam ex circumstantiis erui potest, utro modo scilicet, appellative ne, an proprie, accipi debeat. Ut caetera exempla silentio praetereamus, perspicuum est et hoc, et evidenter constat in supra indicatis nominibus *Justi*, *Candidi*, *et Victoris*, quae cum sint appellativa, Sanctisque ignotis, sive Baptizatis, quorum Corpora ex Coemeteriis eruuntur, imponi communiter soleant, sunt etiam peculiariter propria multorum Sanctorum, qui sub hoc non appellativo, sed proprio eorum nomine, *Justi* videlicet, *Candidi*, *et Victoris*, in Martyrologio Romano enunciantur.

PHILOCALI nomen reperire est in Ecclesiasticis monumentis.

§. 4. Sed sermonem ad hoc *Philocali* nomen contrahentes, ac missa facientes profana monumenta, in quibus facile occurrere potest tanquam proprium *Philocali* nomen, ut videre est in clarissimi Muratorii *Thesauro Inscriptionum Tom. 2.* et stando intra limites historiae tantum sacrae, animadvertimus, unum ex Episcopis, qui anno 325. in prima Nicaena Synodo Fidei definitioni contra Arium subscripserunt, fuisse Philocalum quemdam Episcopum Paneadis in Provincia Phaeniciae primae, ut constat ex *Tom. 1. Concilior.* Collectionis Harduini *col. 314. D*, et ex P. le Quien *Tom. 2. Orientis Christiani pag. 831. B.* Notatum invenimus inter Episcopos, qui anno 449. in pseudo-Concilio Ephesino, seu latrocinali, subscripserunt condemnationi Sancti Flaviani, Philocalum alium Zagilensem Episcopum in Lybia, ut constat ex Actis praedicti Concilii *Tom. 2. col. 86. D, col. 268. C, col. 272. B.* ejusdem Collectionis, atque ex citato P. le Quien *pag. 365. C.* Legimus denique S. Philocalum Martyrem Alexandrinum *die 21. Martii* enunciatum in celebri Martyrologio per Florentinium edito, atque illustrato; consonant caetera D. Hieronymi Martyrologia apud Bollandianos *Tom. 3. Martii pag. 529. die 21.*, qua etiam die consuli potest Francisci Mariae de Aste Archiepiscopi Hydruntini *Disceptatio in Martyrologium Romanum, nota E.*

Non idem tamen noster Philocalus cum illis.

§. 5. Ex eo quod reperiatur, ut ostendimus, in relatis Martyrologiis *S. Philocali* nomen, non propterea inferre volumus, Corpus S. Philocali, quod nunc Bononiam transmittimus, esse idem cum Corpore S. Philocali, de quo mentio fit in mox laudatis Martyrologiis. Sanctus enim Philocalus noster Romae obiit, utpote qui in uno ex Romanis Coemete-

riis sepultus condebatur cum signo Martyrii: alter vero, de quo mentionem faciunt supra citata Martyrologia, procul ab Urbe Roma, nempe Alexandriae in Ægypto, passus, procul item sepultus fuit. Sed nomina Episcoporum, qui Concilio Nicaeno, et Ephesino Conciliabulo subscripserunt, sub hoc nomine *Philocali*, nomen quoque *S. Philocali M.*, de quo praefata Martyrologia sermonem habent, ideo recensere placuit, ut innotesceret, nomen *Philocali*, etsi aliquando appellativum, apud Christianos fuisse quandoque etiam proprium cum nimis a veritate alienum sit, quod quis alio nomine, quam proprio, Conciliis se subscribat; et quod in Martyrologiis, alicujus Sancti nominatim mentio fiat, proprio nomine non indicato.

Non adhuc satis probatum PHILOCALI nomen, proprium esse Sancto, de quo res est.

§. 6. Fatemur quidem, non satis esse hoc ad plenam Nostri argumenti probationem faciendam; neque enim sufficiens ratio est ad hoc probandum, quod nomen *Philocali* saepe usurpatum sit in significatione propria et nullo modo appellativa; sed necesse est praeterea illud evincere, quod nomen hoc non tam proprium re vera illius Sancti fit, cujus Corpus Bononiam transmittimus; quod putamus comprobari posse evidenter.

Id tameu eviucit inscript. Sepulchro, quo sacrum Corpus condebatur, apposita.

§. 7. Corpus hujus Sancti non fuit repertum in Catacumbis sine nomine, neque *Philocali* nomen illi impositum est, ne remaneret sine nomine. Sepulcro ubi sacrum Corpus tumulabatur, inscriptum erat nomen *Philocalus* hiscemet verbis; *Philocalus in pace*. Cum autem nomina sepulchris inscribantur ad indicandam personam, quae ibi sepulta est; facile intelligitur, nomen *Philocali* inscriptum sepulchro hujus martyris esse non posse appellativum, sed esse nomen proprium ejusdem; adeoque Sanctum Corpus, quod Bononiam mittimus, esse Corpus *S. Philocali*, qui pro Christi Fide Martyrium passus est; quod non solum probant illa verba *in pace*, quae, ut habent veteres Inscriptiones in Catacumbis repertae, Martyribus communia sunt aeque ac Christifidelibus ibidem sepultis; sed eruitur ex Vase sanguinis, signo indubitato Martyrii, quod pro Christo martyr sustinuit, ut Nos quoque adnotavimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. c. 27. num. 26.*

Quaestio de THEOPHILI nomine, quod in Actis Apostolorum legitur.

§. 8. Divinarum Scripturarum explanatoribus, et Cornelio a Lapide in primis, Augustino Calmet, Joanni Baptistae du Hamel, Nostro quoque bonae memoriae Vincentio Ludovico Cardinali Gotti *in tom. 5. Veritatis Catholicae Religionis cap. 3. par. 2. num. 2.* investigandum relinquimus, utrum Theophilus ille, de quo sermo habetur *in cap. 1. Act. Apostol.* — *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Jesus facere et docere* — esset unus aliquis hoc proprio nomine insignitus; an potius sub Theophili appellativo nomine intelligi debeat quisquis cum Deo charitate conjungitur. Nobis satis est potuisse demonstrare, *Philocali* nomen hic proprium omnino esse, non appellativum. Propterea te paterno cordis affectu etiam atque etiam complectentes, tibi, Dilecte Fili Noster, tuoque Gregi, quem tanta cum laude moderaris, et cui tamdiu praecesse Nobis quoque contigit, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 20. Maji 1755. Pontificatus Nostri anno Decimoquinto. Datum 20. 1755. Pont. XV.

DECRETUM VIII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

IN CAUSA NEAPOLITANA.

Beatificationis, et Canonizationis Ven. Servi Dei PAULI BURALIS *S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati.*

Dubium in Congregatione Rituum propositum.

Congregatio Generalis Sacrorum Rituum habita fuit coram Nobis die 27. praeteriti mensis Januarii, et in Causa Beatificationis, et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati propositum fuit dubium sequentibus verbis conceptum: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate, et Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque annexis in gradu eroico in casu, etc.*

Omnia primum a Pontifice ante Congregationem sunt diligenter expensa.

§. 2. Congregationi interfuimus, nec ad eam imparati accessimus; accessimus enim post perlectas Scripturas et Informationes tum Postulatorum, tum Fidei Promotoris, post lecta Consultorum Congregationis suffragia Nobis praecedenter juxta morem in scriptis exhibita, post auditas Advocatorum Causae verba-

les informationes. In ipsa Congregatione propriis auribus audivimus sententias Dilectorum Filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis Sacrorum Rituum adscriptorum, quas super praedicto dubio oretenus protulerunt; sed nullum a Nobis editum fuit responsum, ut, secundis adhibitis curis, porrectisque Deo Optimo Maximo jugibus precibus, opportuniori tempore Nostram ederemus super proposito dubio sententiam.

§. 3. Dum in minoribus Promotoris Fidei munere fungebamur, animadvertimus, plures in Causa Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis confectos fuisse Processus auctoritate Ordinaria, et Apostolica, nec unquam fuisse examinatam, multoque minus approbatam validitatem Processuum auctoritate Ordinaria confectorum, Cajetani videlicet, Placentini, et Neapolitani, ex quo non exiguum integritati, et valori probationum damnum derivabat; Testes enim in dictis Processibus examinati, qui, attento eorum numero, fide ipsorum dictis debita, adminiculis, quibus eorum attestationes erant roboratae, consonantia cum Testibus examinatis in Processibus Apostolicis, probationis gradum attingere potuissent, si validitas Processuum, in quibus fuerunt examinati, fuisset discussa et approbata; Cessantibus discussione et approbatione validitatis, solius adminiculi vim et robur poterant obtinere, juxta Congregationis praxim, de qua in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 2. *cap.* 5. Sed, cum in toto Causae decursu nulla de validitate Processuum promota fuisset indago necessarium esse existimavimus sedulo inspicere, an validi revera essent memorati Processus auctoritate Ordinaria confecti, et an omissio examinis involuntariae quodammodo negligentiae esset adscribenda, vel potius derivasse dicenda esset ex inptu, quod eorum validitas approbari non posset.

§. 4. Ut id autem in aperto tandem poneretur, praedictos Processus ad Nos afferri mandavimus, et quamvis longa, quinquagenaria videlicet, et ultra, in examine Causarum Beatificationis, et Canonizationis experientia, potuissemus Nobis ipsis blandiri de Nostrarum virium sufficientia in examine validitatis praedictorum Processuum, advocari nihilominus fecimus Dilectum Filium Benedictum Veteranum Sacrae Consistorialis Aulae Advocatum, diligentissimum Fidei Promotorem a Nobis constitutum, cui praedictos Processus consignavimus, et ipsius sententia tum voce, tum scriptis Nobis exposita, communicato cum ipso consilio, Decretum edidimus die 1. currentis mensis Februarii, Secretario Congregationis Sacrorum Rituum consignatum, in quo constare decrevimus de validitate Processuum Cajetani, Placentini, et Neapolitani, Ordinaria auctoritate confectorum in Causa Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati.

Aliis adhibitis quoque diligentiis, supra relato dubio deinde responsum datum.

§. 5. aliae praeterea post Congregationem habitam die 27. praeteriti mensis Januarii adhibitae sunt scrupulosae diligentiae, ne in re tanti momenti aliquid praetermissum dici posset, quod videri et examinari potuisset. Deum Optimum Maximum jugibus precibus obsecravimus, ut Nobis praesto esse, et mentem Nostram illustrare dignaretur: post quae, inhaerentes unanimibus suffragiis Cardinalium, qui Congregationi Sacrorum Rituum habitae die 27. praeteriti mensis Januarii interfuerunt, proposito in ea dubio sic respondemus, auditoque Sacro, perceptaque Eucharistica Communione, cum prae impedimento podagrae Missam celebrare non potuerimus, sic responsum decernimus, *Ita constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate, et Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, ut tuto procedi possit ad ulteriora; ad discussionem videlicet quatuor Miraculorum.*

In omni, quem retinuit, vitae statu Ven. Paulus Buralis omnes virtutes in gradu eroico exercuit

§. 6. Venerabilis Dei Servus Paulus Buralis vixit in statu saeculari usque ad annum quadragesimum sextum suae aetatis. Nomen deinde dedit Congregationi Clericorum Regularium, qui Teatini nuncupantur, et in dicta Congregatione permansit spatio annorum undecim. Ad dignitatem Episcopalem deinde evectus, praefuit primum Ecclesiae Placentinae, et Collegio Cardinalium S. R. E. adscriptus, translatus deinde fuit ad regimen Archiepiscopalis Ecclesiae Neapolitanae, quae omnia spatio fere decem annorum implevit; ponderatisque sedulo omnibus; quae in unoquoque praedictorum statuum ab eo gesta sunt, constat, ipsum in gradu heroico eas omnes Virtutes frequentibus actibus exercuisse; quae unicuique praedictorum statuum erant proportionatae et propriae, cum eximia semper charitate erga Deum et proximum, spectabili humilitate, et eximia undequaque prudentia.

Non tam omnia testibus de visu comprobantur.

§. 7. At, cum ea omnia, quae pertinent ad statum secularem, et sic ad longum vitae ipsius cursum, et pleraque alia, quae statum Regularem respiciunt, in quo non modicum suae aetatis cursum perfecit, non sint probata Testibus de visu, sed Testibus aut de auditu a videntibus, aut de auditu auditus, et ea tantum, quae statum Episcopalem, et Cardinalitiam respiciunt dignitatem, sufficienti numero Testium de visu innixa sint, locus factus est Decreto à Nobis edito die 23. Aprilis 1741. et impresso in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 25., in quo statutum est, ut in Causis etiam procedentibus per viam non Cultus, si Virtutes probatae sint per Testes de auditu, et sic per probationes subsidiarias, dilata, prout in casu, absque culpa et dolo Postulatorum, confectione Processuum longe post obitum Dei Servi; si de validitate Processuum post dictum tempus confectorum abunde constet, prout in casu; si, Testium numero, et qualitate, caeterisque attentis adminiculis, moralis, prout in casu, consurgat certitudo, quae, si non impossibile, imprudens saltem judicium reddat de opposito: proposito de Virtutibus dubio nullatenus respondeatur *Constare* deficiente videlicet probatione directa per Testes de visu, sed respondeatur, *Ita constare, ut tuto procedi possit ad discussionem quatuor Miraculorum*, aucto videlicet Miraculorum numero, a duobus, quae olim sufficiebant pro obtinenda Beatificatione, ad alia duo, et sic ad quatuor Miracula, ut quod ex humano defuit Testimonio, Divino compensetur.

Atque hinc propterea proposito de virtutibus dubio congrua ratione responsum.

Praesens Decretum manu Nostra subscriptum, Nostroque Sigillo munitum, Secretario Congregationis Sacrorum Rituum consignamus, inter Acta ejusdem Congregationis asservandum.

Dat. 8. Februarii 1756. Pont. XVI.

Datum hac die 8. Februarii 1756.

BENEDICTUS PAPA XIV.

D. F. Card. Tamburinus Praef.

Loco † Sigilli

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

IX. ACTA CONSISTORIALIA

Pro Concessione Pallii Patriarchae Antiocheno Syro Maronitarum.

In Consistorio Secreto habito die 28. Mar. 1757.

ARGUMENTUM.

Die duodecima Februarii, Anni 1756. *cum è vivis excessisset Reverendissimus Dominus Simon Petrus Evodius, Patriarcha Antiochenus Syrorum Maronitarum: is nimirum, quem Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus datis die* 16. *Martii* 1743. *Literis, ad compescendas dissensiones in Electione Patriarchae subortas, Patriarcham Auctoritate Apostolica constituerat; die autem* 13. *Julii* 1744. *in Consistorio Semipublico, ad complementum Patriarchalis dignitatis, Pallio Pontificio donaverat: Peractis de more Novendialibus, Archiepiscopi et Episcopi ejusdem Nationis Syrorum Maronitarum, quibus eligendi Patriarchae jus competit, convenerunt in Chesroano apud Anturam in Æde Sancti Josephi: et unanimi omnium consensu, die* 28. *ejusdem mensis Februarii, elegerunt in Patriarcham, Reverendissimum Dominum Tobiam Gazenium, Cypri Archiepiscopum: quemadmodum ex hoc Synodico ipsorum Decreto perspicuum redditur.*

Archiepiscoporum et Episcoporum Decretum Electionis Reverendissimi Domini Tobiae Gazenii, Archiepiscopi Cypri, in Patriarcham Antiochenum Syrorum Maronitarum.

LAUS DEO SEMPER.

Praesentibus Literis pateat, Nos infrascriptos in Æde Sancti Josephi apud Anturam convenisse, ibique juxta Sacros Canones, praescriptasque in Sanctis Synodis Constitutiones, elegisse Reverendissimum Dominum Tobiam Gazenium, in Beatissimum Patriarcham Sedis Theopolis Antiochiae, plenaque omnium nostrorum libertate, atque unanimi consensu, eumdem in Patriarcham nostrum, nostraeque Nationis Patrem adscivisse; debitam ipsi obedientiam, subjectionemque secundum Statuta Sanctarum Synodorum exhibituros; dummodo idem ipse Formulam Professionis suae, Pontifici Sanctae Romanae sedis exhibeat, Fidemque Catholicam usque ad sanguinis effusionem conservet. In quorum fidem in Sancto nostro Concilio hanc syngraphan a nobis subscriptam dedimus die vigesima octava Februarii, Anno 1759.

Archiepiscopi et Episcopi.

Philippus Listrae.
Stephanus Botri.
Gabriel Ptolemaidis.
Joannes Laodiceae.
Germanus Tripolis.
Michael Damasci.
Antonius Arcae.
Josaphat Tyri.
Petrus Paneadis.
Joseph Sidonis.
Joseph Beryti.
Joachim Eden.
Arsenius Tagriti.

Postea, tum ab Electo Patriarcha Tobia, tum ab Archiepiscopis et Episcopis Electoribus, ad SS. Dominum Nostrum PP. BENEDICTUM XIV., et ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, una cum R. P. D. Arsenio Heliopolitano Archiepiscopo, ipsius Electi Patriarchae Oratore et Procuratore, Literae missae sunt, quibus demississime Sanctitatem Suam rogant, ut Electum Patriarcham confirmare, eique Pallium, plenitudinis Pontificiae Potestatis insigne, concedere dignetur. Sunt autem hujusmodi.

I.

Epistola Electi Patriarchae Tobiae Petri Gazenii ad Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum Papam XIV.

SANCTISSIME PATER.

Ego Tobias Gazenius Sanctitatis Tuae servus, Cypri olim Archiepiscopus, nunc vero miseratione divina Antiochenus Patriarcha, licet indignus, coram sanctis pedibus Tuis procumbens, eosque submisse ac reverenter, sicuti Christi Domini Vicarium decet, deosculans, Sanctitati Tuae expono, duodecima die Februarii, hujus anni, Simonem Patriarcham Antiochenum, decessorem meum, ad Deum migrasse: cui ut requiem donet Dominus, suffragio sanctarum tuarum precum contingat. Die autem vigesima octava ejusdem mensis, fratres meos, tuosque famulos, Archiepiscopos et Episcopos, in Æde Sancti Josephi apud Anturam, Patrum Societatis Jesu, in Chesroano, convenisse, ibique secundum Statuta Sacri Libanensis Concilii, lati ad eligendum novum Patriarcham cum plena libertate, nullaque vi adhibita suffragiis, me tametsi immerentem, Patriarcham constituisse: quemadmodum Sanctitati Tuae palam faciunt datae ab ipsis ad Sanctam Apostolicam Sedem, et ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide Literae. Quoniam vero, Sanctissime Pater, Beati Petri Apostolorum Principis es Successor, cui dictum est: et Tu conversus confirma fratres tuos: ideo coram pedibus tuis provolutus, epixis precibus a Te peto, ut Pallium mihi Pontificium concedas, meque in Sede Antiochena confirmes: sicuti decessores Tui felici recordationis cum meis antecessoribus facere consueverunt: idque mihi praestare digneris per fratrem meum, servum autem tuum, Arsenium Heliopolis Archiepiscopum, quem tamquam Procuratorem meum misi ad deosculandum pedes tuos, et ad impetrandam a Te confirmationem: Virum virtutibus ornatum: prudentia, pietate, et patientia in excitatis adversus ipsum ex invidia persecutionibus praeditum: quem, quum adhuc Monachus esset, ego autem ipse Patriarchalem dignitatem nondum iniissem, ex longa consuetudine probe cognovi, dignum proinde censui, ut illum ad Apostolicam Sedem ablegarem. Decebat sane, ut egomet ad Sacra Apostolorum Limina visitanda accederem: Verum ab hoc me proposito detinuit, primum quidem immensa locorum distantia; deinde, quia vereor, ne quid detrimenti res Maronitarum publicae, me absente, capiant. Itaque paterna Tua benignitate fretus, etiam atque etiam rogo, ut meis, meae Nationis, atque Ablegati ejusdem Votis obsecundans, Pater Beatissime, et Pallium mihi transmittas, et reliquis me spiritualibus temporalibusque beneficiis cumulare digneris: quae quantulacumque sint, in summum tamen mihi honorem cessura reputabo. Meae autem erga Te, et Sanctam Sedem Tuam demissae obedientiae argumentum habes Orthodoxae Fidei professionem, manu mea subscriptam, quam Tibi Nuncius meus exhibebit. Voveo enim, et promitto, coram Deo et Angelis ejus, me Sedi Apostolicae et Romano Pontifici usque ad extremum vitae spiritum semper et ubique obtemperaturum: operam insuper omnem collaturum, ut huic meae Nationi, quae perpetuis erga Sanctam Sedem obsequii et reverentiae documentis claruit, Deo favente, Teque annuente, amputatis dissensio-

nibus, pacem ac tranquillitatem restituam. Interim Tuis sanctis pedibus iterum demississime oscula defigens, ut ad multos Te annos incolumem servet, precibus a Deo Optimo Maximo quam possum studiosissime condo. Datum die 20. Martii 1756.

Sanctitatis Tuae Servus
Tobias Petrus Gazenius,
Patriarcha Antiochenus.

II.

Epistola ejusdem Electi Patriarchae Tobiae ad Sacram Congregationem de propaganda Fide.

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

Certiores Vos facio, die duodecima Februarii, hujus anni, Simonem Evodium Patriarcham Antiochenum e vivis excessisse; die autem vigesimâ octava ejusdem mensis congregatos juxta Decreta Sacrae Libanensis Synodi in Æde S. Josephi Anturensi Patrum Societatis Jesu in Chesroano Archiepiscopos et Episcopos fratres meos, latis libere suffragiis, me licet immerentem, in Patriarcham Antiochenum elegisse: quemadmodum ex Literis ipsorum ad Sanctissimum ac Beatissimum Pontificem Maximum et ad Sacram Congregationem Vestram datis perspicere potestis. Quum igitur aequum decensque sit, ut optimis traditionibus sacrisque consuetudinibus mos geratur; idcirco vestigiis Decessorum meorum ego insistens, a Sanctitate Sua petere decrevi et Pallium Pontificium, et Apostolicam in sede Antiochena confirmationem; signum autem, et pignus obedientiae meae ac reverentiae erga Sanctam Romanam Sedem, patebit Sacrae Congregationi Vestrae ex Formula Professionis Fidei, mea manu subscriptae, ac sigillo firmatae, quam ad Apostolicam Sedem transmitto. Quamobrem Eminentias Vestras Reverendissimas rogo, ut a Sanctissimo Patre Pallium mihi Pontificium, et Confirmationem Apostolicam impetretis, una cum gratiis, et privilegiis, quae meis Decessoribus concedi consueverunt: eidem insuper Beatissimo Patri significetis, quod, nisi me locorum distantia, et imminens Nationi meae ex mea absentia periculum detinerent, per me ipsum ad visitanda Sacra Apostolorum Limina, et ad accipiendum e manibus Sanctitatis Suae Pallium accederem. Quam vero sim Sedi Apostolicae Romanisque Pontificibus obsequentissimus, id palam faciet frater meus Arsenius Archiepiscopus Heliopolitanus, quem Nuncium meum, Oratorem, ac Procuratorem ablegavi, ut pro me obedientiam exhibeat, et Pallium petat. Illum siquidem ad hoc obeundum munus idoneum existimavi, utpote Virum bonis moribus praeditum, virtutibus ornatum, mihique probe notum, antequam ad Patriarchalem dignitatem evectus essem. Vos igitur post Deum obsecro, Eminentissimi Domini, ut quas ipse nomine meo porriget, ne patiamini irritas esse et inanes preces. Interim Deum Optimum Maximum oro et obtestor, ut totus terrarum Orbis ditioni vestrae subdatur, et obductae ab adversariis nebulae dissipentur. Datum die 20. Martii 1756.

Tobias Petrus Patriarcha
Antiochenus.

III.

Epistola Archiepiscoporum et Episcoporum ad Sanctissimum Dominum Nostrum BENEDICTUM Papam XIV.

SANCTISSIME PATER.

Post oscula Liminum Apostolicorum, sanctorumque pedum tuorum, Nos infrascripti exponimus, quod die 12. mensis Februarii, servus tuus Simon Petrus Patriarcha Antiochenus ex hac luce ad Dominum migravit: oramus, ut Deus Sanctitatem Tuam nobis conservet: post illius autem decessum, congregati apud Anturam in Chesroano in Æde Sancti Josephi, quae Patrum Societatis Jesu est, die 28. ejusdem mensis, latis secundum Decreta Sanctae Libanensis nostrae Synodi suffragiis, elegimus servum tuum, fratrem nostrum, Tobiam Gazenium, Cypri Archiepiscopum, nobili genere natum, eumque unanimi consensu, spontanea voluntate, omnique vi remota, nostrum Patriarcham constituimus. Itaque coram Apostolicis pedibus tuis procumbentes, supplices petimus, ut eidem Reverendissimo Domino Patriarchae nostro Tobiae Pallium Apostolicum, et Pontificiam in Sede Antiochena Confirmationem concedere digneris: aliis insuper eum-

dem cumulare velis tum consuetis gratiis, tum etiam majoribus, quam quibus praedecessores ipsius Patriarchae ab Apostolica Sede sunt ornati: idque tam propter ipsius generis nobilitatem, morum honestatem, in rebus agendis solertiam, religionis fervorem; quam propter eximiam, quam Apostolicis mandatis tuis semper exhibuit obedientiam, impensosque ab eodem in Sedis Patriarchalis beneficium, Patriarcharumque obsequium, et in procuranda Pontificiarum Tuarum Literarum executione, labores. Rogamus quoque paternam Tuam clementiam, Pater Beatissime, ut oculos tuos ad Sedis nostrae Patriarchalis favorem benigne convertas: non enim Sanctitatem Tuam latere arbitramur, quantis illa malis ob tyrannicam Infidelium oppressionem hactenus succubuerit. Demum sanctis tuis pedibus iterum oscula defigentes, Deum oramus, ut Beatitudinem Tuam diu incolumem tueatur. Datum apud Anturam die 29. Februarii 1756.

Archiepiscopi et Episcopi.

Philippus Lystrae.
Stephanus Botri.
Gabriel Ptolemaidis.
Joannes Laodiceae.
Germanus Tripolis.
Michael Damasci.
Antonius Arcae.
Josaphat Tyri.
Petrus Paneadis.
Joseph Sidonis.
Joseph Beryti.
Joachim Eden.
Arsenius Tagriti.
Abdalla Cypri.

Aliae praeterea ab iisdem Archiepiscopis et Episcopis Maronitis, necnon a Proceribus Gazeniis, et Habaisciis, in idem argumentum scriptae sunt Epistolae, tum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, tum ad Eminentissimos ac Reverendissimos Dominos Cardinales Protectores Nationis, et Monachorum Maronitarum: quibus Epistolis Electi Patriarchae Tobiae merita, omnium assensu et plausu, enuncian-tur.

Totius igitur negotii examine per Sanctitatem suam ad Eminentissimos Patres ejusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide remisso, in Congregatione Generali habita die 8. Martii, currentis anni, editum est hujusmodi Decretum.

DECRETUM

Sacrae Congregationis Generalis de Propaganda Fide.

Habitae die 8. Martii 1757.

Referente bon. mem. Nicolao Lercario Archiepiscopo Rhodiensi, Secretario, postulationem ab Episcopis et Clero Maronitarum de more factam R. P. D. Tobiae Gazeni Archiepiscopi Cypri, viri zelo, doctrina, et prudentia, caeterisque virtutibus plurimum commendati, in Patriarcham Antiochiae ejusdem Nationis, in locum R. P. D. Simonis Petri Evodii nuper defuncti, nec non preces eorumdem Episcoporum, Cleri, et Populi Maronitarum, pro supradictae postulationis admissione, et Patriarchae confirmatione; Sacra Congregatio censuit, consulendum esse Sanctissimo pro admissione praedictae postulationis, et confirmatione ejusdem R. P. D. Tobiae Gazeni in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum.

Quam Sacrae Congregationis sententiam, Sanctissimo Domino Nostro relatam ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Domino Josepho Cardinali Spinelli Praefecto, in Audientia habita die 18. ejusdem mensis, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, et in Consistorio ad ulteriora procedi mandavit. Datum ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis die 19. Mensis et Anni, quibus supra.

N. Antonellus Secretarius.

His praemissis, die 27. Martii ejusdem anni 1757. indicto de more Secreto Consistorio, postquam in eo Propositiones Ecclesiarum, et alia occurrentia negotia fuerunt absoluta, Sanctissimus Dominus noster de Pallio Latino Patriarchis Orientalibus, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, concedendo, deque Maronitis, eorumque ritibus Latino simillimis, et eximio in Sanctam Sedem obsequio praefatus, quid in Electione tum hujus novi Patriarchae Tobiae, tum decessoris ejus Simonis Petri Evodii gestum fuerit, luculentissima hac Allocutione exposuit.

VENERABILES FRATRES

Quadraginta jam, et ultra, effluxerunt anni, ex quo, suborta controversia, num Patriarchae Alexandrino Graeci ritus indulgeri posset Latinum Pallium, quantumvis idem opportunis prolatis monumentis comprobaret, se schisma ejurasse, suumque legitimum Procuratorem ad Urbem ablegasset, qui humiles enixasque preces suas ad ipsum Pallium obtinendum afferret, coacta fuit coram sanctae memoriae Clemente XI. Praedecessore nostro satis frequens S. R. E. Cardinalium, ac Praelatorum Congregatio, cui Nos quoque interfuimus, et in qua statutum fuit, ut expetitum Latinum Pallium concederetur; Nobisque ipsis contigit, pro Advocati Consistorialis munere, quo tunc fungebamur, ipsam Pallii petitionem in Consistorio exponere 1: quod magnae postmodum consolationi Nobis extitit, quum scilicet in manus nostras subinde pervenit vetus decretum, seu resolutio multos ante annos edita 2, per quam ad propositum dubium, an Patriarchis Graeci ritus Latinum Pallium esset concedendum, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, affirmative responsum fuit; quae quidem resolutio ignota tunc erat, quum Patriarchae Alexandrino facta est Latini Pallii concessio 3.

1. Vide acta Consistorialia, impressa inter consistoriales Orationes ejusdem Pontificis pag. 139. et seq.

2. Videlicet die 9. Junii 1642

3. Ut in nostro Opere De Synodo Dioecesana lib. 13. cap. 15. num. 19.

Ex quo autem Nos nullis nostris meritis ad Summum Pontificatum evecti fuimus, nostris ipsi manibus Patriarchae Armeniae minoris, et Ciliciae, confirmata prius illius Electione, Latinum Pallium imposuimus 4. Atque id ipsum in Consistorio semipublico, concedendum, transmittendumque decrevimus Cyrillo Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum; postquam examini subjecta, probataque fuerat illius electio, ipseque per legitimum ad id constitutum Procuratorem, enixis precibus sibi Latinum Pallium concedi postulaverat 5. Quod ipsum Latinum Pallium aliis duobus Patriarchis Armenis, subsequentibus temporibus, a Nobis ipsis datum est 6.

4. Cit. lib. 13 ejusdem Operis cap. 15. sub num. 18.

5 In nostra Consistoriali Allocutione die 3. Febr. 1744 et impressa Tom. 2. nostri Bullarii in Append sub n. 6.

6 Scilicet in Consistorio habito die 23 Sept. 1750. et in Consistorio habito die 23 Julii 1754.

Quod autem ad Maronitas pertinet, compertum unicuique est, eos uti Azymo, non secus ac utitur Occidentalis Ecclesia, et sacra adhibere indumenta nostris simillima 7. Nostis praeterea, Venerabiles Fratres, Nos olim, ad compescendas dissensiones in eorum Patriarchae Electione subortas Patriarcham Antiochenum Maronitarum illis constituisse Simonem Petrum Evodium, atque hunc fuisse a Maronitis libentissime exceptum, eidemque subinde concessum a Nobis fuisse Latinum Pallium, pro quo legitimus ipsius Procurator necessariis documentis instructus, in Consistorio insteterat 8.

7 Vide nostra Epistolam Encyclicam ad Maronitas pro Orientem constitutos, quae est 47 nostri Bullarii Tom. 4. n. 23. 25. et 31

E vivis nuper excessit praememoratus Simon Petrus Evodius: quumque Maronitae elegerint ipsi successorem, is plane est, qui per suum Ablegatum, opportuna quaeque documenta proferentem, Pallium sibi concedi postulat, quemadmodum mox ipsi audietis ex ipsius legitimo Procuratore, quem jam nunc in Consistorium ab eo, cui id munus est, induci mandamus.

Expleta Sanctissimi Allocutione, Aulae Consistorialis foribus apertis per unum ex D. D. Caeremoniarum Magistris R. P. D. Philippus Maria Cirelli Praelatus Domesticus Pontificius, Signaturae Justitiae Auditor, et Sacri Consistorii Advocatus, et R. P. D. Arsenius Heliopolitanus Archiepiscopus, Electi Patriarchae Tobiae Procurator, introducti fuere, et e regione Pontificis in Lecto sedentis, flexis genibus, praedictus R. P. D. Cirelli Sacri Consistorii Advocatus Sanctitatem Suam sic allocutus est.

BEATISSIME PATER.

Antiochena Maronitarum Ecclesia, Sanctitatis Vestrae auctoritate et providentia maximis olim perturbationibus liberata, enixe petit, ut Pallium e B. Petri Corpore sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, nunc tradatur suo nuperrime electo Patriarchae R. P. Tobiae Gazenio Archiepiscopo Cypri: quem non minus Gentis Maronitarum merita, quam sua pietas, et probata in Sanctam Sedem fides, et observantia commendant, ut hunc honorem obtineat, quem habuit decessor suus, quemque, uti est eximia Sanctitatis Vestrae in omnes late populos, qui Christiano censentur nomine, digna Pontifice Maximo beneficentia, Orientalis Ecclesiae Patriarchae, parum usitato antea exemplo, hoc tempore quinquies impetraverunt.

Ea de re R. P. Arsenius Archiepiscopus Heliopolitanus Procurator ad Urbem missus, demississime rogat, ut religiosissima, quae nunquam ad partes factiosorum, aut errantium declinavit, Ecclesia, constanti Romanae

Cathedrae judicio, diuturna hujus decoris accessione fruatur; atque id ipsum in genua provolutus, Tobiae Patriarchae nomine et verbis, instanter postulat, instantius, et instantissime.

Post haec Sanctissimus intermissam Allocutionem prosequens, Electionem ipsius Patriarchae Tobiae quam libenter, et qua clausula se confirmasse, eidemque optatum Pallium benigne concedere, emissa prius tam hic in Urbe ab ipsius Procuratore, quam in Monte Libano ab ipsomet Patriarcha Fidei professione; totam denique Syrorum Maronitarum nationem, ne unquam obliviscantur sinceram suam adhaesionem Catholicae Fidei et Sedi Apostolicae, monendam esse, eisque simul nomine Pontificio Apostolicam Benedictionem impertiendam, ornatissimis hisce verbis exponere dignatus est.

ALLOCUTIO SANCTISSIMI.

Audistis, Venerabiles Fratres, expositam a legitimo Electi Patriarchae Procuratore, pro Pallio instantiam. Audistis praeterea, quibus illa fundamentis innitatur. In Congregatione negociis Propagandae Fidei praeposita, jam expensa fuerunt Electionis validitas, Electi merita, quique peractam Electionem consequutus est, omnium assensus et plausus. De his omnibus ad Nos accuratissime relatum fuit: Nosque exhibitum a Congregatione consilium sequentes, Electionem ipsam libenter confirmavimus. In ipsa Confirmatione clausulam illam praetermisimus, per quam aliae nonnunquam Electiones validari solent, *etiam quoad substantialia;* quum nihil in ea desideretur ex iis, quae ad validitatem actus, juxta Orientalem disciplinam, necessaria existimantur; neque vero affirmari pro certo valeat, Occidentalis Ecclesiae leges, quibus aliquae inductae fuerunt substantiales Electionum nullitates, Orientalem quoque Ecclesiam afficere, de qua in ipsis legibus nulla occurrit mentio. 9. Quae quum ita sint, annuentes precibus ab Electi Patriarchae Procuratore expositis, libenti animo optatum Pallium ipsi concedimus; ita tamen ut idem legitimus Procurator, nomine illius, a quo constitutus est, priusquam ipsi fiat Pallii traditio, Professionem Fidei emittat, juxta formulam ab Urbano VIII. Praedecessore nostro statutam; et id ipsum subinde fiat ab ipsomet Patriarcha: cui impense injungimus, ut suos Maronitas moneat, ne unquam obliviscantur sinceram Nationis suae adhaesionem Catholicae Fidei, et Sedi Apostolicae, quae tanto eos amore amplexa est, et complectitur; eisdemque simul nostro nomine Apostolicam Benedictionem impertiatur.

Postquam absolutum est Consistorium, quoniam praememorati Patriarchae Tobiae Procurator R. P. Arsenius Heliopolitanus Archiepiscopus desiderio flagrabat, quo singulari impertito beneficio, Sanctitati suae, ejusdem Patriarchae nomine, gratias saltem privatim redderet, quum in publico id facere ei non licuerit: ideo post Consistorium voti compos a Pontifice perhumaniter foctus, in intimo suo Cubiculo flexis genibus, hunc in modum verba fecit Arabice, quae deinde Latine a R. P. D. Josepho Simonio Assemano, Bibliothecae Vaticanae Praefecto, Sanctissimi Domini Nostri Praelato Domestico, et utriusque Signaturae Referendario, reddita sunt.

BEATISSIME PATER.

Tot, ac tanta sunt eximiae Tuae in Antiochenum Electum meum, atque a Te in hoc Augustissimo Consessu confirmatum Patriarcham Tobiam Petrum Gazenium, benevolentiae, charitatis, ac benignitatis argumenta, ut fateri ultro compellar, vires mihi non suppetere, quo dignas Sanctitati Tuae grates rependam. Conabor tamen genuinos ipsius Patriarchae sensus, sincerasque grati animi significationes pro modulo meo palam contestari. Est enim, Sanctissime Pater, est meus Patriarcha, obsequentissimus Apostolicae Sedis filius, suaeque erga Sanctitatem Tuam obedientiae signa minime dubia, non verbis tantum, sed illustribus etiam factis, dedit: tum nempe, quum nullam interposuit moram, quin facto a Te judicio de controversa olim Patriarchali dignitate, statim acquiesceret, constitutoque Auctoritate Tua Patriarchae Simoni Evodio, suo proximo Decessori, sese submitteret. Qua agendi moderatione, quantum virtutis suae opinio omnibus accreverit, datis ad ipsum humanissimis Literis, Beatitudo tua declaravit. Itaque idem ipse, qui jussis Tuis obtemperans, ut teterrimum illud schisma ex duplici in Patriarcham Electione conflatum extingueretur, delata sibi dignitate se confestim abdicavit, facile erit unicuique animo concipere, quam sit

id citata
ua Ency-
, quae
7 Tom.
ar 2 no-
Bullarii
(4).

in posterum luculentiora erga Sanctam Sedem observantiae suae documenta praebiturus, posteaquam et Patriarchalis dignitatis, unanimi Antistitum Maronitarum suffragio collatae, Confirmatione, et honore Pallii de Corpore Beati Petri sumpti, ipsum honorificentissime cumulasti. Quamobrem sicuti hactenus habuisti, Pontifex Optime Maxime, Ecclesiarumque Orientalium amantissime, ita nunc, et semper habebis Antiochenum Patriarcham Tobiam, et beneficiorum Tuorum gratum memoremque, et Pontificiorum mandatorum observantissimum.

BREVIA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Ad Patriarcham, Archiepiscopos, Episcopos, et Proceres Maronitarum.

I.

Venerabili Fratri Tobiae Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, et apostolicam Benedictionem.

Et Venerabilem Fratrem Arsenium Archiepiscopum Heliopolis a Fraternitate Tua ad Nos, atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem omnium Ecclesiarum Catholici Orbis Matrem et Magistram ablegatum, et humanissimas literas praeclaris tuae erga Nos observantiae, et debitae erga eamdem Sanctam Sedem reverentiae, obedientiaeque documentis insignes Nobis inscriptas, Nobisque a memorato Arsenio Archiepiscopo redditas, ea, qua Praedecessores nostri Romani Pontifices, Nosque ipsi alias prosecuti fueramus, Pontificia benignitate et Apostolica caritate excepimus. Quemadmodum autem Nobis permolestum accidit nuntium, viam nimirum universae carnis ingressum, et, uti in justo remuneratore supremo Pastorum Principe JESU CHRISTO sperare decet, ad aeterna beatae stationis in Coelis tabernacula receptum fuisse cl. mem. Simonem, dum in humanis ageret, Patriarcham Antiochenum multis nominibus commendatum; ita ingenti laetitia in Domino exultavimus, quod Tu, Venerabilis Frater, in ipsius locum et Patriarchalem Sedem per unanimem Venerabilium Fratrum Antistitum suffragantium concordiam electus, suffectusque fueris. Nobis sane compertum, exploratumque erat, Fraternitatem Tuam Sacerdotalibus, Pastoralibusque virtutibus insignitam, in excolenda Christi Vinea Tibi commissa laudabiliter adlaborare; atque adeo Nobis prò certo pollicemur, Te, Venerabilis Frater, majori dignitate, auctoritate, et honore cumulatum, majori sollicitudine, vigilantia, operaque fore adnixurum, ut istam inclytam Maronitarum Nationem, de qua districtam aeterno Judici JESU CHRISTO rationem reddere debes, Apostolicae huic Sanctae Sedi semper addictissimam, et veluti solem inter offusissimas tot errorum tenebras, et caligines lucidius praefulgentem, magis magisque confirmes, illustres, adaugeas, et promoveas. Porro quod ad Electionem tuam a Nobis probandam, confirmandamque, Palliumque de Corpore Sancti Petri Apostolorum Principis sumptum Tibi mittendum, enixis precibus exposcis, Fraternitati Tuae persuasum esse cupimus, Nos, a gravissima diuturnaque infirmitate sensim per ineffabilem divinitatis abundantiam convalescentes, ubi Nobis integrum fuit, ne quidquam per Nos moraretur, e lecto Secretum cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Consistorium habuisse. In hoc itaque Consistorio Electionem tuam approbavimus, et Apostolica auctoritate nostra confirmavimus, Palliumque dè more Tibi tradendum mandavimus, prout ex aliis nostris Apostolicis Literis plenius intelliges. Nec dubitamus, quin idem Arsenius Archiepiscopus Ablegatus tuus, a quo et Pallium accipies, de omnibus per Nos in hoc negotio actis gestisque Fraternitatem Tuam fusius edoceat. Praeterea Fraternitatem Tuam, quam plurimi facimus, magnoque honore prosequimur, et Apostolica caritate in vinculo unitatis complectimur, vehementer rogamus, atque in Domino hortamur, ut nostram imbecillitatem in ferventioribus tuis apud Deum obsecrationibus commendatam habere satagas. Caeterum, Venerabilis Frater, bono animo esto, praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple, certa

bonum certamen Fidei, apprehende vitam aeternam cum corona justitiae, quam repositam digne laborantibus in Caelo reddet Tibi quoque Dominus in illa die justus Judex. Nos interim ad prosperi successus, divinique praesidii auspicium, et studiosae nostrae ad Fraternitati tuae, universaeque Maronitarum Nationi, cum opportuna sese dederit occasio, gratificandum voluntatis pignus, Apostolicam Benedictionem uberrima cum coelestium charismatum copia conjunctam, Tibi, Venerabilis Frater, eidemque Maronitarum Nationi tuae, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

II.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Patriarchatus Antiocheni Nationis Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Non possumus sane satis aptis verbis explicare, Venerabiles Fratres, et dolorem, quo affecti sumus ob interitum clar. mem. Simonis, dum viveret, Patriarchae vestri Antiocheni meritis laudibus nominandi, et ingentem Pontificii cordis nostri laetitiam inde conceptam, quod Fraternitates Vestrae tanta cum animorum alacritate et consensione, tantaque cum celeritate et sollicitudine, ne quidquam detrimenti interea temporis viduata Pastore suo Patriarchalis Sedes Antiochena pateretur, legitime et canonice eligere, et in Patriarcham vestrum constituere studueritis Venerabilem Fratrem Tobiam Petrum Cypri Archiepiscopum. Nos autem, statim atque faustum de Electione hujusmodi nuntium ad nos perlatum fuit per humanissimas et ipsius Tobiae Petri electi, constitutique Patriarchae, et Fraternitatum Vestrarum, ac dilectorum filiorum Procerum Maronitarum literas, Supremo Pastorum Principi JESU CHRISTO, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, immortales agere gratias non omisimus. Nulla igitur gravissimae, diuturnaeque infirmitatis nostrae ratione habita, lecto etiam decumbentes, Secretum cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Consistorium habere voluimus, ut quam citissime peragerentur de more omnia, quae ad Electionem hujusmodi Apostolica auctoritate approbandam, confirmandamque, et ad Pallium de Corpore S. Petri Apostolorum Principis sumptum laudato Tobiae Petro Patriarchae vestro mittendum, tradendumque, semper servata fuere. Quamobrem Vos, Venerabiles Fratres, de hisce per Nos actis certiores facientes, Vobiscum ex animo gratulamur; atque insimul bonorum omnium largitorem Deum, qui dat affluenter omne donum optimum, et ad aeternam animarum salutem semper profuturum, supplices exoramus, ut Fraternitates Vestras nova virtute induat ex alto, quo de virtute in virtutem crescatis in Templo Sancto Dei, et magis magisque satagatis vigilare, custodire, ac per viam mandatorum Dei ducere populos pastorali curae vestrae commissos. Hinc profecto factum fore in Domino confidimus, ut consentanea virtutibus laboribusque vestris merces tribuatur a justo remuneratore Deo. Interea hujus voti nostri auspicem, et Pontificiae nostrae erga Fraternitates Vestras benevolentiae testem esse cupimus Apostolicam Benedictionem, in populos quoque vestrae curae creditos redundaturam, quam Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

III.

Dilectis Filiis Proceribus Maronitis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quam praeclaram de vestra omnisque inclytae Maronitarum Nationis Catholica sincerague Fide, et constanti Apostolicae huic Sanctae Sedi adhaesione opinionem Praedeces-

sores nostri Romani Pontifices, Nosque ipsi semper habuimus, magis magisque confirmaverunt humanissimae vestrae literae, quas una insimul cum literis Venerabilium Fratrum tum Tobiae Petri Archiepisc. Cypri in Patriarcham Antiochenum vestrum electi, tum caeterorum Nationis vestrae Antistitum conjunctas ad Nos attulit Venerabilis item Frater Arsenius Archiepiscopus Heliopolis. Per ipsas sane literas vestras explicare studuistis, et filialem vestram erga Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantiam, reverentiamque, et Electionem de eodem Tobia Petro in Patriarcham unanimi memoratorum Antistitum consensu, Vobisque plaudentibus factam. Nos autem Vobis omnium studiis benigne annuentes, nihil omisimus, quod ad hujusmodi negotium Apostolica auctoritate nostra peragendum, conficiendumque requirebatur. Quamobrem hoc unum superest, ut Vobis, dilecti Filii, quos paterna Pontificiaque caritate complectimur, ab Omnipotenti Deo bonorum largitore uberrimam coelestium charismatum copiam apprecemur; atque vestram pietatem, religionemque meritis laudibus celebremus. Interim, Dilecti Filii, Vobis Apostolicam Benedictionem, perenne nostrae erga Vos praecipuae benevolentiae, dilectionisque testimonium, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

APPENDIX ALTERA

AD TOMUM III. P. II.

Quae caeteris Benedicti XIV. Constitutionibus, Epistolis, etc. constat usque ad ejus obitum.

EPISTOLA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPÆ XIV. ad Reverendissimum Dominum Ignatium Realem primum Pontificiarum Caeremoniarum Magistrum de celebratione Missae a sedente.

Dilecto Filio Magistro Ignatio Reali Apostolicarum Caeremoniarum praefecto.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem.

Æstas anni 1756. proxime praeteriti variis corporis afflictationibus Nos oppressit, quas aetas nostra gravis admodum, atque non intermissi a prima juventute labores progignere videbantur. Morbi initium, prout fieri assolet, leviorem vim exserebat; hinc a Nobis ipsis Episcopatus Ordine insigniendum esse reputavimus Reverendissimum Dominum Carolum Camucium Justinopolis, sive Ægidae Antistitem, cui rei perficiendae Tu utpote primus Caeremoniarum Magister opportuna quaeque disposuisti, et de qua Nos die 20. Octobris 1756. epistolam dedimus ad Praesulem ordinandum, quam typis impressam quartus Bullarii nostri Tomus propediem lucem publicam visurus numero LXIV. exhibebit.

II. Malum, quod in suo exortu laevius videbatur, progressu suo exasperatum est haud mediocriter; insequentibus quippe mensibus bis morientium viatico muniti, bis extremum inuncti, et bis pariter, juxta Romanorum Pontificum probatum morem fidem sumus professi. E gravissimis hisce discriminibus erutos Domini benignitas in eam nos constituit corporis habitudinem, qualis nunc est, quaeque intelligentiae facultatem adeo Nobis non eripuit, minuitve, ut divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam: Exteris non minus, quam publicarum rerum curam gerentibus nos alloquendi facultatem concedimus, opportuna mandata singulis imponentes: Intersumus Consessui, quem Consistorium dicunt, et S. Officii congregationi semel in hebdomada sub nostro obtutu haberi solitae: Scriptorum calamus pro exigentiae, et more quae occurrunt necessaria excipit: Basilicas quoque Romanae Urbis invisimus quandoque, nusquam tamen a sede gestatoria, qua sustinemur descendentes.

III. Dies erat 27. Octobris Divis Simoni, et Judae Apostolis sacra, et Justinopolitani Antistitis consecratione celebrata, ex qua Sacris amplius operati non sumus, pedibus nulla ratione Nos sustinere valentibus; diebus vero, quibus alioqui Sacra facere consueveramus, sacram Eucharistiam recipimus sedentes, aut sedentis, in modum lecto incubantes, neque sub id temporis Missam a Nobis celebrari posse sperabamus, quod Medici spem Nobis fecissent mitigatae aestatis beneficio aere omissa interea compensatum iri. Verum nihilo firmiores effecti temporis illa vicissitudine etiam annua, videbamur per reliquam vitam omnem pedum juvamine, et spe simul augusta mysteria celebrandi excidisse, jamque huic necessitati lubentes obtemperabamus. Id porro solum est reliquum, ut disquiramus, semperne Sacra Communione simus reficiendi, aut vero Missa sit celebranda sedentibus?

IV. Lubentes Nos huic necessitati cessisse diximus; neque enim a DEO sive vitam, sive

infirmitatis ablationem petivimus, Sanctissimae ejus voluntati omni cordis plenitudine, et sinceritate subjecti, certi, ipsum et animae nostrae, et Ecclesiae, et Sedis Apostolicae curam habiturum, concesso etiam aliquo vitae spatio. Diximus praeterea tempus adesse, quo determinandum esset, peragendumne in consueta hucusque Sacrae Eucharistiae sumptione, an vero Missa esset celebranda sedentibus. Cum vero Salomon *Prov. cap.* 3. hortetur: *ne innitaris prudentiae tuae,* quae eadem verba in decretali *ne innitaris, de constitutionibus* laudata sic illustrat Jansenius in Proveruia: *vetat niti suae prudentiae, quod est sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum, et provisionem rerum necessariarum.* Similiter Salazar in eumdem Proverbiorum locum *n.* 26. cum S. Joan. Chrysostomo observat, hac lege teneri etiam senes quantumcumque rerum experientia praeditos, et quocumque prudentiae baculo suffultos: *Baculus, inquit Chrysostomus, senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiae, vel prudentiae propriae non inniti. Nam, si qui possent certo propriis consiliis, et prudentiae fidere, maxime senes, et grandaevi, propter experimentum, et canos. Ait ergo: ne prudentiae, quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectam perveneris, cum opus est baculo, ne tunc quidem tua prudentia, quasi baculo utaris:* Hinc est quod Nos adductis in utramque partem argumentis sive pro sumenda ulterius Communione, sive pro celebranda Missa sedendo militantibus, statuimus hanc nostram lucubrationem variorum pietate, et doctrina conspicuorum virorum trutinationi committere, ut secundum illorum judicia, quae agenda sint, constituamus. Æneas Sylvius Piccolominus, postea Pius II. in Pontificia dignitate dictus in epistola ad Martinum Mayer Moguntinensis Archiepiscopi Cancellarium data, et in ipsius Commentariis Romae 1584. edita necessitatem exponit, qua Pontifex alios consulere tenetur: *Papa etsi doctus, et sapiens est, non tamen tam verbo suo sapit, quam consilio assistentium; et deciperetur forsitan aliquando, nisi astarent viri sapientes qui multa noscant.* Magno nobis documento, qui nec sapientia, nec doctrina praecellimus, in negotio praesertim Nos ipsos concernente, in quo amor proprius Nos insigniter possit decipere absque aliorum prudenti consilio.

COMMENTATIO

Satiusne sit, sacram Communionem recipere, mere hactenus a Pontifice servato, an Missam celebrare sedendo.

V. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco quae recipiendam porro Communionem concernunt, omissa celebratione Missae a sedente perficienda, inde gradum facturi ad partem alteram, quae Communionis loco Missam a sedente celebrari permittit.

VI. Docet S. Thomas 2. 2. *quaest.* 93. *art.* 1. *Ad secundum:* justos ante legem interiori quopiam instinctu didicisse modum DEUM colendi, quem alii quoque fuerint imitati: *ante tempus Legis justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur.* Per Legem vero postmodum inducta fuisse praecepta externa, quibus ad ea perficienda, et instruebantur, et adstringebantur homines: *postmodum vero exterioribus praeceptis,* pergit angelicus Doctor, *circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est.*

VII. Abrogata postmodum per Christi adventum Mosaicae Legis observantia, et Evangelio promulgato, non quidem omnes ritus ad Sacramentorum administrationem, Missaeque celebrationem pertinentes ab Apostolis fuere instituti, sed eorum plerique ab Ecclesia praescripti, quod tamen minime evincit, quin omnes ad amussim sint observandi. *Suarez Tom.* 3. *in* 3. *part. D. Thomae quaest.* 83. *art.* 5. *disput.* 84. *sect.* 1. post relata S. Pauli Apostoli verba 1. *ad Corinth.* 14. *omnia secundum ordinem fiant in vobis:* inquit, adactam fuisse Ecclesiam ad constituendum ordinem stabilem circa res etiam minutissimas spectantes ad ritum administrandi Sacramenta, et Missae celebrandae: *et ideo oportet in his omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui:* si namque cujusque arbitratui id fuisse relictum, *multa indecore, et imprudenter fierent:* quid quod eadem apud omnes rituum ratio et Ecclesiae unitatem commendet, et intentam Pastorum sollicitudinem? *Haec uniformitas, quae in his omnibus servatur, ad splendorem officii Ecclesiastici spectat, et unitatem Ecclesiae commendat, et Pastorum ejus curam, ac sollicitudinem.*

VIII. Jam vero ut ad materiae nobis propositae fundum mittamus bolidem; Generales

regulae, quas rubricas dicunt, Romani Missalis *Tit.* 17. vetant sessionem in Missis privatis, quam tamen concedunt in solemnibus, dum *Kyrie*, *Gloria*, et *Credo* a Choro decantatur. Tridentinum vero Concilium *Sess.* 7. *de Sacramentis in genere can.* 13. omnem quantulamcumque mutationem rituum prohibet, et S. Pii V. Bulla Missali praefixa rubricarum observationem exigit omnimodam. Ex quibus perspicuum videtur, quod, si quis alio modo, quam sedendo celebrare missam nequeat, Communione *Laicorum more* contentus a celebratione abstinere teneatur.

IX. Quid vero, siquis ad sedentariae Missae celebrationem dispensetur? Verum, cum Rubricae sessionem prohibeant, videtur illa irreverentiam continere, quae dispensationis remedio non tollitur. Theophilus Raynaudus in opere inscripto: *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis expers. Tom.* 6. *pag.* 498. §. 4. *et seqq.* dilucide illam irreverentiam docet. Extat quoque opusculum S. Petri Damiani numero 39. editionis anni 1743., in quo Episcopum Bisuntinum hortatur ad arcendum a sua Dioecesi *opprobrium ignominiosae sessionis:* In Decreto etiam Gratiani gemini hanc in rem Canones adducuntur 57. videlicet, et 68. de Consecrat. dist. 1. primus ita habet: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad Missarum solemnia celebranda praesumat cum baculo introire.* Alter vero ita sonat; *Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, ut Sacerdotes, et ceteri omnes praesentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, et fideliter adorent.*

X. Neque sermo Nobis est de dispensatione ad celebrandam Missam a sedente, qui tamen Canonem stans absolvat, quod alias concessum scimus, sed agitur de integra Missa sedendo celebranda, cujus exemplum haud extare dicitur: Pasqualigus *de Sacrificio novae Legis Tom.* 1. *quaest.* 227. *quaerit: An sacerdos dum celebrat, sedere possit?* atque negative resolvens propter obstantem irreverentiam, ad Pontificiam dispensationem deflectens quaestionem, ait, illam non oportere concedi ad integram Missam: convenientius fore, si Sacerdos ob pedum debilitatem integram Missam absolvere nequeat intermisso tantisper continuo ordine, sedendo vires resumat. *Satius esset, quod potius interrumperet Missam, et sedens quiesceret ad recuperandas vires, quam sedendo celebraret.* Id quod fieri vidimus ab homine pio et docto Inquisitore Perusino, qui juxta tenorem obtentae dispensationis omne absolvendo Canoni tempus explere stando non poterat, pedibus officium suum denegantibus.

XI. Superflua forte videbuntur hactenus adducta contra Missam sedentariam, praesertim si de Canone pariter sermo instituatur; cum sessionis prohibitio non a Lege Naturae, aut DEI, sed positiva solummodo inducta sit: Pontifex autem Romanus omni positivo jure sit superior, facillime eidem derogando veniam facere poterit Missam omnem, ipsumque adeo Canonem sedendo absolvendi.

XII. At vero meminisse oportet, esse casus nullo aut naturae, aut Divino jure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam dispensare consuevit, quamvis soli positivae Legi derogaturus.

XIII. Non convenit inter Theologos, an matrimonium inter fratrem et sororem, jure naturali, Divino, vel humano prohibeatur: Certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Parisius, et Aversa solam juris positivi prohibitionem agnoscunt; neque tamen ullo probato testimonio evincitur, a quopiam Pontifice admissas fuisse preces fratris, et sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium: quae enim a Sanctae Sedis hostibus proferuntur exempla, falsa sunt. Institit equidem Henricus VIII. Angliae Rex vehementer apud Clementem VII. ut spurio ipsius filio Duci Richemundensi ducere liceret Mariam e legitimo Henrici, et Catharinae thoro prognatam, repulsam vero tulit illico; similiter dispensatio illa, cujus obtentu Dux Armeniacensis Sorori suae nupserat, subreptitia omnino erat, cum Calixtus III. constanter eam concedere recusaverit. Haec uberius relata, et comprobata reperies apud Rigantium *in Reg.* 49. *Cancellariae a num.* 13. *ad* 17. Nosque viri hujus mentionem honorificam eo facimus libentius, quod nostram, dum *in minoribus* essemus constituti, amicitiam peculiarem singularibus animi dotibus, et utilissimo illarum usu sibi vendicaverit.

XIV. Matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae jure tantum positivo interdicitur, asseritque Silvius magni nominis Theologus, Pontificem dispensare posse cum vitrico, et privigna; ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex causa etiam gravissima

dispensaverit in primo affinitatis gradu lineae rectae, prout ostensum a Nobis est *lib. 9. de Synodo Dioecesana cap. 13. num. 4. edit. noviss.*

XV. Impedimentum *criminis* secuta etiam conjugis occisione a positivo jure est stabilitum, quod patet ex Hebraica Lege matrimonium post copulam, et conjugis occisionem irritum non agnoscente: atque Ipsi probe meminimus, rejectam esse a Tribunali Sancti Officii, cui *in minoribus* a consiliis eramus, petitionem Judaei cujusdam *criminis* impedimentum Hebraeorum matrimoniis opponere volentis, si post conjugis occisionem fuissent contracta. Sane nemo Davidis cum Bethsabea matrimonium irritum credidit, quanquam adulterium praecesserit, et Uriae interfectio. Cum itaque matrimonium ejusmodi jure solum positivo prohibeatur, adeo difficulter dispensatio concedenda nec fuisset, nec esset, concurrente praesertim causa legitima, si generalis illa regula subsisteret, facile dispensari in prohibitis jure tantum positivo: neque tamen exemplo ullo constat, Pontificem dispensasse in impedimento hujusmodi publico. Videantur quae hanc in rem congessit Miglioruccius *in Institutionibus Canonicis ad lib. 2. tit. 14. in explicationibus ad num. 9. et 10. ubi conjugis occisio secuta sit, numquam dispensatur, non quia Pontifex non possit:* si impedimentum sit occultum, Major Poenitentiarius dispensat in matrimoniis tum contractis, tum contrahendis pro foro interno, commisso adulterio, sed *neutro machinante;* Verum si impedimentum oriatur ex adulterio, *utroque vel altero machinante,* sitque occultum, habet quidem Major Poenitentarius facultatem dispensandi, *raro tamen*, et semper pro foro tantum interno, his quoque servatis, ut gravis concurrat necessitas, aut grave immineat periculum, et casu in plena Congregatione, aut Poenitentiariae signatura proposito. Videatur Constitutio nostra XCV., *Pastor bonus Tom. 1. nostri Bullarii* §. 44.

XVI. Hactenus in medium allata abunde commostrant non temere pro regula statuendum, quod prohibitis Lege solum positiva, non vero naturali vel Divina, derogandi plena et non circumscripta sit Pontifici Romano libertas: imo exemplis adductis illud adjungi potest de Missa sedentaria una cum Canone celebranda: namque Missae hujus oppugnator concessionis similis memoriam haud extare contendit.

XVII. Neque dictis obest, quod dispensationis ejusmodi denegatio impediat magnum bonum, aedificationem nimirum populi ex Episcopi celebratione, qualicumque demum valeret modo, peracta, proventuram; namque aedificatio illa neutiquam obtinetur, cum dispensationes istae celebrandi sedendo, excepto tempore Canonis, clausulam contineant, ut Missa in privato Oratorio celebretur ad evitandam populi mirationem; atque cum bonum illud obtineri possit, praescindendo a motivo praemisso, non videtur illius consecutio quaerenda novitatis hujus in Ecclesiam intrusione; Episcopi siquidem pietas nutriri potest per Communionem *more Laicorum* sumptam, qui autem pro populo sacrificium offerat, substituere sibi potest Sacerdotem alium.

XVIII. Magnum beneficium est, si infirmo, quod petiit Sacrum Viaticum a Sacerdote porrigatur: Verum si nequidem una habeatur candela, si vestes sacrae desint, si alio profectus esset Sacerdos casum haud praevidens, clavesque tabernaculi secum ferens; tum enim vero infirmus Viatici Sacri munimine carebit quidem, docebitur tamen sufficere desiderium, et Sacramenti perceptionem *in spe,* cum nequiverit recipere *in re:* Similiter, et in Sacerdote sufficiet prompta ministrandi infirmo Viaticum voluntas, cum Missae celebratio absque luminibus aut sacris indumentis licita non sit, nequidem pro ministrando Viatico, juxta probatiorem opinionem, qua de re actum est in nostro Tractatu de SS. Missa *Tom. 2. Sect. 2. cap. 1. §. 3. edit. Ital. Sect. 2. num. 52. edit. Latinae.*

COMMENTATIO

De celebratione Missae etiam sub Canone a sedente, quin obligetur Sacerdos stare non valens ad recipiendam semper Communionem more Laicorum.

XIX. Asserens bene concedi licentiam, ut Sacerdos debilitate pressus sedendo Missam, ipsumque adeo Canonem absolvere possit, contendit, sessionem inter Divinas preces nec indecentem esse, nec opprobrio plenam. In Actis Apostolorum *cap. 2.* legimus, Divinum Spiritum descendisse super Apostolos in coenaculo sedentes: *et replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Ideoque Cardinalis Cajetanus in Acta

Apostolorum ita commentatur: *non horreo sessionem corporalem, cum nihil indecens inducat:* additque Navarrus in Manuali de Oratione *cap. 4. num.* 12. si tum corporis sedentarium non esse incongruum orantibus. Admittit quidem sedentariae Missae Patronus, indecens esse Missam celebrare a sedente; attamen causa legitima concurrente, puta pedum debilitate, nequidem Canonem stando perficiendum permittente, sufficiens motivum haberi ad concedendam sessionem per totam Missam, non quidem singulis, sed spectabilioribus, e Clero propter dignitatem suam Ecclesiasticam, multoque magis Episcopis ad celebrationem ex munere suo adstrictis. S. Petrus Damianus aversabatur vehementer sessionem in precibus, sub finem tamen praelaudati opusculi *cap. 4. pag.* 336. haec addit: *Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat.* Nec pacatior sessionis in orando osor Theophilus Raynaudus *loc. cit, pag.* 503. *col.* 1. ita habet: *Quis sedere coram Deo audeat injussu ejus? at abest Dei nutus, vel jussum de sibi assidendo, si absit aegritudo corporis sessionem deposcens; ea enim corporis imbecillitas Divinae indulgentiae ad sedendum concessae tessera est ex natura rei.* Cumque in Canone 134. Concilii Aquisgranensis legamus: *Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum, et psallendum est.* Eruditus Pater Haeftenus in doctis suis disquisitionibus monasticis. *Lib. 7. disquis. 1. pag.* 705. ita Canonem explicat: *Quod autem debilibus hic legimus baculum indulgeri, ceteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus in Philoth. cap. 24. postquam autem non permittebat senectus, ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei praestabat baculus, cui innixus Dominum et laudabat et orabat.*

XX. Et sane, si media omnia adhibentur, ut Sacerdos ad Missae celebrationem ineptus effectus, dispensationis remedio ad eam celebrandam reddatur idoneus; si conatus omnis intenditur, ut auferantur impedimenta Laicos a Sacramentorum perceptione arcentia: mirari nemo debet, si non solum aliquibus pedum debilitate laborantibus concedatur facultas Missae sedentariae Canone excepto: sed si dignioribus Ecclesiae Ministris Episcopis praesertim eadem pedum infirmitate oppressis permittatur sessio sub ipso quoque Canone, et Consecratione.

XXI. Si Parochus, aut Sacerdos alius videndi facultate privatus non sit, licentia ei conceditur celebrandi in festis solemnioribus, et duplicibus Missam votivam de Beatissima Virgine, diebus autem ferialibus Missam Defunctorum: multae vero clausulae huic concessioni adjiciuntur, illa praesertim, ut *non sit omnino caecus, nec recitet memoriter;* injungiturque Episcopis, ut si omnino caecus reddatur, omni celebrandi facultate privetur. Atque si Sacerdos caecus efficiatur post susceptum Presbyteratus ordinem, hic illum defectus non ordine ipso, sed ordinis executione privat, et quidem tantum quoad confectionem Eucharistiae, non item quoad alias functiones visum non exigentes, qualis esset confessionis auditio, praedicatio etc. prout optime observat S. Thomas 3. *part. quaest.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Non vero desunt exempla concessae caecis Episcopis licentiae Missam celebrandi. Aimonius sane refert in Actis Concilii Tricassini anno 878. habiti apud Baronium, et Natalem Alexandrum, Joannem VIII. in eodem Concilio ad instantiam Episcoporum Hincmaro Laudunensi caeco, nepoti Hincmari Rhemensis facultatem Sacris operandi fuisse elargitum. Sole quoque in 4. *Sentent. dist.* 9. *quaest.* 1. *art.* 2. testatur visum a se in Concilio Tridentino Episcopum caecum ex Pontificis dispensatione quotidie celebrantem. Cum Nos *in minoribus* munere fungeremur Secretarii Congregationis Concilii, mature discussa materia, excussisque Auctoribus allegatis a Nobis, in folio desuper confecto, *et tom. 4. Thesaur. Resol. Congreg. pag.* 101. *et seqq. edit.* Urbin Parocho Florentino caeco omnino, sed magnorum meritorum intuitu circumstantiarum variarum in ejus favorem concurrentium licentia concessa est Missam celebrandi sub assistentia alterius Sacerdotis; causa haec proposita est 2. Augusti 1727. et ejusdem anni, mensisque die 23. terminata. Neque recentiora desunt exempla similium concessionum.

XXII. Non est celebranda Missa operto capite. Canones id prohibentes adducti a nobis sunt *in Notificatione* 14. *Tom.* 2. *quae* 34. *est Latinae editionis* §. 2. *edit. Ital. Latinae vero Sect.* 1. *num.* 53. Inter alios vero Canones ad literam id habet Can. *Nullus Episcopus de Consecrat. dist.* 1. *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite*

Altario Dei assistere. Quidquid autem sit de eo, quod Vasquez *Tom.* 3. *in* 3. *part. Disput.* 232. *cap.* 4. refert, in Polonia Sacerdotes etiam Regulares in hyemè operto capite Missam dicere usque ad Consecrationem; consuevit dari licentia capite operto Missam legendi excepto Canone, si testentur Medici ex capitis nudatione sanitatis periculum imminere. Paulus V. concessisse legitur in aliquibus Orientis Ecclesiis Missas integras una cum Canone operto capite celebrari, cum iis in regionibus inurbana habeatur capitis denudatio. Raymundus *citat. Tom.* 6. *pagin.* 499. *columnam* 2. *et* Henaus *Tom.* 2. *de Sacrificio disputat.* 27. *section.* 2. *numer.* 10. admittunt, operto capite Missam, et Canonem dici posse, si alias timeatur saluti Sacerdotis, in regionibus praesertim frigidis. Ideoque Navarrus *lib.* 3. *de celebrat. Missarum, Consil.* 7. *num.* 5. *edit. Venet.* 1621. haec adfert: *Non desinunt Sacramenta Divina reverenter tractari, eo quod ex justa causa, et necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis, pileolo aliquo honesto caput tegatur.* Concordat Salmero *Tom.* 14. *in ep.* 1. *ad Corinth. cap.* 11. *disput.* 18. *pag.* 144. *edit. Colon.* 1614. *et Henaus cit. sect.* 2. *num.* 20. ita cum Arriaga concludit: *Non est censendum, Deum malle omitti Sacrificium, aut quod graviter Sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus.* Praeterea Sacerdotibus vetitum est deferre fictitia capillitia, prout liquet, ex documentis a Nobis congestis in Tractatu *de Synodo Dioecesana edit. novis. lib.* 11. *cap.* 9. maximeque ea prohibitio se extendit ad celebrationem Missae, attamen per speciem aliquam tolerantiae, ut Clericis concedatur etiam Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona, seu tonsura clericalis aperta semper maneat.

XXIII. Agendum jam est de modis excogitatis, quibus facilior redditur Laicis Sacramentorum perceptio, non obstantibus quibusdam difficultatibus. Notum cuique est, celebratam olim in mari Missam, quae sicca dicebatur, quaeque prohibita est; nunc autem facultas conceditur Missae verae celebrandae, si tamen navis secura sit, remota a littore, mare tranquillum, et praeter Sacerdotem celebrantem adsit Presbyter, aut Diaconus alius, qui exurgente forte quopiam motu calicis effusionem praevertat: singula videri possunt *Tom.* 2. *de Sacrificio Missae Sect.* 2. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 256. *edit. Ital. Latinae vero Sect.* 2. *num.* 49. *et seqq.* Atque ne prolixior sit oratio, indicare sufficiet, modum quoque adinventum esse ministrandi Sacram Eucharistiam infirmo, consecratam particulam deglutire non valenti, nec minus peste laboranti, quin Sacerdos ministrans eam contrahendi periculum subeat; quoad primum videatur in Tract. de Sacrificio Missae *Tom.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 6. §. 4. *edit. Ital. et Sect.* 2. *num.* 170. edit. Latinae. Secundum habetur in Tractatu de Synodo Dioecesana *edit. noviss. lib.* 13. *cap.* 19. *num.* 21. *et seqq.* Ex quibus omnibus confirmantur superius dicta, nimirum si omni ratione prospectum est Sacerdotibus simplicibus celebrare non valentibus: ut possint nihilominus Sacris operari: si omni possibili modo Laicis Sacramenta ministrantur, non debent accumulari, scrupuli et subtilitates ad arcendos Presbyteros in dignitatibus Ecclesiasticis constitutos, et Episcopos praesertim a celebranda Missa sedentaria, si debilitate pedum laborent: cum praecipuum Episcoporum officium sit, offerre Deo sacrificium pro populo curae suae concredito, et pro seipso.

XXIV. Id sane disertis verbis docet *S. Paulus Epist. ad Hebr. cap.* 5. *vers.* 1. *et seqq. Omnis namque Pontif. ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis: et in ejusd. epist. cap.* 8. *vers.* 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur.* Inde post prolixum sermonem in idem *caput* 5. concludit Joannes Gagneus: *Munus ergo assumti Pontificis est orare, et pro suis, et pro populi delictis sacrificia offerre, et agnoscere se peccatorem, atque ita populi peccatis condolere.* Gagneo assentiuntur Guilelmus Estius, Salmero, et Cornelius a Lapide in Commentariis in citatum *caput.* 5. Neque regerenda hic est superius allata objectio, cessare motivum aedificandi populum per celebrationem, cum haec perfici nequeat a sedente nisi in Cappella, aut Oratorio privato ad evitandam populi demirationem; neque enim populi aedificatio princeps causa celebrandi est, sed oblatio sacrificii pro populo, quae obtinetur aeque per celebrationem in Oratorio. Praeterea populus videns

Episcopum suum celebrare, quo potest, modo, sciensque sedentem celebrare ex concessione Pontificia, tantum abest, ut offendatur, quin potius aedificetur.

XXV. Bene omnia haberent, inquis, si prout exempla habentur concessae Episcopis licentiae, sedendo Missam celebrandi, illa ad Canonem quoque, adeoque ad totam, et integram Missam se extenderet; in hoc enim cardo rei vertitur. Antiquitatis sacrae monumenta evolventi occurrit S. Lucianus Martyr, qui in persecutione Maximiani fidelium eodem secum carcere detentorum desiderio Sacro Missae Sacrificio assistendi facturus satis, ipso Epiphaniae festo die in terram extensus, et pectore tanquam ara usus Sacris est operatus, prout videre est in Actis apud Bollandistas *Tom.* 1. *Januarii pag.* 361. *n.* 14. Theodoretus Cypri Episcopus in gratiam Sancti Eremicolae, qui Missae nunquam interfuerat, allatis in ipsius tugurium sacris vasis, manibus Diaconorum pro altari usus Sacram confecit Eucharistiam, prout ipsemet refert in Philotheo *cap.* 20. Uranius in epistola *de obitu Paulini* apud Bollandistas *Tom.* 4. *Juni pag.* 198. *n.* 2. testatur, quod cum ad decumbentem S. Paulinum Nolanum Episcopum alii duo Praesules inviserent, aegrotus licet cum illis Missam celebraverit erecta prope lectum ara: *Et quasi profecturus ad Dominum, jubet, sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi: scilicet ut una cum Sanctis Episcopis oblato sacrificio, animam suam Domino commendaret:* quod et factum indicatur *num.* 3. *Et cum haec omnia Sanctus Episcopus laeto, ac perfecto ordine celebrasset:* Neque, quod aliqui contendunt, illa Uranii verba de perceptione Sacrae Eucharistiae, non item de celebratione Missae intelligenda sunt, huic enim suffragantur Tillemontius *Tom.* 14. *in Actis S. Paulini art.* 52. *pag.* 139. *edit. Venet.* doctissimusque Pater Magister Orsi Magister Sacri Palatii Apostolici *Tom.* 12. *Hist. Eccles. lib.* 18. *num.* 76. *pag.* 375.

XXVI. Speciosa quidem sunt exempla superius allata, praesentique casui apprime conveniunt; verum antiqua sunt, et praecedentia tempus illud, quo in modernos ritus fuit reducta Missae forma. At vero S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus mortuus est sub initium Saeculi noni; Ignatius vero Episcopus Nicaenus, Tarasii discipulus et illius vitae scriptor videndus apud Baronium ad annum 806. et apud Bollandistas *Tom.* 3. *Februarii pag.* 586. *num.* 47. hunc in modum describit celebrationem Missae a Sancto Patriarcha graviter decumbente peractam: *Ingruens morbus, et valde gravem ei dolorem afferens, non persuasit, ut oblivisceretur perpetui, et Divini Officii. Nam et morbo, et senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterii celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens, et morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensae ligneae, quae ponebatur ante Aram Divinam, Sancta peragebat, infirmus videlicet:* quod est ventre, et pectore adniti tabulae, partemque corporis reliquam, pedibus sustentando. De S. Ivone Presbytero, et Parocho Britanniae Armoricensis anno 1303. defuncto legitur, quod pedibus insistere non valens hoc Missam celebraverit modo: *Fuit adeo infirmus, et debilis, quod se non poterat sustinere: imo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, et sic Missam celebravit in Cappella sua:* prout videre est *tom.* 4. Maji apud Bollandianos *pag.* 541. *A. num.* 17. atque testis *de visu* fatetur apud eosdem Bollandianos *loc. cit. pag.* 560. *C. n.* 65. Mauritius vero Gaufridus in prolixa descriptione vitae S. Ivonis *in cit. tom.* 4. *Bollandistarum pag.* 594. *A. cap.* 5. *num.* 59. rem omnem ita complectitur: *Erat autem adeo tunc infirmus, ut prae debilitate corporis nec induere, nec exuere per se sufficeret sacras vestes, sed nec alia pro Missa necessaria praeparare, ad Altare se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se juvare, nisi ab assistentibus Abbatibus Belliportus, et de Begar, et Archidiacono Trecorensi cum aliis praesentibus fuleiretur.*

XXVII. Propius jam ad scopum accedimus, sed cum disciplina illius aevi, cujus exempla in medium attulimus, necessitatem dispensationis Apostolicae ad Missae sedentariae celebrationem necdum induxerit, quae tam sapienter admodum est invecta, ne quisque infirmitatem sibi fingens sedendo celebrare augusta Mysteria auderet: adferemus porro exempla concessarum a Romanis Pontificibus dispensationum pro celebratione Missae a sedentibus, excepto tempore Canonis, de quo haud est controversia, sed de integra Missa a sedentibus celebrata, de qua in praesentiarum potissimum quaestio agitatur.

XXVIII. Joannes Renna Venetus factus 3. Novembris 1534. Episcopus Algeriensis, indeque anno 1538. die 13. Maji ad Sedem Pam-

pelonis Novae translatus varias a Paulo III. gratias petiit. Inter alia exposuit, se podagrae morbo omni propemodum membrorum usu esse privatum: *Diversis infirmitatibus podagrae detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus est:* ideoque Missam stando celebrare non valens, petiit facultatem Sacris operandi in sella eo confecta artificio, ut illi insidens, stare videretur: *Ac tibi, qui propter infirmitatem praedictam, Missam stando celebrare non vales, et zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, et alia, quae ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere . . tenore praesentium de speciali gratia indulgemus; proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, et scandalum non sequatur; et, si celebratione tua in artificio praedicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi non publice, sed privatim facias.* Breve Cardinalis Hieronymi Ghinuccii manu subscriptum reperitur, ille enim scripta roborandi munere fungebatur, prout Ciacconius *Tom.* 3. *pag.* 569. refert, adjectum quoque est nomen Secretarii Apostolici breviori nota signatum. Ipsum vero Breve habetur in schediis autographis Brevium Pauli III. in Archivio secreto *anni* 1538. *num.* 466. integrumque exhibebitur ad calcem hujus epistolae, ut cujusque judicium convincatur. Nos quidem mechanicarum rerum ignari sedis hujus, in qua sedens stare videbatur, examen haud instituemus: Id exinde deduxisse sufficiet, Paulum III. Episcopo Pampelonensi facultatem fecisse per omnem Missam sedendi, ne Canonis quidem, et Consecrationis tempore excepto.

XXIX. Pontifex Pius V. primo Pontificatus sui anno Francisco Ferrerio Cardinali tituli S. Agnetis ob podagrae molestias stando Sacris operari non valenti veniam fecit, ut in privata Capella sedens Sacram Liturgiam perageret: *Nos specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuae, seu Cappella tua privata, coram familiaribus, et domesticis tuis duntaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apostolica tenore praesentium, licentiam concedimus, et facultatem.* Schediasma autographum firmatum manu Reverendissimi Caesaris Glorierii senioris Brevium Secretarii, in Archivio secreto inter diagrammata archetypa S. Pii V. *anni* 1566. *num.* 572. asservatur. Hoc quoque Breve integrum subjiciemus, tum ut cuique innotescat, tum, ut levitatis convincantur asserentes, rei cujuspiam exemplum non extare, quod ipsi illud ignorent; ex quo fit, ut dum talium assertionum facilitas laboris molestiam in alios transfert, ipsis grave accidat, si quae existere negaverant, in lucem protrahantur.

NARRATIO.

Factorum Romanum Pontificem attingentium, quorum notitia necessaria videretur praesentem quaestionem dijudicaturo.

XXX. Supervacanea videri potuerunt, quae deinceps in medium erimus allaturi, si enim Summus Pontifex aliis impedimento laborantibus facultatem elargitur Missam celebrandi sedendo, mirarine subibit, si eadem ex causa eadem ipse utatur oeconomia? At vero universim loquendo non videtur Pontificiae dignitati convenire usus licentiae aliis concessae. Hinc ut dispiciatur, an indecens sit a Pontifice sedente Missam celebrari, disquirendum, fuerintne Pontifices, qui omnem Missae celebrationem sedentes perfecerint. Haud equidem magni Nobis moliminis haec res est, cum concessuri bonae memoriae Cardinali de Rohan podagra impedito licentiam celebrandi Missam sedendo excepto Canone, et Consecratione, omnia ad id argumentum facientia solicite conquisierimus. Neque jam illa congerere valeremus, tum senii onere gravati, et ab aegritudinis molestiis nondum plene liberi; tum vero maxime carentes libris Nobis longo usu notissimis, quos cum omni nostra bibliotheca selecta Instituto Bononiensi dedimus: quanto vero et laboris, et temporis, cujus penuria laboramus, impendio illa in libris, quibus necdum assuevimus, inquireremus?

XXXI. Honorius IV. anno 1285. in Pontificem electus, Diaconus erat, utique Presbyterio, et Episcopatu primum insigniendus.

Historiographi infirmitatis habitu adfectum testantur: Martinus e Minorum coetu in *Floribus Temporum*, Joannes Vitoduranus, Andreas Ratisbonensis, et Hermannus Cornerus in suis Chronicis apud Joan. Georg. Eccardum *in corpore Historico medii aevi tom. 1. pag.* 1631. *pag.* 1758. *pag.* 2088. *et tom. 2. pag.* 936. Affirmant alii Honorium ea pedum debilitate laborasse, ut nequidem incedere potuerit: Riccobaldus Ferrariensis *in Historia Romanorum Pontificum ad annum* 1285. *in tom. 9. Rerum Ital. Script. pag.* 182. Alii, ea chyragrae, podagraeque vehementia afflictabatur, ut digitum digito jungere nequiret, teste Muratorio *Annalium Italiae tom. 7. pag.* 460. Missam sine instrumentorum quorundam adminiculo celebrare haud valebat. Ptolomeus Lucensis *lib. 24. Hist. Eccles. cap. 3. in tom. 11. Rer. Ital. Script. pag.* 1191. Raynaldus *ad annum* 1285. *num. 14.* Fleuryus *tom. 18. Hist. Eccles. pag.* 371. *et in vita ejusdem Pontificis* Ciacconius *tom. 2. pag.* 246. Burius, Pagius, *tom. 3. pag.* 455. *num. 3.* auctor vitae Pontificum Hagae Comitum editae *tom. 3. pag.* 289. Porro instrumenta quibus ad perficiendam celebrationem utebatur, describit P. Franciscus Pipinus ex Ordine Praedicatorum in Chronica *lib. 4. cap.* 22. *Pedibus erat ita aegrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum jungere non posset; immo etiam carne superexcrescente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, et quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum;* videri cuncta possunt *cit. tom. 9. Rer. Ital. Script. pag.* 727.

XXXII. In Commentariis Pii II. anno 1458. ad Pontificatum evecti, post prolixam narrationem institutae supplicationis in translatione Capitis S. Andreae Apostoli ex Achaia eidem Pontifici dono missi, haec adduntur: *Die Sabbathi, quae fuit Aprilis 17. celebrato grandi Officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis, in Ecclesia Principis Apostolorum sese rem Divinam facturum, portaturumque eo Sacrum Andreae Caput, ut iterum, atque iterum videretur, quod ex altari Beati Petri abductum, in Palatio clauserat. Res nova, et inspe-rata fuit. Nam propter aegritudines et absentiam Pontificis ante quatuor annos, non viderant Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Praesul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.*

XXXIII. Pius III. in Pontificem anno 1503. electus nonnisi Diaconus erat, atque lethali ulcere impediebatur, ne pedibus posset insistere. Sedens itaque Sacerdotio est initiatus a Cardinali Tituli S. Petri in Vinculis 30. Septembris, 4. vero Octobris ejusdem anni Episcopus consecratus, octavo postea die diademate Pontificio insignitus sedens Missam Pontificalem celebravit in Basilica Vaticana. Omne id habetur libro ultimo ephemeridum Joannis Burcardi Ceremoniarum Sacrarum Magistri *pag.* 56. 58. *et* 59. quem codicem Bibliotheca habebat Cardinalis Silvii Valentis nostri quondam Status Secretari, jam vero tenet Reverendissimus Ludovicus Valenti ipsius Nepos:

ANNO MDIII.

Die Veneris 29. Septembris ordinavi sedem pro Papa, in qua sedens cruribus extensis ordinaretur, et celebraret, et mensam longam pro Altari, ut pedes subtus extendi possent.

Die Sabbathi . . . Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam . . . accessit in Planeta ad Papam in illa sede ordinata ad omnia sedentem etc.

Die Dominica 8. Octobris, S. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua per totum officium non descendit. Sed in ea post introitum Ecclesiae . . . accepit in ea Pallium, et portatus in ea super solium, deinde in ea celebravit.

XXXIV. Dum Romanus Pontifex solemniter celebrat, peracta ad Altare consecratione, ad solium suum reversus, recipit Sacram Eucharistiam sub speciebus panis, et vini stans, neque sedendo communicat prout per errorem scripserunt aliqui, viderique id potest *Tom. 2. Tract. nostri de Sacrificio Missae sect. 1. cap. 20. §. 1. edit. Ital. Latinae vero sect. 1. num.* 339. In caeremoniali autem libro Cappellae Papalis liberum est Summo Pontifici porrigendi Sacram Communionem Cardinalibus Diaconis, aliisque solio assistentibus sedendo; qua Nos libertate usi sumus numquam, Augustissimum Sacramentum stando semper distribuentes. Electi Pontificis in Episcopum consecrandi scapulis a Cardinalibus consecrante Evangeliorum liber, capitique

manus imponuntur, inde caput, manusque Sacro Chrismate inunguntur, Pontifice interea semper sedente. Similiter si electus Pontifex Subdiaconatu, Diaconatu, aut Presbyteratu esset insigniendus, Episcopus Cardinalis Subdiaconatus Ordinem ei collaturus *Sedenti calicem vacuum cum patena, et urceolos cum vino, et aqua, bucale, et manutergium*, librumque Epistolarum porrigit. In collatione Diaconatus Cardinalis ordinans stans Pontificis sedentis capiti manum imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum:* sedentique Pontifici aptat paramenta; et porrigit librum Evangeliorum. Tandem in collatione Sacerdotii sedens Pontifex manuum impositionem, Olei sancti, quod Cathecumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino et aqua, atque patenam cum hostia, recipit. Quae omnia luculenter ostendunt, haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque eo ipso Missam totam a sedente posse celebrari, praesertim si pedibus debilitatis insistere non valeat.

XXXV. Atque haec sunt, quae in hac epistola exponenda duximus, eorumque disquisitioni proponenda, quorum consilia expectamus, priusquam, quid agendum, decernamus. Et si quidem sedentes Missam celebrare statuamus, tuum erit, praeparare mensam Altaris cum consecrato lapide, imagine Salvatoris cruci affixi, luminaribus, aliisque ad Sacra peragenda necessariis; vacuumque subtus Altare spatium relinquetur extendendis pedibus idoneum. Confidentes singula dexteritate tua singulari perficienda, Apostolicam tibi Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 11. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

PAULUS PP. III.

VENERABILI FRATRI

JOANNI EPISCOPO PAMPILONEN.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Cupientes commodis tuis, qui diversis infirmitatibus podagrae detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es, Limina Apostolorum Petri et Pauli visitare personaliter de triennio in triennium commode, ut jurasti, non vales, providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut, tua vita durante, per Procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum dicta Limina visitando, ad ea aliter visitandum minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam compelli possis; ac tibi, qui propter infirmitatem praedictam, Missam stando celebrare non vales, et zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio, sedis per te facto, in quo sedendo stare videaris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, et alia, quae ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere; et Horas Canonicas, diurnas, et nocturnas, cum uno, vel duobus Capellanis juxta ordinem Romanae Curiae per dilectos filios nostros Cardinalem Sanctae Crucis, vel alios antiquitus institutum, prout tibi placuerit, libere et licite dicere, ac easdem Horas anteponere, et postponere, et cumulative unico contextu recitare sine scrupulo conscientiae libere et licite possis et valeas, tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, proviso: quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, et scandalum non sequatur; et, si celebratione tua in artificio praedicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi, non publice, sed privatim facias. Non obstantibus Apostolicis in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum in Domo Sanctae crucis extra muros Nicen. sub Annulo Piscatoris VI. Junii MDXXXIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Hieronymus Card. Ghinuccius
Fab. Vigil.

PIUS PP. V.

DILECTO FILIO NOSTRO

PETRO FRANCISCO

Tituli Sanctae Agnetis in Agone

PRESBYTERO CARDINALI FERRERIO VOCATO.

Dilecte Fili noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Eximia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor illustravit Altissimus,

promerentur; ut votis tuis, praesertim quae ex devotionis fervore prodire dignoscuntur, benigno annuamus affectu. Cum itaque, sicut Nobis nuper exposuisti, tu adeo frequenter gravibus tui corporis indispositionibus et praesertim podagra, quae te assidue impeditum tenet, laborare solitus sis, ut quando devotionis tuae causa Missam celebrare desideras, quoniam pedibus stare non potes, id facere nullo modo valeas; quare Nobis humiliter supplicasti, ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuae, seu Cappella tua privata, coram familiaribus et domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas auctoritate Apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDLXVI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Caesar Glorierius.

Jam cuncta congesseramus, quae ad celebrationem Missae sedendo, etiam Canonis, et Consecrationis tempore, spectare videbantur, jamque iis, quorum desuper consilium opperiebamur, erant mittenda, cum Altissimi Providentia nova nos infirmitate probare est dignata; in rem itaque, et ad formandum plenius judicium fore judicavimus, si quae Nobis acciderunt, subjungeremus.

Dies erat 14. Mensis Octobris, cum vehemens nos aggressa est dysuria in mixtam sanguine distillationem degenerans; Medicum ea res multum non movit quidem, Nobis vero timor exinde proviens febrem attraxit: cui obviam itum phlebotomia, et corticis Peruviani sumptione; neque exciderat Nobis tum gravis nostra senectus, et illud *Psalmi* 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: et amplius eorum labor, et dolor.* Quo innuitur: *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; id est, tempus vitae nostrae in seipso conclusum, et definitum, non transcendit ultra septuaginta annos;* in robustioribus autem ad octuaginta annos exsurgit: *et in robustioribus usque ad octoginta.* Quod vero octoginta annos excedit, infirmitatibus plenum est, et doloribus, prout Nobis contingit: *et si quid ultra erit, erit labor, et dolor, aetas videlicet infirma, et variis malis, et aerumnis obnoxia.* Verba sunt Venerabilis Bellarmini in eumdem Psalmum.

Sed resumendum narrationis filum: urina naturali colori restituta, sanguinis apparentiam omnem exclusit, Nosque tam quoad capitis vivacitatem, quam quoad laborandi facultatem restituti sumus in eum statum, quo ante assultum praedictum fruebamur, unum si excipias, necessitatem nimirum extrahendi urinam ope syringae, si ultra duas horas cum dimidia omitteremus, ingenti Nos dolori subjiceret.

Cum itaque intra temporis hujusmodi intercapedinem commode satis Missae Sacrificium absolvi possit, quisque desuper in consilium vocatus libere mentem pandet suam, deceatne Missam totam una cum Canone sedendo celebrare, an vero secus. Id, ut grave nemini accidat, rogantes, id sibi molestiae sumentibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XXVIII. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI II.

DIVINA PROVIDENTIA

BENEDICTI PP. XIV.

LITERÆ APOSTOLICÆ

QUIBUS

Nummularii, seu Campsores Civitatis Ferrarien., a tertio, ad secundum ordinem Consiliariorum dictae Civitatis transferuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Quamvis a Majoribus pleraque sint consulte sapienterque pro temporum conditione statu-

ta; complura tamen inveniuntur, quae propter immutatam diuturno aetatum curriculo rerum faciem, reformatione aliqua, vel etiam emendatione indigere noscuntur. Quod ubi in iis maxime legibus et ordinationibus deprehendi contingat, quae publicorum munerum administrationem, simulque communem privatorum hominum utilitatem concernunt; nihil est in quo Principis cura laudabilius exerceri valeat, quam ut Praedecessorum leges, et antiqua Statuta, praesenti Reipublicae statui, ac Subditorum commodis studeat attemperare.

Sane exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum modernorum Nummulariorum, seu Campsorum Civitatis Nostrae Ferrariensis petitio continebat, quod alias, felicis recordationis, Clemens Papa VIII. Praedecessor Noster, ut rectum illius Civitatis Regimen constitueret, per suas Literas sub Annulo Piscatoris datas Ferrariae die xv. Junii Anni Domini MDXCVIII. Pontificatus Sui Anno septimo, unum Consilium Centum Virorum, de triennio in triennium renovandum, et immutandum, Apostolica auctoritate, sub certis modo, et forma tunc expressis, perpetuo erexit, et instituit; ipsumque Consilium universam Civitatem, et Communitatem Ferrariensem repraesentare voluit, et statuit: pro renovatione vero dicti Consilii de triennio in triennium facienda, nec non occurrente quomodolibet infra triennium alicujus loci vacatione, vigintiseptem Consiliariorum primi Ordinis electionem, Sibi et Successoribus suis Romanis pontificibus perpetuo reservavit; Aliorum vero Quinquagintaquinque Secundi Ordinis, ipsimet Concilio, ac reliquorum Octodecim Consiliariorum respective electionem, sex Universitatibus, ut infra nuncupatis, nempe Artistarum Serici, Drapperiorum, Merciariorum, Nummulariorum, Aromatariorum, ac Fabrorum, et Aurificum insimul, in perpetuum pariter concessit, opportunasque superaddidit ordinationes, ad rectam Instituti hujusmodi Consilii directionem, ac moderationem asserendam; prout in dictis Literis plenius continetur.

Cum autem sicut, eadem petitio subjungebat, etsi pro illorum temporum conditione nummulariae negotiationis exercitium inter praefatas artes non immerito forsan adscribi, et recenseri potuerit, nihilominus successivis temporibus, et potissimum hac nostra aetate, adaucto ubique commercio, et honestioribus quibusque viris ejusmodi institutum amplectentibus, cum alibi, tum praesertim in dicta Ferrariensi Civitate, nummulariam exercentes, longe ampliorem sibi existimationem supra alias praememoratas artes comparaverint: Ideo pro parte dictorum Nummulariorum, seu Campsorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in eorum decoris honestatisque complementum, ipsiusque commercii profectum, tam ipsos exponentes, quam alios pro tempore in dicta Civitate Nummulariam exercentes, e tertio, ad secundum praefati Consilii ordinem perpetuo transferre dignaremur.

Nos igitur attendentes, quam aequum sit, opportunumque ad Commercium in Civitatibus, et Provinciis fovendum, ampliandumque, Personas in ipsum diligenter, honesteque incumbentes congruis honoribus non fraudari, et Pontificiae munificentiae favoribus attolli; ac etiam inhaerentes Constitutioni felicis etiam recordationis Clementis Papae X. Praedecessoris pariter Nostri, per quam Nobilibus quoque Personis in tota Pontificia temporali Ditione expresse permissum fuit, ut absque Nobilitatis laesione, mercaturis, negotiationibus, et commerciis vacare possint; dictorum Nummulariorum, seu Campsorum, quamvis Nobilitatis gradu, et juribus nequaquam gaudentium, votis in hac parte annuere, eisque specialem gratiam facere volentes, eosque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, de consilio etiam Dilecti Filii Nostri, Joannis Francisci Sancti Adriani S. R. E. Diaconi Cardinalis Bancherii nuncupati, Nostri, et Sedis Apostolicae in Civitate, et Provincia Ferrarien. Legati, nunc existentis, audito quoque desuper Dilecto pariter Filio Marchione Francisco Calcagnini moderno Judice Sapientum, ejusdem Civitatis Nostrae Ferrarien. hujusmodi supplicationibus inclinati: Omnes, et singulos Campsores in Civitate Ferrarien. praedicta, Domi suae nummulariam, et Cambia honeste exercentes, vulgo Bancherios nuncupatos, a dicto tertio Ordine, seu a tertia Classe Consiliariorum ad secundum Or-

dinem, seu secundam Classem eorumdem Consiliariorum, ita ut deinceps ipsi Campsores inter Quinquagintaquinque dicti secundi Ordinis, seu secundae Classis Consiliarios, servata tamen in reliquis omnibus dicti Clementis Praedecessoris Constitutione praedicta, eligi, et respective subrogari libere, et licite possint, et valeant; Apostolica auctoritate, harum serie perpetuo transferimus et elevamus, ac transferri, et elevari volumus, et mandamus.

Ne autem propter hoc minuatur numerus Octodecim Consiliariorum Tertii Ordinis, in primodicti Clementis Praedecessoris Literis praefinitus, et respective numerus artium, ex quibus, et a quibus iidem Octodecim Consiliarii assumi, atque eligi debent, per easdem praesentes, statuimus, volumus, et mandamus, ut duae Fabrorum et Aurificum Universitates, quae hactenus pro una tantummodo Arte ad praemissum effectum, ex praescripto earumdem Literarum habebantur, in posterum, rescisso hujusmodi communionis vinculo, duae Artes reipsa sint, et censeantur, ad eumdem effectum, videlicet, ut unaquaeque ex illis seorsim, et separatim jus habeat eligendi tres viros, ex propriae artis gremio, in tertiam Consiliariorum Classem, servato in reliquis earumdem Literarum tenore, referendos, et cooptandos.

Decernentes, easdem praesentes, et in ea contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis forsan interesse habentes, seu habere praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa de necessitate juris vel facti exprimenda, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci posse: sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, dictisque Campsoribus, seu Nummulariis pro tempore existentibus in Civitate praedicta, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari debere.

Sicque, et non alias in praemissis, per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Vicelegatos, caeterosque quoslibet, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praedictis primodicti Clementis Praedecessoris Literis, aliisque quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Civitatis Ferrarien. praedictae, illiusque Communitatis, et Hominum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, eidem Civitati, vel illius Communitati, et Hominibus, aut aliis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio et ex certa scientia, et potestatis plenitudine, ac Consistorialiter per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros vel alias quomodolibet, in contrarium praemissorum forsan concessis, confirmatis, et approbatis, ac pluries innovatis: Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliquo alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad praemissorum effectum, specialiter, et expresse, ac plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrae absolutionis, translationis, elevationis, statuti, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo, Septingentesimo, Quinquagesimo septimo,

Octavo Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

N. Sub-Datarius.

Pro D. Card. Passionco
Joannes Florius Substitutus.

Visa

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

III. BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Particulari Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium a Nobis Deputata, super octo Dubiis vertentibus inter Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Limanum ex una, et Dilectos Filios Presbyteros Seculares Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limanae ex altera Partibus, Resolutio tenoris sequentis, videlicet. Limana, — Die Veneris xxx. Decembris MDCCLVII. in Ædibus Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Sacripantes Vitutii, habita fuit Congregatio Particularis, a Sanctissimo Deputata, ejusdem Eminentissimi Domini, atque Eminentissimorum, et Reverendissimorum Dominorum de Matthaeis, et Argenvellieres, in Causa Limana inter Venerabilem Congregationem Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limae, et Reverendum Dominum Promotorem Fiscalem Curiae Archiepiscopalis ejusdem Civitatis; et in ea fuerunt proposita, et discussa sequentia Dubia. I. An Congregatio sit omnimode subjecta Reverendissimo Archiepiscopo, in modo, forma, assumptis, et materiis? II. An Congregatio teneatur tradere Archiepiscopo visitanti, quatuor Libros, quos juxta constitutiones debent habere Patres Oratorii; nec non Libros, seu Indices Archivii, et Bibliothecae, et Inventarium supellectilium Ecclesiae? III. An asserta Exemptio ab exhibitione praedictorum Librorum cesset, dum Archiepiscopus uti Apostolicus Delegatus visitet? IV. An interiores OEconomiae Congregationis, quoad Expensas, et Computa, necnon Electiones praepositorum, Nominationes, Admissiones, et Expulsiones Presbyterorum, sint subordinatae directioni Archiepiscopi? V. An casu quo Congregatio Oratorii de Urbe, necnon aliae Congregationes, sint a praedictis exemptae: idem ferri debeat Judicium de Congregatione Limana, cujus Praesbyteri a Fundatione usque ad praesens, sunt valde pauci, vivuntque, et aluntur, non tam ex proprio Patrimonio, quam ex Bonis relictis in commune Congregationi; et ex emolumentis Ecclesiae Hospitalis, pro funeribus, Missis Capellaniarum, Confraternitatum, et ex aliis causis? VI. An destinatio Procuratoris pro Curia Matriti, aut Romae, fieri a Congregatione debeat, cum interventu Archiepiscopi, sitque Is certiorandus de Causis ipsius destinationis, valeatque eas improbare? VII. An Archiepiscopus sit Judex competens in Causa Nullitatis Electionis ad Praeposituram, et Promotor Fiscalis de ea Jure agere valeat; prout etiam, pro Observantia omnium Constitutionum? VIII. An Adimplementum Capellaniarum, aliorumque Piorum Operum existentium in Congregatione, et Ecclesia Hospitalis, pertineat ad internum Regimen, itaut sit extra Visitationem Archiepiscopi, in casu etc. Eisdemque Dubiis responsum fuit. Ad primum. Affirmative; exceptis ejus Instituto, sive iis, de quibus loquuntur Constitutiones Congregationis. Ad secundum. Negative, exceptis Inventario Supellectilium Ecclesiæ, necnon eorumdem Visitatione. Ad Tertium. Non esse locum in praemissis, Juri Delegato. Ad Quartum. Negative, in omnibus. Ad Quintum. Affirmative in omnibus. Ad Sextum. Negative in omnibus. Ad Septimum. Affirmative quo ad primam partem; quo vero ad secundam, Promotorem Fiscalem agere non posse ex Officio, et nullo ex Sacerdotibus Congregationis instante pro Nullitate Electionis; quo ad tertiam, negative. Ad octavum. Negative, servata tamen quo ad Ecclesiam Hospitalis Dispositione Brevis Sanctissimi Domini Nostri Tertia Augusti MDCCLVII. Factaque per me infrascriptum, Relatione Sanctitati Suae omnium, et singularum supradictorum Resolutionum in Audientia habita die VIII. Januarii MDCCLVIII. eas dignatus est in omnibus approbare, mandavitque desuper expediri Literas Apostolicas in forma Brevis. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Palatio nostrae solitae Habitationis hac die nona Mensis Januarii MDCCLVIII. C. M. Cardinalis Sacripantes Vitutii. Loco † Sigilli. Cum autem sicut dicti Presbyteri Saecu-

lares Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Resolutionem hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae Patrocinio communiri, summopere desiderent. Nos igitur ipsos Exponentes, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares Personas, a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a Jure, vel ab Homine quavis occasione, vel Causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; praeinsertam Resolutionem a memoratis Cardinalibus, ut praefertur, super dictis Dubiis captam, Auctoritate Apostolicâ, tenore Praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos Juris, et Facti defectus, si qui desuper forsan intervenerint, supplemus, et sanamus. Decernentes easdem praesentes Literas, firmas, validas, et efficaces, existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his, a quoquam, quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Januarii MDCCLVIII. Pont. nostri An. Decimo octavo.

Pro Domino Card. Passionco.

Joannes Florius Substitutus.

Loco ✠ Sigilli.

IV. BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Vincentius de Amil Feixoo, Presbyter Secularis, ac Procurator in Romana Curia Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Congregationis Limanae; quod tam ipsa Congregatio Limana, quam aliae Valentina, Hispalensis, Biacensis in Dioecesi Giennen., et Cochensis, aliaeque in Ditionibus Charissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici existentes, ita sunt institutae, ut Alumni in illis recipi, seu admitti minime possint nisi annuas praestationes, aut alias certas, et idoneas facultates, certosque annuos reditus habeant, quarum titulo ad Sacros Ordines suo tempore promoveri valeant. Cum autem sicut eadem Expositio subjungebat non omnes Sacro Presbyteratus Ordini adscribi cupientes, tantum Patrimonii habeant, ut de proprio vivere queant, necessitati vero Congregationis Limanae hujusmodi numerum Sacerdotum in ea existentium minime congruens reperiatur, et defectus iste sensibilior, seu verius perniciosior existat, etenim in ea satis novi Orbis perampla Civitate abundant quidem Fideles, at non minor est Paganorum, aut de recenti ad Fidem reductorum frequentia, unde sequitur, ut illius Sacerdotes, etsi, numero tredecim, praeter Laicos, extremos impendant labores, pares minime sunt spiritualibus Populi necessitatibus; debent namque excipere Christifidelium Confessiones magnae devotorum multitudinis, qui quotidie ad eorum Ecclesiam ad id conveniunt: quotidie quoque Verbum Dei, et Catholicae Legis Praecepta docent, et praedicant; occurrunt etiam quacumque hora invitentur, ut auxilium, et assistentiam praestent in supremo Agone constitutis; et demum famulantur, et subveniunt Pauperibus Sacerdotibus Infirmis se recipientibus in Hospitali, cujus cura, et administratio eisdem credita, et demandata existit; ac proinde, dictus Vincentius ad augendam Dei Gloriam, et ipsius Instituti incrementum, animarumque salutem promovendam, Superioribus earumdem Congregationum facultatem excipiendi singulis annis in memoratas Congregationes, seu Domos octo, vel sex ad minus idoneos, viros caeteris qualitatibus praeditos, licet rerum temporalium inopes, quive ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines ad Titulum Missionis, et Mensae Communis per Ordinarios Locorum promoveri possint, sibi a Nobis concedi plurimum desideret. Nos igitur ipsius Vincentii Votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabi-

liter annuere volentes, eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a Jure, vel ab Homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut ex Alumnis memoratae Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limae, quos Divino Cultui promovendo, et Animarum saluti procurandae, juxta datam tibi a Domino Prudentiam aptiores, et sincera mente alacriores deprehenderis, singulis annis aliquot ad Titulum Missionis, et Mensae Communis ad Sacram Ordinationem admittere, eosque ad omnes etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promovere libere, et licite pro tuo arbitrio, et Prudentia Auctoritate Nostra Apostolica possis, et valeas, quotquot scilicet re ipsa ad suprascriptas enunciatas causas, et indigentias, necessarios in Domino judicaveris; ita tamen, ut si hujusmodi Promoti ad Titulum Missionis, vel Mensae Communis, a praedicta Congregatione quandocumque discesserint, vel dimissi fuerint, Suspensionem a Divinis ipso facto incurrant, eo usque duraturam, donec sufficiens Beneficium Ecclesiasticum in Titulum, seu Ecclesiasticam Pensionem obtinuerint, vel Patrimonium Sacrum a Te, seu pro tempore existente Archiepiscopo Limano approbandum, sibi constituerint, absque eo quod Congregatio praedicta, ullius praestationis onere gravetur, plenam, et amplam facultatem eadem Auctoritate tribuimus, et impertimur. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel Specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus; ac dictae Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenore praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad praemissorum effectuum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Januarii MDCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Pro D. Cardinali Passionco.

Joannes Florius Substitutus.

Loco ✠ Sigilli.

DAMNATIO, ET PROHIBITIO V.

Operis, cui Titulus: *Storia del Popolo di Dio, dalla Nascita del Messia, sino alla fine della Sinagoga etc. Parte Seconda: con Raccolta di Dissertazioni, et in fine la Difesa della medesima seconda parte etc.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Cum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indici Librorum prohibitorum, et expurgandorum praepositam nonnullis ab hinc annis denuntiatum fuisset Opus Gallico Idiomate conscriptum, hoc Titulo — *Histoire du Peuple de Dieu, depuis la naissance du Messie, jusqu' a la fin de la Sinagogue;* Hujusmodi Opus maturo examini subjectum, et consequenter proscriptum fuit, Decreto edito die XVII. Aprilis Anni MDCCLV., et a Nobis ipsis confirmato. Sed quum nihilominus aliquis repertus fuerit, qui nimia audacia illud ipsum Opus in Italicam linguam conversum Typis edere non dubitavit *sequenti titulo: Storia del Popolo di Dio dalla Nascita del Messia, sino alla fine della Sinagoga, tratta da soli Libri Santi dal Padre Isacco Giuseppe Berruyer della Compagnia di Gesù: Seconda Parte: tradotta dal Francese da un Religioso della medesima Compagnia; in Venezia MDCCLVI. nella Stamperia Remondini*, adjectis ad calcem versionis hujusmodi non solum Mantissa *Dissertationum* ab Auctore latine conscriptarum, sed etiam, Apologia ipsius operis, cujus Titulus et — *Difesa della seconda parte della Storia del Popolo di Dio del Padre Ber-*

ruyer ; tradotta dal Francese etc. Vix dici potest, quantum inde offensionis, et scandali conceperint boni, ac Deum timentes cujusque gradus, et conditionis homines, quorum justas ea de re querelas ad Apostolatum Nostrum delatas debita consideratione pensantes, ne officio Nostro deesse videremur, adacti sumus committere Venerabilibus Fratribus Nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus adversus haereticam pravitatem auctoritate Apostolica deputatis, ut ad iteratum, ac rigorosum examen revocarent tum ipsum opus Gallice editum, tum ipsius versionem in Linguam Italicam, etiamsi dubitari nequeat, quin Opus uno aliquo Idiomate primitus editum, atque ita proscriptum, quacumque alia Lingua postmodum exhiberi contingat, eadem proscriptione notatum intelligatur, tum demum Collectionem illam Dissertationum Operi adjectarum, et Apologiam Italicae versioni, ut praefertur subjectam. Ut itaque mandatis Nostris fieret satis, convenientibus primum inter se Theologis ad novum examen deputatis, iisque in pluribus sessionibus ea de re habitis, rem omnem diligenter scrutantibus, et ponderantibus, suasque sententias, et scripto, et voce pandentibus, visum est, Opus praefatum, sive Gallico, sive Italico, sive alio quocumque Idiomate conscriptum, translatum, atque editum una cum praedictis Dissertationibus et Apologia prohibendum esse tanquam continens propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, faventes haeresi, atque haeresi proximas, communique et unanimi Sanctorum Patrum et Ecclesiae consensui in Divinarum Scripturarum interpretatione minime congruentes. Post censuram Theologorum, ut supra, deputatorum delata res est ad secundodictam Congregationem Generalium Inquisitorum, et coram Nobis habitam die XXIX. Decembris elapsi Anni MDCCLVII. in qua, quum judicium eorumdem Cardinalium Inquisitorum relatae Consultorum Sententiae omnino conforme fuerit; Nos demum, lectis atque perpensis dictorum Theologorum Consultationibus scripto, exaratis, auditisque eorumdem Cardinalium consiliis, per has Nostras Apostolicas Literas saepedictum Opus tam Gallico, quam Italico, aliove quolibet Idiomate conscriptum, translatum, aut Typis impressum nec non Dissertationes, et Apologiam superius enuntiatas, propterea quod in illo, et in illis continentur Propositiones respective falsae, temerariae, scandalosae, faventes haeresi, atque haeresi proximae, et a communi, et unanimi Sanctorum Patrum et Ecclesiae sensu in divinarum Scripturarum interpretatione alienae, damnamus, et reprobamus, ipsumque Librum legi, retineri, et quocumque Idiomate denuo Typis imprimi prohibemus; Mandantes omnibus et singulis Christifidelibus, qui ejusmodi Librum penes se habuerint, seu in quorum manus subinde pervenerit, ut illum, statim ac praesentes Literae eis innotuerint, haereticae pravitatis Inquisitoribus, seu eorum Vicariis, ubi Inquisitores peculiares adsint, alioquin Episcopis, seu ordinariis locorum, tradere, et consignare teneantur, sub poena excommunicationis majoris, quoad personas Seculares, quo vero ad personas Ecclesiasticas etiam Regulares, hujusmodi mandato Nostro non obedientes, et contrafacientes sub poena suspensionis a Divinis ipso facto absque alia declaratione, incurrendis; quarum absolutionem, et respective relaxationem Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus reservamus; excepto dumtaxat, quoad excommunicationem praedictam uniuscujusque mortis articulo; quo nimirum Confessarius quilibet ab hujusmodi censura, ut praefertur, incursa absolvere poterit. Ut autem eaedem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui; sic vero publicatas omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent: ipsarum autem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem

sub Annulo Piscatoris die XVII. Februarii MDCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

D. Card. Passioneus.

EPISTOLA

R. P. ANTONII TAVEIRA

ARCHIEPISCOPI GOANI

AD

SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

BENEDICTUM PAPA XIV.

ET SANCTITATIS SUÆ

AD EUMDEM

RESPONSIO

SANCTISSIME PATER AC DOMINE

Angustiis, quibus acriter tribulor, circumseptus, ob aliquarum ovium mihi concreditarum a recto tramite secessum, operae pretium duxi Tibi, Sanctissime Domine, tanquam omnium potentissimo Patri, has preces humiliter effundere, ut ea pietate commotus, qua sedulo uteris erga omnes, remedium praebeas opportunum, quo ab hac animi afflictatione reddar indemnis, illasque in viam veritatis reducam, atque damna instantia, ac futura penitus avertantur.

Cum hanc Goanam Dioecesim Dei, et Apostolicae Sedis gratia regere coepi, magna judicialis movebatur contentio circa cujusdam matrimonii validitatem. Nam, licet inter illud contrahentes nonnisi impedimentum impediens ex sponsalibus cum alio antecedenter contractis ortum extaret, attamen, solemnitatibus Tridentini spretis, non coram proprio Parocho cujuslibet contrahentium contractum fuerat, sed coram uno ex Apostolicis Viris, quos Missionarios appellamus, qui ad aliquos fideles instruendos in infidelium loco, vulgo Sunda, limitibus hujus Dioecesis vicino commorabatur, ad quem dolose se transtulerunt, dicentes, se velle ibi novum domicilium constituere; sed, contracto matrimonio, statim ad patriam convolarunt. Hoc idem in loco, vulgo Quittur, qui ultra hujus Dioecesis fines intra unam, aut duas dietas ad plurimum distat, non semel postea inter impedimenta dirimentia habentes similiter contigit.

Ratio, cur aliquibus videtur, matrimonia, in his, similibusque locis contracta, valida esse judicanda, impedimentis dirimentibus seclusis, in eo fundatur, quia in illis Tridentini dispositio non viget, cum ibi publicatum non fuerit, nec receptum, quapropter, ad dicta loca extendendum non esse, asserere non dubitant, ex plurium sententia cum Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disput.* 18. *quaest.* 4. *a num.* 27. qui acriter pro validitate pugnat. Hoc autem in Indiis Orientalibus, praecipue in hac Dioecesi, cum sit proxima praedictis locis, nullatenus servandum est, ne illicitis, ac peccaminosis conjunctionibus locum praebeat, prout experientia docet.

Igitur ad sedandas controversias, malaque ex similibus matrimoniis orta obviandà, opus esse mihi videtur, Sanctitatem tuam, meis precibus inclinatam, declarare, nulla esse talia matrimonia; prout olim declaratum fuit a Sacra Congregatione Cardinalium, approbante Sanctissimo Domino Urbano VIII. 14. Augusti 1621. ad istantiam Archiepiscopi Coloniensis, ut refert Schmalzgrueber *lib. 4. Decretal. tit.* 3. *num.* 112. Aperte tamen constituendum est, incolas hujusmodi Dioecesis ad talia, et similia infidelium loca, etiam cum animo mutandi domicilia migrantes, ad matrimonia contrahenda admittendos non esse per Missionarios, nisi cum Ordinarii licentia secundum Dioecesis consuetudinem obtenta, praecedentibus tribus denuntiationibus in propriis Ecclesiis, atque in iis, quarum domicilia reliquerint, solum enim tunc similia peccata cessabunt.

Die 14. Januarii 1749. indulgentia Oratoria privata concedendi per decennium Antecessori meo per Tuam Sanctitatem benigne permissa fuit. Eamdemmet gratiam humiliter exposco, consequique spero, cum causae finales illius concessionis adhuc vigeant. Nam ea deficiente, quamplurimi Nobiles praeceptum audiendi Sacrum certe non adimplebunt, tam ob distantiam a propriis Parochialibus Ecclesiis, quam ob paupertatem qua laborant. Pro his, et aliis beneficiis Deo gratias agam, enixe de-

precans, Te per plures annos ad Ecclesiae utilitatem incolumem servare. Goa 16. Decembris 1754.

Antonius Taveira Archiepiscopus Goanus primas Orientalis.

VENERABILI FRATRI

ANTONIO

ARCHIEPISCOPO GOANO.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Paucis ab hinc hebdomadis Fraternitatis Tuae literas accepimus, die 16. Decembris 1754. datas, nescientes usque adhuc, quaenam diuturnae hujus morae fuerit causa. Exposuisti autem in iis, quod, cum receptum fuerit in Dioecesi tua Tridentinum Concilium, servatur adamussim ibidem sanctio illa, quae nulla declarat matrimonia, quae sine praesentia Parochi sponsi, vel sponsae, et sine duobus testibus celebrantur. Cum vero Dioecesi tuae finitimus sit locus quidam, Sunda vocatus, ubi nonnulli Missionarii Sacerdotes inhabitant ad regionis incolas ad Fidem Catholicam pertrahendos, edocendosque, contigit aliquando, atque nunc etiam contingit, ut quispiam difficultates praenoscens, quae matrimonium fortassis impedirent, quotiescumque in tua Dioecesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque Sundam pergit, ubi neque receptum, neque promulgatum fuit Concilium Tridentinum, ibique matrimonium coram Missionario contrahit, ac subinde regrediens ad Dioecesim tuam, validum esse contendit, eo quia matrimonium non alibi nullum esse reputatur, praeterquam iis in locis, in quibus Concilii Decretum receptum, ac promulgatum fuit. Haec est quaestio, de qua Nos interrogasti, ut normam praefiniremus, quacum in ejusmodi matrimoniis gerere te oporteat. Quamvis autem ob longaevam, quin immo decrepitam aetatem, quam agimus, Nos a laboribus excusare liceret, eosdemque aliis committere, ultima Nobis definitione servata; nihilosecius, cum Divinae placuerit Majestati sanam Nobis, ac integram mentem servare, etsi, praeter senium, binae gravissimae infirmitates, quas perpessi sumus, Nos eo perduxerint, ut sacro Viatico, et extrema Olei unctione semel, ac iterum muniremur, petitionibus tuis recta responsum dare non omittemus, cum ob experientiam, quam in ejusmodi controversiis nacti fuimus, ut videre est in nostra Ecclesiastica Institutione, in lucem edita, dum in Archiepiscopali Bononiensi Cathedra sedebamus, quae est *la* 33. Latinae editionis *sub num.* 9. tum vero etiam ob munus exercitum pluribus annis a Secretis Congregationis Tridentini Concilii, dum in minoribus agebamus, ubi similia negotia tractantur.

In integra Decretali Alexandri III. nostri Praedecessoris, sexta sub titulo *de homicidio*, quae in Collectione Decretalium, quae utimur in scholis et foro, non integra est, sed decurtata, sequentia leguntur verba, quae nostrae favent intentioni: *Sicut dignum, et omni rationi consentaneum est, graves, et difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri: ita etiam nobis ex ministerio susceptae solicitudinis imminet easdem quaestiones, prout nobis Dominus dederit, solvere, et singulis a nobis consilium postulantibus respondere: ut providentia Romanae Ecclesiae, quae ubique terrarum obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones solvantur, et removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licet autem super quaestionibus, quas nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum, et circumspectum existere; cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio, juxta discretionem, et providentiam nostram, tibi exinde respondere.*

Thomas Sanchez, qui quidem, nemo ignorat, qualem sibi famam conciliaverit in controversiis ad matrimonium spectantibus, quaestionem hanc agitat in suo Opere *de Matrimonio lib.* 3. *disp.* 17. *et seq.* ubi *sub num.* 29. defendit validum matrimonium initum in loco, ubi promulgatum non fuerit Tridentinum Concilium, quamvis ille, qui contrahit, domicilium habeat in loco, ubi Concilium receptum est, indeque discesserit, ut eas difficultates aufugeret, in quas inciderat, vel incidere se posse rebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur, intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem, ubi quis jure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco, in quo receptum

fuit Concilium, transire ad alium, ubi non sit receptum; vel, etiamsi fraus intercessisse credatur, ejusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum matrimonium efficere. Pontius, qui non tam facile Sanchesii opinionibus adhaeret, in hac tamen eidem consentit; ut videri potest *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 9. Et Diana *in coordinata editione tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 116. *et* 117. Sanchesio, et Pontio subscribit. Ejusdem sententiae sunt Bonacina *de Matrimonio quaest.* 2. *punct.* 7. *num.* 2. *tom.* 1. Castropalaus *part.* 5. *disput.* 2. *de Sponsal. punct.* 13. §. 8. *num.* 4. Leander *part.* 2. *tract.* 9. *de Matrimonii Sacramento disp.* 7. *quaest.* 11. Filiucius *tract.* 10. *de Matrimonio part.* 1. *cap.* 6. *num.* 199. Rosignolus *de Matrimonio* 1. *contract.* 15. *praenot.* 21. *num.* 8.

Ne vero plus quam par est sermonem protrahamus in aliorum Doctorum, atque Theologorum nominibus cumulandis, tantummodo innuemus, non deesse, qui contrariam sententiam tueatur, docealque, nullum esse matrimonium ab eo contractum, qui ad evitandas difficultates, in quas incidit, vel incidere se posse veretur, si matrimonium ineat in loco domicilii, ubi viget Tridentina lex, transit ad alium, ubi promulgata non fuit, adeoque neutiquam recepta, et post initum matrimonium, domum suam revertitur: qua de re observari poterunt Gobat *in Theologia experimentali tract.* 9. *num.* 481. Cardinalis de Lauraea *de Matrimonio disp.* 22. *num.* 138. *et seqq.* Clericatus *de Sacramento Matrimonii decis.* 35. *num.* 24. Giribaldus *tract.* 10. *de Matrimonio cap.* 7. *num.* 22. Sbogar *in Theologia radicali tract.* 116. *de Matrimonio num.* 52. Schmalzgrueber *ad tit. de clandestina desponsatione num.* 112. Pichler *in eumdem titulum num.* 14. Bockhn *ad tit. de Constitutionibus* §. 3. *num.* 4. Elbel *in Theologia Morali part.* 3. *num.* 301. *et seq.* Pontas *verb. Impedimentum clandestinatis, cas.* 3. §. *Ceterum ad casum*. Et ipse Diana, qui secutus fuerat in locis supra memoratis Sanchesii, et Pontii sententias, *in eadem editione coordinata tom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 74. ab iisdem recedit, ut hanc postremam amplectatur. Sylvius vero *tom.* 5. *Operum suorum edit. Antuerpien. anni* 1698. inter varias resolutiones *verb. Matrimonium num.* 8. sapienter animadvertens, matrimonium esse validum, si quis, admissa etiam fraude, patriam suam deserens, ubi Tridentinum Concilium promulgatum fuit, illud contrahit in loco, ubi non est promulgatum, postquam tamen ibidem novum quasi domicilium acquisierit; ex eo infert, nullum esse matrimonium, quotiescumque ille, qui contrahit, regreditur illico ad locum unde discessit, quin speciem quandam domicilii adeptus fuerit in loco, ubi matrimonium contraxit.

Sedente fel. rec. Urbano VIII. Pontifice Maximo, Archiepiscopus Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congregatione Concilii: *Quaeritur humiliter a Sacra Congregatione, an incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, et acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine Parocho, et testibus contrahere.*

Secundo, Quid, si eo praedicti incolae tam masculi, quam foeminae, solo animo sine Parocho, et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.

Tertio, Quid, si iidem incolae tam masculi, quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, et testibus contrahant.

Hoc autem Congregatio dedit responsum *Die* 5. *Septembris* 1626. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum, et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, et transeuntes cum fraude.*

Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.

Institerunt postmodum Archiepiscopi Coloniensis Procuratores, ut Congregationis responsum Pontificio Brevi confirmaretur, siquidem Archiepiscopus Elector cupiebat illud Dioecesanae Synodo, quam habiturus mox erat, adnectere. Petitioni Urbanus VIII. indulsit, jussitque expediri Breve; cujus prima perscriptio authographa, ab eodem subscripta, reperitur inter ejusdem Brevia anni 1627. *pag.* Summa vero ejusdem ita se habet: *Confirmatio resolutionis nonnullorum dubiorum super contrahendis matrimoniis a Sacra Congregatione Concilii emanatae: est juxta ejusdem Congregationis decretum*. Hujus vero definitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur, matrimonia primo, ac secundo loco exposita, irrita ac nulla ab eadem Congregatione decerni, eo quia fraus intercessit; validum autem

censeri matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercesserit, nihilominus is, qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, domicilium, seu quasi domicilium adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit: *Nisi domicilium vere transferatur*. Siquidem novum non est, neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi domicilium adipiscatur in alio: in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, matrimonium contrahere coram illo Parocho, intra cujus Paroeciae fines tunc inhabitat, cum matrimonio jungitur, juxta communem sententiam, a Nobis relatam, sancitamque in superius memorata Institutione nostra Ecclesiastica *la* 33. Latinae editionis.

Firmiter ejusmodi principiis semper adhaesit eadem Congregatio, quotiescumque materiae hujus discutiendae se se dedit occasio: etenim in quadam *Abulen.* proposita sub die prima Decembris 1640. *lib.* 16. *Decretor. pag.* 470. *a terg. et pag.* 471. ita respondit; *Sacra etc. censuit, non valere matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi*. Dum in minoribus fungeremur munere a Secretis Congregationis ejusdem, irritum ac nullum pariter declaratum fuit matrimonium ab eo contractum, qui, ut declinaret difficultates, quas proprius Parochus objiciebat, ad alium locum transierat, atque connubium fecerat coram Parocho ejus loci, a quo postmodum, contracto matrimonio, statim discesserat, ut ad pristini domicilii locum rediret; uti videri potest in *Lauretana* proposita, ac definita die 13. Julii 1725. *tom.* 3. *Thesauri Resolutionum Congregationis edit. Urbinaten. de anno* 1739. *pag.* 185. Ex-adverso eadem Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum, qui discesserat a loco proprii domicilii, ut difficultates aufugeret, in quas offendisset, si matrimonium coram ejusdem loci Parocho inire voluisset, atque illud inierat coram Parocho alterius loci, postquam tamen legitimum ibidem quasi domicilium adeptus fuerat, eodemque in loco, etiam post matrimonium contractum, ad aliquod tempus permanserat: quae definitio lata fuit die 20. Februarii 1723. in *Caesenaten. seu Forolivien. Matrimonii*, quemadmodum videre est *tom.* 2. *supradicti Thesauri Resol. pag.* 274. *et seq.* ubi alias quoque similes observare licebit, quas tum diligenter collegimus. Demum, ne prolixior evadat oratio, in celebri *Leopolien. Matrimonii*, proposita sub die 9. Junii 1725. Congregatio principia eadem ad amussim retinuit, quemadmodum legere fas est *tom.* 3. *Thesauri ejusdem pag.* 161. quibus pariter in eadem causa omnimode institerat Rota Romana *in decisione* 1298. *tom.* 6. coram honorabilis memoriae Lancetta Rotae Decano, et Sacrae Poenitentiariae Regente.

Exposita Congregationis sententia, operae pretium erit modo referre quid Urbanus VIII. pro illius confirmatione peregerit. Equidem innuimus, jam tum ab eodem Pontifice roboratam fuisse Pontificio Diplomate: cujus cognitio cum temporis decursu ad spectabilis memoriae Cardinalium Joannem de Lugo pervenisset, curavit is, exhiberi sibi ab Administris Coloniensis Archiepiscopi authenticum Brevis exemplum; quod cum obtinuisset, Operibus suis adnexum typis edidit *lib.* 1. *dub.* 36. *Respons. Moral.* Id ipsum quoque alii fecerunt Scriptores a Nobis collecti in superius memorata Ecclesiastica Institutione 33. Latinae editionis; atque hoc ipsum Breve nuperrime in lucem vulgatum reperitur *in Bibliotheca Canonica* P. Ferraris: adeo ut ex sententia communiter hodie recepta, atque observata, nullum atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii Parochi, coram Parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille, qui contrahit, antequam matrimonio jungatur, legitimum domicilium, vel quasi domicilium revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur Salmanticenses *in cursu Theologiae Moralis tom.* 2. *tract.* 9. *de Matrimonio cap.* 8. *punct.* 2. *num.* 31.

Mittimus interea Fraternitati Tuae Urbani VIII. Breve, quod Apostolicae auctoritatis robore confirmamus, jubentes una simul, ut confirmationis nostrae documentum asservetur in Actis Congregationis Concilii, atque in nostro secretiori Vaticano Tabulario, quemadmodum Fraternitas Tua sub finem hujus nostrae Epistolae animadvertere poterit; tibique propterea, tuisque successoribus mandamus observantiam, et implementum ejusmodi Brevis in ista Dioecesi, ubi frequenter ejusmodi quaestiones incidunt, quibus per idem Breve opportune prospicitur: atque hoc pacto satisfecisse Nos arbitramur petitioni, quam pro-

posuisti in epistola diei 18. Decembris 1754. ubi normam, quam sequereris, commonstrari tibi cupiebas, si contingant, uti paulo ante dicebamus, matrimonia eorum, qui ad evitandas difficultates, in quas vel offenderant, vel offensuri erant, si matrimonium in tua Dioecesi celebravissent, transeunt ad finitimum locum, in quo coram aliquo Missionario matrimonium contrahunt, deinde vero ad eam regionem, ubi verum domicilium habent, reverteruntur.

Post haec, necessarium fore censemus nonnihil adjungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum *in Cap. Significat, de Parochiis*, ubi, earumdem contextu perpenso, haec habet *sub num.* 39. *Vir, et Mulier Trajectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent; sacra Congregatio, consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis; dandam esse decisionem pro validitate.* Natalis Alexander *in Theologia Dogmatica et Morali lib.* 2. *de Sacrament. Matrim. cap.* 2. *art.* 2. *regul.* 6. animadvertit, ad acquirendum quasi domicilium, oportere, ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti jam sint, atque perspecti. Dubitari autem posset, num ad quasi domicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum, cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis Auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.

Quod vero mox sequitur, respicit matrimonium initum alio in loco, ubi jam contrahentes quasi domicilium adepti fuerunt, ac proinde illud ipsum, quod prosequebatur epistola Fraternitatis Tuae. Verum de hoc sermonem habere nequimus, nisi prius a proposito paulisper digredientes, quidquam opportune praemittamus. Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis Antistes, qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae Dioeceseos Paroeciis matrimonia, priusquam inirentur; ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum nullum subesset: atque inde denuntiationum manavit exordium, quae tum *Bannum* nuncupatae fuerunt. A Dioecesi Parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit; uti colligitur ex rescripto Innocentii III. ad Episcopum Beluacensem *in Cap. Cum in tua de Sponsal. et Matrim.* Idem Innocentius in Concilio Lateranensi quarto ad universam Ecclesiam ejusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est *in Cap. Cum inhibitio, de clandestina desponsatione*. Atque sacra Tridentina Synodus *sess.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 1. Lateranensis Concilii vestigiis inhaerendo, id ipsum praecepit. Quamvis vero denuntiationes ad matrimonii validitatem nentiquam pertineant, adeo ut matrimonium, iisdem omissis, celebratum, illicitum quidem sit, sed tamen validum, non idcirco denuntiationum omissio gravi caret culpa, neque propterea negligi impune queunt in Paroeciis, in quibus contrahentes inhabitant; quod si velint matrimonium extra Dioecesim, quam incolunt, celebrare, tenetur is, qui matrimonio interest, exigere prius, ut denuntiationes factae jam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis sit alterius Dioecesis, ad hoc ut tuto interesse possit matrimonio, quod in sua Dioecesi celebratur. Observetur Concilium Aquense anni 1585. a Sixto V. Pontifice Maximo confirmatum, sicuti etiam Rituale Romanum. Quod si vetustiora monumenta prae manibus sumere opus esset, in secunda Collectione Decretalium *Cap. primo de clandestina desponsatione*, reperitur Decretalis Alexandri III. relata etiam per Gonzalez *in Cap. Cum inhibitio, sub num.* 10. *de clandestina desponsatione*, ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei, qui matrimonio interest in sua Dioecesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab episcopo loci, ubi contrahentes inhabitant, praevium denuntiationum edictum; unde ap-

pareat, nullum inter eosdem impedimentum obsistere.

Constat igitur, presbyterum Missionarium, coram quo matrimonia, de quibus sermo est, Sundae celebrantur, iisdem interesse neutiquam debere, nisi prius exhibeantur sibi denuntiationum edicta promulgata in tua Dioecesi, ubi contrahentes domicilium habent, e quibus pateat, nullum inter eosdem impedimentum reperiri. Quod si missionarius objiciat, Tridentinum Concilium Sundae promulgatum non esse, tum fac ipse, ut bene percipiat, quod, si onus ejusmodi repetere, ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest, quin illud fateatur, ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. Postquam vero, qui Sundae matrimonio juncti fuere, ad Dioecesim tuam redierint, si Fraternitas Tua jusserit fieri tum denuntiationes, ut pateat, num inter eosdem impedimentum ullum intersit, non tam muneri tuo satisfacies, verum, sic agendo, paulatim e medio tolles pravum nonnullorum morem adeundi Sundam, ut matrimonio copulentur, ob metum difficultatum, in quas inciderent, si tua in Dioecesi, ubi domicilium habent, nubere voluissent.

Decretum sacri Tridentini Concilii, quo clandestina matrimonia irrita ac nulla declarantur, illud ipsum est, de quo plusquam de ceteris aliis in sacro illo conventu disceptatum fuisse legitur, propter diversas Patrum sententias: quemadmodum testatur Cardinalis Pallavicinus *in Historia Concilii lib.* 22. *cap.* 4. atque idem referunt P. Joannes Stoz. *in succincta Relatione de gestis in Concilio Trid. sess.* 4. *art.* 24. §. 10. *punct.* 1. *num.* 548. Ernestus Salomon Cyprianus in libro, cui titulus *Tabularium Ecclesiae Romanae seculi* XVI. *num.* 159. *et num.* 180. et Mutius Calinus, Jaderensis Archiepiscopus, in epistola diei 11. Novembris 1563. ad Cardinalem Aloysium Cornelium Camerarium, cui quidquid in Concilio eveniret, feliciter referebat, ut ex manuscripto ejusdem epistolarum Codice.

Dubitabatur primo utrum Ecclesia abrogare posset clandestina conjugia, propterea quod legitimus contractus, materia insimul, ac forma est Sacramenti matrimonii; mutua nempe, ac legitima corporum traditio, verbis, ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus, materia, et mutua pariter, ac legitima corporum acceptatio, forma: ex quo nonnulli arguebant, quod, legitima traditione, et acceptatione simul conjunctis, subest materia, ac forma, quae non ab alio immutari potest, praeterquam ab eo, qui divinae gratiae est auctor, quae per Sacramenta confertur: verum, reponentibus aliis, Ecclesiam posse conditionem quamdam praescribere, quae prius non aderat, sine qua contractus in posterum neque legitimus, neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima, neque valida traditio, et acceptatio corporum, id satis erat, ut clandestina matrimonia irrita fieri possent, quod quidem potestatis Ecclesiasticae limites non excedit. Desumitur responsum hoc ex doctrina S. Thomae Aquinatis. *Quodlibet* 5. *quaest.* 8. *art.* 15. *Ad primum.* Non destitit quidam scriptor Paulus Sarpius *in Historia Concilii Tridentini*, quin contradicentium partes amplecteretur: veruntamen tanta est vis veritatis, ut Petrus Franciscus Courayer, qui Sarpium quacumque sequitur, hoc tamen loco eum deserat, atque impugnet, uti observari potest in adnotationibus ad eamdem Historiam Concilii *lib.* 8. §. 86. *num.* 88. *et seq.* et praesertim *n.* 90.

Asserta Ecclesiae potestate, alia successit dubitatio, num scilicet legitimae intercederent causae ad clandestina conjugia, quae secundum Canones erant dumtaxat illicita, ut infertur ex Canone *Aliter*, aliisque subsequentibus, quorum unus incipit *Nullus*, alter *Nostrates*, *quaest.* 1. *caus.* 30. nulla in posterum decernenda. Verum, cum demonstratum fuerit, ex clandestinis conjugiis frequenter evenire, ut qui uxorem duxerat, eam derelinqueret, atque superinduceret alteram, quodque interdum nonnulli uxorem habentes ad Sacros Ordines ascenderent, et una cum uxore Ecclesiastica Beneficia retinerent, quibus gravissimis malis Ecclesiastici Judices mederi nequibant, cum matrimonii contracti necessariae probationes deessent, hoc satis superque valuit ad evincendam necessitatem infringendi clandestina connubia, ut colligitur ex litera ipsius Conciliarii Decreti, advertitque sagaciter Natalis Alexander *in Theologia Dogmatica et Morali de Sacrament. Matrim. lib.* 2. *c.* 2. *art.* 2. *proposit.* 1.

Injiciebat scrupulum aliis consideratio illa, ne scilicet clandestinis conjugiis abrogatis, iis nempe, quae sine Parocho viri, aut mulieris celebrantur — *hujusmodi contractus irritos, et*

nullos esse decernit, prout eos in praesenti Decreto irritos, facit, et annullat — sunt verba Concilii, posset id exasperare graviter haereticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla, et consequenter illegitima soboles, quoniam coram Catholico Parocho ac binis testibus nunquam celebrata fuissent. Verum, Concilii Patribus sapienter in hunc modum statuentibus — *Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis, in eadem Parochia factae, numerandos* — sicuti credibile non erat, Decretum ejusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur, quod eorum matrimonia sine praesentia Parochi, et duorum testium facta, irrita nunquam dici potuissent: ut prosequitur Cardinalis Pallavicinus *loco citato cap.* 8.

Tandem cum praevideretur, facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini Decreti in qualibet Paroecia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num executioni demandata fuisset praescripta Conciliaris Decreti promulgatio, numque propterea vim suam obtinere deberet, approbante Pontifice Maximo, sancitum fuit a Congregatione Concilii, ad eamdem promulgationem comprobandam, sufficere diuturnam observantiam ejusdem Conciliaris Decreti, cujus publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonia in Paroeciis coram Parocho, ac duobus testibus celebrata fuerunt: ut videre est in *Tricarien.* 26. Septembris 1602. *lib.* 10. *Decretorum*, quae existunt in Secretario ejusdem Congregationis *pag.* 47. et in quadam *Poloniae* 13. Novembris 1638. *lib.* 16. *Decretorum eorumdem pag.* 117. atque Nos ipsi observavimus in Opere nostro *de Synodo Dioecesana* novissimae editionis *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 6.

Fatemur autem, postrema haec, quae respiciunt Decretum abrogans clandestina conjugia, materiam quidem, non sic vero propositam quaestionem attingere. Verum, cum in epistola tua summam diligentiam perspexerimus, ingratum Fraternitati tuae neutiquam fore arbitrati sumus, si haec omnia oculis tuis enucleate subjicierentur. Quod si nonnulla capita hucusque prosecuti sumus ad materiam potius, quam ad petitionem, spectantia, Epistolam nostram eo cum responso concludimus, quod, non materiam, sed aliam petitionem tuam pertingit. Cum igitur tuis in literis mentionem facias de facultate praedecessori tuo ad decennium tributa, concedendi nempe Oratoria privata debitis cum cautelis, spectato videlicet loci decore, et personarum merito, atque insimul postules, eamdem tibi facultatem largiri, lubenter annuimus ad annos decem, eo prorsus modo, quo illam praedecessori tuo fuimus impertiti. Atque interea Fraternitatem Tuam amantissime complectentes, tibi, ac universo gregi sollicitudini tuae concredito Apostolicam Benedictionem de plenitudine cordis largimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem 19. Martii MDCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

DECRETUM

BENEDICTUS PAPA XIV.

Cum Venerabilis Frater Archiepiscopus Goanus Apostolatum nostrum consulendum censuerit super quibusdam dubiis respicientibus validitatem matrimoniorum, quae aliquando a fidelibus illius Civitatis, aut Dioecesis oriundis, contrahuntur extra ipsius jurisdictionis fines, non servata forma a sacro Tridentino Concilio statuta, propterea quod ejusdem Concilii Decretum *de Reformatione Matrimonii* in illius Dioecesi finitimis numquam promulgatum rite fuerit; Nos quidem ad proposita dubia per Epistolam nostram eidem Archiepiscopo directam prolixius respondere non detrectavimus; eamque in rem, inter alia, usi sumus auctoritate quarumdam Literarum felic. record. Praedecessoris nostri Urbani PP. VIII. quae cum a privatis Scriptoribus relatae dumtaxat legantur, sed neque communibus Bullariis hactenus insertae, nec alia solemni ratione publicatae reperiantur, Nos earumdem tenorem, cum authenticis hujus Apostolicae Sedis regestis collatum, subjicimus, qui talis est, videlicet.

URBANUS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

» *Exponi Nobis fecit Venerabilis Frater Archie-*
» *piscopus Coloniensis, quod habito nuper per*

» *eum ad Venerabiles Fratres nostros S. R. E.* » *Cardinales, sacri Concilii Tridentini Inter-* » *pretes, recursu super infrascriptis dubiis, vi-* » *delicet: Primo, An incolae tam masculi, quam* » *foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum* » *in puncto matrimonii est promulgatum, tran-* » *seuntes per locum, in quo dictum Concilium* » *non est promulgatum, retinentes idem domici-* » *lium, valide possint in isto loco matrimonium* » *sine Parocho, et testibus contrahere? Secundo,* » *Quid, si eo praedicti incolae tam masculi,* » *quam foeminae, solo animo sine Parocho, et* » *testibus contrahendi se transferant, habitatio-* » *nem non mutantes? Tertio, Quid, si iidem* » *incolae tam masculi, quam foeminae, eo trans-* » *ferant habitationem illo solo animo, ut absque* » *Parocho, et testibus contrahant? Iidem Cardi-* » *nales ad primum, et secundum, non esse legi-* » *timum matrimonium inter sic se transferen-* » *tes, ac transeuntes cum fraude: ad tertium* » *vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere* » *transferatur, matrimonium esse validum, re-* » *sponderunt, et resolverunt, prout in Decreto* » *desuper emanato plenius continetur. Cum au-* » *tem, sicuti eadem expositio subjungebat, dic-* » *tus Archiepiscopus responsum, seu dubiorum* » *praedictorum resolutionem hujusmodi, pro il-* » *lius subsistentia firmiori, Apostolicae nostrae* » *confirmationis robore communiri summopere* » *desideret; Nos eumdem Archiepiscopum specia-* » *libus favoribus, et gratiis prosequi volentes,* » *supplicationibus illius nomine Nobis super hoc* » *humiliter porrectis inclinati, responsum, seu* » *dubiorum praedictorum, resolutionem hujus-* » *modi auctoritate Apostolica tenore praesentium* » *approbamus, et confirmamus, illisque invio-* » *labilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus:* » *decernentes, illud, seu illam, necnon praesen-* » *tes Literas, valida, firma, et efficacia existe-* » *re, et fore, suosque plenarios, et integros ef-* » *fectus sortiri, et obtinere: sicque, et juxta illa* » *per quoscumque Judices ordinarios, et delega-* » *tos, etiam causarum Palatii Apostolici Audi-* » *tores, judicari, et definiri debere, ac irritum,* » *et inane, si secus super his a quoquam quavis* » *auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit* » *attentari: Non obstantibus Constitutionibus,* » *et ordinationibus Apostolicis, caeterisque con-* » *trariis quibuscumque.*

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Augusti anno 1627. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Ut autem de hujusmodi Literarum authoritate dubitari minime valeat, Nos iterum eas Apostolica auctoritate nostra, et praesentis Decreti tenore, in omnibus, et per omnia approbamus, et confirmamus, ac novo hujusmodi approbationis, et confirmationis robore communitas, ad praedictum Archiepiscopum transmittimus; mandantes eidem, ut in occurrentibus casibus circa personas ex ipsius Civitate, aut Dioecesi oriundas, seu alias in causis ejusdem generis ad illius judicium legitime delatis, juxta earumdem Literarum continentiam, et tenorem decernat, judicet, atque definiat, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Volumus autem, ut, in nostrae hujus approbationis, et confirmationis monumentum, praesentis Decreti nostri exempla, a Nobis subscripta, in Actis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium praedicti Concilii Tridentini Interpretum, necnon in secreto Archivo nostro Vaticano reponantur, ibique perpetuo asserventur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Martii MDCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Ita decernimus, et mandamus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

SS. D. N.

BENEDICTI PP. XIV.

Literae in forma Brevis quibus Eminentissimus ac Reverendissimus D. Franciscus S. R. E. Diaconus Card. de Saldanha motu proprio constituitur, et deputatur in Visitatorem, et Reformatorem Clericorum Regularium Societatis Jesu in Regnis Portugalliae et Algarbiorum et in Indiis Orientalibus et Occidentalibus Regi Fidelissimo subjectis.

Dilecto Filio Nostro Francisco S. R. E. Diacono Card. de Saldanha nuncupato.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

In specula supremae dignitatis divina dispositione, meritis licet insufficientibus, constituti,

inter multiplices rerum, negotiorumque, quibus in hac nostra ingravescente aetate, et parum firma valetudine obruimur curas, ad ea etiam ex debito Pastoralis officii nobis commissi sollicite advigilare debemus, per quae Religiosa loca, illorumque personae divinis mancipatae obsequiis, in pacis et quietis tranquillitate ac Regularis vitae, et Ecclesiasticae disciplinae norma, coadjuvante Domino, perenniter conservari valeant, et quae his contraria esse noscuntur, per nostrae providentiae, auctoritatisque Apostolicae studium penitus evellantur, prout personarum, rerum et locorum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum sicut pro parte charissimi in Christo Filii nostri Josephi Portugalliae, et Algarbiorum Regis Fidelissimi nobis expositum fuit, haud levia suborta sint inconvenientia, et abusus in Provincia, seu Provinciis Clericorum Regularium Societatis Jesu tum Portugalliae et Algarbiorum, tum Indiarum Orientalium et Occidentalium existentibus dominio ejusdem Josephi Regis subjectis, de quibus omnes fere nationes, Regionesque certiores factos esse existimatur propter parvum volumen typis impressum, et tum nobis, tum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus distributum: ac propterea ipse Josephus Rex summopere cupiat ut scandala, quae ex praemissis deinceps oriri possunt quam celerrime removeri de benignitate, providentiaque Apostolica dignaremur. Nos qui Societatem praefatam Paternis complectimur affectibus; nil aliud proprium, ac decens in hoc rerum statu esse ducimus, quam juxta laudabile Romanorum Pont. Praedecessorum nostrorum institutum et consuetudinem, unum ex S. R. E. praefatae Cardinalibus deputare, et nominare, qui primum de omnibus et singulis hujusmodi negotiis accurate expensis plenissime instructus eadem ad Nos deinde referat, aperiatque ut postea matura consideratione adhibita, quidquid statuendum sit, opportune, et saluberrime decernamus. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione, Nostrae deque Apostolicae potestatis plenitudine Circumspectionem tuam, de cujus singulari fide, prudentia, integritate, dexteritate, vigilantia, et Religionis Zelo plurimum in Domino confidimus, in Visitatorem Apostolicum, ac Reformatorem Clericorum Regularium Societatis Jesu in Regnis, ditionibus, et Provinciis etiam Indiarum memorato Josepho Regi subjectis existentium, tenore praesentium constituimus, et deputamus, ac circumspectioni tuae ut cum assistentia unius, sed plurium personarum in ecclesiastica dignitate constitutarum, si seculares fuerint, seu Regularium cujusvis ordinis, seu instituti a sede Apostolica approbati a Te, ad hujusmodi effectum, pro tuo arbitrio eligendae, et assumendae seu eligendarum et assumendarum probatae vitae, et circa statuta, et mores Regulares versatarum, Provinciam, seu Provincias Societatis Jesu praefatae in Regnis, dominio, ditionibus, et Provinciis etiam Indiarum praefatarum eidem Josepho Regi, ut praefertur, subjectis existentes, illiusque, seu illarum domos professas, seu Novitiatui destinatas Ecclesias seu Collegia quaecumque, Hospitia, et missiones, aliasque loca quocumque nomine nuncupata a Societate praefata dependentia, et ad illam spectantia et pertinentia etiam exempta et quocumque privilegio, ac indulto suffulta, nec non illorum superiores, Rectores, Administratores, Clericos Regulares, caeterasque personas quascumque cujuscumque dignitatis, superioritatis, status, gradus et conditionis existentes tam in capite, quam in membris, auctoritate nostra semel visites, et reformes, ac in earumdem personarum statum, vitam, mores, ritus, disciplinam aliamque vivendi rationem, tam conjunctim, quam divisim diligenter inquiras; nec non evangelicae et Apostolicae doctrinae, sacrorumque Canonum, et Generalium Conciliorum Decretis et SS. Patrum traditionibus, atque Regulari dictae Societatis instituto, et Apostolicis constitutionibus praesertim rec. mem. Urbani PP. VIII. Praedecessoris Nostri die 22. Februarii 1633. incipien.; *Ex debito Pastoralis officii etc.* et a nobis per quasdam nostras in simili forma Brevis die 20. Decembris 1741. expeditas Literas quarum initium est: *Immensa Pastorum Principis etc.* editis inhaerendo, et prout occasio, rerum qualitas et necessitas exegerit quacumque mutatione, correctione, emendatione, renovatione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris juxta datam tibi a Domino Prudentiam corrigas, emendes, renoves, revoces, ac etiam de novo condas, condita sacris Canonibus et Concilii Tridentini Decretis non repugnantia confirmes, abusus quoscumque tollas, regulas, institutiones, et Ec-

clesiasticam, Regularemque disciplinam, ac in primis divinum cultum et obedientiam huic Sanctae Sedi, et observantiam memoratarum Constitutionum Apostolicarum, si fortasse exciderint, juxta praescriptum dictae societatis institutum modis congruis restituas, et reintegres; si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos juxta canonicas sanctiones punias et castiges, ipsosque per personas etiam, ut praefertur, assumptas, ad debitum et honestum vitae modum ac ad statum sacris Canonibus et Conc. Trid. praefatis conformem revoces, ac quidquid statueris, et ordinaveris, absque dilatione et appellatione quae executionem quoquo modo ullatenus impediat, omnino observari facias; quoscumque domorum, et collegiorum hujusmodi Rectores, aliosque ministros, quos juxta datam tibi a Domino prudentiam, et tibi expediens videbitur, ab eorum respective officiis amovendos esse judicaveris, amoveas, ac illos sic amotos, aliosque Clericos Regulares dictae Societatis de una ad aliam domum, seu de uno ad aliud Collegium transmittas, inobedientes, et rebelles per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, suspensionem a divinis, aliaque opportuna juris et facti remedia cogas et compellas. Nos enim tibi praemissa, et quaecumque alia circa visitationem, et reformationem, aliaque supra expressa hujusmodi necessaria, et quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi auctoritate praefata plenam, liberam, et amplam facultatem et auctoritatem concedimus, et impertimur; et si contingat re aliqua legitima de causa detineri ut visitationem praefatam per te ipsum extra civitatem Lisbonensem minime facere valeas, alias Ecclesiasticas personas tibi benevisas cum simili, vel limitanda potestate in tui locum ad visitationem et reformationem habendam, etiam in Indiarum provinciis praefatis deputandi facultatem pariter tribuimus. Si quae autem graviora in hujusmodi visitatione repereris, ea omnia sub tuo sigillo clausa ad nos quam primum diligenter transmittas ac nobis referas, et patefacias quacumque ad hanc causam pertinere arbitraveris: ex re enim et tempore consilium capiemus, et effusis lacrymis omnipotentem Deum clamore valido orabimus, atque obsecrabimus, ut, quod inde statuendum sit, matura deliberatione decernamus: mandantes propterea omnibus, et singulis superioribus, Ministris, Clericis Regularibus, aliisque personis Provinciae, seu Provinciarum, domorum, Collegiorum, aliorumque locorum Societatis Jesu praedictis, in praefatis Regnis, ditionibus, et Provinciis etiam Indiarum ipsi Josepho Regi subjectis sicut praemittitur, existentibus, sub excommunicationis latae sententiae nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservatae, praeterquam in mortis articulo, ac suspensionis a divinis, et privationis suorum officiorum, aliisque arbitrio nostro infligendis poenis ipso facto incurrendis, ut tibi, ac personae, seu personis per te, ut praefertur, deputandae, seu deputandis in praemissis omnibus, et singulis prompta pareant et obediant, tuaque, et illius, seu illorum salubria monita, humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore divino usque ad satisfactionem divinam inviolabiliter observari. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, tibique et personae seu personis, nominandae, seu nominandis plenissime suffragari, et ab illis ad quos spectat et spectabit in futurum inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac sedis Apostolicae nuntios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus quibusvis Apostolicis; ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, ac Societatis praefatae illiusque domorum, Collegiorum et aliorum locorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis, eorumque superioribus praedictis, et aliis personis praefatis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel consistorialiter, et alias in contra-

rium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro sufficienti illorum Derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Aprilis MDCCLVIII. Pontificatus nostri Anno 18.

Pro D. Card. Passioneo.
Joannes Florius Substitutus.

DECRETUM

Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. In Causa Neapolitana Beatificationis, et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Francisci De Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu. Super Dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum, et Proximum, ac de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, et ad effectum, de quo agitur.*

Felici exitu absolutis, quae juxta Sedis Apostolicae praxim praecedere debebant antequam locus esset discussioni Dubii super Virtutibus heroicis *Venerabilis Servi Dei Francisci de Hieronymo* Sacerdotis Professi Societatis JESU; habitaque super eodem Dubio virtutum Congregatione cum Antepraeparatoria, tum etiam Praeparatoria, diem tandem indiximus, qua Congregatio Generalis coram Nobis cogeretur. Qua tandem adveniente, post lecta, seduloque perpensa triginta sex suffragia Consultorum scripto Nobis exhibita, luculentas Cardinalium Congregationi Sacrorum Rituum adscriptorum, et coram Nobis prolatas, Sententias audivimus, easque, raro exemplo, nec adeo facili omnium animorum consensione ferri intelleximus, ad asserendam, et strenue propugnandam Virtutum ejusdem *Venerabilis Servi Dei* heroicitatem. Idipsum accidit etiam ex Sententia Nostra, qui pridem Postulatorum Scripturas, et eorumdem Consultorum scripto tradita suffragia, quo decebat studio, et diligentia libravimus; adeout in eadem Generali Congregatione potuissemus pro earumdem Virtutum heroicitate Decretum Nostrum ex tempore pronunciare.

Verum cum, juxta Praedecessorum Nostrorum bene, sapienterque institutum morem, cautum sit, ne Decretum Virtutum approbativum edatur in eadem Generali Congregatione; huic disciplinae inhaerentes, resolutionem in aliam opportuniorem diem rejecimus, ut interim ad Causam secundae adhiberentur curae, et Patrem luminum exoraremus, ut educeret tanquam lumen Justitiam suam, et Judicium suum tanquam meridiem.

Quod cum abunde praestitum sit, Nosque, Deo sic disponente, in vitae discrimine positos noverimus, hac die S. Athanasio sacra, qua Sacrosanctam Eucharistiam per modum Viatici accepimus, ad Nos advocatis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Tamburino S. R. C. Praefecto, et Cavalchino hujus Causae Relatore; nec non Benedicto Veterani Fidei Promotore, et Divino iterum implorato praesidio a luminum Patre, proposito Dubio, *Affirmativum responsum* dedimus, hoc est *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate erga Deum, et Proximum, ac de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, et ad effectum, de quo agitur.* Et praesens Decretum in Acta ejusdem Sacrae Congregationis referri, et pubblicari mandavimus, hac ipsa die 2. Maji 1758. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

D. F. Card. Tamburinus Praefectus.
Loco ✠ Sigilli

M. Marefuscus Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

INDEX INITIORUM

SINGULARUM CONSTITUTIONUM

QUÆ IN HAC SECUNDA PAR. TOMI III. CONTINENTUR.

A

Ad assiduas. XLIV. Pag. 225
Ad Audientiam. XI. » 51
Ad augendam. LXXII.* » 432
Ad coercenda. XXVI. » 149
Ad curam. LXV. » 396
Ad Pastoralis. XV.** » 90
Ad sacram. LXIX. » 416
Ad summi. LXVIII. » 412
Ad supremum. XLVI. » 237
Æternus Dei Filius. XII. » 56
Allatae sunt. XLVII. » 249
Apostolicae Sedis. XLI. » 208
Apostolicae. XXVI.* » 136
Apostolicum. XVI. » 93
Avendo Noi. XII.* » 58

B

Beatus Andreas. XLIII. » 213

C

Circumspecta. XXIII. » 133
Circumspecta. XXVIII. » 167
Collegia. XXI.*** » 127
Coelestium. LVI.** » 340
Commendatam. XXVII. » 160
Commendatissimum. XIV. » 82
Conservationi. LXVII.** » 410
Cum ad nonnullos. LXXII. » 430
Cum alias. XVII. » 105
Cum Encyclicas. XXXIII. » 190
Cum Religiosi. XXXV. » 196
Cum semper. XLV. » 231
Cum, ut recte. XLIX. » 278
Cum Venerabilis. LXVII. » 402

D

Dederamus. XXVII.* » 166
Detestabilem. VI. » 32
Divinarum. LXXI. » 429
Dopo aver Noi. XIII.* » 74
Dudum. X.* » 50
Dudum. XXX.* » 176
Dum pias. XXI.* » 120

E

Emanarunt. LXVII.* » 408
Emanavit. XLV.* » 233
Etsi Matrimonialis. LI. » 288
Ex omnibus. LXII. » 384
Ex pastorali. XXXVIII. » 201
Exponi Nobis. XLII.* » 211
Exponi Nobis. LIX.** » 371
Ex quo primum. LIV. » 299
Ex sublimi. X. » 49

F

Fidelis. XXXII. » 181

G

Gravissimarum. XXV. » 139
Gravissimum. LXVI. » 398

I

Immensa. XV.* » 88
Immensa XXX.** » 177
In Apostolicae. IV. » 27
Inclytum. XV. » 85
Ineffabili. III. » 18
Injunctae Nobis. XLIV.** » 230
Injuncti Nobis. XXX. » 174
Injuncti Nobis. XXI.** » 125
Injuncti Nobis. XL.* » 206
Injuncti Nobis. XLIV.* » 226
In postremo. LXIV. » 388

In supereminenti. XXII. Pag. 129
In superiori. LIII. » 297
Inter alias LVI.*** » 340
Inter caetera. XXIV. » 135
Inter curas. XXXI. » 178
Inter illustria. XIII. » 63
Jam inde a primis. LVIII. » 347

L

Laudabile. LXXII.** » 432

M

Militantis Ecclesiae. VII. » 36
Militantis. XL. » 205

N

Non est equidem. LX. » 376

P

Pastoralis. XXXVI. » 198
Pastoralis. LVII. » 343
Pias. II. » 16
Praeclarum. LII. » 291

Q

Quaedam de more. LV. » 332
Quae ex Apostolica. LXI. » 377
Quae olim. LIV.* » 329
Quae, Ven. Fratres. XX. » 116
Quam ex sublimi. L. » 285
Quam grave. LXX. » 425
Quantum secessus. XIII.** » 81
Quem religionis. XLVIII. » 273
Quod Provinciale. XXXVII. » 199
Quo loculentioribus. XII.** » 61

R

Redditûri. LIX.* » 370
Regis pacifici. LIX. » 361
Romana Ecclesia. V. » 30
Romanorum Pont. XLII. » 210
Romanum. XXXIV. » 194
Romanus Pont. XXIX. » 173
Romanus Pont. XXXIX. » 202

S

Sacrosanctae, I. » 5
Saluberrimum. LXIII. » 387
Salvatoris. LVI.* » 339
Securitatem. VIII. » 37
Sinceritas Fidei. XVIII. » 106
Sollicita. XIX. » 109
Super familiam. LVI. » 336
Suprema dispositione. IX. » 40

T

Tibi prae caeteris. XXI. » 117

U

Ut alimenta. XLV.** » 238

IN APPENDICE

Altre volte. V. » 487
Congregatio. VIII. » 462
Cum nonnulla. I. » 437
Die duodecima IX. » 464
Ex tuis precibus. III. » 448
Jam dudum. II. » 438
Peracta a Nobis. IV. » 484
Proposita. VI. » 489
Soror Imelda. VII. » 460

IN ALTERA APPENDICE

Æstas anni. I. » 473
Cum ad Congregationem. V. » 488
Emanavit nuper. III. » 486
Exponi Nobis. IV. » 487
Felici exitu. VIII. » 500
In specula supremae. VII. » 497
Paucis ab hinc. VI. » 494
Quamvis a Majoribus. II. » 483

INDEX

ARGUMENTORUM

EARUMDEM

CONSTITUTIONUM.

ANNO MDCCLII.

PONTIFICATUS ANNO XII.

I. Erectio Archiepiscopalis Metropolitanae Ecclesiae GORITIENSIS, constitutis omnibus, quae Ecclesiam ipsam, Capitulum, utriusque Mensam, provisionem vel collationem Beneficiorum, Officiorumque respiciunt. 18. *Aprilis.* Pag. 8

PONTIFICATUS ANNO XIII.

II. Privilegia et Indulta concessa Confraternitati Sanctae Mariae *de Succursu contra Infideles* in Civitate Januae erectae ampliantur, et declarantur 21. *Augusti.* » 16

III. Confirmatio Concordiae inter Episcopum Herbipolen., et Abbatem Monasterii Abbatiae nuncupati Fulden., Ordinis S. Benedicti, Nullius Dioecesis Provinciae Moguntin. super Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, et Populum Ditionis praefati Monasterii. 1. *Octobris.* » 18

IV. Abbatia Fuldensis in Episcopatum erigitur, cum omnibus juribus, et praerogativis, praeservato tamen statu Regulari, ita ut idem Episcopus, et Abbas Fuldensis sit, et nuncupetur. 8. *Octobris.* » 27

V. Herbipolensis Episcopus honorificis praegestandae sibi Crucis, ususque Pallii praerogativis honestatur, sub certis modis, ac conditionibus. 8. *Octobris.* » 30

VI. Damnantur, et prohibentur quinque propositiones Duellorum abusui faventes, veteresque leges adversus Duellantes editae innovantur, ac novis superadditis poenalibus Sanctionibus confirmantur. 10. *Novemb.* » 32

VII. Damnatio et prohibitio Libri duobus tomis constantis, Gallico idiomate, absque Auctoris nomine, et impressionis loco, in lucem editi, cui Titulus *Apologie de tous les jugemens rendus par les Tribunaux seculiers en France contre le schisme: dans la quelle on etablit. 1. L' injustice, et l' irregularitate des refus de Sepulture, des autres peines, qu' on prononce contre ceux, qui ne sont pas soumis a la Constitution* Unigenitus. 2. *La competence des Juges laics pour s' opposer a tous ces actes de schisme; Tom. I. et II. En France MDCCLII.* 20. *Novembris.* » 36

ANNO MDCCLIII.

VIII. Confirmantur, et declarantur Constitutiones Praedecessorum Romanorum Pontificum super vetita armorum delatione, retentione, et venditione. 18. *Januarii.* » 37

IX. In Utinensi Civitate, Collegiata Ecclesia Sanctae Mariae Majoris nuncupata in Archiepiscopalem Ecclesiam cum omnibus juribus, praeeminentiis, ac privilegiis erigitur. 19. *Januarii.* » 40

X. Indiarum Orientalium Vicariis Apostolicis Episcopis, non habentibus Episcopum Coadjutorem cum futura Successione, nec Vicarium Generalem, injungitur, ut sibi constituant Vicarium Generalem, cui amplissimae facultates in casu obitus Vicarii Apostolici, a Pontifice conceduntur. 26. *Januarii.* » 49

X.* Indulgentia Plenaria a Gregorio Papa XIII. concessa singulis Ecclesiis Fratrum Ordinis S. Francisci de Paula minimorum in Festo ejusdem sancti confirmatur, et extenditur ad Ecclesias monialium dicti Ordinis sub cura, et regimine eorumdem Fratrum. 13. *Februarii.* » 50

XI. Cardinales Episcopos Suburbicarios, in propria Cappella sui Palatii Romae existentis, non posse suis subditis, praeter primam Tonsuram, conferre Majores, vel Minores Ordines, nisi requisito et praeobtento Cardinalis Urbis Vicarii consensu. 18. *Feb.* » 51

XII. Beatificatio Ven. Servi Dei Josephi a Cupertino Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci 20. *Februarii.* Pag. 56

XII.* A Monsignore Ferdinando Maria de Rossi Patriarca di Costantinopoli, e Vicegerente di Roma. Concernente la Compagnia degli amanti di Gesù, e Maria. 28. *Febbrajo.* » 58

XII.** Literae Apostolicae in forma Brevis quibus Sanctitas Sua ex speciali gratia Superioribus et missionariis Societatis Jesu Assistentiae Hispaniae in Indiarum Provinciis nunc et pro tempore Catholici Regis dominio subjectis Quitensi in America, Insularum Philippinarum in Asia, Mexicana, Peruensi, chilensi, Paraquaria, et novi Regni Granatensis, seu Sanctae Fidei in America constitutis facultatem concedit conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam conditionibus, clausulis, et circumstantiis in iisdem Literis Apostolicis fusius declaratis, nec non dispensandi in trina proclamatione cum Indis Fidelibus, ante Matrimonium; ac demum celebrandi quotannis Festum Praesentationis B. M. V. sub ritu duplici secundae classis cum octava. 2. *Martii.* » 61

XIII. Confirmatio et innovatio Privilegiorum, Gratiarum, et Jurium, Militaris et Hospitalis Ordinis Sancti Joannis Jerosolymitani: cum aliquibus declarationibus, et ampliationibus. 12. *Martii.* » 63

XIII.* Sopra la destinazione de' Luoghi di Monte di Roma, e di Bologna già dismembrati dall' Asse ereditario della ch. mem. del Cardinale Pompeo Aldrovandi. 18. *Marzo.* » 74

XIII.** Literae Apostolicae in Forma Brevis in quibus conceditur Indulgentia Plen. omnibus Christifidelibus quoties in Societatis Jesu Domibus professis, Collegiis sive Secessibus in hunc finem destinatis Exercitia S. IGNATII per decem, et ad minimum per quinque dies, immo etiam per unicum diem peregerint, ut alicubi semet in mense fieri solet, et vocatur Exercitium praeparationis ad mortem. Item Confessariis ejusdem Societatis Jesu ea occasione a suis Superioribus deputatis, et ab Episcopis loci ad audiendas Confessiones approbatis datur facultas absolvendi a quibuscumque peccatis, etiam a casibus reservatis (exceptis illis, qui in Bulla Coenae exprimuntur) cuicumque dicta peccata reservata sint, sive ipsi Exercitia S. IGNATII aut diem praeparationis ad mortem peragentes Laici sint, sive cujusvis Ordinis aut Instituti Regulares 29. *Martii.* » 81

XIV. Wilnensis Collegii, seu Seminarii Apostolici, a Gregorio XIII. pro Adolescentium Ruthenorum et Moscovitarum educatione et institutione erecti, optimo regimini providetur, 8. *Aprilis.* » 82

XV. Monachi S. Basilii Nationis Ruthenae solvuntur a lege emittendi quartum votum de non acceptandis Episcopatibus, vel Archimandriis, absque assensu suorum Superiorum: Abrogatisque Statutis poenalibus super hoc editis, Canonicae Sanctiones innovantur, ac inculcantur. 12. *Aprilis.* » 88

XV.* Literae Apostolicae in forma brevis quibus confirmatur Sententia emanata in Congregatione particulari coram Sanctitate sua sub die 13. Martii 1753. in Causa Ordinis Eremitarum S. Augustini Calceatorum Provinciae Portugalliae, et Algarbiorum. 14. *Aprilis.* » 88

XV.** Confirmatur statutum seu Decretum Collegii Mercatorum Urbis conditum in Congregatione habita die 12. Februarii 1744. pro bono regimine, et utilitate ejusdem Collegii. 29. *Aprilis.* » 90

XVI. Regulae observandae in Anglicanis Missionibus, ab Apostolicis Vicariis, nec non a Sacerdotibus Missionariis Saecularibus, ac Regularibus. 12. *Maji.* » 93

XVII. De Beneficiis, et Officiis Curatis per Indiarum Occidentalium Regiones, Saecularibus etiam Clericis, sublato asserto Regularium privativo jure, conferendis: Apostolicae Literae jam editae (*quas vide Tom. III. num.* 31.) confirmantur, et declarantur 9. *Junii.* » 103

XVIII. Venetiarum Reipublicae conceditur Jus nominandi ad Ecclesias Torcellanam Caprularum, et Clodiensem. 13. *Junii.* » 106

XIX. Methodus praescribitur in examine, ac proscriptione librorum a Congregationibus Romanae Universalis Inquisitionis, et indiciis, servanda, certaeque Relatoribus ac Consultoribus proponuntur Regulae, quas in examine, judicioque ferendo sequantur. 9. *Julii.* » 109.

XX. Venerabilibus Fratribus Metropolitanae, Archiepiscopis, et Episcopis Nationis Ruthenae in Regno Poloniae. 14. *Augusti.* » 116

PONTIFICATUS ANNO XIV.

XXI. Jurisdictio Rectoris Carpentoracten. in Causis Civilibus, Criminalibus, et Mixtis, nec non in oeconomicis rebus, desinitur, ac circumscribitur. 28. *Augusti.* » 117

XXI.* Literae Apostolicae per quas designantur

usus, et applicationes bonorum a quondam martha Dominica Bovetti Porta Taurinen. relictorum. 31. *Augusti*. Pag. 120

XXI.** Confirmantur Resolutiones, et Decreta praescripta in Comitiis Generalibus Ordinis Canonicorum Regularium s. Augustini Congregationis Lateranensis habitis in Civitate Bononiensi anno 1752. 6. *Septem.* » 125

XXI.*** Literae Apostolicae in forma Brevis in quibus Collegia, et Seminaria erecta, et erigenda sub cura Fratrum Societatis Jesu in Indiis Regi Fidelissimo subjectis declarantur exempta et libera ab omni Parochorum Jurisdictione. 7. *Septembris*. » 127

XXII. Exemptio Canonicorum Regularium et Monialium Ordinis Praemonstratensis ab omnni Superioritate, Jurisdictione, Visitatione quorumcumque Ordinariorum, per Praedecessores Pontifices, et praesertim Alexandrum V. concessa, innovatur ac confirmatur. 11. *Septembris*. » 129

XXIII. Oppidum Mathelicae in Piceno ad primaevum Statum Civitatis reintegratur, et quatenus opus sit, ex integro erigitur, ac instituitur, cum omnibus honoribus, juribus et praerogativis, caeteris ditionis Pontificiae Civitatibus competentibus. 26. *Septembris*. » 133

XXIV. De cultu S. Maronis Epistola ad R. P. Nicolaum Lercari a Secretis Congregationis de Propaganda Fide. 28. *Septembris.* » 136

XXV. Jurisdictio Congregationis super Bono Regimine Communitatum Ditionis Ecclesiasticae tum in Oeconomicis, tum in Judicialibus negotiis et causis cognoscendis, definitur; eidemque certa methodus in utrisque procedendi praescribitur. 1. *Octobris*. » 139

XXVI. Tribunali Auditoris Generalis Camerae Apostolicae adduntur duo Praelati Assessores in Causis Criminalibus definiendis, certaque methodus in hujusmodi judiciis coram ipso A. C. instituendis, prosequendis, et absolvendis firmatur. 1. *Octob.* » 149

XXVI.* Literae Apostolicae in forma Brevis in quibus postquam Sanctitas Sua ad instantiam Regis Fidelissimi elegit s. Franciscum Xaverium Societ. JESU in Patronum Principaliorem et Protectorem Indiarum a Capite Bonae Spei usque ad Regna Sinarum et Japoniae cum omnibus praerogativis et festo primae classis cum Octava, ulterius de novo ad preces Provinciae Goanae extendit facultatem episcopis ut ubi expedire judicaverint festum cum Officio missa et Indulgentia permutare valeant. Item confirmat alias gratias in perpetuum, nempe ad sepulchrum Ejusdem Sancti, Altare privilegiatum quotidianum, Indulgentiam Plenariam semel in anno a singulis Christifidelibus quocumque die ad eorum arbitrium lucrandam; et Indulgentiam quadraginta dierum singulis diebus. Et Indulgentias in decem feriis sextis concessas in perpetuum ubique extendit, cum facultate substituendi diem Dominicam vel aliam intra Hebdomadam, ne homines praesertim in Indiis agrorum culturae addicti ab hac Indulgentia lucranda impediantur. 6. *Octobris*. » 156

XXVII. Terra Sublaci, aliaque Oppida, et loca, intra ditionem Ecclesiasticam sita, Monasterio S. Scholasticae Sublacen. antea subjecta, a temporali dominio et jurisdictione Monasterii praefati, et Abbatum eximuntur, et Camerae Apostolicae, quoad temporalem hujusmodi jurisdictionem et dominium, applicantur et incorporantur; praeservatis Monasterio ac Abbatibus jurisdictione spirituali, necnon emolumentis a praefata temporali jurisdictione promanantibus. 7. *Novembris*. » 160

Subsequitur declaratio, quaenam sint jura et Emolumenta ex temporali jurisdictione promanantia, quaeque onera ex hujusmodi emolumentis sint in posterum sustinenda. » 164

ANNO MDCCLIV.

XXVII.* Indulgentia Plenaria consequenda in una ex decem Feriis sextis ante vel post festum s. Francisci Xaverii alias concessa confirmatur, et ampliatur. 12. *Januarii*. 1754. » 166

XXVIII. Congregationis Cameralis Decreta, quibus privilegia liberae extractionis, et exemptionis a Datiis, aliisque oneribus, in Ducatu, et Provincia Ferrariae, praevio accuratissimo examine, vel approbata fuerant, vel rejecta, vel super iisdem moderatio aliqua implorata, iterato confirmantur. 21. *Januarii*. » 167

XXIX. Gregorianum Cantum in Choro, aliisque functionibus, a Fratribus, vel Monialibus Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula peragendis adhiberi praecipitur. 22. *Januarii*. » 173

XXX. Correctoribus tum Generali tum Provincialibus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Paula, conceditur facultas decidendi circa Electiones, vel alia negotia, quae ad

Generale vel Provinciale respective Tribunal, ob paria post tertium scrutinium suffragia, devolvuntur. 22. *Januarii*. Pag. 174

XXX.* Indulgentia Plenaria concessa a Gregorio PP. XIII. in festo s. Francisci de Paula visitantibus Ecclesias Ordinis ejusdem Sancti confirmatur, et extenditur ad Ecclesias Monialium dicti Ordinis, et etiam per Octavam. 22. *Januarii*. » 176

XXX.** Literae Apostolicae in forma Brevis quibus Sanctitas Sua ex speciali gratia, Praefecto Apostolico, Vice-Praefecto, et Missionariis Carmelitis Strictioris Observantiae, Provinciae Turoniae in Insulis Americae meridionalis, Guadalupa, Maria Galante, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio Subditis pro tempore existentibus, concedit facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam Conditionibus, Clausulis, et circumstantiis. 24. *Januarii*. » 177

XXXI. Ad exercendos, erudiendosque Picturae, atque Sculpturae Tyrones; Gymnasium publicum, seu Academia in Ædibus Capitolinis erigitur, annuo censu constituto in necessarios sumptus. 17. *Martii*. » 178

XXXII. Basilica Assisiensis S. Francisci in Patriarchalem et Cappellam Papalem erigitur: Cum aliis gratiis, privilegiis, et indultis. 28. *Martii*. » 181

XXXIII. Albaniae Episcopis traditur methodus, qua satagant, ut a Catholicis illius regionis sua Ecclesiis bona restituantur, vel aliquo modo super illis transigatur, et si neutrum queat obtineri, facultas fit Episcopis derelinquendi fundos, fructusque Possessoribus, eosdemque absolvendi a censuris. 24. *Maji*. » 190

XXXIV. Lucensi Reipublicae Facultas conceditur nominandi tres Viros Ecclesiasticos, eosque Romano Pontifici praesentandi, ut ex iis unum in Archiepiscopum Lucanum eligere possit. 26. *Maji*. » 194

XXXV. Encyclicae Literae ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos Italiae, quibus hortantur, ut veteribus nova superaddant Pastoralis sollicitudinis studia, ut Christifideles in rudimentis Fidei instituantur et erudiantur. 26. *Junii*. » 196

XXXVI. Confirmatur Decretum Congregationis Consistorialis, quo fuit declaratum, sub Constitutione Innocentii PP. XII. super Capitulationibus Sede Vacante initis, comprehendi etiam Monasteria et Collegia utriusque sexus, necnon eadem Constitutione prohiberi quascumque pactiones, et Capitulationes, etiam per se honestas et licitas. 15. *Julii*. » 198

XXXVII. Ne Christifideles sub Turcarum ditione versantes, ad occultandam Christianae Religionis professionem, Mahumetana Nomina sibi imponant, iisque se compellari patiantur. 1. *Augusti*. » 199

XXXVIII. Ecclesiasticis omnibus Ritus Slavo Latini praecipitur, ut in Missis et Divinis Officiis, Slavum Literale idioma cum characteribus Hieronymianis retineant, et Missalibus, Breviariis etc. utantur, typis Congregationis Propagandae Fidei editis. 17. *Augusti*. » 201

PONTIFICATUS ANNO XV.

XXXIX. Quinquecclesiensis Episcopus, ejusque Successores, perpetua Pallii usus, ac praegestandae Crucis concessione donantur, sub certis modis ac conditionibus. 1. *Septembris*. » 202

XL. S. Leoni I. Papae et Confessori Missa, et Officium decernitur sub Ritu Sanctorum Doctorum. 15. *Octobris*. » 205

XL.* De ordine servando in eligendis Praepositis Generalibus, Provincialibus, et Rectoribus in Congregatione clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. 10. *Novembris*. » 206

XLI. Centum, insigne Oppidum, Bononiam inter et Ferrariam, in Civitatem erigitur, cum omnibus Juribus, honoribus, et praerogativis, quibus reliquae Pontificiae Ditionis Civitates fruuntur: ita tamen, ut quoad spirituale, vel temporale gubernium nihil plane innovetur. 18. *Decembris*. » 208

ANNO MDCCLV.

XLII. Abbati Generali Ord. Monachorum S. Hieronymi Congregationis Italicae indultum conceditur interveniendi Cappellis Pontificiis, locusque cum aliis Abbatibus Generalibus eidem assignatur. 30. *Januarii*. » 210

XLII.* Confirmatur, et approbatur Rescriptum seu Resolutio capta die XVIII. Maji MDCCLI. a Congregatione S. R. E. Cardinalium super consultationibus Communitatum, et Universitatum status Ecclesiastici, tam quoad competentiam jurisdictionis, quam quoad exercitium ejusdem in Civitate Alatri, et Frusinonis inter Curiam Generalem, ac Priorem, et monachos Carthusianos. 14. *Februarii*. 1755. » 211

XLIII. Pueros ante usum rationis in odium Christi occisos, an canonizari expediat, disquiritur, et in hanc rem plura de Martyrio horum Puerorum, cultuque publico iisdem in Ecclesia praestito; et de Martyrio, cultuque praesertim Beati Andrea Rinnensis, cujus instituta Canonizationis causa conscribendae Epistolae occasio fuit, distinctim adnotantur. 22. *Februar.* Pag. 213

XLIV. Liber Gallice editus, inscriptusque: *Principes sur l'essence, la distinction, et les limites des deux puissances spirituelle, et temporelle, Ouvrage posthume du Père la Borde de l' Oratoire*, Decreto Congregationis Universalis Inquisitionis jam damnatus, iterata acriori censurâ proscribitur, et sub excommunicationis poena, legi, aut retineri prohibetur. 4. *Martii.* » 225

XLIV.* Literae Apostolicae in forma Brevis ad instantiam Patris Venantii Tyszkowshi Ministri Provincialis Ordinis minorum de Obervantia Provinciae Russiae expeditae, quibus literae itidem Apostolicae in simili forma Brevis San. Mem. Benedicti Papae XIII. prohibentes novas Conventuum Mendicantium fundationes intra quatuor, aut quinque Leucarum spatium ab illis jam erectis ad Provinciam Russiae Polonicae, aliasque totius Polonici Dominii extenduntur. 10. *Martii.* 226

XLIV.** Indulgentia Plenaria perpetua in omnibus Ecclesiis Fratrum, et Monialium Ministro Generali totius Ordinis minorum Sancti Patris Francisci subjectis pro diebus Festis S. Ludovici Francorum Regis, et S. Elisabeth Reginae Hungariae. 17. *Martii.* » 230

XLV. Olivetanae Congregationis Privilegia a Praedecessoribus Pontificibus, et praesertim a Pio II. concessa confirmantur, et ampliantur; novumque superadditur, quo ejusdem Congregationis Abbatibus indulgetur, ut in die festo S. Franciscae Romanae, Pontificalibus in Missa, reliquisque Officiis intra Ecclesias Conventuales Regularis Observantiae uti possint. 1. *Aprilis.* » 234

XLV.* Breve quo Judex Delegatus Apostolicus pro tempore, in tota Sardinia declaratur exemptus ab Ordinarii, et aliorum omnium Judicum Jurisdictione, solique Sedi Apostolicae subjectus in quibuslibet Causis passivis. 29. *Aprilis.* » 235

XLV.** Literae Apostolicae quibus confirmatur erectio novi Oratorii publici s. Isidori ad Thermas, et Cappellaniae perpetuae in eo institutae: Pluresque gratiae spirituales in eodem Oratorio conceduntur. 6. *Maji.* » 238

XLVI. Sanctae Inquisitionis Officialium, seu Ministrorum numerus, deputationis forma, qualitates, onera, privilegia, et exemptiones reales et personales, tum in Civilibus Causis, tum et Criminalibus, distinctim recensentur, ac perpetua Constitutione praecedentis Motus proprii confirmativa, futuris quibuscumque abusibus, vetitisque ampliationibus occurritur. 21. *Julii.* » 237

XLVII. A Syriacis, et Armenis in Latinorum Ecclesiis Sacra peragentibus proprium Ritum servari praecipitur: Missionariis denegatur facultas dispensandi eosdem Syriacos et Armenos super abstinentia a Piscibus jejunii tempore: omnes denique Graecos et Orientales Ritus conservandos esse decernitur; monenturque Missionarii, ut in Orientalibus convertendis, eos ab erroribus, et schismate revocent, non a suis approbatis Ritibus avertant. 26. *Julii.* » 249

XLVIII. Confirmatur resolutio Congregationis deputatae super correctione librorum Ecclesiae Orientalis, super abbreviatione Officii, et Missae pro Monachis Ord. S. Basilii. 17. *Maji.* 273

XLIX. ad incendium compescendum ad Ecclesiam S. Nicolai in Carcere exortum, minus rite allatam fuisse ex Ecclesia Sacram Pyxidem Sanctissimum Sacramentum intercludentem, eaque super populum, et ad furentes flammas benedictum, rationibus, pluribusque allatis Ecclesiasticis sanctionibus, demonstratur: et ne tale quid exinde fiat, opportune sancitur. 27. *Julii.* » 278

L. Quod Episcopis Vicariis Apostolicis Indiarum Orientalium injunctum fuit, ut si Episcopum Coadjutorem, vel Vicarium Generalem non haberent, hunc sibi adsciscerent, cui amplissimae tribuebantur facultates in casu obitus Vicarii Apostolici id caeteris etiam Vicariis Apostoliciss nunc imperatur: Salva tamen electione Vicarii Capitularis, ubi vel Canonici, vel Parochi eam peragere consueverunt; in iis vero locis, ubi vel non adsunt, vel convenire nequeunt, constitutus jam ab Episcopo Vicarius Generalis, ipse, eodem defuncto, Vicarius etiam Capitularis habeatur. 8. *Augusti.* » 285

PONTIFICATUS ANNO XVI.

LI. Pontificium Decretum super nullitate Matrimonii Violantis Josephae Henriquez de Almada, et Ludovici Francisci de Assis Sanches de Baena editum, Apostolica auctoritate per Literas in forma Brevis expeditas roboratur. 27. *Septembris.* » 288

LII. Quae, et qualis conveniat exemptio ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione, Hospitali S. Angeli a Nido nuncupat., ejusdemque Ecclesiae, et personis, decernitur et declaratur. 4. *Octobris*. Pag. 291

LIII. Celebratio trium Missarum Natalitio Christi die, praecipuus Latinae Ecclesiae Ritus demonstraturi ideoque universim ab Orientalibus, praesertim vero ab Armenis Liburni in Portu commorantibus, non usurpandus. 29. *Decembris*. » 297

ANNO MDCCLVI.

LIV. Excitantur omnes Graeci Ritus Orientales, ut nova Euchologii editione utantur; narratur quoque, quid pro ea perficienda factum fuerit; et quae eidem novae editionis Euchologio praeposita sunt Monita, latius explicantur. 1. *Martii*. » 299

LIV.* Confirmatur Constitutio Pauli II. interdicens occupationem Domorum, Locorum, Conventuum inter Fratres Ordinis Eremitarum s. Augustini Congregationis sub primaevis dicti Ordinis institutis; et Eremitarum ejusdem s. Augustini Conventuales nuncupat. 16. *Martii*. 1786. » 329

LV. Facultas tribuitur Jacobo III. Magnae Britanniae Regi, ut SS. Eucharistiam possit suscipere, de Spiritualis directoris sui consilio, etsi post mediam praecedentem noctem jentaculum aliquod, sic exposcente valetudine, sumpserit. 24. *Martii*. » 332

LVI. Definitur auctoritas tum Metropolitani Nationis Ruthenorum, tum Proto-Archimandritae Ordinis S. Basilii Magni ejusdem Nationis, in Abbates, seu Archimandritas Monasteriorum ipsius Ordinis: aliaque ad hujusmodi Abbates et Monachos Ruthenos pertinentia opportune statuuntur. 30. *Martii*. » 336

LVI.* In Ecclesiis, et Nosocomiis Ordinis Fratrum Bethelemitarum conceditur unum Altare Privilegiatum, per Ordinarios Locorum designandum. 3. *Aprilis*. » 339

LVI.** Indulgentia Plenaria conceditur omnibus Christifidelibus, qui accipientes a Praedicatoribus, aut Missionariis sacras Imagines sub invocatione Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae, non solum jejunium servant, verum etiam peccata sua confitentur, et sanctissimam Eucharistiam sumunt. 8. *Aprilis*. » 340

LVI.*** Breve deputationis in Visitatorem Apostolicum, et Reformatorem Ordinis Eremitarum sancti Augustini pro Reverendissimo P. M. Francisco Xaverio Vasquez totius ejusdem Ordinis Priori Generali perpetuo, 6. *Aprilis*. » 340

LVII. Spolia Praelatorum Neapolitani Regni, jampridem ab Innocentio XII. Ecclesiis, quibus iidem praefuerunt, applicata, ut in designatos usus erogentur, novis supperadditis cautionibus, providetur. 28. *Aprilis*. » 343

LVIII. Demonstratur congruentia, ex Sacrorum Canonum praescripto, iterum inaugurandi Bononiensem Metropolitanam Ecclesiam: munusque Consecrationis Pontificio nomine peragendae Cardinali Archiepiscopo delegatur. 12. *Maji*. » 347

LIX. Veronensis Episcopi Ordinaria privativa auctoritate in Civitatem universamque Dioecesim Veronensem redintegrata, definitur jurisdictio, quam idem Episcopus in Capitulum, subjectasque tum ipsi, tum Monasterio Sanctae Mariae in Organis Veron., Parochiales, ac simplices Ecclesias, et Personas earum servitio addictas, utatur. 17. *Maji*. » 361

LIX.* Indulgentia Plenaria elargitur omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesias Ordinis Fratrum s. Francisci de Paula Minimorum nuncupat. visitaverint in Festis Nativitatis D. N. J. C., Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, ac Purificationis, et Assumptionis B. M. V. Immaculatae, nec non Dedicationis s. Michaelis Archangeli ejusdem Ordinis Protectoris principalis. 4. *Junii*. » 370

LIX.** Litterae in forma Brevis confirmatoriae aliarum similium sub. mem. Clementis VIII. favore Universitatum Artis Serici, Tinctorum, et Crispatorum velorum Civitatis Bononiae. 18. *Junii*. » 371

LX. Utinensi Metropolitanae Ecclesiae Missa de Spiritu Sancto cum certis Collecta et Orationibus celebranda conceditur in die depositionis, seu commemorationis B. Bertrandi Aquilejensis Patriarchae. 18. *Junii*. » 376

LXI. Privilegia Monasterii Monialium B. Mariae Virginis, Ordinis S. Benedicti, prope et extra muros Civitatis Aquilejensis, opportuna locorum subjectorum descriptione, ac definitione jurisdictionis Delegati Apostolici, apposita, confirmantur. 30. *Julii*. » 377

LXII. Refractariis Constitutioni *Unigenitus* an, et quando SS. Corporis Christi Viaticum denegari debeat, Encyclica hac Epistola definitur. 16. *Octobris*. » 384

LXIII. De Jure Metropolitico Archiepiscopalis Ecclesiae Moguntinae in novam Dioecesim

Fuldensem, ejusque Clerum et Populum. 18. *Septembris*. Pag. 387

LXIV. Consecratio electi in Episcopum, qui fuerat a Pontifice Ordinatus Presbyter, an ab ipso Pontifice, vel ex speciali ejus delegatione, sit peragenda 20. *Octobris*. » 388

LXV. Confirmatur Motus Proprius Sancti Pii V., et Constitutio Urbani VIII. contra tondentes monetas aureas, et argenteas: necnon Bannimenta et Decreta adversus falsificantes, alterantes, ac expendentes Cedulas Montis Pietatis, et Mensae Nummariae Sancti Spiritus, et poenas in illis inflictae ad omnes Ecclesiasticas personas extenduntur. 31. *Octobris*. » 396

ANNO MDCCLVII.

LXVI. Praescribitur ratio construendi Processus tum super statu Ecclesiarum in partibus infidelium existentium, et Populum fidelem habentium, quarum provisiones in Congregatione de Propaganda Fide proponuntur; tum super meritis praeficiendorum iisdem Ecclesiis. 18. *Januarii*. » 398

LXVII. Confirmatur Decretum Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium universali adversus haereticam pravitatem Inquisitioni Praepositorum, coram Sanctitate Sua habitae, pro tollendis, conciliandisque dissidiis et controversiis, inter nonnullos Antistites Indiarum Occidentalium, et Missionarios Societatis Jesu, exortis; super concessione Dispensationum Matrimonialium, juxta facultates ab Apostolica Sede utriusque concedi solitas. 27. *Januarii*. » 402

LXVII.* Confirmatur Constitutio sub die XXIII. Augusti MDCCLV. super Privilegia Fratribus quatuor Provinciarum Franciae, Sancti Bonaventurae, Turoniae majoris, et Aquitaniae recentioris, nec non Magni Conventus Parisiensis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. et extenduntur etiam ad alias Provincias cum iisdem cautelis. 12. *Februarii* 1757. » 408

LXVII.** Prohibitio extrahendi libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta ex Bibliothecis Conventuum, et Hospitiorum Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Excalceatorum nuncupat. sub poena Excommunicationis latae sententiae. 12. *Februarii*. » 410

LXVIII. Antiquum Urbis Pantheon, nunc Ecclesia ad Martyres nuncupata, sub peculiari Romanorum Pontificum tutela suscipitur, ejusque Fabricae conservatio Apostolicarum Aedium Praefecto pro tempore committitur; Palatii Apostolici sumptibus procuranda. 18. *Februarii*. » 412

LXIX. Confirmatio Concordiae inter Archiepiscopum Moguntinum, S. R. E. Electorem, et Episcopum atque Abbatem Fuldensem initae, super jure Metropolitico Ecclesiae Moguntinae in Episcopatum, atque Ecclesiam Fuldensem; necnon super aliis utriusque Ecclesiae controversiis. 21. *Maji*. » 416

LXX. Missam celebrantes, aut Fidelium Confessiones excipientes, ad Presbyteratus Ordinem non promoti, quibus poenis ex Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum praescripto subjiciantur; quae praxis hactenus in Judiciis adversus hujusmodi reos sit servata, et quomodo in posterum sit providendum. 2. *Augusti*. » 425

LXXI. Celebrantibus Missam, aut Fidelium Confessiones excipientibus, sine Sacerdotali Charactere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil suffragatura decernitur, ad evadendam poenam traditionis brachio saeculari, indictam in Constitutionibus Apostolicis. 2. *Augusti*. » 429

PONTIFICATUS ANNO XVIII.

LXXII. Damnatio, et prohibitio Epistolae manuscriptae, quae directa legitur: *Amplissimis S. R. E. Cardinalibus, et clarissimis Theologis in Urbe Praeneste congregatis post pacem Ecclesiae Gallicanae restitutam, et methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab Alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide ab Haereticos profligandos, ad Gentiles, et Atheos in sinum Ecclesiae reducendos*. 5. *Septemb*. » 430

LXXII.* Omnes Christifideles vere poenitentes, et confessi ac sacra Communione refecti, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum singulis sabbatis totius anni devote visitaverint, ibique Missae propriae de Beata Maria Virgine de Mercede nuncupat. cantari solitae interfuerint, in quarto sabbato cujuslibet mensis conceditur Indulgentia Plenaria in reliquis vero sabbatis septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis debitis poenitentiis. 16. *Novem*. » 432

LXXII.** Ad eliminandas lites, et dissensiones exortas inter Religiosos Societatis Jesu Confirmantur Constitutiones Gregorii XIII., Pii V., et Sanctissimi, quae incipit *Praeclaris*, prohibentes possessionem quorumcumque bonorum, nisi in commune. 15. *Februarii* 1758. » 432

IN APPENDICE

I. Acta, et Decreta in Causis Beatificationum, et Canonizationum, aliisque ad Sacrorum Rituum materiam spectantibus, addenda ad Tomum VI. Operum Sanctissimi Domini Nostri Romae editum anno 1751. Pag. 437

II. Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PP. XIV. Epistola ad Capitulum, et Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis data, occasione, quâ S. Proci Martyris Corpus repertum in Sancti Thrasonis Coemeterio, in eadem Ecclesia collocandum, transmittitur. » 438

III. Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PP. XIV. Epistola prima ad R. P. Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis, de facultate consecrandi Abbatialem Ecclesiam Campidonensem. » 448

IV. Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PP. XIV. Epistola secunda, ad R. P. Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis, de Consecratione Ecclesiae S. Appollinaris Romae a Sanctitate Sua peracta. » 451

V. Lettera circolare della sagra Congregazione della Disciplina, diretta a Superiori Regolari d' Italia, e dell' Isole Adjacenti, sopra il dubbio; se li Confessori Regolari, non Curati, siano obbligati ad intervenire alla Conferenza dei casi morali ordinata dalli Vescovi nelle loro Dioecesi. » 457

VI. Decretum Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papae XIV. in Causa Polona, seu Luceorien. Beatificationis, seu declarationis Martyrii Ven. Servi Dei ANDREAE BOBOLA Sacerdotis Professi Societatis Jesu. » 459

VII. Epistola Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papae XIV., ad Reverendissimum Dominum Vincentinum Card. Malvetium Bononiensem Archiepiscopum, de Sancti Philocali Martyris Corpore. » 460

VIII. Decretum Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papae XIV. in Causa Neapolitana Beatificationis, et Canonizationis Ven. Servi Dei Pauli Buralis S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati. » 462

IX. Acta Consistorialia pro Concessione Pallii Patriarchae Antiocheno Syro Maronitarum. » 464

Brevia Sanctissimi Domini Nostri ad Patriarcham, Archiepiscopos, Episcopos, et Procerес Maronitarum. » 470

IN ALTERA APPENDICE

I. Epistola Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papae XIV. ad Reverendissimum Dominum Ignatium Realem primum Pontificiarum Caeremoniarum Magistrum de celebratione Missae a sedente. » 473

II. Nummularii, seu Campsores Civitatis Ferrarien., a tertio, ad secundum Ordinem Consiliariorum dictae Civitatis transferuntur. » 483

III. Decretum in Causa Limana inter Venerabilem Congregationem Ordinis S. Philippi Nerii Civitatis Limae, et Reverendum Dominum Promotorem Fiscalem Curiae Archiepiscopalis ejusdem Civitatis. » 486

IV. Aliud Decretum pro Congregatione Limana S. Philippi Nerii, nec non Valentina, Hispalensi, Biacensi etc. » 487

V. Damnatio, et Prohibitio Operis, cui Titulus: *Storia del Popolo di Dio, dalla Nascita del Messia, sino alla fine della Sinagoga ec. Parte Seconda: con Raccolta di Dissertazioni, ed in fine la Difesa della medesima Seconda Parte ec.* » 488

VI. Epistola ad R. P. Antonium Taveira Archiepiscopum Goanum. » 491

VII. Literae in forma Brevis quibus Eminentissimus ac Reverendissimus D. Franciscus S. R. E. Diaconus Card. de Saldanha motu proprio constituitur, et deputatur in Visitatorem, et Reformatorem Clericorum Regularium Societatis Jesu in Regnis Portugalliae et Algarbiorum et in Indiis Orientalibus et Occidentalibus Regi Fedelissimo subjectis. » 497

VIII. Decretum Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papae XIV. In Causa Neapolitana Beatificationis, et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Francisci De Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu. Super Dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate, in Deum, et Proximum, ac de Cardinalibus, Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, et ad effectum, de quo agitur.* » 506

INDEX

RERUM, ET VERBORUM

Numerus Romanus denotat Constitutionem: Arabicus autem indicat Paginam, et columnam.

ABBATES quandonam possint suis subditis Regularibus conferre Tonsuram, et minores Ordines? *Constit. XI.* §. 16. pag. 84.

ABBATI Generali Ordinis *S. Hieronymi* Congregationis Italicae Locus in pontificiis Cappellis conceditur, ac designatur. XLII. §. 2. pag. 210.

Quibus Insigniis idem utatur. *ibid.*

ABBATIA *Fuldensis* in Episcopatum erigitur. IV. pag. 27. et seq.

Recensentur insignes illius praerogativae. *ibid.* §. 1. pag. *ibid.*

Vetus Regularis status praeservatur. *ibid.* §. 2.

Episcopium, Cathedralis, et Capitulum designantur. *ibid.* §. 4. p. 28.

Poenitentiarii, et Theologi munus quibus demandandum? *ibid.* §. 6. pag. 29. Vid. *Fuldensis Episcopus.*

ABBATIA *Sublacen.* Vid. *Sublacum.*

ABSTINENTIA a sanguine, et suffocato, nec non distinctio ciborum in mundos, et immundos, diu viguit in Ecclesia Latina, vigetque adhuc in Graeca. LIV. §. 66. p. 326.

Quomodo licere id potuit antiquitus, vel nunc quoque possit. *ibid.* Vid. *Ciborum distinctio.*

ACACIUS Constantinopolitanus Episcopus Eutychianae haeresis fautor, primus Romani Pontificis nomen a sacris Diptychis abrasit. LIV. §. 41. pag. 304.

ACADEMIA, seu Gymnasium ad exercendos, erudiendosque Picturae, et Sculpturae tyrones in Capitolio erigitur. XXXI. §. 8. p. 179.

ACTA Consistorialia in confirmatione Tobiae Petri Gazeni electi Maronitarum Patriarchae, factaque ipsi concessione Latini Pallii. *In Appendice I.* IX. pag. 464.

ACTUS externi, excepto Sacrificio, Latriae cultum per se non inducunt, sed animi mentisque affectio hujusmodi actus elicientis. LIV. §. 37. pag. 313.

ACTUS Fidei, Spei, et Charitatis, ante, vel post Missam Parochialem, a Parocho simul, et Populo recitandi. XXXV. §. 4. p. 197.

ADSCRIPTUS servitio alicujus Ecclesiae in Urbe non poterat juxta veterem disciplinam, ea deserta, ad alias Ecclesias transire. LXIV. §. 4. p. 389.

ADVENÆ in Sacris constituto non licet Ordines exercere, nisi Literas exhibeat sui Ordinarii, testantis de susceptione Ordinis, et exemptione ab omni censurae vinculo. XVI. §. 6. p. 95.

ÆGROTUS: Sanctissimum Sacramentum non est ad aegros deferendum, adorationis, vel deosculationis causa tantum, si illud sumere nequeant. XLIX. §. 12. p. 280.

Nec pro iis exponitur, sed intus Tabernaculum adaperto ostiolo relinquitur. *ibid.*

ÆREI Lacunaris reliquias a Pantheo eductas, quibus usibus destinarit Urbanus VIII. Pontifex? LXVIII. §. 6. p. 414.

AGENTES Communitatum ab ipsismet Communitatibus eligantur. XXV. §. 14. p. 144.

ALBANIÆ Episcopis facultas fit concordandi, transigendi, atque etiam relinquendi Bona Ecclesiastica Albanis, licet injustis Detentoribus, ad praecavenda deteriora incommoda. XXXIII. §. 3. et seq. p. 190. Vid. *Papa, Bona Ecclesiarum.*

ALEXANDER IV. turbas, et dissensiones Graecos inter, et Latinos exortas penitus eradicare curavit. XLVII. §. 10. p. 252. et seq.

ALIENATIO Bonorum Hierosolymitanae Religionis inconsulto Magno Magistro, et ipso jure nulla. XIII. §. 13. pag. 69. Vid. *Jerosolymitani Ordinis.*

ALTARE privilegiatum quotidianum S. Francisci Xaverii in Ecclesia Goana confirmatur perpetuum. XXVI. §. 27. p. 189.

ALTARE unum privilegiatum, per Ordinarios Locorum designandum, conceditur in Ecclesiis, et Nosocomiis Ordinis Fratrum Bethleemitarum. LVI. p. 339.

ALTARE: Nequit simplex Sacerdos celebrare ad *Altare*, ad quod Episcopus eo die Sacrificium obtu-

hit, nisi prius obtenta ab Episcopo licentia. LXIV. §. 9. p. 390.

Ad Altaria Pontificia Basilicarum Urbis nemini licet Missam celebrare, nisi obtenta ad id, per Literas Apostolicas; opportuna facultate. *ibid.*

Idem privilegium nonnullis Altaribus extra Urbem sitis concessum reperitur sub certis tamen modificationibus. *ibid.*

ALTARIA plura, anve potius unum tantummodo juxta veterem disciplinam extiterit in Basilicis Ecclesiae Occidentalis, disputant eruditi. XLVII. §. 37. p. 268.

Unum tantum extitisse in Ecclesiis Orientalibus, receptum. *ibid.*

Unamque Missam ad singula altaria celebrari licere. *ibid.*

Falsa hac de re opinio in vulgus irrepta. *ibid.*

Nunc tamen in Ecclesiis Graecis secundum Altare plerumque cernitur erectum pro Latinis Presbyris. *ibid.* § 40. p. 269.

Altaria Graecorum sacro lapide destituuntur. XLVII. §. 36. p. 267.

Altaria spoliandi, lavandique ritus feria VI. majoris Hebdomadae an in Latinam Ecclesiam a Graeca promanarit. *ibid.* §. 28. p. 262.

Usurpatur in aliquot Latinis Ecclesiis, et praecipue in Vaticana Basilica. *ibid.*

Quinam de Ritu hujusmodi disseruerint? *ibid.*

Altaria erecta in Basilica S. Francisci Assisiensis, et in Parochialibus Ecclesiis eidem adnexis perpetuo Privilegio donantur. XXXII. §. 12. et 18. p. 185. et 188.

ALUMNI Collegii Wilnensis, Episcopis et Archiepiscopis Ruthenis commendatur, ut propositis consuetis virtutis praemiis ad studia alliciantur. XX. §. 2. et seqq. p. 116.

AMANUENSES saepe in nominibus exscribendis Literas immutant, ipsaque nomina corrumpunt. *In Append.* t. II. §. 18. p. 444.

AMBITUS in Episcopatu conquirendo maxime damnandus. XV. §. 5. p. 87.

AMENTES in odium Christi occisi, an sint martyres? XLIII. §. 28. p. 224.

AMPULLA sanguinis indubium est perpessi martyrii signum. XLIII. §. 12. et 20. p. 217. et 221.

ANCONITANÆ Inquisitionis simplices Familiares, Fori privilegio ex antiquissima, probataque consuetudine gaudent. XLVI. §. 36. p. 245.

B. ANDREAS de Pago Rhinnensi, tricunis, a Judaeis in odium Christi occisus. XLIII. §. 1. p. 213.

Quinam Historici de eo scripserint? *ibid.* §. 3. pag. 214.

In ejus honorem concessum est Officium proprium, Missa, et Indulgentia Plenaria. *ibid.* §. 4. Vid. *Canonizatio*.

Ven. ANDREÆ Bobola causa Beatificationis, seu declarationis martyrii, quibus decretis incepta et absoluta? *In app.* t. VI. §. 1. et seq. p. 459. et seqq.

ANDRONICUS Constantinopolitanus Imperator Michaelem Palaeologum Patrem extra locum sacrum sepelliri passus est, quod unionem Graecae Ecclesiae cum Latina curasset. LIV. §. 18. p. 305.

ANGLICANÆ Missiones. Vid. *Missionarii Regulares Missionibus Anglicanis*.

ANTIMENSIA Graecorum quid sint? XLVII. §. 36. p. 267.

S. APOLLINARIS Ecclesia, qua servata methodo, fuerit a Pontifice consecrata? *In Append.* t. IV. §. 1. p. 481.

APOSTASIÆ periculum quandoque justam exhibet causam dispensationibus relaxandis. XXXIII. §. 6. p. 192.

APPELLATIONIS Commissiones in Congregatione Boni Regiminis quomodo signari debeant? XXV. §. 24. et seq. p. 147.

APPELLATIO in causis criminalibus interposita a sententiis, sive decretis Ordinariorum, an et sub quibus cautelis recipi debeat ab Auditore Camerae? XXVI. §. 11. et seq. p. 152. Vid. *Reus*.

APPELLARE an et quando liceat a decretis, vel sententiis Proto-Archimandritae Congregationis Ruthenae, Ordinis S. Basilii Magni. LVI. §. 4. et 5. p. 337. et 338.

APPELLATIO a decretis, seu sententiis Rectoris Carpectoraten. ad Vicelegatum Avenionen. quando et quomodo interponi possit? XXI. §. 9. p. 119.

Appellatio suspensiva ab electione in Bajulivos Magnae Crucis Ordinis Jerosolymitani non admittitur. XIII. §. 18. p. 72.

APPLICATIONES, et Usus Bonorum a quondam Martha Dominica Bovetti Porta Taurinen. relictorum designantur. XXI. *per totum* p. 120.

APPROBATIO ad audiendas Confessiones nil prodest extra Dioecesim Episcopi approbantis. XVI. §. 22. p. 101.

Idque etiamsi Sacerdos approbatus excipere vellet Confessionem personae subditae Episcopo, qui ipsum approbavit. *ibid.*

Approbatio ad Curam Animarum, vel ad audiendas Christifidelium Confessiones, quomodo facienda in Locis subjectis Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti Aquilejen.? LXI. §. 12. et 18. p. 381. et 382.

AQUÆ benedicendae in Epiphania Ritus, Graecus est, in Latinis Ecclesiis usurpatus. XLVII. §. 28. p. 261.

AQUA tepida juxta Graecum Orientalem Ritum in Calicem post Consecrationem infunditur. *ibid.* §. 26. p. 260.

Ruthenis Sacerdotibus Ritus hic novissime interdictus. *ibid.*

AQUILEJENSE Monasterium Monialium B. M.

V. Ordinis S. Benedicti amplissima exemptione fruitur tum in personis, tum in bonis, adnexisque membris, a jurisdictione Ordinariorum. LXI. §. 2. et seq. p. 377.

Quaenam sint adnexa Loca, hujusmodi exemptione donata? §. 8. p. 380.

Monasterii regimen adnexorumque Locorum, et Ecclesiarum, a Sede Apostolica committitur suo Delegato. *ibid.* §. 5. et seq. p. 379.

Quanta sit hujusmodi Delegati Apostolici jurisdictio, quibuscumque in rebus, et causis distinctim explicatur. *ibid.* §. 10. et seq. p. 381.

ARCHIDIACONI, et Diaconi antiquitus maximum sibi partem in administratione Episcopatus, et Pontificatus sumebant. LXIV. §. 11. p. 392.

ARCHIEPISCOPORUM, qua Metropolitarum, commemoratio non fit a Latinis Sacerdotibus in Sacrificio Missae. LIV. §. 20. p. 307.

ARCHIMANDRITÆ, seu Abbates Congregationis S. Basilii M. Ruthenae Nationis, in quibus Metropolitano, in quibus itidem Proto-Archimandritae subjiciantur? LVI. §. 2. et 3. p. 337. et seq.

ARMA vetita deferentes, quibus poenis subjecerit Alexander VIII.? VIII. §. 1. p. 37.

Iisdem obnoxii sunt tam Clerici Seculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, sive militiae. *ibid.* §. 2.

Nihil ad eas declinandas prodest excipere, quod non constet de dolo; vel patentes literas, aut privilegia proferre. *ibid.* §. 3. p. 38.

Poenas ob armorum delationem promeritas per Judices remitti, aut emolliri vetuit Clemens XII. *ibid.* §. 4.

Sed cum casus id expostulare videretur, summum Pontificem adiri praecepit. *ibid.* §. 5.

Evulgatas Praedecessorum Pontificum Constitutiones innovat Pontifex. *ibid.* §. 6.

Insuperque declarat, Fisco id oneris tantum incumbere, ut factum delationis comprobet, a Reo autem probandas circumstantias, quibus locum fieri moderationi poenae contendatur. *ibid.* §. 7.

Arma offensiva, et defensiva, Officiales Sac. Inquisitionis, sub certis tamen exceptionibus, deferre permittuntur. XLVI. §. 13. p. 240.

Arma, sive insigne Sac. Inquisitionis nequeunt Patentati, etiam cum privilegio, ad eorum domos, apothecas, aliaque loca suspen. XLVI. §. 16. p. 241.

ARMENIS, Natalis Christi die, non licet tres Missas, more Latinorum Sacerdotum, celebrare. LIII. per tot. p. 297. et seq.

Idem plane statuitur tam de Armenis per Orientem, quam de aliis in Occidentalibus Regionibus commorantibus. *ibid.* §. 4. et 6. p. 298.

Contrarius usus celebrandi dicto die tres Missas, unde inter Armenos Orientales probabiliter invaluerit. *ibid.* §. 6. et 7. p. 298. et 299.

Armeni Presbyteri complures olim Regulam et Institutum Ordinis Praedicatorum professi fuerunt; et quomodo? *ibid.* Vid. *Missale, Missas.*

ARTIUM liberalium praestantia. XXXI. §. 1. p. 179. In Republica excolendae, ac promovendae. *ibid.* §. 2.

ASSISIENSIS Basilicae praerogativae, honores, et privilegia a compluribus Summis Pontificibus obtenta distinctim recensentur. XXXII. §. 1. et 2. p. 182. et seq.

Jam inde a fundatione fuit S. Sedi immediate subjecta. *ibid.* §. 1.

Privilegia hujusmodi et exemptiones quaecumque, modo non abrogatae, confirmantur, et innovantur. §. 4. p. 183. et seq.

Ipsaque Basilica a Jurisdictione, et visitatione Ordinarii exempta. *ibid.*

In Basilicam Patriarchalem, et Cappellam Papalem erigitur. *ibid.* §. 5. p. 184.

Pontificius Thronus, et Altare in ea designantur. §. 6. *ibid.*

Quinam coeremoniales Ritus in ea fervandi? *ibid.* §. 7.

Non cogitur expectare signum Campanarum Cathedralis in Sabbato Sancto. *ibid.* §. 8.

Jubilaeo indicto, publicisque precibus, perpetuo designatur pro una ex visitandis Ecclesiis. *ibid.* §. 9. p. 185.

Assisiensis Episcopus nullam obtinet, sive ordinariam, sive delegatam jurisdictionem in Basilicam S. Francisci Assisien. §. 9. *ibid.*

Non prohibetur tamen ex speciali delegatione, reos ab eadem extrahere, servata forma Constitutionum Apostolicarum. *ibid.* §. 13. p. 187.

AUCTORIS Catholici liber, quibus praemissis cautionibus, sit proscribendus? XIX. §. 10. p. 112.

AUDITOR Generalis Camerae Apostolicae amplissima fruitur jurisdictione non solum in civilibus, sed etiam in causis criminalibus. XXVI. §. 1. p. 130.

Criminales causas quandoque cognoscit in prima instantia, inhibendo, easque avocando ab Ordinariis. *ibid.* §. 1.

Pontifex amplissimam illius jurisdictionem, praerogativas, et praeeminentias illimitate confirmat. *ibid.* §. 3.

In causis criminalibus definiendis duos Praelatos Ponentes Sacrae Consultae eidem adjungit. *ibid.* §. 4.

Votum decisivum in Congregatione Criminali A. C. quinam obtineant, et qui consultivum? *ibid.* §. 5. p. 131.

Processus criminales, a quibus, et quomodo efformandi? *ibid.* §. 6. et seq.

Congregatio criminalis in singulos quindecim dies coram Auditore ipso convocanda. *ibid.* §. 9.

Et quindecim itidem antea diebus causae propositio indicanda, allegationes vero triduo ante propo-

sitionem distribuendae; et parti communicandae. *ibid.*

Executionem Constitutionis: *Ad militantis Ecclesiae:* curare debet Auditor Camerae in suo Tribunali. *ibid.* §. 11. p. 152. Vid. *Locumtenens, Processus, Reus.*

AVENIONENSIS Vicelegatus. Vid. *Vicelegatus Avenionensis, Rector Carpectoracten.*

AUREOLA in Sanctis Martyribus quid sit? XLIII. §. 26. p. 224.

AUREOLAM non consequuntur pueri ante usum rationis in odium Christi occisi. *ibid.*

B

BALSERA, seu Bassora Civitas, celebre emporium. XLVII. *sub init.* p. 249.

BAPTISMUM non esse validum, nisi insimul Chrisma, et Eucharistia baptizato infanti tribuatur, tamquam haereticum dogma, damnavit Benedictus XII. XLVII. §. 24. p. 258. Vid. *Eucharistia.*

BAPTISMUS sub conditione est ministrandus iis, de quibus dubium subest, an fuerint, vel an rite fuerint baptizati. LVIII. §. 2. p. 348.

BAPTIZATI ab Haereticis debitam materiam, et formam adhibentibus, nec sub conditione iterato baptizari debent. *ibid.* §. 3. et 5. p. 348. et 349.

BARBERINUM Euchologium. Vid. *Euchologium.*

B. BARTHOLOMÆUS a Bononia Dominicanae Familiae Apostolus Armenorum. LIII. §. 6. p. 298.

P. Bartholomaeus Gavanti de re ad sacros Ritus pertinente optime meritus. XLIX. §. 26. p. 284.

BASILIANI Monachi Ruthenae Nationis, Episcopatibus, et Archimandriis illius Nationis privative praeficiuntur. XV. §. 1. p. 86.

Eorum votum non recipiendi hujusmodi dignitates, nisi praehabito Superiorum assensu, tollitur. *ibid.* §. 4.

S. BASILII Monachi Ruthenae Nationis in unam Congregationem sub uno Proto-Archimandrita sunt redacti. LVI. §. 1. et seq. p. 337.

Quam jurisdictionem in eos exerceat Proto-Archimandrita, quamve Metropolitanus? *ibid.* Vid. *Cura Animarum.*

BEATIFICATIO quid sit, quidve Canonizatio? XLIII. §. 21. p. 222.

BEATIFICATIONUM causae, non patiuntur, ut testes de auditu auditus, allati in Processu Apostolico, conjungantur in linea coaequalis probationis cum testibus de visu, existentibus in Processu Ordinario. *In Append.* t. I. §. 2. p. 437.

An saltem vim adminiculi dare possint, quaeve exinde promanet in hujusmodi causis absolvendis differentia? *ibid.* §. 3. et 4.

Beatificatio Ven. Servi Dei Josephi a Cupertino Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci. XII. p. 86.

Ejus virtutes commemorantur *ibid.* §. 1. et seq. p. 87.

In causa Beatificationis, seu declarationis martyrii Ven. Servi Dei Andreae Bobola Sacerdotis Professi Societatis Jesu, Decretum. *In Append.* t. VI. §. 1. et seq. p. 459.

In causa Beatificationis Ven. Servi Dei Pauli Card. Buralis, Decretum. *In Append.* t. VIII. p. 462.

BELLO sacro interfecti Pueri ab hostibus Fidei, Martyres a Theologis agnoscuntur. XLIII. §. 25. p. 223. Vid. *Pueri Canonizatio.*

BENEDICTIO aquae in Epiphania, Ritus est a Graeca in Latinam Ecclesiam translatus. XLVII. §. 28. p. 262.

BENEDICTUS XIII. Lateranensem Basilicam sub annum 1727. solemni Ritu per se consecravit. LVIII. §. 8. p. 382.

BENEFICIA Ecclesiastica erecta in locis subjectis Monasterio Aquilejensi Monialium B. M. Virginis Ordinis S. Benedicti, ab ipso Monasterio conferuntur. LXI. §. 4. p. 378.

Beneficia jam obtenta retinendi, quin et alia consequendi, quandoque potestas facta est Simoniacis. XXXIII. §. 7. p. 192.

S. BERNARDUS Willelmum Aquitaniae Ducem, objecta consecrata hostia, emendavit. XLIX. §. 7. p. 276.

B. BERTRANDO Aquilejensi Patriarchae cultus ab immemorabili praestitus fuit in Utinensi Metropolitana Ecclesia, in qua ejus ossa asservantur. LX. §. 2. p. 376.

Missa de Spiritu-Sancto die emortuali ipsius Beati, in eadem Ecclesia, celebrari certis adjectis orationibus, conceditur. *ibid.*

BETHLEEMITICI Infantes Vid. *Infantes Bethleemitici.*

BONA Ecclesiarum, ex prudenti Romanorum Pontificum dispensatione, injustis detentoribus quandoque relinquenda. XXXIII. §. 1. et seq. p. 190.

Exempla Pontificum, qui id praestiterunt. *ibid.* §. 5. p. 191.

Bonorum Ecclesiae an dispensator sit vel, potius Dominus Romanus Pontifex *ibid.* num. 4. p. *ibid.* Vid. *Papa.*

Invasores Bonorum Ecclesiae, excommunicatione ad restituendum adegit S. Nicolaus I. Pontifex. *ibid.* num. 8. p. 193.

Bonis suis non potest una Ecclesia privari, ut iisdem ditetur altera, *ibid.* §. 9.

Sed ut Bona in certos pios usus destinata, ad alios, quantumvis pios, traducantur, auctoritate Apostolica opus est. *ibid.*

Bona Ecclesiastica ab Haereticis occupata an li-

ceat Catholicis emere, sibique habere? XXXIII. §. 5. p. 191.

Bona Inquisitionum propria sunt Sedis Apostolicae; ideoque exempta etiam a Decimis Papalibus. XLVI. §. 41. p. 246.

BONI REGIMINIS Vid. *Congregatio.*

BONONIENSEM ad Metropolitanam Ecclesiam dono mittitur Corpus S. Proci Martyris, simulque plena de ejus nomine, martyrio, locoque, ubi repertum fuerat, erudite disputantur. *In Append.* t. II. §. 13. p. 442.

BONONIENSIS Cathedralis Ecclesia, an, et a quo fuerit primitus consecrata? LVIII. p. 380.

Eadem antiquitus extra Civitatis muros extructa erat. *ibid.* §. 9. p. 382.

Subinde intra Civitatem fundata, iteratoque ignis et terraemotus casu vastata, a providis Praesulibus reparatur. *ibid.* et §. 16. p. 384.

Quomodo, quibusve auspiciis ad id elegantiae et magnificentiae pertigerit? *ibid. sub. initio*, et §. 17.

Quantam in id curam contulerit Sanctissimus Pontifex, etiam tum cum Bononiensis esset Archiepiscopus? *ibid.* p. 348.

Ejusdem Consecratio Eminentissimo Cardinali Malvetio Archiepiscopo delegatur Pontificio nomine peragenda. *ibid.* p. 347.

Bononiensis Archiepiscopus Centi residere non cogitur. XLI. §. 3. p. 209.

BUGIA, sive Palmula, uti possunt Canonici Veronenses, tum in solemni, tum in privata celebratione Missae, et tam intra, quam extra Cathedralem. LIX. §. 14. p. 364.

C

CAMERAE Auditor Vid. *Auditor Generalis Camerae.*

CAMPIDONENSIS Abbas Ecclesiam Abbatialem a fundamentis extructam ex Pontificio Indulto consecravit. LVIII. §. 15. p. 383.

CANON: *Solemnitates*, et Can. *Ecclesiae*, *de Consecrat. dist.* 1. num genuini sint, an potius apocryphi? *ibid.* §. 3. p. 348.

CANONICI, aliique a Capitulo deputati, prohibentur, sub quocumque praetextu, etiam assecurationis, invadere, seu apprehendere res aegrotantium Praesulum Neapolitani Regni, etiamsi in extremis laborent. LVII. §. 7. p. 385.

Quomodo Ecclesiarum indemnitati sit succurrendum? *ibid.* Vid. *Spolium.*

Canonici Veronenses. Vid. *Veronensis.*

Canonici Utinenses, quibus insignis utantur? IX. §. 10. p. 45.

Qualis inter eos servetur praecedendi ordo? *ibid.* §. 3. p. 42.

Soli, exclusis Mansionariis, et Cappellanis, constituunt Capitulum *ibid.* Vid. *Utinensis Ecclesiae.*

Canonici Praemonstratenses. Vid. *Praemonstratensis Ordinis.*

CANONIZATIO quid sit, quidve importet Beatificatio? XLIII. §. 21. p. 222.

Canonizatio quandonam primis Ecclesiae saeculis facta censeretur? *ibid.* §. 17. p. 220.

Ad eam inducendam semper necessaria fuit Episcoporum, et Romani Pontificis auctoritas. *ibid.* et §. 21. p. 222.

Canonizatio non inducitur ex recensione nominis in Martyrologium Romanum. *ibid.* §. 21.

Ad Canonizationem quaenam sint necessario praemittenda? *ibid.* §. 7. p. 215.

Ad eam quandoque non satis habentur, quae ad Beatificationem sufficere visa fuerunt. *ibid.*

Quatuor signa, vel miracula quandonam desiderentur? *ibid.*

Canonizatio Pueri ante usum rationis occisi in odium Christi, exceptis Bethleemiticis Infantibus, nulla hactenus facta legitur. *ibid.* §. 24. p. 223.

An novum hoc Canonizationis exemplum induci expediat. *ibid.* §. 22. 23. *et per tot.* p. *ibid.*

An saltem peculiares quaedam circumstantiae quoad hujusmodi causas Canonizationis sint requirendae? *ibid.* §. 29. p. 225. Vid. *Cultus.*

CANONIZANDI gesta talia esse debent, ut omnibus per Orbem Catholicis in exemplum proponi queant. XLIII. §. 26. p. 224.

CANTUM Gregorianum in Choro, aliisque Ecclesiasticis functionibus a Fratribus, et Monialibus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula adhiberi praecipitur. XXIX. §. 3. p. 174.

Cantum in Divinis Laudibus persolvendis, caeterisque Ecclesiasticis functionibus obeundis adhiberi, perquam congruum est. *ibid.* §. 2. p. 173.

CAPITULATIONES, pactiones, seu concordata ante electionem, seu Postulationem inita cum eligenda Abbatissa, vel Priorissa, sive Monasterium, et Capitulum ex solis foeminis, sive utriusque sexus personis constet, innocentiana Constitutione abrogantur. XXXVI. §. 3. p. 198.

Idque procedit, quantumvis per se iniqua non essent, seu etiam Ecclesiae utilia. *ibid.* p. 199.

CAPIT. *cum in distribuendis, de tempor. ordinat.* an reispa definitum sit, Ordinatum a Papa non posse ab inferiore ad superiores Ordines promoveri? LXIV. §. 3. p. 388. et seq. Vid. *Ordinatus.*

CAPITULA Mulierum, vel mixta utroque sexu, subduntur Constitutioni Innocentianae abroganti quaecumque pacta, seu concordata inita ante Electionem, seu Postulationem, cum Persona eligenda XXXVI. §. 2. et 3. p. 198.

Capitula Regni Neapolitani, quoad spolia Praelatorum. Vid. *Spolia.*

CAPITULUM Veronense, Vid. *Veronensis Capitulum*.

CAPPELLA. Locus in Pontificia *Cappella* conceditur, et designatur Abbati Generali Ordinis S. Hieronymi Congregationis Italicae. XLII. §. 2. p. 210.

CAPRULARUM Ecclesia, vulgo *Caorle*, qua occasione fuerit fundata, in eaque posita Sedes Episcopalis. XVIII. §. 2. p. 106.

CARDINALES in suis Titulis possunt conferre Tonsuram, et minores Ordines, personis addictis ejusdem Ecclesiae servitio. XI. §. 16. p. 54. et seq.

Cardinales Episcopi Suburbicarii, Suffraganeum non habentes, suos subditos promovendos ad Vicarium Urbis ablegare debent. XI. §. 11. et 12. p. 53.

Quid, si Suffraganeum habeant. *ibid.* §. 11. 12. et 13.

Possunt tamen per se, vel per alium Episcopum ordinare suos subditos, dum ipsi in Dioecesi commorantur. *ibid* 12.

Cardinales Episcopi Suburbicarii possunt Tonsuram conferre suis subditis in Cappella Palatii Urbis, irrequisito Urbis Vicario. XI. §. 22. p. 56.

Cardinales Episcopi Suburbicarii nequeunt in Sacello Palatii Urbani Tonsuram insimul, et Minores Ordines conferre suis subditis, irrequisito Cardinali Urbis Vicario. XI. §. 1. 7. 14. et seq. p. 51. 52. et 54. et seq.

Cardinales Episcopi Suburbicarii, dum Romae commorantur, manent extra Dioecesis suae fines. *ibid.* §. 8. p. 52.

Cardinales Episcopi Suburbicarii cur a materiali residentia excusentur? *ibid.* §. 5. p. 51.

Eorumdem Cappella sita in Palatio Urbis an fictione Juris censeri debeat adhaerens Episcopatui Suburbicario. *ibid.* §. 15. p. 54.

CARDINALIS Vicarius est Ordinarius Urbis. *ibid.* §. 8. p. 52.

Cardinalis Urbis Vicarii auctoritas in exteros Romae degentes, et ad Ordines promovendos. *ib.* §. 10.

Cardinalis Praefectus Congregationis Boni Regiminis quosnam redditus Communicatum administret XXV. §. 14. p. 144. Vid. *Congregatio Boni Regiminis*.

Cardinalis Sanctorii commendatio plurima. XLIX. §. 20. et seq. p. 283.

Rituale composuit plurimo studio, et labore. *ibid.*

Operis accurata historia, ac censura *ibid.* §. 20. et seq. p. *ibid.* Vid. *Rituale Cardinalis Sanctorii*.

CARNIBUS humanis, et praesertim Infantium, quod vescerentur, cur incusati fuerint Christifideles a Gentilibus. LIV. §. 64. p. 328.

CAROLUS V. Imperator a Julio III. Pontifice facultatem obtinuit sumendi Eucharistiam post sumptum aliquod jentaculum. LV. §. 11. et 12. p. 338. et seq.

Idem resignatis Ferdinando Fratri Ditionibus Germanicis, aliis vero Philippo Filio, Monasticae vitae se addixit intra Monasterium S. Justi in Extremadura: *ibid.* §. 11.

S. CAROLUS Borromaeus quantopere adlaboraverit, ut Fidei rudimenta rudes homines docerentur. XXXV. §. 3. p. 197.

CARPENCTORACTENSIS Rector. Vide *Rector Carpentoracten.*

CASUUM conferentiis an, et quando interesse debeant Cofessarii Regulares, non Parochi? *In append.* t. V. §. 2. p. 487.

Casuum reservationes facere potest Delegatus Apostolicus praepositus Regimini Monasterii Monialium Ordinis S. Benedicti extra muros Civitatis Aquilejensis erecti. LXI. §. 11. p. 381. Vid. *Delegatus Apostolico*.

CASUS sibi reservare, vel a reservatis absolvere nequit Capitulum Veronense. LIX. §. 27. p. 366.

CASSINENSIS Ecclesiae iterata subversio, restitutio, et consecratio. LVIII. §. 15. p. 383.

CATACUMBARUM origo qualis fuerit, quive earum usus apud veteres Christifideles. *In Append.* t. II. §. 4. p. 439.

In Catacumbis Christianorum quidem corpora solummodo sepeliebantur, at non aeque certum, omnia corpora in illis sepulta, esse Martyrum corpora *ibid.* §. 5.

Inter Catacumbas celebris est, quae in Martyrologiis dicitur *Praetextati coemeterium. ibid.* §. 6. p. 440.

De Catacumbis, seu coemeteriis hujusmodi quis peregregie scripserit? *ibid.*

CAUSÆ graviores Episcoporum coram Romano Pontifice tantum proponi, et terminari debent. LXIV. §. 18. pag. 398.

Causae, sive civiles, sive criminales Officialium Inquisitionis a quo Judice cognosci debeant. XLVI. §. 17. et seq. p. 241 Vid. *Fori privilegio*.

Causae Judicio Congregationis Boni Regiminis examinandae, et decidendae, quales sint. XXV. §. 15. p. 145. Vid. *Congregatio Boni Regiminis*.

CAUSAS civiles criminales, et mixtas in Locis subjectis Monasterio Monialium Ordinis Sancti Benedicti prope muros Civitatis Aquilejensis cognoscit Delegatus Apostolicus. LXI. §. 19. p. 382.

CEDULAS Montis Pietatis, vel mensae nummariae S. Spiritus falsantes, corrumpentes, vel scienter expendentes, poena ultimi supplicii plectuntur. LXV. §. 4. p. 396.

Hujusmodi poena, ac reliquae omnes statutae in tondentes monetas aureas, vel argenteas protenduntur ad quascumque Personas Ecclesiasticas tam Saeculares, quam Regulares, praefatas cedulas falsantes, vel corrumpentes, vel corruptas scienter expendentes. *ibid.* §. 5. p. 397.

CENTUM olim insigne Oppidum inter Bononiam, et Ferrariam, nunc in Civitatem erectum. XLI. §. 1. et seq. p. 208.

Spirituale tamen, et temporale gubernium nihil plane immutatum *ibid.* §. 3. p. 209.

Nec Bononiensis Archiepiscopus ullo per annum tempore in eo residere cogitur. *ibid.*

CERTITUDO non incertis vocibus, et praesumptionibus, sed indubiis argumentis, et probationibus constituitur. LXII. §. 6. p. 385.

CHARACTERIBUS Hieronymianis impressa Missalia, Breviaria, Tabellas etc. adhibere debet Illyricus Clerus Ritus Salvo-latini. XXXVIII. §. 1. p. 201. *per tot.*

CHARACTER in Consecratione Episcopali impressus, an sit alius, atque distinctus a Charactere in Presbyteratu impresso, vel potius ejusdem extensio, disputant nonnulli. LXIV. §. 10. p. 391.

CHOREPISCOPI an simplices Sacerdotes fuerint, vel potius Ordine Episcopali insigniti, anve potuerit iisdem Ecclesiarum consecratio a Dioecesano Episcopo delegari? *In App.* t. III. §. 6. et 7. p. 446, et 447.

CHRISMA ex oleo, et balsamo, tamquam necessaria materia, conficitur; licet apud Graecos alia quoque aromata admisceantur LIV. §. 49. p. 319.

In Chrismatis Sacramento administrando nulla apud Graecos mentio de impositione manuum. *ibid.* §. 50.

Dissidentium Theologorum sententiae de materia hujus Sacramenti recensentur, ac in sua probabilitate relinquuntur. *ibid.* §. 51.

Deficiente autem vero balsamo, quandoque Romani Pontifices indulserunt, ut in Chrismate conficiendo, alius liquor pro balsamo communiter acceptus adhiberetur. *ibid.* §. 52. p. 320.

Graeci praeter oleum, et balsamum, quot aliis liquoribus utantur? *ibid.* Vid. *Confirmationis forma.*

CHRISTIANORUM sepulcra, quibus signis, sive inscriptionibus notari consueverint, et quaenam ex ipsis sint indubia sanctitatis signa? *In Append.* t. II. §. 8. p. 440.

Christianorum olim facta distinctio in duas classes, et quae? *ibid.* §. 11. p. 441.

CHRISTIFIDELES vere poenitentes, et confessi, ac sacra Communione refecti, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum singulis Sabbatis totius anni devote visitaverint, ibique Missae propriae de Beata Maria Virgine de Mercede nuncupat. cantari solitae interfuerint, in quarto sabbato cujuslibet mensis conceditur Indulgentia Plenaria, in reliquis vero sabbatis septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis debitis poenitentiis. LXXII. *per totum.* p. 432.

CHRISTUS quomodo Patrem pro nobis oret, nobisque proficua impetret? XLIX. §. 9. p. 278.

CIBORUM distinctio in mundos, et immundos fuit caeremoniale praeceptum Legis veteris per adventum Christi sublatum. LIV. §. 65. et seq. p. 325.

Apostolicum interdictum a sanguine, et suffocato evulgatum fuit ad supprimenda dissidia inter Fideles recenter ex Judaeis, et Gentilibus conversos; ideoque sublata causa, et ipsum jamdiu obsolevit. *ibid.*

Tamen in ipsa Latina Ecclesia diu servata est distinctio cibi mundi, et immundi, nec non abstinentia a sanguine, et suffocato, non tamquam praeceptum Legis veteris, sed uti religiosa a Patribus transmissa observatio, et consuetudo. *ibid.* §. 64. et seq. p. 325.

Nunc tamen in Latina Ecclesia, et apud Armenos penitus obsolevit; viget autem adhuc in Ecclesia Graeca. *ibid.* §. 66. p. 326.

Licita est Graecis distinctio ciborum, ususque precum ad immunditiam legalem inde contractam abstergendam, et quare? *ibid.* §. 59. ad 64. p. 323. Vid. *Praecepta Caeremonialia.*

Ciborum vetitorum Indultum, pro quadragesimalibus, aliisque esurialibus diebus, Capitulum Veronense concedit degentibus intra districtum subjectarum sibi Ecclesiarum. LIX. §. 28. p. 367.

S. CLARA quomodo Assisium a Saracenorum incursione liberaverit? XLIX. §. 7. p. 277.

CLAVES cubiculorum, in quibus asservantur spolia Praelatorum Neapolitani Regni, penes quos debeant custodiri? LVII. §. 8. et seq. p. 346. Vid. *Spolia.*

CLAUSURÆ custodia, visitatio, correctio Monasterii Monialium Ordinis S. Benedicti Aquilejensis Civitatis privative Delegato Apostolico est reservata. LXI. §. 8. p. 380.

CLODIENSIS Ecclesia, vulgo *Chiozza*, ob submersam marinis fluctibus insulam Metamauci, vulgo *Malamocco*, fuit in Episcopalem Cathedram constituta. XVIII. §. 2. p. 106.

COEMETERIUM *Pontiani*, dictum quoque *Sanctorum Abdon, et Sennen*, atque etiam ad *Ursum Pileatum* quam celebre habitum semper fuerit? *In Append.* t. VII. §. 2. p. 460.

De *Coemeteriis SS. Martyrum, et veterum Christianorum* eruditum opus Marci Antonii Boldetti. XLIII. §. 12. p. 217. Vid. *Catacumbarum origo.*

COLLEGIA ad erudiendos Clericos saeculares pro Anglicanis Nationibus erecta. XVI. §. 2. p. 94.

Collegia pro Graecis Armenis, et Maronitis in Urbe erexit Gregorius XIII. ea lege, ut Alumni proprios Ritus retinerent. XLVII. §. 14. p. 283.

Collegia, et Seminaria erecta, et erigenda sub cura Patrum Societatis Jesu in Indiis Regi Fidelissimo subjectis declarantur exempta, et libera a quibuscumque juribus Parochialibus. XXI.*** §. 4. p. 127.

Rectori pro tempore curam opportunam commendat. *ibid.* §. 8.

Parochis districte prohibet ne in aliqua re se ingerant. *ibid.*

COLLEGII Wilnensis Alumni commendantur Episcopis, et Archiepiscopis Nationis Ruthenae in Regno Poloniae, ut propositis iisdem Ecclesiasticis muneribus, ad studia, laboresque alliciantur. XX. §. 3. p. 116.

COLLEGIUM Wilnense erectum fuit a Gregorio XIII. pro solis Ruthenis, et Moscovitis. XIV. §. 2. p. 83.

Exclusis adolescentibus Latini Ritus, Rutheni tantummodo, et Moscovitae imposterum recipi jubentur. *ibid.* §. 6. p. 84.

Si Moscovitae ingredi nolint, subrogandi sunt Rutheni. *ibid.*

Hi quibus ex Dioecesibus cooptandi. *ibid.* §. 7.

Viginti Adolescentes ad minus deinceps in Collegio alendi, et instituendi. *ibid.* §. 8.

COMMEMORATIO Episcopi Dioecesani ejus Loci, in quo Sacerdos Latinus celebrat, facienda est, non autem alterius cujuscumque Episcopi, vel Superioris, Episcopali Ordine destituti. LIV. §. 19. p. 306.

Commemoratio Metropolitanorum, et Patriarcharum in Sacrificio Missae, apud Graecos Orientales ex vetustissima consuetudine fieri consuevit. *ibid.* 22. p. 308.

Excipe, si schismatici sint; nam tunc pro iis orare in Missa iteratis Decretis vetitum est. *ibid.* §. 23.

Commemoratio Imperatorum, Regumque inter Missarum Solemnia an eodem modo obtinuerit in Latina, ac in Graeca Ecclesia. LIV. §. 26. et seq. p. 309. etc.

Quomodo Graecis licere possit etiam nunc orare in Missa pro Rege, et Imperatore. *ibid.* §. 27. et 28. p. 309. et 310.

Antiquitus tam in Latina, quam in Graeca Ecclesia inter Missarum solemnia oratio fiebat pro Imperatore, et Regibus. *ibid.* §. 24. et seq. p. *ibid.*

Quam disciplinam hac in re nunc servet utraque Ecclesia. *ibid.* §. 25. *ibid.* et seq.

COMMEMORATIO Romani Pontificis in Sacrificio Missae apud Latinos antiquissima comprobatur. LIV. §. 10. p. 303.

Antiquissima itidem demonstratur in Graeca Ecclesia. *ibid.* §. 11.

Indubium est Catholicae unitatis, et consensionis signum, nec non agnitionis Romani Pontificis in Vicarium Christi, et Caput Ecclesiae. *ibid.* §. 12. et seq. p. 304.

Ideoque occasione schismatis semper intermissa, et in tractanda unione prae caeteris volita. *ibid.* §. 13. et seq. p. 304. et seq. Vid. *Missa.*

COMMENDÆ Ordinis S. Joannis Hierosolymitani sunt ab omnibus reservationibus exemptae. XIII. §. 14. p. 69.

Ideoque semper omnino a Magno Magistro, vel alio ad id facultatem habente, de iis disponi debet. *ibid.* p. 70.

Expectativae, Coadjutoriae, vel mandata de providendo, sine consensu Magni Magistri obtenta, nulla declarantur. *ibid.*

Commendarum resignationes acceptare potest Magnus Magister. *ibid.* §. 15. p. *ibid.*

Ac etiam reservare pensiones super illis perpetuas, et ad successores transitorias. *ibid.*

Solis tamen Militibus hujusmodi pensiones reservari possunt. *ibid.* §. 16. p. 71.

COMMISSIONES appellationis in Congregatione Boni Regiminis quomodo signari debeant. XXV. §. 24. p. 147.

COMMIXTIO Graeci Ritus cum Latino quandonam induci proprie dicatur. XLVII. §. 33. et seq. p. 266.

COMMUNIO sub utraque specie laicis Hominibus secundum Graecum, et Orientalem Ritum ministratur. *ibid.* §. 28. p. 289. Vid. *Eucharistia.*

Communionem sumere nequit, nisi qui naturaliter jejunus est a praecedenti media nocte. LV. §. 3. p. 332. Vid. *Jejunium naturale.*

COMMUNIO privilegiorum universi Ordinis Sancti Benedicti, et praesertim Congregationis Cassinen. S. Justinae Patavinae, Congregationi Olivetanae conceditur. XLV. §. 2. et 4. p. 231. et 232.

COMMUNITATUM onera seu gravamina quo ordine, et ratione tolli debeant. XXV. §. 9. p. 142. Vid. *Congregatio Boni Regiminis, Lites, Manus Regia.*

COMMUNITATIVIS oneribus realibus, et personalibus exempti sunt Sac. Inquisitionis Officiales privilegiati. XLVI. §. 14. p. 240.

Item Equites Jerosolymitani. XIII. §. 8. p. 67.

CONCELEBRANDI Ritus, qualis fuerit antea, et nunc obtineat in Ecclesia Latina, et Orientali. XLVII. §. 38. p. 268.

CONCHÆ Latifundium ab Apostolica Camera avulsum Romanae Inquisitionis Domui fuit a Pio IV. concessum. XLVI. §. 47. p. 247.

Quibus privilegiis tum ipsum Latifundium, tum Conductores, tum et ad colendum necessarii Villici fruantur. *ibid.* §. 40. et seq. p. 146.

CONCILII Tridentinii Decretum *cap.* 11. *sess.* 25. *de Regularibus* expenditur. XVI. §. 13. et 14. p. 98. et 99.

CONCILIO Florentino Graecorum schisma sublatum; Armenorum, Jacobitarumque Ecclesiae ad unitatem redactae. XLVII. §. 5. et 12. p. 280. et seq.

CONCILIUM Lugdunense sub Gregorio X. celebratum Graecos habuit reduces. *ibid.* §. 11. p. 282.

CONCIONATORIS adprobatio in Locis subjectis Monasterio Aquilejensi Monialium B. M. Virginis Ordinis S. Benedicti, Delegato Apostolico est privative reservata. LXI. §. 13. p. 382.

CONFERENTIIS Casuum an et quando interesse debeant Regulares Confessarii non Parochi. *In App.* t. V. §. 2. p. 457.

CONFESSARII Regulares non Parochi an cogi possint ab Episcopis, ut statutis conferentiis casuum intersint. *ibid.*

Confessarii ad audiendas Confessiones in Ecclesiis subjectis Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti prope muros Aquilejae, quomodo assumendi. LXI. §. 12. et 15. p. 381. et 382.

Ad audiendas vero ipsarum Monialium confessiones qui et quomodo cooptandi. *ibid.* §. 14.

CONFESSARIORUM onus est investigandi, num Poenitentes ea teneant, quae sunt ad salutem necessaria. XXXV. §. 4. p. 197.

CONFESSIONES saecularium audire nequit Sacerdos, sive Saecularis, sive Regularis, qui non fuerit praevio examine ab Ordinario approbatus. XVI. §. 7. p. 98. Vid. *Approbatio*, *Regulares*.

CONFIRMATIO statim post Baptismum in ipsa Ecclesia Romana olim conferri consuevit. *In Append.* t. II. §. 9. p. 441. et seq.

Confirmatio illico post Baptismum pueris confertur juxta Cophticum Ritum. XLVII. §. 22. p. 257.

CONFIRMATIONIS administratio ita est uni Episcopo reservata, ut ex sola Apostolica concessione possit simplici Sacerdoti delegari. *In Append.* t. III. §. 1. p. 445.

Confirmationis forma apud Graecos est: *Signaculum doni S. Spiritus*. LIV. §. 54. p. 320.

Sacramentum hoc, sicuti et reliqua characterem imprimentia, iterari non potest. *ibid.* §. 50. p. 319.

Iteratio Sacramenti Confirmationis non fuit in Decreto S. Methodii demandata. *ibid.* §. 55. et seq. p. 321.

Canon septimus Concilii Constantinopolitani primi, eos tantum Haereticos sacro Chrismate reconciliari praecipit, apud quos nullo modo, aut nulliter Sacramentum Confirmationis ministrabatur. *ibid.*

Graeca Euchologia, nec non Decretum S. Methodii, corrupta probantur, qua parte iterationem Confirmationis inducere videntur. *ibid.* §. 57. p. 322. Vid. *Chrisma*.

CONFIRMATIONIS Sacramentum conferendi facultatem concedit ex speciali gratia Praefecto Apostolico, Vice-Praefecto, et Missionariis Carmelitis strictioris Observantiae, Provinciae Turoniae in Insulis Americae Meridionalis, Guadalupa, Maria Galante, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio subditis pro tempore existentibus. XXX.** p. 177.

Cum Sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit per Catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto. *ibid.*

Sacramentum hujusmodi conferre, et administrare poterunt omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus illarum dumtaxat Paroeciarum, quae reperiuntur sub cura et regimine Fratrum Sanctae Mariae de Monte Carmelo ejusdem Missionis. *ibid.* V. *Praefecto Apostolico*.

CONFRATRES Societatis *S. Mariae Virginis de Succursu contra Infideles Januae erectae*, omnibus Quadragesimae diebus ovis, et lacticiniis vesci permittuntur. II. §. 2. p. 17.

Iidem gaudent privilegio eligendi Confessarium, qui eosdem a reservatis absolvat. *ibid.* §. 3.

Quomodo intelligendum hujusmodi Indultum explicatur. *ibid.* Vid. *Privilegium*.

CONGREGATIO A. C. in Criminalibus. Vid. *Auditor Generalis Camerae*.

CONGREGATIO *Boni Regiminis* ex tribus Cardinalibus fuit a Clemente VIII. primum instituta. XXV. §. 5. p. 141.

Paulus V. numerum Cardinalium duplicavit; Consultores et Secretarium addidit, ejusque jurisdictionem definivit. *ibid.* §. 2. p. 139.

Insuper eidem Congregationi univit alteram Congregationem pro sublevandis gravaminibus Status Ecclesiastici, a Sixto V. institutam. *ibid.*

Subsecutae ad haec usque tempora mutationes diserte recensentur. *ibid.* §. 3. p. 140.

Praefectum eidem primus praeposuit Clemens XI. certis datis facultatibus. *ibid.*

Praelati ponentes dicti, et Secretarius, quaenam munera hactenus obierint. *ibid.*

Praesentem statum Congregationis, munera, jurisdictionem, ac statuta confirmat Pontifex. *ibid.* §. 5. p. 141.

Oeconomica negotia levioris momenti expedienda in Congregatione particulari coram solo Card. Praefecto. *ibid.* §. 6.

Quando periculum est in mora, quomodo providendum. *ibid.*

Graviora vero negotia in Congregatione Generali proponenda, et definienda, inde definitionis approbatio a Pontifice expetenda. *ibid.* §. 7. et 11. p. 142. et seq.

Nonnulla ex ejusmodi gravioribus negotiis in Congregatione generali expediendis recensentur. *ib.* §. 8. ad 11. et p. 143.

Tabellae, seu rationes dati, et accepti quotannis a Communitatibus ad congregationem transmittendae. *ibid.* §. 8. p. 142.

Extraordinariae expensae absque congregationis Generalis licentia fieri non possunt a Communitatibus, *ibid.* §. 9.

Congregationis ejusdem est etiam agrorum culturam, artes, opificia curare, atque urgere. *ibid.*

Congregatio Boni regiminis non potest, etiam de consensu Partium, vel ratione connexionis, cognoscere eas causas, quae non fuerint in Pontificiis Constitutionibus eisdem delegatae. XXV. §. 18. p. 145.

Cognoscit tamen causas super exactione onerum Cameralium, et Communitativorum, quae sint in Tabella descripta. *ibid.* §. 17.

Itidemque causa super exactione Canonum, Livellorum, aliorumque proventuum Communitatum. *ibid.* §. 19. p. 146.

Si privilegium proferatur, aut appellatio interponatur, ubinam causa cognoscenda. *ibid.* §. 18. et 19.

Si res sit contra Tertium, per se non obligatum, inibitionem dotalem, aut cauthelam Angeli allegantem, coram Judice inhibente, lis agenda. *ibid.* §. 20.

Congregatio tamen cognoscit causas vertentes super natura, et qualitate onerum. *ibid.* §. 21. p. 147.

Itidemque super electione Ministrorum Communitatum, et redditione rationum ab ipsis exhibenda. *ibid.* §. 22.

Utriusque generis causae, veluti graviores, primo coram Secretario, inde in Congregatione discutiendae. *ibid.* §. 21. et 22.

Eodemque ordine definiuntur lites excitatae super locationibus bonorum, et proventuum Communitatum. *ibid.* §. 23.

CONGREGATIO *Indicis* a S. Pio V. instituta. XIX. *in princ.* p. 109.

Praecipuum ejusdem munus in proscribendis noxiis Libris. *ibid.* §. 8. p. 111.

Quibus praecipue constituatur. *ibid.* §. 6. p. 110.

Congregationis distinctio in parvam, seu praeparatoriam et Generalem. *ibid.* §. 8. p. 111.

Quandoque coram Pontifice habetur. *ibid.* §. 11. p. 112.

Idem in ea servandum silentium, sive secretum quod in Congregatione S. Inquisitionis. *ibid.* §. 12.

Quales esse debeant Revisores, et consultores in eam assumendi. *ibid.* §. 13.

Regulae in examine, ac judicio de Libris ferendo ab ipsis servandae, praescribuntur. *ibid.* §. 15. et seq. p. 103. Vid. *Libri*.

CONGREGATIO S. Inquisitionis. Vid. *S. Officii*.

Congregatio Romanae universalis Inquisitionis libros quandoque proscribit. XIX. §. 1. et 4. p. 109. et 110.

Quinam Congregationem ipsam efforment. *ibid.* §. 4.

CONGREGATIONIS Monachorum Montis Oliveti privilegia confirmantur, ampliantur, novisque superadditis cumulantur. XLV. p. 231. et seq. Vid. *Olivetana Congregatio*.

CONSECRATIO, sive distributio Corporis Christi in nonnullis veteribus monumentis attributa Diaconis, qualem sensum habeat. LIV. §. 42. p. 316.

CONSECRATIO Episcopalis suscipienda est intra trimestre a die confirmatae electionis. LXIV. §. 2. p. 388.

Consecratio Episcopalis die dominico, vel natalitio Apostolorum est sumenda, nisi Papa dispensarit. *ibid.* §. 20. p. 393.

Consecratio Episcoporum juxta vetustiorem disciplinam a Metropolitano peragebatur, eoque tantummodo injuste eam denegante, Romanus Pontifex consecrationis munus impendebat. *ibid.* §. 15. p. 393.

Nunc temporis jus consecrandi Episcopos per se, vel alium, ad Romanum Pontificem est devolutum. *ibid.* et §. 17. p. 394.

Consecrationis Episcopalis delegationem quomodo moderari voluerit Benedictus XIII., quasque in idipsum regulis praescripserit Sanctissimus Pontifex Benedictus XIV. *ibid.* §. 16. p. 393.

Presbyter, sive a Pontifice Maximo, sive a quocumque alio Episcopo ordinatus, consecrari nequit Episcopus sine speciali mandato Romani Pontificis. *ibid.* §. 17. p. 394. Vid. *Episcoporum Conseeratio*.

CONSECRATIONIS, seu Dedicationis Ecclesiarum vetustissimus usus unde in Ecclesiam invectus, quibusque Ritibus perficiatur. *in App.* t. IV. §. 3. p. 481.

Consecrationis Ecclesiarum quaenam sit materia, et quae forma, juxta sententiam Theologorum Moralium. *ibid.* §. 14. p. 484.

Consecratio Ecclesiarum munus est Episcopali dignitati reservatum. *In Append.* t. III. §. 1. p. 445.

Dioecesano Episcopo ita competit Consecratio Ecclesiarum suae dioecesis, ut extraneo cuicumque Episcopo absque Dioecesani delegatione licere non possit. *ibid.* §. 2. p. 446.

Simplici presbytero ne quidem ex delegatione Dioecesani Episcopi competere potest facultas consecrandi Ecclesias. *ibid.* §. 2. et seq.

Quid de Chorepiscopis hac de re statuendum sit? *ibid.* §. 6. et 7. p. 446. et 447.

Ex Pontificia tamen delegatione hujusmodi Consecrationis munus simplici Presbytero competere potest, *ibid.* §. 1. et 12. p. 443. et 448. et seqq.

Afferuntur nonnulla Pontificiae hujusmodi Delegationis exempla, eaque expenduntur. *ibid.* §. 10. et seq. p. 447.

Quid intersit discriminis inter facultatem consecrandi Ecclesias, Episcopo competentem, et facultatem simplici Presbytero delegatam. *ibid.* §. 8.

Consecratio Ecclesiarum numquam Episcopo simul cum simplici Presbytero, vel Abbate delegata reperitur, et quare; *ibid.* §. 21. et seq. p. 450. Vid. *Ecclesias*.

Consecrationem Ecclesiae, vel ab uno Episcopo, vel a pluribus simul, tamquam Comministris peragi posse, Scriptorum auctoritate, et exemplis comprobatur. *In app.* t. IV. §. 4. et seq. p. 452. et seq.

Ipsum quoque munus benedicendi, ungendique Cruces, Episcopi consecrantes inter se partiri possunt. *ibid.* §. 10. et seq. p. 453.

Demonstratur id, pluribus allatis exemplis, nec non argumentis, ex administratione potissimum extremae Unctionis desumptis. *ibid.* §. 14. et seq. p. 455.

Rescriptum Congregationis Rituum in Causa Ulysiponensi, propositae doctrinae haud refragari probatur, *ibid.* §. 16. p. 456.

Consecrans Ecclesiam Episcopus potest ex justa causa Missam Sacerdoti celebrandam committere. *ibid.* §. 1. p. 481.

Consecrationem Ecclesiae ab uno Episcopo inceptam potest alter perficere, modo nimis longum temporis spatium non intercurrat. *ibid.* §. 16. pag. 486.

Consecrari an debeat Ecclesia, de cujus consecratione dubitatur. LVIII. §. 2. et seq. p. 348.

Consecratio jure peragitur ejus Ecclesiae, quam merito ambigimus umquam fuisse consecratam. *ibid.* §. 4. et 4. p. 348. et 349.

Quibus Canonicis Testibus sententia haec innitatur; *ibid.*

Romanae Synodi sub Benedicto XIII. celebratae perspicua in id definitio, *ibid.* §. 5.

Per actum Consecrationis olim fiebat, ut consecrata Ecclesia Consecrantis jurisdictioni subjiceretur. *ibid.* §. 6 p. 350.

Consecrationis jam deperditae Officium an adhuc liceat recitare; LVIII. §. 22. p. 356.

Romani Pontifices, a primis saeculis, plures per Italiam, et ultra montes consecrarunt Ecclesias. *ibid.* §. 27. p. 358.

Quanta fuerit, sitque adhuc, Romani Pontificis auctoritas in consecrandis per se, vel per suos delegatos Ecclesiis ubicumque constitutis; *ibid.* §. 25. et seq. p. 357.

Historici Auctoris ea de re assertio, rationi, auctoritati, et rebus gestis opposita convincitur. *ibid.* §. 26. et seq.

Consecratio exustae Ecclesiae an, et quando iterari possit, et debeat? LVIII. §. 7. p. 358.

Ecclesia a primo lapide reaedificata, vel etiam parietibus tantum renovata, debet nova consecratione dicari. *ibid.* §. 10. p. 352.

Quid si Ecclesiae parietes non uno tempore, sed per partes, diversisque temporibus fuerint reaedificati? *ibid.* §. 11.

Exempla complurium Consecrationum quibus destructae, ac subinde restitutae Ecclesiae fuerunt inauguratae. *ibid.* §. 14. p. 353.

Consecratio Bononiensis Ecclesiae. Vid. *Bononiensis Cathedralis.*

CONSISTORIALIS provisio vim habet electionis, et confirmationis. LXIV. *in princip.* p. 388.

Consistorialis acta. Vid. *Acta consistorialia.*

CONSTANS Imperator aereum Panthei tectum, aliaque aedificii ornamenta hostilem in modum abstulit. LXVIII. §. 5. p. 414. Vid. *Pantheon.*

CONSTANTINOPOLIS medio circiter saeculo decimo quarto fuit a Mahumete II. occupata XLVII. §. 38. p. 267.

CONSTITUTA Regularium non recipit Auditor Gen. Caus. Cam. Ap. XXVI. §. 13. p. 152.

Constituta, quibus in Causis recipiat Auditor Camerae. *ibid.* §. 13. Vid. *Reus.*

CONSTITUTIO *ad Militantis Ecclesiae*, confirmatur, ejusque executio Auditori Generali Camerae demandatur. XXVI. §. 11. *ibid.*

CONSTITUTIO Pauli II. interdicens occupationem Domorum, Locorum, Conventuum inter Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis sub primaevis dicti Ordinis institutis, et Eremitarum ejusdem S. Augustini Conventuales nuncupat. LIV. per totum. p. 329.

CONSTITUTIO *Unigenitus* tanquam sibi vindicat auctoritatem, et obsequium, ut eidem publice refragantibus, veluti notoriis, ac publicis peccatoribus, denegandum sit Sanctissimum Viaticum. LXII. §. 3. p. 385.

Publici, et notorii refractarii ad praenotatum effectum quinam dici debeant? *ibid.* §. 4. et seq.

In re dubia quam regulam sequi debeat Sacramentorum Minister? *ibid.* §. 7.

CONSULTORES, et Revisores Congregationis Indicis quales esse debeant, indicatur. XIX. §. 13. p. 112.

Consultores S. Officii quomodo in unoquoque Tribunali Inquisitionis sint assumendi? XLVI. §. 32 et 34. p. 244.

Quibus oneribus subsint, quibusque privilegiis fruantur, *ibid.* §. 33. cum seqq.

CORBEJENSIS Abbas ab immemorabili tempore facultate consecrandi Ecclesias uti consuevit. *In Append.* t. III. §. 16. p. 449.

CORDIGERORUM Archiconfraternitas in Assisiensi Basilica erecta, cum facultate aggregandi. XXXII. §. 2. p. 183.

CORRECTORES tam Generales, quam Provinciales ordinis Minimorum S. Francisci de Paula facultatem habent decidendi de electionibus, aliisque negotiis, quae ob paria post trium scrutinium suffragia, ad Generale, vel Provinciale Tribunal devolvuntur. XXX. §. 2. et 3. p. 178.

CORPORIS Christi solemnitas jam inde ab Urbano IV. instituta. XLIX. §. 13. p. 280.

CRIMINALES Causae in Tribunali Auditoris Generalis Camerae, quo ordine cognoscendae, et decidendae? XXVI. §. 4. et seq. p. 150.

Criminales Causas subjectarum sibi Personarum quand onam ivative, vel cumulative cum Episcopo

cognoscere possit Capitulum Veronense? LIX. §. 30. p. 567.

CRUCIS adoratio feria sexta majoris hebdomadae, a Hierosolymitana Ecclesia in Latinam transivit. XLVII. §. 28. p. 261.

CRUCIS sublimis praegestatio multiplicis significationis, ac saluberrimi effectus. XXXIX. 203.

Vetustior, recentiorque praxis S. Sedis in hujusmodi Indulti concessione. *ibid.* §. 2.

Crucem sublimem praeferre sibi possunt Herbipolenses Episcopi. V. §. 2. p. 31.

CULTUM Latriae constituunt non externi actus, excepto tantum Sacrificio, sed sensus animi actum elicientis, et dirigentis. LIV. §. 37. p. 313.

CULTUS publicus Servis Dei Martyribus, aut Confessoribus, a solo Romano Pontifice nunc conceditur. XLIII. §. 21. p. 222.

Sive sermo sit de cultu praeceptivo, in universa Ecclesia, sive de cultu permissivo in peculiaribus Locis. *ibid.*

Cultus publici centenaria possessio praeservata fuit in Decretis Urbani VIII. *ibid.* §. 19. p. 221.

Pueri in odium Christi ante usum rationis occisi, qualem cultum obtinuerint in Ecclesia? *ibid.* §. 17. p. 220. et seq. Vid. *Pueri*.

Cultus exhibendus non modo integris Sanctorum corporibus, sed et exiguis particulis; idque etsi proprium nomen Sancti, cujus sunt, ignoretur. *In Append.* t. II. §. 2. et seq. p. 439. Vid. *Reliquias*.

CURA animarum habitualis, et actualis penes quos sit in Archiepiscopali Utinensi Ecclesia? IX. §. 14. p. 47.

Curam animarum Monachis Basilrensibus Congregationis Ruthenae, in defectum tantum Clericorum saecularium, et sub certa methodo, committi promittitur LVI. §. 7. p. 338.

Monachi sic assumpti, in omnibus curam animarum respicientibus Episcopo fiunt subjecti *ibid.*

D

DAMNATIO, ac proscriptio Libri gallico idiomate absque Auctoris nomine, et impressionis loco editi, ac duobus Tomis constantis. VII. p. 36.

Damnatio, seu proscriptio Librorum noxiorum Vid. *Libri*.

DATIA. Vid. *Ferrariensium privilegia*.

DECIMÆ Papales non praestantur ex Bonis Inquisitionum. XLVI. §. 41. p. 246.

DECLINATORIA Fori quomodo proponenda ab Officialibus Inquisitionis, ut Causa ad Tribunal S. Officii avocetur. XLVI. §. 21. p. 241.

DECRETA in Causis Beatificationis, seu Canonizationis Andreae Bobla Sacerdotis professi Soc. Jesu, nec non Pauli Card. Buralis afferuntur. *In Append.* t. VI. VIII. p. 459. 462.

DECRETA, et Resolutiones praescriptae in Comitiis Generalibus Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Lateranensis habitis in Civitate Bononiensi anno 1732. confirmantur. XXI.** p. 125. et 126.

DECRETUM seu Statutum Collegii Mercatorum Urbis conditum in Congregatione habita die 12. Februarii 1744. pro bono regimine, et utilitate ejusdem Collegii confirmatur. XV.** p. 90.

DEDICATIO Ecclesiae ob incendium, Terraemotum, aliudve simile infortunium dirutae, et subinde restitutae, quando iterari debeat? LVIII. §. 7. p. 381. Vid. *Consecratio*.

Dedicatio Ecclesiae S. Juliani de Lepia, seu Lepida quomodo peracta fuerit ab Urbano Papa III. *In Append.* t. IV. §. 12. p. 484. Vid. *Consecratio*.

DEFENSORES, excedentes modum, vel contra se invicem, vel contra Ordinarios, horumque Officiales, in defensione Reorum, pro ratione delicti puniri jubentur. XXVI. §. 22. p. 184.

DEFERENTES arma vetita, quibus poenis fiant obnoxii? VIII. §. 1. p. 37. Vid. *Arma*.

DEGRADATIO Sacerdotum fieri potest ab Episcopo una cum Abbatibus. *In Append.* t. III. §. 21. p. 430.

DELEGATO Apostolico semper committi consuevit regimen, et jurisdictio Monasterii Monialium Ordinis S. Benedicti prope muros Civitatis Aquilejensis siti, et amplissima jurisdictione donati LXI. §. 5. et seq. p. 379.

Quanta sit hujusmodi Delegati jurisdictio quibuscumque in rebus, et causis, distinctim explicatur. *ibid.* §. 10. et seq. p. 381. Vid. *Aquilejense Monasterium*.

DELEGATUS S. Sedis potest subdelegare. XVI. §. 11. p. 97.

DEPOSITIONIS poena ordinato a Pontifice, an irrogari possit per Ordinarium, disputant, nec conveniunt Doctores. LXIV. §. 18. p. 394.

DEVOLUTIO Bonorum jurisdictionalium spectantium ad Monasterium, et Abatiam Sublacensem, existentium intra fines Ditionis Pontificiae, ex quacumque Causa contingat, Camerae Apostolicae addicitur. XXVII. §. 5. p. 161. Vid. *Sublacum*.

DIACONALIS oblatio ad Prothesim juxta Graecam Liturgiam, an, et quomodo licita defendi possit? LVI. §. 41. p. 316.

DIACONIS olim Dominici Sanguinis distributio fuit commissa, et subinde adempta ex justis causis. *ibid.* §. 42. p. *ibid.* et seq.

Diaconis non ea omnia delegari possunt, quoad Corpus Christi mysticum, quae delegantur Sacerdotibus. *In Append.* t. III. §. 9. p. 447.

DIACONOS aliquando fuisse consecratos Episcopos, vel Pontifices, non ante suscepto Presbyterali

Ordine, satis liquido non probatur. LXIV. §. 10. et seq. p. 391. et seq.

DICTATUM S. Gregorii VII. Pontificis, genuinum ne sit, an suppositium opus quaestio est inter eruditos. LIV. §. 24. p. 307.

Decretum, quod in eo legitur: Ut *Papae solius nomen in Ecclesia recitetur*, quomodo accipiendum? *ibid.*

DIGNIORES ad Ecclesiasticas dignitates sunt nominandi. XV. §. 7. p. 87.

DIGNITATES, et Canonicatus Capituli Veronensis vacantes in mense ordinario quomodo providendi. LIX. §. 17. 18. pag. 364. Vid. *Veronense Capitulum*.

DIONYSIUS Petavius Soc. Jesu Sacerdos plurima eruditione commendatus. LIV. §. 2. p. 300.

DIMISSORIALES Literas concedere prohibetur Delegatus Apostolicus Personis quocumque titulo subjectis Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti Civitatis Aquilen. LXI. §. 20. p. 382.

DISMEMBRATIONI, suppressioni, et erectioni Ecclesiarum, etiam Metropolitanarum, justam causam suppeditare possunt dissidia, quae aliter componi non possint: §. *sub init.* p. 6.

DISPENSATIO Matrimonialis super tertio, et quarto gradu simplici, non se extendit, nec tollit impedimentum duplicis, tertii, et quarti gradus. LI. §. 2. et 6. p. 289. et 290.

Dispensatio Matrimonialis obtenta super remotiori, relicto proximiori, est valida, modo hic primum gradum nullatenus attingat. *ibid.* §. 6. pag. 290.

Dispensatio in radice Matrimonii a solo Romano Pontifice, et quidem nonnisi ex causis admodum urgentibus conceditur. *ibid.* §. 7.

Quis sit hujusmodi dispensationis effectus: *ibid.*

Dispensatio in radice Matrimonii ab altero obtenta, sub narrativa, quod alter conjux impedimentum ignoraret, nulla est, si alter demonstret, se impedimenti conscium fuisse ante petitam, obtentamque dispensationem. *ibid.* p. 291.

Scientia tamen, et dissensus post dispensationem superveniens non attenditur. *ibid.*

Dispensatio super impedimentis Matrimonii an, et quando, et ad quos effectus concedi possit a Sacerdotibus Societatis Jesu Missionariis per Indias Orientales, et Occidentales. LXVII. per tot. p. 402.

DISPENSATIONI quandoque justam causam exhibet probabilis timor, nequis in apostasiam prolabatur. XXXIII. §. 6. p. 192.

DISPOSITIO Locorum Montium Romae, et Bononiae jam disjunctorum ex bonis haereditariis clar. mem. Cardinalis Pompej Aldrovandi, Regulae, et cautelae quo ad eadem observandae. XIII. per totum. p. 74.

Ad DISSENSIONES, et Lites eliminandas exortas inter Religiosos Societatis Jesu confirmantur Constitutiones Gregorii XIII., Pii V., et Sanctissimi, quae incipit *Praeclaris* prohibentes possessionem quorumcumque bonorum, nisi in Commune. LXXII. p. 432.

DISTRACTIO rerum, quae sint de spolio defuncti Praesulis in Neapolitano Regno, interdicitur usque ad captam a successore possessionem; quatenus res tamdiu servari possint. LVII. §. 9. et 10. p. 386. Vid. *Spolia*.

DOCTRINA Christiana quomodo tradenda rudibus praesertim hominibus. XXXV. §. 4. p. 197.

Quid praestare debeant Episcopi, ut ea nemine ignoretur; *ibid.* §. 4.

S. Carolus Borromaeus quantopere hac in re adlaboraverit? *ibid.* §. 3. p. *ibid.*

Doctrina Christiana eruduntur ii, qui in Basilicis Urbis se exercent servilibus operibus ad obtinendas dispensationes super impedimentis matrimonialibus. XXXV. §. *sub init.* p. 196.

DOCTRINÆ Christianae tradendae, quibus potissimum onus incumbat? *ibid.* §. 4. p. 197.

DOCTORATUS necessitas quoad eligendos in Vicarios Generales, seu Capitulares, sublata est pro iis Missionum Regionibus, in quibus vicarios ita qualificatos reperiri perdifficile est. L. §. 4. p. 287.

DOMINIUM, an vero sola dispensatio Bonorum Ecclesiae, sit penes Romanum Pontificem. Vid. *Papa*.

DUCUM Neoburgi factum, et obsequium erga Romanos Pontifices laudatur. XXXIII. §. 9. p. 193.

DUELLUM committentes, quibus poenis, et censuris fiant obnoxii juxta Tridentini Concilii, Praedecessorumque Pontificum Sanctiones. VI. §. 1. et seq. p. 33.

Hujusmodi poenas a solemnibus ad privata duella protendit Gregorius XIII. *ibid.* §. 2.

Et Clemens VIII. ad provocantes, suadentes, opem, consiliumve praestantes, spectatores quoque, atque permittentes duellum. *ibid.* §. 3.

Propositiones de Duello, damnatae ab Alexandro VII. *ibid.* §. 4.

Quinque propositiones nuper evulgatae, tamquam falsae, et scandalosae proscribuntur. *ibid.* §. 6. p. 34.

Duello publico, seu privato alium interficiens immunitatis Ecclesiasticae beneficio privatur. *ibid.* §. 8.

Idque etiam, vivente adhuc saucio, si ex recepto vulnere grave immineat vitae periculum, et percussorem ex ipso loco immuni evadere posse prospiciatur. *ibid.* p. 38.

Sepultura vero sacra denegatur cuique, qui in duello, vel ex vulnere in duello accepto obierit, etiam ante sententiam Judicis, ac licet datis non dubiis poenitentiae signis. *ibid.* §. 9.

Duellorum prohibitivis sanctionibus Hierosolymitani Fratres, eorumque subditi subjiciuntur. XIII. §. 11. p. 68.

DUUMVIRORUM Neapolitano Hospitali Sancti Angeli a Nido Praepositorum auctoritas, et exemptio a jurisdictione Archiepiscopi. LII. §. 5. et seq. p. 293. Vid. *Hospitale*.

E

Ecclesia una eademque, quandoque communis fuit Graecis, et Latinis. XLVII. §. 35. p. 266.

In Latinis Ecclesiis, an unum, vel plura Altaria fuerunt antiquitus, disputant eruditi. *ibi* 37. p. 268.

Quid de Graecis? Vid. *Altaria*.

Ecclesia per consecrationis actum, juxta vetustiorem disciplinam, Consecranti subjiciebatur, etiamsi fuisset alienae Dioecesis. LVIII. §. 6. p. 380.

Ecclesia, de cujus consecratione dubitatur, an consecrari debeat? *ibid.* §. 2. seq. p. 348.

Ab Haereticis consecratae Ecclesiae an, et quando sint iterum consecrandae? *ibid.* §. 3. Vid. *Consecratio*.

Ecclesiae S. Blasii Venetiarum perdiu communis fuit Graecis, et Latinis. XLVII. §. 35. p. 267.

Ecclesia Lucensis. Vid. *Lucensis Respublica*.

ECCLESIÆ Cathedrales in partibus Infidelium sitae, habentes populum fidelem, quomodo providendae? LXVI. *per tot.* p. 398.

De earum statu quomodo inquirendum sit, ac conficiendi Processus? *ibid.* §. 2. p. 399. Vid. *Processus*.

ECCLESIARUM Bona. Vid. *Papa, Bona Ecclesiarum*.

ECCLESIAS inconsulto Romano Pontifice, juxta vetustiorem Ecclesiae disciplinam, ipsis Episcopis consecrare non licebat. *In Appendice* t. III. §. 10. p. 448. Vid. *Consecratio*.

EINSILDENSIS Monasterii Abbatibus, iterato Pontificio Indulto concessa facultas consecrandi Ecclesias, easque, pollutas reconciliandi, *ibid.* §. 14. et 15. p. 449.

Einsildensis Sacelli mira Consecratio, prout ab aliquibus narrata, recensetur, *ibid.* §. 13. p. 449.

ELECTIO: Pacta, seu Capitulationes, ante electionem stipulata, irrita sunt, etsi aequa videantur: idque obtinet etiam quoad Collegia, Capitula, seu Monasteria Foeminarum, vel quae mixta dicuntur. XXXVI. §. 2. et 3. p. 198.

ELECTIONES num iisdem legibus peragantur in Orientali, ac in Occidentali Ecclesia? *In Append.* t. p. 469.

Electiones, aliaque negotia in Ordine Minimorum S. Francisci de Paula, post tertium Scrutinium non absoluta, judicio Correctoris Generalis, vel Provincialis dirimuntur, et perficiuntur. XXX. §. 3. p. 175.

ELECTIONIS, et confirmationis vim habet Consistorialis Provisio. LXIV. *in princ.* p. 388.

ELIÆ Archiepiscopi Nicosiensis Decreta Synodalia de Graecis Ritibus retinendis. XLVII. §. 10. p. 282.

EMOLUMENTA a temporali jurisdictione provenientia in districtu ad Sublacensem Abbatiam spectante distinctim indicantur post *Constit.* XXVII. *in successivo Motu proprio* a §. 2. p. 165. et seq. Vid. *Sublacum*.

EMPTIO Bonorum Ecclesiasticorum ab Haereticis occupatoribus, an justum tribuat titulum Emptori pacem retinendi. XXXIII. §. 3. p. 190. Vid. *Bona Ecclesiarum*.

EPISCOPALIS Consecratio. Vid. *Consecratio Episcoporum*.

EPISCOPATU indignus est qui illum petit, vel appetit. XV. §. 6. et 7. p. 87.

EPISCOPATUS nihil superaddit Sacerdotio per relationem ad Corpus Domini verum, sed multo majorem jurisdictionem quoad Corpus Domini mysticum. *In Append.* t. III. §. 9. p. 447.

Episcopatus an, et quomodo distinctus sit a Praesbyteratu, disputant Theologi. LXIV. §. 10. p. 391.

EPISCOPI potissimum curam impendere debent in Clerici saecularis institutione. XX. §. 1. et 2. p. 116.

Episcopi etiam schismatici, valide tamen ordinari, titulo *Venerabilis Fratris* a Papa compellantur. LXIV. §. 20. p. 395.

Episcopi ad Ecclesias in partibus Infidelium sitas, et populum fidelem habentes, quomodo promovendi? LXVI. *per tot.* p. 398. Vid. *Processus tum super Statu etc.*

Episcopo ubique debitus honor, et reverentia, ab omnibus quantumcumque exemptis praestanda est. LII. §. 19. p. 298.

Episcoporum auctoritas in consecrandis Ecclesiis, Ordinibus conferendis, ac ministrando Confirmationis Sacramento, an et quomodo differat a facultate isthaec peragendi, simplici Praesbytero per pontificem delegata. *In Append.* t. III. §. 8. p. 447.

Episcoporum Causae, in quibus, ob criminis objecti gravitatem comparere debent, coram Romano Pontifice tantum proponi, et terminari debent. LXIV. §. 18. p. 394.

Episcoporum consecratio ex Indulto Apostolico peragi potest ab uno Episcopo una cum duobus Abbatibus, vel aliis duobus in Ecclesiastica dignitate constitutis, *In Append.* t. III. §. 21. p. 450.

Episcopos deponere, et suspendere spectat, privative ad Romanum Pontificem. LXIV. §. 18. p. 394.

EPISCOPUS die Dominico vel Natalitio Aposto-

lorum consecrari debet, nisi dispensaverit Pontifex. *ibid.* §. 20. p. 398.

Episcopus eligi nequit, qui antea saltem sex mensium Spatio non fuerit in Sacro Ordine constitutus. LXIV. §. 13. p. 392.

Episcopus an umquam factus fuerit Diaconus, non collato ipsi antea Sacerdotali Ordine, disputant Doctores, in contrarias opiniones abeuntes. *ibid.* §. 10. p. 391.

Non constat, nec probatur perspicue, fuisse umquam Diaconum in Episcopum, vel Pontificem Maximum consecratum, quin Ordinem Praesbyteratus antea susceperit. *ibid.* et §. 11. seq. p. 392.

Episcopus *Quinquecclesiensis*, ejusque Successores, perpetua concessione usus Pallii, et gestandae sublimis Crucis donantur. XXXIX. §. 3. p. 203.

Episcopus Veronensis, Vid. *Veronensis Episcopus.*

ERECTIO Goritiensis Ecclesiae in Archiepiscopalem. Vid. *Goritiensis Ecclesiae erectio.*

ERECTIO Novi Oratorii pubblici S. Isidori ad Thermas, et Cappellaniae perpetuae in eo institutae confirmantur. XLV. p. 235.

Plures gratiae spirituales in eodem Oratorio conceduntur. *ibid.* p. 236.

EUCHARISTIA illico post Baptismum fuit quandoque Pueris tum in Latina, tum in Orientali Ecclesia ministrata XLVII. §. 24. p. 258. *et in Append.* t. II §. 9. pag. 441.

Quandonam is Ritus in utraque Ecclesia obsolverit. *ibid.*

Eucharistia sub utraque specie, Laicis juxta Graecum, et Orientalem Ritum tributa. §. 28. p. 259.

Quaenam nunc in pluribus Graecorum, et Orientalium Ecclesiis vigeat disciplina? *ibid.*

Eucharistia nonnisi a naturaliter jejunis licite sumi potest. LV. §. 3. p. 332.

Ex Pontificia dispensatione quandoque nonnullis concessum est, ut Eucharistiam etiam non jejunii sumere possent. *ibid.* §. 9. et seq. p. 334. et seq.

Simile Indultum Jacobo III. Magnae Britanniae Regi concedit Pontifex. *ibid.* §. 13. p. 336. Vid. *Jejunium naturale.*

Eucharistia publicis Peccatoribus, sive publice sive private eam petentibus, denegari debet. LXII. §. 3. pag. 388.

Publici, et notorii peccatores, qui revera dici debeant. *ibid.* §. 4. et seq.

In re dubia quomodo se gerere debeat Sacramentorum Minister. *ibid.* §. 9.

Eucharistia non est in medias flammas projicienda ad incendium compescendum. XLIX. §. 11. p. 279.

Nec eadem ad experimentum quodcumque innocentiae, vel culpae, adhibenda *ibid.* §. 11.

Eucharistia iis tantummodo Ritibus est colenda, quos non privata devotio, sed Ecclesiastica auctoritas probaverit. *ibid.* §. 12. et 13. p. 279. et 280.

Eucharistiae materia aeque fermentatum est, ac azymum. XLVII. §. 6. 13. et 22. p. 250. et seq.

Eucharistiam Feria quinta in Coena Domini consecratam Graeci asservare consueverunt in annum integrum pro infirmis. XLVII. §. 29. p. 262.

Ritum hujusmodi iteratis vicibus fuit proscriptus *Ibidem.*

Eucharistiam in azymo conficiunt Armeni, Maronitae, ac nonnulli Italo-Graeci *ibid.* §. 23. p. 258.

Ritum hunc quandonam usurpare iidem coeperint. *Ibidem*

EUCHOLOGIUM Graecum quid sit, opportuna definitione demonstratur. LIV. §. 1. p. 299.

Ejus correctio quibus auspiciis primum coepta, sub pluribus Pontificibus continuata, et sub Benedicto XIV. Pontifice Maximo absoluta. *ibid.* §. 2. et seq. p. 300.

Congregatio ad correctionem Euchologii ab Urbano VIII. primum instituta, et a Benedicto XIV. P. M. restituta, quibus Viris constiterit. *ibid.* §. 4. p. 301.

Euchologium Graecorum quantis laboribus revisum, emendatumque? XLVII. §. 18. p. 255.

Euchologium Graecum una cum latina versione edidit circa annum 1647. P. Goarius Ordinis Praedicatorum. LIV. §. 5. p. *ibid.*

Euchologii complura exempla in Vaticana Bibliotheca asservantur. *ibid.* §. 6.

Barberinum Euchologium S. Marci antiquissimum est, et unde sic dictum fuerit. *ibid.*

Patriarchale Euchologium unde habitum, plurimaque ejusdem auctoritas? *ibid.*

EXCOMMUNICATI: Pro excommunicatis publice in Missa, aliaque sacra actione orari non potest, licet pro eorum conversione privatas ad Deum preces fundere nemo prohibeatur. *ibid.* §. 23. p. 308.

EXEMPTI quicumque, a reverentia Episcopo ubique praestanda numquam eximuntur? LII. §. 19. p. 295.

EXEMPTIO Monasterii Monialium Ordinis Sancti Benedicti prope muros Civitatis Aquilejensis, adnexorumque ipsi Locorum ab Utinensis, et Goritiensis Archiepiscopi jurisdictione, late recensetur. LXI. §. 2. et seq. 377. Vid. *Aquilejense Monasterium.*

Exemptio Canonicorum Praemonstratensium. Vid. *Praemonstratensis Ordinis.*

Exemptio a Datiis. Vid. *Ferrarensium privilegia.*

Exemptione amplissima ab ordinaria, et delegata Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione fruitur Hospitale S. Angeli a Nido, quoad Ecclesiam, Oratorium, Bona, certumque Ministrorum numerum. LII. §. 4. p. 292.

EXEQUATUR, ad executionem sive realem in domo Officialis Sac. Inquisitionis, sive personalem contra Officialem ipsum perficiendam, est ab Inquisitore obtinendum. XLVI. §. 24. et seq. p. 242.

Et si executio personalis fieri debeat, superaddi debet *Ostendatur per sex dies ante*. *ibid.* §. 25.

Exequatur: Citationes in Curia Romana, vel a Vice-Legato Avenionensi relaxatae non indigent. *Exequatur* Rectoris Carpentoracten. XXI. §. 10. p. 119.

EXERCITIA spiritualia semel in anno potest Rector Hospitalis S. Angeli a Nido Neapolitanae Civitatis, praebere Ministris Hospitalis, clausis Ecclesiae januis. LII. §. 17. p. 295.

Ad Exercitia Spiritualia frequentanda Summi Pontifices, et Spirituales Magistri semper excitarunt. XIII.** §. 1. p. 81.

Illa S. Ignatius primum instituit, et caeteri Ordines Religiosi amplexi sunt. *ibid.* §. 2.

Religiosi Societatis Jesu praeter Collegia et Domos Professas aedificia ad hunc finem construxerunt, et ubique speciali studio S. Fundatoris monitis pressius inhaerent. *ibid.* §. 3. et 4.

Quoties Exercitia Spiritualia, vel diem praeparationis ad mortem fideles peregerint, toties Indulgentiam Plenariam consequuntur. *ibid.* §. 7. p. 82.

Et Confessarii a Superioribus destinati absolvere possunt etiam a casibus reservatis (exceptis illis qui in Bulla Coenae exprimuntur). *ibid.* §. 8.

EXORCIZATIO Obsessorum fieri non debet, admota ad eorum corpus Sanctissima Eucharistia. XLIX. §. 15. p. 281.

EXORCIZARI an possint res inanimes, et animalia irrationabilia? *ibid.* §. 10. p. 278.

EXPENSÆ extraordinariae a Communitatibus fieri nequeunt absque licentia Congregationis Boni Regiminis. XXV. §. 9. p. 143.

Expensae, et damna in Causis Criminalibus quandonam contra Ordinarios, eorumque Curias taxari debeant. XXVI. §. 21. p. 154.

EXPOSITIO publica Sanctissimi Sacramenti semel in mense fieri potest in Ecclesia Hospitalis S. Angeli a Nido Neapolis, irrequisito ejusdem Civitatis Archiepiscopo. LII. §. 18. pag. 295.

De Expositione Sanctissimi Sacramenti Opus elucubratissimum composuit Joannes Baptista Thiers. XLIX. §. 7. 276.

EXTREMA UNCTIO est verum Sacramentum a Christo institutum, solis Infirmis ministrándum, non animae solum, sed etiam corporis saluti proficuum LIV. §. 44. p. 316.

Sacramentum hoc apud Graecos, et Latinos variis nominibus designatum reperitur. *ibid.* §. 45. p. 317.

Subjectum capax Sacramenti est Christifidelis graviter aegrotans. *ibid.* §. 46.

Graecum Euchologium praescribens, ut Sacro Oleo inungantur, qui ad Ecclesiam se conferunt, non ideo extremam unctionem bene valentibus administrari permittit. *ibid.*

Extrema Unctio an fuerit unquam a Graecis injuncta, et ministrata sacramentaliter confessis, in Sacramentalem satisfactionem? *ibid.* § 48. p. 318.

In Graeca Ecclesia a septem Sacerdotibus simul ministratur. *ibid.* §. 46. p. 317. Vid. *Oleum Infirmorum*.

Extrema Unctio potest a pluribus Sacerdotibus Comministris, diversas aegroti partes, vel sensus linientibus, valide, et quandoque etiam licite ministrari. *In Append.* t. IV. §. 15. p. 455.

Si Sacerdos inunctis aegri sensibus subito deficiat, alter Sacerdos non functionem ex integro incipere, sed sic incoeptam complere debere. *ibid.*

F

FABRICA S. Petri in Causis super executione Legatorum Piorum, Patentatos S. Officii, etiam privilegiatos, trahit ad suum Tribunal. XLVI. §. 18. p. 241.

FACTA aliena in aequiorem partem quoad fieri potest interpretari debemus. XLIX. §. 26. p. 284.

FACULTAS absolvendi a reservatis, etiam Sedi Apostolicae, plerumque non complectitur facultatem absolvendi a reservatis Ordinario II. § 3. p. 17.

FAMILIARES Praelatorum Neapolitani Regni nequeunt molestari super usu rerum ad Praesules hujusmodi, licet in extremis laborantes, pertinentium, etiam sub praetextu assecurationis. LVII. §. 7. p. 345.

FERIA quinta majoris Hebdomadae in nonnullis Ecclesiis per Africam Fideles Communionem sumebant non jejuni, qui usus subinde prescriptus fuit. LX. §. 6. et 7. p. 333. et seq.

FERRARIENSIUM privilegia, tum pro exemptione a Datiis, tum pro libera extractione, Congregationi Camerali examinanda committuntur. XXVIII. §. 1. p. 167.

Eorum distinctio in personales, ad certam generationem, et reales, *ibid.* §. 4. p. 169.

Approbantur ea solummodo, quae ex contractu oneroso, vel in actu devolutionis Ducatus, concessa appareant. *ibid.* §. 2. p. 168.

Quaeque uti talia descripta fuere in Catalogis Deputatorum, et Congregationis resolutionibus. *ibid.* §. 6. p. 170.

Moderantur tamen ea, quae ad futura quoque acquirenda Bona protendebantur. XXVIII. §. 7. p. *ibid.*

Hujusmodi approbata privilegia in Codices distribuit, et adnotari jubentur. *ib.* §. 9. et 10. p. 171.

FIDEI, SPEI, ET CHARITATIS actus, ante, vel post Missam Parochialem, a Parocho alta voce reci-

tari debent, Populo verba iterante. XXXV. §. 4. p. 197.

FIDEI professio exposcitur a Graecis ad unitatem Catholicae Ecclesiae redeuntibus XLVII. §. 17. p. 284.

Hujusmodi professionis formulae duae, quarum altera a Gregorio XIII., altera ab Urbano VIII. edita. *ibid.*

FIDE CONSTITUTUS Vid. *Verba.*

FIDEM virtualiter negat Christifidelis, qui ad Religionem occultandam, et poenam aliquam declinandam, aut captandam utilitatem, Mahumetanum nomen assumit. XXXVII. §. 1. p. 200.

FISCUS quid probare debeat adversus comprehensos armorum vetitorum delatores, ut statutas poenas a Reo repetere possit. VIII. §. 7. p. 39.

FLORENTINA Metropolitana Ecclesia fuit sub annum 1436. ab Eugenio IV. Pontifice maxima solemnitate dicata. LVIII. §. 23. p. 386

FOEMINARUM Monasteria, et Capitula mixta subsunt Innocentianae Constitutioni interdicenti ne pacta, vel concordata quantumvis licita, ineantur ante electionem cum Persona eligenda, vel postulanda. XXXVI. §. 2. et 3. p. 198. et seq.

Fontaninus Praesul vir plane singularis in comparata sibi librorum notitia. XLIX. §. 20. p. 283.

FORI privilegio quandonam, et quibus in Causis fruantur Patentati Sac. Inquisitionis in Causis Civilibus. XLVI. §. 17. et seq. p. 241. et seq.

Et quid de Causis Criminalibus statuendum *ibid.* §. 27. et seq. p. 243.

Fori declinatoriam quando proponere debeat Patentatus privilegiatus Sac. Inquisitionis. *ibid.* §. 21. p. 241.

Fori privilegio gaudet non solum Patentatus ipse, sed et ejus uxor, liberique, modo eadem domo, mensaque utantur. *ibid.* §. 17.

Fori Privilegio in Causis Criminalibus per Patentatos renunciari non potest. *ibid.* §. 27. p. 243.

FORUM eligendi, variandique privilegio qualiter utantur Viduae, et Pupilli adversus Patentatos S. Officii. §. 20. p. 241.

S. FRANCISCI ASSISIENSIS virtutes extolluntur. XXXII. *sub init* p. 181.

S. FRANCISCUS XAVERIUS declaratur Patronus praecipuus, et Protector Indiarum cum omnibus praerogativis. XXVI. §. 6. p. 187.

Ejus Officium et missa sub ritu duplicis primae classis cum Octava praescribitur. *ibid.* §. 7.

Conceditur Christifidelibus sepulcrum ejusdem sancti visitant bus semel in anno Indulgentia Plenaria. *ibid.* §. 12.

Indulgentia quadraginta dierum visitantibus sepulcrum S. Francisci Xaverii concessa ad tempus determinatum, extenditur in perpetuum» *ibid.* §. 24. p. 189.

Elargitur, ut Episcopi, in locis ubi judicaverint, Festum S. Francisci Xaverii transferri possint cum Missa, Officio, et Indulgentia. *ibid.* §. 26.

V. *Joannes* V. *Rex Fidelissimus.* V. *Indulgentia Plenaria.*

FRANCISCUS XAVERIUS VASQUEZ totius Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis perpetuus deputatur in Visitatorem Apostolicum, et Reformatorem ejusdem Ordinis. LVI.*** p. 340.

Eidem conceduntur amplissimae facultates. *ibid.* p. 341. et 342.

FULDENSIS Abbatia Vid. *Abbatiae.*

Fuldensis Episcopus, a quibus, et quanam servata forma sit eligendus. IV. §. 2. et seq. p. 28.

Fuldensis Episcopus utitur quoque titulo, et jure Abbatis Fuldensis *ibid.* §. 3.

Fuldensis Dioecesis, et episcopatus Moguntinae Archiepiscopali Ecclesiae Jure Metropolitico est subjectus. LXIII. § 1. p. 387. Vid *Moguntina Archiepiscopalis Ecclesia.*

Fuldensem Abbatem inter, et Episcopum Herbipolensem inita transactio, ejusque confirmatio. III. p. 18. et seq.

Fuldensi Abbati territorium separatum, et ordinaria jurisdictio asseritur. *ibid.* §. 4. p. 20.

Forma Litterarum, quibus Abbas suam electionem nunciat. Episc. Herbipolensi *ibid.* §. 5. p. 21.

Jura Abbatis Fuldensis, et Episcopi Herbipolensis distinctius recensentur. *ibid* §. 9. et seq. p. 22.

Transactio Apostolica auctoritate confirmatur, excepto quinto capite. *ibid.* §. 18. p. 25.

Fuldensem Episcopum, et Abbatem inter, et Moguntinum Archiepiscopum inita Concordia, seu transactio confirmatur. LXIX. p. 415.

G

GABELLAS, sive publica vectigalia fraudantes Officiales Sac. Inquisitionis, an, et quomodo Fori privilegio fruantur. XLVI. §. 30. p. 243.

GORITIENSIS Ecclesiae erectio in Archiepiscopalem, et Metropolitanam confirmatur. I. p. 3. et seq.

Eidem assignantur Suffraganeae Ecclesiae. *ibid.* §. 2. p. 6.

Et Capitulum in ea constituitur, Dignitatibus constans, certoque Canonicorum numero. *ibid.* §. 4. p. 7.

Insigna Canonicorum, et mansionariorum. *ibid.* §. 14. p. 13.

Archiepiscopalis, et Capitularis Mensae, nec non cujusque Canonicatus dos, ex certis fundis, et in certa designata summa constituitur. *ibid* §. 8. et seq. p. 8. et 9.

Juspatronatus Metropolitanae Ecclesiae, Dignitatum, Canonicatuum, Mansionariorum etc. Reginae Hungariae, ejusque Descendentibus tribuitur. *ibid.* §. 15. pag. 13.

GRADUS remotioris expressio satis est ad validitatem dispensationis, obtentis postea super propinquiore literis declaratoriis, modo tamen hic primum gradum nullatenus attingat. LI. §. 6. p. 290.

Graduum duplicitas est exprimenda, et obtinenda dispensatio, ut Matrimonium inter sic conjunctos valide contrahi possit. *ibid.* §. 6.

GRÆCI Ritus olim ab imperitioribus Theologis damnati. XLVII. §. 18. p. 255.

A Graecis, et Orientalibus Ritibus non licet ad Latinum transire, absque dispensatione Apostolica. *ibid.* §. 21. p. 256.

Graeci quandoque habuerunt Ecclesias communes cum Latinis. *ibid.* §. 35. p. 266.

Graeci in Latinorum Episcoporum Dioecesibus commorantes impediri non debent, ne suis ritibus vivant. *ibid.* §. 13. p. 253.

Graeci, qui Ritus suos ita sectantur, ut Latinos damnent tanquam improbos, sunt hoc ipso haeretici. *ibid.* §. 22. p. 257.

Graeci non sunt a Latinis Ecclesiis arcendi, ubi praesertim propria carent Ecclesia. *ib.* §. 41. p. 269.

Traditur methodus servanda, ne inde ob Ritus varietatem discordiae Latinos inter, et Graecos exoriantur. *ibid.*

Graeci an veteri, vel potius novo Kalendario uti debeant. *ibid.* §. 42. et seqq. pag. 270. Vid. *Kalendarium*.

Graecorum schisma, eorumque ad Apostolicam unitatem inconstans conversio. *ibid.* §. 4. et 5. et seq. pag. 250.

Graecorum unio semper ita instituta, et tractata, ut primum omnium mentio Romani Pontificis in Missa facienda statuerentur LIV. §. 14. et seq. pag. 305. Vid. *Commemoratio*.

Graecos ritus quantopere servari cupiat Apostolica Sedes, collectis innumeris Pontificum exemplis, demonstratur. XLVII. §. 7. et seq. p. 251. et seq.

GRATIANUS olim Amerinus Episcopus commendator. XLVIII. §. 26. p. 284.

GREGORIUS X. in Lugdunensi Concilio Graecorum unionem complevit. XLVII. §. 11. p. 252.

GREGORIUS XIII. Kalendarium plurimo adhibito labore emendavit. *ibid.* §. 43. p. 270.

GREGORIANUM Kalendarium. Vid. *Kalendarium*.

Gregorianus Cantus. Vid. *Cantum Gregorianum*.

GUBERNIUM Terrae Sublaci, reliquorumque Oppidorum ab ea dependentium, ejusque forma determinatur. XXVII. *in succeesivo Motu Proprio* §. 2. p. 165. Vid. *Sublacum*.

H

HABILITATIO Reorum per Urbem quandonam ab Auditore Generali Camerae Apostolicae concedi possit. XXVI. §. 14. p. 152. et seq. Vid. *Reus*.

Habitu Praelatitio utitur, ex indulto Apostolicae Sedis, Abbas Generalis Ordinis S. Hieronymi Congregationis Italicae, etiam in Pontificia Cappella. XLII. §. 3. p. 210.

HERBIPOLENSES Episcopi jus habent praegestandae Crucis, et utendi Pallio. V. §. 2. p. 31.

HEBRÆI Beatum Andream Rhinuensem, et Beatum Simeonem Tridentinum primae aetatis infantes in odium Christi ccciderunt. XLIII. §. 1. et 5. p. 213. et 214.

Hebraeorum crudelitate, atque perdito in Christum odio plures infantes necati recensentur. *ibid.* §. 13. p. 218.

HIERONYMUS Baruffaldus Archipresbyter in Collegiata Ecclesia S. Blasii Civitatis Centi laudatur. XLI. §. 2. p. 208. Vid. *Centum*.

Hieronymiani Ordinis Abbas Generalis. Vid. *Abbas*, *Habitu*.

HISTORICI facilius recipiuntur in causa Beatificationis, quam Canonizationis. XLIII. §. 7. p. 215.

HOSPITALES S. Angeli a Nido Neapolitanae Civitatis una cum omnibus Bonis, Juribus, nec non certo Inservientium numero, est ab omnimoda Archiepiscoporum tam ordinariam, quam delegata jurisdictione exemptum. LII. §. 4. et seq. p. 292.

I

JACOBUS Cardinalis Boncompagni Cappellam intra Bononiensem Metropolitanam insigni opere construxit. LVIII. in princ. p. 347.

JACOBUS Goarius Ordinis Praedicatorum plurimum Graecarum rerum peritia valuit, Graecumque Euchologium cum latina versione edidit. LIV. §. 5. p. 301.

IDENTITAS personae non satis concluditur ex identiate nominis. XXIV. §. 11. p. 138.

IDIOMA Slavo litterale, Illiricae Nationis Clero in Divini Officiis interdicitur. XXXVIII. §. 1. p 201.

JEJUNIUM naturale Eucharistiae Communioni praemittendum, non admittit parvitatem materiae. LV. §. 2. p. 332.

Non solum licuit, sed etiam decuit, ut Ecclesia naturale jejunium Sacrae Communioni praemittendum sanciret. *ibid.* §. 3.

Ab hujusmodi lege jejunii solus Papa dispensare potest. *ibid.* §. 4. p. 333.

Dispensatio isthaec raro admodum, et nonnisi magna causa urgente, solet concedi. *ibid.* Vid. *Naturale jejunium*.

JEJUNIUM apud Syros, Armenosque servatur cum abstinentia a piscibus. XLVII. §. 2. et 47. pag. 249. et 272.

Hunc jejunii rigorem apud eos semper integrum esse voluit Sedes Apostolica. *ibid.*

Et non solum revocavit, quae secus fuerant at-

tentata per Episcopos, vel Patriarchas, sed ne dispensandi quidem facultatem Missionariis concedere voluit. *ibid.*

JEROSOLYMITANI Ordinis tum spiritualia, tum temporalia privilegia, ac statuta nunc vigentia confirmantur. XIII. §. 1. p. 64.

Ordo idem, res, et personae sunt immediate S. Sedi subjectae. *ibid.* §. 2. p. 65.

Ideoque sunt ab Episcoporum, Archiepiscoporum, et aliorum quorumcumque jurisdictione exemptae. *ibid.* §. 3. *ibid.*

Novae domus, et Praeceptoriae erigi possunt, irrequisitis locorum Ordinariis. *ibid.* §. 4. p. 66.

Praesentati ad Parochiales, aliasque Ordinis Ecclesias, sine ulla exactione sunt ab Ordinariis instituendi. *ibid.* §. 5.

Fratres Cappellani, extra tempora, et a quocumque Catholico Antistite Ordines suscipere possunt. *ibid.* §. 7. *ibid.*

Iidem non obstante contraria consuetudine, in Ecclesiis, et Beneficiis Ordinis adnexis deputantur, ac removentur a Magno Magistro. *ibid.* §. 17. p. 71.

Bona Religionis a quibuscumque decimis, aliisque oneribus Ecclesiasticis, ac etiam Laicalibus sunt exempta. *ibid.* §. 7. et 8. p. 66. 67.

Patrimonialia vero Militum ab oneribus Communitativis. *ibid.*

Jura, proventus, responsiones omnes indiscriminatim communi aerario praestari jubentur, abrogatis contrariis quibuscumque privilegiis. *ibid.* §. 12. p. 68.

Alienatio bonorum Religionis, inconsulto Magno Magistro facta, est nulla. *ibid.* §. 13. p. 69. Vid. *Commendae Ordinis S. Joannis.*

S. IGNATIUS primum instituit Exercitia Spiritualia, et caeteri Ordines Religiosi amplexi sunt. XIII.** §. 2. p. 81.

IGNIS. Ad extinguendum ignem vetitam est SS. Sacramentum e Tabernaculo educere, et cum eodem ad furentes flammas benedicere. XLIX. §. 14. et 26. p. 281. et 284.

Quid hac de re statuatur in Sacerdotali Romano, et Rituali Card. Sanctorii: *ibid.* §. 18. p. 282. Vid. *Sacerdotale Romanum; Rituale, Incendium etc.*

ILARI nomen veteribus Christianis fuit perusitatum. *In Append.* I. §. 7. p. 440.

ILLYRICA Natio quonam Ritu in Missis, aliisque Divinis Officiis uti debeat. XXXVIII. §. 1. et seq. p. 201.

IMMUNDITIA legalis spectavit ad coeremonialia veteris Legis praecepta, sublata per adventum Christi. LIV. §. 19. et seq. pag. 326. Vid. *Ciborum distinctio.*

IMMUNITAS Basilicae S. Francisci Assisiensis circumscribitur, ac definitur. XXXII. §. 15. p. 186. Vid. *Assisiensis Basilicae.*

Immunitate locali non gaudent domus, apothecae, aliaque loca quorumcumque Officialium Sac. Inquisitionis, XLVI. §. 16. p. 240.

Perquisitiones tamen in domo Patentati privilegiati, nonnisi cum interventu personae ab Inquisitore deputatae, fieri permittuntur. *ibid.* §. 30. pag. 243.

Immunitatem Ecclesiasticam moderantes Constitutiones, ad Militam Hierosolymitanam, loca, et personas protenduntur. XIII. §. 10. p. 68.

Immunitatis Ecclesiasticae beneficium quandonam duello pugnantibus denegatur. VI. §. 8. p. 38. Vid. *Duellum.*

IMPEDIMENTA Matrimonii, an, et quando tollere, seu dispensare super illis possint Sacerdotes Societatis Jesu Missionarii ad Indias tam Orientales, quam Occidentales. LXVII. per tot. p. 402. et seq.

IMPERATORUM, Regumque commemoratio antiquitus habita, et etiam nunc temporis fit a Graecis inter Missarum solemnia. LIV. §. 24. et seqq. p. 309.

Quomodo id nunc licere possit Graecis Orientalibus, dominos infideles patientibus. *ibid.* §. 27. et 28. p. 310.

Apud Latinos hujusmodi commoratio sit in locis, ubi ex antiqua consuetudine, vel Pontificio Indulto hujusmodi mos inolevit. *ibid.* §. 16. pag. 308.

INCENDIUM, an, et quando canonicum titulum praestet consecrandi iterum Ecclesiam igne exustam. LVIII. §. 7. p. 351. Vid. *Consecratio.*

INCENDIUM prope Ecclesiam S. Nicolai in Carcere exortum, et quid ad illud extinguendum peractum fuerit. XLIX. §. 2. p. 278.

Educta sacra Pixide Sanctissimum Sacramentum includente, super Populum, et incendium versus, benedixerat Sacerdos, an id rite factum? *ibid.* §. 4. et per tot. p. 274. et seq.

INDICI Congregationis praecipua cura est proscribendi libros noxios. XIX. §. 8. pag. 111. Vid. *Congregatio Indicis.*

INDIARUM Orientalium Missionarii Regulares, quomodo se gerere debeant in administratione Sacramentorum. XVI. §. 10. p. 96.

Indiarum Orientalium, et Occidentalium Missionarii ex Societate Jesu an, et quomodo dispensare possint super impedimentis Matrimonii tam contracti, quam contrahendi, et non minus pro interno, quam pro externo foro. LXVII. per tot. p. 402. et seq.

Indiarum Occidentalium Parochiae, sublato asserto privativo jure Regularium, saecularibus Sacerdotibus canonice conferuntur. XVII. §. 2. et 3. pag. 103.

Immo si ob defectum Sacerdotum Saecularium iisdem praeficiantur Regulares, hi tanquam amovibiles ad nutum, possunt, nulla expressa causa, ab Or-

dinario, vel etiam a Superiore Regulari removeri. *ibid.* §. 2. Vid. *Regulares*.

Indiarum Vicarii Apostolici. Vid. *Vicarii Apostolici Indiarum*.

INDULGENTIA PLENARIA a Gregorio Papa XIII. concessa singulis Ecclesiis Fratrum Ordinis S. Francisci de Paula Minimorum in Festo ejusdem Sancti confirmatur, et extenditur ad Ecclesias Monialium dicti Ordinis sub cura, et regimine eorumdem Fratrum. X.* p. 80. XXX.* p. 176.

Eadem Indulgentia extenditur etiam ad septem dies sequentes festum dicti S. Francisci de Paula visitantibus Ecclesias ejusdem Ordinis in Hyspaniarum Regnis dumtaxat sitas. *ibid.*

INDULGENTIA PLENARIA semel in anno conceditur Christifidelibus sepulcrum S. Francisci Xaverii visitantibus. XXVI.* §. 12. p. 187.

Visitantibus quamcumque Ecclesiam Societatis Jesu per decem Ferias sextas in honorem S. Francisci Xaverii conceditur in una ex ipsis Indulgentia Plenaria. *ibid.* §. 18. p. 188. XXVII.* p. 166.

In aliis novem feriis sextis septem anni, et totidem Quadragenae. *ibid.* §. 16.

Indulgentia quadraginta dierum visitantibus sepulcrum S. Francisci Xaverii concessa ad tempus determinatum, extenditur in perpetuum. *ibid.* §. 24. p. 189.

Indulgentias pro decem feriis sextis concessas aliquando non lucrantur homines praesertim in Indiis agrorum culturae addicti; ideo conceditur Episcopis, ut ferias sextas in quamcumque aliam diem commutare possint. *ibid.* §. 28. et 29.

Indulgentia Plenaria extenditur ad totam Octavam Festi S. Francisci de Paula quoad Ecclesias Fratrum ejusdem Ordinis ubique existentes. XXX.* p. 176.

Indulgentia Plenaria conceditur omnibus Christifidelibus, qui acoipientes a Praedicatoribus, aut missionariis Sacras Immagines sub invocatione Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae, non solum jejunium servant, verum etiam peccata sua confitentur, et Sanctissimam Eucharistiam sumunt. LVI.** *per totum* p. 340.

Indulgentia Plenaria elargitur omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesias Ordinis Fratrum s. Francisci de Paula minimorum nuncupat. visitaverint in Festis Nativitatis D. N. J. C., Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, ac Purificationis, et Assumptionis B. M. V. Immaculatae, nec non Dedicationis S. Michaelis Archangeli ejusdem Ordinis Protectoris principalis. LIX.* p. 370.

Insuper omnibus, et singulis modernis, et pro tempore existentibus Conventuum dicti Ordinis Correctoribus facultas datur in diebus festis supradictis nomine Pontificis Benedictionem impertire, Absolutionemque indicere super omnes Christifideles in praedictis Ecclesiis existentes. *ibid.*

Ipsis Correctoribus conceditur facultas deputandi alios memorati Ordinis professores ad impertiendam eamdem Benedictionem. *ibid.*

Servata vero in omnibus, et per omnia dispositione, et forma Epistolae Encyclicae ad Patres Generales Ordinum Regularium, quibus a S. Sede indulta est facultas Pontificiam Benedictionem effundendi super Populum statis diebus, editae XIX. Martii MDCCXLVIII. *ibid.*

INDULGENTIAM Plenariam aliquoties concedere possunt Vicarii Apostolici in Anglia. XVI. §. 23. p. 102.

INFANS quis proprie dici possit. XLIII. §. 14. p. 218.

INFANTES Bethleemitici a bimatu, et infra tantum fuerunt ab Herode occisi. *ibid.* §. 16. p. 220.

Improbabiles de eorum numero opiniones. *ibid.* §. 18.

Usus rationis non fuit ipsis acceleratus. *ibid.* §. 10. et 27. p. 216. et 224. tamen revera Martyres sunt. *ibid.* §. 10. p. 216.

Cultum obtinent in universa Ecclesia a primis saeculis. *ibid.* §. 18. p. 220.

Quare peculiari quodam cultu, super reliquos Pueros in odium Christi occisos, colantur. *ibid.* §. 27. p. 224.

Nonnullae horum Infantium reliquiae ad Lieberianam Basilicam a Sixto V. fuerunt translatae. *ibid.* §. 20. p. 221. et seq.

Infantibus illico post Baptismum fuit quandoque Eucharistia administrata. XLVII. §. 24. p. 238.

Non est iisdem ad salutem necessaria. *ibid.* Vid. *Eucharistia*.

INFIRMI: Ad Infirmos non est deferenda Eucharistia, ut eam tantummodo adorent, vel deosculentur, si eamdem sumere ipso morbo impediantur. XLIX. §. 13. p. 280.

INNOCENTIANA Constitutio de non ineundis pactionibus, seu concordatis ante electionem cum eligendo, complectitur quoque Monasteria Foeminarum, et Capitula, quae mixta dicuntur. XXXVI. §. 2. et 3. p. 198.

INNOCENTII III., et Innocentii IV. Summorum Pontificum cura servandi Graecum Ritum. XLVII. §. 8. et 9. p. 231.

Innocentius XII. spolia Archiepiscoporum, Episcoporum, reliquorumque Praelatorum per Regnum Neapolitanum, addixit Ecclesiis, quibus illi, dum viverent, praefuerunt. LVII. §. 2. p. 343. Vid. *Spolia*.

S. INQUISITIONIS Officiales, et Ministri quot in unoquoque loco esse debeant. XLVI. §. 4. et seq. et §. 34. p. 238. 244.

Eorum conditio, et habilitas ad concreditum sibi munus obeundum. *ibid.* §. 7. p. 239.

A quibus, et quomodo singuli cooptandi. *ibid.* §. 8. et seq. §. 31. et seq. p. 238. 244.

Alii privilegiati, alii vero simplices dicuntur. *ibid.* §. 4. et seq. et §. 31. et seq.

Privilegiati, amplissima exemptione, et Fori privilegio in Causis Civilibus, et Criminalibus fruuntur. *ibid.* §. 7. et seq. p. 239.

Quid de non privilegiatis statuendum. *ibid.* §. 31. et seq. p. 244. Vid. *Patentatis Fori privilegio.*

S. Inquisitionis Congregatio. Vid. *Congregatio Romanae Universalis Inquisitionis.*

INSCRIPTIONE sepulcrali probari, ac distingui Sanctorum Martyrum Corpora, a corporibus reliquorum Christianorum, indubium est. *In Appendice.* t. II. §. 8. p. 440.

INSCRIPTIONES complures ex veteribus Christianorum sepulchris afferuntur, et congrua interpretatione explicantur. *In Append.* t. II. §. 8. p. 440.

INSTITUTIO, et Installatio Abbatum, seu Archimandritarum Congregationis Ruthenae Ordinis S. Basilii, ad quem pertineat. LVI. §. 2. p. 337.

INTERPRETATIO alieni facti in aequiorem partem semper est facienda. XLIX. §. 27. p. 285.

INTERROGATORIA super statu Ecclesiarum in partibus Infidelium, Populum Fidelem habentium, ac super qualitatibus promovendorum, quomodo efformanda, ac conficiendi Processus. LXVI. *per tot.* p. 398.

INTROITUS in Missa juxta Graecam Liturgiam duo sunt: alter major, minor alter dicitur. LIV. §. 30. p. 310.

Varii utriusque Ritus, atque doctores de iisdem differentes, recensentur. *ibid.* et §. 31. p. 311.

Graecorum Ritus ad functionem majoris Introitus, alii damnant, defendunt alii. *ibid.* §. 33. et seq.

Quid de ejusmodi majori Introitu, et Ritibus in eo adhiberi solitis senserit, atque praescripserit Congregatio praeposita correctioni Euchologii. *ibid.* §. 34. et seq. p. 312.

INVASORIBUS Bonorum Ecclesiasticorum fuerunt eadem quandoque per Romanos Pontifices, maximis urgentibus rationibus relicta. XXXIII. §. 5. p. 191. Vid. *Papa, Bona Ecclesiarum.*

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS; an faleatur se Communionem ministrasse non jejuntis in Epistola 125. ad Cyriacum Episcopum. LV. §. 6. et 8. p. 333. et 334.

JOANNES Palaeologus nomen Romani Pontificis in sacris diptychis reponi jussit. LIV. §. 15. p. 308.

JOANNES BAPTISTA Thiers opus composuit commendatum de expositione Sanctissimi Sacramenti. XLIX. §. 16. p. 282.

Fundamenta inibi constitutae sententiae expenduntur, ac vindicantur. *ibid.* §. 17.

JOANNES Morinus Presbyter Oratorii Gallicani plurimum sua eruditione contulit ad correctionem Euchologii. LIV. §. 2. p. 300.

JOANNES V. REX FIDELISSIMUS laudatur. XXVI.* §. 4. p. 157.

Ejus precibus S. Franciscum Xaverium Patronum Principaliorem, ac Protectorem Indiarum cum omnibus praerogativis declarat. *ibid.* §. 6.

Ejus Officium et Missam sub ritu duplicis primae classis cum Octava praescribit. *ibid.* §. 7.

JOSEPHO A S. BARTHOLOMAEO Superiori Generali Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Excalceatorum nuncupat. committitur executio Constitutionis prohibentis extractionem librorum, quinternorum, foliorum sive impressorum, sive manuscriptorum ex Bibliothecis Conventuum, et Hospitiorum ejusdem Ordinis cum quibusdam cautelis, et conditionibus. LXVII.** p. 411. V. *Prohibitio.*

JOSEPHUS A CUPERTINO Sacerdos Professus Ordinis Minorum Conventualium Beatorum Catalogo accensetur. XII. p. 86.

ISAIAS Schismaticus quomodo ad Catholicam unitatem una cum suis discipulis conversus. LIII. §. 6. p. 298.

ITALO-GRAECIS duo constituti sunt Graeci Episcopi, qui eosdem ad Ordines promoveant. XLVII. §. 13. p. 283.

Constitutiones pro Italo-Graecis editae, Graecos Graecis Episcopis subjectos non afficiunt, *ibid.* §. 13. et 16.

Italo-Graecis, an liceat, sine dispensatione Apostolica, ad Latinum Ritum transire. *ibid.* §. 21. p. 286.

Italo-Graeci mentionem Romani Pontificis in Missa facere debent. LIV. §. 17. p. 306.

Italo-Greci quoad commemorationem in Missa habendam, latinam disciplinam sequi tenentur. *ibid.* §. 21. p. 307.

Ideoque nec Episcoporum, nec Patriarcharum Orientalium commemorationem facere debent in Sacrificio Missae. *ibid.*

Italo-Graeci an veteri, vel potius novo emendatoque Kalendario uti debeant. XLII. §. 43. p. 270. Vid. *Kalendarium.*

JUDAEI. Vid. *Hebraei.*

JUDEX Delegatus Apostolicus pro tempore, in tota Sardinia declaratur exemptus ab Ordinarii, et aliorum omnium Judicum Jurisdictione, solique Sedi Apostolicae subjectus in quibuslibet causis passivis. XLV.* p. 233.

Pius II. Officium Judicis Appellationum instituit in Regno Sardiniae pro uno Judice Ecclesiastico, qui Causas Ecclesiasticas, tam Beneficiales, quam alias quarumcumque appellationum a quibusvis definitivis sententiis, aut gravaminibus tam ab Ordi-

nariis, quam ab aliis Judicibus interpositarum cognosceret, easque decideret, ac debitae executioni demandaret. *ibid.*

Delegati hujus Apostolici facultates revocatae in dubium. *ibid.*

Ab Urbano VIII. declaratae, et ampliatae. *ibid.*

Alia duo Dubia excitata, et responsa ad eadem. *ibid.* p. 234.

JUDICES Conservatores eligendi facultas Militibus Hierosolymitanis indulgetur. XIII. §. 19. p. 72.

In Causis passivis civilibus Equites Hierosolymitani coram suis Judicibus in prima Instantia convenìri debent. *ibid.* §. 20.

JURAMENTUM solemne Obedientiae, et Subjectionis Romano Pontifici, praestandum est a Praesulibus, qui Pallii honore decorantur. XXXIX. §. 1. p. 203.

JURISDICTIO Rectoris Carpentoractensis in Causis Criminalibus, Civilibus, et mixtis, definitur. XXI. §. 3. et seq. p. 118.

Jurisdictio in spiritualibus Monasterio Sublacensi, ut antea competebant, nunc quoque temporis competit, sine diminutione. XXXVII. §. 3. p. 161.

Jurisdictio temporalis Abbatiae Sublacen. Vid. *Sublacum*.

A Jurisdictione ordinaria Episcopi sui non eximitur quis ex eo tantum, quod ordinatus fuerit a Papa. LXIV. §. 18. p. 394.

Jurisdictioni Episcopi consecrantis olim subjiciebatur Ecclesia consecrata quamvis aliena in Dioecesi extructa. LVIII. §. 6. p. 349.

Jurisdictioni, et auctoritati Metropolitani, vel Proto-Archimandritae respective, in quibus subjiciantur Archimandritae Congregationis Ruthenae Ordinis S. Basilii. LVI. §. 2. et seq. p. 337.

Jus Canonicum non ex solis Decretalibus Gregorii. IX., sed ex aliis pluribus Pontificiis Sanctionibus coalescit. LXIV. §. 8. p. 390.

Jus Metropoliticum. Vid. *Metropoliticum Jus.*

Jus nominandi Archiepiscopum Utinensem, nec non Dignitates, certumque Canonicorum numerum, reservatum est Duci, et Reipublicae Venetae. IX. §. 11. p. 45. Vid. *Utinensis Ecclesia*.

JUSPATRONATUS cujuscumque Altaris, vel Cappellae existentis in Basilica Assisiensi, inconsulto Pontifice, concedi non potest. XXXII. §. 14. p. 186.

Nec jus sepulchri, vel scamni apponendi. *ibid.*

K

KALENDARIUM plurimo labore, adhibitaque opera praestantium Virorum, emendavit Gregorius XIII. Pontifex. XLVII. §. 43. p. 270.

Ejusdem Indictio an Orientales affecerit, valde dubium. *ibid.* §. 44.

Negarunt complures praestantes Viri, qui de ea re disceptaturi simul convenerunt. *ibid.*

Italo Graecis injuncta illius observantia: attamen quandoque ex peculiaribus circumstantiis iisdem permisus est veteris kalendarii usus. *ibid.* §. 45.

Orientales vero suasionibus quidem excitati, caeterum nunquam inviti coacti sunt kalendario emendato uti. *ibid.* §. 46. p. 271.

Immo Missionarii ipsi in iis Regionibus degentes, ab ejus observatione, quandoque exempti fuerint. *ibid.*

L

LAICI in Orientali, Graecaque Ecclesia quomodo Communionem sucipiant sub utraque specie XLVII. §. 25. p. 259.

LAMBERTINÆ Gentis devotio, ac liberalitas in Franciscanam Familiam jam inde ab hujus incunabulis. XXXII. §. 3. p. 183.

LATERANENSIS Ecclesia iteratis vicibus igne consumpta restituta, et novissime a Benedicto XIII. solemniter consecrata. LVIII. §. 8. p. 351.

LATIFUNDIUM Conchae. Vid. *Conchae latifundium*.

LATINUS Ritus est caeteris omnibus praeferendus XLVII. §. 20. p. 256.

Latinis, etiam inter Graecos commorantibus, non licet a Latino ad Graecum Ritum transire. *ibid.*

Immo ne Graecis quidem semel ad Latinum Ritum jure translatis permittitur ad Graecum Ritum regressus, nisi ex gravioribus quibusdam causis. *ibid.*

Latinos Ritus tamquam improbos damnantes, ac reprobantes, sunt hoc ipso haeretici. *ibid.* §. 22. p. 257.

Latinorum Ecclesias in Jerosolymitano Patriarchatu, ac alibi sitas, observari jussit Michael Cerularius. *ib.* §. 7. p. 251.

LATRIÆ cultum non externi actus per se, sed interni animi sensus constituunt. LIV. §. 37. p. 313.

Excipe Sacrificium, vel alium quemlibet actum publica auctoritate ad hujusmodi finem institutum. *ibid.*

LAVARE se antequam Ecclesiam ingrederentur, et manus, dum librum Evangeliorum sumpturi erant, usitatum fuit primis Christifidelibus. *ibid.* §. 74. p. 328.

LEGALIA praecepta Legis veteris. Vid. *Precaepta Caeraemonialia*.

S. LEO Pontifex quantum scientia claruerit. XL. §. 2. pag. 205.

Missa, et Officium sub Ritu Sanctorum Doctorum eidem decernitur. *ibid.* §. 3. p. 206.

Leonis IX. Pontificis praeclarum moderationis exemplum. XLVII. §. 7. p. 251.

LIBANENSIS Synodus. Vid. *Synodus Libanensis*.

LIBER duobus tomis constans Gallico idiomate absque Auctoris nomine, et espressionis loco editus, damnatur. VII. p. 36.

Liber cui titulus: *Principes sur l'essence, la distinction, et les limites des deux puissances spirituelle, et temporelle, Ouvrage posthume du Pere la Borde de l'Oratoire*: iterata censura proscribitur, et sub certis poenis haberi, legique prohibetur. XLIV. §. 2. pag. 228.

LIBERIANA Basilica fuit a Xysto III. Pontifice consecrata. LVIII. §. 6. p. 350.

LIBRI noxii tam a Congregatione Universalis Inquisitionis, quam a Congregatione Indicis proscribuntur. XIX. §. 1. et 4. p. 109. et 110.

Utraque summa maturitate, et consilio utitur in proscriptione evulganda. *ibid.* §. 1. p. 109.

Methodus a Congregatione Inquisitionis servata in proscribendis libris, *ibid.* §. 4. p. 110.

Si Auctoris Catholici liber proscribendus, ulteriores cautelae adhibendae. *ibid.* §. 6.

In Congregatione vero indicis, quomodo ad proscriptionem librorum sit procedendum, diserte definitur. *ibid.* §. 8. p. 111.

Clausula *donec corrigatur, seu expurgetur* quandonam sit Decreto proscriptionis addenda. *ibid.* §. 9.

Auctores Catholici in Librorum proscriptione, non quidem necessario, sed recte audiuntur, vel Defensor Operis ex officio designatur. *ibid.* §. 10. p. 112.

A datis regulis recedi permittitur, si Liber Haeretici Dogmata Catholica impetentis, vel bonis moribus aperte repugnans, sit proscribendus. *ibid.*

Quinque regulae a Relatoribus, et Consultoribus, in Librorum examine, ac judicio super iis efformando, servandae proponuntur. *ibid.* §. 15. ad 19. p. 113.

Libri, in quibus damnata aliorum dogmata, vel sistemata historice referuntur, nec refutantur, sunt proscribendi. *ibid.* §. 21. p. 114.

Quid de Libris, in quibus Auctores, contra bonos mores, et Christianam charitatem, convicijs, et probris se se invicem petunt. *ibid.* §. 21. et seq.

LITERAE APOSTOLICAE Benedicti XIII. prohibentes novas Conventuum Mendicantium fundationes intra quatuor, aut quinque Leucarum spatium ab illis jam erectis ad provinciam Russiae Polonicae, aliasque totius Polonici Dominii confirmantur, et ampliantur. XLIV. *per totum.* p. 226.

LITERAE in forma Brevis confirmatoriae aliarum similium san. mem. Clementis VIII. favore Universitatem Artis Serici, Tinctorum, et Crispatorum velorum Civitatis Bononiae, LIX. *per totum.* p. 371.

LITES instituere, vel prosequi nequeunt Communitates Status Ecclesiastici, absque licentia Praefecti Congregationis Boni Regiminis. XXV. *num.* 26. p. 148.

Quandonam hujusmodi licentiam concedere debeat Praefectus, vel denegare, aut cautionem praestandi indemnem Communitatem ab illius hominibus exigere. *ibid.* §. 26.

Lites interesse Communitatum respicientes, et in Congregatione Boni Regiminis introductae, qua methodo definiendae. XXV. §. 24. p. 147. et seq. Vid. *Congregatio Boni Regiminis.*

Ad Lites, et Dissensiones eliminandas exortas inter Religiosos societatis Jesu confirmantur Constitutiones Gregorii XIII., Pii V., et Sanctissimi, quae incipit *Praeclaris* prohibentes possessionem quorumcumque bonorum nisi in commune. LXXII. p. 432.

LITERÆ A Ω sepulchris inscriptae quid significarent. *In Append.* t. II. §. 8. p. 440.

Literae Pl. Ms. sepulchris inscriptae ad indicandam aetatem. *ibid.*

LOCUMTENENS Generalis in Criminalibus Auditoris Camerae habet votum decisivum in Congregatione Criminali. XXVI. §. 5. p. 151.

Substituti vero Locumtenentes tantummodo votum consultivum. *ibid.*

Coram Locumtenente Generali fieri debent actus omnes praeparatorii judicii. *ibid.* §. 8.

Ab ipsius Decretis ea occasione editis, ad Auditorem Sanctissimi, vel Signaturae Justitiae, non vero ad ipsam Signaturam, vel Auditorem Camerae, est provocandum. *ibid.* §. 8. Vid. *Auditor Camerae.*

LOTIO Altarium in feria sexta majoris Hebdomadae. Vid. *Altaria.*

LUCENSIS Respublica de Apostolica Sede optime merita. XXXIV. §. 2. p. 194.

Decem millia aureorum tribuit in augmentum Dotis Archiepiscopalis Lucensis Ecclesiae. *ib.* §. 3.

Ipsi Reipublicae conceditur, ut in successivis Lucensis Ecclesiae vacationibus, tres Viros idoneos nominet Romano Pontifici, ex quibus ipse eliget unum ad vacantem Ecclesiam. *ib.* §. 4. p. 195.

M

MAGNUS MAGISTER Religionis Jerosolymitanae potest acceptare resignationes Commendarum, aliorumque Officiorum, ac pensiones perpetuas super illis reservare. XIII. §. 15. p. 70.

Privilegia quaecumque exemptiva a jurisdictione, et subjectione Magni Magistri abrogantur. *Ibid.* §. 9. p. 67. Vid. *Jerosolymitana Religio. Commendae Ordinis Jerosolymitani.*

MANDATA in aliis Tribunalibus obtenta adversus Patentatos privilegiatos Sac. Inquisitionis, quo ordine exequenda. XLVI. §. 24. et 25. p. 242.

MANSIONARII, et Cappellani Ecclesiae Utinen-

sis sunt amovibiles ad nutum Capituli, et Canonicorum. IX. §. 14. p. 47.

MANUS REGIÆ decretum quandonam relaxandum contra Debitores Communitatum. XXV. §. 17. et 19. p. 145. et 146.

Ejusdem exequutio per quascumque inhibitiones non suspenditur. *ib.* §. 17. et 19.

Nec ex pretensione defalcationis, quamvis devolutiva appellatio concedatur, soluto integro debito *ib.* §. 17.

Allegatio Privilegii exequutionem ipsam remoratur, nisi Communitas sit in quasi possessione exigenda. *ib.* §. 17. Vid. *Congregatio Boni Regiminis*.

MANUUM impositio an materia sit Sacramenti Confirmationis, quaestio est inter Theologos? LIV. §. 31. et seq. p. 319.

De manuum impositione in conficiendo Sacramento nulla mentio apud Graecos. *ib.* §. 30.

Sola manuum impositione non conficitur Sacramentum Confirmationis. *ib.* §. 36. p. 321. Vid. *Confirmatio, Chrisma*.

MARCUS Archiepiscopus Ephesinus Auctor novi schismatis post Concilium Florentinum. XLVII. §. 8. p. 280.

S. MARIA AD MARTYRES. Vid. *Pantheon Urbis*.

S. MARO veluti Haereticus temere traductus fuit a Patriarcha Graeco-Melchita. XXIV. §. 1. p. 135.

Ejusdem Sanctitas vindicatur. *ib.* §. 3. et seqq. p. 136.

Vita S. Maronis scripta a Theodoreto, plurimae auctoritatis habita ab eruditioribus Viris. *ib.* §. 3. et seqq.

S. Maronis Coenobium plane insigne fuit. *ib.* §. 3.

Quae scripserunt Willelmus Archiepiscopus Tyri, et Eutychius Alexandrinus de Marone Monacho Haeretico. *ib.* §. 8. p. 137.

Veritati consentanea non esse, probatur. *ib.* §. 9.

Vel forte dicendum duos Abbates Marones extitisse, et quare. *ib.* §. 10. p. 138.

Maronis haeretici errores de una in Christo voluntate, atque operatione. XXIV. §. 8. p. 137.

Alius fuit a S. Marone Abbate, perenni cultu, plurimorumque insignium virorum scriptis, et laudibus celebratio. *ib.* §. 10. et seq. p. 138.

MARONITÆ Pontificales, et Sacerdotales vestes adhibent ejus formae, qua Latini utuntur. XLVII. §. 31. p. 265. et seq.

Latinum quoque Ritum amplexi sunt quoad Missam Praesanctificatorum. *ib.*

Maronitae utuntur Azimo, et sacris indumentis simillimis iis, quae adhibentur in Latina Ecclesia. *In Append.* t. IX. p. 468.

Maronitarum Episcopis carnibus vesci prohibitum est. XLVII. §. 47. p. 272.

Maronitarum Patriarcha electus Tobias Gazenius confirmatur, et Latino Pallio donatur. *In Append.* t. IX. p. 470.

Maronitae an umquam a Catholica fide desciverint. XXIV. §. 7. et 9. p. 137. Vid. *S. Maro*.

MARTYRES sunt Pueri ante usum rationis in odium Christi occisi. XLIII. §. 10. et seq. p. 216.

Martyrum triplex distinctio. *ib.* §. 15. p. 219. Vid. *Pueri in odium Christi occisi*.

MARTYRII indubia signa quaenam habeantur apud eruditos. *In Append.* t. VII. §. 2. et 7. p. 460. et 462.

Martyrium quomodo a Theologis communiter definiatur. XLIII. §. 10. p. 216.

Martyrii Signum sive indubia nota est ampulla sanguinea. *ibid.* §. 12. et 20. p. 217. et 221. *et in Append.* t. II. §. 14. p. 443.

MARTYROLOGIO ROMANO Canonizatorum nomina tantummodo inscribenda sunt. XLIII. §. 5. p. 214.

Non tamen ex eo tantum Canonizatus quis fuisse probatur, quod ipsius nomen fuerit in Martyrologium Romanum illatum, *ib.* §. 21. p. 222.

In Martyrologio Romano plura inscripta leguntur nomina Infantium, qui in odium Christi fuerunt occisi. *ib.* §. 11. p. 217.

Martyrologia celebriora recensentur. *In Append.* t. II. §. 13. p. 443.

MATHELICA Oppidum in Picoeno antiquissima fundatione, et praestantium Virorum fama illustre. XXIII. §. 1. p. 133.

Titulo, honoribus, et juribus Civitatis jam inde a vetustioribus temporibus gavisa. *ib.* §. 2. p. 134.

Ad primaevum Civitatis statum, et jura redintegratum. *ib.* §. 3.

MATRIMONIUM contractum inter Conjunctos tertio, et quarto duplicibus, obtenta dispensatione super tertio, et quarto simpliciter, est nullum. LI. §. 6. p. 290.

Matrimonium contractum non expeditis literis super gradu proximiore in dispensatione non expresso, est illicitum, sed tamen validum. LI. §. 6. p. 290.

MATRIMONIALES causae duobus saltem conformibus sententiis, vel decretis definiri debent. *ib.* §. 2. 289.

Ex justis causis ab hujusmodi lege Pontifex Oratores quandoque absolvit. *ib.*

Matrimonialibus dispensationibus quandoque justam praestat causam probabilis timor, ne iis denegatis, Oratores in Apostasiam prolabantur. XXXIII. §. 6. p. 192.

Matrimoniales causas Personarum degentium in Parochiis Capitulo Veronensi subjectis cognoscere, est privativae jurisdictionis Veronensis Episcopi. LIX. §. 29. p. 367.

Matrimonii impedimenta an, et quando tollere,

vel super illis dispensare possint Sacerdotes Soc. Jesu Missionarii per Indias Orientales, et Occidentales. LXVII. *per tot.* p. 402.

Matrimonium quoad dispensationem in radice. Vid. *Dispensatio Matrimonii in radice.*

MAXIMIANUS aedificium Thermarum Dioclctiani aggressus est, et quo consilio. *In App.* t. II. §. 12. p. 442.

MENSTRUATAS Mulieres ab Ecclesia, et ab Eucharistica Communione, etiam in discrimine mortis constitutas, olim repellebant Graeci. LIV. §. 71. p. 328.

MERIDES sunt minores quaedam portiones panis in Missa, juxta Orientalis Ecclesiae Ritum, offerendi, et consecrandi. LIV. §. 39. et seq. p. 315. et seq.

De harum particularum consecratione temere dubitavit Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis Schismaticus. *ib.* §. 40. p. *ib.*

S. METHODII Patriarchae Constantinopolitani Decretum de reconciliandis Apostatis, iterationem Confirmationis non inducit. LIV. §. 33. p. 321.

METROPOLITIS olim privativo jure reservata erat auctoritas consecrandi Ecclesias per Dioeceses Suffraganeorum, et siquo detinerentur impedimento, poterant alteri sibi bene viso functionem delegare. LVIII. §. 28. p. 338. Vid. *Consecratio.*

METROPOLITICUM jus Ecclesiae Moguntinae. Vid. *Moguntina Archiepiscopalis Ecclesia.*

MICHAEL PALÆOLOGUS Constantinopolitanus Imperator iterato Graecae Ecclesiae unionem cum Latina curavit XLVII. *ib.* §. 11. p. 282.

MICHAEL CERULARIUS schismatis instaurator. XLVII. §. 3. p. 280.

Michael Cerularius improbus Photiani schismatis instaurator. LIV. §. 13. p. 304.

Ejus literae ad Petrum Patriarcham Antiochenum, illiusque ad ipsum responsio, de Commemoratione Romani Pontificis in Missa. *ib.* Vid. *Commemoratio Romani Pontificis.*

MINIMORUM S. Francisci de Paula Electiones, aliaque negotia, post tertium scrutinium, ob suffragiorum paritatem non absoluta, judicio Correctoris, sive Generalis, sive Provincialis dirimuntur. XXX. §. 2. et 3. p. 175.

MINIMIS S. Francisci de Paula tam Fratribus, quam Monialibus praecipitur, ut in Choro, aliisque quibuscumque functionibus Ecclesiasticis Cantum Gregorianum adhibeant. XXIX. §. 3. p. 174.

MINISTER Ordinarius Sacramenti Confirmationis idem ipse est Ordinarius Minister Consecrationis Ecclesiarum. *In Append.* t. III. §. 1. p. 443.

MIRACULORUM varius numerus pro casuum diversitate ad Canonizationem requisitus. XLIII. §. 7. p. 215. Vid. *Canonizatio.*

MISSA, ET OFFICIUM sub Ritu SS. Doctorum, S. Leoni I. Papae decernitur. XL. §. 3. p. 206.

MISSA propria alicujus Beati non conceditur, nisi praevio Processu super Virtutibus, miraculis, et Cultu immemorabili ejusdem. XLIII. §. 1. p. 213.

Quandoque a generali hac regula licet recedere, et quando. *ib.* §. 2.

Missas tres in Nativitate Domini, Armenis, et universim Sacerdotibus Orientalibus celebrare non licet. LIII. §. 2. et seq. p. 297. et seq.

Missa in Pontificio Sacello nocte Nativitatis Domini celebratur a Cardinali plerumque non jejuno a praecedenti media nocte. LV. §. 9. et 10. p. 334. et seq.

Id fit ex tacita, non autem expressa dispensatione Pontificis. *ib.*

Missam ut etiam non jejuni celebrare possent Sacerdotes per Indias Regi Lusitaniae subjectas, ex certis causis indulsit Pius IV. LV. §. 9. et 10. *ibid.* Vid. *Jejunium.*

Missam aliquando bis uno die celebrare possunt Missionarii in Anglia, cum assensu Vicariorum Apostolicorum. XVI. §. 11. p. 98.

Missa ad Altare, ad quod celebravit Episcopus, nequit eodem die celebrari a simplici Presbytero, absque ejusdem Episcopi licentia. LXIV. §. 9. p. 390. et seq.

Quid hac in re obtineat quod Altaria Pontificia, in Basilicis Urbis, vel alibi existentia. *ibid.*

Missam cum Episcopo tam in Latina, quam in Graeca Ecclesia, Sacerdotes juxta veterem Ritum concelebrant. XLVII. §. 38. p. 268.

Unde haec disciplina desumpta fuerit. *ibid.*

Non ideo tamen privatae Missae usus apud Graecos inauditus. *ibid.* §. 39.

Missam celebranti Sacerdoti non possunt ministrare Mulieres. XLVII. §. 29. p. 263.

Missam unam solummodo in die ad singula Altaria, juxta Graecam disciplinam, celebrare licet. *ibid.* §. 37. p. 268. Vid. *Altaria plura.*

MISSA: Graeci aeque ac Latini debent in Missa commemorationem facere Romani Pontificis. LIV. §. 9. et seq. p. 302. Vid. *Commemoratio.*

Episcopi Dioecesani loci, in quo Missa celebratur, fieri debet commemoratio, non autem alterius cujuscumque Episcopi, vel superioris non insigniti ordine Episcopali. *ibid.* §. 19. p. 306.

Romae solius Pontificis commemoratio fit in Sacrificio Missae. *ibid.* §. 19.

Pontifex, caeterique Episcopi, quomodo pro se ipsis orent in Missa. *ibid.*

Pro-Archiepiscopo, qua Metropolitano, Commemoratio non fit in Canone apud Latinos, etiam cum Episcopalis Sedes vacat. *ibid.*

Italo-Graeci latinae disciplinae hac in re debent omnino adhaerere. *ibid.* §. 21. p. 307.

Missa de Spiritu Sancto cum certis Orationibus, seu collectis, in Utinensi Metropolitana Ecclesia, in

die annuae commemorationis Beati Bertrandi Patriarchae Aquilejensis, celebrari conceditur. LX. §. 2. p. 376.

Missa Praesanctificatorum, quo Ritu, quibusve diebus apud Orientales, celebratur. LIV. §. 32. 311. Vid. *Praesanctificatorum Missa*.

MISSALE, et Breviarum Dominicanum cur in Armenam Linguam versa fuerint. LIII. §. 7. p. 299.

Missale Copthicum, Illyricum, Maronitarum, aliaque Missalia nonnullorum malitia corrupta, emendari recudique curarunt Romani Pontifices. XLVII. §. 18. p. 255.

MISSIONARIIS et Superioribus Societatis Jesu Assistentiae Hipaniae in Indiarum Provincias Catholici Regis dominio subjectis Quitensi in America, Insularum Philippinarum in Asia, Mexicana, Peruensi, Chilensi, Paraquaria, et novi Regni Granatensis, seu Sanctae Fidei in America constitutis conceditur facultas conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam conditionibus, clausulis, et circumstantiis. XII.** §. 3. 4. 5. 6. p. 62.

Cuilibet missionario ejusdem Societatis in dictis Locis vice Parochi fungenti tribuitur facultas, ut cum Indis Fidelibus dispensare possit super tribus proclamationibus ante matrimonium contrahendum fieri solitis, dummodo ea intercesserint momenta, propter quae dispensatio hujusmodi, prudenter tamen adhibenda, necessario concedi posse existimatur. *ibid.* §. 7.

Omnibus et singulis earumdem Provinciarum, et Insularum Societatis Jesu Sacerdotibus, atque iis, qui ad Horas Canonicas tenentur, indulgentur, ut Festum Praesentationis B. M. V. quotannis sub Ritu Duplici secundae classis cum Octava, tam quoad Horas Canonicas, quam quoad missam recitare, et celebrare valeant, et possint. *ibid.* §. 8.

MISSIONARIOS mutuae charitatis, et concordiae officium maxime decet. XVI. *in Proaemio* p. 93.

MISSIONIBUS Anglicanis quatuor Vicarii Apostolici praeficiuntur. XVI. §. 1. p. 94.

Missionibus per Angliam obeundis instituuntur Alumni in Collegiis ad id erectis in Urbe, Gallia, Hispania, Lusitania. *ibid.* §. 2.

Quaenam methodus in his Alumnis erudiendis servanda. *ibid.*

Ad Anglicanas Missiones, nec omnes indiscriminatim, nec ex omnibus Ordinibus, Regulares ablegari debent. *ibid.* §. 3.

Immo nec Sacerdotes Hiberni, nisi in subsidium et vocati a Vicariis Apostolicis, Anglicanas Missiones obeunt. *ibid.*

Missionariorum per Orientem munus est, ut schismaticos ad unitatem adducant. XLVII. §. 19. p. 255.

Quomodo quibusque potissimum argumentis id consequi possint. *ibid.*

Graecum, Orientalesque Ritus omnes, intervertere non debent Missionarii, nec ad unitatem conversis transitum ad Latinum Ritum suadere. *ibid.* et §. 21. p. 256.

MISSIONARII non possunt dispensare cum Catholicis Orientalibus super observatione jejunii, aliorumque, quae in ipsorum Ritu praescribuntur. *ibid.* §. 3. p. 249.

Missionariis latinis in Orientalibus Regionibus degentibus, quandoque datum est, ut veteri Kalendario uti possent. *ibid.* §. 46. p. 271.

Missionarii Sacramenta saecularibus ministrare non possunt, nisi Episcopi, Vicarii Apostolici, vel cujusque alterius Ordinarii loci impetrata licentia. XVI. §. 10. p. 97.

Missionarii Regulares in Anglia, in iis, quae curam animarum spectant, et administrationem Sacramentorum, subjiciuntur Vicariis Apostolicis. *ib.* §. 12. p. 98.

Contraria quaecumque Regularium privilegia substulit Tridentinum Concilium. *ibid.* §. 13.

Ejusque Decreto non solum afficiuntur Regulares Parochi, sed et caeteri, qui unum, vel plura Sacramenta, renuente, vel irrequisito Ordinario, saecularibus ministrant. *ibid.* §. 14. p. 99.

In iis tamen, quae Regularem observantiam respiciunt, suis superioribus, non autem Vicariis Apostolicis, subjiciuntur. *ibid.* §. 15. et 16. p. 99. et 100.

Perinde enim habendi Missionarii Regulares in Anglia commorantes, ac si intra Monasterium degerent. *ibid.* §. 15. et 18. p. 99. et 100.

Immo vero in iis, quae curam animarum, et administrationem Sacramentorum spectant, etiam a Superioribus Regularibus corrigi, ac puniri possunt. *ibid.* §. 16. et 17. p. 100.

Vicarii tamen Apostolici judicium, sententiae Superioris Regularis ex jure cumulativo concurrentis, praepollet. *ibid.* §. 17.

Caeterum Vicarius Apostolicus potest Missionarium Regularem ab Officio suspendere, vel removere, quin Superiori Regulari causam pandere teneatur. *ibid.* §. 17. et 21. p. 100. et 101.

Eademque facultas competit quoque Superiori Regulari. *ibid.* §. 17. et 19. p. 100. et 101.

A Decreto Suspensionis, vel Remotionis non conceditur Missionario Regulari suspensiva appellatio. *ibid.* §. 17. p. 100. Vid. *Regularibus Missionariis*.

Missionarii Regulares ad Anglos, cum primum illo advenerint, debent se sistere Vicariis Apostolicis, eisque testimoniales literas suorum Superiorum exhibere. XVI. §. 6. p. 95.

Deberent insuper, jure communi inspecto, examinari, et approbari a Vicariis Apostolicis ad audiendas saecularium Confessiones. *ibid.* §. 7. et 8.

Ex speciali indulto iisdem datur, ut examen, vel coram Ordinario Loci, ubi situm est Monasterium, vel Bruxellis coram Nuncio Apostolicae Sedis, subire possint. *ibid.* §. 8.

Facultas tamen audiendi Confessiones a Vicariis Apostolicis impetranda. *ibid.* et §. 9. p. 96.

Quae ad sexennium concedi debet, et subinde ad aliud sexennium prorogari sine examine. *ibid.* §. 9.

A relato onere Regulares quantumvis privilegiati non sunt immunes. *ibid.* §. 10.

Et a Vicariis Apostolicis itidem debent expetere, et accipere facultates Formulae secundae. *ibid.* §. 12. p. 98. Vid. *Vicariis Apostolicis.*

Missionarii in Anglia ad audiendas Confessiones, caeteraque Sacramenta ministranda, a Vicariis Apostolicis approbantur. XVI. §. 10. et 21. p. 96. et 101.

Quomodo hac facultate uti possint in Civitatibus, et Oppidis muro circumdatis, ac Ruri. *ibid.* §. 20.

Congruit, ut Missionariis quoque in Agris commorantibus amplior fiat Sacramenta administrandi facultas. *ibid.*

Missionarii Societatis Jesu per Indias tam Orientales, quam Occidentales, quibus facultatibus fruantur dispensandi super impedimentis Matrimonialibus, et quomodo iisdem facultatibus uti debeant. LXVII. per tot. p. 402. et seq.

MITRA, ET ANNULO utuntur Decanus, et Praepositi Fuldenses, cum Episcopo Pontificalia exercenti assistunt. IV. §. 7. p. 29. V. *Abbatia Fuldensis.*

MOGUNTINA Archiepiscopalis Ecclesia Metropolitico jure fruitur in universam Dioecesim Fuldensem, ejusque Populum, et Clerum. LXIII. §. 1. pag. 387.

Abbatialis tamen Ecclesia, Monasterium, caeteraque eidem adnexae Ecclesiae, veteris exemptionis praerogativas retinent. *ibid.*

MOGUNTINUM Archiepiscopum inter, et Episcopum, simulque Abbatem Fuldensem, inita concordia, ejusque confirmatio. LXIX. p. 415.

MONASTERIUM Monialium Ordinis S. Benedicti prope muros Civitatis Aquilejensis, amplissima exemptione fruitur, una cum subjectis, adnexisque locis. LXI. §. 2. et seq. p. 377. V. *Aquilejense Monaster.*

Monasterium S. Mariae in Organis, quam jurisdictionem possit exercere in Parochos, aliasque personas ministrantes in Parochiis sibi subjectis. LIX. §. 36. p. 368.

Monasterium Sublacense. Vid. *Sublacum.*

MONIALES Monasterii B. M. Virginis, Ordinis S. Benedicti, erecti prope muros Civitatis Aquilejensis. Vid. *Delegato Apostolico. Aquilejense Monasterium.*

MONETAS aureas tondentes ultimi supplicii poena plectuntur. LXV. §. 2. p. 396.

Poenam hanc ad tondentes monetas argenteas ampliavit S. Pius V. Pontifex. *ibid.*

Urbanus autem VIII. hujusmodi poenali sanctioni obnoxios fecit Ecclesiasticos quoscumque tam saeculares, quam Regulares, intra Italiam, et Insulas adjacentes. *ibid.* §. 3. Vid. *Cedulas.*

MONOGRAMMA *Pro Christo* sepulchris inscriptum, quid indicaret. *In Append.* t. II. §. 8. p. 440.

MONTIS PIETATIS, vel Banci S. Spiritus Cedulas corrumpentes, vel falsantes, aut eas sic corruptas scienter expendentes, ultimo supplicio puniuntur, sive laici sint, sive Ecclesiastici Saeculares, aut cujusvis Ordinis Regulares. LXV. §. 4. et 5. p. 396 et 397. Vid. *Cedulas.*

MULIERES Altari ministrare prohibentur. XLVII. §. 29 p. 263.

Mulierum Purificatio. Vid. *Purificationis praeceptum.*

MUTINENSIS Cathedralis Ecclesia fuit a Lucio III. Pontifice consecrata. LVIII. §. 6. p. 380.

N

NATALIS nomine non solum Martyrum obitus, sed etiam Ecclesiarum Dedicationes Sedium Episcopalium Constitutiones, ipsaeque Sacrorum Pastorum Consecrationes designari consueverunt. LXVIII. §. 2. p. 413.

NATALI CHRISTI die a Latinis tantum, non autem ab Armenis, reliquisque Orientalis Ecclesiae Sacerdotibus, possunt tres Missae celebrari. LII. §. 2. et seq. p. 297.

NATURALE jejunium ex praecepto Ecclesiastico Sacrae Communioni est praemittendum. LV. §. 3. p. 332. et seq.

In nonnullis Ecclesiis per Africam Christifideles Feria V. majoris Hebdomadae non jejuni Sacram Communionem sumebant, sed id subinde vetitum. *ibid.* §. 6. et 7. p. 333.

S. Joannem Chrysostomum Communionem ministrasse naturaliter non jejunis non probat ejusdem Epistola 125. ad Cyriacum Episcopum. *ibid.* §. 8. p. 334.

Fabulosa narratio est, quod S. Ulricus Augustae Episcopus post prandium Missam celebraverit. *ibid.* §. 8.

Pueris licet non jejunis antiquitus statim post Baptismum ministrabatur Communio, sed hic usus in Occidentali Ecclesia omnino, in Orientali vero pene obsolevit. *ibid.* §. 6. p. 333. Vid. *Jejunium naturale, Missa, Eucharistia.*

NEAPOLITANUM Hospitale S. Angeli a Nido una cum Ecclesia, Bonis, pertinentiis omnibus, nec non certo Ministrorum numero, est ab omnimoda Archiepiscoporum tam Ordinaria, quam delegata jurisdictione exemptum. LII. §. 4. et seq. p. 292.

NEAPOLITANI Regni Praesules. Vide *Spolia*.

NICÆNO SYMBOLO jure, ac merito superaddita fuit particula *Filioque*. XLVII. §. 30. p. 263. Vid. *Symbolo Nicaeno*.

NICOLAI I. Pontificis Constitutio de bonis Ecclesiasticis ab injustis occupatoribus vindicandis. XXXIII. §. 8. p. 193.

NOMINA quaedam, modo in sensu appellativo, modo in sensu proprio a veteribus adhibita inveniuntur. *in Append.* t. II. §. 3. et seq. p. 439.

Nomina in Sanctorum sepulchris impressa, propria censeri debent. *ibid.* §. 8. p. 440.

Nomina appellativa, Corporibus, seu minutioribus Reliquiis Sanctorum, quorum nomen proprium ignorabatur, cur imponere consueverit ecclesia. *idid.* §. 3. p. 439.

Nomina quaedam Sanctorum Martyrum Reliquiis sine proprio nomine repertis recte imponuntur. *ibid.*

Nomina Turcica an liceat Christifidelibus assumere. Vid. *Turcica, seu Mahumetana nomina*.

Nominis identitas, personarum identitatem non probat. XXIV. §. 11. p. 158.

Nomen Romani Pontificis a sacris Diptychis saepe abrasum, et in tractanda unione Graecae Ecclesiae cum Latina, primum omnium restitutum. LIV. §. 11. et seq. p. 303.

Nominatio, seu praesentatio ad Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum, Duci, et reipublicae Venetae jam concessa confirmatur, ac simile jus Ecclesias Torcellanam, Caprulanam, et Clodiensem, exceptis vacationibus in Curia Romana ex integro tribuitur. XVIII. §. 4. p. 107.

NONANTULANÆ Ecclesiae una cum Monasterio ab Hungaris combustae restitutio, et Consecratio recensetur. LVIII. §. 8. p. 351.

Nouantulana Ecclesia, an fuerit a Sergio Ravennatensi Archiepiscopo, seu potius ab Abbate Anselmo consecrata. *In Apend.* t. III. §. 10. p. 447.

NOTARIUS, licet ex alio titulo Officialis privilegiatus S. Officii, non gaudet Fori privilegio in iis, quae Officium Notariatus respiciunt. XLVI. §. 29. p. 243.

NOTORIUM quotuplex, variaque ejusdem demonstratio. LXII. §. 5. p. 385.

NUNTIO APOSTOLICO Neapoli pro tempore existenti, tamquam speciali Sedis Apostolicae Delegato, subjiciuntur Hospitale S. Angeli a Nido, omnesque ejusdem Ministri ab Archiepiscoporum jurisdictione exempti. LII. §. 20. p. 298.

O

OBLATIO panis consecrandi, quo ritu fiat ad Prothesim in Graeca Ecclesia. LIV. §. 29. p. 310.

Diaconi ministrantes, suam et ipsi oblationem ad eamdem Prothesim faciunt. *ibid.*

Diaconalis haec oblatio, an, et quomodo licita esse possit in Graeca Ecclesia. *ibid.* §. 41. et seq. p. 315.

OBSESSI a Doemone, admotis eorum corpori Sanctorum Reliquiis, nunquam vero Sanctissima Eucharistia, exorcizari permittuntur. XLIX. §. 15. p. 281.

OCCIDENTALIUM INDIARUM Parochiae. Vid. *Parochiae Regulares*.

OCCULTUS Peccator praemonendus quidem, sed non est a Sacramentorum participatione repellendus. LXII. §. 9. p. 386.

OECONOMI in Ecclesiis Parochialibus subjectis Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti Aquilejensis Civitatis, quomodo constituendi. LXI. §. 17. p. 382.

OFFICIALEM saecularem sibi constituere debent Episcopi Rutheni, si inter Clerum Saecularem idoneum aliquem ad id muneris repererint. XX. §. 4. p. 116.

Officialium, Ministrorum, ac quorumcumque personarum inservientium Hospitali S. Angeli a Nido, ejusque Ecclesia, quomodo, et a quibus peragenda sit electio. LII. §. 5. et seq. p. 293. Vid. *Hospitale S. Angeli*.

OFFICII, MISSÆQUE propriae confessionem in honorem Beatorum praecedere debet Processus super virtutibus, miraculis, et cultu immemoriali. XLIII. §. 1. p. 213.

Quandonam hujusmodi processus non sit necessario praemittendus. *ibid.* §. 2

OFFICIUM Dedicationis Ecclesiae, si Consecratio casu aliquo sit deperdita, an sit recitandum. LVIII. §. 22 p. 356. Vid. *Consecratio*.

OLEUM INFIRMORUM in Graeca Ecclesia non a solo Episcopo, sed etiam a simplicibus Presbyteris benedicitur. LIV. §. 46. p. 317.

Eodem extra casum infirmitatis se inungere, interdictum est Graecis aequé ac Latinis licet Sacramenti forma non proferatur. *ibid.* §. 47.

Multoque magis interdictum est, inunctionem cum Oleo Infirmorum imponere sacramentaliter confessis, in satisfactionem sacramentalem. *ibid.* §. 48. p. 318.

Unctio cum Oleo Infirmorum, an umquam extra casum infirmitatis fuerit apud Graecos, et quibus casibus, usitata. *ibid.* Vid. *Extrema Unctio*.

OLEO lampadis ad id in Ecclesia asservato apud Graecos inunguntur Energumeni, aliique plurimi devotionis causa, vel ut aliquo incommodo liberentur. LIV. §. 47. p. 317.

OLIVETANA Congregatio communionem obtinuit a Pio II. omnium privilegiorum, quae eo usque Congregationi S. Justinae Patavinae fuerant concessa. XLV. §. 2. p. 231.

Ampliatur illa per Pontificem ad gratias, et in-

dulta subinde concessa universo Ordini Benedictino, et praecipue eidem Congregationi S. Justinae, seu Cassinensi. *ibid.* §. 4. 232.

Aliud superadditur privilegium Pontificalia exercendi die festo S. Franciscae Romanae in Ecclesiis Conventualibus Regularis observantiae. *ibid.* §. 5.

ONERA, seu gravamina Communitatum, quo ordine, et ratione tolli debeant. XXV. §. 9. p. 143.

Ab Oneribus Communitativis realibus, et personalibus eximuntur Patentati Sac. Inquisitionis. XLVI. §. 14. et seq. p. 240.

Id tamen obtinet quoad Patentatos Privilegiatos, secus vero quoad simplices familiares. *ibid.* et §. 38. p. 244.

OPIFICES, Mercatoresque, Patentati Sac. Inquisitionis, in iis, quae eorum artificium respiciunt, Judicibus Ordinariis, artisque statutis subjiciuntur. XLVI. §. 29 p. 243.

OPPIDUM Mathelicae in Picaeno ad primaevum Civitatis statum, et jura restituitur, et quatenus opus esset ex integro in Civitatem cum omnibus juribus, et honoribus, erigitur. XXIII. §. 3. p. 134. Vid. *Mathelica*.

ORARE publice pro Excommunicatis non licet, privatim tamen eorum conversionem implorare nullibi prohibitum. LIV. §. 23. p. 308.

Orare pro se in Sacrificio Missae, qua formula soleant Romanus Pontifex, caeterique Episcopi. *ibid.* §. 20. p. 307. Vid. *Commemoratio*.

ORATORII novi publici S. Isidori ad Thermas erectio, et Cappellaniae perpetuae in eo institutae confirmantur. XLV.** p. 238.

Plures gratiae spirituales in eodem Oratorio concedúntur. *ibid.* p. 236.

ORDINARIIS Locorum ab A. C. committi debet confectio Processus informativi, quamvis fuerint tanquam suspecti a Reis recusati. XXVI. §. 16. pag. 153. Vid. *Processus auditor generalis*.

ORDINATIONES ad Ordines Majores in Cathedrali, vel insigniori Dioecesis Ecclesia haberi debent. XI. §. 17. p. 55.

Id tamen intelligendum de Ordinationibus generalibus. *ibid.* §. 18.

An, quod de Cappella Episcopi, idipsum dicendum sit hac in re de Cappella Cardinalis Episcopi Suburbicarii, in Urbis Palatio sita. XL §. 20. p. 86. Vid. *Cardinales Episcopi Suburbicarii*.

ORDINARE potest Episcopus in aliena Dioecesi, accedente Ordinarii Loci licentia, exterum quemque sui Ordinarii Literas Dimissorias afferentem. XI. §. 6. p. 51. Vid. *Pontificalia*.

ORDINARI a quo debeant subditi Episcopis Suburbicariis. XI. §. 11. et 12. p. 53. et seq. Vid. *Cardinales Episcopi Suburbicarii*.

Ordinari a quo debeant Exteri in Urbe commorantes. XI. §. 10. p. 52.

ORDINES, a quibus recipiant Italo-Graeci. XLVII. §. 15. p. 253. Vid. *Italo-Graeci*.

Ordinari a Pontifice possunt Clerici de quacumque Ecclesia, sive Dioecesi, non solum, ut eorum opera utatur, sed etiam honoris causa. LXIV. §. 6. pag. 389.

Dictatum S. Gregorii de Ordinatis a Pontifice quomodo sit intelligendum. *ibid.*

ORDINATUS A PAPA non est propterea a Jurisdictione sui Episcopi exemptus. LXIV. §. 18. pag. 394.

An idem, justa urgente causa, suspendi possit ab Ordinario, inconsulto Pontifice, disputant Doctores in variis sententias abeuntes. *ibid.*

Ordinatus a Papa, etiam honoris causa, sine licentia Papae non potest ab Inferiori ad superiores Ordines promoveri. LXIV. §. 3. et seq. p. 388.

Sententia haec quamvis vera, haud tamen satis comprobatur ex *Cap. Cum in distribuendis de tempor. Ordinat. ibid.* §. 4. et seq. p. 389.

Afferuntur alia jura, quibus praemissa sententia constabilitur. *ibid.* §. 7. p. 390.

An idipsum obtineat quoad Consecrationem Episcopalem, adeunt ordinatus Presbyter a Papa, a nemine, praeter, quam ab ipso Papa, vel alio de ejusdem licentia, consecrari possit Episcopus. *ibid.* §. 10. ad fin. p. 391.

ORDINUM MINORUM collatio simplicibus Sacerdotibus ex Pontificia concessione saepe delegata reperitur. *In Append.* t. III. §. 9. p. 447.

ORDO servandus in eligendis Praepositis Generalibus, Provincialibus, Rectoribus in Congregatione Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. XL.* *per totum*. p. 206.

ORIENTALES RITUS intactos servari, ac custodiri summopere curarunt Romani Pontifices. XLVII. §. 6. et seq. p. 250.

Compluribus allatis exemplis res illustratur. *ibid.* §. 7. et seq. p. 251.

ORIENTALIS ECCLESIA quatuor Ritibus constat, et quinam hi sint. *ibid.* §. 3. p. 249.

Orientalis Ecclesiae Sacerdotibus, non licet Natali Christi die tres Missas more Latinorum Sacerdotum celebrare. LIII. §. 2. p. 297.

P

PALLIUM a Romano Pontifice ad emeritos Praesules transmitti solitum. V. §. 1. p. 31.

Pallii mysticae significationes. *ibid.*

Pallio donantur Herbipolenses Episcopi. *ibid.* §. 2.

Pallium nonnisi insignium Ecclesiarum Praesulibus indulgetur. XXXIX. §. 1. p. 203.

A quibus solemne juramentum obedientiae, et

fidelitatis in ipsa concessionis actu praestandum est. *ibid.* Vid. *Quinquecclesiensis Ecclesia*.

Pallio Latino Patriarchae Orientales Graeci Ritus saepae donati fuerunt. *In Append.* t. IX. p. 468.

PANTHEON Urbis a Marco Vipsanio Agrippa in Campo Martio extra Urbem fuit extructum. LXVIII. §. 1. p. 412.

Bonifacius IV. Pontifex ipsum a Phoca Imperatore obtentum, vero Deo dicavit sub invocatione Beatae Mariae Virginis Martyrum Reginae. *ibid.*

Insignium Reliquiarum ibi conditarum numero, singulari Christifidelium cultu, aliisque nominibus praeclarum demonstratur. *ibid.* §. 2. et seq. p. 413.

Cappellae Pontificiae nomen olim obtinuit, et quare: *ibid.* §. 4.

Nunc Ecclesia Collegialis est, et Cardinalis Diaconi Titulus. *ibid.*

A Constante Imperatore direptum, temporis, tempestatumque injuria vitiatum, sedula Pontificum cura, et expensis, saepius restauratur, ac etiam ornatur. *ibid.* §. 3. et seq.

Panthei iterum vitiati, iterum instaurandi, et ornandi curam suscipit Pontifex, perpetuaeque aedificii conservationi, ac manutentioni opportune prospiscit. *ibid.* §. 7. p. 414.

Rei peragendae praeponitur existens pro tempore Apostolicarum Aedium Praefectus, qui opportunas restaurationes, Palatii Apostolici sumptibus, conficiendas curet. *ibid.* §. 9.

PAPA est supremus Dispensator bonorum Ecclesiae. XXXIII. §. 4. p. 191.

Immo Canonistae communiori suffragio Dominum eum agnoscunt. *ibid.*

Papa, qua Supremus Dispensator, quomodo debeat et possit de Ecclesiae Bonis disponere. *ibid.*

Potest eadem injustis Detentoribus concedere, quoties id Religionis utilitas, et detentorum salus postulare videatur. *ibid.* §. 5. et 6. p. 191. 192.

Exempla in id afferuntur Praedecessorum Pontificum. *ibid.*

Id autem Pontifex jure potest non solum cum res est de Haereticis ad Ecclesiam revocandis, sed etiam cum Christifideles a probabili apostatandi periculo revocantur. *ibid.* §. 6. et 7. p. 192.

PAPA potest Ecclesias quibuscumque in Dioecesibus sitas, per se, vel quatenus nolit, vel non possit, per suum Delegatum, irrequisitis Locorum Ordinariis, consecrare. LVIII. §. 25. et 28. p. 387. et 388.

Immo olim privativa fuit ipsi auctoritas consecrandi Ecclesias. *ibid.*

Opposita cujusdam Historici assertio falsa demonstratur, ratione, auctoritate, et exemplis *ibid.* §. 26. p. 387.

PARACLESIAE Graecorum quid sint, et quo consilio erectae. XLVII. §. 39. p. 268.

Latini presbyteri in iis celebrare non possunt. *ibid.* §. 40. p. 269.

PARIETIBUS Ecclesiae potissimum adhaeret consecratio, ideoque iis combustis, vel etiam interius, exteriusque decrustatis, Ecclesia est iterum consecranda. LVIII. §. 7. p. 381.

Quid si iidem parietes non insimul, unoque tempore, sed per partes, seu successivis temporibus reficiantur. *ibid.* §. 11. p. 382. Vid. *Consecratio*.

PARITAS SUFFRAGIORUM. Vid. *Suffragiorum paritas*.

PAROCHIAE, aliaque curata Beneficia Capitulo Veronen. vel Monasterio S. Mariae in Organis subjecta, quomodo provideri debeant. LIX. §. 19. et 36. p. 364. 368.

Parochiae, aliaque Curata Beneficia, et Officia Indiarum Occidentalium, regularibus in subsidium tantum, ablato asserto privativo eorum jure, commendari deinceps permittuntur. XVII. §. 2. p. 108. et seq. Vid. *Indiarum Occidentalium Regulares*.

PAROCHIALIBUS Ecclesiis Basilicae Assisiensi Sancti Francisci unitis, praeficiendi sunt Vicarii saeculares ad nutum amovibiles. XXXII. §. 16. p. 187.

PAROCHI, ante, vel post Missam Parochialem, recitare debent elata voce actus Fidei, Spei, et Charitatis, Populo verba iterante. XXXV. §. 4. p. 197.

PAROCHUS etiam extra Dioecesim potest audire Confessionem sui Parochiani. XVI. §. 22. p. 102.

PASCHA quando, et quomodo celebrari deberet definitum fuit a Pio, et Victore Pontificibus, nec non in Nicaena Synodo. XLVII. §. 43. p. 270.

PATENTES LITTERAE, seu Privilegia quaecumque, delatoribus armorum vetitorum nihil prodesse voluit Alexander VIII. Vid. *Arma*.

Patentes Litterae Officialibus, et Ministris Privilegiatis Inquisitionis, gratis omnino, sub certis temporalibus, et spiritualibus poenis expediri jubentur. XLVI. §. 10. p. 239.

In Cancellaria Romanae Inquisitionis adnotari, et hujusce actus individuam notam praeseferre debent. *ibid.* §. 37. p. 245.

PATENTATI Tribunalis Sacrae Inquisitionis alii privilegiati dicuntur, alii autem simplices, et quod inter ipsos intercedat discrimen. XLVI. §. 4. et seq. 35. et seq. p. 238. et 244.

Privilegiati in locis, ubi resident Inquisitores, non ultra quinque, ubi vero Vicarii Foranei, tres tantummodo esse possunt. *ibid.* §. 4.

Quinam hi sint, a quibus, et quomodo deputandi. *ibid.* §. 4. et seq.

Necessariae in ipsis qualitates distinctim recensentur. *ibid.* 7. et seq. p. 239.

Et onera ab iisdem diligenter subeunda. *ibid.* §. 11. p. 240.

Nec non complura privilegia, quibus justa retri-

butio eorum incommodis redditur. *ibid.* §. 13. *cum pluribus* seqq. Vid. *S. Inquisitionis Officiales*.

PATRIARCHÆ VENETIARUM nominatio, Duci, et Reipublicae Venetae concessa fuit a Pio IV. Pontifice. XVIII. §. 1. p. 106.

PAULUS IV. Vicariatum urbis univit Collegio Cardinalium. XI §. 9. p. 52.

PAULI Cardinalis Buralis causa Beatificationis, et Canonizationis, quoad virtutes, quo decreto absoluta. *In Append.* I. VIII. p. 462.

PECCATORES publici, et notorii, non sunt ad Eucharistiae participationem admittendi. LXII. § 3. et seq. p. 388.

Publici, et notorii peccatores, qui censeri debeant, ad hoc, ut ipsis deneganda sit Eucharistia, atque etiam Sanctissimum Viaticum. *ibid.* §. 4. et seq.

PECUNIÆ superextantes Communitatum ubi asservandae, et quomodo expendendae. XXV. §. 9. p. 143.

PERSONARUM identitas ex nominis identitate non satis demonstratur. XXIV. §. 11. p. 138.

B. PETRUS *Igneus* dictus, per ardentes flammas illaesus pertransiit. XLIX. §. 11. p. 279.

PHILOCALI nomen quid re ipsa significet. *In Append.* I. VII. §. 3. p. 461.

Philocali nomen, sicuti et caetera hujusmodi, licet saepe appellativa detegantur, nonnunquam tamen propria comprobantur, adhibita nimirum ad designandam certam personam, *ibid.* §. 4. et seq.

Philocali verum, ac proprium esse nomen illius Martyris, cujus Corpus Pontifex ad Neptem trasmittit, pluribus comprobatur. *ibid.* §. 7. p. 462.

PHOTIUS invasor Sedis Constantinopolitanae. XLVII. § 3. p. 280.

PICTURÆ, SCULPTURÆQUE Tyronibus consulitur, erecta in Ædibus Capitolinis publica Academia, seu Gymnasio XXXI. §. 3. p. 179.

PINGENDI, fingendique ars unde potissimum addiscenda. *ibid.* §. 4.

Ad hanc excolendam Academia erigitur in Ædibus Capitolinis. *ibid.* §. 3.

Certusque ipsi addicitur annuus proventus *ibid.* §. 6. p. 180

PISCES, jejunii diebus, comedere nequeunt Armeni, et Syri. XLVII. §. 47. p. 272.

PIUS II. Officium Judicis Appellationum instituit in Regno Sardiniae pro uno Judice Ecclesiastico, qui Causas Ecclesiasticas, tam Beneficiales, quam alias quarumcumque appellationum a quibusvis definitivis sententiis, aut gravaminibus tam ab Ordinariis, quam ab aliis Judicibus interpositarum cognosceret, easque decideret, ac debitae executioni demandaret. XLV. p. 233. V. *Judex*.

PIUS V. Conchae latifundium, a Camera Apostolica avulsum, piae domui Romanae Inquisitionis concessit. XLVI. §. 47. p. 247.

PIXIS Sacram Eucharistiam includens non est e Tabernaculo educenda, ut cum ea, ad ignem extinguendum, fugandas tempestates, aliudque simile quid praecavendum, benedicatur. XLIX. per tot. p. 278. et seq.

POENÆ in deferentes, tuentes, vendentesque arma vetita sancitae. VIII. §. 1. p. 57. Vid. *Arma*.

Poena ultimi supplicii statuta est contra tondentes monetas aureas, vel argenteas, sive Ecclesiastici sint, sive saeculares. LXV. §. 2. et 3. p. 396. Vid. *Cedulas, Monetas*.

POENÆ in eos, qui ad Sacerdotium non promoti Missas celebrant, aut Fidelium Confessiones exipiunt, statutae recensentur, reprobataque benigniori praxi, quae in Tribunalibus invaluerat, Apostolicarum Constitutionum rigor restituitur. LXX. §. 2. et seq. p. 428. et LXXI. §. 3. et seq. p. 429.

POENITENTIÆ Sacramentum sacrilego ausu ministrare, licet nulliter, attentantes, quum Sacerdotali Ordine non sint initiati, quomodo plectendi sint. LXX. §. 2. et seq. p. 428. et LXXI. §. 3. et seq. p. 429. Vid. *Sacrificium Missae*.

POENITENTIA, sive satisfactio sacramentaliter confessis imponenda, constare debet potissimum jejuniis, precibus, et eleemosynis. LIV. §. 48. p. 318.

Ideoque non licet, loco poenitentiae, vel satisfactionis, injungere Poenitenti, ut Infirmorum Oleo inungantur. *ibid.*

POENITENTIARIIS in Assisiensi Basilica jam constitutis tres superadduntur. XXXII. §. 11. p. 185.

POLLUTA ECCLESIA, a quo reconciliari possit, si eadem consecrata sit, vel tantummodo benedicta. *In Append.* I. III. §. 11. p. 448.

PONENTES Congregationis Boni regiminis quomodo Provincias Status Ecclesiastici inter se distribuant. XXV. §. 12. p. 143.

Curare quisque debet, ut a singulis sibi adsignatis Communitatibus *Tabella* quotannis transmittatur. *ibid.* §. 13. p. 144.

Tabellam ipse primum cognoscere, una cum Ratiocinatore, et inde ad congregationem referre debet. *ibid.*

Ac denique Decretorum Congregationis exequutionem urgere. *ibid.* Vid. *Congregatio Boni Regiminis*.

PONTIFICUM ROMANORUM perpetuum studium, ut Graeci ritus intacti serventur. XLVII. §. 3. et *plurib.* seq. p. 280.

PONTIFEX ROMANUS. Vid. *Papa. Romanus Pontifex*.

PONTIFICALIA re ipsa exercentur in collatione Tonsurae, ac Minorum Ordinum. XI. §. 8. p. 52.

Pontificalium appellatione quaenam functiones contineantur. *ibid.*

Pontificalia possunt Abbates Congregationis Olivetanae habere in die festo S. Franciscae Romanae. XLV. §. 8. p. 232. Vid. *Olivetana Congregatio*.

Pontificalia in aliena Dioecesi exercens Episcopus, non praeobtenta licentia Ordinarii Loci, est ipso jure suspensus a Pontificalium exercitio. XI. §. 2. p. 51.

Si vero licentiam obtinuit, permittitur Pontificalia exercere in personas tantummodo Loci Ordinario subjectas *ibid.* §. 3.

Ideo alienum subditum, licet dimissoriis literis Ordinarii sui instructum, ordinare posse negant *ib.* §. 4.

Contrariam tamen sententiam amplexa est Congregatio Concilii. *ibid.* §. 5. et 6.

Pontificalia in locis subjectis Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti prope muros Civitatis Aquilejensis, quis peragere debeat. LXI. §. 21. p. 382.

PRAECEPTA COEREMONALIA legis veteris, per adventum Christi sublata manserunt, adeoni sine dispendio salutis observari, tamquam adhuc vigentia, non possint. LIV. §. 59. et 61. p. 323. et 324.

Potest tamen Ecclesia Coeremonialia praecepta innovare: exceptis iis, quae venturum Messiam referebant. *ibid.* §. 63. p. 325. Vid. *Ciborum Distinctio*.

PRÆDICATORUM Ordinis Institutum nonnulli Armeni per Orientem sunt amplexi. LIII. §. 7. p. 299. Vid. *Armeni*.

PRÆFECTI Apostolicarum Ædium curae demandata est perpetua manutentio Panthei Urbis, expensis Palatii Apostolici procuranda. LXVIII. §. 9. p. 414. Vid. *Pantheon*.

PRÆFECTO APOSTOLICO, Vice-Praefecto, et Missionariis Carmelitis Strictioris Observantiae, Provinciae Turoniae in Insulis Americae Meridionalis, Guadalupa, Maria Galante, aliisque ibidem Regis Christianissimi Dominio Subditis pro tempore existentibus, ex speciali gratia concedit facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis. XXX.**. p. 177.

Cum Sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit per Catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto. *ibid.*

Sacramentum hujusmodi conferre et administrare poterunt omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus illarum dumtaxat Paroeciarum, quae reperiuntur sub cura, et regimine Fratrum Sanctae Mariae de Monte Carmelo ejusdem Missionis. *ibid.*

Eo tamen privilegio ad viginti dumtaxat annos duraturo *ibid.*

Si intra viginti annorum spatio contingat in iisdem Insulis Americanis Gallicae Ditioni subjectis vel Residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios Episcopali charactere, et auctoritate insignitos a Sede Apostolica deputari, impertita hujusmodi facultas nulla sit. *ibid.* p. 178.

Secus vero rata, et firma intelligatur, cum vel Residentiales antistites, vel Apostolici Vicarii charactere, et auctoritate Episcopali insigniti, legitimis, canonicisque impedimentis detenti iisdem Praefecto, et Vice-Praefecto pro tempore concesserint, in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi Antistites nullo pacto, et tempore accedere valuerint. *ibid.*

Insuper omnibus et singulis ejusdem Missionis missionariis Sacerdotibus dicti Ordinis sanctae mariae de monte Carmelo eamdem conferendi Sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli suarum dumtaxat Paroeciarum in periculo, vel articulo mortis constituto, facultatem tribuit. *ibid.*

PRÆLATITIUS habitus. Vid. *Habitus*.

PRÆLATORUM spolia. Vid. *Spolia*.

PRÆMONSTRATENSIS ORDINIS Canonici, et Moniales sunt a jurisdictione cujuscumque Ordinarii exempti, et S. Sedi immediate subjecti. XXII. §. 1. et seq. pag. 129.

Eodem privilegio gaudent Monasteria, Prioratus, Ecclesiae, Praedia, et res quaecumque ad eumdem Ordinem pertinentes. *ibid.* §. 5. et 7. p. 130.

Hac tamen exemptione non utuntur Canonici Curae animarum addicti, in iis, quae ipsam Curam respiciunt. *ibid.* §. 8. p. 131.

PRÆSANCTIFICATORUM Missa, quibus diebus, quoque Ritu in Orientali Ecclesia celebretur. LIV. §. 39. p. 318. et XLVII. §. 31. p. 265.

Maronitae hac in re Latinum Ritum amplexi sunt *ibid.*

PRIVILEGIA oeconomicum Reipublicae statum perturbantia, reformari debent. XXVIII. *in princ.* p. 167.

Privilegia Ferrariensium exemptiva a Datiis. Vid. *Ferrariensium privilegia*.

PRIVILEGIA alias concessa Fratribus quatuor Provinciarum Franciae, Sancti Bonaventurae, Turoniae Majoris, et Aquitaniae recentioris, nec non Magni Conventus Parisiensis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. confirmantur. LXVII.* p. 410.

Eadem Privilegia extenduntur etiam ad alias Provincias cum iisdem cautelis. *ibid.*

PRIVILEGIO FORI, ad instar Clericorum, gaudent Patentati Sacrae inquisitionis. XLVI. §. 28. p. 243.

Privilegio Fori in criminalibus causis Patentati Sacr. Inquisitionis renunciare non possunt. *ibid.* §. 27.

PRIVILEGIUM *Absolvendi a reservatis, etiam Sedi Apostolicae*, non complectitur reservata Ordinatio. II. §. 3. p. 17.

PROCESSIO Kalendis Augusti ab Ecclesia S.

Francisci Assisien. ad Ecclesiam S. Mariae Angelorum, ad formam veterum Indultorum, approbatur, et confirmatur. XXXII. §. 10. p. 185.

Processionibus publicis, quocumque jure seu auctoritate indictis ab Archiepiscopo Neapolitano, interesse non tenentur Rector, aliique Clerici, seu Presbyteri actu inservientes in Hospitali S. Angeli a Nido Neopolitanae Civitatis. LII. §. 15. p. 294.

PROCESSUS Criminales in Causis ab A. C. cognoscendis a quibus efformentur. XXVI. §. 6. p. 151.

Processuum compendia, tum a Locumtenente generali, cum a Substituto, subscribi debent. *ibid.* §. 7.

Et quindecim dies ante propositionem Causae, ad A. C., ejusque Assessores transmitti. *ibid.* §. 10. p. 152. Vid. *Auditor Generalis Camerae.*

Processus informativi confectio, seu absolutio, ab A. C. semper est deleganda Ordinario; quamvis Reus ipsum suspectum dicat. §. 16. p. 153. Vid. *Reus, Auditor Camerae.*

PROCESSUS tum super statu Ecclesiarum in partibus Infidelium existentium, et Populum fidelem habentium, quarum provisiones in Congregatione de Propaganda Fide proponuntur; tum super meritis praefiniendorum, quomodo conficiendi. LXVI. per tot. p. 398.

Pro Vicariis Apostolicis cum titulo Episcopali constituendis, an, et quando conficiendi Processus. *ibid.* §. 5. p. 401.

Hujusmodi processus, ubi, et coram quo conficiendi *ibid.*

PROCESSUS super fama virtutum, miraculorum cultusque immemorialis alicujus Servi Dei, quando sit omnino conficiendus. XLIII. §. 2. p. 213.

S. PROCI Corpus quomodo in Caemeterio Trasonis repertum, eductum inde, et apte in capsa compositum. *In Append.* n. II. §. 13. et seq. p. 442.

Illud a Pontifice transmittitur ad Capitulum, et Canonicos Bononienses, in Metropolitana Ecclesia publico cultui exponendum. *ibid.* §. 14. p. 443.

Plura de S. Proci nomine, martyrio, et cultu ipsi exhibendo, erudite disputantur. *ibid.* §. 14. p. 443. et seq.

PROCURATOR Religionis Jerosolymitanae, in causis ejusdem interesse spectantibus, citari debet. XIII. §. 18. p. 72.

PROFESSIO FIDEI ab Orientalibus ad unitatem redeuntibus emittenda, et quomodo. XLVII. §. 17. p. 254.

PROHIBITIO epistolae Ms. directae Cardinalibus, et Theologis in Urbe Praeneste congregatis etc. LXXII. p. 430.

PROHIBITIO extrahendi libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta ex Bibliothecis Conventuum, et Hospitiorum Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Excalceatorum nuncupat. Sub poena Excommunicationis Latae Sententiae. LXVII.** p. 410.

Committitur executio hujus Constitutionis Josepho a S. Bartholomeo superiori Generali ejusdem Ordinis cum quibusdam cautelis, et conditionibus. *ibid.* p. 411. V. *Josepho a S. Bartholomeo.*

PROMOVENDI ad Ecclesias in partibus Infidelium sitas. Vid. *Processus super statu Ecclesiarum in partibus Infidelium.*

PROPINÆ juxto quam taxam sint a Rectore Carpentoractensi exigendae. XXI. §. 19. p. 119.

PROSCRIPTIO Librorum. Vid. *Libri.*

PROTHESIS est parva mensa, seu altare, in quo Graeci reponunt panem, et vinum nondum consecrata, exindeque ad Altare deferunt. LIV. §. 30. p. 310.

De ritibus, et functionibus ad Prothesim haberi solitis, latissime. *ibid.* a §. 29. ad 44.

PRATO-ARCHIMANDRITA Congregationis Ordinis S. Basilii Magni Nationis Ruthenae quam jurisdictionem habeat in Abbates, seu Archimandritas ejusdem Congregationis. LVI. §. 2. et seq. p. 337.

PRO-VICARIUS a Missionariis Vicariis Apostolicis, charactere Episcopali insignitis, eligi praecipitur. L. §. 2. p. 286.

Illius facultates, et obeunda munera. *ibid.*

PROVIDENTIÆ pro bono, et perpetuo regimine Sodalitii Fratrum et Sororum nuncupat. *degl' amanti di Gesù, e Maria* erecti in Ecclesia S. Bonaventurae Recessus Religiosorum Reformatorum Ordinis Minorum S. Francisci Romae. XII.* p. 58. V. *Sodalitium.*

PROVISIO Consistorialis vices gerit Electionis, et Confirmationis. LXIV. *in princ.* p. 388.

Provisio Dignitatum, Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiae Goritiensis, quomodo moderanda. I. §. 17. p. 15.

PSALMI recitandi in Officio juxta Ritum Graecum persolvendo a Monachis Ordinis S. Basilii. XLVIII. §. 3. p. 273.

PSALTERIUM integrum saltem intra duas Hebdomadas recitandum in Officio Divino a Monachis Ordinis S. Basilii juxta graecum Ritum persolvendo. *ibid.* §. 6. p. 274.

PUERIS olim statim post Baptismum ministrabatur Eucharistia, etiamsi antea lac suxissent. LV. §. 7. p. 333.

In usus in occidentali Ecclesia obsolevit jamdiu, et in Orientali pene antiquatus. *ibid.*

Pueri in odium Christi ante usum rationis occisi revera sunt Martyres. XLIII. §. 10. et seq. p. 216. et seq.

Ideo eorum nomen in Martyrologio Romano adnotatum legitur. *ibid.* §. 11. p. 217.

Et frequens de ipsis, veluti Martyribus, mentio occurrit in Annalibus, aliisque monumentis Ecclesiae. *ibid.* §. 13. p. 218.

Eorumque Reliquiae cum notis Martyrii repertae. *ibid.* §. 12. p. 217.

Idipsum statuitur a quibusdam, de Pueris in Bello sacro occisis. *ibid.* §. 25. p. 223.

Etiamsi a Christiani nominis hostibus, antequam e materno utero erumperent, fuerint necati. *ibid.*

Pueris ante usum rationis in odium Christi occisis cultum semper tribuit Ecclesia. *ibid.* §. 16. pag. 220.

Quatuor statuuntur horum Martyrum Classes. *ibid.* §. 17. et seq.

Quamvis autem Martyres sint, aureolam tamen martyrii non obtineant. *ibid.* §. 26. p. 224.

An expediat hos canonizari. *ibid.* §. 26. et seq.

Quaenam peculiares circumstantiae ad istorum Canonizationem requirendae videntur. *ibid.* §. 29. p. Vid. *Canonizatio Martyrum.*

PUERORUM Martyrium quale esse expediat, ut ad formalem eorum Canonizationem procedatur. *ibid.*

PUERITIA, ad quem usque aetatis annum protendatur. *ibid.* §. 14. p. 218.

PUERPERIUM. Vid. *Purificationis praeceptum.*

PUPILLI, ET VIDUÆ quomodo utantur privilegio Forum eligendi, variandique, contra Patentatos S. Officii. XLVI. §. 20. p. 241.

PURIFICATIONIS praeceptum *Levitici capite* 12. propositum, brevius, longiusque tempus praefinivit, prout mulier masculum, vel foeminam enixa esset. LIV. §. 69. p. 327.

Similis lex viguit quoque primis saeculis in Ecclesia, licet jamdiu in Latina abrogata fuerit. *ibid.* §. 70.

Voluntarius ideo plane est ritus, hactenus a puerperis in Latina Ecclesia servari solitus, et in Rituali Romano descriptus. *ibid.*

Lex de puerperio vim coactivi praecepti adhuc obtinet apud Graecos, et exacte custoditur. *ibid.* §. 71. et 72. p. 328.

Licita ipsis ejusmodi observatio demonstratur. *ibid.* §. 73.

Q

QUADRAGESIMALI tempore pisces non edunt, nec vinum bibunt Maronitae. XLVII. §. 47. p. 272.

QUALIFICATIO assertionum contentarum in Epistola Ms. directa Cardinalibus, et Theologis in Urbe Praeneste congregatis. LXXII. §. 1. et 3. pag. 430. et seq.

QUÆSTIONES de Orientalibus Ritibus, et Kalendario Gregoriano, propositae a Missionariis. XLVII. *sub init.* p 249.

Quomodo definitae fuerint. *ibid.* §. 3.

QUÆSTORES, extra Ecclesias sibi subjectas, non potest deputare Capitulum Veronense. LIX. §. 26. p. 366.

QUDRAGESIMÆ Officium pro Monachis Ordinis S. Basilii aliquo modo contrahitur, et abbreviatur. XLVIII. §. 8. p. 274.

QUINQUECCLESIENSIBUS Episcopis perpetuum conceditur Pallii, et praegestandae Crucis indultum. XXXIX. §. 3. p. 203.

QUINQUECCLESIENSIS Ecclesia a S. Stephano I. Hungariae Rege fundata. *ibid.* §. 3.

Quod olim obtinuit Pallii indultum, an perpetuum fuerit, vel personale, disputant Canonistae. *ib.*

QUINDENNIA pro beneficiis Mensae Archiepiscopali, et Capitulari Goritiensi unitis, a quibus, et quomodo solvenda. I. §. 12. pag. 12 Vid. *Goritiensis Ecclesiae erectio.*

R

RATIONES reddere tenentur Successori Praesuli, de spolio Praedecessoris, Vicarius Capitularis, Canonici, aliique, quibus spolii cura, sede vacante, fuit demandata. LVII. §. 2. p. 343. Vid. *Spolia.*

RATIONIS USUM an habuerint ex peculiari gratia Bethleemitici Infantes. Vid. *Infantes Bethleemitici.*

RAHMUNDI LULLII duo extiterunt, alter Sanctus Martyr, alter vero reprobatae memoriae haereticus. XXIV. §. 11. p. 138.

RECTOR, seu Sacrista Hospitalis S. Angeli a Nido Neapolitanae Civitatis, est ab ordinaria, et delegata Archiepiscopi jurisdictione, durante hujusmodi munere, exemptus. LII. §. 10. p. 293.

Amplissima jurisdictione fruitur in Ministros eidem Hospitali actu inservientes. *ibid.* §. 13. p. 294.

Indulgentias tamen publicare, dimissoriales Literas concedere, aliaque id genus praestare non potest. *ibid.* §. 6. p. 293. Vid. *Hospitale.*

RECTOR Carpentoracten. habet Jurisdictionem Ordinariam in Causis civilibus, criminalibus, et mixtis. XXI. §. 3. p. 118.

Poenas tamen corporis afflictivas non infligit, nisi sententiam ab eo latam confirmaverit Congregatio Criminalis, et Vicelegatus Avenionen. *ibid.* §. 4.

Immo Vicelegatus potest causam, ipsamque confectionem processus ad se avocare. *ibid.* §. 5.

Potest processuum confectionem suspendere, sed citationes debent esse manu Vicelegati signatae. *ibid.* §. 8. p. 119.

Hujusmodi tamen subscriptio haud est necessaria, si appelletur a sententia, vel definitivo decreto Rectoris. *ibid.* §. 9.

De civilibus autem causis Rector quandoque, uti Judex Ordinarius, cognoscit in prima Instantia. *ibid.* §. 6. p. 118.

Quandoque in secunda, et ulteriori instantia. *ib.* §. 7.

In propinis exigendis, quam taxam servare debeat. *ibid.* §. 17. p. 119.

Caeterum nequit sibi jus asserere concedendi *exequatur*, citationibus in Curia Romana, vel a Vicelegato Avenionen. expeditis. *ibid.* §. 10.

Vel publicandi quaecumque Bannimenta, nisi prius fuerint a Vicelegato approbata. *ibid.* §. 12.

Aut concedendi salvos conductus; permittitur tamen formulam *pareatis*, vel *exequatur*, in civilibus concedere, requisitus a personis diverso Dominio subjectis. *ibid.* §. 13.

Quibus titulis, quove habitu uti debeat Rector. *ibid.* §. 13. et 14.

Non potest se immiscere in rebus spectantibus Cameram *Carpentoractensem*, *et Comitatus Vindascini*. *ibid.* §. 16.

Homagia obedientiae, et fidelitatis, a quibus, et quomodo possit accipere. *ibid.* §. 18.

Quosnam Officiales, et Ministros deputet in Civitate Carpentoractensi. *ibid* §. 19.

In electione Consulum memoratae Civitatis quodnam sibi Jus possit vindicare. *ibid.* §. 20.

Deliberationes captas a Consiliis tum Civitatis Carpentoracten, tum Communitatum Vindascini Comitatus non potest approbare Rector, si de re agatur non exigui momenti. *ibid.* §. 21.

REFRACTARII Constitutioni *Unigenitus* an, et quando sint a Sacra Eucharistia, et Viatico repellendi. LXII. §. 3. et seq. pag. 385. Vid. *Constitutio*.

REGULARIUM Constituta non recipit Auditor Generalis Camerae. XXVI. §. 13. p. 152.

REGULARES in subsidium, defectumque Cleri saecularis tantum, ab Episcopis assumendi. XX. §. 1. p. 116.

Et quatenus Clerici saeculares ad obeunda munia minus apti reperiantur. *ibid.* §. 2.

Regularis S. Officii Consultor nequit a Superioribus Regularibus, sine causa, et inconsulta Congregatione Sacrae Inquisitionis, a loco removeri. XLVI. §. 33. p. 244.

REGULARES non Parochi, saecularium Confessiones excipientes, an Conferentiis casuum pro Clero saeculari statutis interesse debeant. *In Append.* t. V. §. 2. p. 457.

Regulares sunt ab Ordinariorum Jurisdictione exempti. XVI. §. 5. p. 98.

Tamen extra Dioecesim, ubi promoti sunt, Ordinem in alienis Ecclesiis exercere non possunt, nisi Ordinario, ejusve Officialibus, Testimoniales suorum Superiorum exhibeant. *ibid.* §. 6.

Multoque minus licet ipsis saecularium Confessiones audire, nisi approbati fuerint a Loci Ordinario. *ibid.* §. 7.

Nihil obstantibus amplissimis quibuscumque privilegiis, ac etiam consuetudine immemorabili. *ibid.* §. 7.

Approbare potest Ordinarius Regulares ad excipiendas saeculatium Confessiones indefinite, et cum praefinitione temporis. *ibid.* §. 9. p. 96.

Approbatus indefinite, sine causa suspendi non potest. *ibid.*

Regulares in iis, quae curam animarum, et administrationem Sacramentorum respiciunt, subsunt Jurisdictioni, et Visitationi Episcopi. *ibid.* §. 12. p. 98.

Nihilque huc in re ipsorum privilegiis juvantur. *ibid.* §. 13.

Idque obtinet, sive Regularis Parochus sit, sive plura, vel unum Sacramentum saecularibus ministret, sive inscio, sive annuente Episcopo. *ibid.* §. 14. p. 99.

Non tamen subjiciuntur in iis, quae Regularem observantiam respiciunt. *ibid.* §. 15.

Nisi maneant extra Claustra, vel publice delinquentes, a Superioribus post interpellationem Episcopi, non corriganiur. *ibid.* §. 15.

Superior autem Regularis potest sibi subditum, non solum in iis, quae sunt Regularis observantiae, sed etiam curae animarum, et administrationis Sacramentorum, punire. *ibid.* §. 17. p. 100. Vid. *Missionarii Regulares*.

REGULARES, ob mutatam rerum faciem, in Indiis Occidentalibus, non fruuntur amplius privativo jure obtinendi Parochias, aliaque Officia Curata. XVII. §. 2. et seq. p. 105.

Immo qui iis praepositi sunt, tanquam ad nutum amovibiles, possunt, nulla expressa causa, ab Ordinario aeque ac a Superiore Regulari, amoveri. *ibid.*

Regulares hujusmodi Parochiis, et Officiis praepositi, in quibus subjiciantur Episcopo, et in quibus itidem Superioribus Regularibus. *ibid.* §. 3.

Regularibus Missionariis in Angliam ablegatis unus Superior praeficiendus, qui eos visitet, et emendet. XVI. §. 19. p. 101.

Elapso sexennio, debent iidem ad Regiones Catholicas, et proprii Instituti Claustra redire, tres Menses in iisdem manere, ac quindecim dies spiritualibus exercitiis vacare. *ibid.* §. 20. p. 101.

Indulgentias suis Ordinibus peculiariter concessas publicare prohibentur. *ibid.* §. 23. p. 102.

Reservantur iisdem Fundationes, quas hactenus possederunt. *ibid.* §. 22. Vid. *Missionarii*.

RELIQUIÆ SANCTORUM, ut decenti loco statuantur, curae Episcoporum mandatum est a Conc. Trident. *In Append.* t. VII. §. 1. p. 460.

Reliquiae Sanctorum, locis, in quibus coluntur, solent praestare validum praesidium ad arcendas calamitates. *In Append.* t. II. §. 19. p. 444.

Reliquiis Sanctorum, quorum proprium nomen mansit obscurum, cur appellativum nomen imponere consueverit Ecclesia. *ibid.* §. 3. p. 439.

Reliquiis Sanctorum utcumque exiguis, et licet ignoretur proprium nomen Sancti, cujus sunt hujus-

modi exuviae, cultus est exibendus. *ibid.* §. 1. et 2. p. 438. et 439.

Praeclarius tamen quid censetur Corpus integrum habere, quam partem; eoque magis si proprium illius nomen innotescat. *ibid.* §. 3. p. 439.

RELIQUIÆ PUEROBUM, cum notis Martyrii repertae, cultum publicum in Ecclesia obtinuere. XLIII. §. 20. p. 221.

Reliquiae ex Assisiensi Basilica, certis indictis poenis, extrahi prohibentur. XXXII. §. 13. p. 186.

RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS, quantumvis privilegiatis, non subsunt Beneficia, et Officia Jerosolymitani Ordinis. XIII. §. 14. p. 69. Vid. *Commendae Ordinis S. Joannis.*

RESIDENTIAM continuam in loco suae deputationis praestare debet Officialis privilegiatus Sac. Inquisitionis, adeout ne ab Inquisitore quidem cum eo dispensari possit. XLVI. §. 11. p. 240.

RESCRIPTUM seu RESOLUTIO capta die XVIII. Maji MDCCLI. a Congregatione S. R. E. Cardinalium super Consultationibus Communitatum, et Universitatum status Ecclesiastici, tam quoad competentiam jurisdictionis, quam quoad exercitium ejusdem in Civitate Alatri, et Frusinonis inter Curiam Generalem, ac Priorem, et Monachos Carthusianos confirmatur, et approbatur. XLII. *per totum.* p. 211.

RESOLUTIONES, et DECRETA praescripta in Comitiis Generalibus Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Lateranensis habitis in Civitate Bononiensi anno 1732. confirmantur. XXI. p. 128. et 126.

RESPUBLICA LUCENSIS. Vid. *Lucensis Respubl.*

RESTAURATIO Ecclesiarum unitarum Basilicae Assisiensi, et supellectilium manutentio, a quibus curanda. XXXII. §. 17. p. 187.

REUS appellans ad A. C. a decreto Ordinarii, cujus vigore relaxatus fuit, audiri nullo modo potest, nisi prius ad carceres, custodiamve redeat. XXVI. §. 11. p. 132.

Reorum Constituta recipit tantummodo Auditor Camerae, et quibus in causis. *ibid.* §. 13.

Rei se constituentes coram A. C. debent in carceribus formalibus detineri. *ibid.* §. 14.

Quandoque vero possunt per Urbem habilitari, et quando. *ibid.*

Quinam invaluerit stylus quoad Reorum habilitationem per Urbem. *ibid.* §. 18. p. 133.

Processu non completo, et publicato, imposterum Rei habilitari prohibentur. *ibid.*

Processus vero publicari vetantur, nisi Reus antea, vel coram Ordinario, vel coram eodem A. C. sese constituerit. *ibid.* §. 17.

Habilitari tamen promittitur Reus, si perfecto, et publicato Processu informativo, fieri debeat repetitivus, aut defensivus. *ibid.* §. 19. p. 134.

Excipiuntur nonnulla crimina graviora. *ibid.*

Itidemque si absque novo processu, defensio pararetur, tunc enim Reus ad usque exitum causae in carcere esse jubetur. *ibid.* §. 19.

Reus tamen quomodocumque habilitatus, ab Ordinum exercitio suspensus declaratur. *ibid.* §. 20. Vid. *Auditor Generalis Camerae*

REGIBUS, ET PRINCIPIBUS quandoque ex urgentibus causis concessum fuit, ut non jejuni Eucharistiam sumere possent. LV. §. 9. p. 334.

REGUM commemoratio in Sacrificio Missae quomodo juxta Latinam, Graecamque Liturgiam antiquitus obtinuerit, vel nunc temporis obtineat. LIV. §. 26. et seq. p. 309.

RITUALE ROMANUM illud tantum habendum, quod jussu Pauli V. editum, et ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos datum XLIX. §. 24. p. 284.

RITUALE Cardinalis Sanctorii quid habeat de Benedictione cum Sanctissimo Sacramento adversus tempestates impertienda. §. 18. p. 282.

Accurata traditur ejus Operis notitia. *ibid.* §. 20. et seq. p. 283.

Caret principio, ac fine, nec non aliquibus intermediis paginis. *ibid.* §. 20. et seqq.

Plurima fuerunt ipsi aliena manu, ad operis complementum, in principio, et fine superaddita. *ibid.* §. 21. et seq.

Cur fuerit sub ipso praelo interceptum. *ibid.* §. 23. p. 284.

Licet plurima commendatione dignum, non tamen ejus publicae auctoritatis unquam obtinuit. *ib.* §. 20. 24. et 28. p. 283. et 284.

RITUS in adoratione, expositione, delatione, ac benedictione cum Sanctissimo Sacramento impertienda, statuit Ecclesia, et quinam in unaquaque functione probentur. XLIX. §. 10. p. 278. etc.

RITUS LATINUS. Vid. *Latinus Ritus.*

RITUS SLAVO-LATINUS Illyricae Nationi concessus, quomodo accipiendus. XXXVIII. §. 1. et seq. p. 201.

RITUS ORIENTALES non modo convellere nunquam studuerunt Romani Pontifices, sed tueri, ac servare pro viribus adlaborarunt. XLVII. §. 6. et seq. p. 250. et seq.

Ritus in Ecclesia recepti, ab Inferioribus, inconsulta Apostolica Sede, non modo tolli penitus, sed nè ex parte quidem immutari possunt. *ibid.* §. 27. p. 260.

Ritu Orientalium praescripta relaxare non possunt Missionarii. XLVII. §. 3. p. 249.

Ritus tam in Latina, quam in Orientali Ecclesia corrigere, permittere, vel interdicere, Apostolicae Sedis est. *ibid.* §. 27. p. 260.

RITUS GRÆCI in Latinam Ecclesiam, vel Latini in Graecam, quandoque invecti, Apostolica tamen Sede probante. XLVII. §. 27. et seq. *ibid.*

Rituum translatio a Latina ad Graecam Ecclesiam, et vicissim, quomodo licite possit contingere. LIII. §. 3. et 4. p. 297.

Ritus confusio non inducitur, ex quo Graecus in Latina, vel Latinus in Graeca Ecclesia, retento proprio Ritu, Sacra peragat. XLVII. §. 33. et 38. p. 266.

Id vero contingeret, si Graecus modo Graeco Ritu, modo Latino; vel Latinus, nunc Latino, nunc Graeco Ritu Sacra pararet. *ibid.* §. 34.

Haec Rituum commixtio, an quandoque indulgeri possit. *ibid.*

RITUS GRÆCUS a Monachis S. Basilii servandus in Missa et Officio, cum aliqua tamen modificatione a Pont. indulta. XLVIII. p. 273.

RODULPHI GLABRI sententia detrahens Romani Pontificis auctoritati consecrandi per se, vel per suos Delegatos, Ecclesias ubique Locorum sitas, omnino falsa convincitur. LVIII. §. 26. et seq. p. 387.

ROMANI PONTIFICIS quanta fuerit, sitque etiamnum auctoritas, in consecrandis Ecclesiis ubilibet constitutis. LVIII. §. 25. p. 387. Vid. *Consecratio*.

Romani Pontificis commemoratio in Missa tam a Latinis, quam a Graecis semper est facienda. LIV. §. 9. et seq. p. 302. Vid. *Commemoratio*.

ROTUNDA. Vid. *Pantheon Urbis*.

RUDIMENTA FIDEI. Vid. *Doctrina Christiana*.

RUSSIA ALBA plures habet Graecorum Ecclesias, perpaucas Latinorum. XLVII. §. 36. p. 267.

In Graecis illis Ecclesiis, Latini Latinas Missas, Ruthenis consentientibus, celebrant. *ib.*

RUTHENORUM unio cum Sede Apostolica, quibus conditionibus peracta. XLVII. §. 13. p. 283.

Illorum Synodus anno 1720. Zamosciae coacta, sub quibus reservationibus fuerit approbata. *ib.* §. 16. p. 284.

RUTHENIS EPISCOPIS, ET ARCHIEPISCOPIS commendatur, ut Cleri saecularis, ac potissimum Alumnorum Collegii Wilnensis curam gerant, ipsorum opera in muneribus Ecclesiasticis utantur, aliisque propositis praemiis ad studia eos alliciant. XX. §. 1. et seq. p. 116.

Ruthenae Nationis Monachis, Ordinis S. Basilii Magni, in unam Congregationem jam redacti. Jurisdictio Metropolitani, et Proto-Archimandritae in Abbates, sive Archimandritas definitur. LVI. §. 1. et seq. p. 337.

RUTHENI ADOLESCENTES. Vid. *Collegium*.

S

SACERDOTALE ROMANUM a P. Petro Castellano ex Praedicatorum familia fuit compositum. XLIX. §. 18. p. 282.

SACERDOTES tam in Latina, quam in Graeca Ecclesia, juxta veterem disciplinam, cum Episcopo celebrabant. XLVII. §. 38. p. 268.

SACERDOTI simplici per Pontificem ex suprema auctoritate delegari possunt ea, quae ad mysticum Christi Corpus pertinent: et quid de Diaconis. *In Append.* t. III. §. 9. p. 447.

Sacerdotes ad alienam Dioecesim transeuntes sub quibus conditionibus, et cautelis, admitti debeant ad Missam celebrandam. LXX. §. 10. et seq. pag. 426.

Degradatio Sacerdotum, aliorumque, qui Sacris, vel Minoribus Ordinibus sunt initiati, quandonam, et qua servata solemnitate sit peragenda. LXX. §. 4. et seq. p. 425.

Sacerdotio non initiati qui Missam celebraverint, aut Fidelium Confessiones exceperint, quomodo saeculari foro tradi debeant? LXX. per tot. p. 425. et LXXI. per tot. p. 429.

An fuerit a Pio IV. approbatum. XLIX. §. 19. p. 282.

Quid in eo statuatur de Benedictione cum Sanctissimo Sacramento ad tempestates fugandas impertienda. *ibid.* §. 18.

SACRAMENTORUM materiam, et formam adhibere circa subjectum capax, absque intentione conficiendi Sacramentum, est omnino illicitum. LIV. §. 36. p. 321.

SACRAMENTUM, si partes Subjecti sejunctae sint, valide, et licite conferri potest a pluribus Comministris, materiam, et formam seorsim, et diversis partibus applicantibus. *In Append.* t. IV. §. 15. p. 455.

Sacramentorum, ac suffragiorum incapaces sunt Christiani, qui ad fidem occultandam Mahumetana nomina sibi imponunt. XXXVII. §. 4. p. 200.

SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ, etiam per modum Viatici, denegandum est publicis, et notoriis peccatoribus, sive illud publice, sive privatim petant. LXII. §. 3. et seq. p. 385.

Publici, et notorii peccatores quinam ad praefatum effectum dici possint. *ib.* §. 4. et seq.

Sanctissimum Sacramentum, quo Ritu exponendum, processionaliter deferendum, et benedictio cum eodem impertienda, definivit Ecclesia. XLIX. §. 13. p. 280.

Sanctissimum Sacramentum, cum pro aegrotantis valetudine oratur, e tabernaculo non educitur. XLIX. §. 13.

Ac etiamsi turbines, nimbi, et procellae immineant, non ideo educi debet a Tabernaculo, et cum eo aer signari. *ib.*

Sanctissimum Sacramentum an imminente publico aliquo infortunio ad excitandam Populi devotionem, sit publice exponendum. XLIX. §. 6. et seq. p. 276.

Eodem objecto incendia pluries extincta, fugari

hostes, aliaque propulsata infortunia narrantur. *ib.* §. 7. et seq.

An juxta Ecclesiae Ritum liceat Sanctissimo Sacramento ab Ecclesia allato ad incendium extinguendum benedicere. *ib.* §. 7. et 26. et per tot. p. 276. et 284.

Quem in finem fuerit Sanctissimum Sacramentum primario institutum. *ib.* §. 9. p. 277.

SACRIFICIUM per se Latriae cultum includit, ideoque soli Deo offertur. LIV. §. 37. p. 313

Sacrificium Missae offerre temere attentantes, etsi non promoti ad Ordinem Sacerdotalem, qua poena sint plectendi juxta praescriptum Constitutionum Apostolicarum. LXX. §. 2. et seq. p. 425. et LXXI. §. 2. p. 429.

Praxis in hujusmodi Judiciis inventa recensetur, eaque proscripta, vis Apostolicarum sanctionum redintegratur. LXX. §. 3. et seq. p. 425. et LXXI. §. 4. et seq. p. 429.

SALVOS CONDUCTUS, sive concessiones Territorii, concedere non possunt Rectores Carpentoractenses. XXI. §. 18. p. 119.

SANCTORIUS Card. S. Severinae Rituale composuit plurimo studio, ac labore commendatissimum. XLIX. §. 18. 20. et seq. p. 282. et 283. Vid. *Rituale Card. Sanctorii.*

SANGUINE, ET SUFFOCATO, nec non cibis immundis sese diu abstinuerunt Christifideles. LIV. §. 64. et seq. pag. 325. Vid. *Ciborum distinctio.*

SARACENI ab Assisiensi Civitate, objecto Sanctissimo Christi Corpore, fugantur. XLIX. §. 7. pag. 277.

SCHEDULÆ, sive *Viglietti*, quibus familiaritas Sacrae Inquisitionis hactenus concessa sit, vel subinde concedatur, nullius roboris declarantur, et abrogantur. XLVI. §. 38. p. 248.

SCHISMA Orientalium, quorum dogmatum constitutione in Concilio Florentino sublatum. XLVII. §. 6. p. 280.

SCHISMATICI GRÆCI ad unitatem redeuntes, non debent adduci, ut Graecum Ritum deserant. XLVII. §. 32. p. 265.

SCULPTURÆ ARS. Vid. *Picturae, Pingendi etc.*

SECRETARIUS Congregationis Boni Regiminis, quam jurisdictionem exerceat in expediendis oeconomicis, et judicialibus negotiis Communitatum. XXV. p. 142. Vid. *Congregatio Boni Regiminis.*

SECRETUM, sive silentium, quod in Congregatione S. Officii praescriptum est, eodem prorsus modo in Congregatione Indicis, a Cardinalibus, Revisoribus, et Consultoribus custodiendum praecipitur. XIX. §. 12. p. 112. et seq.

SEMINARIA, et Collegia erecta, et erigenda sub cura Patrum societatis Jesu in Indiis Regi Fidelissimo subjectis declarantur exempta et libera a quibuscumque juribus Parochialibus. XXI.*** § 4. p. 127.

Rectori pro tempore curam opportunam commendat. *ibid.* §. 8.

Parochis districte prohibet ne in aliqua re se ingerant. *ibid.*

SENTENTIA emanata in Congregatione particulari coram Sanctitate sua sub die 13. Martii 1753. in Causa Ordinis Eremitarum S. Augustini Calceatorum Provinciae Portugalliae, et Algarbiorum confirmatur. XV.* p. 88.

SENTENTIÆ duae conformes in Causis inter Militiam Jerosolymitanam, ejusque Milites, ac super Receptione ad habitum, habent vim trium. XIII. §. 18. p. 71.

Earum exequutio non suspenditur, nisi per citationem specialem intra trimestre expeditam coram Auditore Papae, et parti praesentatam. *ib.* p. 72.

SEPULTURA Sacra denegatur decedentibus ex vulnere in duello accepto, licet extra locum pugnae objerint. VI. §. 9. p. 38. Vid. *Duellum.*

SEPULCHRI Jus in Assisiensi Basilica inconsulto Pontifice, concedi nequit. XXXII. 14. p. 186.

SIGNATURA JUSTITIÆ in Criminalibus nullam habet auctoritatem; ideoque Causas hujusmodi committere, seu de ipsarum pertinentia cognoscere nequit. XXVI. §. 8. p. 151.

B. SIMONIS Pueri Tridentini Martyrium, et Historici de eo disserentes, recensentur. XLIII. §. 5. p. 218.

Sixtus V. in ejus honorem Missam propriam, Officium, et Indulgentiam concessit. *ib.*

Gregorius XIII. ejusdem nomen in Martyrologium Romanum inferri jussit. *ib.*

SIMONIACIS non solum retinendi praehabita, sed et alia consequendi Beneficia facultatem olim ex urgentibus causis fecit Martinus Quintus. XXXIII. §. 7. p. 192.

SOCIETATIS JESU Sacerdotes, Missionarii ad Indias tum Orientales, tum Occidentales, quibus facultatibus per Romanos Pontifices donati fuerint, dispensandi super impedimentis Matrimonii tam contracti, quam contrahendi, et pro foro tam interno, quam externo. LXVII. per tot. p. 402. et seq.

SODALITIUM Fratrum, et Sororum nuncupat. *degl' Amanti di Gesù, e Maria* erectum in Ecclesia S. Bonaventurae Recessus Religiosorum Reformatorum Ord. Minorum S. Francisci Romae. XII.* p. 58.

Translatum in Oratorio ad Campum Vaccinum prope Ecclesiam SS. Cosmae, et Damiani. *ibid.*

Providentiae pro bono, et perpetuo regimine ejusdem Sodalitii. *ibid.*

Statuta XII. observanda. *ibid.* p. 59. et seq.

SPIRITUS SANCTI processio a Patre, et Filio in Graecorum unione cum Ecclesia Romana primario admissa. XLVII. §. 6. et 30. p. 250. et 263.

Triplex ea de re quaestio, Graecos inter, et Latinos, examini subjecta. *ib.*

SPOLIA Archiepiscoporum, Episcoporum, et reliquorum Praelatorum per Regnum Neapolitanum ab Innocentio XII. addicta fuerunt Ecclesiis, quibus Antistites hujusmodi, dum viverent, praefuerunt. LVII. §. 2. p. 343.

Innocentianam Constitutionem, iteratis editis declarationibus Benedictus XIII. defendit adversus cavillosas quorumdam interpretationes. *ib.* §. 3. et 4. p. 344.

Nova forma assecurandis, custodiendis, distribuendisque spoliis hujusmodi Praelatorum praescribitur. *ib* §. 7. et seq. p. 345.

Quicumque Sede Vacante quoquo modo spolia illa administrarunt, vel administrationi praefuerunt, novo Praesuli rationem reddere tenentur. *ib.* §. 12. p. 346.

STATUTUM seu DECRETUM Collegii Mercatorum Urbis conditum in Congregatione habita die 12. Februarii 1744. pro bono regimine, et utilitate ejusdem Collegii confirmatur. XV.** p. 90.

S. STEPHANUS I. Hungariae Rex Quinquecclesiensis Ecclesiae Fundator. XXXIX. §. 3. p. 203.

SUBDIACONIS nunquam licuit Eucharistiam sub speciebus panis, vel vini Populo ministrare. LIV. §. 42. p. 316.

SUBLACUM temporali dominio, et jurisdictioni Monasterii S. Scholasticae Sublacen. olim subjectum. XXVII. §. 1. et 2. p. 160.

Justis de causis una cum reliquis Terris, Oppidis, et Castris sitis intra fines Ditionis Ecclesiasticae, a temporali jurisdictione Monasterii eximitur, et Camerae Apostolicae incorporatur. *ib.* §. 3. et seq. p. 161.

Camerae addicuntur quoque reliqua Bona jurisdictionalia ejusdem Monasterii in casu devolutionis *ib.* §. 5.

Nec non praestationes, et proventus, hujusmodi temporali jurisdictioni adnexi. *ib.* §. 4. et 8. p. 161. et 162.

Loca tamen quaecumque extra Ecclesiasticae Ditionis fines sita, temporali jurisdictioni Monasterii, et Abbatum relinquuntur. *ib.* §. 3. p. 161.

Spiritualis quoque jurisdictio praeservatur in terras, et loca Camerae incorporata. *ib.*

Jus item venandi, pascendi, et universim emolumenta quaecumque Monasterio aliter competentia, qua ratione temporalis jurisdictionis. *ib.* §. 5. 6. p. 162.

Quaenam sint emolumenta temporali jurisdictioni adnexa, declaratur in subjecto *Motu proprio* §. 1. p. 164.

Eademque addicuntur Communitatibus, sub onere ferendi onera temporalis jurisdictionis. *ib.* §. 2. p. 165.

Recensentur, ac taxantur hujusmodi onera. Bona in emphyteusim concedi solita, qua forma subinde per Monasterium concedenda. *ib.* §. 6. et 7. p. 162.

SUBSTITUTI Locumtenentis Tribunalis Auditoris Camerae quae praestare debeant in Causis Criminalibus XXVI. §. 6. p. 131. Vid. *Processus*.

In SUFFRAGIORUM paritate post tertium scrutinium in Ordine Minimorum S. Francisci de Paula, electiones, aliaque negotia devolvuntur ad Correctorem Generalem, vel Provincialem, ejusdem judicio dirimenda. XXX. §. 2. et 3. p. 178.

SUPERIORIBUS et MISSIONARIIS Societatis Jesu Assistentiae Hispaniae in Indiarum Provinciis Catholici Regis dominio Subjectis Quitensi in America, Insularum Philippinarum in Asia, Mexicana, Peruensi, Chilensi, Paraquaria, et novi Regni Granatensis, seu Sanctae Fidei in America constitutis conceditur facultas conferendi Sacramentum Confirmationis, cum quibusdam conditionibus, clausulis, et circumstantiis. XII.** §. 3. 4. 5. 6. p. 62. V. *Missionariis*.

SUSPENDI an possit ab Ordinario is, qui a Pontifice Romano fuit ordinatus, disputant Doctores. LXIV. §. 18. p. 394.

Episcoporum suspensio, vel depositio est privativo Pontificis judicio reservata. *ib.*

SUSPENSIO ipso jure incurritur ab Episcopo, in aliena Dioecesi Ordines conferente, irrequisito Loci Ordinario: secus vero si vestes, vasa, sacrasque Virgines benedicat. XI. §. 8. pag. 82. Vid. *Pontificalia*.

SUSPENSUS habetur ab omnium Ordinum exercitio Reus, qui se coram A. C. constituit, licet per Urbem quomodocumque habilitatus. XXVI. §. 20. p. 134.

SYMBOLUM in qualibet Missa, etiam pro Defunctis, recitatur a Graecis; eumque morem Pontifex servari jubet a Monacis Ordinis S. Basilii. XLVII. §. 6. p. 250.

SYMBOLI recitatio in Sacrificio Missae a Graeca ad Latinam Ecclesiam traducta. XLVII. §. 28. p. 261.

SYMBOLO NICÆNO non solum licuit, sed et decuit superaddere particulam *Filioque*. XLVII. §. 30. p. 263.

Symbolum idem, sine additamento *Filioque* a Graecis, et Orientalibus, quandoque recitari permisit Apostolica Sedes, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversae facti circumstantiae exegerunt. *ib.*

SYNGRAPHÆ Montis Pietatis, vel Banchi S. Spiritus. Vid. *Cedulas Montis Pietatis*.

SYNODUS LIBANENSIS quid de commemoratione Romani Pontificis in Missa edixerit. LIV. §. 17. p. 306.

T

TAXÆ constitutae fines ne trasgrediantur Judices, et Notarii in Causis Criminalibus, Auditoris Camerae vigilantiae commendatur. XXV. §. 24. p. 147. Vid. *Auditor Generalis*.

TAXA pro Birruariorum utensiliis, imposita Communitatibus intra Urbis districtum sitis, reduci jubetur. XXV. §. 14. p. 144.

TENTATIO DEI alia expressa, alia interpretativa, et quando alterutra adesse censeatur. XLIX. §. 10. p. 278.

TERRÆMOTU subversa Ecclesia; an et quando debeat iterum consecrari LVIII. §. 16. p. 384. Vid. *Consecratio*.

TESTES de auditu, allati in Processu Apostolico, conjungi non possunt in linea aequalis probationis, cum Testibus de visu extantibus in Processu Ordinario in causis Beatificationis, et Canonizationis Sanctorum. *In Append.* t. I. §. 2. p. 437.

Vim tamen adminiculativam habere possunt, modo majorem, modo minorem, pro varia circumstantiarum conditione. *ib.* §. 3. p. 438.

Quodnam exinde promanet in ipsis causis Beatificationum, et Canonizationum absolvendis, discrimen. *ib.* et §. 4.

THEODORETI Cyri Episcopi Liber de Vitis Patrum, inscriptus *Philotheus* sive Religiosa Historia, laudatur. XXIV. §. 3. p. 136.

Ejusdem Libri auctoritatem ab aliquibus impetitam vindicarunt eruditiores Viri. *ib.*

THERMAS DIOCLETIANI aedificare instituit Maximianus, et quo consilio id praestiterit. *In App.* t. II. §. 12. p. 442.

TITULUS *Venerabilis Frater* est ita adnexus characteri Episcopali, ut Episcopis quoque schismaticis, modo valide ordinatis, a Papa concedatur. LXIV. §. 20. p. 395.

TOBIAS GAZENIUS in Maronitarum Patriarcham electus confirmatur, latinoque Pallio donatur. *In App.* t. IX. p. 470.

TONDENTES MONETAS aureas, vel argenteas ultimo supplicio plectuntur, sive saeculares sint, sive cujusvis Ordinis Regulares. LXV. §. 2. et 3. p. 396. Vid. *Monetas*.

TONSURA sit nec ne Ordo, nondum est definitum. XI. §. 22. p. 56.

TORCELLANÆ ECCLESIÆ fundamenta, destructa Civitate Altinensi, ejusque Episcopali Cathedra sublata, jacta fuerunt. XVIII. §. 2. p. 106.

TRACTATUS *de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, laudatur simulque ad examen revocatur. XI. p. 81. Vid. *Cardinales Episcopi Suburbicarii*.

TRADITIO Brachio Seculari quando decernenda sit in non promotum, qui Missam celebraverit, aut Fidelium Confessiones exceperit. LXX. §. 2. et seq. p. 428. et LXXI. §. 3. et seq. p. 429.

TRANSACTIO inter Episcopum Herbipolen., et Abbatem Fulden. stipulata recensetur, et approbatur. III. p. 18. Vid. *Fuldensem Abbatem*.

TRANSACTIO inita inter Archiepiscopum Moguntinum, et Episcopum simulque Abbatem Fuldensem confirmatur. LXIX. p. 418.

TRANSLATIONES EPISCOPORUM, quoad Ecclesias in partibus Infidelium sitas, habentes Populum fidelem, quomodo peragendae, ac conficiendi ea de re Processus. LXVI. §. 4. p. 401. Vid. *Processus*.

S. THRASONIS Coemeterium ubi situm, et quomodo inventum. *In App.* t. II. §. 12. p. 441.

TRIBUNAL Inquisitionis quomodo hactenus processerit, et imposterum procedere debeat adversus celebrantes non promotos. LXX. §. 3. et seq. p. 425. et LXXI. §. 3. et seq. p. 429.

TRIMESTRE tempus praefinitum est Electo in Episcopum, ad suscipiendam Consecrationem, computandum a die confirmatae Electionis. LXIV. §. 2. p. 388.

TRIREMIUM, perpetuique carceris poena quando decernenda sit in celebrantem non promotum. LXXI. §. 4. et seq. p. 429.

TRISAGII *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere nobis* antiquissima origo, et usus Graeca Ecclesia. XLVII. §. 28. p. 261.

In Latina Ecclesia, subinde usurpatum fuit. *ib.*

Quisnam ipsi superaddiderit verba: *Qui crucifixus est pro nobis*. *ibid.*

Fuerunt illa pluries a Summis Pontificibus proscripta. *ibid.*

TRUINA, penes Scriptores Ecclesiasticos, quid significet. *In Append.* t. IV. §. 13. p. 454.

TURBINES, aliaeque temporum procellae, educto Sanctissimo Sacramento e Tabernaculo, signari non debent. XLIX. §. 13. p. 280.

TURCICA, seu Mahumetana nomina non licet Christifidelibus assumere, sibique imponere, ad evitandas poenas, vel quamcumque utilitatem captandam. XXXVII. §. 1. et seq. p. 200.

Eisdem utentes, Sacramentorum incapaces, ac suffragiorum post mortem indigni declarantur. *ibid.* 4. p. *ibid.*

TURONENSIS Monasterii Ecclesiam majorem, qua servata methodo dicaverit Urbanus II. *In Append.* t. IV. §. 11. p. 453.

V

VATICANÆ Basilicae consecratio, quo Ritu fuerit ab Urbano VIII. peracta. *In Append.* t. IV. §. 8. p. 453.

VATICANÆ BASILICÆ Archipresbyteri jurisdictio in conferendis Ordinibus. XI. §. 16. p. 84.

VENERABILIS FRATER est titulus ita adhaerens characteri Episcopali, ut schismaticis quoque Episcopis, valide tamen ordinatis, a Papa tribuatur. LXIV. §. 20. p. 395.

VENETÆ REIPUBLICÆ egregia a vetustissimis temporibus merita de Catholica Religione, nec non obsequium erga Sedem Apostolicam. XVIII. §. 1. et 5. p. 106. et 107.

Eidem confirmatur jus nominandi ad Patriarchalem Venetam Ecclesiam, atque indulgetur jus nominandi ad alias tres Ecclesias Torcellanam, Caprulanam, et Clodiensem, sola excepta vacatione per obitum in Curia. *ibid.* §. 4.

VERBA, *Puer*, *Infans*, quam aetatem vi sua indicent. XLIII. §. 14. p. 218.

Quo sensu quandoque fuerint accepta a Scriptoribus Ecclesiasticis. *ibid.* §. 15. p. 219.

VERBA *Fide Constitutus* in veteri sepulchro inscripta, quid significent: *In Append.* t. II. §. 9. et seq. p. 440.

Verbum *percepit* absolute positum, *de suscepto Baptismate accipitur*. *ibid.*

Idemque Baptismus indicatur quoque per illa verba, *Fidei* Sacramentum. *ibid.* §. 11. p. 441.

VERONENSIS EPISCOPUS, privative quoad quoscumque, ordinariam jurisdictionem in posterum exercere debebit in Veronensi Civitate, universaque Dioecesi. LIX. §. 4. p. 362.

Suffraganeus est Archiepiscopi Utinensis. *ibid.* §. 8. p. 363.

Quam jurisdictionem exercere debeat in Capitulum, subjectasque Capitulo Ecclesias, sive Curatas, sive non Curatas, nec non in earumdem Ecclesiarum Cappellanos Titulares, vel Mansionarios. *ibid.* §. 7.

Cathedralis regimen, in quibus privative ad Episcopum, vel Capitulum spectare debeat, et in quibus cumulativae jurisdictionis esse. *ibid.* §. 9. et seq.

Parochiis Monasterio S. Mariae in Organis subjectis quomodo providere. *ibid.* §. 36. p. 368.

VERONENSE CAPITULUM quomodo visitari, corrigi, et emendari possit ad Episcopo, tum in Visitatione, tum extra Visitationis actum *ibid.* §. 7. et 8. p. 363.

In regimine Cathedralis Ecclesiae quandonam se immiscere possit. *ibid.* §. 9.

Jure utitur conferendi Canonicatus non vacantes in Mensibus Apostolicis; et quid de reliquis Dignitatibus Capituli. *ibid.* §. 17. p. 364.

Parochiales complures, aliasque simplices Ecclesias habet subjectas, in quas, earumque Titulares, Ministros, et Cappellanos, certam jurisdictionem exercet. *ibid.* §. 19. et seq.

Criminales causas subjectarum sibi personarum quandonam possit cognoscere. *ibid.* §. 30. p. 367.

VESTES Pontificales, et Sacerdotales adhibent Maronitae plane similes iis, quibus utuntur Latini. XLVII. §. 31. p. 265.

Innocentius III. sacra hujusmodi indumenta iisdem dono dedit. *ibid.*

VIATICUM Feria V. in Coena Domini consecratum Graeci per annum integrum asservare consueverunt. XLVII. §. 29. p. 262.

Sanctiones hac de re editae a pluribus Pontificibus, et Congregationibus Urbis. *ibid.*

SS. VIATICUM non est ad Infirmos deferendum, qui cum illud sumere impediantur, adorationis, vel deosculationis causa ad se deferri expostulant. XLIX. §. 12. et 13. p. 279. et 280.

SS. Viaticum Corporis Christi, an, et quando denegari debeat refractariis Constitutioni *Unigenitus*. LXII. §. 3. et seq. p. 385. Vid. *Constitutio*.

VICARIATUS S. OFFICII unire, vel supprimere potest Congregatio Generalis Inquisitionis, prout locorum conditio postulaverit. XLVI. §. 39. p. 245.

VICARIUS CAPITULARIS, loco defuncti Episcopi, in Sacrificio Missae nominari non debet. LIV. §. 20. p. 307.

Vicarius Capitularis, in Locis Missionum, ubi resident Episcopi, a Capitulo, vel Parochis, juxta veterem consuetudinem, eligi debet statim ab obitu Episcopi. L. §. 3. p. 286.

Si vero nullum adsit Capitulum, nec Parochorum numerus, a quibus electio perficiatur, Vicarius Generalis defuncti Episcopi, Pontificis auctoritate constituitur Vicarius Capitularis. *ibid.* §. 4.

Doctoratus necessitas tollitur, dummodo alia requisita in eligendo concurrant. *ibid.*

VICARIIS CAPITULARIBUS per Regnum Neapolitanum, quae cura sit commissa quoad spolia a defuncto Praesule relicta, et in Ecclesiae commodum applicanda. LVII. §. 10. et seq. p. 346. Vid. *Spolia*.

VICARIIS GENERALIBUS aegrotantium Praelatorum Neapolitani Regni, demandatur cura, et assecuratio rerum sub spolio comprehensarum, exclusis Capitulis, Canonicis, caeterisque quibuslibet. LVII. §. 8. p. 345. Vid. *Spolia*.

VICARII APOSTOLICI in Anglia, quater in anno, et in mortis articulo, Indulgentiam Plenariam concedunt. XVI. §. 23. p. 102.

Vicariis Apostolicis in Anglia competit jurisdictio quasi Episcopalis intra cuique designatos limites. XVI. §. 4. et 10. p. 94. et 96.

Iisdem praeterea tribuuntur facultates *Formulae secundae*. *ibid.* et §. 11. p. 97.

Quas et aliis communicare possunt, iis exceptis, quae Ordinem Episcopalem requirunt, vel sine sacrorum Oleorum usu non exercentur. *ibid.* §. 4. et 11. p. 94. et 97.

Non tamen ad id tenentur, ideoque possunt easdem denegare, vel sub certo modo concedere, ac

etiam concessas auferre. *ibid.* Vid. *Missionarii Regulares*.

Vicarii Apostolici Indiarum Orientalium non habentes Episcopum Coadjutorem cum futura successione, jubentur assumere Vicarium Generalem. X. §. 1. p. 49.

Vicarii assumpti facultates recensentur. *ib.* §. 2.

Vicariis Apostolicis per quascumque Regiones constitutis, qui Episcopi non sunt, mandatur, ut Pro-Vicarium sibi eligant. L. §. 2. p. 286.

Hujusce Pro-Vicarii facultates, et onera. *ibid.*

Vicarii Apostolici cum charactere Episcopali, an, et quando praevio Processu constituendi, et quomodo hujusmodi Processus conficiendus. LXVI. §. 5. p. 401.

VICE-LEGATUS AVENIONENSIS Tabellas rationum Civitatis Carpenctoracten. et Communitatum Comitatus Vindascini recognoscit, et approbat. XXI. §. 11. p. 119.

Potest Causas Criminales, et confectiones Processuum a Rectore Carpent. ad se avocare. *ibid.* § 5. p. 118.

Item Processuum confectiones inhibere, et quomodo. *ibid.* §. 8. p. 119.

Immo, eo inconsulto, sententiae Rectoris poenam corporis afflictivam, infligentes, exequutioni committi non possunt. *ibid.* §. 4. p. 118. Vid. *Rector Carpenctoracten.*

VISITARE potest Proto-Archimandrita Congregationis S. Basilii Magni, Ruthenae Nationis, Abbates, seu Archimandritas sibi subjectos, et opportuna decreta vulgare. LVI. §. 4. p. 337.

VISITATIO Ecclesiarum, ac quorumcumque locorum subjectorum Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti prope muros Civitatis Aquilejensis, est Delegato Apostolico reservata. LXI. §. 18. p. 382. Vid. *Aquilejense Monasterium*.

VISITATORES Communitatum a Congregatione Generali Boni Regiminis deputantur. XXV. §. 10. p. 143.

Ipsorum facultas cohibita ad explorandum statum oeconomicum Communitatum, eumque referendum. *ibid.* Vid. *Congregatio Boni Regiminis*.

VITA S. MARONIS a Theodoreto Cyri Episcopo scripta, a quibus vindicata. XXIV. §. 4. p. 136. Vid. *S. Maro*.

S. ULDARICO Episcopo Augustano imponitur, quod Missam post prandium celebraverit. LV §. 6. et 8. p. 333. et 334

UNCTIO cum Sacro Oleo Infirmorum, an extra casum gravis infirmitatis fieri licite valeat. LIV. §. 47. p. 317. Vid. *Oleum Infirmorum*.

UNIGENITUS. Vid. *Constitutio Unigenitus*.

UNIO Graecorum quoties, quantisque laboribus a Romanis Pontificibus curata. XLVII. §. 11. et seq. p. 252.

Unio Monasterii de Campo longo cum adnexis juribus facta Sacristiae Conventus S. Francisci Assisien. confirmatur. XXXII. §. 16. p 187.

VOTUM decisivum quinam habeant in Congregatione Criminali A. C., quive consultivum tantum. XXVI. §. 5. p. 151.

Votum non recipiendi Episcopatus. Vid. *Basilienses Monachi*.

URBANUS VIII. Pontifex quantopere Graeci Euchologii correctionem curaverit. LIV §. 2. et 3. p. 300.

USUS, et APPLICATIONES Bonorum a quondam Martha Dominica Bovetti Porta Taurinen. relictorum designantur. XXI. *per totum* p. 120.

UTINENSIS Ecclesiae Collegiatae erectio in Archiepiscopalem, et Metropolitanam Ecclesiam. IX. p. 40.

Eidem assignantur Suffraganeae Ecclesiae *ibid.* §. 2. p. 41.

Capitulum constituitur, una cum certo Mansionariorum, et Cappellanorum numero. *ibid.* §. 3. p. 42.

Mensae Archiepiscopalis, et Capitularis redditus quantus, et quomodo distribuendus. *ibid.* §. 4. et seq.

Canonicatuum nonnulli jurispatronatus, alii liberae collationis. *ibid.* §. 11. p. 48.

Quomodo horum omnium provisio fieri, sive institutio dari debeat. *ibid.* § 13. et seq. p. 46. et seq.

In Utinensi Metropolitana Ecclesia Missa de Spiritu Sancto celebratur anniversaria die commemorationis, sive depositionis B. Bertrandi Aquilejensis Patriarchae. LX. §. 2. p. 376.

WILNENSE COLLEGIUM. Vid. *Collegium Wilnense*.

UXORES ante Ordinationem acceptas jure retinent Graeci Sacerdotes. XLVII. §. 13. et 22. p. 253. et 257.

Z

ZAMOSCIÆ Synodo cautum est, ut Rutheni Episcopi Officialem assumant ex Clero saeculari, dummodo ad id muneris idoneus Clericus reperiatur XX. §. 4. p. 116.

Zamosciae habita Synodus Provincialis commemorationem Romani Pontificis in Missa fieri praecipit. LIV. §. 17. p. 306. Vid. *Commemoratio*.

FINIS XVII. VOLUMINIS ET OPERUM OMNIUM BENEDICTI XIV.

262.11 33719
C 647
CONTINUATIO BULLARII ROMANI
AUTHOR
Tom. 3, Benedicti XIV Vol. 3
TITLE
Ben XIV, 17

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	O'Brien, J.

33719